SVMMA THEOLOGICA

R. P. F.

RAPHAELIS DE LA TORRE

ORD. PRÆD.

DE

RELIGIONE ET EIVS ACTIBVS

VITIISQVE OPPOSITIS.

SVMMA THEOLOGICA

R. P. F.

RAPHAELIS DE LA TORRE


ORDINIS PRAEDIC. SS. THEOL. DOCTORIS ET PRIMARIÆ CATHEdralis Salmanticensis Professoris.

IN

SECVNDAM SECVNDÆ D. THOMÆ AQVINATIS

DE PARTIBVS POTENTIALIBVS IVSTITIÆ

Disputationibus & Commentarijs doctissimis, duobus Tomis comprehensa.



TOMVS PRIMVS.

DE RELIGIONE ET EIVS ACTIBVS.

Cum Indice rerum & materiarum copiosissimo.

Hac prima in Germania editione cura & studio accuratè edita.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus CONSTANTINI MVNICH Bibliopolæ,

ANNO DOMINI M.DC.XXX.

Cum Gratia & Priuilegio Speciali S. C. M. ad decennium

REVERENDISSIMO
&
AMPL^mo. IN CHRISTO PATRI AC DOMINO
D. MELCHIORI A MONDORPFF AGRIPPINATI INSIGNIS MONASTERII VETERIS MONTIS S. CISTERCIENSIS ORDINIS SVB DVcatu Montensi Abbati & Præsuli Dignissimo, Eiusdemque Ordinis nec non Apostolico & S. Cæsareæ Maiestatis Commissario Vigilantissimo D. Temporali in Reyl Domino & Patrono suo iugi obseruantia in perpetuum sibi honorando.

Reuerendissime Præsul Domine obseruandissime.



MAgna illa Orientis sidera, fulgida sacri spiritus triclinia, Verbi Incarnati in præsepio Bethlemitico vagientis aulicos, Gentium primitias tres Magos, alterâ sui parte, in desiderato Ecclesiæ Coloniensis amplexu dulcissime foueri, non iam est annalium quod astruat fides; sed in æde Apostolorum vertici D. Petro sacra, & in domuum passim indicibus sigillatisque Coloniæ ceris, oculis vides; quos illa præsentia Vbiorum aruis fructus pepererit, quos anxia religiosè custoditi thesauri cura fætus excluserit, nemine, antiquitatis, gnaro clam est; Vt enim gratiam & gloriam, qua apud exteras nationes, gentes, Dynastas, opulentiam & scientiam, qua apud suos inclaruit, silentio transmittamus, ita virtutibus, ita sanctitate, ita religione, ex quo trium Regum ditata fuit reliquijs effulsit, vt infinitis propemodum alijs ciuitatibus, falsæ doctrinæ & factionum ventis Euripi in morem, agitatis, non modò velut immota rupes, à fide semel suscepta nunquam recidiua steterit, gentes infrænes Bohemos, per hospita & inhospita loca, bello nequicquam vndique fremente, ad trium magorum Basilicas & loculos pellexerit sed & quæ quondam sanctitatis & doctrinę radios ab alijs erat mutuare solita, vir

tute interpropria viſcera reciprocatâ, fœtus virtutibus, gra-
tia eruditione,authoritate,non modo Cęſareis,Regijs aulis,
ſed ſceptris pedo, infulis maturos,locuplete adeo meſſe ger-
minarit,vt quamplurima Imperij & finitimarum regionũ
ſata ſibi de eius plantulis mirificè gratulentur : procul rei
narratæ fides quò fiat,abire ſuperuacaneum eſt,ipſe tu nobis
Reuerendiſſime Præſul viuum & prototypon. Te enim è
ſuis excitatum viſceribus,raræ indolis, ſagacis ingenij, do-
ctrinæ inſignis, morum & probitatis laudatę adoleſcentē,
in locum natura ſylueſtrem,inſtituto cæleſtem,natura hor
ridum,virtute floridum,famoſiſſimam Veteris Abbatiam
Montis tranſtulit, vt primordialem illum, quē Balthaſaro
&Caſparo indiuiduis comitibus RexMelchior,orbi Idolo
latriæ præſtigijs faſcinato, fidei orthodoxæ fulgorē inuex-
it, ex nomine hæres & æmulus, pari animi ardore, inde-
feſſo conatu, Religioſis vtrinque Fratribus vrgentibus cō-
ſeruares,illuſtrares,diffunderes:Ceſſit res ad nutum,iactis e-
nimuero tam ſancti inſtituti tyrocinis,domitiſq; obluctan
tis carnis illecebris,per officiorum,virtute & prudentia pe-
diſſequis, gradus ſenſim eundo,patria ſpectante, patria lau-
dante,patria plaudente ſupremum paſtoralis dignitatis ca-
cumen tetigiſti,in quo velut ſpeculator peruigil iugiter ex-
cubans,inſideantes credito tibi gregi inimicos, clamore aſ-
ſiduo exterres, atque ante ipſam aciem progrediendo ho-
ſtilia diabolicæ nequitiæ caſtra audaciter infeſtas.

Ad quod quidem tametſi prælium abundè tibi aliunde
ſpicula ſuppetant,imo vel ſola defæcata melliflui Docto-
ris (cuius gregem ductitas) quam è Deiparæ pendulus puſio
vberibus,vt angelus ille apocalypticus ex abditis ſaluatoris
noſtri ſcrinijs inauditi verba,ſacramēti,epotauit,inſtructio
ſufficiat;tamen cum Religio debeat eſſe turris ad inſtar Da-
uidicæ,mille clypeis munitæ,&cum ille,qui Saulis indutus
loricâ & iaculis inſtructus, informe Philiſteorum mon-
ſtrum Goliat ſternere non potuit,ſtrauerit torto è fundâ ſuâ
lapillo : abs re me non facturum ratus ſum, ſi quos non ita
pridem R P. Raphaëlis de la Torre duos Tomos, de Reli-
gione eiuſque actibus, & eidem Religioni vitijs actibus-
que contrarijs, mira induſtria,profunda doctrina huius ſæ-
culi

culi æuo Magicis incantationibus quasi deliranti mirificè apta conscriptos, ab obliuione, mortis consanguineâ typographiæ beneficio vindicaturus accepi , tuo sub præsidio, communis patriæ & niuei candoris affectu fretus, prodire in publicum sinerem, vt si quam inesse ijs vim notaris, notabis autem oculo abdita quæque scientiarum penetrante) neque enim insomnis in Oceano nauclerus noctu syderum ita motus obseruat. Vt tua in literarum fastigijs sedulitas hęret) facillimè, in coruscantem illam Dauidicæ structuræ panopliam, tua, qua apud omnes plurimum authoritate vales referras, relato aduersus imbelle bluteronum genus masculè propugnes, propugnatos vt validissimos elidendis nequissimi spiritus iaculis & clandestinis magicæ versutili machinationibus conuellendis arietes Christianæ militiæ pugilibus suasu, hortatuq; tuo proponas, ambiguum quidẽ non est, quin plurimi sub turbidi fluentis vorticibus occultati angues inuidiæ suæ Virus in Raphaëlem dignum profecto virum, qui á corruptrice vetustate eruatur, egeant, sed quia Raphaël est ipse sibi amuletum concinnendo arreptis vt est apud Tobiam *6.ca.* colobrum branchijs trahet in siccũ; & quæ in exenterati lateribus inuidentiæ vis resideat, spectandum dabit omnibus, dummodo hoc vnum & obtingat vt sub pedo Reuerendissimæ Dominationis Tuæ tuto liceat ei delitescere, quod vt fiat humillimè oro Deum obtestatus, vt te tuo gregi, Ecclesiæ, patriæ, communi bono, & mihi clientulorum tuorum minimo multis annis sospitet. Coloniæ Agrippinæ Anno a Virginis partu. 1630. 8. Septembris.

Reuerendissimæ & Illustrissimæ Dominationis vestræ Deuotissimus Cliens

CONSTANTINVS MVNICH
Bibliopola Coloniensis.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM



B infantia, Lector optime, creuit mecum ingens auiditas Diuinorum agnitioni vacandi: qua accensus, vix adolescentiam attingens, Cœnobium Salmanticense Dominicanorum, vbi acerrimos agonistas palæstram literariam exercere, & egregios spectatores, ac moderatores audieram, sacro Religionis ritu initiandus adij. Ibi præfatæ auiditati sciendi non mediocrem occasionem nactus, doctissimis Magistris vtens, artium liberalium, & sacræ Theologiæ literis per aliquot annos incubui: quibus transactis ex præscripto maiorum munere Lectoris primùm Artium in eo Cœnobio: deinde Sacræ Theologiæ docendæ in studijs generalibus Prouinciæ Hispaniæ selectioribus: præcipuè in Diui Gregorij insigni collegio Vallisoletano per multos annos functus fui. Sed en inopinatè rerum vicissitudo mutata est. Nam quando ardentius certaminibus literarijs operam dabam: quando feruentius discipulos erudiebam, maiorum obedientia disponente, habenas currentis desiderij contrahere iussus sum: & mutatis curis vt Cœnobio prædicto per illustri, ac toto terrarum orbe famoso in Præfectum (quem Priorem vocant) sufficerer, quo in munere à sapientiæ acriori studio licèt non omnino exul, sed impeditus solicitudine gubernationis tantæ familiæ, ex parte cessaui per septem, aut octo annos: quibus prioru temporis, & amatæ sapientiæ studiorum non oblitus, non semel aut bis ingemiscebam: ac tandem amore sapientiæ, cuius amplexibus diu potitus sum feruens, à Præfecto Generali totius Ordinis non paucis precibus impetraui, vt renuntiani gubernandi muneri, quieti, & contemplationi sacræ doctrinæ alijs curis exclusis vacarem. Nec sine exemplo Patrum: Nam & Diuum Gregorium Nazianzenum, qui post sanctum Ioannem Euangelistam ob eximiam sapientiam Theologi cognomen promeruit, sic egisse Rufinus tradidit. Is namque in iuuentute sapientiæ vacans, & post modum curis pastoralibus in Ecclesijs Nazianzena, & Constantinopolitana implicitus, demum in senectute his curis valedicens, diuinarum rerum contemplationi, sacrarùmque literarum studio se dedit: quo in genere Græcè multa scitu dignissima, partim carmine, partim prosa oratione sanctè ac elegantissimè scripsit, ruri vitam Monachi agens. Idem fermè contigit sancto Raymundo, Ordinis Prædicatorum Generali Præfecto. Hæc dixerim (amice Lector) vt scias me magna voluptate perfusum à curis gubernationis lætanter vacasse, vt sapientiæ in iuuentute amatæ tandem in senectute cupitis fruerer amplexibus, & ne tempus ociosè tererem, Diui Thomæ scripta, quæ semper dilexi illustrare meis lucubrationibus decreui. Cumque diu anceps, ac dubius hæreret animus, vnde opus ordirer, vnde meorum laborum initium sumerem, obtulit se meditanda quæstio 80. secunda secundæ, in cuius vnico articulo Doctor Angelicus diuisiones, & naturam partium potentialium iustitiæ depinxit, intersecuit, ac explanauit tam miro artificio, & subtilitate, qualem peritus Anatomista in denudandis venis, in ostendendis arterijs, in secandis fibris humani corporis, vix assequutus est. Ab hac quæstione auspicari decreui, & elegi, quæ Doctor sanctus de partibus potentialibus iustitiæ; à quæstione 80. vsque ad quæstionem 123. mirificè & compendiosè tractauit: & licèt multi D. Thomæ nobiles discipuli & interpretes carptim de his, quidam hic, quidam illic, pro vt se offerebat occasio, differuerint vel tetigerint, tamen continuata serie quæstionum & articulorum nullus (quem ego viderim) præter dominum Caietanum aliquantulum contractius quam par erat, id præstitit. Conatus autem sum hoc pro virili præstare, sequens indefessè Diui Thomæ ordinem disputandi, quem penè diuinum puto. Totumque progressum meum, ac meditata, in duo volumina, seu duos tomos distribuenda duxi. Primus circa naturam Religionis, & eius actus versatur, multis & non contemnendis disputationibus refertus, vt videre tibi in hoc primo tomo licebit. Secundus; circa actus eidem Religionis oppositos multa ostendit scitu digna, quæ pro sui varietate non mediocriter oblectabit legentem, nimirum de Idolatria, de Augurijs, de Somnijs, de Astrologis, de Sortibus, de Sacrilegio, de Simonia, & id genus plura. Sed cum primum in intentione (vt aiunt Philosophi) sit vltimum in executione, id mihi accidisse necessarium fuit, qui exordium ab ipsa Religionis virtute sumpsi, vt inde ad statum Religiosum depingendum accingerer, & ascensum pararem. In his voluminibus meditandis, fabricandis, limandis, edendis, & quodammodo parturiendis plurimum insudaui, quamplures annos consumpsi, nullis laboribus ac vigilijs parcens, nullis sumptibus. Nam præter libros, quos in locupleti Bibliotheca huius Cœnobij diu noctuque euoluebam, alios etiam ab exteris regionibus necesse fuit asportare, vt inde eruditior fierem ad opus vastum peragendum: quod (amice Lector) ditatum reperies multis sacræ Scripturæ locis explicatis, & pluribus disputationibus ex Methaphysices, & naturalis Philosophiæ fontibus ventilatis, multis ex Historijs antiquis & modernis depromptis; ac demum ex literis humanioribus adornatum, & aliqualem confirmationem rerum sacrarum ex ipsis Gentilium archiuis multa substuli; vt more Hebræorum vasa aurea & argentea Ægyptiorum, vt Aug. ait, in meliorem vsum vendicarem. Vale, &c.

APPRO-

DIPLOMA
S. CAESAREAE MAIESTATIS.



ERDINANDVS II. Diuina fauente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & VVirtembergæ &c. Comes Tyrolis, &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium vniuersis. Quod cum demissè nobis exponi curarit Noster & Sacri Imperij fidelis Dilectus Constantinus Munich Bibliopola Coloniensis se publico rei litterariæ bono Sūmam Theologicam R. P. F. Raphaelis de la Torre Ord. Prædic. prælo subijcere decreuisse: Vereri autem, ne æmulorum fraude ac dolo, qui primas istiusmodi editiones nonnunquam temerè ac vitiosè imitari consueuerunt, ipse sperato laboris & impendii sui fructu, frauderetur; & ob id demissè à Nobis petierit, vt Priuilegio nostro Cæsareo sibi clementer consulere dignaremur. Nos huiusmodi precibus, vt quæ æquitate nitantur, & studiorum vtilitatem concernant, clementer annuendum duxerimus. Ideoque omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, & alijs quibuscunque Librariam negotiationem exercentibus, firmiter inhibemus & vetamus, ne quis prænominatum librum per memoratum Constantinum Munich impressum, intra proximum decennium à prima eius editionis die computandum, intra Sacri Romani Imperij Regnorumque & Dominiorum nostrorum hæreditariorum fines, simili aut alio quouis Typo vel forma, siue in toto, siue in parte recudere, aut alibi etiam impressum adducere, vendere, vel distrahere, clam vel palam citra voluntatem & consensum prædicti Constantini Munich, eiusue hæredum præsumat. Si quis verò secus faciendo Priuilegium hoc Nostrum Cæsareum spernere, negligere, aut transgredi ausus fuerit, eum non solum huiusmodi libris, perperam quippe recusis & adductis (quos quidem antedictus Constantinus Munich eiusue hæredes vbicunque deprehensos siue propria auctoritate vel Magistratus loci istius auxilio, sibi vindicare poterunt) de facto priuandum, sed & pœna insuper viginti Marcharum auri puri fisco Nostro Cæsareo fraudis vindici, sed & dicti Constantini Munich eiusue hæredum vsibus ex æquo pendenda, decernimus, omni spe veniæ sublata, plectendum. Ita tamen præmemoratus Bibliopola quatuor ad minus huius Operis Exemplaria suis sumptibus, quamprimum ad Cancellariam nostram Imperialem, transmittere teneatur, quatenus Priuilegio hoc Nostro vti voluerit. Mandamus ergo Vniuersis Nostris ac Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum Nostrorum hæreditariorum subditis, cuiuscunque status, gradus Ordinis, Conditionis, Dignitatis, ac præeminentiæ, existant, tam Ecclesiasticis quàm Sæcularibus, præsertim verò ijs, qui in Magistratu constituti, vel proprio vel Superiorum nomine & loco, iuris ac iustitiæ administrationem exercent, ne quemquam Priuilegium hoc Nostrum Cæsareum temerè vel impunè transgredi aut violare patiantur, quin potius contumaces, si quos fortè compererint, præscripta pœna plecti, aliisque idoneis modis coerceri curent, quatenus & ipsi, eandem mulctam euitare maluerint. Harum testimonio litterarum, manu Nostra subscriptarum, & Sigilli nostri Cæsarei impressione munitarum. Datum in Ciuitate Nostra Viennæ, die secunda mensis Maij, Anno Domini Millesimo sexcentesimo vigesimo nono Regnorum Nostrorum, Romani decimo, Hungarici vndecimo, Bohemici verò duodecimo.

Ferdinandus

P. H. à Stralendorff.

Ad mandatum Sacræ Cæsareæ Maiestatis proprium

Gerardus à Zvvartzen.

APPRO-

APPROBATIO.

DE superiorum mandato, ego F. Ioannes de Pereda Magister, & Rector huius Collegij D. Gregorij Vallisoletani, legi sumã Theologicã de Religione & eius actibus à sapientissimo Magistro, reuerẽdoq; admodũ Patre F. Raphaele de la Torre cõpositum: in qua nec vllum verbum, quod Fidei orthodoxæ, Ecclesiasticis decretis, vel bonis moribus aduersum, suspectùmve; neque etiam (quod his temporibus magnopere cauendum est) ambiguum appareret, reperi. Quin potius omnia vsque adeò pia, sana, incorrupta, docta, enucleata, perspicua, atque distincta; vt ex eisdem fidei principijs sententias his verbis explicatas quilibet depromptas esse iudicauerit. Est meo iudicio opus hoc tanto autore dignissimum, decentissimum ac proprissimum, in quo (velut alter Raphael Angelus) Raphael noster vnus, imò & singularis, & vnicus, de septẽ, seu innumeris, & penè infinitis spiritibus, qui (in illo S. Stephani Salmanticensis celeberrimo Cœnobio diuinorum contemplationi intenti, scientia pleni, charitate accensi) astant ante Dominum: Angelici præceptoris doctrinam de Religione, summa cum modestia, pietate, ac Religione tractans & explicans; animabus curandis necessaria ad medicamenta vtiliter, sibi & alijs reponit; scientiam videlicet, qua liniti mentis cæcorum oculi, omni terrena albugine deposita, cœlesti illustrati lumine videant; methodum, qua oratio, cæterique actus diuini cultus, ita prodeant vt quasi fumus aromatum de manu Angeli digni (qui Deo offerantur) in conspectu Domini ascendant, remedium denique, quo, si cordis particulam super carbones (quos hæc doctrina accendit) ponas; fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum. Opus verè est, in quo omnium bonarum literarum, sacræ videlicet Paginæ, diuinæ Theologiæ, vtriusque Iuris prudentiæ summa eruditio splendet, assidua sanctorum Patrum, scholasticorum Doctorum, exquisitorumque totius doctrinæ autorum lectio ostenditur, electio denique sententiarum fidelissima, tutissima, ac constantissima habetur. Quare dignum existimo, vt prælo mandetur. Datis in hoc nostro Collegio, 15. Mensis Septẽb. Anni 1629.

F. Ioannes de Pereda.

APPROBATIO.

GRauissimi ac sapientissimi M. F. Raphaelis de la Torre, ex Prædicatorum familia, disputationes & commentaria in quæstionem octuagesimam secundã secundæ D. *Thomæ, & deinceps, in quibus de partibus potentialibus iustitiæ agitur, sedula qua potui diligentia, de superiorum mandato euolui: talisq; in illis sententiarum vbertas, insignis resolutio, mira eruditio, tum etiam & inusitata quadam rerum varietas elucet, vt tanto viro, tanta industria, tanto denique ingenio digna censeantur. Turrim namque cum virtutum propugnaculis Magister noster,* Torre, *sui ingenij acumine & proprio labore construxit, indeq; mille pendent clypei, omnis armatura fortium, potentiales nempe iustitiæ partes, quæ armorum nomine iure optimo in sacris Literis nuncupantur. Opus certè omni laude dignum sententiarum pondere graue, verbis limatum, eruditione refertum, omni pietate, & deuotione redolens. Ex quo facilè deprehendi potest, in eo non solùm nihil dissonum, verum potius omnia in eo contenta rationi, sacrarumq; literarum, & sanctorum Patrum veritati consona inueniri. Quapropter & prælo mandari, & continuò omnium oculis manibusq; versari, in communem Ecclesiæ vtilitatem necessariũ iudicaui. Datis in hoc insigni Collegio* D. *Gregorij Vallisoletano die 15. Septembris,* 1629.

F. Didacus de Lorencana
Regens eiusdem Collegij.

APPRO-


APPROBATIO.


HÆc de Religione Commentaria, RAPHAELEM Nostrum, Magistrum & Doctorem Eximium, non Tobiæ oculos de felle piscis, sed mentem Theologi & Iurisconsulti DE LA TORRE nempe de Turri, Catholicæ doctrinæ illustrantem exhibent, ideoque vt illa in Germania & Germania in illis lucem aspiciant dignissima existimo. Datis in Conuentu S. Crucis Coloniæ 1. Martij. 1630.

F. Thomas Sergryphius Ord. Præd. SS. Theol. Magister ac Publicus eiusdem Facultatis in Vniuersitate Coloniensi Professor.

CENSV-

CENSVRA.




Ommentaria R.P. F. Raphaelis de la Torre *Ordinis Prædicatorum in Omnes S. Thomæ Quæstiones de Potentialibus Iustitiæ Partibus à varijs eiusdem Ordinis SS. Theologiæ Doctoribus accuratè examinata, quæ hactenus in Hispaniarum Regnis magna studiosorum vtilitate teruntur, nequaquam dictis Cancellis circumscribenda sunt: quare vt Ecclesiæ Catholicæ maius inde accedat ornamentum, incrementum, in hac etiam Vbiorum Metropoli luce donari poterunt. Scriptum Coloniæ Agrippinæ, die* 4. *Martij* 1630.

Henricus Francken Sierstorpffius SS. Theol.
Doctor, Gymnasij Laurentiani Regens,
Librorum Censor.

RA-

indicem inuenies in principio secundi tomi



QVÆSTIO. 80.


2ᵃ. 2ᵃ. DIVI THOMAE.

DE PARTIBVS POTENTIALIBVS IVSTITIÆ.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrùm conuenienter aßignentur virtutes iuſtitiæ annexæ?

Summa Articuli.



ACTVRVS D. A Tho. de virtutibus iuſtitiæ annexis in quæſt.80.art.vnico, earum numerũ inquirit, & naturam compendioſe tractat:aduertens primò,eas virtutes eſſe alicui virtuti principali annexas,quæ in aliquo cum virtute principali conueniunt ,in aliquo diſcrepant. Cùm ergo iuſtitia virtus ſit ad alterum, reddens ei aliquid debitum ſecundum æqualitatem:omnes virtutes,quæ ad alterum ſunt, quamuis deficiãt in reddendo debitum ad æqualitatem, ad iuſtitiam reducuntur,vt ei annexæ. Ex hoc fundamento colligit numerum earum:ſunt enim nouem:nempè Religio ergaDeum,Pietas erga parentes,Obſeruantia circa eos , qui virtute eminent,ad quam reducit Obedientiam hic in ſolutione ad tertium,Veritas, ſeu Fidelitas, Vindicatio ,Liberalitas , Magnificentia, Affabilitas, &c.Ex his tres priores,videlicet Religio,Pietas, & Obſeruantia ideò deficiunt à perfecta ratione iuſtitiæ, quia nòn reddunt perfectè æquale: B cæteræ verò,quia illarum officia non ſunt perfectè debita,ex debito,ſcilicet legali , quod ſtrictè debitum eſt,ſed ex debito morali,quod dũtaxat debitum eſt ex honeſtate virtutis.

Obnixè deſiderantes egregiam,grauem,ac vtiliſſimam doctrinam Doctoris Angelici de partibus potentialibus,& iuſtitiæ annexis , noſtris meditationibus pro exili noſtra portione illuſtrare,ac dilucidare; ne ſapientiorum Autorum conſuetudini , qui operibus ſuis argumentum quaſi epitomen omnium dicendorum præfigũt deeſſe videremur; nullo alio melius id poſſe præſtare exiſtimauimus, quam ſi rem ab hac quęſt 80.ordiremur.Cuius vnicus articulus nobis vice argumenti ſit:eo quod ſanctus Doctor miro quodam artificio totam dicendorum de partibus potentialibus iuſtitiæ materiam ob oculos ponit.Et nos ante huius articuli diſcuſſionem, vt plenius res perſpiciatur tabellam delineauimus, qua non mediocriter oblectatus auidus lector , videre licebit omnium virtutum iuſtitiæ annexarum naturam, obiecta, actus, ac ſubiecta. Quorum inſpectio non parum iuuabit ad eorum, quæ poſtea latè tradenda ſunt,intelligentiam.

ARGVMENT
EX

PARTES IVSTIT

Religio.

Liberalitas.

Magnificentia.

Veracitas.



RELIGIO-NIS

Religio.

Obiectum. Dei cultus, cuius partes integrales sunt, Deo subijci, vt præcellenti supra omnem creaturam, & inde assurgere ad exhibendum ei honorem.

Actus eius. Quidam interni; per quos Deo offerimus nostræ mentis vires internas.

Quidam externi; per quos Deo exhibetur cultus, offerendo ei in exercitio aliquid exterius.

Actus interni. Deuotio. Actus interni sunt Deuotio, & Oratio.

Deuotio est voluntas promptè tendendi ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum; cuius excitatiui sunt meditatio, & contemplatio.

Oratio, & eius partes. Oratio est petitio facta Deo, quæ diuiditur in mentalem, & vocalem.

Orationis partes sunt obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones.

Adoratio. Alius actus Religionis est Adoratio, per quam Deum veneramur nos ei expressè summittendo.

Adorationis partes. Diuiditur in adorationem internam; per quam homo mentem, & eius vires ad Dei reuerentiam summittit; & in externam, per quam corpus, vel eius membra Deo offert.

Actus Religionis externi. Sacrificare, oblationes offerre, primitias, & decimas dare, votum Deo facere, iurare, adiurare Deum, vel etiam laudare.

LIBERALI-tatis

Liberalitas specialis virtus.

Obiectum proximum. Passiones amoris, & concupiscentiæ, delectationis, & tristitiæ circa ea, quæ dantur, quas moderatur Liberalitas, faciendo bonum vsum rerum exteriorum temporalium, quæ possidentur.

Obiectum remotum. Pecunia & omnia bona possessa, quæ nomine pecuniæ appellantur.

Actus eius. Benè vti pecunia, vel diuitijs alijs per largitionem, præcipuè in ordine ad alios.

MAGNIFI-centiæ.

Magnificentia specialis virtus.

Obiectum. Magni sumptus, aut dona.

Actus eius. Rerum magnarum cum animi quadam ampla, & splē dida proportione administratio.

Subiectum. Voluntas.

Passiones quas moderatur. Moderatur passiones concupiscibilis.

Veracitatis

Veracitas spec. virt

Obiectum. Veritas manifestanda.

Actus eius. Exhibere se alteri verbis, [...] factis talem, qualis quisq[...] est.

Species reductiua. Fidelitas, qua promissa se[...]uantur.

M TOTIVS OPERIS.

æ. Q. 80.

POTENTIALES.

Dulia.

Vindicatio.

Gratitudo.

Affabilitas.



DVLIÆ communiter sumpta	Dulia.
Obiectum.	Cultus debitus his, qui in aliquo excedunt.
Actus eius.	Exhibere reuerentiam homini, ratione alicuius excellentiæ.
Species eius.	Pietas, Obseruantia, & aliæ ferè innumeræ.
Pietatis obiectum.	Cultus erga eos, qui post Deum sunt nobis essendi, & gubernationis principia.
Diuiditur materialiter.	In cultum pium exhibitum parentibus, filijs, vxori, cognatis, &c.
Actus eius.	Exhibitio cultus, reuerentiæ, & sustentationis etiam, personis prædictis, quando indiguerint.
Species obseruantiæ communiter dictæ.	Obseruantia specialiter capta, Dulia specialiter dicta, Hyperdulia, Obedientia, & aliæ virtutes innominatæ, verbi gratia, qua miles ducem, discipulus magistrum colunt, &c.
Obseruãtia specialiter dicta.	Est, qua Principem, & capita Ciuitatis reueremur.
Dulia specialiter sumpta.	Est, qua seruus dominum reueretur.
Hyperdulia.	Est, qua colimus eos, qui aliquam ad Deum habent affinitatem.
Obedientiæ obiectum.	Præceptum superioris tacitum, vel expressum.
Actus eius.	Parère superiori.

VINDICAtionis.	Vindicatio specialis virtus.
Obiectum.	Propulsatio iniuriæ.
Subiectum.	Persona priuata.
Actus eius.	Reddere malum pro malo, quod persona priuata ordinat in emendam, seu punitionem faciendam per publicam potestatem, vel se defendendo conformiter ad legem.

GRATITVdinis.	Gratitudo specialis virtus.
Obiectum.	Beneficia remuneranda.
Actus eius.	Benefactoribus gratiam, & beneficium acceptum compensare.

Affabilitatis	Affabilitas spec. virt⁹.
Obiectum.	Affabilis conuersatio.
Actus eius.	Decenter se habere ad alios homines in communi conuersatione, siue in factis, siue in dictis.
Species reductiuæ.	Æqualitas circa nobis æquales, humanitas, seu benignitas erga omnes.



CIRCA literam D. Thom. quamuis attentè legentibus satis perspicua videatur, submouenda sunt aliquot disputationes textuales: nam caetera subtiliores, & obscuriores prosequentibus quaestionibus reseruantur.

I. DISPVTATIO.

Quare huiusmodi virtutes annexae iustitiae, dicantur eius partes potentiales.

1 D. Thom. HOc palàm fiet, si adnotemus ex doctrinâ *D. Thom. quaestion.* 48 *in secunda secundae*, quòd sicut in toto corpore viuente sunt quaedam partes, quae dicuntur integrales, sine quibus corpus non potest perfectè subsistere, vt manus, brachium: quaedam subiectiuae, id est specificae, vt Leo, homo, qui sunt partes subiectiuę animalis: aliae sunt partes potentiales, id est potentiae ipsae viuentis, per quas sua munia exercet: ita cuilibet virtuti principali, & Cardinali suas licèt assignare partes ad similitudinem totius naturalis, vel viuentis. Partes integrales dicuntur, sine quibus perfectus virtutis vsus consistere nequit: has in virtute iustitiae dicit *D. Thom. quaestion.* 79. esse declinare à malo, & facere bonum. Partes subiectiuae sunt species, in quas virtus diuiditur: huiusmodi in virtute iustitiae sunt commutatiua, distributiua, & legalis. Partes verò potentiales alicuius virtutis sunt quaedam virtutes annexae virtuti principali, deficientes ab eius perfecta ratione, licèt in aliquo conueniant. Tales sunt nouem, enumeratae in articulo, quae anne ctuntur iustitiae strictè sumptae.

2 Sed quare dicuntur partes potentiales? Quidam dicunt, quia conueniunt cum iustitiâ eò quod sunt ad alterum, deficiunt verò à perfecta ratione iustitiae, vt in articulo declaratum est; & dicuntur potentiales similitudine sumpta ex animatis, quorum potentiae assimilantur animae, non tamen sunt ipsa anima, à cuius perfectione valdè deficiunt.

D. Thomas, qu. 48. *citatâ* reddens rationem huius Etymologiae dicens: *Partes potentiales alicuius virtutis dicuntur virtutes adiunctae, quae ordinantur ad aliquos secundarios actus, vel materias, quasi non habentes totā materiā principalis virtutis.* Quę verba primo aspectu apparent falsa: tum, quia actus eliciti ab his virtutibus annexis iustitiae non sunt actus secundarij eius iustitię, quae perfectam rationem iustitiae habet: tum, quia ex eo quod istę virtutes non habeant totam potentiam principalis virtutis, non deberent dici *potentiales*, sed potius *non potentiales*. (D. Thom.)

Nihilominus verba ista Diui Thomae, vera sunt, & reddunt planiorem rationem, quare potentiales dicantur: non quidem à potentijs animae, vt censent priores autores; sed à potentia, vt distinguitur contra actum, & perfectionem. Itaq; sensus verborum Diui Thomae est, has virtutes ob id dici potentiales, quia non habēt totam potentiam principalis virtutis, id est totam facultatem, totam perfectionem, quam habet virtus principalis ad eliciendos suos actus, nimirum in virtute iustitiae sub perfecta ratione debiti, & aequalis. Non sunt igitur potentiales, si potentia sumatur pro facultate ad operandum perfectè actus iustitiae, sed sunt potentiales à potentia, vt distinguitur contra actum, & perfectionem.

* * *

II. DISPV-

II. DISPVTATIO.

1. CIRCA distinctionem illam debiti in legale, & morale, qua vtitur D. Thomas; non solũ in hoc articulo, verũ & in alijs 1. 2. *qu.* 99. *art.* 5. *in corpore, & supra quæst.* 23. *art.* 3. *ad primũ, & alibi sæpe,* & in hoc art. ait, ad iustitiam pertinere, vt respiciat rationem debiti, & æqualis: & ex defectu vtriusque, vel vnius istorum sumi rationem partium potentialium iustitiæ; vt latius habetur in litera. Contra quam.

Arguitur primo. Commune est omni virtuti vt seruet modum, speciem, & ordinem, vt ex Augustino refert D. Tho. *quæstione sequenti;* & ex ratione boni, quam virtus per se respicit, idem colligitur; sed hæc necessariò includunt rationem debiti in ordine ad naturam rationalem: alias operationes eius non essent studiosæ, si non essent debitæ. Ergo non pertinet duntaxat ad iustitiam, & eius partes potentiales respicere rationem debiti. *Dices* D. Tho. loqui de debito, quod ad alterum vocatur, & pertinet ad iustitiam. D. Aug. D. Thom.

Contra secundò. Quia actus aliarum virtutum præter iustitiam quãdoq; habent bonitatem tam necessariam hominibus, vt ex illa sequatur obligatio præcepti; vt animaduertit Caietanus *infra quæst.* 104. *art.* 2. *ad primum, & ex D. Thom. ibidem, & ad Romanos.* 10. *lect.* 2. at nihil ita debitum sicut obedire Deo, & personis creatis, quæ nobis sunt superiores; Ergo circa omnium virtutum actus versatur ratio debiti ad alterum, & non solum circa actus iustitiæ. *Confirmatur.* Debitum legale est, ad quod reddẽdum quis lege adstringitur, sed nulla virtus est, cuius aliquis actus non cadat sub legis iussione; ergo non solum in virtute iustitiæ reperitur ratio debiti. Caiet.

Tertiò. Debitum morale est, sine quo honestas morum seruari non potest: sed siue sermo sit de virtutibus, quæ sunt ad alterum, siue non, sine ipsarum saltem aliquibus actibus honestas morũ conseruari non potest, vt nuper referebamus *ex D. Thom. & Caietano;* ergo debitum morale ad omnes virtutes pertinet, & sic non oportet distinguere debitum morale à legali.

Quartò contra id quod ait D. Tho. *religionem, pietatem, obseruantiam, & alias huiusmodi reddere debitum necessariò:* nam istæ virtutes aliquos habent spontaneos actus: verbi gratia: Religio quandoq; reddit Deo cultum non debitum, vt vouere, orare; pietas, & obseruantia item aliquando honorem spontaneum sine obligatione parentibus, & superioribus: ergo non est de ratione partium potentialium iustitiæ exhibere debitum, sed aliquando sic, & aliquando non.

Quintò contra id quod idem Doctor Angelicus *ait, Religionem, Pietatem, ac Obseruantiam non esse partes subiectiuas iustitiæ, sed potentiales.* Nam eæ virtutes sunt ad alterum, id est ad personas distinctas à retribuente debitum, reddunt perfectum debitum, & æquale: ergo. *Consequentia nota:* quia hæ tres conditiones constituunt propriam & rigorosam iustitiam: & Antecedentis prima pars aperta est, secunda itidem probatur: quia excellentius est debitum harum virtutum, quàm debitum iustitiæ propriæ & rigorosæ: quanto obligatio ad cultum Deo, & parentibus maior est: de æqualitate verò probatur eam reperiri, quæ sufficiens est: eò quod accidentarium est iustitiæ perfectæ, non posse reddere æquale: etenim videmus sæpe iustitiam commutatiuam, quæ perfectissima species iustitiæ est, non posse æquale reddere ex facultatis defectu, & tunc sufficit habere affectum soluendi quantum possibile est debitori. Vnde D. Tho. *in quæst. sequenti art.* 6. *ad primum,* dicit per accidens esse ad rationem virtutis, quod homo non possit reddere æquale: quia virtus non respicit effectum, sed affectum: at si Religio, Pietas, & Obseruantia non reddunt æquale debitum, non prouenit ex defectu affectus, sed facultatis, & possibilitatis, quia Dijs & parentibus non valemus reddere æquale: ergo præfatæ virtutes nõ partes potẽtiales iustitiæ, sed veræ & perfectæ species sunt rigorosæ iustitiæ. D. Thom.

In oppositum est D. Thom. *in hac quæstion. art. vnico,* cuius doctrina vtpote ab Aristotele, & Tullio, & ab alijs Philosophis desumpta, ferè ab omnibus approbatur, & satis dilucidè ab ipso explicatur: solum superest respondere ad argumenta, quæ contra ipsum facta sunt.

Ad primum respondetur, in omni actu virtutis reperiri aliqualem rationem debit, id est exigentia conuenientiæ talis materiæ ad naturam rationalem: & in præsentiarum non sic loquimur de debito, sed prout dicit exigentiam alicuius rei ab vna persona in ordine ad alteram, & talis ratio debiti respicitur à iustitia secundùm totam suam latitudinem, id est secundum quod reddit alteri, quod quodammodo suum est. *Ad arg. in opposi-tum.*

Ad secundum si vellemus perfectè satisfacere multa essent discutienda de virtute obedientiæ, quod *quæst.* 104. fusè tractandum relinquimus: modò verò breuiter dicimus omnium virtutum actus posse esse materiã obediẽtiæ; siue diuinæ, siue humanæ non moror; ac proinde posse induere rationem debiti ad alterum: cæterùm ea ratio debiti non respicitur ab alijs virtutibus, quæ non sunt obedientia, quia actus temperantiæ, aut fortitudinis, licèt quandoque sint in præcepto ortum habente ex honestate eorum actuum, & ob id digni qui præcipiantur: tamen nisi respiciantur vt à legislatore iussi, aut prohibiti (si mali sint) non considerantur pertinere ad obedientiam, neque habere rationem debiti ad alterum: ac proinde neque pertinere ad aliquam virtutem, quæ non sit iustitia saltem potentialis. *Ad confirm. Resp.* non ob id debitum legale dici tale, quia à lege nascatur, aut quia virtute obedientiæ respiciatur, sub ea formalitate, quam referebamus in nuper dictis; sed dicitur legale debitum, quia id maxime attendunt leges Reipublicæ, vt valdè conducens bono eius & paci, vt illæ supermaneant: cuiusmodi est soluere pecunias mutuatas, aut aliàs debitas, quod pertinet ad iustitiam propriè & strictè dictam; colere Deum, quod pertinet ad Religionem, honorare parentes ac Prælatos, quæ pertinent ad pietatem & obseruantiam; & similia. *Quod si obijcias,* ergo actus eleemosynæ perti-

pertinebit ad debitum legale, quia fame inualescente potest & debet Respublica edita lege præcipere, vt diuites pauperes alant, & eleemosynas largiantur. *Negatur Consequentia*, quia hoc per accidens iubetur mediante iustitiâ legali, quæ ordinat actus omnium virtutum ad commune bonum: secus in actibus cõmemoratarum virtutum, ad quos obseruandos compellit Respublica, quia per se eorum exhibitio necessaria est; aliàs magna rerum perturbatio fiet.

3. *Ad tertium.* Si sermo esset de debito communi omni actui virtutis, vt *in solutione ad primum* dicebamus, fatendum esset esse aliquid superius ad debitum legale: at D. Thom. *in hac quæst.* loquitur de debito rigorosius, secundùm quod respicitur à iustitia siue propriè dicta siuè potentiali. Et argumento intellecto in hoc sensu respondent quidam, duplex esse præceptum: vnum strictum obligans sub mortali, cuius trãsgressio tollit honestatem morum; alterum communiter sumptum obligans sub veniali, cuius transgressio non tollit morum honestatem; & ideò virtutes, quarum actus cadunt sub præcepto priori modo, & respiciunt debitum morale, ad primam classem virtutum pertinent: virtutes verò, quarum actus cadunt sub præcepto posteriori modo respiciunt debitum morale, sine quo (vt ait D. Thom.) morum honestas conseruari potest.

Contrà secundò. Veritas & gratitudo ex genere suo tantum obligant ad veniale: itaque si actus earum sistant intra proprios limites, tantùm obligant ad veniale, & nulla earum virtutum transgressio aut omissio erit mortale peccatum: & tamen istæ virtutes respiciunt debitum morale, sine quo morum honestas conseruari non potest, vt expressè patet intuenti litteram D. Thom. ergo tale debitum non reperitur cum obligatione ad mortale semper: atque ex consequenti non benè explicatur debitum morale, sine quo morum honestas conseruari non potest, per debitum obligans sub mortali: & debitum, sine quo morum honestas conseruari potest per debitum obligans sub veniali: maximè quia peccatũ veniale licèt non destruat gratiam, tamen decorem spiritualem maculat, & honestatem morum.

4. Hæc argumenta conuincunt intellectum meum, vt existimem nullam esse virtutem annexam iustitiæ, quæ nõ respiciat debitum, sine quo morum honestas conseruari nequit: licet enim nõ omnes actus virtutum annexarum iustitiæ sint in præcepto; vt vouere est actus Religionis, qui tantum est in consilio; tamen nullam reperio virtutem cuius aliquis actus non sit in præcepto, vel strictè dicto, quod obligat sub mortali, vel communiter sumpto, vt est idem cum mandato, quod obligat ad veniale.

Sed quomodo inquies saluatur assertum D. Tho. *dicentis liberalitatem, affabilitatem, & alia huiusmodi respicere debitum, sine quo morum honestas conseruari potest? Respõdetur.* In materiâ morali id dicitur absolutè accidere quod frequenter contingit; & quia inter virtutes annexas iustitię, quædam sunt, quarum actus frequentissimi sunt in conuictu & progressu hominum politico, imò & frequentissimè necessarij, vt seruare fidem, veritatem dicere, gratias pro beneficijs referre, propulsare iniurias. Hinc est quod isti actus frequentissimè, imò ferè semper sunt in præcepto obligante saltem ad veniale: & hinc etiam est vt respiciant absolutè ad debitum morale, sine quo morum honestas conseruari non potest. *Aliæ* verò virtutes sunt, quarum actus non vsque adeò sunt necessarij ad vitam humanam transigendam, vt hominem esse liberalem, aut magnificentiâ vti, atque adeò raro sunt in præcepto nisi in quibusdam casibus & occasionibus, & ideo dicuntur respicere debitum, sine quo morum honestas conseruari potest, quia raro tale debitum præceptum respiciunt: in moralibus autem id quod sæpe accidit absolutè dicitur contingere; id quod raro non itidem: & sic intellige D. Thomam.

Quarto argumento moti quidam putant non esse de ratione præfatarum virtutum, quæ sunt partes potentiales iustitiæ reddere debitum legale, 5.
sed morale, quod interdum potest esse necessarium ad honestatem morum, interdum solum ad melius esse: sed cum hæc responsio sit contra D. Tho. & non sit necessaria ad euadendam vim argumenti, alia via *respondetur*; scilicet:

Vt virtus dicatur respicere debitum legale, aut sine quo morum honestas conseruari non possit, non est necesse, vt in singulis actibus debitum sit tale, sed sat est, vt in singulis actibus reperiatur persolutio talis debiti, quale, semotâ circunstantiâ, quæ reddit actum spontaneum, esset necessarium & non liberum: verbi gratia; qui debitas pecunias soluit ante tempus præfixum solutioni; qui debet in moneta cuprea, & soluit argentea; aut qui cum iactura status soluit pecunias mutuò acceptas; item secundum quorundam opinionem qui dat beneficium digniori, cum posset dare digno. Quod si hoc habet verum in iustitia strictè sumpta, quid mirum id accidere in potentiali iustitia? *Secundò respondetur*, & redit in idem. Ad hoc vt debitum necessarium specificet virtutem aliquã, sat est actum illum debitum esse tali personæ, & deberi similem quandoq;, quod verò in exercitio necessariò debeatur non est necesse.

In vltimo argumento si adamussim, & vt dicitur à gemino ouo esset res discutienda, multa de 6.
distinctione virtutum, maximè iustitiæ essent euoluenda: conabor tamen in hisce meis commentarijs disputationes à suis sedibus proprijs non extrahere; & ideò multis, quæ ad virtutis iustitiæ diuisionem attinent omissis, solum cum D. Thom. *in hoc artic.* suppono, iustitiam strictè dictam debere habere tres conditiones: quòd verum, & perfectum reddat debitum, quòd cum æqualitate reddat ac integrè, quodq; alterum omnino respiciat. Hæ autẽ conditiones (si sermo sit de iustitia inter homines) reperiuntur in iustitia commutatiua, quæ attẽdit debitũ in ordine ad cõmutationes, in iustitia distributiua, quæ in ordine ad distributiones; & in legali, quæ respicit debitũ cõmunitati vt sic. Et istę tres iustitiæ partes sunt subiectiuæ iustitiæ propriæ & perfectæ; quamuis enim D. Thom. *supra quæst. 61. artic. 1.* vbi expressit partes subiectiuas propriæ, ac vndique perfectæ iustitiæ, non meminerit iustitiæ legalis, D. Thom.

legalis, non ob id ab earum numero exclusit, sed iam eam comprehenderat *supra quaest.58 art. 5. &* 6. vocans eam generalem iustitiam, non quia specialis virtus non sit, sed quia ad bonum commune ordinatur. Et in prædicta *quaest.61.* prætermissa legali diuidit iustitiam, quæ bonum priuatum respicit in commutatiuam, & distributiuam. Itaque tres sunt species iustitiæ, in quibus tres enumeratæ conditiones reperiuntur; ac proinde tres tantũ species subiectiuæ perfectæ & rigorosæ iustitiæ: reliquę verò quę hîc enumerãtur à D. Tho. partes potentiales sunt illius perfectæ iustitiæ, aliquo modo deficientes à perfecta ratione iustitiæ; & ob id potentiales partes illius appellatæ, vt in principio prioris disputationis explicabamus: quarum duo membra distinxit. Vnum earum, quæ deficiunt in non soluendo debitum ad ęqualitatem; alterum earum, quę deficiunt in ratione debiti. Sub priori membro ponit Religionem, Pietatem & Obseruantiam: sub posteriori veritatem, gratitudinem gratiam, vindicationẽ, liberalitatem, affabilitatem, & amicitiam. Virtutes contentas in priori membro inquit reddere debitum legale ac morale necessitatis; contentas vero in posteriori membro reddere tantum debitum morale, quod distinguit; nam quoddam dicit esse necessarium ad honestatem morũ, quale dicit esse in illis tribus veritate, gratitudine, & vindicatione; aliud esse tantùm congruentiæ seu ad melius, vt in affabilitate & similibus, quas ait parum de ratione debiti habere.

7. His suppositis ex D. Thom. ad argumentum, quod contendebat Religionẽ, Pietatẽ & Obseruantiam non esse partes potentiales iustitiæ, sed species propriæ ac rigorosæ iustitiæ, respondere quis posset, eas virtutes non esse exactè ad alterũ. Hac ratione, inquit D. Thom. 2.2. *quaest. 57. artic.* 4. inter patrem & filium, dominum & seruum non esse perfectam iustitiam; quia licèt physice & entitatiuè distinguantur, tamen moraliter sunt quasi vnum; quare Religio, Pietas, & Obseruantia non propriè sunt ad alterum. Sed quamuis D. Tho. in eo art. ita pronuntiauerit, vt asseclа Aristotelis id dicentis, puto tamen tantam reperiri inter istas personas alietatem, quæ sufficiat ad veram & propriam iustitiam, id est non metaphoricam. Quare D. Tho. in hoc art. vbi ex professo excludit prædictas virtutes à ratione perfectæ iustitiæ; non ob defectum alteritatis inter retribuentem debitum, & ei cui retribuitur, sed propter defectum æqualitatis excludit. Rursus neque propter defectum redditionis debiti: etenim puto debitum, quod hæ virtutes reddunt, esse perfectius, excellentius ac rigorosius, quàm id quod à iustitia commutatiua aut distributiua confertur. Et de debito, quod Religio reddit Deo, *probatur*; quia illud datur propter Dei dominium, quod immensum superat omnia debita humana: & iniuria quæ fit Deo, si illi debitum Religionis non soluitur, grauior est, quàm ea quæ fit homini creditori pecuniarum: & promissio facta Deo maius debitum legale & morale inducit, quàm facta homini. Et de debito pietatis erga parentes idem probatur; quia illud excedit

Solutio aliorum.

D. Thom.

omne debitum iustitiæ in ratione debiti, & ex suo genere; nam coniunctio maior licèt non exigat ius tam strictum sicut aliqua minor, non tamen minuit obligationem debitoris, nec ius creditoris, sed potius auget. Vnde rectè Caietanus 2. 2. *quaest. 57 art.* 4. dixit inter patrem & filium non esse propriè ius, sed esse plus quam ius, & Sotus, *lib.1. de iustitia, quaest.1. a.4. licet* (inquit) *inter patrem & filium minuatur ratio iusti, non tamen ratio debiti; quin potius augetur.* Vnde colligimus eas virtutes, de quibus in argumento, non deficere à iustitia strictè dicta propter defectum debiti, quin potius perfectius debitum respiciunt.

Caiet.

Sotus.

Superest ergo deficere propter defectum æqualitatis in reddendo debitum: & ad probationem in oppositum *Respondetur.* Quando impotentia reddendi æquale non nascitur ab intrinseco, sed ex debiti magnitudine, seu quantitate materiali, tunc non aufert verã rationem ęqualis debiti requisiti ad iustitiam strictè dictam: at vero quando impotentia ab intrinseco nascitur, id est ex debiti excellentia: quod est alterius ordinis, & quasi transcendentale respectu omnium operum talis debitoris ad talem creditorem comparati, tunc impotentia reddendi æquale tollit rationem exactæ iustitiæ, quæ consistit in quadam (vt vulgariter loquamur) aiustatione, quæ per se loquendo potest fieri in debito commutationum, & distributionum, licèt per accidens id interdum non possit; non vero in debito illo excellenti, quod respicitur à dictis tribus virtutibus potẽtialibus. Illud verò, quod adducitur de virtute respiciente magis affectum, quàm effectum, intelligendum est de affectu proportionato ipsi debito, quod ipsa virtus respicit; si æquale potest esse, affectus etiam erit æqualis; si nunquam potest esse æquale per se loquendo, nec affectus in id debitum propendit vt in æquale, sed semper manet in sua inæqualitate & excellentia. *Secundo respondetur*, vt puto magis ad mentem D. Thom. loco citato, id esse intelligendum quantum ad laudem & præstantiam virtutis: Religionem verò esse præstantiorem iustitia strictè dictã, citra controuersiam est. Ea autem præstantia sumitur ex ratione excellentioris debiti, supposita impossibilitate reddendi illud ad æqualitatem, quod non officit virtutis præstantiæ, licet auferat rationem iustitiæ vndique perfectæ.

8. *Vera solutio.*

Ex dictis *infertur, primò*, eas tres virtutes esse & dici potentiales, id est non habentes integram & consummatã perfectionem, quæ reperitur in iustitia commutatiua, distributiua & legali. *Secundò infertur* illas tres potentiales iustitias secundum rationem debiti, quod principalius attenditur in omni iustitia, esse magis rigorosas iustitias & excellentiores, quam partes subiectiuæ iustitiæ; quia debitum quod respiciunt excellentius & rigorosius debitum est; ac proinde sæpè à D. Thom. & doctoribus, iustitiæ pleno ore & sine addito vocantur, & in hoc art. has vocat principalem virtutem, & meritò, quia à ratione perfectæ iustitiæ potius per excessum, quàm per defectum excluduntur.

9 *Dubium speciale.* *Sed dubitabit* quispiam, quare cum hæ tres potentiales virtutes respiciant verum debitum maius, rigorosius, ac excellentius, quam partes subiectiuæ iustitiæ, non sit illud exoluendum cum tanto rigore & obligatione: etenim transacto tẽpore, quo Religio aut Pietas obligãt suum debitum persoluere, extinguitur & cessat ea obligatio; secus contingit in iustitia commutatiua & distributiua: verbi gratia: obligatur quis ex Religione colere aut alere Dei ministros in tali vel tali tempore, ea cessante occasione non tenetur id præstare debitũ, neque obligatio restituendi trãsit ad hæredes ministrorum illorum: at si quis tenetur ex iustitia commutatiua aut distributiua tali tempore soluere debitas pecunias, etiamsi ille temporis articulus elabatur, adhuc reddere debitum tenetur.

D. Thom. *Respondetur ex Doctrina* D. Thom. *supra quæst.*31. *art.*3. *ad tertium*, debitum iustitiæ strictè sumptæ numerari inter bona eius, cui debetur, quia ortũ habet ex debitoris & creditoris voluntaria quasi pactione, & ideò semper illud debitum restituẽdum est, quia restituere est iterato constituere aliquẽ in dominium vel possessionẽ rei suę: at vero debitum, quod pertinet ad prædictas tres potentiales iustitias non numeratur in bonis eius, cui debetur, sed in bonis eius qui debet: quia ortum habet à beneficijs quæ debitor ab eo cui debetur suscepit: vnde quousque actu persoluitur debitum, non dicitur is, cui debetur, habere ius neque in re neque ad rem; quapropter transacto temporis articulo, quo debitor tenebatur illud persoluere debitum, cessat ius illud ad rem, vel in re: quia nondum tale possidebatur ius.

Et si obycias de religionis debito, quòd inter bona Dei numerari debet: *Respondetur.* Deo non exhibet debitum Religio quia res debita sua sit, neque vt illi restituat rem suam; tum quia non amisit dominium illius; tum quia nullius eget: sed ad profitendum illius excellens dominium, quæ de manu illius accepimus, reddimus, nulla habita consideratione quantum est ex parte Religionis, vtrum res debita ex Religione sit Dei, vel non, esto non esset Dei, teneremur ex Religione illud persoluere debitum. Hæc, quæ dicta sunt, deseruiant pro nostrorum commentariorum argumento: deinde de singulis partibus potentialis iustitiæ dicendum est.

QVAESTIO LXXXI.
DE RELIGIONE.

De qua sparsim Autores Sacri, & Prophani, præcipuè D. Thomas in hac quæstione & sequentibus, & cum eo omnes eius discipuli.

ARTICVLVS I.
Vtrum Religio ordinet hominem ad solum Deum.
Paraphrasis Articuli.

Isidorus. *Cicero.* *Lactãtius.* *D. Augus.* *Lactant.* CONCLVSIO *est affirmatiua*, quam probat D. Thom. ex nominis etymologia: Religio namque (*vt ait Isidorus, lib.*10. *Etymologiarum cap.*17. & *Cicero, lib.*20. *de natura Deorum*,) à relegendo, & retractando ea, quæ ad Dei cultum pertinent, dicitur: quem citat & partim refutat *Lactantius lib.* 4. *diuin. Instit. cap.*8. Alij deducunt à reeligendo ipsum Deum, quem per peccatum amiseramus. *Ita D. August.* 10. *de Ciuitate cap.* 4. *Lactantius* vero in loco modo citato deduxit vocabuli notionem à religando nos Deo, in hæc verba: *Nomen Religionis à vinculo pietatis est deductum, quod hominem sibi Deus religauerit, & pietate cõstrinxerit; quia seruire nos ei vt domino, & obsequi vt parenti necesse est.* Et hæc nominis deductio mihi magis placet; atque approbatur ab August. *lib.*1. *retractat.cap.*13. neque est aliena omnino à mente. D.

D. Hierõ. *D. Thom.* Hieronymi, *super caput* 9. *Amos.* approbatur insuper & explicatur à *D. Thom. in opusc.* 19. contra impugnãtes Religionem cap.1. dicens: *Religio iteratam ligationem importans, ostendit ad illum aliquem ligari, cui primo coniunctus fuerat, & ab eo distare incæpit; & quia omnis creatura prius in Deo extitit, quam in seipsa, & à Deo processit, quodammodo ab eo distare incipiens secundum essentiam per creationem, ideò rationalis creatura ad ipsum debet religari, cui primo coniuncta fuerat antequam esset: vt sic ad locum vnde exeunt flumina reuertantur.* Sed non libet in ijs minutatim prosequendis immorari? præsertim circa vocabulorum Etymologias, quæ sæpe vel ex tantillo in re significata per vocabulum desumuntur: satis nobis sit D. Thom. ex qualibet & singulis deductionibus istis colligere Religionem ad Deum solum, & eius cultum homines ordinare: quod si aliquãdo ad homines referatur Religio, id fit secundum quandam translatitiam & impropriam significationẽ, vt idẽ sanctus Doctor docet in solutione *ad secundum* huius articuli.

ARTICVLVS II.
Vtrum Religio sit virtus?
Summa Articuli.

CONCLVSIO *est affirmatiua.* Quia ad Religionẽ pertinet reddere honorem debitum Deo: ergo &c. Etenim reddere debitum alicui laudabile est, & virtutis opus; quanto magis Deo, quod per Religionem fit.

Multæ fuère barbaræ nationes, quæ aliquas 1


virtu-

virtutes ab earũ choro resecarũt. Quædã latrocinia quadã fornicationes, quædã homicidia, & alia huiusmodi approbãtes, virtutes his vitijs oppositas reiecerũt: nõ verò memoriæ proditũ est, esse aut fuisse nationem aliquã, aut gẽtem tã barbaram, aut infidelem (præter Atheistas,) quæ Religionis nomen & rem non obseruauerint, & inter primas curas non collocauerint vero Deo, aut falsis, quos pro veris colebant, diuinos deferre honores. Quod munus Religionis est: & merito; nam communis animi conceptio est sapientium & insipientium Deum, vt pote omniũ bonorum Autorem, dignum esse honore, ac proinde sancto cultu & Religione colendum. De
Arist. hac re vide Aristot. 7. *Pol. capit.* 8. Mercurium Tri-
Mer.Tr. megist. Platonem, *lib. de mundi constitutione*, Cice-
Plato. ronem, *libr. 1. de naturâ Deorum*, Plinium. 2. *libr. ca-*
Cicero. *pit.* 14. Plutarch. *aduersus Colotem*; & Lactantius
Plinius. *diuin. instit. libr.* 3. capit. 10. sic ait; *Summum igitur*
Plutarch. *hominis bonum in sola Religione est*; & post aliqua: *Si*
Lactant. *Religio tollitur nulla nobis ratio cum cælo est*; & in fine capitis: *Religioni ergo seruiendum est, quam qui non suscipit, ipse se prosternit in terram, vitam pecudum secutus, humanitate se abdicat. Sapientiores igitur imperiti; qui etiam si errant in Religione deligenda, tamen naturæ, suæque conditionis meminerunt.* Et capit. 11. *Constat igitur totius humani generis consensu Religionem suscipi oportere.* Et lib. de ira Dei capit. 7. *Iustitia autem Dei cultus conscribitur, quem qui non suscipit a natura hominis alienus, vitam pecudum sub humana specie viuit.*

Ex quibus facilè infertur, non oportere in explicando *an Religio sit*, quod de vnaquaque re primum quæsitum est, nos laborare. Sed circa hos duos articulos est.

DISPVTATIO VNICA.

Quod sit obiectum Religionis? seu materia, circa quam versatur Religio?



2 *D. Thom.* IN C enim colligemus, an in Deum solũ ordinet hominem, quod asserit D. Tho *an primo artic.* & an sit virtus, quod in secũdo: imo dicendis in hac quæstione plurimam lucem afferemus. Et quidem quamuis Religio largè accipiatur pro virtute, qua colimus non solum Deum,
Cato. verum & homines, vt apud Catonem, *cole paren-*
August. *tes*, & August. *libr. 10. de ciuit. Dei, ca. 1.* tamen si in
Cicero. propriâ & rigorosa significatione accipiatur, ex fere communi omnium consensu, approbato à Cicer. *lib. 2. de inuentione*, illi assignatur pro obiecto Dei cultus, seu veneratio.

Contra quod tamen *arguitur, primò ex capite pri-*
D. Iac. 1. *mo Diui Iacobi, vbi dicitur: Religio munda & immaculata apud Deum, & patrem, hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo.* Prius pertinet ad proximum, posterius ad se ipsum; item primum ad misericordiam spectat, postremum ad temperantiam, siue ad alias virtutes, quæ circa passiones moderandas versantur: ergo non solum Dei cultus est obiectum Religionis, sed etiam hominum. *Confirmatur primo.* ex Diuo Augustin. 10. *de ciuitate* *D. August.*
Dei capit. 6. Omne opus, quod geritur, vt sancta societate Deo iungamur, sacrificium est; sed sacrificium pertinet ad Religionem, ergo omne opus bonum est obiectum Religionis. *Confirmatur secundò* ex *1. Ad Corint. 10.*
Apostolo primæ ad Corinth. 10. *Siue manducatis, siue bibitis, siue quodcunque aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Secundò, Id, in quod vltimò ordinatur Religio, erit eius obiectum; sed ordinatur vltimatè in Dei gloriam: ergo Dei gloria est obiectum Religionis, & non cultus Dei. *Maior patet ex Aristo. lib. 1.* *Arist.*
de cælo & mundo, textu 116. dicente, virtutem esse vltimum potentiæ, id est versatur circa vltimum potentiæ, vt declarat D. Tho. 2. 2. *quæst. 23. artic.* 3. *D. Thom.*
Item, quia in virtute morali finis præcipuus, id *Tob. 11.*
est vltimus eius, est illius obiectũ. *Minor probatur*, *Eccl. 43.*
ex innumeris locis sacræ Scripturæ, *Tobiæ.* 11. *Ec-* *Isaiæ. 24.*
clesiastici 43. Isaiæ. 24. Ezechielis. 39. Matth. 9. Lucæ. 2. *Ezec. 39.*
& 23. Actorum 9. Romanorum. 15. & apud Psalmistã *Matth. 9.*
passim, vbi habetur quo modo Sancti ordinant *Luc. 2. &*
Dei cultum, imò omnia opera sua, vt Deus glori- *23.*
ficetur. *Actorũ 9.*

Tertiò arguitur, ratione sumpta ex generica ra- *Romã. 15.*
tione cultus: nam cultus, & honor alicui exhibitus in id tendit, vt de aliqua excellentia, seu perfectione personæ laudatæ conueniens opinio, siue fama gignatur: ergo honor siue cultus diuinus in id dirigitur, vt de Deo gignatur existimatio, qualis eius excellentiam & maiestatem decet: hæc autem Dei existimatio & eius gloria idem sunt, vt infra videbimus; ergo hæc Dei gloria seu præfata existimatio est obiectum Religionis formaliter loquendo, non cultus Dei, siue honor.

Quartò. Ad Religionem spectat Deo reuerentiam exhibere, sed revereri Deum est actus timoris, ergo timor Dei potius est obiectum Religionis, quam cultus.

Quinto. Actus Religionis sunt quædam fidei protestationes, vt asserit D. Tho. inferius, *quæst.* *D. Thom.*
101. 3. *ad primum, & in 4. sent. dist. 13. quæst. 2. art. 1. ad quartum*: sed obiectum fidei non est Dei cultus: ergo neque Religionis.

Nemini vt existimo dubium est, quin Religio- 3
nis obiectum, circa quod versatur Religio, sicut materia circa quam, sit cultus Dei. Vnde Cicero, *Cicero.*
lib. 2. de inuentione. Religio est quædam tuitio naturæ, quam diuinam vocant, quæ cultum, vel cæremoniam affert. Sed in quo consistat essentialiter iste cultus, vt apertè cognoscatur natura obiecti Religionis, nõnihil difficultatis habet. Quidã dicunt cõsistere in exhibẽdo honorẽ Deo: quidã in reuerẽtia: quidã in Dei gloria: quidã in existimatione *Aliorum*
habenda de Deo, qualis ipsum & eius excel- *placita.*
lentiam decet: & quod in hac re aliqualem confusionem parit, est diuersa acceptio & vsus præ-

prædictorum nominum.

Pro cuius tamen declaratione *notanda est* primò horum nominum rigorosa,& formalis significatio. *Et honor quidē*,(ait Philosophus.primo Ethicorum capit.5.)*est exhibitio reuerentia in testimonium virtutis eius,qui honoratur; itaque honor importat testificationem quandam de excellentia alicuius.* Ex quo colligit Philosophus,*lib.1.magnorum moraliũ, capit.11.*gloriæ cupidum eminentiam affectare,& *lib.8.Ethicorum,capit.8. Homines qui volunt honorari testimonium sua excellentia quærunt.* Circa quem locum D.Thom.*lection.8.*egregiè explicat quo modo Honor vt sic tātum est quoddam signum bonitatis eius;qui honoratur, & idem affirmat *infra quæst.103.artic.1.& 2.* Hæc omnia mihi videntur esse applicanda cultui & venerationi; etenim inter has tres voces *colere,honorare,venerari*, aut paruum aut nullum inuenio discrimen. At verò *Laus* quædā species honoris est,& omnis *Laus* est *Honor*, non è contra. *Laus* namque est Honor in verbis consistens,*Honor* verò multis alijs modis. *Gloria* verò præcipue in sacris Literis varijs modis accipitur,pro claritate,pro laude, pro honore;tamen formale & proprium eius significatum est, vt sit quidam effectus honoris, specialiter laudis. Ex hoc enim quod testificamur de bonitate alicuius clarescit bonitas eius in aliorum notitia, hoc est habetur apud alios bona eius existimatio. Itaque Gloria est clara cū laude notitia, vt habet D.Aug. *lib.83. qu.31. & tract.100.in Ioa.*& D.Tho.*inferius,quæst.103.art.1.ad 3.*Reuerentia verò est veneratio quędam alicuius personæ excellentis connotando timorem eiusdem: Etenim genus quoddam timoris est,vt colligitur ex D.Thom.*2.2.quæst.19. artic.9.& quæst.81.art.2.ad primum,& 103 art.1. ad primum.& in 3.dist.9. qu.1.1.artic.1.ad tertium*, & ibi Bonauentura,*artic.2.qu.1.* Itidem veneratio fortassis dicitur Reuerentia, quæ timoris quoddam genus est,quia frequenter oritur ex timore, vt quādo Iacob adorauit Esau , & filij Iacob fratrem suum Ioseph,siue quia ipsemet timor est testimonium excellentiæ alterius, & ex voluntate colendi illum sæpè concipitur,licet aliquando sit motiuum ad cultum ; vt egregiè adnotauit D. Thom. *inferius , quæst. 103. artic.1. ad primum.*

Arist. D.Thom. D.Augus. D.Thom. D.Bonau. D.Thom.

4. *Secundò aduertendum est*,virtutes morales,maxime Religionē,quæ valdè accedit ad Theologales, non elicere suos actus sine adminiculo, aut mixtione aliorũ actuum laudabiliũ; verbi gratia, Pœnitentia dolet de peccatis propter Deum, ad quem actum concurrunt Fides, Spes, Charitas, imò & aliquando timor seruilis aut filialis (de qua re in materia de pœnitentia.)Nō dissimiliter Religio virtus elicit suos actus concurrentibus actibus laudabilibus aliarum virtutum; & omissis illis,quæ admiscentur accidētaliter, quia multiplices sunt,necessarij sunt multi. *Primò* necessarius est actus, quo vel cognoscamus , vel credamus Deum esse primum omnium rerum principium ; ac subinde dignum cui subijciamur; & honorem exhibeamus : etenim cum voluntas, quæ efficit actum Religionis, sit potentia cæca, neutiquàm poterit inclinari vt cultum debitum Deo offerat,nisi præcedente præfata cognitione de Dei excellentia & principatu ; siue cognitio hæc habeatur per fidem, siue per demonstrationem, aut alio modo; quia in præsentiarum agimus de virtute Religionis, siue acquisita, siue infusa. *Secundò* necessariũ est,vt homo se Deo subijciat,ipsi se inferiorem protestando, vt inde assurgat ad exhibendum Deo reuerentiam & cultum tanquam primo omnium rerum principio,& earumdem supremo domino: iste actus voluntatis est,& necessarius in cultu diuino; quidquid sit de cultu,quo homo hominem colit, ad quem, quia inter æquales esse potest, iuxta illud Apostoli ad Romanos 12.*Honore inuicem præuenientes*, fortassis non requiritur ista summissio animi honorantis adhonoratum. *Tertiò* sequitur ipsa exhibitio honoris vel cultus,ac denique semper aut ferè semper subsequitur vltimatè glorificatio Dei, quæ in hoc consistit, vt ab omnibus existimetur dignus cui seruitus, & cultus adhibeatur , propter suas maximas & excellentes perfectiones.His suppositis

Ad Rom. 12.

5. *Prima assertio sit. Religionis officium non consistit essentialiter in bona existimatione de Deo, & eius excellentia,licet sit actus necessarius, & præambulum ad Religionis munus.* Hæc est contra sententiam quam indicat Gabriel,*in 3.dist.9.quæstion. vnica. in principio.* Sed probatur;quia potissimus,& adæquatus Religionis actus est in voluntate, sicut ipsa Religio, vt infra videbimus:sed illa existimatio de Dei excellentia pertinet ad intellectum:ergo, &c. *Confirmatur*, quia illa existimatio habetur vel per fidem acquisitam aut infusam,aut per demonstrationem, aut opinionem, quæ omnia sunt actus intellectuales;Religio verò virtus moralis: ergo. *Secundo*, ex illa existimatione de Dei excellentia oritur quoddam iudicium, seu prænium dictamen, Deum esse dignum cultu, & honore, post quod sequitur voluntas honorandi Deum, quæ est potissimus actus Religionis: ergo non consistit Religionis officium in illa existimatione, neque in illo dictamine, sed est quoddam vt præambulum ad Religionis munus. *Denique probatur conclusio*, quia fieri potest quempiam habere bonam & verā cognitionem de Dei excellentia , quem tamen nolit colere aut honorare.

Sententia Autoris.

Ex quo colligo, quod quamuis actus Religionis supponat actum intellectus, tamen per voluntatem perficitur , & in eo consistit essentialiter: quod eleganter tradidit Lactantius, *lib. 4. instit. c.4.in* hæc verba:*Non potest neque Religio à sapientia separari, neque sapientia à Religione secerni; quia idem Deus & intelligi debet,quod est sapientia, & honorari, quod est Religionis:sed sapientia præcedit, Religio sequitur,quia prius est Deum scire,consequens colere.* Nomine autem sapientiæ intelligit Lactantius Dei cognitionem,siue per fidem,siue per donum sapientiæ habeatur.Scio aliquos posse duplicem cognitionem seu existimationem de Dei excellentia distinguere; quandam speculatiuam , & hæc præcedit necessario cultum ; aliam practicam,

Lactātius

cá, quę est finis honoris, & vocatur gloria seu glorificatio quādo, scilicet. Deus honoratur, vt de eo alij habeant bonam existimationem, putà quod est primum principium, & omnium rerum dominus. De quo tamen sit

6 *Secunda assertio. Religionis officiū non consistit essentialiter in generanda existimatione excellentiæ diuinæ, siue in animo colentis Deum, siue in aliorum animis; atque ex consequenti neque in exhibendo Deo gloriam; quia hæc existimatio & gloria pro eodem accipiuntur.* Hæc assertio est cōtra Gregorium de Valentia, *qu.* 2.2.
Gre. Val. *disputat. 6. general. puncto.* 1. dicit cultum Dei comprehendere duplex obiectum, materiale & formale. Materiale est quidquid Deo offertur ad excitandam de Deo prędictam existimationem: formale vero ipsa Dei existimatio excitata, quæ idē est cum gloria Dei, quam dicit esse obiectum formale Religionis; mouetur potissimè argumento tertio in principio. Et quamuis nostra assertio probetur eisdem argumentis quibus præcedens, *potissimè probatur*, quia siue illa existimatio sit speculatiua, siue practica, est actus intellectus: sed essentialis & potissimus Religionis actus est voluntatis: ergo non consistit in illa formaliter Religionis officium. *Secundò*, quia talis existimatio practica, est quid consecutum ad honorem & cultum, & quasi quidam fœtus eius, vt patet ex
D. Thom. D. Thom. 2.2. *quæstion.* 103. *art.* 3. *ad tertium*, & ex communi omnium Philosophorum consensu: ergo nō est id in quo formaliter cōsistit Religio. *Probatur*, quia in cultu, & honore consistit, vt statim dicemus. *Tertiò*, qui cognita per fidē Dei excellentia & dominio erga omnes creaturas, ipsi exhiberet honorem & cultum, vel per orationē, vel per sacrificium, aut alio quouis modo, ex quo cultu nulla oriretur existimatio de excellentia Dei, re vera actum Religionis perfectum exerceret: ergo, in illa existimatione non consistit essentialiter Religionis munus.

Dicit fortasse quis, illa exhibitio honoris suaptè natura ordinatur ad generādam talem existimationem; quod verò non sequatur per accidēs est. Si argumentum procederet de cultu erga homines, qui externè coluntur, fortasse vires haberet, Deus verò interius colitur, & ideò probatur cōclusio. *Quartò*, quando homo actu interiori veneratur Deum, qui est potissimus Dei cultus, *in spiritu & veritate*, mouetur ab existimatione, quam per fidem habet de Dei excellentia & maiestate, quæ cognitio practica est, vtpote ad opus ordinata; ergo post exhibitam talem venerationem superfluè exigitur quod sequatur eadem de Deo existimatio, quam iam præcessisse vt motiuum constat. *Confirmatur*, quia non sequitur, neque est ad quod sequatur in colentis mente, neque in aliorum mente; quia actus ille interior alijs ignotus est, neque fit vt innotescat: ergo.

7 *Tertia assertio. Religionis cultus & eius officium in hoc consistit essentialiter, quod homo se Deo subijciat, protestando, in exercitio saltem, se Deo inferiorem esse & seruum, vt inde assurgat ad Deo honorem exhibendum tanquam creatori omnium, & eorum supremo domino.* Probatur, & simul declaratur Assertio verbis egregijs Diu. Thom. in hac quæstio. D. Thom.
art. 3. ad secundum. *Eodem actu* (inquit) *homo seruit Deo & colit ipsum; nam cultus respicit Dei excellentiam, cui reuerentia debetur, seruitus autem respicit subiectionem hominis, qui ex sua conditione obligatur ad exhibendam reuerentiam Deo, & ad hæc duo pertinent omnes actus, qui Religioni attribuuntur.* Hæc D. Thom. Vbi aduertere licet in his & ex his duobus integrari essentialiter Religionis actum, *nempe in hominis erga Deum subiectione* & *in Dei honoris exhibitione*. Ego namque considero Religionis actum quasi motum de contrario in contrarium, qui ex duabus mutationibus conflatur, ex recessu à termino à quo, & accessu ad terminum ad quem: in actu vero Religionis quasi recessus à termino à quo est subiectio hominis ad Deum, eò quòd hominis superbia & propria magnificatio est potissimum impedimentum, ob quod Deo diuinos non exhibeamus honores; & hominis subiectio ad Deum hoc impedimentū tollit; sicut recessus à frigore parat viā ad calorē: quæ subiectio apud Græcos, Latria, id est, seruitus nuncupatur, & iure, quia Deo propria & specialis debetur propter propriam & specialem rationem dominij erga nos; quia scilicet ipse nos & omnia nostra fecit; & quia summum in omnibus rebus obtinet principatū. Honoris verò exhibitio est quasi terminus ad quem Deo debita tanquam primo omnium principio excedenti infinitè omnium creaturarum perfectiones. Et ideò Græco vocabulo talis cultus Eusebia, id est bonus cultus, vel Theósebia, id est diuinus cultus vocatur, vt ait Aug. 10. *de ciuitate Dei, capit.* 1. Itaque in subiectione hominis ad Deum & honoris eidem exhibitione consistit Dei cultus & Religionis actus essentialiter D. August.
ac formaliter: & fortasse hoc voluit docere Regius Psaltes *in Psalmo* 63. inquiens: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Tunc homo Psalm. 63
accedit ad cor altum, id est profundum, quando se corde prosternit & subijcit coram Deo; ex qua subiectione nascitur exaltatio Dei, nimirum per cultum, & reuerentiam.

Sed obijciet quispiam: Subiectio hominis ad Deum est potissimus actus humilitatis; ita asserit D. 8
Thom. *infra, quæst.* 161 *artic.* 1. *ad quintum* & *artic.* 3. ergo non pertinet ad Religionem. *Respondetur* D. Thom.
breuiter. Vnus & idem actus studiosus pertinet ad diuersas virtutes secundùm diuersas rationes formales, vt autor est D. Thom. in multis locis, cuius rei passim reperiuntur exempla, maxime in hac materia de virtutibus in speciali, quam tractandam aggredimur: quare si subiectio hominis ad Deum fiat ex reuerentia Dei, vt reddatur illi debitus honor ratione suæ dignitatis & excellentiæ ad Religionem pertinet; si vero fiat ad reprimendos motus passionis spei circa honores consequendos, ne tendant ad altiora plusquàm par est, ad humilitatem spectat. Sicut pecuniæ largitio, si fiat propter debitum soluēdū, est actus iustitiæ; si verò propter moderandum affectum pecuniarum, est actus liberalitatis: quia diuersitas motiuorum valde notanda est

est ad distinguendos virtutum actus, vt videre est apud D. Thomam. Cæterum quamuis subijci Deo non semper ad humilitatem pertineat, colligere licet ex proximè dictis, quàm longè sint ab actibus veræ Religionis exercendis superbi; è contrariò verò humiles ferè dimidium itineris peregerunt. Eadem tertia assertio approbatur à Caietano, *art*. 2. *notabili* 2. vbi ait, adæquatum actum Religionis, qui materia & obiectum Religionis est, esse reddere Deo debitum cultum siue honorem: & idem docet D. Thom. *art*. 3. *ad secundum & artic*. 4 *ad secundum*, & expressius *artic*. 5. Quibus autem actibus in speciali cultus iste & honor tribuatur inferius suis locis dicemus.

Caiet. *D. Thom.*

9 *Quarta Assertio. Si rigorosè loquamur actus Religionis adæquatus non est exhibere Deo Laudem aut Reuerentiam*. Hæc patet ex dictis: quia Laus & Reuerentia sunt quædam species cultus & honoris, Reuerentia dicit Venerationem, connotando timorem, & est quædam timoris species, Laus & Honor in verbis consistens: ergo non adæquant totum officium Religionis, quæ absolutè circa cultum Dei versatur.

Ex his omnibus infertur *quinta assertio corolaria* ex præcedentibus, & responsiua ad quæstionem. *Obiectum adæquatum quod attingitur à virtute Religionis, seu materia circa quam, est Dei cultus, veneratio, aut honor ipsi exhibitus*: quod si aliquando reperias obiectum Religionis esse Dei gloriam, laudem & reuerentiam, aut alia huiusmodi, vsurpantur hæc nomina pro cultu & veneratione; & eorum est indifferens vsus apud probatos Autores sacros, præcipuè apud Damascenum, & apud septimam Synodum Generalem: & similiter in sequentibus disputationibus, prout se obtulerit, his omnibus vocibus indifferenter vtemur.

Damasc. *7. Syn. gen.*

10 *Ad argumenta* posita in principio respondetur. *Ad primum*, actus dici & esse Religionis dupliciter, *elicitiue & imperatiuè*. Illi sunt elicitiuè Religionis per quos homo ordinatur ad solum Deum; sicut adorare, sacrificare, &c. Illi verò imperantur à Religione, qui ab alijs virtutibus eliciuntur immediatè, sed à Religione imperantur, id est ordinantur ad diuinum cultum. Huiusmodi sunt actus commemorati à D. Iacobo, in argumento; qui elicitiuè sunt à virtutibus ibi relatis, & imperantur à Religione. *Et si vrgeat aliquis*. Cũ virtus Religionis imperet actibus omnium virtutum moralium, quorsum actus præfatos adscribit D. Iacobus Religioni peculiariter, & non alios. *Respondetur*. D. Iacobus, vt patet ex contextu loci citati, inuehitur aduersus quosdam, qui verbis virtutes & actus earum magnificabant: & ob id se religiosos gloriabantur, factis autem praui erant; tum in ordine ad se ipsos, laxantes habenas voluptatibus, tum in ordine ad alios, contemnendo pupillos & viduas. Quibus dicit Apostolus: *Religio munda & immaculata, &c*. ac si diceret: ô vos qui solis verbis aut alijs signis exterioribus Religionem iactatis, attẽdite quomodo veram & Deo placentem Religionem obtineatis; per imperium, scilicet Religionis: in actus virtutum, quæ versantur circa passiones moderandas, vt seruemini immaculati; & in actus virtutum erga proximos, cuiusmodi sunt visitare pupillos, &c. Nam si verbis tantum profitemini Religionem, vestra Religio vana est. *Ad primam confirmationem* pariter respondetur, omne opus bonum sacrificium dici impropriè, quatenus scilicèt ad Dei Reuerentiam ordinatur per virtutem Religionis, quæ omnia opera bona imperare potest, id est, ad suum finem ordinare. Explicatio est non solum D. Thom. verùm & eiusdem Augustin. in loco citato. *Ad secundam confirmationem* respondetur, D. Paulum monere omnia ordinari in Dei gloriam, id est in Dei laudem, siue in Dei honorem & cultum, qui & obiectum & finis immediatus Religionis est; ac si diceret, vt ait Cassiodorus, *nihil omnino faciatis, nisi in quo glorificetur Deus*: quæ verba, vt notat Caietanus super Paulum, non sunt accipienda in vim præcepti, sed vt consilium: aliàs qui est in peccato mortali peccaret comedendo aut bibendo, quia neque actualiter neque virtualiter refert suas actiones in Deĩ gloriam. Ex hoc tamen testimonio tantùm infertur omnia opera bona posse à virtute Religionis imperari: neque inde fit consequens Religionem non habere peculiare obiectum, scilicet, Dei cultum. Et si quis inferat Religionem ordinare omnia opera bona in Dei gloriam, est ordinare in suum finem: ergo obiectum & finis Religionis Dei gloria est, contra secundam conclusionem. *Respondetur*, vt iam diximus frequenter *Reuerentiam, Gloriam, Laudem*, & *Honorem*, pro eodem vsurpari, & sic fit in præsentia à D. Paulo, & in alijs locis sacræ Scripturæ, *Psalmo* 28. 95. *& alibi sæpe*: & ad hunc modum interpretatur præfatum locum Augustinus, in explanatione *Psalmi*. 146. dum inquit, *Si ergo quod manducas & bibis ad refectionem corporis sumis, reparationesq. membrorum, gratias agens ei, qui tibi tribuit mortali & fragili ista supplementorum solatia, cibus tuus & potus laudat Deum*.

Ad arg. in oppositum. *Caietan.* *D. August.*

Secundum argumentum postulat explicationem illius dicti; *virtus est vltimum potentiæ*; de cuius multiplici expositione videndus est Petrus Bergomensis in concordantijs D. Thom. *dub*. 1173. mihi magis placet quod accipiatur ibi virtus pro obiecto virtutis; quod ex eo virtus dicitur, quia ad illud potentia ordinatur. Explicatio est D. Thom. 1. 2. *quæst*. 55. *artic*. 1 *ad primum, & artic*. 3. *&* 2. 2. *quæst*. 23. *art*. 3. *ad secundum*, sed quomodo obiectum debeat esse vltimum, inquit D. Thom. *Non ordine effectus, sed ordine excessus cuiusdam*. Hoc supposito *respondetur ad argumentum* parum referre Dei gloriam esse vltimum, quod per Religionis actum obtinetur, vt inde colligatur esse obiectum, cum non sit specificatiuum virtutis Religionis, vt ostendi circa secundam & tertiam conclusiones: sed est quoddam ferè semper concomitans Religionis actum & obiectum specificatiuum. Est simile quo hæc innotescẽt; Beatitudo multis comitata inuenitur, gaudio, fruitione, delectatione, sed essentialiter tantum consistit in Dei visione; cætera concomitanter se habent vt quædam perficientia 11

Petrus Bergomensis. *D. Thom.*

ficientia

ficientia ipsius visionis actum. Ad eum modum dicendum est de actu & munere Religionis, cõsistit namque essentialiter in exhibendo Deo debitum honorem; quæcunque alia concomitãter se habent, etiam ipsa bona Dei existimatio, seu glorificatio, quam sancti viri amore Dei flagrantes vehementer cupiunt in aliorum animis generare, iuxta dictum Pauli: *Omnia in gloriam Dei facite*, & alibi: *Vt in omnibus glorificetur Deus*, & Matt. 5. *Vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.*

Paul. Matth. 5.

Ad confirm. respondetur negando consequentiam: nam quemadmodum gaudere de bono diuino ad Charitatem pertinet, & gaudium amore posterius est; ex quo tamen non infertur Charitatis officium consistere in gaudio, sed in amore: ita exhibere Deo gloriam ad Religionem pertinet, & quamuis gloria, si formaliter loquamur, sit posterior honore, vtpote eius effectus, inde tamen non infertur Religionis munus essentialiter consistere in exhibenda Deo gloria, sed in exhibitione honoris.

12. *Ad tertium* antequam respondeamus, præmittendum est *primo* bonam de Dei maiestate existimationem seu Dei gloriã, (quæ vt vidimus idem sunt) interdum esse motiuum ad Dei cultum exhibendum; & tunc potius ad fidem vel donum sapientiæ pertinent, interdum verò esse finem eiusdem cultus: cùm, scilicet, Deus honoratur vt glorificetur. *Secundò notandum* finem dici talem dupliciter, vel quia finis est operis studiosi, vt sacrificare, adorare, &c. finis est operis ad Religionem spectantis; vel quia finis operantis est, vt si quis eleemosynas suas referat in Dei cultum. His suppositis *respondetur.* Si ad finem operis intrinsecum attendamus opera elicita virtute Religionis dumtaxat ordinantur ad Deo exhibendum honorem, & reuerentiam tanquam primo rerum principio & domino; & ideo essentialiter & formaliter Religionis actus respiciunt honorem & venerationem, non Dei gloriam, vt latè probaui supra. Si verò attendamus ad operantis finé, viri perfecti omnia opera sua, iuxta D. Pauli consilium, in Dei gloriam dirigunt, moti ab affectu amoris diuini.

Sed oportet aduertere, quod quando hic finis, qui est Dei gloria, ex imperio Charitatis aut Religionis, cõiungitur cum fine actuum studiosorum, qui ad Religionem non pertinent, ista coniunctio valdè accidentalis est; ac subindè Dei gloria finis est multum extrinsecè affixus, ex mera voluntate operantis. Vt quando quis eleemosynam dirigit in Dei gloriam: at verò quando finis, qui est Dei gloria, adiungitur cultui Dei, siue actui puræ Religionis non est quidem finis intrinsecus operis Religiosi, in quo formaliter consistat Religionis officium, sed tamen non ita merè accidentaliter se habet, sed potius ferè semper concomitanter: quia cum gloria, vt dictum est, sit effectus honoris, qui exhibitioni diuini honoris, per Religionis virtutem incũbunt, vix se cohibere poterunt, quin in eiusdem honoris effectum, qui gloria est, seu glorificatio, non prorumpant. Et hinc nascitur aliud discrimé, scilicet, quando exhibetur Deo gloria medio cultu seu Religionis actu, illa exhibitio gloriæ pertinet ad Religionem vt elicientem: at quando exhibetur gloria medio alio actu, qui non est Religionis, illa exhibitio gloriæ pertinet ad Religionem vt imperantem.

Ergo ad argumentum in forma *respondetur negando antecedens, & pariter consequens.* Gloria enim non est finis honoris, nisi ex intentione operantis: fateor ferè semper comitari honorem vt dictum est; imò admisso quòd semper comitaretur illum, adhuc non se habere t vt finis operis, sed vt quid necessariò concomitans religiosum opus; ad eum modum quo delectatio, fruitio, & gaudium de Deo viso concomitatur semper visionem Dei; non tamen est finis visionis, *vt latè dicitur.* 1.2. clara Doctrina D. Thom. *est* 2.2. *quæst.* 28. *artic.* 4. & alibi sæpè, speciem habitus non desumi à concomitante, sed à priore, ad quod sequitur. D. Thom.

Ad quartum respondet D. Thom. *art.* 2. *ad primum*, reuereri Deum esse actum pertinentem ad donum timoris; actus autem Religionis est facere aliqua propter Dei reuerentiam; vnde infert Religionem ordinari ad donum timoris tanquam ad quid principalius. Quæ verba subobscura sũt. *Primò*, quia non videtur D. Thom. admittere reuereri seu venerari Deum pertinere ad virtutem Religionis, quod est alienum à communi sensu Theologorum, qui nullum actum magis proprium & immediatum assignant virtuti Religionis, quàm reuereri & venerari Deum. *Secundò*, quia videtur D. Thom. nolle admittere eundem actũ posse & ad virtutem pertinere, & ad donũ: cum tamen Doctores maximè Thomistæ asseuerent eundem actum materialiter ad virtutem & ad donum pertinere Occasione horum magnus nobis aperiebatur campus disputãdi de natura donorum Spiritus sancti, & eorum à virtutibus distinctione. sed hæc pertinent ad *primam.* 2. *quæst.* 68. *vt ad propriam sedem*: modo verò breuiter *respõdetur.* Reuereri Deum vt potentem infligere seu permittere malum, ad donum timoris pertinet, & non ad Religionem: at reuereri Deum absolute, id est venerari illum, ad Charitatem spectat: cæterum reuereri illũ, id est exhibere illi venerationem vt quid debitum primo principio rerum, ad Religionem pertinet. Verum tamen est, vt innuit D. Tho. quod cum Charitas, & donum sint præstantiora, quàm Religio, interdum reuerentia & veneratio ista posterior, quæ est Religionis actus, ordinatur ad reuerentiam pro re modò consideratam, quæ est actus Charitatis vel doni. Vnde ad *quartum* positum in principio *negatur antecedens*, & ad probationem iam patet quã ratione reuerentia Dei pertineat ad Religionem, & qua consideratione ad timoris donum. Vide D. Thomam, *in* 3. *distinct.* 9. *art.* 1. 14.

Ad quintum respondetur, rem esse compertam apud Theologos, cuius passim occurrent exempla in sequentibus, vnum & eundem numero actum pertinere ad diuersas virtutes secundum diuersas considerationes, de quo D. Th. 2. 2. *quæst.* 4. *artic.* 3. *ad primum.* *contra gentes.* 3. *ca.* 138. D. Thom.

& sic

& sic contingit in præsentia, protestari fidem ad manifestandum assensum, qui habetur in corde, eorum quæ ad fidem spectant, ad virtutem fidei pertinet; si verò talis protestatio fiat quasi actio gratiarum & laudis, ad Religionem; & sic est intelligendus Doctor Angelicus, quando ait actum Religionis esse quandam fidei protestationem. Ex dictis in hac disputatione *colligitur* apertè Deum pertinere ad obiectum Religionis, tanquam is, cui soli Religio exhibet honorem, & cultum: quod in sequentibus amplius suis locis manifestabitur.

ARTICVLVS III.
Vtrùm Religio sit vna virtus.
Summa articuli.



ONCLVSIO *est affirmatiua.* Quia ad Religionem pertinet exhibere reuerentiam vni Deo secundùm vnã rationem, in quantum est primum principium creationis & gubernationis rerum; Ergo est vna virtus; quia vnitas virtutis ex vnitate rationis obiecti sumitur. *Antecedens* insinuatur Malachiæ 1. *Si ego pater, vbi honor meus* ? Patris enim est producere & gubernare. Malac. 1

Pro maiore luce dicendorum considerare oportet ex Doctrina D. Thom. 1. 2. *quæstio.* 60. *art.* 2. hoc differre (inter alia) virtutes, quæ versantur circa passiones, & quæ circa operationes; id est, quæ non sunt ad alterum; & quæ ad alterum sũt: quòd illæ non specificantur aut distinguuntur ex consideratione personarum, hæc vero id maximè attendunt: quia sub materia circa quam includunt personam illam, erga quam operantur, eo quod eam respiciunt, vt terminum habitudinis suæ. Quapropter in huiuscemodi virtutibus duo obiecta considerare licet, obiectum quod, & cui: partialia quidem, quia ex vtroque vnum cõflatur obiectum. Obiectum quod, dicitur materia, quæ per virtutes attingitur: obiectum verò cui, illa persona circa quam operantur. Cum ergo Religio sit virtus ad alterum, & pars iustitiæ, vt diximus, in ea considerare oportet duo partialia obiecta; obiectum quod; id est materia circa quàm versatur; & obiectum cui cultus exhibetur, quod Deus est. De priori obiecto egemus in præcedentibus articulis. De posteriori agemus in commentarijs huius, non quidem materialiter considerantes, sed formaliter, hoc est sub qua ratione, & consideratione Deo exhibetur cultus per Religionis virtutem; quod est considerare obiectum formale Religionis. Ex cuius vnitate aut pluralitate expendendum est an Religio sit vna virtus atoma; an verò in plures species distinguatur? Nam in omni operatione virtutis, quæ ad alterum est, non consideratur obiectum cui materialiter, sed sub aliqua ratione formali; vnde originem sumit bonitas eius operationis, & virtutis specificatio: verbi gratia, in operatione misericordiæ egestas personæ, cui porrigitur eleemosyna, si commutatione iustitiæ ius creditoris, & sic de alijs.

1. D. Thom.

DISPVTATIO VNICA.
An religio sit vna virtus speciе atoma?

ET videtur, quod Religio in plures species distinguatur. *Primò*, quia Religio quæ exhibet cultum Deo vt autori naturæ, & quę Deo, vt autori gratiæ, & propter causas seu titulos pertinentes ad ordinem naturæ & gratiæ, non potest esse eiusdem speciei, sicut neque Charitas infusa & acquisita: ergo Religio ad minus in duas species diuiditur, infusam, scilicet, & acquisitam.

Secundò, nam in Deo sunt tres personæ distinctæ realiter, ergo tribus adorationibus distinctæ speciei adorari debẽt. *Confirmatur*, quia Christus ratione humanitatis adoratur Dulia, ratione diuinitatis Latria, quæ faciunt duas species adorationis; ergo Deum ratione trium personarũ triplici differenti cultu venerabimur. 2

Tertio, in Deo sunt diuersa attributa Omnipotentia, Sapientia, Misericordia, &c. ergo cultus qui illi debetur propter huiusmodi attributa diuersæ rationis est. Potest enim coli, quia summè bonus. quia summè misericors, summe sapiens, &c. Nec sufficit dicere ista attributa tantum ratione distingui. Nam distinctio rationis potentias realiter distinguit; vt verum & bonum intellectum, & voluntatem; Charitas. & Fides sunt virtutes distinctæ, quia obiecta formalia ratione distinguuntur, nempè bonitas & veritas, Charitas, & Spes, distinguuntur, quia altera tendit in Deum provt in se bonus est; altera provt est bonum nostrum: ergo sat est attributa diuina ratione distingui, vt actus Religionis, quibus Deus colitur, sub diuersorum attributorum ratione distinctæ sint rationis & speciei. *Confirmatur primò*, ex August. *quæst.* 94. *in Exodum*, *&* refert D. Th. 3. *part. quæstion.* 25. *artic.* 2. & infra *quæst.* 103. *artic.* 3. *in primo* argumento ex interlineali Psalmo 7. *Dominus* (inquit) *omnium per potentiam cui debetur Dulia, Deus omnium per creationem cui debetur Latria.* Latria autem & Dulia diuersæ speciei sunt, vt patet infra ex D. Thom. *quæst.* 103 *arti.* 3. Ecce quo modo diuersæ rationis cultus exhibetur Deo propter diuersa attributa. *Confirmatur secundò* ex Damasceno, orat. 3. de imaginibus, distinguente quinq; titulos, propter quos Deus coli potest, videlicet supremum dominium, supremam gloriam, sanctitatem maximã, & beneficentiam erga homines, & quoniam ab illo speramus omne bonum, denique quia illum offendimus. Ergo totidem cultus religiosi distinguendi erunt, siquidem D. Tho. 3. *p. quæst.* 25. *art.* 1. ex causis & titulis cultus docet nos ipsos cultus distinguere. *Confirmatur tertio*, ex Diuo Thom. 1. 2. *quæst.* 102. *artic.* 3. *ad tertium*, vbi distinguit tria Sacrificiorum genera, quæ Deo offeruntur; videlicet Holocaustum, quod offertur Deo, vt in se

D. Augus. D. Thom. Damascẽ. D. Thom

in se est supremæ maiestatis & excellentiæ: alterum est Hostia pacifica, quæ respicit Deum vt supremum benefactorem: tertium est Hostia pro peccato, quæ offertur Deo vt saluatori.

3 Scotus. *Quarto arguit Scotus in 3. dist. 9.* nam colere Deũ vt sic, & vt creator & saluator est, sunt rationes omnino distinctæ, ergo constituunt diuersas rationes cultus. *Confirmatur*, quia colere Deũ vt sic pertinet ad Latriam, colere vt creatorem & saluatorem non pertinet ad Latriam, ergo distinguuntur specie. *Probat. anteced.* quia Latriæ cultus fũdatur in excellẽtia increata & intrinseca Deo: sed ratio creatoris & saluatoris, sunt rationes creatæ & extrinsecæ Deo, ergo non pertinent ad Latriam. *Confirmatur secundò*, quia colere Deũ propter beneficia suscepta habet pro ratione & causa cultus aliquid creatum, quod in nobis est: colere verò ipsum propter sui excellentiam, habet pro ratione, & causa cultus aliquid increatum: ergo isti actus specie necessario differunt: quia creatum & increatum non possunt non causare distinctionem formalem in virtutibus.

Quinto. Religio elicit duos actus distinctos specie, ergo non potest esse vna virtus vnitate specifica. *Antecedens patet*: quia subijci Deo vt domino, & colere ipsum propter sui excellentiam, distinguuntur specie: Nam primus pertinet ad seruitutem, quæ Deo debetur; secundus ad cultum. Quæ rationes benè separari possunt; vt patet in Rege, qui honorat sibi subditum, & tamen non ei subijcitur. Et in ordine ad primum actum vocatur Religio Latria, id est seruitus diuina, in ordine ad secũdum Theosebia, id est bonus cultus.

4 D. Thom. *Sextò.* Virtutes, quæ reddunt alteri debitum, penes varias rationes debiti distinguuntur: vt docet D. Thom. 1.2. *quæstion. 60. art. 3.* inquiens: *Sed debitum non est vnius rationis in omnibus. Aliter enim debetur aliquid æquali, aliter superiori, & aliter minori, vel ex promisso, vel ex beneficio suscepto, & secundum has diuersas rationes debiti sumuntur diuersæ virtutes.* Hæc ille. Sed intra latitudinem Religionis inueniuntur debita diuersarum rationum, ergo & virtutes diuersæ speciei. *Probatur minor*, quia ex eisdem verbis, quamuis in Religione non videatur prima diuersitas ex parte personæ cui debitum soluit; quia semper est ad superiorem; tamen altera diuersitas ex titulo debiti certè inuenitur: Nam aliquid debetur Deo ex pacto seu promisso, aliquid ex beneficio accepto, aliquid etiam ex vi solius excellentiæ eius. *Confirmatur*, quia similis varietas debiti erga proximum sufficit ad distinctionem virtutum circa eundẽ: nam debitum ex pacto soluit iustitia; ex promissione, fidelitas; ex beneficio, gratitudo; ex dignitate personę, obseruantia: ergo eandem varietatem licebit contemplari in Deo.

Septimò. In Religione reperiuntur actus specie distincti, ergo generant diuersos habitus; quilibet enim actus est sufficiens generare habitum sibi in specie & natura proportionatum: *antecedẽs* ostendetur inferius, & modò patet in voto, oratione, iuramento, & sacrificio.

Octauò. Quia obedientia & pœnitentia propter diuersam rationem debiti specie distinguuntur à Religione: ergo si quæ diuersitas debitorum reperitur intra latitudinem Religionis diuersas species constituere necesse est.

Quidam argumentis moti præfatis asserunt, ad omnes actus, qui erga Dei cultum versantur 5
non sufficere vnum virtutis habitum. Atque adeò consequenter tenentur dicere Religionem nõ esse vnam virtutem, sed in plures distingui. Ita Franciscus Suarez, è Societate Iesu, 1. *tomo super tertiam partem* D. Thom. & expressius *lib. 3. de habitu Religionis, ca. 8.* vbi ait esse probabile virtutem Religionis in tres diuidi species, quas vocat fidelitatem ad Deum, gratitudinem ad eundem, & Latriam. Alij, vt Scotus *in 3. distin. 9.* & Corduba, *quæst. 5. dub. 2.* dicunt habitum Religionis esse tantum vnum, cæterum elicere actus diuersæ speciei, quales sunt commemorati in argumento tertio, cũ suis confirmationibus & alijs. Hoc asseuerat vt certum præfatus Suarez, *li. 2. de Religione, capite. 4.* Sententia Suarez. Sententia Scot. Corduba.

Pro decisione tamen sit conclusio. *Virtus Religionis, quomodocunque colat Deum, vna tantum virtus est, nec distinguitur in plures.* Hæc est cõmunis Theologorum, in *3. distinction. 9.* præcipuè D. Thom. *quæst. 1. art. 3.* Alensis. *3. p. quæst. 30. in 1. artic. 3. §. 2. &* 3. Gabrielis. *lectio. 49. in* Canon. & D. Tho. in hoc artic. Cuius ratione *Probatur conclusio*, & in solutione argumentorum amplius explicabitur. Hæc est perpetua sententia D. Thom. vbicunque de hac re loquitur in *hoc art. & sequenti, &* 1.2. *qu. 60.* ipsumque sequuntur Caiet. Aragon. Valentia; & ferè oẽs moderni; & ratio suffragatur quia quidquid debiti Religio Deo persoluit, sub vna ratione & respectu persoluit, videlicet vt ei tanquam præcellenti, & nullius indigenti Honos & Reuerentia exhibeatur. Quod magis explanabimus argumenta pro parte opposita soluentes. 6 Sententia Autoris. D. Thom. Alensis. Gabriel. Caiet. Aragon. Valentia.

Ad primum, concedimus Religionem acquisitam & infusam differre specie; non solum quia regulantur diuersis Regulis eorum actus & obiecta; nimirum acquisita, regula naturali & rationis dictamine; infusa verò, super naturali, & fide, aut dono sapientiæ; sicut de temperantia infusa & acquisita dici solet; sed etiam quia vna respicit Dei excellentiam vt autor naturæ est: altera vt autor gratiæ est. Fateor quod sicut Charitas potest diligere Deum vt autorem naturæ; vt proponitur per regulas ipsius Charitatis, sic Religio infusa potest ferri in cultum Dei vt autor naturæ est; sed vt proponitur sub regula supernaturali eiusdem Religionis infusæ. De quo alibi. Soluuntur argumenta in oppositũ.

Ad secundum respondetur, tres personas diuinas conuenire in eo quod sunt vnum principium creationis & gubernationis rerum; & ideo colũtur sub vna ratione formali & vnica virtute Religionis. *Et si vrgeas.* Seclusa per intellectum ratione principij à sacra Trinitate, adhuc est digna suprema veneratione & cultu: ergo talis veneratio & cultus alterius rationis erit: siquidem non procedit sub eadem ratione formali. Ad hoc latius infra. Modo *breuiter respondetur.* Quando dicimus cultum diuinum Deo exhiberi quatenus

quatenus est primum principium rerum, sic intelligitur, id est quatenus est quoddam excellens supra omnem creaturam. Et à nullo imaginabili cultu Deo exhibito potest neque per intellectum ista consideratio diuinæ excellentiæ secerni. *Ad confirmationem respondetur*, in Christo humanitatem esse quid creatum, ratione cuius ei debetur Dulia: diuinitas verò est quid increatum, ratione cuius debetur illi Latria. At in sacra Triade ratio cultus, vndecunque & quomodocunque consideretur, est quid increatum & diuinum, vnde ei debetur Latria, non Dulia.

7 *Ad tertium respondetur*, distinctionem rationis inter attributa diuina non inducere diuersitatẽ virtutum: aliàs non sufficeret vna Charitas ad diligendum Deum vt sapiens est, vt misericors est, &c. Sed diuersum modum operandi nostrarum potentiarum in ordine ad illa attributa; putà cognitione & amore, qui distinguit Charitatem & fidem; vel diuersa habitudo ad obiecta. Et vt clarius loquamur diuersa ratio formalis sub qua potentia & habitus feruntur in sua obiecta. Ista autem vna est in Religione, nimirum Deus vt est primum principium creationis & gubernationis rerum: & si formalius loquendum sit cum eodem D. Thom. *artic. sequenti ad tertium*, diuina excellentia est. Itaque nullum attributum vt ab alio distinguitur est adæquatè ratio cultus diuini, sed vt reliqua omnia attributa includit in se, & in apprehensione nostra saltem implicita & cõfusa: Nimirum quatenus in quolibet eorum infinitam & increatam excellentiam, ipsique Deo propriam & singularem consideramus. Atque adeò si Deum colas, quia sapiens est, ratio cultus est sapientia, vt infinita excellentia Dei est, includens virtualiter, & implicitè omnem Dei perfectionem, quia sub hac excellentia & propter hãc colitur Deus.

D. Thom.

8 *Sed contra hoc arguitur*. Primò, quia ratio principij in Deo est vnum ex attributis diuinis, sed Deus non solùm propter vnius attributi rationẽ est cultu dignus: ergo perperam asserit D. Thom. rationem formalem & adæquatam cultus diuini & Religionis esse Deum in quantum est primum principium; cum latius pateat Religionis ratio formalis, & vagari possit per aliorũ attributorũ rationes. *Secundò*, quia Deus vt sapiens est, & vt distinguitur ratione à se ipso secundum quamcunque aliam rationem; imò vt non includens reliqua attributa, est dignissimus cultu, & potest coli: ergo falsum est quod ratio cultus semper debet esse Deus vt includens omnia attributa; & falsum itidem est, quod quando Deus colitur vt misericors colitur implicitè vt sapiens, vt iustus, &c. Istæ duæ replicæ versant ferè totam huius rei difficultatem, quæ in duobus punctis consistit. *Primum, quo modo intelligatur Deum vt primum principium rerum esse rationem sub qua ipse colitur. Secundum, quomodo si Deus colitur sub vno attributo, sub omnibus implicitè colatur.* Primum autem dissoluitur, si aduertamus quod ratio primi principij in Deo potest sumi dupliciter. *Primò* vt speciale quodam attributum est ratione distinctum ab alijs; & in ista consideratione non est ratio formalis & adæquata Religionis & diuini cultus, vt in prima replica videtur probari. *Secundò* modo potest considerari vt est quædam quasi passio diuinæ essentiæ, denotans collectionem totius perfectionis diuinæ sub omni ratione & consideratione, secundum quod excellit creaturam: & sic est adæquata ratio Religionis, & diuini cultus. 9

Quod mirificè pronuntiauit D. Thom. art. sequenti ad tertium, dicens obiectum formale Religionis esse excellentiam diuinam, scilicet, suprà omnem creaturam. In quo? in misericordia, in potentia, in iustitia, in omni perfectione. Habere autem hanc excellentiam, & esse principium primum in omni genere perfectionis idem sunt, vel conuertuntur, & perfectionem omniũ attributorum includunt, non solum materialiter, verum & formaliter. Simile quid contingit in virtute Charitatis, cui valdè affinis est Religio, maximè infusa; nam habet pro obiecto & ratione formali bonitatem diuinã, sub cuius ratione omnia diligit; bonitatem inquam diuinam, non quæ est attributum speciale Dei (aliàs non diligeret illum, quia sapiens, quia iustus, sed tantum quia bonus,) sed habet pro obiecto formali bonitatem diuinam, vt est quædam Dei passio concomitans illum in omni genere. Et in hoc sensu bonitas diuina nihil aliud est quam absoluta Dei perfectio in omni genere perfectionis, & sic includit nostro modo intelligendi diuinam essentiam, & omnia attributa & perfectiones diuinas, tam absolutas, quam relatiuas; licet in se sit vnica simplicissima & formalissima ratio: & hæc est adæquata ratio formalis, & obiectum formale Charitatis, sub cuius ratione fertur in quidquid amat. Huius instar cõijcere licet, quomodo ratio formalis adæquata Religionis includat omnia attributa diuina.

D. Thom.

Secundum punctum petitur in secunda replica. Quomodo si Deus colatur sub vno attributo, sub perfectione & ratione omnium colatur? Pro quo aduerte, sapientiam diuinã, vt sic, includere essentiam diuinam, iustitiam, prudentiam, &c. vt dicitur contra Scotum 1. *part. quæst. 13. art. 5.* & qui cognosceret Deum vt sapientem, necessariò cognosceret vt iustum, vt misericordem, &c. quia in vnius attributi ratione omnium ratio continetur. Et hinc nascitur, quod qui colit Deum quia sapiens est, si colit eũ sicut reuera sapiens est, colit & illum vt misericordẽ, vt iustum, &c. *Dices*. Qui colit illum cum præcisione dumtaxat quia sapiens est, non colit illum sub omni ratione. *Respondetur*. Si ista præcisio sit negatiua, blasphemia est, & non cultus Religiosus; quia colitur Deus, qui non est iustus, misericors, & nullus talis Deus est; si vero abstractio præcisiua, hoc pertinet ad debilitatem nostri intellectus, sed in re nulla potest fieri præcisio. Cum ergo cultus Religionis actus voluntatis sit, fertur in Deum sicut est; est autem à parte rei nõ solũ sapiens, sed etiam misericors, &c. Imo hoc ipso quod colimus Deũ, quia misericors, aut sapiens est, colimus sub omni ratione: quia omnis illa in quolibet attributo includitur. 10

Ad primã confirmationẽ respondetur, nomẽ Duliæ ab Aug. accõmodari verę Latriæ; tum vt omnem ratio- 11

rationem veri cultus in cultu Deo debito eminenter contineri intelligamus; & propter eandem rationem vocatur pietas: ita insinuat D. Thom. *infra quæst.* 103. *art.* 3. *ad primum*: tum etiam quia sicut nomen dominij aliquo modo est commune Deo & creaturæ, ita & nomen Duliæ, cuius ratio in dominio fundatur, commune est vtriq;: quamuis nomen Latriæ vsurpatum sit pro solo cultu diuino, vt suo loco dicemus: ita D. Tho. *in* 3. *distinct.* 9. *quæst.* 2. *art.* 1. *ad primum*. *Ad secundam iam respondimus*, quomodo cultus illi propter titulos ibi assignatos non faciunt differre formaliter, neque actus neque habitus: quia omnes illi reducuntur ad excellentiam diuinæ bonitatis, quæ est adæquata ratio Religionis, ad quam omnes tituli, & attributa, quæ in Deo sunt reducuntur. *Ad tertiam similiter resp.* nam si illa tria genera sacrificiorum ad diuinum cultum proximè referantur, quamtumuis differant in actu exteriori, aut materia circa quam cultus, habent eandem rationem formalem; quia Deo exhibentur illi cultus quatenus excellit omnem creaturarum perfectionem; potest tamen fieri, quod vnum referatur ad testimonium diuinæ excellentiæ, & sic ad Religionem pertinet; aliud in gratiarum actionem, & pertinet ad gratitudinem, vel potius ad Religionem; aliud in satisfactionem, & sic ad pœnitentiam reducetur. De quo inferius latè.

12 *Ad quartam resp.* illas rationes esse distinctas, nō distinctione formali, sed intra eandē rationē formalē in ratione cultus diuini. *Ad confirm. resp. neg. antec. Ad prob. neg. min.* quia in titulo creatoris vel saluatoris duo licet considerare. Vnū est id quod ponitur in creatura à Deo, mediante creatione aut saluatione, & hoc aliquid creatum est. Alterum est potestas, quam Deus habet erga creaturam suam, nempè dominium quoddam excellens, & potestas ad creandum vel saluandum. Honor ergo, qui exhibetur Deo, quando colitur vt creator, vel vt saluator, non datur propter bonum, quod in suo plasmate posuit, ita vt hoc sit proximum motiuum cultus, sed propter dominium & potestatem, quam in se habet, quæ potestas increata & infinita est ad singularem Dei excellentiam, quam diximus esse rationē formalem Religionis, spectans. Et idem dicendum est, si cultus exhibeatur Deo sub ratione glorificatoris, aut benefactoris.

13 *Solutio aliorum.* *Propter confirm. secundam tertij argumenti* quidam censent, actum ibi connumeratum non esse Latriæ, sed diuersum specie ab alijs actibus Religionis, quibus Deus colitur propter suam singularem eminentiam: & idem dicunt de gratiarum actione, quæ fit Deo propter beneficia ab eo suscepta. Nihilominus mihi aliter videtur dicendū, *Vera solutio.* nempè colere Deum, & agere gratias Deo propter beneficia suscepta, ad Religionem pertinere: & Diuus Thomas absolutè reposuit inter partes Religionis gratiarum actionem, *infra quæst.* 83. *articul.* 17. & *in quæst.* 106. *articul. primo, ad primum*. Quare ad argumentum *dico*, beneficia suscepta non esse immediatam, & formalem rationem agendi Deo gratias propter illa, sed motiuum, seu excitatiuum. Ratio verò formalis, seu adæquata est Dei excellentia, quæ beneficia contulit, & potuit multò plura conferre: cuius signum est differentia inter gratiarum actionē Deo factam, & aliam, quæ fit homini propter idem beneficium: Nam prior fit, submittendo nos Deo tanquam supremo benefactori, qui hæc & hæc beneficia largitus est: posterior verò non itidem, vt statim fusius dicemus. *Quod si vrgeas.* Quid si immediata ratio & formalis sint beneficia collata, non excellentia Dei? *Resp.* Nunquam isto pacto fit gratiarum actio, aut cultus nisi ab aliquo demente, aut nimis sciolo; Quod si fieret, fateor illum actum non pertinere ad virtutem Religionis, & in tali actu consideraretur Deus non vt Deus, sed vt quidam alius benefactor, homo, aut Angelus; quapropter ille actus pertineret ad gratitudinem, seu gratiam, de qua D. Tho. *infra quæst.* 106.

D. Thom.

14 *Ad quintum resp. neg.* in Religione, subijci Deo, & colere ipsum, esse distinctos actus: quin imò vt dicit D. Thom. hic ad secundum, eodem actu homo seruit Deo & colit ipsum; fortassis sunt duæ rationes integrantes Dei cultum. Pro quo aduerte, quod honor, vt patet ex D. Thom. infra, *quæst.* 103. *artic.* 1. & 2. est signum seu testificatio excellētiæ vel virtutis, quæ in honorato est: & hæc excellentia seu perfectio potest considerari absolutè, vel in comparationem ad honorātem, seu alios. Tunc consideratur absolute, quando honoratur æqualis de perfectione, quam communicat cum alijs; vt quando se honorant conciues, consanguinei, &c. Aliquando consideratur comparatiue in ordine ad alios, vt quando honorat Rex artificem egregium, quia alios sua arte excellit; & iuxta vtrumque modum non est necessaria submissio honorantis ad honoratum. *Tertio modo* consideratur excellentia seu perfectio comparatiuè ad honorantem, & qui propter hanc excellentiam honorat necessariò debet se submittere honorato. Huiusmodi est honor, qui per Religionem; tribuitur Deo, in quo attenditur excellentia supra honorantem in omni genere perfectionis; ac ex consequenti cultus ille integrabitur ex submissione ad Deum, & cultu illius per honorem; submissio autem non qualiscūque, sed peculiaris inferioritatis & seruitutis; sicut excellentia est nō in quacūque superioritate, & dominio, sed supremo. Igitur quāuis cultus & honor possint reperiri sine seruitute, & submissione, non tamen cultus, & honor exhibitus Deo propter eius excellentiam; quia comparantur hæc duo ad modum generis & speciei. Nam honor, vt sic, tantùm habet esse signum, & testificationem bonitatis honorati, quæ potest reperiri sine subiectione ad honoratum. At honor, seu cultus datus Deo includit honorem, & addit submissionem & recognitionem excellentiæ eius, qui honoratur; vt dixit Damascenus, de oratione, loquendo ferè de hac re. Quapropter *negatur antecedens argumenti*, & probationis similiter. *Damasc.*

15 *Ad sextum respondetur*, totam illam diuersitatem, quæ in argumento insinuatur inesse acti-

bus Religionis, habere connexionem quandam ratione vnitatis diuinæ excellentiæ, quæ tota in quolibet illorum actuum vltimatè attenditur, vt honoranda & reuerenda. Vnde cum Deo gratiæ aguntur, habetur ratio ad diuinam excellētiam, & ratione illius intelligitur esse modo quodam eminenti debita gratitudo. Fateor, si solam honestatem grati animi attendas, non esse necesse ad aliam virtutem recurrere præter communem gratiam, perinde ac si gratum te exhiberes homini, aut Angelo. At si gratum te Deo ostendas, necessariò debes obseruare & reuereri diuinam excellentiam, à qua beneficia accepisti: quod ad Religionem pertinet; & pari tenore in alijs actibus philosophari debemus. *Ad confirmationem negatur consequentia*; quia in Religione quidquid cultus Deo tribuitur, cum respectu ad diuinam excellentiam tribuitur; verbi gratia, cùm homo gratias agit Deo, illas agit vt præexcellenti supra omnem creaturam, qui eo quod talis est, nullum commodum nullamve vtilitatem à nobis poscit, eius non indigens: quapropter sola relatione ad eius excellentiam per honorem contentus est, & *Malach.* 1 eam postulat à nobis, iuxta illud Malachiæ primo: *Si ego pater, vbi honor meus? si ego dominus, vbi timor meus?* & in hac relatione formalitas Religionis consistit: & sic in alijs actibus dicendum. Secus contingit in hominibus, qui debitorum solutionem non referunt semper, neque referre debent vltimatè ad honorem & gloriam, sed ad commoda, quæ sunt, vel existimantur esse, vel ad alia, & propter alia motiua; nisi fortè in obseruantia, quæ attendit personam in dignitate constitutam; secus in gratiarum actione, & fidelitate. Quapropter cùm in his non sit necesse respicere excellentiam personæ, cui debitum persoluitur, in qua excellentia illæ virtutes connectantur, sicut in Religione, non mirum, si eorum obiectorum diuersitas diuersas pariat virtutes, longe aliter quàm in Religione.

Ad septimum inferius latè dicendum, modò verò *negatur antecedens*, quidquid quidam Moderni asseuerent.

In vltimo argumento tanguntur quædam quæstiones decisu difficiles, quas discutiendas suis locis relinquo: scilicet, de obedientia, infra *quæstion.* 104. de pœnitentia. 3. *part.* modò verò *negatur consequentia*; quia solutio debitorum pertinentium ad obedientiam, & pœnitentiam non connectitur sub vna ratione diuini cultus, neque in ea attenditur cultus diuinæ excellentiæ, sicut in cæteris actibus Religionis.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Religio sit specialis virtus ab alijs distincta?

Summa Articuli.



CONCLVSIO *affirmatiua est; & probatur*, quia Religio reddit Deo debitum, & specialem honorem, ratione singularis excellentiæ, in quantum omnia in infinitum transcendit secundum omnimodum excessum: ergo est specialis virtus; quia vbi est specialis ratio boni, ibi est specialis virtus.

DISPVTATIO VNICA.

An Religio ab alijs virtutibus distinguatur?

Post articuli præcedentis doctrinam, vbi tradidit Diuus Thomas Religionem esse vnam virtutem, & nos docuimus esse vnam specie atoma, fortasse alicui videbitur superfluus iste articulus, vbi idem quæritur: 1
sed decipietur: quia in præcedenti articulo quæsiuit de vnitate specifica: vtrum in plures habitus studiosos diuideretur, an non? & determinata atoma vnitate, in hoc articulo quærit, an sub ea contineantur alij habitus studiosi: præcipuè quia specialem & non mediocrem difficultatem habet, an Religio sit virtus distincta à pietate, obseruantia, & si quæ sunt aliæ virtutes, quæ reddunt hominibus debitum cultum; Et hoc disputat Diuus Thomas, in tertio argumento. Et nos argumentamur ad probandum cultum proximorum ad Religionem pertinere; ac ex consequenti Religionem non esse distinctam à pietate, obseruantia, & si quæ sunt aliæ virtutes, quæ versantur circa cultum hominum.

Primo ex communi modo loquendi Patrum, qui de cultu Sanctorum loquuntur æquè ac de cultu Dei. Damascenus *libr.* 4. *capit.* 16. *Honorandi quidem sunt Sancti, ita certè vt in nomine eorum templa Deo extruamus, eorum memorias recolamus.* Et ibidem, *Quibus rebus Deus colitur, eisdem serui eius oblectantur, quapropter Psalmis, Hymnis, canticis spiritualibus Sanctos colimus.* *Damasc.*

Secundò, imaginem Christi aut Dei colimus per Religionis virtutem, sed proximus quicunque est viua Dei imago, iuxta illud: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: ergo Deus & homines per eandem virtutem Religionis coluntur.

Tertiò. Quando honoramus Prælatum sceleratum, propter Deum, cuius personam gerit, per Religionis virtutem honoramus; quia nihil boni est in ipso, ratione cuius specialiter honoretur; 2
sicut illi etiam obedimus, quia Dei personam gerit, iuxta illud *Lucæ* 10. *Qui vos audit, me audit, &c.* *Luc.* 10.
Vnde & solet erga talem Prælatum vsurpari illud dictum contra asinum mysteria portantem, sed insolentem: *Nō tibi, sed Religioni*: vel vt habetur in tabella Gabric. Græci: *Noli intumescere asine non est tu Deus, sed fers Deum. Confirmatur*, quia in

lege

lege veteri cultus Latriæ exhibebatur Angelo, qui ductor illius populi fuit, eo quod Dei personam gerebat, vt constat ex oratione Diui Stephani, *Actorum capit.* 7. & viri perfecti, erga viros sanctos, propterea Dei aliquid videbantur, ante ipsos genuflectebant, & procumbebant. Athanas. *libro de Virginitate. Si homo iustus ades tuas intrauerit, adorabis hunc ad pedes illius*; & subdit rationem; *Deum enim, qui illum mittit, adorabis*. Ecce quo modo eadem est ratio adorandi Deum, & Sanctos, ac ex consequenti per vnam solam virtutem. Et Hieronymus *in vita Paulæ*, refert illam in more habere cum sanctos Eremitas visitaret, ad pedes eorum deuolui, ac si Christum adoraret. Et de Beata Catharina Senensi legitur, ipsam venerari patrem tanquam Deum, matrem vt diuam Virginem, fratres vt Apostolos; huiusmodi autem à viris spiritualibus prudens obsequium censetur. *Dicet* quispiam, hoc dumtaxat probare cultum exhibitum Sanctis in relatione ad Deum, putà quia in illis honoratur Deus, à Religione proficisci, in tali enim cultu Deus est ratio colendi Sanctos; ac proinde ipse est, qui principaliter colitur; nostra verò disputatio procedit, quãdo cultus Sanctorum propter perfectionem, & sanctitatem in eis repertam fit, ita quod cultus in eis & eorum sanctitate terminatur.

Actor. 7. Athanas. Hieron.

3 *Contra hoc arguitur quartò* ad probandum cultum Sanctorum propter sanctitatem, & perfectiones supernaturales necessariò referendum esse in Deum, vt in obiectum vltimum, & rationem formalem illius cultus; ac proinde eadem Religione, qua colitur Deus, necesse est Sanctos colere. *Argumentum sic procedit*; sanctitas iustorum, quæ gratia est, vel in gratia consistit, non potest non respicere, & includere Deum; quia vt aiunt Theologi, & colligitur ex Diuo Petro, *in sua prima Canonica, capite primo*, gratia est participatio quædam diuinæ naturæ; & filios Dei constituit habentes: ergo hoc ipso quod honorantur Sancti propter suam sanctitatem, & perfectiones supernaturales, talis cultus nequit non tendere in Deum, non solum tanquam in vltimum finem extrinsecum, ad quem omnia opera tendunt, sed tanquam in obiectum intrinsecè imbibitum in sanctitate iustorum, ad quam videtur terminari cultus ipsorum; & consequenter ad eum cultum non est opus aliam virtutem ponere, præter Religionem, qua colitur Deus vel in se ipso, vel in sanctis suis. *Confirmatur*, & explicatur vis argumenti in honore & cultu exhibito Regis filio, propter dignitatem prolis Regiæ, quæ in ipso est, quæ sicut non potest non includere ordinem ad Regem, sic neque eget alio habitu aut virtute præter illam, qua Rex colitur.

1. Petri. 1.

Quintò est argumentum D. Thom. Charitas, qua diligitur Deus, non est virtus distincta à Charitate, qua diligitur proximus: ergo Religio, qua honoratur Deus, non est virtus specialiter distincta ab obseruantia, vel Dulia, aut pietate, quibus honoratur proximus. Patet consequentia: tum ex paritate rationis: *tum ex dicto Aristotel.* 8. *Ethicorum*, *cap.* 8. honorari simile est ei quod amari. Arist.

Nemo quem ego viderim asserit virtutem, qua Deus & homines coluntur esse vnam & eandem, præter Marsilium, in 3. *quæst.* 8. *art.* 1. *circa finem*: censet enim esse vnam dumtaxat virtutem, sed diuersis nominibus appellatam. Provt colit Deum, inquit, vocatur Religio; provt colit homines, vocatur Dulia: & mouetur quibusdam rationibus: quas quia nullius roboris & momenti censeo libens & sciens omitto. Opposita tamen sententia, Religionem re, & nomine esse distinctam à Dulia, & omni alia, quæ reddit cultum personæ creatæ, est communis Theologorum *in* 3. *dist.* 9. Bonauent. Alber. Durand. Richardi, Gabrielis, & aliorum, & Alensis 3. *part. quæstion.* 30. *Memb.* 1. *articul.* 1. §. 2. & præcipuè eam tuetur D. Thom. *in hoc articul. & quæst.* 103. *art.* 3. *Ratio* Diui Thomæ in locis citatis sumitur ex debiti excellentia, erga Deum diuersæ rationis à debito hominum, erga homines. 4

Sentent. Marsilij. Vera sententia. Bonauent. Albert. Durand. Richard. Gabriel. Alens. D. Thom.

Et argumentum vltimum à me positum in hac parte non parum negotij viris Doctis facessit: quare diligenti examine in eo dissoluendo opus est; vtpotè quod posuit D. Thom. tribus in locis, videlicet infra *quæst.* 103. *articul.* 3. *in* 2. *argumento*, *& supra quæst.* 25. *artic.* 1. *in* 2. *etiam arg. & in hoc art.* In priori loco dissoluit illud per hæc verba; *non enim*, inquit, per Charitatem diligimus in proximo nisi Deum, & ideò eadem Charitas est, qua diligitur Deus & proximus: sunt tamen aliæ amicitiæ differentes à Charitate secundùm alias rationes, quibus homines amantur: & similiter cum sit alia ratio seruiendi Deo & homini, aut honorandi vtrumque, non est eadem virtus Latria & Dulia.

Contra hanc solutionem argumentor. Primò, quia sicut stat amari proximum propter Deum, videlicet quia proxima ratio, & formalis amandi proximum sit Deus: verbi gratia, quando amamus peccatores, quia à Deo conditi sunt, quia capaces beatitudinis, &c. sic stat coli creaturas propter Deum; ita quod formalis ratio colendi sit excellentia diuina. *Exemplum* sit, quando colimus imaginem Christi, aut Crucem. Rursus sicut amantur proximi propter suas perfectiones creatas, eodem habitu Charitatis, quid vetat coli propter easdem perfectiones eodem habitu Religionis? ita quod non sit opus alia virtute ad cultum talem exhibendum, sicut neque opus est alia virtute ad amandum. *Secundò*. Propterea Sancti amantur habitu Charitatis propter suam sanctitatem; quia sanctitas illa est participatio diuinæ bonitatis: sed eadem sanctitas est participatio diuinæ excellentiæ; ergo eodem habitu Religionis coletur: quia virtus, quæ inclinat ad rationem formalem alicuius ordinis, inclinat consequenter ad participationes rationis formalis eiusdem ordinis; Religio autem inclinat ad colendam excellentiam diuinam. 5

Eidem argumento respondet D. Tho. *secunda* 6

D. Thom. *secunda, quæstion.* 25. *ad secūdum*, in hæc verba: *Amor respicit bonum in communi, honor verò proprium bonum honorati, defertur enim alicui in testimonium propriæ virtutis; & ideò diuersa quantitas bonitatis diuersorum non causat diuersitatem specificam in amore, dummodo referantur ad aliquod vnum bonum commune; sed honor diuersificatur secundum bona propria singulorum.*

Sed contra replicatur: Sicut amor in communi fertur in bonum in communi, ita honor in communi tendit ad excellentiam in communi; & sicut talis honor, scilicet diuinus, respicit talem excellentiam, nempè diuinam, & increatam; ita talis amor, nempè Dei dilecti super omnia, respicit talem bonitatem, videlicèt per essentiā, & infinitam: ergo discrimen nullum est. Ferè eisdem verbis respondet eidem argumento D.

D. Thom. Thom. in hac quæst. licèt paulò clarius ad hunc modum. *Obiectum amoris est bonum, obiectum autem honoris vel reuerentiæ est aliquid excellens, bonitas autem Dei communicatur creaturæ, non autem excellentia bonitatis eius, & ideo Charitas, qua diligitur Deus, non est virtus distincta à Charitate, qua diligitur proximus; Religio autem, qua honoratur Deus, distinguitur à virtutibus, quibus honoratur proximus. Sed contra arguitur.* Nam in hac solutione vel fit sermo de

7 communicatione perfecta per essentiam, vel de imperfecta per participationem. Si priori modo, sicut diuina excellentia non communicatur creaturæ, ita neque diuina bonitas; si posteriori modo, sicut diuina bonitas communicatur creaturæ, ita & diuina excellentia: item sicut creatura non potest coli cultu diuino, ita neque amari super omnia, quod est Dei proprium.

Hæc omnia argumenta eò tendunt, vt probent nullam adhiberi à D. Thoma diuersitatem inter Religionem, & Charitatem, si seruetur in respondendo eadem proportio. Vnde tota huius rei difficultas, (& non minima) versatur in assignando discriminis rationem, *Quare ad amandum Deum, & proximum ex Charitate vna sola virtus sufficiat; non verò vna virtus Religionis ad colendum Deum, & proximum; sed oportet alias multiplicare ad colendos proximos, vt pietatem, obseruantiam,* &c. quæ est perpetua Diui Thomæ sententia vbicumque de hac re loquitur. Quod discrimen quidam non intelligentes; neque valentes intelligere, argumēto succumbunt. Et vt difficultati satisfaciam, oportet aliqua prælibare, pertinentia ad tractatum de Charitate, difficilia quidem, sed quorum fusior tractatio pertinet ad præfatum locum.

8 Igitur *aduertendum est*, multipliciter posse proximum amari: *vno modo* amore naturali: alio modo supernaturali. Amorem naturalem voco in præsenti, eum qui habetur ex naturæ viribus; & est de obiecto contento intra naturæ limites. Rursus quando amatur amore naturali, interdum amatur absolutè propter bonitatem creatam in ipso repertam. & hoc genus amoris distinguitur in diuersas amicitiæ rationes secundum diuersas perfectiones, propter quas homines amātur, vt est amicitia patrum commilitonum, conciuium, &c. *Interdum verò amantur* proximi propter Deum autorem naturæ, tanquam propter rationem formalem amandi proximum: & tunc amantur proximi amore, quo diligitur Deus, siue pertineat ad habitum, siue non: quia in tali amore potius amatur Deus, quā proximi; & proximi amātur, vt aliquid Dei: (v.g.) vt factura Dei, vt subditi Dei, &c. Neque ad hunc amorem requiritur virtus specialis, aut habitus, præter illum, quo amatur Deus: quia ratio formalis, & motiuum propinquum amandi proximum bonitas diuina est. Secus in priori modo amandi proximum absolutè, vbi ratio amandi est bonitas creata amatorum. Ex quo etiam colligitur aliud discrimen inter istos duos modos amandi proximos: quòd in priori modo amoris requiritur in amato aliqua perfectio, quæ sit ratio, & motiuū amoris: in secundo verò non requiritur, sed sufficit perfectio, quæ reperitur in bonitate diuina, quæ est ratio formalis, & motiuum amoris: vnde quantūcunque sit homo pessimus, potest propter Deum amari, & habitu quo diligitur Deus.

Ad eundem modum loquendum est de cultu hominum stando intra naturæ limites. Nam si colātur propter suas creatas & naturales perfectiones, ad hoc suis indigent virtutibus specialibus: verbi gratia, pietate, erga parentes, obseruantia, erga eminentes viros, &c. si verò colantur vt aliquid Dei sunt, & propter Deum, cultu diuino, & Latriæ coluntur; quia cum proxima & formalis ratio talis cultus sit diuina excellentia, potius Deus est qui colitur, ipsi verò vt aliquid Dei. Hoc modo coli posset Deus in suis creaturis, & ipsæ quatenus Deum repræsentant: verum est tamen, quod ad vitandum periculum erroris non est, neque debet esse in vsu talis cultus Latriæ erga creaturas; at secluso errore nihil mali in eo est; quia Deus ipse est qui colitur, sicut quando colitur imago Christi, Christus est qui colitur. Et ita amor & cultus parificantur; quapropter si tātum esset facienda comparatio inter amorem naturalem & cultum, omnia video esse paria in Religione & amore; & sicut amor proximi propter ipsum fortasse pertinet ad quandam virtutem genericam, quæ vocari potest amicitia humana, & diuiditur in diuersas amicitiæ species: sic cultus proximi in diuersas virtutes, obseruantiam, pietatem, &c. & sicut amor proximi propter Deum non exigit distinctum habitum ab eo, quo amatur Deus; sic quando colitur proximus propter Deum, non indiget alia virtute, præter illam, qua colitur Deus. Tota ergo difficultas est, si fiat comparatio inter Charitatem, quæ est virtus infusa & Theologalis, & inter Religionem. Pro quo 9

Nota secundò, proximos amari posse amore pertinente ad ordinem gratiæ multipliciter. *Vno modo*, quando amantur ex Charitate propter Deum; itaque ratio formalis amandi proximos bonitas diuina est: in hoc amore potius amatur Deus, quam proximus, quia proximus amatur vt aliquid Dei est: verbi gratia, ad honorem Dei, vt fruatur Deo, ac denique vt aliquid ordinabile in Deum principalem amicum. Et ad istum proximorum 10

rum amorem non est necessarius alius habitus præter Charitatis virtutem; vt expressè asseritur
D. Thom. ab omnibus Doctoribus, præcipuè à D. Thom. *supra quæst.35. artic.1. & quæst.23. artic.1. ad primum:* & colligitur ex modo loquendi sacræ Scripturæ & Sanctorum dicentium, Deum diligi Charitate propter se, proximum verò propter Deum, vbi ly *Propter*, explicat rationem formalem diligendi. *Secundo modo* potest amari proximus amore supernaturali propter aliquam honestatem, seu perfectionem supernaturalem sibi inhærentem, tanquàm propter rationem formalem & immediatam diligendi. Patet hoc, quia amor naturalis non est proportionatus rationi formali dilectionis talis, vt suppono: ergo necessarius est amor supernaturalis. Hoc non est ita certum, sicut præcedentia, videtur tamen
D. Thom. esse mens D. Thomæ, *quæstion. 27. articul.* 8. Bo-
Bonauent. nauenturæ, *in 3. distinct.27. artic.2. quæst.3. ad penul-*
Altisiodor. *tim.* Altisiod. *lib.3. tract.5. quæstion.* 3. Hi asserunt, quod potest diligi proximus Charitate supernaturali, quando actu non diligatur Deus; vnde colligitur quod talis actus ratio formalis diligendi est perfectio supernaturalis proximi. *Tertio modo* possunt amari proximi amore supernaturali, propter aliquam perfectionem naturalem creatam sibi inhærentem, tanquam propter rationem formalem, & motiuum proximum amoris, vt regulatum regulâ supernaturali; ad eum modum, quo Deus, vt autor naturæ, si consideretur in ordine ad supernaturalem regulam, est obiectum supernaturalis amoris; & sicut eadem materia, spectans ad virtutem moralem acquisitam, pertinet etiam ad infusam, vt directa supernaturali regula. Et
11 quando proximi amantur secundo & tertio modo; ingens controuersia est, an ad hos actus habitus Charitatis Theologicæ sufficiat; quibusdam asserentibus vt probabilem partem negatiuam; sed inquiunt requiri specialem virtutem infusam, quam appellant *Charitatem moralem*, quæ habet pro ratione formali bonitatem creatam. Et pro illis facit: Nam dato opposito videtur inde colligi proximam rationem amandi in Charitate non esse solam bonitatem Dei increatam, sed aliquando hominis bonitatem creatam; quod videtur contra naturam virtutis Theologalis, quæ est Charitas.

Dubium speciale. Certè hæc dubitatio difficilis est, an actus isti amandi proximum propter perfectiones supernaturales sibi inhærentes, tanquam propter rationem formalem proximam, & immediatam amandi proximos, aut verò propter perfectiones naturales tanquam propter rationem formalem, & motiuum proximum amoris, vt regulatum supernaturali regula pertineant ad Charitatis Theologalis habitum? *an verò sit ponenda alia Charitas, quæ sit virtus moralis infusa ad huiusmodi habitus eliciendos, vt dixi?* Quidam tenent esse probabile hoc postremum;
Prima sententia. sed probabilius, & mihi certum, vnam solam virtutem Charitatis sufficere ad amandum Deum, & proximum propter ipsum Deum, & ad amandos etiam proximos propter perfectiones supernaturales sibi inhærentes. *Hæc est sententia communis*, & absque dubio D. Thomæ, D. Thom.
quæst. 23. artic.5. & quæst.25. & alibi sæpè: & oppositum censeo non esse tutum: vt pote contra sacros Doctores, & Scholasticos, qui non nouerunt alium adinuenire habitum præter Charitatem ad amandos proximos, propter sanctitatem eis inhærentem: & non infirmè insinuatur in sacra Scriptura, cum de charitate vt de vna virtute loquitur, *primæ ad Corinth.* 13. Illique tribuit 1. Cor. 13.
dilectionem Dei, & proximi, *prima Ioann.* 4. *Si* 1. Ioan. 4.
diligamus inuicem, charitas Dei in nobis perfecta est; & D. August.
Augustin. *Epistol.* 29. expressè dicit charitate diligi Deum & proximum; & id recipit Ecclesia vnanimini consensu. De qua re non vacat disputare; quia proprium locum tenet hæc controuersia. 2. 2. *quæst.25. artic.1.*

Sed supposita sententia Diui Thomæ, & vera, istos actus pertinere ad charitatis virtutem, 12
procedit nostra disputatio à principio; quare actus colendi proximos, maximè propter sanctitatem, & perfectiones supernaturales sibi inhærētes, non pertineant ad Religionis virtutem, quæ Deo cultum Latriæ exhibet? Cui dubitationi respondetur per assertiones sequentes.

Prima. Quando proximi coluntur propter Deum, ita quod excellentia diuina sit ratio formalis colendi proximos, & immediatum & Sententia Autoris.
proximum motiuum cultus, siue cultus sit naturalis pertinens ad ordinem naturæ, siue supernaturalis pertinens ad ordinem gratiæ, non est necessaria alia virtus, præter Religionis virtutem; quæ circa cultum Dei versatur. Hæc est sententia D. Thomæ *3.p. quæst.25. art. 3. & 2. 2. quæst.103. art. 3. ad quartum*, Alens. *tertia parte*, D. Thom. Alensis.
quæst. 30. membro 3. articul. 2. §.1. Albert. *in 3.* Albertus.
dist. 9. art. 4. ad secundum & tertium, Vvaldens. Vvald.
tomo 3. cap. 154. & habetur ex consensu omnium modernorum nostri temporis; *& probatur ratione*; Quia vnitas habitus ex vnitate formali eiusdem & actus sumenda est, non ex materiali obiecto: ergo siue colatur Deus, siue colatur proximus, si tamen sub vna ratione formali coluntur, actus eiusdem speciei sunt; neque indigent nouo, & distincto habitu. Simili ratione probat D. Thom. amorem Dei & proximi pertinere ad eandem virtutem, *2. 2. q. 25. art.1.* Verum est tamen, quod tali cultu proximorum, potius debet dici coli Deum, quàm proximos; quia proximus colitur, vt aliquid Dei: verbi gratia, vt repræsentat Deum, vel vt imago Dei est. Sic colebatur in lege veteri Angelus, qui personam Dei gerebat; sic in lege gratiæ colimus imagines Dei & Christi. Sed oportet esse cautos, quòd quamuis iste modus colendi proximos ad Latriam pertineat; quia re vera cultus Dei est, tamen non est vsitatus; neque esse debet in Ecclesia respectu proximorum; quia cum sint capaces cultus, & reuerentiæ secundùm se, & propter perfectiones, quibus ornantur, dabitur ansa & periculum errandi, & videbitur cultum diuinum in ipsis sistere, & non in Deū referri, vt in rationē formalē talis cultus. Ita docent D. Tho. *3.p. quæst.* D. Thom.
25. arti-

Bonauet. *Caiet.* 25.*articul.3.ad tertium*, *& art.5.& D.Bonau.in 3. dist.9.art.1.quæst.5.* & Caietanus *infra quæst.* 103. *art.3.*

13 *Secunda assertio.* Quando proximi coluntur propter perfectiones naturales sibi inhærentes, tanquam propter rationem formalem, talis cultus exigit peculiares virtutes: videlicet pietatem in ordine ad parentes, obseruantiam in ordine ad viros excellentes, &c. Hæc patet ex communi *Cicero.* consensu Philosophorum, maximè Ciceronis, *lib.2.de inuen.* & aliorum, qui assignant ad huiusmodi actus præfatas virtutes. *Et probatur ratione*, quia rationes formales istorum actuum, & actus quo colitur Deus sunt distinctæ in infinitum; etenim ratio formalis cultus erga proximos est excellentia creata, ratio verò formalis cultus pertinens ad Religionem est excellentia increata & diuina: ergo diuersificant habitus, & actus secundum speciem.

14 *Tertia assertio.* Quando proximi coluntur propter perfectiones aliquas supernaturales: verbi gratia, Sancti propter suam sanctitatem, tanquam propter rationem formalem colendi ipsos, aut verò propter perfectiones naturales tanquam propter rationem formalem, & motiuum proximum cultus, regulatum tamen supernaturali regula, isti actus differunt specie ab actibus Latriæ & Religionis; quia rationes formales sunt diuersæ in actibus Latriæ, & in istis, vt dicebam in probatione secundæ assertionis. Hæc est Diu. Thom. *in art. hoc ad tertium, & infra quæst.*103.*art.*3. & existimo esse communem apud omnes, vno excepto *Marsilio.* An verò sufficiat vna virtus, quæ sit Dulia in ordine ad cultum propter perfectiones pertinentes ad ordinem gratiæ, an plures, infra *quæst.* 103.

...itur ...men- ta in oppositum.

Superest dissoluere argumenta in oppositum. *Ad primum respondetur*, Damascenum, & alios Sanctos non dicere expresè cultum Sanctorum pertinere ad virtutem Religionis, vt distinguitur ab alijs virtutibus, quibus proximi coluntur: non enim tractant hanc quæstionem metaphysicam; sed si quando insinuant talem cultum esse religiosum loquuntur in ampla acceptione, eo quòd perficitur sacris ritibus, & ad pietatem pertinentibus, aut fortasse quia à virtute Religionis imperatur, eo quod cultui Dei est valdè coniunctus.

Ad secundum nos non negamus eodem habitu, imò & actu posse Deum & proximos coli, Deum quidem vt id in quo terminatur cultus & finis eius, proximos verò vt medium ad Dei cultum; & tunc potius Deus est qui colitur, & ratio formalis talis cultus Deus est: cætera verò vt aliquid Dei, putà imago, creatura, &c. Et si creatura rationalis non esset propter se ipsam capax cultus, potius posset coli, vt imago Dei viua, quàm picta. Cæterum quia ipsa est capax cultus non consueuit Ecclesia talem illi adhibere cultum ad vitandum periculum erroris, ne, scilicet, videamur honorem Dei dare hominibus; cessante verò hoc periculo nullum esset inconueniens rarò fieri, vt videbimus in *argumento tertio, & eius confirmatione.*

15 *Ad tertium cum sua confirmatione similiter respondetur*, probare nostram primam conclusionem: quia illi actus in argumento & confirmatione commemorati cum habeant pro ratione formali diuinam excellentiam, ad Religionem pertinent, & illis potius Deus colitur, quàm proximi: sicut quando amantur proximi propter Deum, Deus est qui amatur, vt ait D.Thom. *infra qu.*103. *art.3.ad secundum*: & proximi considerantur vt *D.Thom.* sunt ad imaginem Dei creati, vel vt gerunt Dei vices, vel vt templa Dei viua; quod tamen rarò licebit facere propter erroris periculum, vt dictū est. At verò quando D.Tho. ait cultum proximorum non pertinere ad Religionem, sed ad alias virtutes, loquitur quādo proximi coluntur propter suas creatas perfectiones seorsum & à cultu Dei. Et de tali cultu est potissima difficultas, quā tetigit D.Tho. in argumento tertio, & nos in quinto huius disputationis in princ. posito. Sed tunc vrget difficultas tacta in 4.argumento.

Ad quartum negatur consequentia: etenim quamuis gratia sit participatio diuinæ naturæ, & ob id nequeat intelligi sine ordine ad Deum, cuius est participatio, tamen simpliciter perfectio absoluta est in se habens talem excellentiam, vt propter se faciat habentem dignum cultu & honore, etiā si ad diuinam excellentiam nullo pacto referretur. Est simile appositum in natura creata intellectuali, quæ licet sit participatio intellectualis gradus per essentiam, qui in Deo est, & quamuis ex natura sua sit ad imaginem Dei, tamen perfectio quædam absoluta est digna cultu. Vnde nil vetat ipsam coli propter se ipsam, & non propter Deum: quia cultus & honor ille non fundatur in illa habitudine ad Deum, neque in obiecto eius, sed in sola perfectione absoluta talis naturæ.

Sic dicendum est de cultu Sanctorum propter gratiam, & supernaturales perfectiones eorum: non enim fundatur in excellentia increata tanquam in ratione formali illius cultus, sed in gratia creata, quæ licet sit participatio diuinæ naturæ, quæ necessario dicit ordinem ad diuinam excellentiam, tamen in eo ordine neque in obiecto eius non fundatur ille cultus, sed in gratiæ excellentia: quæ quidem perfectio absoluta est, potens per se ipsam cultum sine comparatione ad Deum fundare; sicut de natura intellectuali dicebamus. *Ad confirm. eodem modo respondetur*, sicut enim Sancti dupliciter coli possunt, vel propter suas perfectiones creatas, tanquam propter rationem formalem cultus, in quibus sistat, & non vltra se extendat; & hoc per virtutem distinctam à Religione, putà per Duliam, & altero modo propter diuinam excellentiam, tanquam propter rationem formalem cultus, quod fit per eandem Religionem, per quam colitur Deus; sic dicendum est de cultu filiorum, vel propter parentes, & hoc modo eadem virtute, qua parentes coluntur; vel propter perfectionem absolutam, quàm à parte acceperunt, & tunc diuersis virtutibus fiet cultus, vel saltem sine ordine ad parentes erit cultus ille.

Ad quintum, quod quibusdam videtur insolubile, quidam asserunt eandem esse rationē de Cha- 16
ritate,

ritate, & Religione, ac subinde ponunt quãdam Charitatem infusam moralem ad diligendos viros sanctitate præstantes propter suam creatam sanctitatem, sicut ponimus aliam virtutẽ distinctam à Religione ad colendos eosdem. Alij verò dicunt coli per eandem Religionis virtutem, sicut amãtur per Charitatem Theologalẽ. Sed in his refellendis non immoramur. & cum D. Thoma dicimus esse diuersam rationẽ de dilectione proximorum, & cultu eorum. *Ad argumentum quidam respondent* esse differẽtiam inter Religionem & Charitatem. Nam Religio reddit honorem ex debito; quia iustitiæ pars, ac ex consequenti ad alterũ; & quia est alia ratio debiti in ordine ad Deum, & in ordine ad creaturam, ad hoc persoluendum requiruntur distinctæ virtutes: aliter vero res se habet in Charitate, quæ neque est ad alterum, neque in illa ratio debiti consideratur. *Sed hæc solutio non placet:* nam sicut in Religione reperitur ratio debiti sibi proprij, ita in Charitate, quę reddit quodammodo debitum amorem secundum ordinem à Charitate ipsa præscriptum: est enim ordo primus in Charitate respectu diligibilium ab ipsa. Vnde sicut honor debitus Deo est alius ab eo qui debetur creaturæ, & exhibitus creaturæ, Deo dari non potest; ita etiam proportionaliter loquendum est in amore: alius est enim debitus Deo, alius creaturæ, vnde amor super omnia debitus Deo, non potest conferri creaturæ vt sic; atque adeò si illa ratio debiti sufficit ad variandos habitus Religionis, non video, quare non sufficiat in Charitate vel è contra.

Solutio aliorum.

17 Igitur magis arridet responsio D. Tho. præcipuè in hoc articulo, assignantis discrimen inter Religionem & Charitatem, & vbicunque de hac re loquitur, & sumitur ex differẽtia generali inter amorẽ, & honorẽ. Nã amor, quia vnitiuus est, & fũdatur in cõmunicatione seu similitudine amãtiũ, respicit suũ obiectum, quod est bonũ sub cõsideratione quasi absoluta; tum quia respicit illud siue secundùm se, siue per participationem, & vt communicabile est: tum etiam, quia respicit illud nulla facta comparatione excessus amati ad amantem in bonitate, quę est in amato: è contrario res se habet in honore, qui eò quod est testimonium de excellentia honorati, respicit suum obiectum, nõ absolutè, sed sub ratione quadam comparatiua, vel quatenus honoratũ excedit in causa honoris ipsum honorantem; vel alias. Et hinc est quod respiciat suum obiectũ, sub ratione incommunicabili: quia implicat quod excellẽtia quis excedit alium vt sic sit communicabilis.

Et hinc multæ differentię oriuntur inter amorem, & honorem. *Prima* quantò maior fuerit cõmunicatio, & æqualitas in perfectione amantiũ, tãtò erit maior amor; vt patet in amore eiusdem ad se ipsum. E contrariò cõtingit in honore, quãtò minor fuerit conuenientia honorantis ad honoratum, tantò erit magis debitus honor. Item obiectum amoris bonitas dicitur, obiectum verò honoris excellentia: primum absolutam perfectionem dicit, secundum comparatiuam seu respectiuam. *Primo modo* non repugnat communicatio, imò si consideretur vt amoris obiectum, valde cõueniens est. *Secundò modo* repugnat communicabilitas: vt sub hac repugnantia respicitur ab honore, non ineptè appellaremus amorem affectum vnitiuum, id est tendentem ad vniẽdos amicos per communicationem suorum bonorum; cultum verò affectum separatiuum; quia ipso facto diuidit & facit superioritatem inter honorantem & honoratum. Ex hoc discrimine colligitur aliud ad nostrum propositum; quod eodem amore, siue habitu amoris diligatur aliqua bonitas, & eius participatio: verbi gratia, eo habitu amoris, quo diligo Petrum volendo illi diuitias, incolumitatem, &c. diligo eius consanguineum, volendo illi easdem fœlicitates: quia amor fertur in bonitatã absolutè, siue sit secũdum se bonitas, siue participata: est namque affectus vnitiuus, & fundatur in participatione, & communicatione. Non sic in honoratione, sed diuerso habitu exhibeo honorem ratione excellentiæ secundùm se, aut per participationẽ: Nam si honoro Petrum, quia fortis est, eius filium ignauum non honoro.

Hinc licet facere gradum ad intelligendum discrimen inter Charitatem & Religionem; nam Charitas respicit bonitatem, seu Dei perfectionem absolutè, siuè secundum se, siue secundum participationem: vnde eodem virtutis habitu diligit Deum ipsum, & Sanctos propter sanctitatem creatam ipsis inhærentem; quia eorum sanctitas est quædã participatio diuinæ bonitatis, & ipsi Deo connaturalis, & ideò ordinis diuini, & propter eam vocantur Sancti, & sunt Dij per participationem. Cæterum Religi[illegible] habet pro ratione formali, & respicit diuinam perfectionem, non absolutè, sed, vt verbis vtar D. Thomæ secundum quod omnia in infinitum trãscendit, secundum omnimodum excessum; vel breuius, respicit diuinam excellentiam vt sic supra oẽm creaturam; & in hac ratione nulla potest esse communicatio; ac subinde virtus Religionis, quæ istã rationem formalẽ incõmunicabilẽ respicit, nõ versabitur circa cultũ alicuius creaturæ, quantũuis eminẽtis; quia nullus habitus potest procedere nisi sub sua ratione formali, vel secundũ se, vel provt participatur: & cum ratio formalis Religionis nõ sit participabilis à creatura, neque poterit ad cultum creaturæ se extendere Religio: sed aliæ virtutes secundum diuersas excellentias, quæ in creaturis reperiuntur. Ex dictis ni fallor clarè cognoscitur & res ipsa, & mens D. Thom. circa quam oculi multorum calligant. 18

19 *Vnde ad vltimum respondetur* solutionẽ D. Tho. esse bonam; potissimè quæ datur in hoc articulo, vbi magis clarè, & ex professo argumentum dissoluitur, & sigillatim ad omnes impugnationes verborum sancti Doctoris respondetur. *Ad primum contra verba* D. Thom. *infra quæst.* 103. *in argumento secundo art.* 3. *respondetur ex dictis*, rationem discriminis inter actum Charitatis & Religionis, quæ habent pro ratione formali perfectiones creatas, in hoc consistere, quod ratio formalis charitatis est bonitas diuina, & om-


Dissoluũtur argumenta secundo loco posita contra D. Thom.

& omnis participatio eius: at verò ratio formalis Religionis est excellentia diuina vt sic, quæ à nulla creatura participabilis est. *Ad secundum contra eadem verba respondetur negando consequentiã. Ad probationem*, quod maxima illa intelligitur, quando ratio formalis alicuius virtutis est participabilis; at verò ratio formalis Religionis à nulla creatura est participabilis: vnde si aliqua virtus versatur circa cultum creaturarum, distincta erit à virtute Religionis, quæ circa solũ cultum Dei est.

Ad argumentum contra verba D.Tho. *supra, quæstion.25. ad secundum articuli primi respondetur*, esse intelligenda ad modum, quo explicat D. Thom. in hoc articulo, vbi ex professo de hac re loquitur. Et ad argumentum contra hæc, quæ hic dicit, *respondetur negando antecedens*: loquitur
20 enim D.Tho. de communicatione, abstrahendo à communicatione per essentiam, & per participationem; quæcunque enim communicatio sufficit ad constituendum vnum in ratione diligibilis, loquendo proportionatè ad quamlibet cõmunicationem: & quidem si loquamur de communicatione per essentiam, pertinet ad materiã de Trinitate; si verò de cõmunicatione per participationem, pertinet ad materiam de Charitate. Et supponimus modò ea, quæ dicta sunt, quod bonitas infinita Dei, quam respicit Charitas pro ratione formali, est cõmunicabilis: Amor enim, atq; adeò Charitas respicit obiectum sub ratione absoluta, id est tendit in ipsam bonitatem obiecti secundum se, quæ verè est communicabilis; at verò excellentia bonitatis diuinæ, quam habet pro ratione formali Religio, seu cultus, est incommunicabilis creaturæ formaliter loquendo. Et *ratio huius* est: quia excellentia vt sic, pro vt formaliter respicitur à Religione, dicit bonitatem, & perfectionem, vel potius modum quendam se habendi ipsius bonitatis, ratione cuius vnum excedit aliud: nullus autem excedit alium per id, quod illi communicat, sed tãtum per illud, quod non communicat, siue secundùm rem, siue secundum modum. Quapropter implicat dicere, quod excellentia, qua quis ab alio exceditur, communicata sit ei, qui sic exceditur; atque adeò etiam implicatio est dicere, quod quis participet excellentiam, qua ab altero exceditur; quin imò vt sic incommunicabilis est.

21 In summa, discrimẽ inter Religionem & Charitatem hoc est; Charitas respicit rationem formalem, quæ communicabilis est proximis: vnde habitus vnus sufficit ad Deum & ad creaturas, quæ participant illam rationem formalem: & Religio respicit rationem formalem, nempè excellentiam diuinam vt sic, quæ incommunicabilis est. *Sed dices*, nonne excellentia diuina participatur à creaturis? & quò perfectior est creatura, magis participat de excellentia diuina? imò quia participat magis, eò perfectior est. *Respondetur*. Excellentia accipi potest dupliciter: vno modo, vt conuertitur cum bonitate diuina, qua excellit omnes creaturas: alio modo formaliter pro eadem bonitate, vt excellit omnium creaturarum perfectiones. Primo modo participatur à creaturis; at verò secundo modo nequaquam; & isto secundo modo est obiectum Religionis, ac ex consequenti Religio solum cultum diuinum respicit, non verò proximorum, ad quem aliæ concurrunt virtutes, vt dictum est.

ARTICVLVS V.
Vtrum Religio sit virtus Theologica?
Summa Articuli.



ONCLVSIO *negatiua. Probatur*; quia virtus Theologica habet vltimum finem pro obiecto; sed Religio non est huiusmodi; quia est virtus moralis, quæ versatur circa media ad finẽ: ergo non est virtus Theologica. *Probat D. Tho. minorem* aduertendo, quod in Religione sunt duo. Vnum est cultus, qui Deo exhibetur per Religionem, vel per sacrificia, vel per oblationem, aut aliquid simile: & iste cultus se habet per modũ materiæ & obiecti in ordine ad Religionem: aliud est cui exhibetur iste cultus, scilicet Deus, nõ quidem quia Deus attingatur actibus Religionis, (alias esset virtus Theologica) sed quia est finis ipsius cultus, atque adeò cum obiectũ, seu materia circa quam, non sit Deus, Religio non erit virtus Theologica.

Fortassè alicui videri poterat, ante huius articuli disputationem alteram esse præmittendam de distinctione Religionis à Fide, Spe, & Charitate; etenim ea stabilita adhuc supererat locus dubitandi, *vtrum esset virtus Theologica, distincta quidem ab illis tribus, sed sub genere virtutis Theologicæ cõtenta*. Nihilominus D.Tho. meritò illam disputationem prætermisit: tum, quia vt certissimum supponit, & à D.Paulo insinuatur 1. *ad Corint.*13. esse dumtaxat tres virtutes Theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem: ac proinde constituto Religionem non esse Theologicam virtutem, subinde constituitur nullam esse ex præfatis tribus: tum, quia ad ostendendam sigillatim distinctionem Religionis à tribus præfatis virtutibus, necesse esset singularum naturam in speciali scrutari, & consequenter codex immensum cresceret, stylus alienus à D.Thomæ compendiosa methodo. Nos verò tantillo fusius dicimus distinctionem Religionis ab illis, innotescere si attentè expẽdamus, quæ dicta sunt de Religionis obiecto, quod est cultus Deo exhibitus ob eius eximiam excellentiam supra omnem creaturam. *Insuper animaduertimus* actus virtutum Theologalium sępe materialiter coincidere cum actibus Religionis propter conuenientiam in habendo Deum pro obiecto. Ex primo colligitur. In Fide quicunque eius actus, etiam ille, qui pia affectio voluntatis ad Deum dicitur, non pertinet ad Religionem: quia non attendit honorem vel cultum Dei, sed veritatem de Deo infallibilem, quia Deus reuelauit. Idem dicito de Spei actibus, qui non attingunt Deum vt superiorem, & excellentem formaliter; sed vt bonum summum sperantis: quapropter cum per Spem confidimus in Deo, vel eum consequi speramus, non

1 (margin)

1. Ad Cor. 13.

non ob id facit, vt Deum colat, sed vt in illud tendat, tanquam in bonum consequendum. Similiter pronuntiãdum est de actibus Charitatis, quibus amamus Deũ, volendo illi omne intrinsecu bonum; quinimò si velimus illi honorem & cultum, hoc ad amicitiam, & charitatem pertinet, quæ non attendit rationẽ debiti honoris, sed bonum amici Dei, quem propter se diligit: at in hoc eodem actu materiali poterit reperiri ratio religiosi cultus, si velimus Deo cultum & honorem, vt illi debitum tanquam præcellenti supra omnẽ creaturam. Mitto modò, quòd virtutes istæ respiciunt Deum, vt obiectum quod, Religio non itẽ. De quo, & alijs differentijs inter hanc, & illas plenius disputatione sequenti.

DISPVTATIO VNICA.

Vtrum Religio virtus Theologica sit, & dici queat?

2 *August.* ET videtur vera pars affirmatiua. *Primò*, ex August. in Enchiridio *c.3. & 6. & lib.10. de Ciuitate cap. 9.* de dilectione loquens ait: *Hic est Dei cultus, hac vera Religio.* Et *lib.12. de Trinitate cap.14. vbi ait*; Christianam Religionem maximè colere Deum Spe, Fide, & Charitate, quæ sunt virtutes Theologicæ: sed in ratione cultus consistit actus Religionis, igitur virtus Theologica est, aut non distincta à virtutibus Theologicis.

Secundò, Religio habet Deum pro obiecto, ergo est virtus Theologica, quæ ob id tali nomine decoratur: Theologica enim diuinum sonat, & communiter dicitur Theologicarũ virtutum hoc esse proprium, vt habeãt Deum pro obiecto. *Probatur antecedens* multipliciter. *Primò* quia Religio ad Deum ordinat, vt dicitur *in 1. artic.* huius quæ- *Caiet.* stionis, & *in art.3.* vt ibi notat Caiet. *& in art.4.* dicit excellentiam diuinam supra omnia esse obiectum Religionis. *Secundò*, Id quod specificat aliquam virtutem, & distinguit à quacunque alia, est obiectum eius; vt patet in omni virtute & habitu; sed Deus in quantum est primum principium creationis, & gubernationis creaturarum dat vnitatem Religioni, & distinguit eam ab alijs: ergo Deus est eius obiectũ. *Minor patet ex dictis*, quia non alia ratione distinguitur Latria à Dulia, nisi quia Latria exhibet cultum Deo, vt est principium omnis creaturæ, Dulia verò quia exhibet cultum creaturæ sub alijs rationibus, secundum quas distinguuntur species Duliæ, puta pietas, obseruantia, & si quæ sunt aliæ. *Confirmatur*, In virtutibus, quæ in voluntate sunt, specificatio, & distinctio ex finibus sumitur, vt autor est D. *D. Thom.* Tho *1.2.q.54. art.2. ad 3.* sed finis Religionis est Deus, vt fatetur D. Tho. in hoc articulo: ergo essentiam habet virtutis Theologicæ. *Dices* Deum attingi à virtute Theologica vt obiectum *quod*, à Religione verò vt obiectum Cui.

5 *Contra hoc arguitur tertiò*. Deus attingitur à virtutibus Theologicis media aliqua actione intellectus, aut voluntatis, & ob id dicitur esse obiectũ quod non cui: sed idẽ reperitur in Religione; nam Deus media actione honoratur, media actione colitur: ergo est obiectum quod, sicut in virtutibus Theologicis. *Confirmatur*. Religio vnit nos immediatè Deo: ergo virtus Theologica est: id est diuina, quia nos vnit Deo. *Antecedens patet ex* argumento proximè facto. *Quartò*. Et si fides non attingeret suis actibus Deum vt quod, sed tantum vt cui creditur, esset virtus Theologica: sed Religio attingit suis actibus Deum, vt cui debetur cultus: ergo sat est hoc, vt sit virtus Theologica. *Confirmatur*. Qui adhibet fidem Deo dicenti Abraham fuisse, elicit actum spectantem ad virtutem Theologicam, in quo actu Abraham est id, quod creditur, Deus est cui creditur: ergo qui exhibet cultum Deo, elicit actum pertinentem ad virtutem Theologicam, vbi cultus est qui exhibetur, & Deus est cui exhibetur. *Confirmatur secundo*. Qui innixus diuino auxilio sperat à Deo gratiam, & gloriam, habet actum virtutis Theologalis, ad quem satis est Deum esse, cui homo innitatur per Spem: ergo qui exhibet cultum Deo vt excellenti omnes creaturas, facit actum virtutis Theologalis, ad quem satis est, quod Deus sit id, cui exhibetur cultus. *Quintò*. Oratio, contemplatio, & alia huiusmodi actus sunt Religionis, vt videbimus, & per istos attingitur Deus, vt obiectum quod: verbi gratia, quando orando petimus à Deo Deum ipsum, aut verò cõtemplamur eius diuinas perfectiones. Sic legitur de Doctore Angelico contemplante, & orante, interrogãti Christo Domino, quam mercedem pro tuis laboribus Thoma accipies, respondisse, non aliam præter te Domine: ergo Deus attingitur actibus Religionis. *Sextò*. Non potest esse superfluitas in colendo Deum: ergo virtus Theologica est Religio. *Consequentia patet*, quia proprium virtutis moralis est tenere medium inter superfluum, & diminutum, virtutis autem Theologicæ non est tenere tale medium; quia nunquam peccatur in eius actibus per excessum. *Antecedens patet Ecclesiastici 43. Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum potestis, maior est enim omni* *Eccl.43.* *laude.*

Pro explanatione huius dubij aliqua præmittenda sunt. *Primò* oportet in memoriam reuocare duplex illud obiectum repertum in Religione, *Quod* & *Cui*, de quo latè supra. *Secundò notanda* est doctrina D. Tho *in 4. distinct.14. quæst.1. quæstiuncula 4. ad 2.* videlicet, virtutes tripliciter posse habere habitudinem ad Deum: nam quædam sunt virtutes, quæ habent Deum pro obiecto: id est pro materia, circa quam versantur, & quam attingunt actibus suis internis, nam externis non potest attingi Deus, & habent etiam Deum pro fine proximo, in quem intrinsecè referunt suam materiam: huiusmodi sunt virtutes Theologales. Aliæ virtutes sunt in alio extremo, quæ neque habent Deum pro obiecto, neque pro fine proximo, & intrinseco: sicut temperãtia versatur circa passiones, sicut circa subiectum, & materiam, & quietem animi pro fine proximo, & intrinseco: verum est tamen quod istarum virtutum actus possunt referri in Deum per imperium Theologicarum, vt quando quis ieiunat propter Deum;

(Right-margin markers: 4 beside "Pro explanatione…"; *D. Thom.* beside "ne, Quod & Cui…")

Deum; sed iste finis non est proximus, aut intrinsecus ieiunio, sed ab extrinseco præstituitur illi à Charitate. Aliæ verò sunt virtutes mediæ, quæ non habent Deum pro obiecto, eo quod materia, circa quam versantur, quid creatum est; habēt tamen Deum pro fine intrinseco, & proximo; quia materia, quam attingunt, suapte natura in Deū refertur: huiusmodi est virtus pœnitétiæ & virtus Religionis, cuius materia cultus est: finis vero intrinsecus, & proximus est ipse Deus, cui exhibetur cultus. Istæ virtutes, quia valde propinquæ sunt virtutibus Theologicis, in aliquibus eis assimilantur: & notat Caiet. quod sicut ignis propter propinquitatem ad naturam cœlestem mouetur motu cœlesti, & Angelus propter maiorem propinquitatem ad Deum intelligit sine discursu: ita Religio, quæ est suprema virtutum moralium, & consequenter magis accedit ad Theologicas, aliquid participat ab illis; videlicet habere Deum pro fine proximo, & intrinseco; deficit tamen à virtute Theologica, quia non habet Deum, pro materia, circa quam versatur, vt in responsione ad argumenta manifestabitur.

5 His positis assertio nostra sit. *Religio non est virtus Theologica*. Ita D. Tho. in *hoc artic. & loco proximè citato, ex 4. sent. sequuntur ipsum eius discipuli*, & omnes Doctores Theologi communiter in 3. *distinctione* 19. & videtur assertionem haberi ex communi sensu Ecclesiæ dicentis esse tātùm tres Theologales virtutes, Fidem, Spem, Charitatem, enumeratas à D. Paulo, 1. *ad Corint*. 13. & ratio D. Tho. egregia est. Quare ad argumenta in oppositum respondere necesse est, ex quorum solutione perspicua fiet doctrina Doctoris Angelici.

Sententia autoris. D. Thom.

1. Cor. 13.

Primo argumento motus Gabriel *super Canonem, lectio. 49. & in 3. distinctio. 9.* in principio, existimat, Religionem non habere alios actus internos, præter actus Fidei, Spei, & Charitatis; & consequenter dicit Religionem esse virtutem Theologicam, vel non esse distinctam à Theologicis: quam sententiam esse falsam infra ostendemus, differentes de actibus interioribus Religionis. *Quare ad primum respondetur duplici solutione. Prima est* quod ex Fide, Spe, & Charitate mouetur homo ad colendum Deum vero Religionis cultu, hoc est dicere quod virtutes Theologales, quia superiores sunt, & valde affines Religioni per imperium mouent Religionem ad suos actus eliciendos. Hæc est solutio D. Tho. *hic ad* 1. & assignat rationem, quia hoc est proprium, & valdè conforme naturæ, & modo operandi studiose, vt virtus, quæ operatur circa finem, sicut circa propriū obiectum, moueat virtutes operantes circa media ad illum finē, atque adeò cum virtutes Theologicæ habeant Deum pro obiecto, & materia circa quam operantur, valde consonum est illis, vt suo imperio moueant Religionem, quæ versatur circa media quædam in ordine ad Deum. *Secunda solutio est*. Ideò dicitur Deus coli Fide, Spe, & Charitate; quia ipsa virtus Religionis ordinat, & refert actus illarum, vt per illas Deum colat. Solutio est D. Tho. *in 3. distinctio. 9. quæstio. 1. art. 1. quæstiunc. 4. ad 2. & 3.* & iuxta vtramque solutionem actus Fidei, Spei, & Charitatis non sunt actus eliciti à Religione, sed vel imperati, vel causantes actus Religionis: ex quo non infertur Religionem esse virtutem Theologicam.

Soluūtur argumēta in oppositum Gabriel.

D. Thom.

Ad secundum, quod ex multiplici probatione conflatur, *Respondetur*, D. Thomam in locis citatis sine dubio asseruisse Deum esse obiectū Religionis, & in hoc artic. videtur mordicus asserere, non esse obiectum eius, sed finem: & vtrumque verum est, sub diuersa tamen consideratione obiecti: Nā si sermo sit de obiecto, *quod* per Religionem attingitur, cultus Dei, & nō Deus est obiectum Religionis; & hoc necessarium esset, vt Religio virtus Theologica esset; at si sit sermo de obiecto Cui, citra dubium debet dici Deum esse obiectum Religionis; id est cui honor, & cultus per Religionem exhibetur, & sub ratione quadā formali, quæ Deus est; videlicet qua ratione est primum principium rerum, & excellit omnem creaturam, à qua excellentia sumit Religio suam rationem formalem, vt superius docuimus; sed hoc non sufficit vt virtus Theologica dicatur, sed vlterius necesse est, vt Deus in recto, vt dicitur, attingatur immediatè actibus Religionis, tanquam obiectum quod; neque hoc per Religionē fit, & ideò nō est virtus Theologica. *Itaque si cupis scire quod est obiectum integrum Religionis, est cultus D. i, vt excellit omnem creaturam*; & hoc obiectum quid creatum est, sed in obliquo quid increatum: à neutro seorsum sumitur ratio Religionis, sed ab vtroque ad modum explicatum. Hinc patet *ad secundum*, & omnes probationes ibi allatas; similiter & ad *confirmationem, respondetur*, ideò D. Tho. nolle asserere Deum esse obiectum, sed finem, quia Deus non est, qui attingitur actibus Religionis, sed cui exhibet cultū Religio; non verò negat pertinere ad rationem formalem obiecti Religionis in obliquo, non in recto. Illud verò, quod dicitur pertinere ad finem, etiam certum est, quia cultus, qui est materia circa quam, ordinatur intrinsecè ad Deum; secus in alijs virtutibus moralibus, vt in temperantia, & fortitudine, quarum actus extrinsecè ordinātur ad Deum per Charitatem, aut Religionem. De quo infra. 6

Pro solutione tertij oculis lynceis inspiciendum est, quomodo Deus attingatur à Religione, & quomodo à virtutibus Theologicis. Nam ab his attingitur immediate, mediante actu interno proximè à se elicito: à Religione vero non attingitur Deus immediatè per actum internū proximè à se elicitum; talis enim actus ad cultum, seu honorem Dei terminatur, qui non est Deus, sed quid creatum: secus in virtute Theologica, cuius proximus internus actus immediatè attingit Deum, & habet pro obiecto Deum. Ex quo patet, quomodo Deus sit obiectum quod, virtutū Theologicarum, & dumtaxat obiectum cui, Religionis. Itē apparet, quomodo Religio nos vniat Deo mediante actione, quæ habet aliud obiectum præter Deum, sed includens Deum in obliquo: virtutes verò Theologicæ nos vniunt Deo mediante actione, quæ attingit Deū vt obiectū quod: quapropter quando dicimus Déum colere, aut adora- 7

adorare, quamuis secundum grammaticalem loquendi modum actus videatur transire in Deum, sicut in obiectum quod, non tamen ita est in veritate, sed transit tanquam in finem intrinsecum, seu quod idem est, vt in obiectum cui. At in honorem & cultum, vt in obiectum quod, quia in omni Religionis actu Deo exhibemus aliquid creatum in protestationem diuinæ excellentiæ.

Sed adhuc contra hoc instatur. Nam Spes virtus Theologica est, & tamen per suum proximum actum non attingit immediatè Deum, sed mediantè beatitudine formali, per quam speramus ipsi vniri: & ita non vnit nos Deo ipsi per suum proximum actum, sed beatitudini, qua illi vnimur, quæ aliquid creatum est. *Item* Charitas non solum est virtus Theologica, quatenus amat Deũ in se, sed etiam quatenus amat Dei honorem, & cultum propter ipsum; quia per hoc amat Deum ipsum in se. *Ad has replicas respondetur*; Non ob id dici virtutes Theologicas attingere Deum immediatè tanquam obiectum quod, quia sine vlla media actione attingunt, & ei vniuntur: ista enim vnio cum hypostatica non sit, sed affectiua, medio aliquo affectu actuali debet fieri; sed ob id dicuntur immediatè Deum attingere vt obiectum quod, quia illa actio affectiua, & primariò habet pro obiecto quod, Deum ipsum, & nõ ponit in numero cum Deo: secus in Religione, cuius actus affectiuus, & primarius habet aliud obiectum immediatius, quàm Deum, putà cultum
8 Dei, vnde & mediatè dicitur eum attingere: & in speciali de Spe dico respicere Deum possidendum tanquam præmium nostrorum laborũ, & ille actus non terminatur neque mediatè, neque immediatè ad visionem Dei, sed ad Deum, vt in visione possidetur; sicut non spero vnionem caloris, vt calefiam, sed calorem vnitum: secus in Religione, vbi non Deus cultus desideratur, sed Dei cultus. Idem dico in Charitate, non amatur vnio, aut possessio Dei præcipuè, sed Deus ipse possidendus, sicut amatur pecunia possessa, aut calor vnitus; vbi non duo obiecta, sed vnum sũt, pecunia scilicet possessa & calor vnitus. Ad illud verò, quod de Charitate obiectum est, *respõdetur*. Si quis amet Dei honorem & gloriam, quia vult ei illud bonum, actus virtutis Theologicæ est; quia licet in illo actu immediatè non attingatur Deus, tamen virtutis Theologicæ ratio non expenditur ex actibus secundarijs, sed ex primarijs: nec est necesse Theologicam virtutem in omnibus actibus suis Deum immediatè attingere, vt patet in dilectione proximi, & Charitate. Ille autem actus, quo Deo volumus cultum, & honorem, non est primarius, sed secundarius: secus est in Religione, quæ neque in primarijs suis actibus attingit Deum vt obiectũ quod. *Sed quid, si* præscindatur perfectior modus attingendi Deũ, nõne ille actus virtutis Theologicæ erit? *Respond.* Si velimus Deo honorẽ, & cultum, vt quid ei debitum ad Religionem spectat; quia non vult ei illud bonum propter ipsum, id est amore amicitiæ, sed quia debiti sunt illi cultus, & honor ratione suæ excellentiæ: quod sine amicitia reperiri potest, vt patet in Rege, quem odio habeo, & honoro. At si volo illi cultum, & honorem amore amicitiæ: id est quia bonum eius est, vel existimatur esse, actus ille Charitatis est, & ad amorẽ personæ terminatur, ac demum actus virtutis Theologicæ est; quia ad personam, quam Charitas amat actibus suis primarijs propter se ipsum terminatur. Nec est possibile tamẽ fieri præcisionem, qualis in argumento fingitur; quia hoc ipso, quod amore amicitiæ amo Deo, suam gloriam, & honorem, amabilis est propter se ipsum; quod ad primariam rationem Charitatis pertinet, vnde ratio virtutis Theologicæ expenditur.

Quartum argumentum, & eius confirmationes ex 9
modò traditis etiam facilè dissoluuntur, sed quia specialiter argumentum procedit de fide, *respondetur*, nequaquam esse possibile, vt si credatur Deo dicenti, non attingatur Deus vt quod, vt expressè asserit D. Tho. in hoc articulo. *Et ratio est*, quia credere est alicui assentiri, & hoc nequit fieri, nisi intellectus attingat illud, cui assentitur, itaque intellectus per actum credendi attingit & obiectum quod, & obiectum cui, immediatè, id est sine media actione, quæ versetur circa creaturam: & idem habet fides, quæ est principium actus credendi, ac proinde virtus Theologica est: secus contingit in Religione, cuius actus siue primarij, siue secundarij nequaquam Deum attingunt immediatè vt obiectum quod, sed cultum & honorem Dei.

Ad quintum vt respondeatur duo prælibanda sunt. Primum, quæ sit materia circa quam versatur Religio. Et quidem in actibus exterioribus liquidò apparet esse res exteriores, putà res oblatas, vel quid simile; in actibus verò interioribus intellectus & voluntatis, Deo etiam reddimus cultum, dum ei subijcimur, offerendo intellectum, & voluntatem, ac omnes nostras vires, denique nos & omnia nostra: sicut enim cum procumbimus, aut genuflectimus, ipsorum membrorum exercitio membra nostra offerimus Deo: ita cum actibus intellectus, & voluntatis nos Deo subijcimus, earundem potentiarum officio eas offerimus Deo: itaque in actibus Religionis quibuscunque vel nos, vel nostra Deo offerimus. Secundum valdè notandum est, quod ad dignoscendum cuius virtutis sint aliqui actus laudabiles, oportet summopere aduertere, à qua virtute formaliter eliciãtur, non verò admixtionem seu imperium aliarum virtutum, quæ sæpè concurrunt ad vnum & eundem actum materialiter. *Esto exemplum* in actu reuerentiæ diuinæ, vt nomen præ se fert videtur ad Religionem pertinere; nàm cum timor quidam Dei sit, vel illum includat, dicente D. Thoma *in art. 2. huius quæstionis ad* 1. si ex eo nascatur voluntas colendi eum, seque ei submittendi per signa aliqua, ad Religionem spectat, & potest etiam esse actus Spei,
quatenus quis timet Deo carere; cum ad eandem 10
virtutem pertineat desiderare obtinere aliquid, & timere carentiam eius: potest etiam esse Charitatis actus, qua ratione timor filialis est: & quandoque hæc omnia in reuerentia, quæ ad Religionem spectat, concurrunt. *Aliud esto exemplum*, & cla-

& clarius in hac materia Religionis. Nam ad Religionis infusæ actum prærequiritur actus fidei, quæ ostendit Dei perfectiones vt dignas cultu; & interdum charitatis, qua afficiatur ad eum, cui cultus exhibendus est; ac denique timoris filialis, & his similia, quæ excitant nostram voluntatem ad cultum Deo exhibendum. Aliquando verò Religionis actus à virtutibus Theologicis imperantur, & ordinantur ad suos fines, sed ab his nõ sumitur species, aut natura virtutis, vt egregiè docuit D. Tho. in 4. *distinct.* 14. *quæst.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. Quare oportet actus ipsos considerare nudos ab aliarum virtutum extranearum concursu, vel imperio; id est vt solius Religionis formaliter sunt: quod si fecerimus, *non erit difficile ad argumentum respondere* dicentes, orationem, quæ petit Deum à Deo, & contemplationem, quæ versatur circa diuinas perfectiones, si considerẽtur vt solius Religionis sunt, materialiter & quasi accidentaliter respicere Deum, formaliter verò habere pro obiecto intrinseco, & adæquato cultum & honorẽ diuinum, qui exhibetur Deo, dum reuerenter ab eo aliquid petimus, siue res petita sit Deus, siue aliud: iuxta illud: *Inuoca me, & honorificabis me.* Et si vrgeas: nam sæpè petimus Deum à Deo propter ipsum Deum, id est quia bonus est, quia desideramus ipso frui, vel quid simile, non vt exhibeamus illi cultum: ergo aliqui actus Religionis reperiuntur, qui attingunt Deũ vt materiam, circa quam versatur Religio. *Respõdetur ex documento dato.* Iam non considerantur Religionis actus formaliter vt actus solius Religionis, sed vt admiscetur actus virtutis, quæ imperat Religionis actus ordinando ad suum finẽ. Quæ doctrina expresse habetur ex D. Tho. *infra q.* 83. *art.* 1. *ad* 2. *& Caietano ibidem.* Idem dico, si oratio petat à Deo ipsum Deum innixa diuino auxilio, ibi admiscetur imperium Spei: & sic de alijs similibus iudicandum est.

D. Thom.

D. Thom. Caiet.

Ad sextum Respond. ex D. Tho. *hic ad tertium*, superfluum in Religione non attendi secundum circunstantiam quanti, vt argumentum probat, sed secundùm alias, putà quia cultus diuinus exhibetur cui non debet exhiberi, vel quando non debet, vel secundùm alias circunstantias, prout non debet. De quo infra fusius dicendum est.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Religio sit præferenda alijs virtutibus moralibus?

Summa articuli.



ONCLVSIO *est affirmatiua. Ratio* D. Thomæ, nam Religio propinquius accedit ad Deum, quàm aliæ virtutes morales: ergo excellentior est illis. Sicut medium propinquius fini est excellentius, sic virtutes morales, quæ versantur circa media in ordine ad Deum vltimum finem, quantò propinquius accedunt ad Deum, tantò nobiliores sunt. *Antecedens* autem patet; quia Religio operatur ea, quæ directè, & immediatè ordinantur in honorem diuinum.

Doctor sanctus comparat nobilitatem virtutis Religionis cum perfectione, duntaxat aliarum moralium virtutum, non cum Fidei, Spei, aut Charitatis excellentia, quas esse præstantiores Religione certo certius est; non cum obediẽtia Dei, aut virtute pœnitentiæ, vel quia non distinguuntur à Religione, vel quia altioris ordinis sunt, aut verò, quia quando duo comparantur extrema, naturam vtriusque cognoscere necesse est, quidditatem autem, & propria obedientiæ, & pœnitentiæ nondum sanctus Thomas tradiderat; & nos eius vestigia sequentes solùm comparamus virtutibus moralibus, quæ circa hominum passiones, aut operationes sunt, & asseueramus Religionem esse præstantiorem illis, vt ratio D. Tho. demonstratiuè ostendit: & quãuis hoc certum sit, circa aliquas virtutes declaratione eget?

DISPVTATIO VNICA.

An conclusio articuli sit vera?

COntra conclusionem arguitur. Primò, ad probandum misericordiam præferẽdam esse Religioni, ex testimonio Oseæ 6. *Misericordiam volui, & non sacrificium*, id est potius quàm sacrificium, quem locum adducit Dominus, *Matth.* 9. *&* 12. contra Pharisæos, vt ostendat præstantiam operum misericordiæ super opera Religionis, & apertius *Matt.* 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentam, & anethum, & cyminum, quasi multum honorare, & colere Deum volentes, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Confirmatur ex* D. Thom. *sup. quæst.* 30. *art.* 4. vbi asseruit misericordiam esse maximam omnium virtutum, præter Charitatem. *Secundò arguitur* ad probandam maiorem perfectionem iustitiæ legalis, quàm Religionis: nam D. Tho. superius *quæst.* 58. *art. vlt.* asseruit, iustitiam legalem habere primatum supra omnes virtutes morales. *Tertiò idem probatur*, quia ad eam spectat, ad commune bonum non solùm aliarum virtutum opera ordinare; verum & Religionis; ad quæ legibus compelli debent aliquando ciues, quanto magis bonũ cõmune per cultum Dei promouetur, quã per cultum, & obsequia debita cõciuibus; ac tandem ex Dei & hominum obsequio debito coalescit, & perficitur: ergo iustitia legalis perfectior est Religione; quia virtus, quæ ordinat aliarum virtutum actus ad suum finem, præstantior est, vt patet in Theologicis virtutibus. *Confirmatur*, quia iustitia legalis comparatur ad Religionem, sicut totum ad partem, sed totum præstat parti vni: ergo & iustitia legalis Religioni.

1

Oseæ. 6.

Mat. 9. & 12. & 23.

D. Thom.

Religionem esse præstantiorem reliquis virtutibus, mora-

3 D.Thom. *moralibus ratio D.Tho. in art. ostendit, vt dixi demonstratiuè,* quæ amplius roboratur ex principio noto lumine naturæ, quod tradidit idem S.Doctor. 1.2.q.111.art.5. & quæst.112.art.4.2.2.quæst.17.art.6.& alibi sæpè; videlicet tantò virtus excellentior est, quantò ad altius bonum ordinatur; huiusmodi est virtus Religionis, quæ ad cultum, & honorem diuinum ordinatur: cæteræ verò morales virtutes ad bonum proprium operantis, vel alterius creaturæ: ergo Religio est præstantior; quod bene agnouerunt omnes Philosophi lumine naturæ ducti, qui Religionis munus cæteris anteferebant. Vide Plutarchum *lib. aduersus Colotem.* Et Lactantius *lib. 3. diu.instit. cap.30.* sic ait: *Omnis sapientia hominũ in hoc vno est, vt Deum cognoscat, & colat.* Hoc nostrum dogma habet Papinianus. l. & si quis. ff. de Religione inquiens, *Summa ratio est, quæ pro Religione facit.* Aristot. etiam videndus est *lib.7.Poli.ca.8.*

Plutarch. Lactant. Papinia. Aristot.

4 Solnuntur argumen. Superest ad argumenta respondere. Et circa *primum* non grauabor testimonium Osee citatum apud Matthæum explanare, tum quia hinc pendet argumenti solutio; tum quia decreui in gratiam legentium hæc mea commentaria, quoties occurrerit aliquis locus sacræ Scripturæ obscurus, personam scholiastis aut interpretis non recusare.

Prima ergo explicatio est, vt in præfato loco Osee non accipiatur misericordia pro beneficentia hominis erga hominem, sed Dei erga homines remittendo peccata: & tunc sensus est multo magis mihi placet homines ad pœnitentiam adducere, quàm sacrificia magna mihi offerri. Et quadrat hæc explicatio verbis Christi Domini citantis Prophetiam, *Matth. 9.* vbi cum Pharisæi obmurmurarent, dicentes: *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester?* Respondit Dominus, *Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus, euntes autem discite, quid est misericordiam volo, & non sacrificium.* Quasi diceret, prophetatum est Deum malle conuersionem peccatorum, quos conuerto conuersando cum illis, quàm si ei offerrentur magna, & preciosa sacrificia. Hæc explicatio est D. Hieronymi *super locum Osee,* à qua non discedere videntur Hylarius *canone 9. in Matthæum,* Chrysostomus *Homilia 31. in eundem, & ad populum Antiochenum Homilia 36.* Euthymius *in Matthæi.9.* & D.Anselmus *ibidem.*

Hierony. Hylarius. Chrysost. Euthym. Ansel.

5 D. August. Theophyl. Secunda interpretatio est Augustini. 10. *de Ciuitate Dei cap. 5. & lib. 20. contra Faustum. cap. 16.* Theophylacti *in Matthæi.9.* & communiter omnium, quòd ibi accipiatur misericordia pro beneficentia hominis erga hominem: & Chaldaica habet: *In his, qui exercent misericordiam, voluntas coram me est, magis quàm in sacrificio.* Et si benè perpendantur verba Christi Domini citantis hoc testimonium, & qua occasione bis momordit Pharisæos eius citatione, videbimus hanc esse germanam, & propriam interpretationem. Nam Matthæ. 9. Christus vt homo reprehendebatur, quia manducaret cum publicanis, & peccatoribus; conuersabatur autem cum illis misertus eorum, vnde sapienter respondet, magis Deum delectare homines erga homines esse misericordes, quam sacrificium offerre, *& in cap.12.* cum murmurassent Pharisæi, quia discipuli vellebant spicas die Sabbathi; dicit illis Iesus: *Si autem sciretis, quid est misericordiam volo, non sacrificium, nunquam condemnaretis innocentes:* Ac si diceret, vestra murmuratio nascitur, quia ignorat is gratius esse Deo subuenire proximis, quam offerre sacrificia: Nam si hæc sciretis, affectu misericordiæ erga discipulorum meorum egestatem moueremini, qui vt succurrant fami, euellunt spicas die Sabbathi, magis quàm zelo obseruationis Sabbathi. Hæc de expositione illius loci.

Et quidem si priorem sequamur, liquidò patet, non esse contra conclusionem Diui Thomæ locum istum: quia non fit in illo mentio de misericordia, quæ virtus moralis est, & versatur circa indigentias proximorum. Admissa verò secunda expositione, quæ communior est, & verior. *Resp. Primò* ex mente Abulensis. *capit.9.in Matthæum, quæst.60. & 61.* in hoc testimonio non fieri comparationem de præstantia maiori misericordiæ ad verum sacrificium, sed de misericordia ad sacrificium, fictum Pharisæorum, & quamplurimis malis circunstantijs vitiatum, nempe crudelitate etiam erga parentes, quibus grauiter indigentibus dicebant, si munus quodcunque est ex me, tibi proderit, &c. Hypochrisi etiam, quia tantum exterius sacrificium offerebant, immunditia mentis, iuxta illud Esaiæ: *Manus vestræ sanguine plenæ sunt:* vnde glossa. *Non reijcit Deus sacrificium, sed sacrificium sine misericordia.* Et tunc sensus est, misericordiam ego volo, & non sacrificium, quale vos offertis, quod mihi valde displicet. Hæc interpretatio maneat in sua probabilitate, mihi videtur non satis rem attingere, quia negare non possumus Deum, ac Christum Dominum in prædictis locis comparasse misericordiã sacrificio, & id postposuisse misericordiæ. *Quare secundo respondetur,* sacram Scripturam non loqui de misericordiæ operibus tantum, quatenus eliciuntur à misericordia virtute speciali, de qua agit D. Tho. *superius quæst. 30.* sed quatenus fiunt intuitu colendi Deum & promerendi de illo iuxta illud Matth.25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Et hac ratione sunt actus imperati à virtute Religionis: vnde prouenit appellari in sacra Scriptura sacrificia, *ad Hebræos 13. Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs* (nimirum quia à Religione imperantur) *promeretur Deus.* Et August.10. *de Ciuitate Dei, cap.5.* inquit. *In his verbis Osee, quibus anteponitur misericordia sacrificio, sacrificium sacrificio anteponitur.* Itaque si sit sermo de misericordia isto modo, habet perfectionem Religionis; quia ab ipsa imperatur, & excellit nudum actum ipsius; quia maiorem vtilitatem affert proximis; sed D. Tho. quando ait Religionem esse præstantiorem, loquitur de virtutibus, si earum actus nudè considerentur.

6 Abulen. Esaia. 7 Matth. 25. Hebr.13. D.August.

Secundò respondetur, in locis prædictis non fieri sermonem de misericordia præcisè, sed de misericordia pro beneficentia, quæ non solùm se extendit

tendit ad opera misericordiæ propriè dictæ, sed etiam ad opera Charitatis in proximos, quæ esse præstantiora actibus Religionis, cum ad Charitatem
Marc.12. pertineat, nulli dubium debet esse. *Marc.*12. quidam Scriba dixit: *Diligere proximum tanquam seipsum, maius est omnibus holocaustomatibus, & sacrificijs.* Quod dictum Christus Dominus approbauit: nam subiungitur: *Iesus autem videns quod sapienter respondisset,* &c. In idem reddit expositio quorundam, nomine sacrificij (quia opus externum est) intelligi omnem cultum externum, vt cæremonialia legis, quæ cum corporalia sint, per se non sunt grata Deo, nisi ratione bonæ voluntatis annexæ, & poterunt benè, & malè fieri: Nomine verò misericordiæ, omnia opera Charitatis, quæ per se sunt Deo grata: vnde non mirum, quod ea prætulerit Christus sacrificio.

8 *Tertio respondetur,* notando doctrinam D. Tho.
D.Thom. *in 4.dist.33.quæst.3.art.3.* vnam virtutem quantum ad actum posse dici prę̄stāntiorem dupliciter: *Vno modo* per se, & ex parte obiecti, *alio modo* per accidens, & ex parte subiecti ratione magis promptæ voluntatis, vel propter circunstantiam temporis, vel indigentiam subiecti, & alijs multis modis, qui non possunt sub certa regula comprehendi. Priori modo, Religio excellit misericordiam: quapropter si cætera sint paria, incumbendum est potius Religioni, quàm misericordiæ, vt si periclitaretur honos diuinus, & vita proximorum, potius negligenda esset vita proximorum quam diuinus cultus, & honor; & hinc est quod absolutè loquendo Religio principalior est. Cæterum propter assiduas, & passim occurrentes necessitates proximi, & propter nullam indigentiam Dei, iuxta illud: *Quoniam bonorū meorū non eges,* opera misericordiæ in indiuiduo, & ferè sēper gratiora sint Deo, & Deū magis delectēt, quā opera Religionis: & frequenter omittuntur opera Religionis, propter misericordiæ opera; vt nō audire Missā vt ægrotanti inseruias, & alia huiusmodi. In qua re, deuote lector, Dei erga nos amorem considera, qui ita nos diligit, vt opera cultus sui facile & patiatur & pcipiat aut omitti, aut interimi, vt nostris siue animæ, siue corporis cōmodis cōsulatur. Quod non sine
Matth.5. exaggeratione, dixit Christus, *Mat.5. Si offers munus tuū ad altare, & ibi recordatus fueris, q frater tuus habet aliquid aduersum te.* Non inquit, perfice oblationem tuam, & posteà reconciliaberis fratri tuo, sed, *Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Ecce quomodo Deus nos velit, vt suo cultu relicto cōmodis proximorum attēdamus. Sed proh, dolor: nos ingrati tanto amori, nec tantillum nostrarum voluptatum libenter relinquimus, vt diuino cultui feruenter insistamus. Hæc de testimonio *Oseæ & Matth.9. & 10.* & pariter de autoritate *Matth.23.* quæ simili modo declaranda est.

9 *Ad confirm.* non lubet extensius declarare, quo modo intelligatur D.Thom. quando ait, misericordiam esse maximam omnium virtutum; ne coaceruare extera huic materię videamur, remittentes lectorem ad quæstionem 30. citatam. Modò verò breuiter dicimus, D. Thomam se explicare, dum in fine illius *articuli* 4. cum limitatione pronuntiat misericordiam esse potissimam inter omnes virtutes, quæ ad proximum pertinent, non verò ait excedere illas, quæ coniungunt hominem Deo: etenim qui supra se aliquem habet, maius & melius est coniungi superiori, quam supplere defectum inferioris; & quamuis ibi D. Tho. solum ponat exemplum in Charitate, tamen idem est de Fide, & Spe, & etiam de Religione, quæ licèt non ita perfectè, sicut virtutes Theologicæ, tamen vnit nos Deo, cui exhibet cultum: *& in art. 2. huius quæst. ad primū,* ait misericordiā excedi à Religione, sicut medium à fine. Ex quo sumit D. Tho. *in hoc articulo* D.Thom.
præstantiam Religionis supra reliquas virtutes morales. Quo modo autem illas excedat misericordia, non est huius loci: videatur Caietanus *loco* Caiet.
proxime citato.

Propter secundum argumentum cum suis cōfirmationibus Dominus Caietanus, tàm in hoc articulo, quàm in vltimo huius quęstionis asseuerat iustitiam legalem esse præstantiorem Religione: & limitat conclusionem huius articuli de præstantia Religionis materi super omnes virtutes morales, quæ non se habent, vt totū quoddā, qualiter se habet iustitia legalis etiam in ordine ad Religionem, quam respicit vt partem sui. Mihi autem sine limitatione videtur, Religionem esse præstantiorem quacunque virtute purè morali, etiam ipsa iustitia legali. 10

Et vt argumenta Caietani dissoluam; *primum documentum sit,* quod probè admittit Caiet. Virtutis prę̄stantiam supra alias virtutes nō consistere in hoc, quod imperet earum actibus; nam vt articulo sequenti dicemus, contingit virtutem inferiorem imperare actum superioris virtutis, vt si quis voueat actum Fidei: actus ille Fidei imperatur à virtute Religionis: quam constat esse inferiorem Fide. *Secundum documentum ex* doctrina D. Thom. *in 4.dist.14. quæst.1.art.1. quæst.3. ad secundum:* Aliquando contingere virtutem specialem habere pro materia actus aliarum virtutum; quia tamen in eisdem actibus respicit aliquam specialem rationem obiecti studiosi, specialis virtus est distincta secundum essentiam à virtutibus, quarū actus habet pro materia. Verbi gratia: magnanimitas habet quodam modo pro obiecto, & materia actus omnium aliarum virtutum, sed in ratione magni, quia magnanimus operatur magna in omnibus virtutibus, vt *dicitur in 3.eth.* & ideò est specialis virtus. Similiter pœnitentia versatur circa actus omniū virtutum, quia detestatur peccatum temperantiæ, quod etiam detestatur temperantia, & peccatum infidelitatis, quod detestatur Fides: sed quia omnia ista detestatur sub speciali ratione, videlicet vt recompenset Deo pro iniuria illata, est specialis virtus.

Ita dicendum est de iustitia legali, quæ quidem versatur, & habet quodam modo pro materia, & obiecto actus omnium virtutum; sed quia in ipsis respicit bonum commune, ideò est virtus distin-

distincta in ordine ad particulares virtutes; & actus cuiusuis specialis virtutis in ordine ad singulas virtutes formaliter distinguuntur, sicut earum obiecta: alij verò in ordine ad iustitiã legalem materialiter tantùm; quia omnes illos actus respicit in ordine ad bonum commune hominum, quod est obiectum formale iustitiæ legalis.

11 *Tertium documẽtum est*, iustitiam legalem dupliciter posse respicere actus aliarũ virtutum: Vno modo per imperium, & extrinsecam relationem, referendo eos in bonum commune, vt quando quis operatur temperatè, & refert opus temperatum ad bonum commune: alio modo elicitiuè, vt quãdo Princeps indicit ieiunium propter commune aliquod bonum: sicut legitur de Principe Niniuitarum, in quo actu immediatè & intrinsecè respicitur bonum commune in ieiunij obseruatione; aut si iubeat fieri sacrificia, quia decet statum Reipublicæ diligentiam adhibere circa sacra.

Ad argumenta Caietani his suppositis Resp. Ad secundum ex testimonio D.Thom. quod ibi loquitur de virtutibus moralibus, quæ circa bonum humanum versantur, non de Religione, quæ circa bonum diuinum. *Ad tertium*, quod si actus Religionis ordinetur à iustitia legali ad bonum commune imperatiuè, inde non colligitur Religionem esse inferiorem iustitia legali, vt patet ex primo documento; quin imò nec si elicitiuè sit à iustitia legali, vt patet ex tertio documento, & secundo, quia in ipsomet actu Religionis, & eius perfectione consideratur bonum commune humanum, quę est ratio specialis obiecti iustitię legalis: quod bonũ cõmune humanum est inferius dignitate ad bonum diuinum, quod respicit Religio.

12 *Vrget Caietanus*. Hoc bonum commune humanum includit etiam diuinum, siquidem bonum cõmmune humanũm cõsistit etiam in hoc, quod Deo exhibeatur cultus diuinus. *Respõdetur*. Includit sicut quid materiale, fateor, vt formale nego: sicut explicui in secundo documento: formale autem Religionis expenditur penes hoc, quod Religio habet pro fine Deum, iustitia legalis nõ itidem, sed Reipublicæ bonum statum, licet etiam in Dei bono cultu consistat ille bonus status: & si argumentum Caietani efficaciter procederet, etiam probaret iustitiam legalem esse præstantiorem virtutibus Theologicis: Nam sicut boni ciuis est religiose operari; ita & fidem, quam profitetur, exterius confiteri: & sicut iustitia legalis versatur circa actus Religionis, potest etiam versari circa actus Theologicarum virtutum, ordinando eos in bonum commune: ergò nobilitas virtutum ex obiectis formalibus expẽdẽda est; & ideò Religio præstat omnibus moralibus, quia habet diuinum bonum pro obiecto, cæteræ verò humanum, vt explicatum est.

In confirmatione tertij tangitur quædam grauis difficultas, *vtrum iustitia legalis sit virtus distincta à reliquis? an vero sit eadem cum omnibus?* Secundã partem asseuerat Buridanus 5. *eth. quæst.* 4. & alij: imo D.Tho. *in* 3. *dist.* 9. *art.* 1. *quæst.* 1. *quæst.* 1. Primã vero vt certiorem admittunt omnes Thomistæ cũ *D. Tho. superius qu.* 58. *art.* 6. & iuxta vtramque sententiam *respondetur ad confirmationem:* Nam si teneas secundam, nullum est argumentum, quia certum est præstantiores esse omnes virtutes simul, quàm Religio sola. Si teneas primam, non se habet Religio, & iustitia legalis propriè, vt totum & pars, sed quadam tenus ratione, eo quòd iustitia legalis habet pro materia, obiectum Religionis, sicut aliarum virtutum, & sicut pœnitentia, & magnanimitas. Ex quo non infertur propriè Religionem includi in iustitia legali, nec esse partem respectu illius.

Burid.
D.Thom.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Religio habeat aliquem exteriorem actum?

Summa Articuli.



RIMA conclusio. Deo reuerentiam & honorem exhibemus non propter se ipsum, sed propter nos. *Prima pars probatur:* quia in se ipso est gloriã plenus, cui nihil à creatura adijci potest. *Secunda pars:* quia nostra perfectio consistit in eo, quod mens nostra Deo subijciatur, sed per hoc quod Deum reueremur, & honoramus, mẽs nostra ei subijcitur: ergo Deo reuerentiam exhibemus propter nostram perfectionem. *Consequentia, & minor* patent ex præcedentibus articulis: *Maior autem probatur;* quia quælibet res perficitur per hoc, quod subditur suo superiori, sicut corpus per hoc quod viuificatur ab anima; & aer per hoc, quod illuminatur à Sole. Et quia aliquis poterat dicere, hanc perfectionem assequi possumus reuerẽtiam Deo exhibendo per actus interiores Religionis, subiungit D.Tho. secundam cõclusionem respõsiuam ad quæstionem. Religio habet interiores actus, quasi principales, & per se ad Religionem pertinentes; exteriores verò actus quasi secundarios, & ad interiores ordinatos. Prior pars patet ex prima conclusione, & eius probatione. *Secunda probatur:* quia in diuino cultu necesse est aliquibus corporalibus vti, vt eis quasi signis quibusdã mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo coniungitur: ergo Religio non solum habet actus interiores, verum etiam exteriores ad interiores ordinatos. *Probatur antecedens, & cõsequentia simul:* quia mens hominis ad hoc, quod coniungatur Deo, & ei subijciatur sensibilium manuductione eget. Iuxta illud Apostoli ad Romanos 1. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Roman. 1.

1

2 Prima D. Thomæ conclusio non solum hic, verum & in *quæst.* 30. *artic.* 4. *ad primum*, posita est, quę primã facie non apparet vera. *Primò.* In omni opere bono Deus est vltimus finis, maximè in operibus Religionis, quæ diximus habere Deum pro fine intrinseco: ergo falsum est dicere, quod Deus non colitur propter se ipsum. *Et confir-*

matur: quia aliàs esset peruersus ordo, dũ nos essemus finis cultus, & Deus ipse medium. *Respondet* Dominus Caietanus. Hæc vox (*propter*) in conclusione non denotat causam finalem, sed terminum vtilitatis: & sensus est, Deum colimus non propterea quod illi ex nostro cultu aliquid vtilitatis accrescat, vel gloriæ, aut perfectionis, nobis verò multa bona: & vt dicitur in articulo, in hoc nostra perfectio sita est, quod ei subijciamur per cultum. Iuxta illud. *Seruire Deo regnare est.* Et conclusio in hoc sensu explicata habetur in multis locis sacræ Scripturæ. *Psal. 15.* *Psalmo decimo quinto: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges:* idest sacrificiorum, rerum, munerum, operum, meritorum, & studiosarum actionun. non eges: cui consonat illud Iob. 35. *Si iustè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* *Psal. 49.* Et Psalmo 49. stylo Poetico in persona Dei: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos: quoniam meæ sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus, & boues; cognoui omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum est. Si esuriero non dicam tibi, meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius.* Et Lucretius etsi Epicureus *lib.* 1. loquens de Dei naturâ ait. *Ipsa suis pollens opibus nihil indiga nostri.* Et vnum Dei nomen Hebraicum, *Saddai*, id est seipso contentus interpretatur, eo quod non indiget aliquo pacto sua creatura: vt colligere licet ex *Hieron.* Hieronymo in epistola ad Marcellam, cuius initium est: *Nonagesimum Psalmum.* Et idem insinuat *Ioel. 1.* *Ioel.* 1. circa illa verba. *Quasi à potente veniet.* Et sicut quæcunque perfectio creaturæ addita Deo non facit perfectiorem, sic neque gloria, aut honor illi exhibitus à creatura sua facit illum gloriosiorem, aut honoratiorem.

3 Sed adhuc animus non quiescit in hac expositione: Nam etsi Deo ex nostro cultu nihil accrescat opum, aut perfectionis intrinsecæ, tamen accrescit illi multum honoris, quod magnum bonum reputatur. Nec propter huiusmodi augmentum Deus in se mutatur, cum ex honore neque homines intrinsecè mutentur, cum in honorante sit, in honorato verò est denominatio extrinseca. *Et confir.* quia huiusmodi cultus, & veneratio Deum valdè delectat, vt patet: *Psalm. 49.* *Exaltabitur nomen meum in die illa.* & Psalmo 49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* & alibi sæpè: ergo Deo reuerentiam exhibemus propter ipsius honorem, quia Deum valde delectat. *Isai. 42.* Vnde & ipse ait, *Esaiæ 42. Gloriam meam alteri non dabo*: nimirum quæ illi exhibetur in cultu Religionis: ergo falsum est dicere, quod nõ colimus Deũ propter ipsũ, sed ꝓpter nos. *Et Confir. secũdò*, quia sãcti viri hoc desiderio flagrant, vt honor diuinus cultu diuino propagetur, & diffundatur: ergo multum honoris Deo accrescit ex nostro cultu, eo modo quo honor, & laus propagari, & dilatari solent.

Resp. Ex cultu nostro, & honore Deo exhibito Deus in se ipso nihil prorsus habet, nisi denominationem quandam extrinsecam apud creaturas suas: erga quas aliquando ex cultu nostro augetur in eorum cognitione, non verò in seipso; qui nec gloriosior est, nec honoratior in se, ex eo quòd honoretur à nobis. Nos verò ex cultu Dei multa bona reportamus in nobis ipsis: Deo coniungi, in quo nostra perfectio consistit, vt in articulo dicitur; promptitudinem, & vires ad benè operandum; gratiam, merita, & his similia. Et hinc patet ad argumenta cum suis confirmationibus.

Vera igitur est conclusio D. Tho. quod Deo reuerentiam exhibemus, non propter ipsum, & propter eius vtilitatem, quasi aliquid illi accrescat in se ipso: Nihilominus propter ipsum tanquam propter finem vltimum illũ colimus; quia hoc ipsum, quod est ipsum honorare, & nos commoda reportare ex honoratione ad ipsum, ordinamus vt in finem, propter quem omnia opera nostra debent fieri, quia Deus noster est.

In secunda conclusione responsiua ad quæstionem ponit D. Thom. diuisionem actuum Religionis in actus *internos, & externos*: Nos verò cõsultò omittentes multa, quæ de actibus humanis dicuntur, prima secundæ, & poterant actibus Religionis applicari, tangemus vel summis labijs (vt dicitur) alias actuum Religionis diuisiones, quæ sparsim in hac quæstione ab Angelico Doctore, vel dicuntur expresse, vel insinuantur. 4

Prima diuisio est. Actus Religionis quidam sunt *imperati* à Religione; quidam verò *eliciti*. Hæc diuisio habetur expressa à D. Thoma *in artic. 1. huius quæsti. ad primum, & artic. 4. ad primum, & secundum, & artic. vlt ad primum & secundum.* Igitur actus imperati à Religione dicuntur actus omnium aliarum virtutum ordinati ad Religionis finem, & obiectum: verbi gratia; cùm quis actus misericordiæ, aut temperantiæ ad Dei honorem, & cultum dirigit. Sic intelliguntur multa loca sacræ Scripturæ, quãdo Religioni adscribunt aliarum virtutum opera, intelligenda sunt imperatiuè, non elicitiuè, Iacobi. 1. *Religio munda, & immaculata visitare pupillos, &c.* & 1. ad Corinth. 10. *Omnia in gloriam Dei facite.* Actus *eliciti* à Religione sunt illi, qui totam suam intrinsecam bonitatem à fine, & obiecto Religionis accipiunt: euiusmodi est sacrificare, dona Deo offerre, quos esse elicitos à Religione agnoscemus, ex regula D. Thom. *in 3. dist. 9. art. 1. quæst. prima.* Quando videlicèt Religio illis actibus vtitur, qui non sunt ab alia virtute eliciente, sed tota eorum perfectio à Religione desumitur. Videndus etiã est *in quarto, dist. 15. art. 1. quæst. 3. quæstiũcula 2.* *D. Thom.* *Iacobi. 1.* *1. ad Cor. 10.* *D. Thom.*

Secunda diuisio est. Actus eliciti à Religione quidam *generales* sunt, *siue adæquati ipsi virtuti; quidam particulares, siue inadæquati.* Hæc diuisio notatur à Caietano *in 2. articulo*, & habetur à D. Tho. in tota hac materia Religionis. *Adæquatus* actus est, qui adæquat totam rationem formalem obiecti. Huiusmodi in Religione est iste actus, volo Deo reddere debitum cultum, volo protestari eius seruitutẽ, dominiũ recognoscere, & similes. *Particularis* actus Religionis est, qui exhibet Deo cultũ in determinata materiâ, puta in oblationibus, in sacrificijs; qui dicũtur offerre, sacrificare, &c. 5 *Caiet.*

Tertia diuisio, de qua in hoc articulo. Actus eliciti à Religione, quidã interni sunt; & quidẽ *externi*. Sed hæc diuisio dupliciter intelligi potest. *Primo modo,*

modo, vt per actú internum Religionis intelligamus actum voluntatis eligentis cultum: per externum verò actum quemcunque, in quo tanquã in materia exercetur cultus, siue sit actio omnino exterior, obiecta sensibus, vt in adoratione, quæ fit per genuflexionem, aut apertionem capitis; siue sit actus voluntatis, & intellectus vt in deuotione, & oratione: qui dicuntur externi nõ simpliciter, sed comparatiue ad actum illum priorem, à quo extranei sunt, & ab ipso nascuntur: sed diuisio hæc non sic intelligitur à D. Tho. vt patebit attentè legenti articuli literam.

6 Hæc eadẽ diuisio aliter intelligi potest, & magis ad rem, & D. Thomæ mentem: vt actus interni Religionis illi dicantur, per quos Deo offertur cultus, offerendo ei nostræ mentis internas vires; sicut fit per deuotionis, & orationis actum. Actus verò externi dicantur illi, per quos Deo exhibetur cultus, offerendo ei in exercitio aliquid exterius vt in genuflexione membra nostra eorum vsu, in sacrificio res nostras earum mactatione, &c.

Sed dubitabit quispiam, qui istorum actuum sint præstantiores? interni, an externi? Resp. Si comparemus membra diuisionis priori modo intellecta, nulli dubium debet esse, quin radix & fons omnium actuum externorum sit illa voluntas colendi Deum, vel expressa, vel virtualiter imbibita in omni actu Religionis: & hac ratione actus interni præstant externis, quos iuxta priorem sensum vocamus externos. Quia verò isti, sic vocati externi, imbibunt illam volitionem generalem, & quia actus humani sunt, includunt præterea voluntatem exhibendi Deo honorem in tali materia, præstantiores sunt: & præterea quia per istos attingitur in exercitio obiectum Religionis, per illos generales nequaquam, vt dicebam paulò ante. At verò si comparemus actus internos, & externos in postero sensu diuisionis, præstantiores sunt interni: tum quia exhibent cultum in re præstantiori: tum quia primò, & per se ad Religionem pertinent, externi secundario: tum tertio, quia externi ad internos ordinantur; exercentur enim tanquam signa interiorum, & spiritualiũ operum, quæ Deus per se acceptat: iuxta illud: *Præbe mihi cor tuum fili mi.* Et præterea illis excitatur mens hominis ad spirituales actus Religionis, quibus Deo coniungitur, vt D. Tho. explicat in corpore articuli, *& ad.* 2.

7 *Quarta diuisio*, & ea amplior in diuersos Religionis actus, quam secutus est D. Tho. in tractatu integro huius materiæ, sic à nobis deducitur, supposito fundamento D. Tho. superius *artic.* 3. *ad secundum*, Religionis munus cõsistere in hoc, quod homo protestatur diuinam excellentiam per subiectionem hominis ad Deum: iuxta diuersitatem eorum, quæ Deo per Religionem ab homine subduntur, diuersi sunt actus Religionis.

Triplex autem est hominis bonum, quod Deo subijcit, vt Deum colat. *Primum est bonum mentis, internum*, & spirituale: cuiusmodi sunt intellectus, & voluntas, & eorũ operæ: & hæc subijcit homo Deo per deuotionẽ & orationem, qui sunt actus potissimi Religionis: & ad istos reducuntur alij actus Religionis interni, quamuis non perfectè participent rationem deuotionis, aut orationis: huc etiam pertinet actus vouendi, & iurãdi, quatenus per priorẽ homo protestatur se velle Deo seruire firmiter, tanquam seruum & inferiorẽ suo domino: per posteriorẽ, quatenus homo per Deũ iurat, tãquã per maiorem sui, vt dicitur ad *Hebr.* 6. *Hebr.* 6.

Ad hoc caput etiam reducitur sacramẽtorũ vsus, quo nobilissimè protestamur Deum esse gratiæ autorem, quæ mentes nostras afficit, vt eas sibi modo quodam diuino, & supernaturali subijciat. *Secundum bonum est bonum externum corporis nostri* illi inhærens. quod subijcimus Deo per exteriorem adorationem, putà genuflexionem, prostrationem &c. quæ actus Religionis sunt. *Tertium* est quodcunque bonum externum, quod in dominio hominis est, vt sunt bona fortunæ, quæ subijcimus Deo dupliciter. *Primò*, offerendo illa immediatè ipsi Deo, & soli Deo, ita vt non cedant vllo pacto in hominum vsum, sed omninò Deo consecrentur, faciendo aliquid circa illa in Dei honorem, & recognitionem vniuersalis dominij, & potestatis: & sic offerimus Deo bona externa per sacrificia, quæ etiam sunt actus Religionis. *Secundò*, offerendo ista Deo mediatè, dando illa Dei ministris, vt ministri sunt eius, in quorum vsus cedant: & sic offeruntur Deo bona externa per oblationes, & primitias; eoque pacto etiam offerimus Deo decimas, vt ex eis alantur ministri. Quæ omnia ad Religionem pertinent, de quibus sigillatim suis locis; modo sat fuerit, hæc in generali dixisse.

Circa primam diuisionem adnotare libet, nõ omnem actum humanum posse imperari, aut elici à Religione, sed illum duntaxat, qui habet proportionem, vt ratio cultus, & significatio diuini honoris in eo fundetur: quod non habent actus; verbi gratia, mali, aut indifferentes; sicut scalpere barbã, currere & huiusmodi. Duobus autem modis potest aliquis actus esse proportionatus ad officium Religionis, vt colligitur ex D. Thom. *artic.* 1. *ad primum. Vnus est*, si talis actus habeat ex se aliquam bonitatem in alio virtutis genere, ratione cuius ordinabilis sit ad religiosum cultum: & hoc modo ait D. Tho. esse posse materiam Religionis, quatenus per illam potest honorari Deus. Ecce imperium Religionis circa aliarum virtutum actus. *Secundus modus*, licèt ex se non habeat peculiarem honestatem, sed indifferens sit, habet nihilominus proportionem ad dictum cultum, & honorem exhibendum. En actus elicitos à Religione. 8 *D. Thom.*

Sed dubitabis. Vtrum quilibet actus honestus possit imperari à virtute Religionis; multi enim videntur ad cultum Dei nullam habere proportionem: vt studere, temperatè comedere, debitum ex iustitia soluere, & similia. *Respondetur*, omnem posse in finem Religionis ordinari, ac imperari; iuxta illud Pauli 1. ad Corinthios 10. *Omnia in gloriam Dei facite.* Verum est tamen inter actus aliàs honestos ad diuinum cultum referibiles per Religionis imperium esse maiorem, aut minorem aptitudinem, vt in Dei honorem & cultũ referãtur. Nam multi illorum præter generalem ratio-

rationem honestatis, aut præcepti nil habent speciale in ordine ad Deum, vt studere, temperatè comedere, & similia. Alij verò sunt actus honesti, qui non solum ex ea ratione communi, verum ex proprijs habent maiorem proportionem ad cultum & honorem Dei. Vt actus virtutum Theologicarum, actus martyrij & misericordiæ. Circa aliud membrum diuisionis, id est circa actus elicitos, modo nil dico, quia in sequentibus multa dicenda sunt. Sed circa dicta offert se disputatio non contemnenda.

I. DISPVTATIO.

An Religio poßit imperare actus virtutum Theologicarum, Fidei, Spei, & Charitatis?

1 Disputatio scitu digna. *Et pro parte negatiua arguitur. Primò* quia Religio est in voluntate, eoque virtus moralis est, imperare verò est opus rationis practicæ, vt dicitur 1.2.*qu.*18.*&* 2.2.*qu.* 47. *de prudentia*: ergo Religio nullius virtutis actus imperare potest. *Secundò*, imperare ad superiorem spectat, sed Religio inferior est omnibus virtutibus Theologicis: ergo nullius earum actus poterit imperare. *Tertiò*, non potest fieri sine ordinis peruersitate id quod est finis, ordinari in id, quod est medium, cùm suapte natura media in finem ordinētur: ergo nequit fieri sine ordinis peruersione, vt actus virtutum Theologicarum ordinentur ad actus Religionis: quod est Religionem imperare virtutibus Theologicis. *Probatur consequentia*: quia actus imperati habent se vt media, actus verò imperantis vt finis.

Hæc quæstio non solùm habet locum in actibus à Religione imperatis, verùm etiam à quacunque virtute, de qua potest esse dubium: an actus elicitus à virtute superiori, possit imperari à virtute inferiori? de qua re sunt variæ sententiæ. *Prima* est affirmatiua multorum Thomistarum. *Secunda* est negatiua Magistri Bannes 2.2. *qu.* 33. *art.*1.*ad* 2. qui mouetur argumentis factis: & insuper addit, quòd quando quis ordinat actum virtutis superioris ad actum virtutis inferioris; verbi gratia: si quis exerceat opera fortitudinis propter castitatem seruandam, huiusmodi imperiū non pertinet ad castitatem, sed ad prudentiam, cui connectuntur omnes virtutes, & cuius officium est ordinare, & præcipere media conuenientia ad finem cuiusque virtutis: & quando per prudentiam iudicatur conueniens exercere actum virtutis superioris ad habendam virtutem inferiorem, tunc imperat superiori, vt suos eliciat actus. Quare imperium illud potius pertinet ad prudentiam, quàm ad virtutem inferiorem. *Tertia sententia* est media Domini Caietani 2.2.*quæst.* 33. *art.* 1. *ad* 2. asserentis, virtutem inferiorem posse actum virtutis superioris imperare materialiter, non formaliter. In

Bannes 2.2.

Variæ sententiæ.

Caiet.

quo tamen consistat ista materialitas, aut formalitas, non explicat, nec eius sequaces: habet tamen fundamentum in D.Tho. *in* 3.*dist.* 9.*quæst.* 1.*ar.*1.*quæstiunc.* 4.*&* 5. vbi expressè asserit virtutum Theologicarum actus imperari posse materialiter à Religione.

D. Thom.

Pro decisione *Notandum* est ex doctrina D. Tho. *in* 3.*dist.* 9.*quæst.* 1.*art.* 1.*quæstiunc.* 1.*&* *in* 4.*dist.* 15.*quæst.*3.*art.*1.*quæst.* 2. quòd multipliciter potest actus aliquis procedere ab aliqua virtute. 3
Primo modo, tanquam ab eliciente; & hic est proprius, & potissimus virtutis actus, à quo non minus quam ab obiecto desumit speciem, dicente Aristotele: *Habitus specificantur per actus, & actus per obiecta.* Ille autem actus dicitur ab aliquâ virtute elicitus, qui habet rationem laudabilis à ratione formali obiecti illius virtutis. Itaque actus, & habitus in eadem ratione formali obiecti conueniunt; si verò procedat sub alia ratione, non erit ab ea virtute elicitus. *Secundo modo* aliquis actus procedere potest ab aliqua virtute, sicut à dirigente illum: & hoc modo omnes virtutum actus à prudentia pendent, cuius munus est præbere virtutum moralium actibus rectitudinem electionis, vt debitè secundùm omnes circunstantias fiant. Quapropter non immeritò prudentia dicitur tutor, & auriga omnium moralium virtutum; & ideò omnium earum actus aliquid participant de motu eius, qui immiscetur ipsarum actibus. Vnde inferuntur multa, & quod sine illa nulla propriè virtus est, & quod est veluti causa dans esse virtutibus moralibus; & alia huiusmodi, quæ latè prosequi non est præsentis instituti. *Tertio.* Aliquis actus potest procedere ab aliqua virtute; tanquam ab adiuuante, & concurrente ad illum actum. Isto modo Pœnitentia à Fide, Spe, & Charitate procedit, & Religio infusa à Fide ab humilitate, & interdum à Charitate, & timore. *Quarto modo.* Actus virtutis potest à virtute procedere, tanquam ab imperante; quod contingit quando vna virtus ordinat actum alterius ad suum finem: id est mouet potentiam, & habitum, vt eliciat actum sibi proportionatum, ordinatum tamen ad finem virtutis imperantis. Et isto quarto modo loquimur in præsenti Controuersia, quando dubitamus, *an virtus, vna inferior (puta Religio) possit imperare actus aliarum virtutum superiorum: verbi gratia, Charitatis, aut Fidei?*

Aristot.

Prima conclusio. Regulariter, & per se loquēdo, ad virtutē superiorē spectat imperare actibus virtutū inferiorū. Hæc conclusio de se patet, & probatur argumētis factis in principio cōtrouersiæ. 4

Sententia Autoris.

Secunda conclusio. Speciale est, & natiuū virtutibus Theologicis omnium aliarum virtutum actus imperare; & præ cæteris hoc priuilegio gaudet Charitas, eo quod peculiari ratione est forma virtutum, vt dicitur supra *quæstio.* 23.*art.vlt.* Probatur ratione D.Thomæ superius *art.*5.*ad primum*, quæ latius extēditur, 1.2.*q.*9.*ar.*1. *Ratio* habet in hunc modū. Potentia vel virtus, quæ operatur circa finem, per imperiū habet mouere potentiam, vel virtutem operantem ea, quæ ordinantur ad illum finem: sed virtutes Theologicæ habent

D. Thom.

actum circa Deum, sicut circa proprium obiectũ & finem: ergo suo imperio causare possunt actũ cuiuscunque virtutis inferioris, etiã Religionis, eo quod cæterarum virtutum obiecta ad Deum comparantur, sicut medium ad finem. *Maior de se* patet in omnibus imperantibus, & imperatis: Nam dux exercitus, qui præest bono communi procurando, imperat tribuno, qui præest aciei tantum, & gubernatoria ars fabrili, &c. Denique hæc conclusio est communis omnibus Philosophis moralibus, quam passim inuenies in Doctoris Angelici doctrina.

5 Tertia conclusio. Aliquando actus virtutum Theologicarum imperãtur à virtute Religionis: Ex quo sequitur corolarium, actum virtutis moralis superioris posse imperari à virtute inferiori. Conclusio hæc est expressa sententia D. Thomæ in summa Theologiæ: est tamen satis insinuata superius *quæst.33.art.1.ad secundum*, quidquid dicat Magister Dominicus Bannes, & expresse asseritur ab eodem sancto Doctore in 3.*dist.9.quæstiuncula.3.ad primum, & Caie.* in commentarijs super quæst.32.*citatam, & infra quæstion.* 124. *art.3.dub.1.* circa finem. Conclusio insinuatur à D. Paulo.1. *ad Corinth.*10. cum iubet omnia in gloriam Dei fieri: & cum iste finis ad Religionem pertineat, videtur Apostolus innuere, omnes virtutes imperari à Religione. *Et probatur potissimè ab experimento*: Nam si quis voueat actum fidei, aut amoris Dei, ille actus eliciriuè ad fidem pertinet, imperatiuè verò ad Religionem, quod notauit Caietanus, *in hac quæst. art. vltimo.* Et benè potest quispiam profiteri fidem, vt colat Deum, quod sæpe fit, dum Symbolum Ecclesia canit in choro, & amare Deum, vt colat illum. Iuxta illud quod dixit August. *Deus colitur Fide, Spe, & Charitate.*

D. Thom. Caiet. 1. Ad Cor. 10. August.

Eodem experimento probatur corolarium: Nam sæpe Sancti ordinabãt Dei amorem ad suæ castitatis custodiam, & ob eãdem fortiter oppetebant mortem; vbi satis liquet nullum esse incõueniens actum virtutis superioris: népè dilectionis Dei, aut fortitudinis, imperari à castitate, quæ inferior est. Dicit Magister Bannes, in præfatis exemplis, & similibus, imperiũ pertinere ad prudentiam, cui connectuntur illæ virtutes, & ad cuius munus spectat ordinare, & præcipere media conuenientia ad finem cuiusquè virtutis, & ideò quia per prudentiam interdum iudicatur esse medium necessarium ad conseruationem, vel augmentum boni pertinentis ad virtutem inferiorem, quod superior producat suum actum, hinc fit, vt duæ vel plures virtutes annectantur exercendo sua munera.

6 Ex quo tamen non infertur, quod actus virtutis superioris possit imperari, & ordinari, sicut mediũ ad finẽ alterius, sed potius sicut causa subordinatur ad effectum. Certè (ni fallor) ista positio de imperio prudentię non euacuat difficultatem: quia licèt prudentia in omnibus virtutibus moralibus & in Theologicis quantum ad exercitium ponat modum, & iudicet de cõueniẽtia, aut disconuenientia ordinationis vnius actus ad alterum: cæterum hoc facit tantum ostensiuè, & directiuè. Cæteræ vero virtutes, quæ sunt in voluntate, per modum exequentis & inclinantis. Et non sat est prudentiam iudicare de conueniẽtia mortem oppetendi pro conseruatione castitatis, sed necesse est, vt voluntas castitate affecta inclinet, & moueat eandem voluntatem, vt illud medium exequatur per virtutem fortitudinis. Doctrina est expressa D. Thom. *in 3. dist.23.quæst. 1.articul.4.quæstiuncula 1.ad quartum.* Item sequeretur ex præfata sententia nunquam superiorem virtutem Theologicam, aut moralem imperare actum inferioris virtutis, & ordinare illum ad suum finem. Consequens est falsum, & contra omnes Theologos, maximè contra D. Thom. in locis suæ doctrinæ quam plurimis. *Probatur sequela*, quia ad talem ordinationem sufficit prudentia, quæ habet pro munere præcipere, & ordinare media conuenientia ad finem cuiusque virtutis. Fortasse aliquis concedet cõclusionem nostram, sed dicens cum Caietano, inferiorem virtutem imperare superioris actum materialiter, non formaliter.

D. Thom.

Ego certè non intelligo (vt dixi) in quo consistat ista formalitas aut materialitas: tum etiam, quia actus imperatur cum tota sua perfectione, & bonitate: ergo formaliter. Quare idem Caietanus *infra quæst.124.art.3.* sine limitatione concedit nostram conclusionem. Et fortasse ipse, & D. Thom. tantum intendunt actus illos virtutum superiorum esse materiam, circa quam versatur imperium inferiorum, non verò rationes formales proprias, quas sibi vendicat, erga propria, & formalia obiecta, non erga actus imperatos.

Caiet.

Hæc doctrina tradita mihi certa est; sed in dissoluendis argumentis est non modica difficultas. 7
Quidam dicunt in pręfatis exemplis & similibus virtutem inferiorem non imperare virtuti superiori, sed potius implorare eius auxilium, vt tollat aliqua impedimenta, quæ obstãt finis virtutis inferioris consecutionis; neque actus virtutis superioris ordinatur ad finem inferioris consequendum, nisi tantum grammaticaliter; quare vox illa, Propter in similibus non dicit causam finalem, sed potius ordinem affectus ad causam. Nã hoc reperitur discrimen inter virtutem superiorem, & inferiorem: quòd quando virtus superior imperat inferiori, ordinat actum inferioris ad suum finem, tãquam effectum in suam causam: at quãdo inferior imperat superiori, ordinat actum superioris virtutis in suum finem, tanquam causam in suum effectũ, implorãdo eius auxilium; in quo non reperitur aliqua ordinationis peruersitas. Proprium enim est superiorum auxiliari suis inferioribus Sed adhuc non quiescit animus, quia siquis amet Deum, aut fidem protestetur, vt colat illum; motiuum actus superioris virtutis est finis inferioris: ergo etiam est finis illius actus superioris virtutis. *Probatur consequentia*, quia motiuum in moralibus, & finis idem sunt. *Item* finis est, cuius gratia aliquid fit, vt habetur *ex Arist.* Sed propter cultum promouendũ, conseruandũ, aut tuendũ, potest quis amare Deum, & eius fidẽ protestari: ergo finis actus superioris virtutis, potest esse finis inferioris virtutis. Tũc sic: peruersitas ordinis

Soluũtur argumẽta. Arist.

est ordinare id, quod de se finis est ad id, quod de se medium est: Imò peruersitas ordinis est magis nobile ad minus nobile ordinare; quæ peruersio non euaditur, quidquid comminiscantur de ordinatione causæ ad affectum, implorando auxilium.

8 Doctrina verò data palàm fiet, si aduertamus imperium hoc vnius virtutis supra alterius actum non esse, sicut imperium vnius hominis circa alterum: quod implicat esse, nisi superioris ad inferiorem. Quocirca loquendo rigorosè, & strictè de imperio, vna inferior virtus non potest imperare neque virtuti superiori, neque eius actui. Quapropter controuersia est, quo modo habeat verum vnius virtutis superioris actum ordinari in finem inferioris virtutis: quod experimento didicimus fieri.

Pro quo secundo notandum est dupliciter hoc posse intelligi. Vno modo, ita quod finis virtutis inferioris sit finis virtutis superioris; & hoc reputo impossibile, quando virtus superior Theologica est, cuius finis Deus est, cui repugnat ad aliud ordinari. *Secundo modo*, ita quod bonitas, & perfectio actus pertinentis ad virtutem superiorem, ordinetur ad finem virtutis inferioris, & non reputo hoc tam impossibile, etiam in Theologicis virtutibus, quia eorundem actuum bonitas non est Deus, neque vltimus finis, sed aliquid creatum. *Dices*. Ita est, sed altioris rationis, quàm sit finis virtutis inferioris, atque ex consequenti non ordinabile in finem inferiorem. Fateor; in hoc est sita difficultas. *Vnde aduerto tertiò*, finem virtutis superioris, & eius actus, quendam esse proximum, primarium & principalem; & est ille, qui conuenit virtuti, & eius actui ex propria ratione suæ speciei: alterum esse remotum secundarium, & minus principalem, & est ille, nimirum mediante bonitate actus tutari, promouere, augere, aut quoquo modo adiuuare finem virtutis inferioris. *Sit exemplum*. Aliquis amat Deum propter castitatem seruandam; finis primarius & principalis dilectionis illius est Deus: finis secundarius est conseruatio castitatis: sicut enim finis proximus Principis est imperare, secundarius opem ferre subditis; sic in virtute principante, & eius actu licet considerare duos prædictos fines. Et sicut non est inconueniens subditos excitare, & mouere Principem, vt sibi auxilietur: sic non est inconueniens virtutem inferiorem mouere, & ordinare virtutem superiorem in suum finem; quia iste finis est secundarius, & remotus, in qua ordinatione nulla peruersitas ordinis reperitur. Esset quidem magna, si actus, considerato fine principali, ordinetur in finem inferioris virtutis, non verò si hoc fiat, considerato fine secundario, & minus principali. Ex his benè consideratis dissoluentur omnia argumenta in principio quæstionis posita.

9 *Soluuntur argumenta.* *Ad primum Resp.* imperium magis propriè pertinere ad rationem practicam, quo non obstante non impropriè pertinet ad voluntatem; vt patet ex multis locis apud D. Thom. & tunc imperare nil aliud est, quàm mouere aliud. Et in hoc sensu disputamus in præsenti: an Religio possit imperare aliarum virtutum actus? id est mouere tā virtutem, quàm potentiam, in qua residet, vt actus sibi proportionatos eliciant.

Ad secundum Resp. Absque dubio si in rigore & propriè loquamur de imperio, siue sit actus voluntatis, siue intellectus, ad superiorem spectat. Vnde consequenter fatendum est, virtutem inferiorem non posse imperare actum virtutis superioris. Cæterum si imperare sumatur pro quomodocumque mouere, nimirum ordinando actum vnius virtutis ad finem alterius, regulariter, & vt in plurimum virtutes superiores ordinant actus virtutum inferiorum in suos fines: Nihilominus quandoque benè potest virtus inferior imperare actum virtutis superioris; quod imperium licet sit vera efficientia, & motio inferioris virtutis ad superiorem, maiori cum proprietate dicetur imploratio auxilij superioris virtutis, vt declaratum est.

Ad tertium Resp. Primò. Id quod est vltimus finis, non potest aliquo modo assumi vt medium, propter repugnantiam imbibitam in ipso: at verò cætera in voluntarijs ordinationibus nil vetat ita assumi, & id quod est nobilius assumi vt medium ad ignobilius. Cuius rei est celebre exemplum. Nam incarnatio Christi, præstat multis, & miris modis redemptioni humani generis, & tamen ordinata fuit à Deo sine vlla ordinis peruersione ad eandem redemptionem, clamante Ecclesia; *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem incarnatus est.* Et ne reijciatur exemplum propter varios modos interpretandi, de quibus in materia de incarnatione: sit secundum exemplum ad probandum id in omni opinione. Mors Christi propter summam excellentiam vitæ eius maioris valoris fuit, quàm redemptio humani generis; & tamen ordinata est in redemptionem generis humani tanquam in finem. *Secundò Resp.* distinctione illa data de fine primario & secundario: Non est enim illa peruersitas ordinis, quod suapte natura medium sit finis secundarius eius, quod est potior finis: in actu autem virtutis Theologicæ imperato à Religione, seu ordinato à Religione ad suum finem, finis primarius est Deus, secundarius cultus diuinus: & ratione huius secundarij potest Religio mouere virtutem Theologicam in suum finem, sicut subditus Regem in sui adiutorium: quia hoc potius est implorare auxilium superioris, quàm imperare: & idem dico de cuiusuis virtutis actu imperato, seu ordinato à virtute inferiori in suum finem. 10

Hic non incommodè poterat disputari, *an ex isto imperio Religionis erga aliarum virtutum actus resultet in ipsis, aut aliorum virtutum actibus aliquid reale intrinsecum?* Sed quia de Charitatis imperio solet disputari consimilis quæstio, ab hac supersedeo, remittens Lectorem ad materiam de Charitate. Videndus est etiam Magister Franciscus Zumel, *in commentarijs ad quæst.* 114. 1. 2. *art.* 4. *in dubitatione, vltima appendice.* **Zumel.**

Circa secundam diuisionem est:

DISPV-

DISPVTATIO II.

An illa diuisio sit benè assignata?

ET *videtur quod non.* Nam illi actus in ea appellati adæquati, non sunt actus Religionis: ergo nullus est actus, qui vere adæquatus sit, & adscribatur Religioni. *Probatur antecedens*, quia velle Deo cultum exhibere, potius est propositum colendi Deum, quàm colere; at Religionis actus est colere Deum, illique exhibere honorem: ergo præfati actus non sunt eliciti à Religione.

1 *Pro decisione aduerto*, actus Religionis multipliciter posse tendere in diuinum cultum. Primò modo per amorem eius, desiderium, aut dilectionem, putà habendo amorem simplicis cōplacentiæ in diuino cultu. Item per propositum colendi Deum in omnibus, & ad hunc finem eligendi media. Præterea per volitionem, qua per modum quasi imperij, & vsus actiui applicentur corporis membra, aut potentiæ, siue aliæ res ad exercendum ipsum cultum Dei.

Hoc supposito, *dico primò.* Omnes isti actus, & similes ad Religionem pertinent elicitiuè. *Probatur* quia cū sint in se honesti, & laudabiles, & ad cultum Dei relati: non apparet ad quam aliam virtutem pertineant, nisi ad Religionē. Et idem dicendum est de actibus, quibus voluntas vult vitare malum oppositū immediatè honestati diuini cultus, seu quibus fugit carentiā illius boni.

Dico secundo. Illi actus pertinentes ad priorem & secundum ordinem, relatum in notabili nuper præmisso, sunt quidem fons, & origo vnde actus omnes pertinentes ad Religionem oriuntur; non vero sunt actus formales, & perfecti, à quibus sumitur Religionis specificatio. Prior asserti pars clara est: tum quia in electione consistunt præcipuè, electio autem origo est omnium actuum, quæ aliqua virtutis honestate pollent: tum quia sicut voluntas reddēdo vnicuique quod suum est, fons est, & origo omnium actuum ad iustitiam spectantium, sic voluntas colendi Deum origo est omnium actuum, per quos Deo redditur cultus. *Secunda pars asserti probatur* argumento facto in principio, & ex dicendis amplius patebit.

2 *Tertio dico.* Actus relati in tertia coordinatione prænotata sunt actus perfecti, & formales eliciti à Religione, à quibus Religio specificatur. *Probatur*, quia obiectum Religionis est diuinus cultus: ergo actus voluntatis, per quem homo se, & omnia sua refert in diuinum cultum, actus est formalis, perfectus, & adæquatus, à quo diuinus cultus specificatur. Cæteri vero, qui hunc cultum in determinata materia exercent, actus inæquati sunt. Pro quo notanda est doctrina aurea D.Thom. in 3. dist. 9. artic. 1. ad secundum, quod quamuis virtus (maximè quæ est ad alterum,) habet esse virtutem ex actu interiori, id est ex electione: tamen quod sit virtus determinate completa, atq; perfecta habet ex actu exteriori, id est ex actu, in quo exercetur talis electio, qui in præsenti vocatur exterior, vt dicitur *in 3. diuisione* actuum Religionis iam relata, quæ insinuata est à Sancto Doctore in verbis his. Et subdit D. Th. Secundùm naturalem actum exteriorem attingit virtus proprium obiectum, vel materiam, ex qua specificatur actus vel habitus: ideò virtutes quædam habent actus exteriores. En quo modo specificatio Religionis non sumitur vltimatè, & complete ex electione, seu proposito colendi Deum, quia per illam non attingitur eius obiectum, nempè exhibitio cultus, sed ex voluntate in materia aliqua, quia per eam voluntatem attingitur Religionis obiectum, & per eandem exhibetur cultus.

D.Thom.

Hinc Resp. ad argumentum in initio positū, eum actūm esse quidem à Religione, non tamen esse formale & perfectum, penes quem specificatur Religio; quia dumtaxat est propositum colendi Deum, non redditio cultus, quæ est obiectum, & materia circa quam Religio versatur. An verò per reflexionem possit ille actus esse obiectum, & materia cultus; vt si quis velit habere voluntatem volēdi Deum colere, vel habere voluntatem volendi sacrificare, non puto repugnare: Nam voluntas reflexiua est in vnum actum proprium per alium, sicut quando vult se velle amare. 3

Circa tertiam diuisionem actuum Religionis in actus internos, & externos in eo sensu, quo à D.Thoma adducitur in articulo, se se nobis offert.

DISPVTATIO III.

An actus externi, id est illi, qui sunt alterius potentiæ à voluntate, sint eliciti à Religione? an vero tantùm imperati?

ET videtur vera pars negatiua, id est nō esse actus elicitos à Religione. *Argumentum* commune est, sed difficile, habens in hunc modum. Actus elicitus ab habitu debet etiam esse elicitus à potentia, in qua residet habitus; sed cultus externus non elicitur à voluntate, in qua est Religio, ergo neque ab ipsa Religione elicitur. *Minor* aperta est ex titulo disputationis: & quia omnes actus corporales Religionis, vt genuflexio, & similes per potentias corporeas immediate exercentur: voluntas autem per se, & immediatè non efficit corporis motus, sed solùm applicat potentias exequentes ad mouendum: ergo non elicit talem cultum; nam elicere est propriè, & per se efficere. *Quod si dicas.* Per hanc applicationem dicitur voluntas efficere; sequitur pari ratione posse dici, voluntatem elicere assensum fidei, vel opinionis, & actum visionis corporalis, quia applicat potentias ad eos actus producendos. *Maior probatur*, quia habitus non est principiū per se efficiens, sed solū coadiuuans

uans potentiam, & ideo eatenus habitus operatur, quatenus potentia, cui adhæret, vtitur illo: & propterea dicitur, habitibus vtimur, cum volumus: ergo non poteſt habitus elicere actum, niſi cum ſua potentia: ergo neceſſe eſt, vt potentia eundem eliciat, & quod ad illum eliciendum applicet habitum, ſeu illo vtatur. *Confirmatur*, quia elicere actum, idem eſt quod immediatè ac

D. Thom. per ſe efficere actũ, vt docet D. Tho. *in* 3. *diſt.* 27. *quæſt.* 2. *artic.* 4. *quæſtiuncula* 3. at verò habitus non efficit actus, niſi ſuæ potentiæ ſint: ergo.

2 In oppoſitum eſt D. Thom. *ſupra articul.* 1. *ad primum, & artic.* 4. *ad ſecundum*, vbi videtur expreſſe dicere actus aliquos externos diuini cultus eſſe elicitos à virtute Religionis; & quia hanc elicientiam non habent omnes, inſinuat hanc diſtinctionem, videlicet, cum colimus Deum, per actus aliarum virtutum, vt fidei, miſericordiæ, &c. tunc cultus ille non eſt elicitus à Religione, ſed tantùm imperatus: quando verò actus, quibus Deum colimus, non habent per ſe honeſtatẽ alterius virtutis, vt ſacrificium, adoratio, tunc actus illi ſunt eliciti à virtute Religionis. Idem dicit expreſſius *in* 3. *diſt.* 9. *artic.* 1. *quæſtiuncula* 1.

Caiet. Hanc dubitationem mouit dominus Caietanus, in commentarijs *articuli quarti huius quæſtionis, circa ſolutionem ad primum*, & ait non eſſe de ratione actus eliciti ab aliqua virtute, quod eliciatur ab eadem potentia, in qua eſt virtus, ſed ſolùm quod non eliciatur ab alia virtute, & quod ſit à voluntate mouente aliam potentiam ad talem actum ex immediata inclinatione talis virtutis. Etenim vt actus ſit elicitus à virtute, non eſt neceſſarium, quod ſit ab illa quoad ſubſtantiam ſuam, ſed ſatis eſt, quod ab illa habeat modum, & qualitatem. Quis autem ſit iſte modus, & qualitas, non dicit Caietanus. Aliqui per qualitatem hanc, facilitatem, & promptitudinem imperandi intelligunt: iſtum autem modum ſeu qualitatem poteſt habere actus à virtute reſidente in potentia ſuperiori, etſi ab illa potentia non eliciatur. At verò quando fit immediatè ex propenſione Religionis, non interueniente aliqua alia virtute morali, tunc licèt nõ ſit actus voluntatis, ſed intellectus, aut alterius potentiæ, à ſola Religione habet, quòd facile, & prompte fiat: ergo eſt elicitus ab illa. Quæ ratio ceſſat quando actus habet honeſtatem alterius virtutis: Nã tunc ab illa habet immediatè promptitudinem, & facilitatem, vt eleemoſyna à miſericordia; & ideò talis actus non eſt elicitus à Religione, ſed imperatus.

3 Sed cõtra Caietanũ, imò & cõtra D. Thomã *arguitur*. Religio nõ habet efficiẽtiam aliquã ſiue phyſicã, ſiue moralẽ, niſi in vi volũtatis, & medio actu elicito ab ipſa volũtate ſimul cũ virtute Religionis, ſed voluntas mediò actu à ſe elicito non poteſt dare illũ modũ, ſeu qualitatẽ operãdi, putà promptè & faciliter potẽtijs exequentibus actus externos, niſi applicãdo eas ad operãdũ, quæ applicatio eſt moralis influxus, nõ impreſſio alicuius qualitatis: ergo actus illi tãtũ ſũt imperati à Religione, non eliciti: ſicut quando imperat actibus virtutum pertinentium ad alias potẽtias differẽtes à voluntate. *Probatur conſequentia*; quia in vtriuſque actibus tantum reperitur imperiũ Religionis medio actu voluntatis, quod verò fiat medijs alijs virtutibus, vel non, nequaquã vllã ponit qualitatẽ in actibus externis, ſed denominationẽ extrinſecã: atque adeò neque dicetur Religio illos elicere actus, ſed tantũ imperare, quãdoque mediante alia virtute, quandoq; ſolo mediante actu volũtatis pertinente tamẽ ad Religionẽ. *Probatur maior* argumenti de phyſica efficiẽtia, quia habitus nõ operatur per ſe ſolus, niſi quatenus illo vtitur potẽtia: ergo nihil poteſt immediatè ac per ſe efficere phyſicè, niſi propriũ actũ talis potẽtiæ. Item, quia habitus nihil per ſe efficere poteſt niſi in ordine ad obiectũ ſuũ, in ſuo autẽ obiecto ſeruat proportionẽ cũ potentia, & ideo non poteſt immediatè operari, niſi circa obiectum ſuæ potentiæ, & ſub particulari aliqua ratione illius, atque ita immediatè nihil per ſe efficit, niſi cooperando ipſi potentiæ. De morali autem efficientia patet, quia Religio non eſt cauſa moralis per ſe actus interioris, niſi quatenus moraliter applicat potentiam exquentem ad operandum, ſed non applicat illam, niſi mediante actu elicito à voluntate, id eſt media voluntate ſacrificandi, vel flectendi genua, vel quid ſimile: ergo. *Minor argumenti* principalis probatur: quia voluntas non efficit aliquid in potentijs inferioribus, niſi moueret eas per applicationem ad operandum.

Dicet fortaſſè quiſpiam voluntatem ſolam nil poſſe in potentias exequentes, niſi per imperium, & applicationem earum ad operandum; at voluntas habitu, verbi gratia, Religionis ornata poteſt illum modum promptè & faciliter operandi dare. 4

Contrà arguitur ſecundo. In tantum virtus ſuperioris potentiæ, verbi gratia, Religio, dat facilitatem in actum inferioris potentiæ, in quantum voluntati dat facilitatem in efficiendo illuminet actum, quo mouet inferiorem potentiam: alio enim modo per ſe facilitatem dare non poteſt; vnde ſi potentia exequens in ſe habet aliam difficultatem, vel defectum virtutis, non ſufficit virtus ſuperioris potentiæ ad dandam facilitatem intrinſecam, ſed per proprias diſpoſitiones, & habitus danda eſt, vt colligitur ex D. Thom. D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 56. *articul.* 4. & 2. 2. *quæſt.* 4. *artic.* 2. ergo facilitas in actu potentiæ exequentis ſolum poteſt eſſe per denominationem extrinſecam ab actu voluntatis, quatenus ille facilius fit ex habitu; ac proinde propter illam ſolam rationem actus illi Religionis externi non poterunt dici eliciti à Religionis habitu; quia etiã actus imperati participant hãc denominationem ab actu imperante, eò enim faciles ſunt tales actus, quò voluntas maiorem habet facilitatem in imperando: ergo participant vt actus imperati, non vt eliciti.

Tertio ſequitur ex Caietani doctrina, actum virtutis exiſtentis in voluntate, & ab illa ſola per ſe productum quoad ſuam entitatem & ſubſtantiam poſſe etiam eſſe per ſe elicitum à virtute exiſtẽte in appetitu ſenſitiuo, quia mediãte moderatione paſſionis alicuius ab illa habet immediate facili-

facilitatem, & modum virtutis, vt actus temperantiæ, qui est in voluntate, elicitur à virtute temperantiæ, quæ est in appetitu sensitiuo.

5 Propter hæc, & similia argumenta quidam moderni non agnoscunt vllam elicientiam Religionis circa actus externos, id est alterius potentiæ à voluntate, sed tantum imperium mediatum aut immediatum. Mediatum quidem, quando Religio imperat actus aliarum virtutum, quæ nō sunt in voluntate: immediatum vero circa actus, qui imperantur à Religione nullo alio medio habitu: addunt tamen loquendum esse vt plures, & priores vocandos esse imperatos, posteriores elicitos: sed in veritatis rigore vtrosque vocandos fore imperatos, non elicitos. Et ad D. Thomam, quando ait, actus externos aliquando esse elicitos virtute Religionis, respondent esse intelligendum de actibus externis, vt coniunctis actibus internis: verbi gratia, volo sacrificare, volo genuflectere, quia sic ex interno actu, & externo componitur vnus moraliter, & eliciēdo internum trahit ad se immediatè externum, & illum proximè informat. Sed certè hæc explicatio non est ad mentem D. Thom. qui loquitur de actibus externis, vt condistinguūtur ab internis, non vt componūt vnum cum internis. Tum quia volo sacrificare, volo genuflectere actus internus est, non externus: & de externis ait D. Thom. quandoque elici à virtute Religionis, quandoque tantum imperari.

Sentent. 1.

6 Pro defensione Doctoris Angelici & veritatis aliquot prælibare opus erit ex his, quæ ab eiusdem Doctoris sancti Discipulis. 1. 2. dicuntur, dum agunt de voluntatis imperio circa alias potentias sibi inferiores. *Primò supponendum*, tam voluntatem, quàm habitus in eadem existentes imperare potētijs alijs inferioribus. Istud autē imperium ex omnium Philosophorum consensu consistit in quadam motione actiua voluntatis, seu habitus; quam explicare, & discriminare inter imperium voluntatis, & habitus non est facile; conabimur autem probabiliora pronuntiare accersita ex 1. 2. *maximè ex quæst.* 17.

Secundò aduerto voluntatem solam nudè, id est sine vllo habitu consideratam imperare alijs potentijs per applicationem earum ad suos actus eliciendos: quæ applicatio neque per accidens se habet ad eas operationes, sicut qui applicat ignē ad comburendum; neque aliquid imprimit realiter physicum, aut morale in potentijs exequentibus, sicut ille qui mouet sagittam imprimit illi impetum, vt moueatur: sed dumtaxat mouere dicitur, quia imperat applicando eas ad actus suos, ferè ad eum modum, quo herus imperat seruo suo applicando ad opus, sine positione alicuius intrinseci in seruo ipso. Neque ob id negandū est, eas potentias à voluntate moueri realiter. sicut paries realiter dicitur visus, non per aliquid reale, quod ponat visio in ipso, sed ab actiua oculorum visione; & seruus à hero suo imperatus realiter ab imperio actiuo sui heri: ita potentiæ exequentes actus suos ex voluntatis imperio dicuntur motæ realiter, non aliqua entitate in ipsis causata, sed denominatione quadā extrinseca ab actu voluntatis imperantis; quod imperiū realiter quidam influxus moralis est. Hoc documētū elegi, vt probabilius, ex innumeris dicēdi modis, qui de hac extāt, quos euoluere nō est huius loci.

Tertiò notandus est modus, quem habent habitus voluntatis in imperando actus aliarum potentiarum; nam eas mouent, & applicant, vt facilius, & promptius operentur suas proprias operationes; etenim voluntas nuda, id est sine habitu, habet mouere potentias inferiores ad hoc, vt operentur substantiam actuum suorum, sed non valet præstare facilitatem, & promptitudinem operandi; hoc enim ad habitus pertinet. Et è contra; habitus voluntatis non valent operari actus aliarum potentiarum quo ad substantiam, quia illæ potentiæ, cum sint proximum principium, & perfectum in suo genere, sine habitu valent suos proprios elicere quantum ad actus substantiam, secus quoad modum, id est facilitatem, ac promptitudinem. 7

Ex his infert Caiet. & benè, voluntatem non posse elicere actus alterius potentiæ, habitum verò id efficere nil vetat: etenim cum potentia sit principium actus quoad substantiam, & eam substantiam actus efficiant reliquæ potentiæ per se solæ sine vlla elicientia voluntatis, sed per solam applicationem ad operandum, vt explicui in secundo notabili, benè colligitur voluntatem non posse elicere actus aliarum potentiarum quoad substantiam, neque quoad modum; quia hoc postremum ad habitum spectat: at aliter dicendum est de habitu voluntatis, quia cùm habitus sit principium actus quoad modum, & qualitatem, quæ accidunt substantiæ actus, accidentia ab extraneo principio proximè aduenire possunt tanquam ab elicienti: verbi gratia, Religio existens in voluntate potest esse principiū efficiens immediatum, & proximum dans potentiæ loco motiuæ modum, & qualitatem, id est facilitatem, & promptitudinem, vt genuflectat in ordine ad Dei cultum: & linguę vt laudet Deum, & similia: & talis genuflexio, seu laudatio sunt quoad substantiam à solis potentijs exequentibus, tamen quoad qualitatem in esse virtutis Religionis, & quoad modum faciliter operandi in materia Religionis fiunt elicitiuè vt à principio proximo à Religione, quæ est principium immediatè eliciens talem qualitatem, & modum.

Hinc respondet Caietanus, ad argumentum in principio positum negādo maiorem. Ad probationem, admisso antecedenti, & prima cōsequētia in bono sensu, statim à nobis explicando, negatur vltima consequentia. *Ad confir.* similiter ex dictis *resp.* negando Minorem. Sed pro his melius intelligendis, & dissoluendis alijs argumentis, quæ contra D. Thom. sententiam fiunt. 8

Vltimò notandum est, quòd sicut voluntas nudè considerata non valet elicere actum Religionis quantum ad modum religiosum, videlicèt faciliter in materia Religionis, sed ad hoc indiget habitu, qui det eam facilitatem potentiæ, & simul cum illa efficiatur vnum principium integrum, à quo eliciantur actus Religionis, qui sunt in voluntate: Ita potentiæ exequentes nō valēt efficere suos

ſuos actus quoad modum virtuoſum,& facilem, niſi mediante habitu in ipſis exiſtente, aut verò mediante aliquo influxu in ipſis recepto, per quem conſtituantur in actu primo ad eos actus faciliter,& ſtudioſè eliciendos. Et iſtum influxum præſtat virtus Religionis potentijs illis exequentibus, ſi aliàs per alium habitum non præueniatur, atque adeò dicentur actus illi eliciti à virtute Religionis,quia ab ea acceperunt potentiæ exequentes quendam realem influxum, per quem conſtituuntur,vt ſufficientia principia elicitiua illorum actuum, vt ad virtutem Religionis ſpectant.

9 *Soluũtur argumẽta* Supereſt reſpondere ad argumenta modernorum impugnantium ſententiam D. Thom. & Caietani interpretationem. *Ad primum* conceſſa maiori diſtinguitur minor : Nam ſi ſit ſenſus, quod voluntas ſe ſola,& mediante actu producto ab ea ſola non poteſt dare modum, & qualitatem operandi potentijs exequentibus,vera eſt: At verò ſi ſit ſermo de voluntate ornata habitu, falſa eſt.Hoc enim differt inter voluntatem nudam applicantem potentias exequentes ad operandum,& inter eandem comitatam habitu: nã priori modo potentiæ exequentes tantum dicũtur applicatæ imperatiuè, & per denominationẽ extrinſecam à voluntate applicante;eo quod voluntas nuda habitu non poteſt applicare potentias exequentes,niſi ad ſubſtantiam actus,ad quã ipſæ potentiæ exequentes ſufficientia principia proxima ſunt; neque vllo ſuperaddito indigent. Poſteriori modo dicuntur, & ſunt applicatæ per hoc,quod voluntas in vi habitus, qui illi ineſt, influit etiam phyſicè aliquid, per quod ſicut ipſa eſt facilitata, ſic & potentiæ exequentes ad producendos ſuos actus ſecundum modum, quem habitus expoſcit,& non tantum imperatiuè, & extrinſecè. Et ratio huius eſt, quia illi actus potentiarum exequentium non ſolùm ſecundùm ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum modum debens eſſe à principio efficienti proximo, & intrinſeco; at niſi ponamus aliquid intrinſecum influere habitum,verbi gratia, Religionis in ea potentia, non poterunt aſſe actus illi immediatè à principio intrinſeco: ergo neceſſariò aliquid ſuperadditum in eis ponendum eſt ex vi habitus influentis, aliàs nequirent producere ſuos actus quoad qualitatem, & quoad modum virtutis, verbi gratia, Religionis.

10 *Sed obijciet quiſpiam.* Vt actus dicantur ab habitu eliciti,neceſſe eſt, vt immediatè ab eo producantur. Ita D.Thom.in locis citatis, & communiter approbatur,ſed iuxta doctrinam traditam actus potentiarum exequentiũm, verbi gratia, genuflexio,adoratio, à virtute Religionis non producuntur immediatè, ſed mediante actu voluntatis,putà volo genuflectere, volo adorare: ergo non debent dici actus eliciti à Religione: ſat fuerit eos vocare imperatos. *Reſpondetur*, D. Thomam,& alios Doctores Scholaſticos, non deſcribere actus ab aliquo habitu elicitos, per hoc quod eſt producere eos nullo mediante actu, aliàs quando virtus Religionis elicit plures actus voluntatis ſubordinatos,non diceretur elicere poſteriorem,& quando elicit actus amoris, reuerentiæ,exultationis,& gaudij circa diuinum cultum.Sed ait Doctor Sanctus eos actus eſſe ab habitu elicitos,qui ab eo producuntur nullo alio medio ante habito.Itaque meditatio actus eiuſdem habitus non tollit elicientiam ab habitu, mediatio verò alterius habitus eam aufert. *Ratio huius* diſcriminis eſt,quia habitus virtuoſi, vt dixi,præbent potentijs modum operandi, putà faciliter,& promptè in tali virtutis materia, præbent inſuper actibus earum eſſe in ratione virtuoſi:vnde quando potentiæ inferiores exequẽtes ſunt alijs deſtitutæ habitibus, qui eas operationes faciliter producant, habitus ille virtutis, verbi gratia,Religio vtrumque præbet, & vtrũque influit,vt potentiæ illæ exequentes ſint principia proxima,mediante habitu Religionis, actuum illorum externorum.Cæterùm quando illæ inferiores potentiæ ſunt ornatæ alijs habitibus, qui ſuam operationem valeant facere , & producere faciliter,& promptè : habitus principalis Religionis non influit talem qualitatem, & modum,quia ab alijs habitibus præuentus eſt.In natura autem nil inuenitur ſuperfluum: ſed hoc habitus ille,vt ita dixerim,contentus eſt, ſi actus illos ab alijs habitibus elicitos in ſuum finem referat:quod eſt dumtaxat imperare eos, non elicere. Igitur diffinitio actus eliciti ab aliquo habitu non eſt, quòd non ſit productus ab eo mediante alio actu,ſed quòd non ſit productus mediante alio habitu:quinimò ſi res benè perſpiciatur,hæc deſcriptio potius à ſigno datur,quàm rei naturam explicet.Fortaſſe à priori diffiniretur, ſi diceres,actus elicitus eſt ille, qui per qualitatem intrinſecam ab habitu potentiæ largitam producitur.Quod non fit,quando inter habitum principalem, & actum mediat alius habitus: at quod mediet alius actus non tollit veram elicientiam.

Ad ſecundum negatur conſequentia, quia vt 11
dictum eſt,habitus Religionis præbet voluntati efficiendi actus externos facilitatem, & eo actu voluntatis mediante tranſmittit eandem facilitatem in potentias inferiores exequentes. Inſuper & ipſis actibus eſſe quoddam , id eſt rationem actuum religioſorum, non tantùm extrinſecè; quod eſt eos ab habitu Religionis eſſe elicitos, non tantum imperatos.Ex quo colligo eam ſententiam,quæ aſſerit virtutem ſuperiorem imperantem actibus virtutum inferiorum imprimere in virtutibus inferioribus quemdam modum intrinſecum,& realem non eſſe veram : aliàs inde ſequeretur actus virtutum illarum eſſe à virtute imperante elitos. Sed de hoc aliàs.

Ad id verò,quod adducitur in argumento illo ſecundo,ſcilicet: Contingit ſæpè actum voluntatis adiutum ab habitu Religionis non poſſe vincere difficultatem operandi, quæ eſt in potentijs externis,ſed per proprios habitus vincenda eſt:ergo ſignum eſt mediante actu voluntatis non poſſe habitum Religionis ſuum influxum tranſmittere, vt intrinſecè faciliter potentias ad eos actus externos eliciendos:Reſpondetur, negando conſequentiam,quia id, quod refertur in ante-

antecedenti, contingit propter impedimentum forte, quo præpediri possunt potentiæ externæ exequentes, atque adeò per acidens non sunt capaces influxus Religionis. Imò continget totum conatum voluntatis non posse potentias externas applicare ad operandum: vt siquis habet crura emortua, aut linguam rigentem: non parebunt potentiæ illæ voluntati, ne dum habitui.

12 Ex hoc respondetur ad tertium, negando id, quod pro incõuenienti infertur: quia illa facilitas quæ in argumēto dicitur præberi ab habitu temperantię, residente in appetitu sensitiuo actui voluntatis, datur voluntati per accidens tollendo impedimenta; id est passiones vrgentes, & quasi eneruantes voluntatem, ne se exerat in voluntatis actus temperatè viuendi; atque adeò sicut causa tollens impedimenta non dicitur influere in effectum causæ, quæ aliàs impedita fuerat, sic neque habitus temperantiæ residens in appetitu sensitiuo, dicitur inflere, aut elicere actum voluntatis circa eandem temperantiam. Longè aliter contingit in habitu Religionis respectu potētiarum externarum: qui per se propter coordinationem potentiarum, & habituum influet in potentias exequentes suam motionem.

DISPVTATIO IIII.

An religio habeat plures actus distinctos specie?

ET inquisitio procedit de actibus elicitis: nam si ad imperatos extenderetur; clara est pars affirmatiua ex nuper dictis, scilicet Religionem omnium virtutum actus imperare posse.

1. Sēt. Nominaliū. De hac re tres reperio sentētias. *Prima* est Nominalium constituentium in omnium virtutum actibus diuersitatem specificam, iuxta distinctionem naturalem, & entitatiuam, quæ in eis reperitur; & consequenter asserentium quoties exteriores actus Religionis in suo esse naturali & materiali specie distinguūtur, etiam specie distingui interiores voluntates, quæ circa illos versantur. *Fundamētum* huius sententiæ est; quia sicut genua flectere, loqui, mactare pecora, sunt actus ex natura sua specie distincti, ita velle hunc, vel illum actum facere, requirit volitionem specie distinctā; quia notio actiua debet accōmodari passiuæ. *Et si obijcias* has omnes actiones esse volitas, & ordinatas ad cultum Dei: respondent. Inde non sequitur esse eiusdem speciei, sed conuenire in quodam esse morali, quod non dat speciem actibus. Hæc sententia meritò explosa est, quia euertit omnem vnitatem habituum, scientiarum ac virtutum, & multiplicat tum actus, tum habitus ferè sine numero.

2. Sententia Aureoli. Scotus. *Secunda sententia* est, Religionis actus quandoque esse eiusdem, quandoque diuersæ speciei. Hanc tenēt (referente Francisco Suarez in sua methapysica. 2. tomo. disp. 44. sect. 2.) Aureolus, *in prologo sentent.* Scotus *ibidem, quæst. 3. dubio. 2.* Gregor. *quæst. 3. artic. 1.* Ocham, *quæst. 1. & 9.* Gabriel. *quæst. 8.* qui licèt loquatur generaliter de omni scientia & virtute quantum ad habitus & actus, de Religionis actibus etiam consequenter idem dicere coguntur: & præfatus Suarez, ipsos secutus *lib. 2. de actibus Religionis, capit. 4.* explicat tribus assertionibus. Gregor. Ocham. Gabriel. Suarez.

Prima est. Actus Religionis, qui diuerso modo attingunt obiectum Religionis, quamuis vnus ex altero oriatur, & quamuis in eodem obiecto formali radicentur, distinguūntur specie: verbi gratia, actus Religionis circa Dei cultum per modum simplicis amoris, & odium diuinæ irreuerentiæ, actus sunt diuersę speciei omnibus modis, non solum in entitate physica, verùm etiam vt actus sunt à Religione eliciti; & idem ait esse dicendum in actibus cuiusque moralis virtutis per se ita ordinatis, vt vnus ex altero oriatur vt odium mali ex amore Dei, desiderium, & delectatio ex amore boni præsentis vel absentis, &c. *Probatur primò.* Omnes hi actus distinguuntur specie physica, seu entitatiua, vt de se patet, & in amore. & odio perspicuum est: ergo etiam vt à virtute Religionis eliciuntur, & vt ad Dei cultum ordināntur. *Antecedens* clarum est; & *probatur conseq.* quia in actibus internis voluntatis, si intrinsecè & ex obiecto sunt actus virtutis; nō est distinguere esse entitatiuum ab esse morali virtutis, quia per eandem differentiam constituuntur actus illi in esse entitatiuo, & in esse virtutis: Etenim omnes actus voluntatis ex obiecto virtuosi tendunt in bonum sub ratione boni: ergo esse eorum entitatiuū & morale extendentia ad obiectum primarum virtutis, sumendum est: ac ex consequenti esse entitatiuum, & reale eorum ex eodem sumitur, & idem sunt. 2

Secunda assertiō eiusdem autoris est. Actus Religionis interni, qui respiciūt diuersos actus externos, etsi in generali modo tendendi in eos distinguantur, eiusdem speciei erunt, si sub vna ratione formali versentur circa eos actus externos: verbi gratia genuflexio, & vocalis confessio diuinæ excellentiæ, actus sunt materialiter, & physicè distincti; & tamen si fiant animo honorandi Deum, vt supremum dominum non habent in ratione cultus honestates diuersarū rationum. 3

Ex quo infertur interiores actus voluntatis, & Religionis, qui circa tales materias versātur, esse eiusdem speciei siue in esse entitatiuo, siue in esse morali virtutis Religionis: cum vtraque rationem sumant ex ratione formali honestatis obiectorum, vt in probation. 1. assertionis probabatur. *Minor* verò videtur euidens; quia honor resultans ex tali actione est idem, & inde habent illi actus suam honestatē: ergo accidētariū est, quod per hāc vel illam actionē materialem fiat. *Secūdò.* Honor est in genere signi, & sub ea ratione fundat honestatē, quæ in tali cultu reperitur; signum etē non variatur formaliter ex materia, quæ ad significādū imponitur, sed ex re proximè significata: ergo si cultus Dei ad candē honoris significationem refertur, non variatur formaliter, neque sufficit ad distinguendos specie actus interiores Religionis, etiam si materia cultus diuersa sit.

4 *Tertia assertio eiusdem est.* Actus quidam Religionis, tam externi, quàm interni, qui circa ipsos versantur, specie differunt non solū in esse entitatiuo & physico, verum etiam in morali; propterea quod obiectum Religionis, id est diuinum cultum sub diuersis rationibus formalibus contentis intra latitudinem illius obiecti respiciunt. *Exemplum sit*, promittere aliquid Deo, & implere promissum, qui spectati moraliter, & per ordinem ad rectam rationem, habent bonitates specie distinctas: item obseruare votum, & facere iuramentum; similiter & actus volūtatis interni, qui circa ipsos versantur, specie formali, & in ratione cultus distingui necesse est. *Probatur.* Illi actus commemorati respiciunt obiecta distincta specie, non solùm materialiter, verum etiā formaliter in ratione diuini cultus: ergo distinguuntur specie, tam illi, quam actus interni voluntatis, qui circa ipsos versantur; cum actus specie distinguantur ex distinctione specifica obiectorum formalium.

Probatur antecedens dupliciter. *Primò* quia licèt ad obiectum formale actus religiosi pertineat ratio honoris, seu diuini cultus, quæ consistit in exhibendo aliquo signo æstimationis debitę, quę habetur de diuina excellentia: hoc autem signum, & hic honor aliquando exhibetur duntaxat in testimonium diuinæ autoritatis, in testificando, vt in iuramento; aliquando præcise in testimonium supremi dominij Dei, vt in sacrificio: quæ rationes in ordine ad nos diuersæ sunt, non solum materialiter, verùm & formaliter in ratione cultus.

5 *Secundo probatur idem antecedens:* Nā intra latitudinem obiecti Religionis includitur ratio debiti; est enim, vt superius circa articulum primum docuimus, obiectum Religionis, cultus Deo debitus, propter eius excellentiam supra omnes creaturas: sed hæc ratio debiti diuersimodè formaliter persoluitur per quosdam actus Religionis; putà per obseruantiam voti emissi seruatur fidelitas Deo promissa & debita; per iuramentū recognoscitur Deus vt prima, & infallibilis veritas, cui falsum dicere, aut confirmare repugnat; per gratiarum actionem recognoscitur Deus vt beneficiorum largitor. Istæ autem rationes non solùm formaliter, verùm & materialiter in ratione cultus distinguuntur: ergo & actus, qui eas respiciunt tam externi, quàm interni. *Confirmatur*, quia peccata his actibus opposita sunt specie distincta, & distinctè explicanda in confessione: ergò etiam actus studiosi illi specie distinguuntur.

Itaque secundum istum autorem actus omnes Religionis in tres distribuuntur classes. *Prima* est actuum internorum, quorum vnus ex altero oritur, & diuerso modo feruntur in sua obiecta, vt dicitur in prima assertione: & hos ait specie distingui, non solum in specie physica & entitatiua, sed etiam formali in ratione actuum ad virtutem Religionis pertinentium. *Secunda* classis est eorum actuum, qui versantur circa obiecta materialiter tantùm distincta sub eadem ratione formali Religionis; & isti non distinguuntur (inquit) specie formaliter. *Tertia classis est* eorum actuum, qui tendunt in obiectum Religionis sub diuersa ratione formali intra latitudinem Religionis: & isti (ait) distinguuntur specie, vt declaratum est.

Tertia sententia est D. Thom. Religionem esse vnam specie, & omnes eius actus esse eiusdem speciei formaliter consideratos in ratione actuum religiosorum; quamuis in esse materiali, & entitatiuo quandoque materialiter distinguantur. *3. Sententia D. Thom.* 6 Colligitur expressè ex *hac quæstion. præsertim in 3. articul. ad primum & secundum, & in 4. ad primum & secundum.* & recipitur magno applausu ab omnibus eius discipulis; imò & à plurimis alumnis Societatis Iesu. Eam amplectuntur, tam de habitu, quàm de actibus in omni habitu, & virtute Gregorius de Valentia, in *prima secunda, disp. 4. quæst. 6. puncto 3.* Gabriel Vazquez *quæst. 21. articul. 3. disp. 78. cap. 2.* & loquendo specialiter de habitu Religionis *disput. 80. cap. 5.* & Valentia, 2.2. *disp. 6. quæst. 1. puncto 1.* *Greg. Val. Gab. Vazq.*

Hæc sententia nostro seculo receptissima extitit, & prima & secunda sententia iam ferè sepulta, quo vsque modo extumulata est. Sed sententia Doctoris Angelici habet fundamentum firmum in doctrina Aristotelis. Illud est, Religio est vna virtus specialis, vt docet D. Thom. *in locis citatis*; & vbicunque de hac re loquitur: ergo est vnus habitus specie: ergo omnes eius actus sunt eiusdem speciei. Prior *consequētia* patet, quia procedit ab specie ad genus cum eodem addito. *Secunda*; tum, quia actus generant habitum: ergo si sunt specie diuersi, non possunt generare eūdem habitum: tum etiam, quia si habitus est vnus, habet vnum obiectum formale: ergo & omnes actus in eodem obiecto formali conueniunt; quia habitus non attingit obiectum, nisi per actum: ergo etiam actus sunt eiusdem speciei: Nam ex obiecto formali speciem sumit, & quodammodo immediatius quàm habitus, dicente Philosopho, habitus per actus, & actus per obiecta distingui.

Hoc fundamētum, quod hucusq; incōcussum arbitrabamur, 7 Autores secūdæ sententiæ conantur subuertere. *Primò* dicunt Religionem, imò & alios habitus tam scientiarum, quàm virtutum, quos censebamus esse simpliciter vnos, esse tantū vnos vnitate collectionis, seu aggregationis ex multis habitibus; sicut sanitas, aut pulchritudo dicitur vna per collectionē, seu aggregationem multarū qualitatū ad bene afficiēdum idē subiectum; ex qua vnitate per collectionem non licet inferre vnitatem specificam actuum: quinimò actus illi Religionis pertinentes ad primā classem ratione connexionis possunt pertinere ad eūdem habitū, tāquam ad idem principiū: vnū (inquiūt) habitū per collectionē; & eadem ratione possunt illū generare, præcipuè ratione actus primarij, qui est quasi fundamentū reliquorū; vt explicatius dicit Pater Suarez *in loco citato ex metaphysica.* *Suarez.*

Secundò, illam priorem consequentiā ab specie ad genus negat; & adducit instātiā in sanitate, & pulchritudine, quæ cum vna sit in specie pulchritudinis, in genere qualitatis plures sunt. En fundamentum secundæ sententiæ, nempè non esse aliam

aliam in scientijs, & virtutibus vnitatem, nisi per collectionem, & aggregationem plurium habituum. Quod nos nequaquam admittimus neque volumus modò argumentis impugnare: reor enim valdè remotum à præsenti disputatione, cuius examen remittimus Metaphysicis, & Theologis agentibus proprijs locis de vnitate habituū, tam intellectualium, quam voluntatis: præcipuè Caietano 1.2. *quæstio*. 54. *artic*. 4. Et dicimus ex vnitate specifica Religionis (quam esse vnam simpliciter asserimus cum Doctore Angelico, & ex doctrina Philosophi habetur) colligi actus omnes eius esse eiusdem speciei atomæ propter conuenientiam in vnitate obiecti formalis; videlicet quia omnes actus Religionis respiciunt Dei cultum, vt excellit omnem creaturam, vt latè disputaui circa primum articulum huius quæstionis.

Caiet. *D. Thom.*

8 Superest modò respōdere ad argumēta facta pro secunda sententia. *Ad illud*, quo conabatur probare actus illos primæ classis propter diuersum modum tendendi in Religionis obiectum esse diuersæ speciei, negatur consequent. *Et ad prob.* similiter negatur illud fundamentum, quod à præfato autore vt certum supponitur: videlicet in actibus voluntatis internis non distingui esse entitatiuum ac physicum à morali; quinimò D. Thom. 1. 2. *qu*. 18. *artic*. 4. multiplicem bonitatem in quolibet actu adstruit, distinguens entitatiuā à morali, & ibi eius discipuli: & clarius in *eadem quæstione, art*. 7. ad 1. & nos in quolibet actu, etiam peccati, materiale & formale consideramus: & in actibus illis Religionis pertinentibus ad primam classem, modum illum tendendi diuersum in obiectum formale Religionis materialiter se habere ad rationem specificam actuum religiosorum censemus: & ideò in esse physico, & entitatiuo admittimus distinctionem specificam, nō verò in esse formali virtutis Religionis: quia omnia illa respicit sub vna ratione formali diuini cultus, qui est Religionis obiectum. Cætera habent se materialiter ad diuinū cultum, putà quod hac vel illa materia exhibeatur, quòd amore diuini cultus, vel odio irreuerentiæ, & huiusmodi: quia sicut ad eandem virtutem spectat charitatis diligere Deum, & odio habere peccatum propter ipsum; sic diligere Dei cultum, & odio habere irreuerentiam erga Deum.

Soluuntur argumenta. 2. Sent. *D. Thom.*

9 Ad argumenta, quæ conantur probare actus Religionis tertiæ classis distingui specie, *Resp. negando antec.* Ad *primam prob.* eas, rationes colendi Deum materialiter & accidentario se habere ad rationem formalem Religionis. Quod vt percipias, aduerte materiam, in qua cultus diuinus exercetur, interdum esse actiones, quæ de se non includunt aliquid pertinens ad diuinum cultum, sed per virtutem Religionis ad illum referuntur, verbi gratia, genuflectere, caput aperire, & huiusmodi; interdum verò materia, in qua diuinus cultus exercetur, sunt actiones, in quibus aliquid includitur pertinens ad diuinum cultum: putà modi quidā colēdi Deum, qui licet aliquid maioris formalitatis participēt quàm actiones priores, tamen adhuc materialiter, & accidentariò se habent ad rationem formalem Religionis, quæ consistit in exhibendo Deo cultum: quod verò hoc, vel illo modo, materiale est, & accidentarium obiecto formali Religionis. Esto exemplum in nostra, & præfati autoris opinione. Laudare Deum, quia sapiens est, & laudare, quia omnipotens, modi sunt diuersi, quorum quilibet includit aliquid pertinens ad diuinum cultū, & tamen materialiter, & accidentariè se habent ad rationem obiectiuam, & formalem Religionis: & ideo non distinguuntur specie. Sic dico de actibus commemoratis in argumento, putà promittere Deo, & implere promissum, obseruare votum, & facere iuramentum, actiones sunt includentes modos quosdam pertinentes ad diuinum cultum, sed non sunt rationes formales distinctæ in ratione cultus, sed potius modi quidam accidentarij, & materialiter se habentes ad cultum Deo exhibendum: siue enim hoc vel illo modo exhibeamus, colimus ipsum vt excellentem supra omnem creaturam: ac proinde actus sunt eiusdem speciei.

Ad secundam probationem eiusdem anteced. similiter resp. eos cultus debitos non esse in ratione debiti cultus diuersæ rationis, sed esse modos quosdam accidentales ad rationem debiti, pertinentes ad obiectum Religionis. Nam per se debitū Deo virtute Religionis est colere illum, vt principium omnis creaturæ; quod verò colatur vt prima veritas est, vel vt beneficiorum largitor, accidentale est, & quodammodo materiale: sicut colere eum, vt omnipotentem, vel vt sapientem.

Ad confirmationem præfatus autor refert quosdam, respondentes ea peccata non differre specie; nihilominus in confessione aperienda, propter circunstantias varias notabiliter aggrauantes. Quos calumniatur, quia opinio, quæ asserit tantum esse detegenda ea, quæ variant speciem, est practicè probabilis: ergo posset pœnitens tacere has circunstantias; quod nimis falsum apparet. Ego verò neque censeo, peccata illa esse eiusdem speciei, & multo minus eam opinionem de reticendis circunstantijs, quæ non mutant speciem, etiamsi notabiliter sint aggrauantes, puto esse practicè probabilem, sed execrabilem, vt nimis infensam moribus, & impedientem prolationem rectam iudicij erga peccata confitentium. 10

Quare aliter *Resp.* quod sicut vni virtuti opponuntur multa vitia, vt habetur ex Philosopho, & egregie docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 5. ita stat actus peccati diuersos secūdum speciem opponi actibus studiosis, qui non distinguuntur specie: Nos enim, qui ex vnitate actuum iudicamus eodem modo, sicut de habitus vnitate, sicut admittimus cum tota schola vni virtuti contrariari multa vitia, ita concedimus plures actus vitiorum secundum speciem contrariari pluribus actibus vnius virtutis, qui eiusdem speciei sunt; eo quod ad eandem specie virtutem pertinent: & hoc præcipuè contingit in actibus Religionis, quæ vna cum sit, habet quamplures habitus vitiosos sibi oppositos. *D. Thom.*

Contra hanc solutionem, quæ verissima est, argumentatur præfatus Suarez. Malitia moralis *Suarez.*

in interiore actu voluntatis, nil aliud est, quam priuatio alicuius honestatis moraliter debitæ tali actus: ergo priuationes proximè distinguuntur ex positiuis, quibus priuant per se primò & immediatè, ac proinde quamuis eidem habitui virtutis opponantur vitia diuersa, nihilominus actus virtutis, quibus opponuntur vitiosi actus contrarij, etiam sunt inter se distincti. *Ponit exemplum* in liberalitate, cui opponitur auaritia, & prodigalitas; distincti actus secundum speciem sunt prudenter retinere, vel donare; quibus opponuntur vel nimia largitio, vel nimia retentio.

11 *Respondetur primo.* Fortassè antecedens argumenti falsum est: quia illi actus vitiosi studiosis opponuntur non tantum priuatiuè, sed etiam contrariè. *Secundò*, admisso antecedenti, negatur consequentia: quia sicut scopum attingere contingit vno tãtum modo, & ab eo aberrare, quod est quasi quædam priuatio illius attictionis (vt ita loquar) multipliciter contingit: sic stat diuersos actus studiosos sub eadem ratione formali ferri in vnum obiectum, & esse eiusdem speciei, quia ab eadem virtute procedunt: & tamen actus vitiosos eis oppositos, etiamsi sint eorum studiosorum actuum priuationes, habere diuersas rationes formales, & esse diuersæ speciei, sicut vitia à quibus oriuntur. Multiplicius enim contingit peccare, quàm studiosè operari; & ideò vni virtuti multa vitia opponuntur: & ego dico actibus eiusdem speciei studiosis, actus vitiosos diuersæ speciei opponi, propter eandem rationem.

1. Ad Cor. 10.

Nec exemplum allatum in actibus liberalitatis fauet oppositæ sententiæ; quin potius pro nobis est. Nam prudenter retinere, & dare, materialiter diuersi sunt, in ratione studiosa ad liberalitatem pertinente eiusdem speciei sunt: quibus tamen opponuntur actus vitiosi specie distincti: videlicet nimia effusio pecuniarum, & nimia retentio: hæc pertinet ad auaritiam, illa ad prodigalitatem. Et hæc satis sint pro hac disputatione, & fine huius difficilis articuli D. Thomæ. Videnda sunt etiam quæ dixi supra, dum agerem de vnitate specifica virtutis Religionis.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Religio sit idem sanctitati?

PRIMA conclusio. Sanctitas est virtus, per quam mens hominis se ipsam, & suos actus applicat Deo. *Secunda.* Non differt à Religione secundum essentiam. *Tertia.* Differt autem ratione. *Quarta* ad primum. Sanctitas est virtus peculiaris secundùm essentiam, identificata tamen Religioni, est autem generalis secundum imperium, quatenus omnes virtutum actus per imperium ordinat in diuinum cultum.

DISPVTATIO VNICA.

1 Contra istas cõclusiones argumentor. *Primò.* Sanctitas, vt constat multis locis sacræ Scripturæ, comprehendit omnium virtutum actus, & æquiparatur iustitiæ, secundum quòd est virtus quædam generalis ambiens omnium virtutum actus (vt patet Lucæ 1. *In sanctitate & iustitia.*) Ergo non est eadem Religioni, quæ virtus specialis est. *Lucæ.1.*

Secundò argumentor contra rationem D. Tho. qua probatur sanctitatem indentificari Religioni. *Ratio* habet in hunc modum. Sanctitas est, per quam mens hominis se ipsum, & actus suos applicat Deo; ergo non differt à Religione secundum essentiam. Contrà: per Charitatem mens hominis se, & suos actus applicat Deo: ergo est propria, & vera sanctitas, & non Religio. *Probatur* antecedens, quia Charitas est, quæ vnit nos, & nostra Deo, iuxta illud: *Qui adhæret Deo vnus spiritus est cum eo.* Confirmatur, quia sanctitas applicat Deo actus studiosos nostros per imperium; at hoc natiuum, & proprium est Charitati, quæ ob id dicitur princeps & regina virtutum.

2 *Tertiò.* Id in quo sanctitas à Religione secernitur (vt videre licet in litera D. Thom.) est in eo, quod sanctitas includit firmitatem: sed hoc vel pertinet ad specialem virtutem, quæ dicitur esse pars fortitudinis à Macrobio, vel ad modum quendam, qui pertinet ad perfectionem omnis actus studiosi: Nam omnis virtus, vt dicit Philosophus 2. *Ethic. cap.* 1. 2. & 4. facit immobiliter operari; ergo non facit distinguere sanctitatem à Religione, quia neque virtus, neq; eius actus ab alijs specialiter distinguitur per alterius virtutis mixtionem, neq; per modum communem omni virtuti, vel omni eius actui. *Macrob.* *Aristot.*

Quartò. Si sanctitas offert mentem hominis, & omnes actus Deo, sequitur non posse retrocedere sine speciali peccato contra sanctitatem: consequens apparet falsum, ex eo quòd quantumuis aliquis suam mentem per sanctitatem applicuerit Deo si postea cesset, aut labatur in peccatum, non confitetur hanc circunstantiam: ergo, &c. Probatur sequela: quia peccat contra hanc firmitatem. *Confirmatur primò.* Si quis rem Deo promissam non impleat, peccat contra votum, quia deficit à firmitate, quæ includitur in tali promissione: sed etiam includitur in actu sanctitatis consimilis firmitas (vt dicit D. Thomas in articulo:) ergo qui ab illa firmitate deficit, peccat contra virtutem sanctitatis ex paritate rationis. *Confirmatur secundò* validè. Si templum, vasa, aut alia huiusmodi Deo applicentur, seu consecrentur, ratione cuius dicuntur sancta, non possunt prophanis vsibus deseruire, etiamsi illi vsus aliàs liciti essent. Ergo si quis per sanctitatem, mentem, & sua applicet, seu dicet Deo, si postea in alios vsus, præter quàm in Dei obsequio exerceat mentem, peccabit sacrilegij peccato: quod tamen videtur durum concessu. *Consequentia inde probatur*, quia maior est & perfectior sanctitas, quæ reperitur in homine per applicationem suæ mentis ad Dei obsequia, *D. Thom.*

obsequia, quàm quæ reperitur in templo, aut vasis sacris.

3 Quintò contra illud, quod dicitur, sanctitatem importare munditiam: nam vel sanctitas supponit munditiam mentis, aut illam efficit; neutrum istorum: ergo, &c. *Probatur minor*, quoad primam partem: Quia sanctitas acquisita, sicut & Religio acquisita, in peccatoribus reperiuntur. *Si dicas* sanctitatem esse Religionem, non quamcunque, sed infusam: hoc gratis dicitur, & sine fundamento. Et præterea non in hoc distingueretur sanctitas à Religione, cùm etiam Religio infusa similem munditiam requirat. Quoad *secundam partem etiam probatur*, quia efficere munditiam omnimodam mentis ad gratiam habitualiter expectat, ad Charitatem verò actualiter. *Confirmatur*, quia vasa dicata diuino cultui dicuntur sanctificata & sancta in sacra Scriptura, homines item Deo dicati in populum peculiarem dicuntur sancti sine illa munditia Psalmo 85. dicebat Dauid de se: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum*; non ipse se mundum coram Deo existimabat; Imò quandoq; peccatores vocantur

Psalm. sancti Psalmo 78. *Posuerunt mortalia seruorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ.* Loquuntur autem de clade Hebræorum, illata à gentibus, & tamen non est certũ omnes occisos occubuisse in Dei gratia.

4 In oppositum est litera Diui Thomæ, & omnium Philosophorum moralium fundamentum certissimum est, vbi in actibus humanis extat aliqua ratio laudabilis, ibidem adinueniri specialem rationem virtutis. Et cùm in sacris Literis sæpissimè mentio fiat de sanctitate, vt de actu laudabili, supposito esse actum virtutis, inquirit Doctor Angelicus, cuius virtutis sit; & id venatur ex nominis Etymologia; Nam si Græcam expectemus, sanctitas munditiam importat; Sanctus enim Latinè, Agios Græcè dicitur; id est sine terra, & rei impurioris mixtione. Si vero Etymologiam Latinam, sanctitas importat duo; & firmitatem, & munditiam; firmitatem quidem, quia apud antiquos, siue fideles, siue infideles, sancta dicebantur, quæ legibus erant munita, vt nullo modo violarentur; tum quia quasi lege sancita.

Vlpianus. Vlpianus, de verborum significatione; *Sanctum est, quod neque sacrum est, neque prophanum, sed sanctione aliqua firmatum.* Munditiam verò; quia

Isidorus. sanctus dicebatur (vt ait Isidorus, libro. 10. Etymologiarum capite 18.) *Quasi sanguine tinctus*; eo quòd antiquitus illi, qui purificari volebant sanguine hostiæ tingebantur.

Et hæc deductio mihi magis arridet; eò quòd vtrumque includit, & firmitatem, & munditiam; etenim ambo hæc sanguinis effusione & asper-

5 sione celebrabantur. *Primum* inde constat, quòd pacta magni momenti, maximè fœdera, in hunc modum inibantur antiquitus, iugulabant animal, in duasque partes diuidebant, inter quas fœderati transibant; quasi similem mortem sibi im-

Hierem. precantes, si fœdus illud violarent, Hieremiæ 34. *Et non obseruauerunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones principes Iuda, & principes Ierusalem.* Cuius consuetudinis meminit ibi Theodoretus; atque ita factum esse Genesis 15. quando Dominus præcepit Abrahæ, *Genes.* 15. vt animalia occideret. *Qui tollens vniuersa hæc, diuisit per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit.* Et postea subditur: *Et apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas.* Etenim quia Deus promiserat Abrahæ, se educturum eius progeniem ex Ægypto, vt illam terram possiderent; pactum celebratur sanguinis effusione, & animalium diuisione, & firmitas pacti completur lampade illa, quæ Deum repræsentabat, transeunte inter partes diuisas iugulatorum animalium; & non solum hoc fiebat, verùm & sanguine aspergebantur confœderati ad firmitatem fœderis. Cuius rei extat famosa Historia Exodi 24. *Moy- Exod.* 24. *ses* (inquit sacra Scriptura) *sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum, &c.* Quam Historiam commemorat Apostolus ad Hebræos 9. *Ad Heb.* 9. *Lecto enim omni mandato legis à Moyse vniuerso populo accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua & lana coccinea, & hyssopo; ipsum quoq; librum, & omnem populum aspersit dicens: Hic sanguis* 6 *testamenti, quod mandauit ad vos Dominus.* Idem ferè fiebat apud Ethnicos: nam suam ad comfirmanda fœdera silice cædebant. Huius consuetudinis meminit Cicero, *libro secundo de inuentione*: & Titus Liuius libro primo, ab vrbe con- *Cicero. Titus Liu.* dita; vbi & verba ipsa recitat in fœdere Romanorum cum Albanis inito. *Positis ergo fœderis legibus, aiebat facialis, aut pater patratus populus. Romanus prior non deficiet, si prior defecit publico consilio dolo malo in illo die Iupiter populum Romanum sic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quantò magis potes, pollesve. Id vbi dixit porcum saxo silice percussit.* Hinc Virgilius de Romulo & Tatio *Virgil.* Regibus.

Armati Iouis ante aram, paterasque tenentes,
Stabant, & cæsa iungebant fœdera porca.

Igitur apud antiquos sanguinis effusione & aspersione fœdera firmabantur. Et eiusdem sanguinis aspersione, iuxta ritum Hebræum ferè omnia, etiam homines, mundabantur. Scribit enim Apostolus ad Hebræos 9. *Et omnia penè in Ad Heb.* 9. *sanguine secundum legem mundantur.* Mirabile sanè, quod Iudæi adeò exhorrescerent sanguinem, & ab eius esu abstinerent omninò, & quòd sanguine mundarentur; nimirum in figuram quòd Christi Domini sanguine totus à peccatis mundandus esset.

Sed vt ad incepta reuertamur, ab vtraque significatione deductum est, vt sancta illa dicantur, quæ diuino cultui applicantur: siue illa sint animata, siue inanimata, ita quòd non solum homines, verùm etiam templa, vasa, vestes, & alia id genus sanctificari dicantur, ex hoc quòd cultui diuino applicantur cum quadam firmitate & mũditia. Cuius vocabuli vsus frequentissimus est in sacris Literis.

Ad hoc verò quòd homines, siue humanæ mẽtes diuino cultui applicẽtur, ac ex consequenti dicantur sanctę, duo requiruntur. *Primò* munditia,

quæ habetur per hoc quod humanæ mentes à peccatis abstinēt, & virtutes sectantur. Nequeunt enim humanæ mentes supremæ menti, qui Deus est, coniungi sine hac munditia. *Secundo* requiritur firmitas, quia ista applicatio fit sicut vltimo fini, & primo principio, quæ immobilia esse oportet, alias non dicerentur sancta.

7 Hinc sumit argumentum Diu. Thomas ad probandam secundam conclusionem. Sanctitas est, per quam mens hominis se ipsam, & suos actus applicat Deo: sed hæc applicatio ad Religionem spectat: ergo sanctitas & Religio idē sunt secundùm essentiam. *Maior* constat ex dictis circa Etymologiā sāctitatis: minor etiā, quia hæc applicatio fit per sanctitatē qua (vt dictū est) sacrātur diuino cultui quæ sancta sunt, & dicūtur. *Secūdo* per sanctitatem homo offert suam mentem, & suos actus Dei seruitio: sed seruire Deo pertinet ad Religionem, vt patet ex his quæ dicit D. Thomas supra artic. 3. ad secundum: Ergo sanctitatis officium ad Religionem pertinet. Maior patet Lucæ. 1. *In sanctitate, & iustitia seruiamus illi.* Tertiò, vasa sacra, & alia huiusmodi, per hoc quòd applicantur Diuino cultui, sunt religiosorum ministeriorum instrumenta, & ad diuinum cultum ordinantur: ergo & homines per hoc quòd se & suos actus cultui diuino applicant, quod fit per sanctitatem, vt dictum est.

D. Thom.

Lucæ. 1.

Caiet.

Tertia conclusio Diui Thomæ, in hunc modum explicatur à Caietano. Religio directè respicit ea, quæ specialiter ad diuinum cultum pertinent, vt sunt cæremoniæ, sacrificia, & alia huiusmodi. Sanctitas autem directè respicit mentem, & mediante mente respicit alia virtutum opera, quia vtitur illis, vt per illa mentem applicet Deo.

8 Sed contra hanc expositionem, & conclusionem argumentor *primò*. Religio est, habet offerre Deo suum mentem, cum omnibus potentijs suis, & hic est potissimus actus eius, vt dictum est in articulo præcedenti: ergo non distinguitur in hoc Religio, & sanctitas. *Secundò*. Sanctitas per imperium ordinat omnes virtutum actus in bonum diuinum, vt dicit Diuus Thomas, in *solutione ad primum*: Sed hoc ipsum habet Religio, vt Religio est; nam quid prohibet? ergo neque in hoc distinguitur sanctitas à Religione.

Pro declaratione *aduertendum est primò*, distinctionem inter sanctitatem, & Religionem neque esse realem, quia idem habitus sunt; neque rationis formalis essentialis, quia vtraque diuinum cultum habet pro obiecto: sed tantum est distinctio cuiusdam rationis formalis accidentalis; ad eum modum, quo distinguuntur actus quidam Religionis inter se: v.g. Deuotio, Oratio, Adoratio, Sacrificium, & similia. Et vt hāc distinctionem rationis inter sanctitatem & Religionem prospiciamus, inquirere oportet, vtrum habeat sanctitas aliquem actū elicitum, qui distinguatur saltem ratione ab actu Religionis & quomodo.

Quare *secundò aduertendum*, Religionem & sanctitatem habere se sicut superius & inferius, & ideò omnis actus, qui ad sanctitatem pertinet, etiam ad Religionem spectat, & non è contrà: & omnis qui sanctus est, religiosus est, non vice versa: sed multi sunt religiosi, qui non sunt sancti; illi videlicet qui vacāt cultui diuino, & eius cæremonijs, & tamen interius non se applicant Deo.

Tertiò notandum est, sanctitatis munus esse mentem hominis, & eius actus laudabiles Deo applicare, id est Dei obsequio, non quomodocunque, nam hoc per solam Religionem, vt Religio est, poterat fieri, sed cum animi firmitate & munditia mentiis: quare fortaßè formalius diceremus, sanctitatis officium esse Dei obsequio mentem hominis dicare, seu consecrare. Quæ verba important applicationem cum animi firmitate, & munditia, ad eum modum, quo templa, vasa, & alia huiusmodi Deo dicantur, & consecrantur.

Hinc ad argumenta contra expositionem Caiet. patet ex *tertio notabili*, videlicet actum sanctitatis addere supra actum Religionis munditiam & firmitatem. Itaque Religio offert Deo mentem absolutè; sanctitas verò consecrat & dicat; hoc est, applicat cum animi firmitate & munditia, & sub eadem ratione imperat aliarum virtutū actus, qui etiam disponunt & mundant, vt fiat ritè talis dicatio. 9 Soluūtur argumēta contra Caiet.

Ex quo resp. etiam *ad primum principale* iustitiā quandoque accipi pro rectitudine in omni materia virtutis, vt Matt. 6. *Attendite ne iustitiam vestrā faciatis coram hominibus*, & sic accipitur Luc. 1. Cōdistinguitur autem sanctitati in eodē loco, quatenus etiam sanctitas versatur per imperium circa omnium virtutum actus, nihilominus sanctitas est specialis virtus secundum essentiam identificata Religione; vt deducit D. Thom. in artic. Matth. 6. Luc. 1.

Ad secundum Resp. Charitas applicat Deo mentem vniendo illam Deo per amorem; sanctitas verò deputando illam Dei obsequio: & hæc postrema applicatio constituit sanctitatem in esse sanctitatis: Ad *confirmationem Resp.* Imperium Charitatis est in ordine ad Deum: imperium verò sanctitatis in ordine ad cultum, seu obsequiū diuinum. Prius imperium est in ordine ad vltimum finem: posterius in ordine ad vnum mediū, quod est cultus siue obsequium Dei.

Ad tertium *resp.* quòd firmitas inclusa in actu sanctitatis, neque est illa, quæ reperitur in parte integrali fortitudinis, consistens in non deficere ab opere incepto (vt ait D. Thom. *in 3. dist. 33. qu. 3. art. 3.*) neque est firmitas quę assignatur vt modus concomitans oēm actum studiosum, qui cōsistit in hoc, quod quis habeat immobilem voluntatē respectu illius operis singularis, quod fecit; & tūc quando facit, vt asserit D. Tho. *infra qu.* 88 *art. 6. ad tertiū*, sed in firmitate quadā, quæ reperitur, & reperiri debet in opere, quo quis se dicat alterius obsequio: & hæc firmitas est intrinseca ipsi actui sanctitatis, sicut & munditia. Et licet explicetur actus ipse complexè etiam per circumloquium; tamen defectus vocabulorum est in causa; sicut sæpè solet accidere: verbi gratia: bona consiliatio, rectè præcipere, moderatè appetere, & alia huiusmodi nomina importantia modum actus, significantur per circumloquium & complexè; cum tamen sint actus simplices virtutis. Sic dicēdum est de actu sāctitatis, qui vnus & simplex est; D. Thom. D. Thom.

sed

sed termino complexo importante modum per circumloquium significatur propter vocabulorum penuriam.

10 Ad quartum oportet recolere, firmitatem, quę actibus virtutis conuenire potest, esse in multiplici differetia. *Prima* est, modus quidam requisitus vt actus cuiusuis virtutis perfectè procedat: videlicet firma quædam adhæsio ad obiectum, ne actus languescat, & tepeat: & ista non est firmitas, quam includi in actu sanctitatis dixit D. Thom. *Secunda* comitatur vel comitari debet propositum faciendi, vel cōtinuandi aliquod virtutis opus, (fortassis non inepte appellabitur Cōstantia, opponiturque leuitati,) & hæc potest esse communis omni proposito faciendi opus virtutis; & ideò non est specialis actui sanctitatis; tum etiam, quia benè stat aliquem offerre suam mentem Deo de præsenti, nihil cogitando de futuro. Et ille actus cum ad sanctitatem pertineat firmitatem includit, & nullum includit propositum in futurum, saltem explicitè & formaliter. *Tertia firmitas* est illa, quæ comitatur omnem promissionem de re aliqua facienda, & neque de hac intelligitur D. Thomas, in hoc articulo, vt de se patet. *Quarta firmitas* est illa quæ intrinsecè clauditur in actu sanctitatis; quam possumus appellare firmitatem deputationis, & resultat ex applicatione actiua simul & passiua ad Dei obsequiū, vel est ipsamet applicatio passiua mentis, & eius actuum ad Dei seruitium; quæ ob id dicitur firmitas, quia sic applicatur Dei obsequio vt nullius alterius Deo oppositis obsequijs applicetur; vt videre licet in applicatione, quæ fit in obsequium hominum.

11 Deficere à *prima* firmitate fortassis inducit culpam venialem in actibus humanis. In *secunda* erit culpa consideranda ex obligatione faciendi opus deliberatum per propositum: (v.g.) Si ego proposui ieiunare hac feria quarta, quæ est sexta dies ieiunij, si non ieiuno, quia grauor infirmitate; nullum peccatum est: si ob ignauiam vel fragilitatem desisto à proposito, veniale est fortassis; si vexor graui tentatione carnis, ad quam vitandam est hic & nunc ieiunium medium necessarium, deficere à ieiunio erit peccatum mortale. Deficere à tertia firmitate peccatum est, contra promissum factum: deficere à quarta est non efficere actum sanctitatis, quia sine illa non potest constare.

Dicet quispiam, hoc esse argumentum effugere; quod contendit probare, illum qui per sanctitatem se, & sua applicuit Dei obsequio, si postea desistat ab hoc, peccare specialiter cōtra sanctitatem, quia dimouetur à firmitate inclusa in actu sanctitatis. *Et confirmatur*, quia facit actū contrarium virtuti sanctitatis: ergo peccat contra illam. Itaque non solum cessat ab opere sanctitatis, quod fortasse non erat in præcepto, sed facit actum contrarium sanctitati. Sicut qui facit actum contrarium Religioni, peccat, licet aliàs actus Religionis non esset in præcepto. Imò videtur peccare mortaliter ex genere, quia actus contrarius Religioni peccatū mortale est ex genere suo; sed sanctitas identificatur Religioni: ergo peccatum contra Religionem erit ex genere mortale.

Certè res est difficilis. Nam si (vt supra diximus) obscuritatem parit in his & similibus dubitationibus concursus varius diuersarum virtutum ad vnum & eundem actum: multò maiorem pariet concursus diuersarum rationum, quæ attenduntur in actibus diuersis eiusdem virtutis. *Quare oportet aduertere*. Si quis mentem & omnes eius actus per promissionem offerat Deo: iste actus ad votū pertinet. Si quis proponat Deo seruire mēte & actibus eius: ad Religionē vt religio est spectat iste actus. Si quis applicet, seu dedicet mētē suā & oēs actus ab ea processuros Dei seruitio: iste actus pertinet ad sanctitatem. Quod si quis desistat ab ista applicatione, & se applicet alijs, quæ nec sunt Dei, nec ad Deum referuntur aliquo modo: absque dubio peccat cōtra sanctitatem & firmitatem, quæ ibi includitur, non tamen mortaliter per se loquendo; quia hæc circūstantia firmitatis accidentalis est Religioni vt sic. 12

Itaque sanctitas, vt identificatur Religioni, obligat ex genere suo ad mortale: At vt accidētaliter differt à Religione per firmitatem, tātùm ad veniale: eo quod ille modus tantum aduersatur leuitati cordis & cuidam decentiæ. Et sicut homo qui sine obligatione promissionis, aut stipendij, & mere vltroneè se addixit vexillis Regijs, vt militet, si recedat à malitia, tantum arguitur leuitatis: sic iudicandum est de illo, qui se adduxit per sanctitatem Dei obsequio. Secus dicendum est de illo, qui se per votum & alligauit. Et ista circunstātia defectionis à sanctitate, satis exprimitur in confessione quando quis se accusat de cessatione à bonis propositis. Tum maximè, quia pauci & paucis vicibus se explicant in actum quasi heroicum sanctitatis: tum secundo, quia hic modus philosophandi de sanctitate non omnibus arridet, existimantibus multis esse quandam virtutem generalem: sicut Iustitia accepta generaliter pro congerie omnium virtutum.

Hinc patet ad *primam confirmationem* concedēdo totum, licet in dispari sensu: Nam qui deficit à firmitate requisita ad votum, peccat contra Religionem & mortaliter ex genere suo; non ita qui deficit à firmitate sanctitatis propter rationem datam. Ad *secundam confir. respond. negando consequentiam*: Nam applicatio, seu dedicatio diuino cultui, seu obsequio, duplex est, quædam solemnis, quædam non solemnis. *Solemnis* cōsistit in quadam traditione perpetua, & quasi emancipatione diuino obsequio; eò quod ritu quodam sacrato aliqua res siue animata, siue nō animata deputatur perpetuò Dei obsequijs: calices isto modo & templa sacrantur, & diuino cultui deputantur. Monachi etiam siue traditione siue sacrato ritu Dei obsequijs deputantur, & sic applicata solenni applicatione neutiquam sine piaculo magno in prophanos vsus queunt adaptari. Altera applicatio Dei obsequio est, *non solemnis*, sed simplex, per electionem scilicet voluntatis: ad eum modum, quo quis se dicat Regis seruitio vltroneè, quæ applicatio ad sanctitatem, quæ virtus est pertinet. Et non est ita 13

stricta, sicut præcedens, à qua non licet cessare, saltem propter aliquem bonum finem.

Ratio discriminis est, quia quando quis per sãctitatis virtutem applicat Dei seruitio mentem suam, & omnes actus inde promanantes; offert ista iuxta naturã suam, id est supposita mutabilitate humanæ mentis, & libera excusatione actũ, ad eum modũ quo quis se adscribit vltroneè Regis militiæ, à qua propter aliquam honesta causã licet recedere. At verò quãdo aliquid applicatione solemni applicatur Dei seruitio; totaliter alienatur ab alijs vsibus, & Dei cultui cõsecratur perpetuo. Vnde ab illa applicatione, & dedicatione non licet recedere. Quapropter istæ sanctitates habẽt se, sicut excedens & excessum: ista vasorum & aliorum huiusmodi, solemnior & firmior; illa quodammodo nobilior, quatenus ipsa res dicata est, quæ voluntariè dedicat se diuino cultui, quod non contigit in re sancta inanimata.

14 In quinto exigitur res scitu digna; quæ est mũditia requisita ad sanctitatẽ, & quomodo; vtrum præcedat eius actum, an verò sequatur? & fortasse quis poterat dicere, duplicem esse sanctitatem. Quandam omni modam; quandã in determinata materia. *Prior* est, quãdo aliquis mentem suam dicat Deo totaliter cum omni opere suo. Et hæc (si vera applicatio est) nõ potest esse sine munditia, etiam omni moda cordis, quæ non reperitur sine gratia & charitate. *Posterior* verò sanctitas in materia determinata est, quando quis applicat Deo mẽtem suã in aliquo actu peculiaris virtutis, vt si se applicet diuinis laudibus decantandis in choro, aut eleemosynis, & operibus misericordię se impendendo. Et ad hanc applicationem non requiritur omnimoda munditia mẽtis, sed dumtaxat illa, quæ tollit impedimenta illius actus studiosi exercendi in materia, ad quam mens per sãctitatem determinatur. Sic dicebatur Sãctus populus Israel per dedicationem mentis ad fidem Dei; & ad hanc sanctitatem solum erat necessaria munditia ab omni illo, quod ad talem fidem poterat impedimentum præstare.

Nihilominus his nõ obstantibus existimo hãc applicationem in materia determinata dumtaxat non pertinere ad sanctitatem, de qua loquitur D. Thom. in articulo, neque esse veram & simpliciter sanctitatem. *Primum probatur*, nam loquens de munditia requisita ad sanctitatem ait, esse illam, qua mens ab inferioribus distrahitur ad hoc, quod supremæ rei possit coniungi, eo quod mens humana inquinatur ex hoc quod inferioribus coniungitur, sicut qualibet res ex mixtione peioris sordescit; vt argentum ex mixtione plumbi. Hæc autem munditia non potest reperirii in sanctitate illa, quę dicitur esse dumtaxat in determinata natura. Item adducit testimonium Apo-
Ad Heb.12 stoli ad Hebr.12. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam: sine qua nemo videbit Deum.* Ad quam clarum est requiri omnimodam cordis munditiam. De qua dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Item tertiò, quia virtute sanctitatis asseuerat referri in Dei obsequium non solum Religionis opera; verùm & aliarum virtutũ. Hæc relatio non potest esse sine omnimoda & absoluta munditia.

Secundum verò probatur ratione. Quia sãctitas est per quam mens hominis se ipsam, & suos actus applicat diuinæ seruituti: sed qui se applicat in aliqua tantum materia Deo, non applicat propriè loquendo mentem suam diuinæ seruituti: ergo non est verè & propriè sanctitas. *Probatur minor*, quia applicare mentem & totam mentem idem sunt: iuxta illud: *Diliges Deum tuum ex tota mente tua.* *Confirmatur*, quia sicut seruus quidquid est, Domini est, sic & sanctus quod est, & potest sua mens, Dei seruituti dedicat. Et sicut ille, qui laborat in vinea mea, aut se applicat, vt œconomi officium gerat, non dicitur propriè mihi seruus: sic neque ille, qui in vna tantum aut duabus rebus se Dei obsequio dicat, dicitur Dei seruus: ac ex consequenti neque sanctus, qui debet esse Dei seruituti addictus. Illa verò dedicatio in vna aut altera materia, vel reducitur ad sanctitatem, aut fortasse magis propriè est actus Religionis, qui dicitur oblatio. De quo inferius.

Igitur munditia necessaria ad sanctitatem est 15
omnimoda; nempe deputatio affectus ab inordinatis affectionibus, quæ fit per gratiã, virtutes, & dona, maximè per charitatem: & ista munditia debet pręcedere actum sanctitatis. *Probatur*, nam per sanctitatem mens hominis Dei obsequio dicatur, & offertur; imò & quodam modo cõiungitur. Ad hoc autem necessariò supponitur munditia in mente, quia quod Deo offertur, aut coniũgitur mundum debet esse. Iuxta illud Aba- Abacuc.1.
cuc.1. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & ad iniquitatem respicere non poteris.* Confirmatur, quia in lege nihil offerebatur immundum Deo, sed prius eius munditia considerabatur: ergo potiori iure id prærequiritur, quãdo Deo se mens consecrat. Huic consentit Apost. 2. ad Corinth.7. *Mũdemus* 2.Ad.Cor.
(inquit) *nos ab omni inquinamento carnis & spiritus* 7.
(ad quod ista munditia prærequiritur) *perficientes sanctificationem in timore Dei.* quasi dicat, ad habendam sanctitatem, quæ versatur circa cultum Dei. Circa quæ verba ait D.Tho. *Perficiamus in quam,* D.Thom.
quia Philosophi conati sunt perficere, & non potuerunt, quia non potuerunt omnia peccata vitare. Quantumcumque enim aliqua peccata vitarent, & exercerent actus virtutũ, adhuc tamẽ manebat in eis peccatũ infidelitatis, & ideò in cultu Dei solùm perficitur emundatio. Et hoc est quod dicit in timore, id est in cultu Dei. Ecclesi- Eccl. 1.
astici.1. Timor Domini expellit peccatũ. Hæc D. Tho. In quibus verbis licet videre Philosophos quantumuis addictos operibus virtutum non habuisse veram sanctitatem, quia carebant munditia cordis ad illam prærequisita. Etenim habentes infidelitatem saltem negatiuam, ipsam necessariò comitabatur auersio à Deo fine supernaturali, quæ immunditia & macula cordis est: atque adeò non habebãt veram sanctitatem, quæ prærequirit omnimodam munditiam cordis.

Hinc respondetur ad argumentum, sanctitatem vt sanctitas est esse virtutem suo genere infusam, vtpote quæ reperiri non potest sine gratia & charitate, quę simul & aliarum virtutum actus omni modam mentis munditiam causant: vt latè dictum

dictum est. Et pro maiori elucidatione *aduertendum est*, quòd actus virtutum tripliciter possunt comparari ad sanctitatem. *Primo* modo, vt imperati ab ipsa, id est ordinati ad suum finē. De quo superius in articulo præcedenti multa dixi, & asserit D. Thom. *in hoc articulo, solutione ad primum:* vbi dicit quod sicut iustitia legalis dicitur generalis virtus secundum quod ordinat omnium virtutum actus ad bonum commune, ipsa tamen est specialis virtus secundum essentiam: ita & sanctitas potest dici virtus generalis, secūdum quod omnes virtutum actus ordinat ad bonum diuinum, id est ad obsequium diuinum. *Secundo modo* considerantur actus virtutum, vt disponunt ad sanctitatem: Nam si munditia præ requiritur ad sanctitatem, & munditia efficitur per virtutum actus, maximè charitatis: ergo etiam virtutum actus disponunt ad sanctitatem. Et hoc est quod ait D. Thom. in art. *Sanctitas dicitur secundum quod homo non solum opera Religionis vt sic, quæ ad cultum diuinum pertinent, refert in Deum, verùm etiam aliarū virtutum opera, secundum quod homo se disponit per bona quædam opera ad cultum diuinum pertinentia.* Et notat Caietanus, quòd quamuis per omnium virtutum opera se disponat homo ad munditiam cordis, & consequenter ad sanctitatem; tamen specialiter fecit mentionem de ipsismet operibus Religionis, vt Religio est, quia cum sint ad alterum, non ita apparet causare munditia subiecti sicut opera aliarum virtutum, quæ illius passiones moderantur, & disponunt hominem in se. Nihilominus re vera munditiam cordis causant suo modo, & ad actum sanctitatis disponunt. *Tertio modo* considerantur actus virtutum vt sunt effectus à mente procedentes: & sic non solùm mens hominis, verùm & eius actus à mente dimanantes per sanctitatem, Deo applicantur, & consecrantur.

D. Thom.

D. Thom.

Caiet.

Ex dictis colligitur, quanta sit excellentia sanctitatis supra Religionem: & actus sanctitatis vt sic valdè excedere in perfectione & nobilitate omnes alios actus pertinentes ad Dei cultum. Ex quibus etiam colligere licet interpretationem multorum locorum sacræ Scripturæ, & multorum adscribentium Religioni omnium virtutum effectus, laudes, & encomia, loquuntur de Religione vt sanctitas est. Fortasse id insinuat D. Iacobus in sua epistola, cap. 1. *Religio munda, & immaculata, &c.* Ponderanda sunt illa verba, *Munda, & immaculata,* quia loquitur de Religione, vt sanctitas est, quæ poscit cor mundum, & immaculatum. Et ad idem fit allusio elegans à Lactantio lib. 6. diuinarum institutionum, cap. 2. cùm inquit: *Nil enim sancta & singularis illa maiestas aliud ab homine desiderat, quam solam innocentiam, quam si quis obtulerit Deo, satis religiosè litabit.* Et cap. 2. *Hic verus est cultus, in quo mens colentis se ipsam Deo immaculatam victimam sistit, quod per sanctitatem fieri satis superq; docuimus.* Ad confirmationem *respondetur.* Si sit sermo de sanctitate, quæ fit per deputationem ad aliquod ministerium, qualis est vasorum sacrorum, imò & hominum sacris initiatorum, in antiqua & veteri lege etia m prærequirebatur munditia à quibusdam irregularitatibus & impedimentis ad illud ministerium exercendum.

Iacobi 1.

Lactant.

Cæterùm nos in præsentia loquimur de virtute sanctitatis, quæ prærequirit munditiam cordis, quam exigebat qui dicebat Leuitici, cap. 19. & 11. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* id est, ad mei imitationem. Fateor, ille populus Hebræorum vocatur sanctus, quamuis multi in eo essent peccatores, & similiter populus Christianus. 1. Petri 2. *Vos autem genus electum, &c. Gens sancta, populus acquisitionis.* Sed ista sanctitas est secundum quid per applicationem ad veri Dei fidem & Religionem. Nos autem loquimur de vera & simpliciter sanctitate, quam excellentissimam virtutem asserimus, complectentem totum virtutum chorum, mundantem hominem sanctum, vt in sanctitatem adspiret. Et ab hac sanctitate existimo vocatos fuisse Christianos sanctos initio nascentis Ecclesiæ, propter probatissimos mores, & innocentiam vitæ. Vt videre est apud Apost. ad Rom. cap. 1. *Omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei vocatis sanctis.* Idem habetur ad Rom. 15. 2. ad Corinth. 13. ad Philip. 4. Acto. 26. & 9. quo etiam nomine compellati sunt Christiani à diuis Ignatio, Policarpo, & à Tertulliano & alijs.

Leuit. 19. & 11.

1. Pet. 2.

Ad Rom. 1. & 15.
2. ad Cor. 13.
Ad Phil. 4.
Actor. 26
D. Igna.
Policarp.
Tertul.

QVAESTIO LXXXII.
DE DEVOTIONE.

ARTICVLVS I.
Vtrū deuotio sit specialis actus?

Summa Articuli.



Onclusio prima. Deuotio est volūtas promptè tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. Hāc probat D. Tho. ex nominis Etymologia, & testimonio Exod. 35.

Exod. 35.

Secunda conclusio. Deuotio est specialis actus voluntatis: quam colligit, vt manifestè deductam ex prima.

ARTICVLVS II.
Vtrū deuotio sit actus Religionis?

Summa Articuli.



Onclusio affirmatiua *probatur.* Operari ea quæ spectant ad diuinū cultum, pertinet ad Religionem: ergo habere promptam voluntatem ad huiusmodi exequenda, q est munus deuotionis, est actus Religionis: quia ad eandem virtutem pertinet facere aliquid, & habere prōptam voluntatē ad illud faciendum.

PRIMA

I. DISPVTATIO.

Vbi agitantur ea, quæ D.Thomas in his duobus Articulis docet.

1 ET *primò arguitur* contra articuli primi vtramque cōclusionem, vbi dicitur, deuotionem esse specialem actum voluntatis, & quod sit prōpta volūtas, &c. nā aut deuotio significat ipsū actū volūtatis, aut qualitatē eius, putà prōptitudinē, si significet actum, cùm actus voluntatis (nisi naturalis sit, quem constat non esse deuotionem,) non sit promptus, nisi sit ex habitu infuso, vel acquisito, vel inclinatione aliqua particulari, sequitur, quod deuotio non significet promptam voluntatem: si verò significet promptitudinem, cùm promptitudo non sit actus, sed qualitas, seu modus actus, sequitur quod deuotio nō sit specialis actus volūtatis. *Cōfirmatur*. Vel promptitudo, quæ includitur in deuotione, est promptitudo imbibita in omni actu voluntatis spontaneo; eo q quicunque talis actus procedit vel ex habitu, vel ex inclinatione aliqua particulari: vel est qualitas superaddita actui dignificans actum: quodcunque isto. uni sit; deuotio non erit specialis actus voluntatis: ergo.

Secundò. Esto sit actus volūtatis, probatur quod non sit velle promptè, &c. nam velle propriè versatur circa finem; eligere verò circa media; sed deuotio est Religionis actus, quæ vt dictum est in quæstione præcedenti circa media versatur, id est circa diuinum cultum, & ob id non est virtus Theologica: ergo deuotio non potest esse actus voluntatis, qui est velle, sed potius qui est eligere.

Tertiò. Deuotio ex promptitudine sumit suam rationē: vt patet ex articul. 2. & 1. sed modus iste, seu qualitas, communis est omni virtuti, quæ facit subiectum prōptè & delectabiliter operari: & ita dicimur ieiunare deuotè, legere deuotè, &c. *Confirmatur*, quia Sancti & Patres omnem actum cuiuscunq; virtutis, si promptè fiat, deuotionem appellāt: & de actu Charitatis id præcipuè dicit Bernard. *serm. 24. in Cantic.* Gregorius, *super primū lib. Reg. cap. 9.* & Ambrosius *lib. 1. de Abraham. capit. 2.* promptitudinem Abrahæ ad obediendum Deo deuotionem vocat: & similiter Patres ferè omnem actum Religionis præcipuè interiorem, deuotionem vocant. De quibus non est modo dicendum per singula, quia cuilibet legenti Patrum volumina perspicuum erit.

Bernard. Gregor. Ambros.

Quartò. Admisso deuotionem, de qua loquimur tantum pertinere ad Religionis materiam, non modica difficultas est, an includat in sua ratione promptitudinem ad Dei famulatum, & cultum, & quo modo? & videtur non includere aliam promptitudinem, nisi illam, quæ reperitur in omni actu Religionis, qui hoc ipso quod ab habitu procedit, vel ab aliqua inclinatione supplente vicem habitus, promptè & delectabiliter elicitur. *Probatur*, quia si voluntas præscindendo ab omni promptitudine, & facilitate operandi tendat in Dei obsequium, & cultum, elicit perfectum actum deuotionis & religionis: nam per illum actum se totam deuouet Deo: ergo nulla promptitudo necessaria est ad deuotionem: saltem non erit necessaria, nisi illa, quam secum affert habitus operans simul cum potentia. *Confirmatur*. Licèt Dei obsequium repræsentetur difficile, & graue: & suauitas, ac voluptas, quæ solet comitari deuotionem non sentiatur, & nihilominus in illud deliberate fertur, illa censetur vera deuotio: ergo.

Quintò. Deuotio, de qua ait D. Thom. esse actū Religionis, est in potestate nostra, quia habitibus vtimur, cum volumus, sed quælibet alia promptitudo; (præter eam, quam secum affert actus procedens ab habitu, cuius est promptè & delectabiliter operari) non est in potestate nostra: ergo nulla talis promptitudo ad deuotionem requiritur. *Minor probatur*, tum quia talis promptitudo sæpe pendet ex bona corporis dispositione, sæpe ex ablatione impedimentorum: quæ esse, & quo modo amouenda, docent spiritualis vitæ magistri: tum quia sæpe experimur nos ad eam promptitudinem conari, nec valemus assequi.

In conclusionibus D. Thom. stabiliendis non 3 est necesse immorari, cum in articulis ab eo probentur, & ab omnibus recipiantur: argumenta tamen dissoluenda sunt. Ad primum Caietanus, in Cōmentarijs huius articuli, respondet: cuius verba, quia defendenda ab impugnantibus, fideliter transcribantur. *Sicut simitas* (inquit) *significat curuitatem, non absolute, sed in certa materia, scilicet, naso: ita deuotio formaliter significat promptitudinem, non absolute, neque in quocunque actu cuiuscunque potentiæ, sed in actu voluntatis, non quocunque, sed illo, quo voluntas se, suaque omnia opera in diuino cultu offert Deo: & sic vtrumque verum est, & neutrum alteri aduersatur diuersimodè intellectum, quod scilicet, & qualitatem, & actum importat, dum significat qualitatem in tali actu speciali; sicut simitas curitatē in tali speciali materia. Ratio autem, quæ mouet ad hoc, est: quia deuotio, vt in sequenti patet articulo, est actus Religionis. Cōstat autem, quod sicut Religio est qualitas potentiæ, ita actus proprius Religionis est qualitas actus potentiæ. Sic enim in alijs virtutibus videmus, vt patet de scire in intellectu speculatiuo, & prouidere in intellectu practico, iustificatione in voluntate, & alijs huiusmodi proprijs actibus virtutum, quibus nomina non sunt imposita propria, sed circumloquimur eos cū nomine vel aduerbio bonitatis, aut rectitudinis, vt bona cōsiliatio, rectè præcipere, moderatè appetere, &c. est enim videre actus proprios virtutum qualitatem, seu modum substantiæ, actus potentiæ significare: & propterea sic est in proposito dicendū* 4 *de deuotione*. Hęc Caietani respōsio quibusdā modernis valdè displicet, præcipuè in eo quod dicit velle actum esse voluntatis, prōptitudinem autem non esse actum voluntatis, sed qualitatem, seu modum actus voluntatis: additque deuotionem

Dissoluũtur argumenta Caiet.

nem non esse ipsum velle, sed promptitudinem eius in tali actu,scilicet,colendi Deum.

Impugnatur doctrina Caiet. Contra quod obijcitur, *primò*, quia actus quicunque ab habitu& potentia elicitus quo ad substantiam& quo ad modum non includit modum vel qualitatem distinctam ab ipso actu elicito à potentia & habitu: ergo illa promptitudo, quæ includitur in deuotione nihil est aliud,nisi actus, quo quis se,& sua dedicat diuino cultui. *Probatur consequentia*,quia aliàs deuotio nō esset actus specialis Religionis,cum per illam promptitudinem constituatur in esse tali.*Contra rationem*, quæ mouet Caietanum,obijcitur *secundò*: nam ea consequentia nulla est : Religio est qualitas potentiæ voluntatis: ergo deuotio est qualitas; actus voluntatis; imò quia Religio est qualitas volūtatis, ideò à voluntate Religione ornata elicitur volitio colēdi Deum, quæ etiā est qualitas volūtatis, & simul effectus virtutis Religionis elicitus à potentia & habitu vt ab vno principio. *Confirmatur*, quia non benè intelligitur, quod potentia faciat actum,Religio verò modum distinctum ab actu, quia ipsa substantia actus debet promptè fieri, hoc autem nō posset,nisi habitus iuuaret potentiam ad ipsam substantiam actus faciendam:& idem est in alijs virtutum actibus, seruata tamen proportione.Certè Caietanus obscuritatis argui potest,falsitatis nequaquam.

5 *Pro cuius explanatione aduertendum*, aliud esse promptitudinem non supponere pro actu volūtatis,aut pro deuotione,quę citra dubiū est actus voluntatis : aliud esse prōptitudinē non includi in deuotione,seu actus voluntatis, qui est deuotio,siue includatur vt formale deuotionis, siue vt modus, de quo statim. *Primum verum est*, quia vt habemus ex Dialecticis, connotatiua vox non supponit pro suo formali: licèt principalius significet illud, nam Cathedra non est figura Cathedræ,sed lignum vt stat sub figura Cathedræ. *Secundum non est verum. Primum* asseruit acutus Doctor in Dialecticis versatus,*secundum* non negauit,sed concessit,quando inquit, deuotionem importare & actum & qualitate in tali actu speciali.Item *aduertendum* promptitudinem posse imaginari esse modum superadiectum actui deuotionis,qui est velle,& non prodire à potentia, sed à solo habitu.Et hoc esse falsum existimo; vt probant obiectiones contra Caietanum factæ: sed hoc non habetur ex verbis Caietani, vt patebit intuenti:& potest imaginari vt modus quidā pertinens ad formale Religionis, elicitus à potentia & habitu, qui à sola potentia sine habitu non eliceretur,posito tamen habitu & potentia ipso adiuta ab vtroque per modum vnius principij elicitur. *Primum* non dicit Caietanus saltem in verbis citatis;iuxta *secundum* intelligendus est, qui vtitur nomine modi, non quia non includatur in substantia actus qui est deuotio,vt formale eius, sed quia hoc formale circumloquimur per aduerbium importās modum,eo quod aliter res nequit explicari, vt patet in exemplis positis de actibus intellectus practici, benè consiliari,rectè præcipere,&c.

Soluuntur obiectiones contra Caie. Ex his liquet ad obiectiones contra ipsū factas. Ad *primam*,concesso antecedenti,negatur consequentia:quia illa qualitas significatur instar modi,sed re vera formale deuotionis non supponit pro actu,sicut & Cathedra non supponit pro figura,sed pro ligno vt stat sub tali figura.Ad *secundam* obiectionem negatur illam consequentiam esse nullam,si in vero sensu propositiones accipiantur:nō enim intendit Caietanus illā prōptitudinem non elici à potentia, sed à solo habitu: sed dignificare actum, qui nō dignificaretur nisi potentia esset affecta habitu, vel aliquo supplēte vicē habitus,quod verò ab vtroque principio concurrente per modum vnius, & actus & promptitudo eius eliciantur,non negat Caietanus saltem in hoc loco:quidquid sit de ijs, quæ alijs in locis dicit,agens de actibus humanis. 6

Igitur ad argumentum primum, positū in disputationis initio,*respondetur*,deuotionem importare vtrumque,& actum voluntatis de materiali, & promptitudinem ad illum de formali; sed non supponit pro promptitudine, sed pro actu: sicut Cathedra non supponit, & verificatur in recto de figura, sed de ligno, vt stat sub tali figura. Quamuis autem illam promptitudinem circumloquamur per aduerbium importans modum : non est tamen modus extrinsecè adiunctus actui voluntatis : sed est formale deuotionis imbibitum in ipso actu, quem deuotionem appellamus; non enim deuotio est ens per accidens compositum ex actu Religionis,& modo aliquo extra latitudinem essentialem Religionis; sed est vnum per se compositum ex aliquo materiali & formali: quod nō ignorauit Caiet. quando adducit dictum Aristotelis, omne nomē vnum, scilicet, per se significare. Ad *confirmationem*, dato primo membro antecedentis, negatur consequentia, cuius rationem statim reddemus.

Pro solutione *secundi* notat Caietanus,& benè 7 ex doctrina D. Thom.1.2. *quæst*.8. respectu finis *D. Thom. Caiet.* habere voluntatem tres actus:velle,& intendere, & cum D.Thomas dicit in solutione ad primum huius articuli,deuotionem esse actum circa vltimum finem, & non sit frui,neque intendere, necessarium est, vt sit velle respectu finis.Velle autem respectu finis contingit dupliciter. *Vno modo formaliter*, & in se: & isto modo deuotio non est velle respectu finis, vt argumentum probat. *Alio modo* possumus velle finem non in se & formaliter, sed vt solet finis contineri in medijs actibus ad consequendum finem. *Ponamus hoc in praxi.* Aliquis per deuotionem offert se Deo ad ei seruiendum promptè in omnibus, quæ ad eius cultum pertinent:iste actus est velle,& habet pro ratione volendi,ac pro fine Deum; & ideò dicitur esse actus respectu finis, & idem actus habet pro re volita se & sua in cultu diuino : vnde hac ratione est volitio mediorum ad finem,& finis vt in medijs virtualiter continetur. Hinc patet ad argumentum, quod velle ad deuotionem pertinens est respectu finis,& claudit etiam ea,quæ sūt ad finē,scilicet se ipsū,quē Deo offert,& cultūdiuinū,in quo se offert;& hinc nascitur electio mediorū cōueniētiū ad hoc, vt dicemus latius infra.

Ad

Ad tertium vt respondeatur aduertendum est, deuotionem multa significare, & huius vocis multiplicem, & variam esse acceptionem, & vsum: Nã cum deuotio à deuouendo dicatur, & deuouere sit alteri se dedere, seu eius obsequio destinare, deuotio est actus, quo quis se alteri quasi mancipat, & cum quadam auiditate destinat: & interdum hæc destinatio ad creaturas, fit etiam in humanis, & politicis obsequijs. Sic Cæsar lib. 3. de bello Gallico. *Atque ea in re* (inquit) *omnium nostrorum intentis animis alia ex parte oppidi, at Cantuanus cum sexcentis deuotis, quos illi soldurios vocant*: id est cum sexcentis militibus, qui se destinauerant, seu dederant obsequio. Et Leo sermone 8. de passione. *Iudæi quasi deuoti Romanis legibus*, id est destinati, & dicati, *dixerunt, non habemus Regem nisi Cæsarem*. At verò hæc vox *deuotio*, præcipuè est in vsu erga omnem affectum pium circa Deum, siue ad Religionem pertineat, siue non: vt videre licet in testimonijs citatis in confirmatione huius tertij argumenti: & huiuscemodi vsus vocis non parum frequens est, præcipuè circa actus internos Theologicarum virtutum.

Cæsar.

Leo Papa.

Sed in ista acceptione non loquitur D. Tho. in *hac quæst*. 82. de deuotione, sed vt coarctatur ad materiam Religionis: nam reliqui actus erga Deum potius respiciunt vnionem cum Deo (præcipuè charitatis actus) quàm deditionem & dedicationem ad Dei famulatum, quæ formalius & magis propriè fiunt per actus Religionis: & ideò D. Thom. & omnes magis propriè accõmodant deuotionem ad actus Religionis, & sic nos disputamus in præsentiarum de deuotione. Hinc patet ad tertium, & eius confirmationem, deuotionem sæpè vsurpari in actibus aliarum virtutum à Religione, sed principalius in actibus Religionis; & sic hac voce vtimur in præsentia.

8 Circa materiam *quarti & quinti argumenti* quidam censent promptitudinem ad Dei obsequiũ valdè conducere ad deuotionem, promouendam, & conseruandam, non tamen requiri, nisi fortè eam promptitudinem quam secum affert habitus Religionis: imò neque hanc requiri; quia actus deuotionis (inquiunt) potest sine habitu Religionis inueniri, si voluntas adiuuetur auxilio supernaturali. Aiunt tamen, deuotionem esse se actum voluntatis, quo se homo deuouet diuino obsequio, non promittendo, vt in voto, sed proponendo.

Hanc sententiam existimo non esse de mente D. Thomæ, neque veram. Probantur singula: nã iste actus modo relatus est generalis, nempe propositum colendi Deum per dedicationem diuino cultui: quem actum in *superiori qu. art.* 7. diximus esse actum adæquatum virtutis Religionis, à quo cæteri actus religiosi quasi imperantur, vt sacrificare, adorare, & similes. At deuotio specialis actus Religionis est propter speciale obiectum & rationem, quam respicit, vt docet D. Tho. in artic. 1. huius quæstionis. *Item*, nam dato opposito deuotio in omni actu Religionis inueniretur, sicut & ille actus generalis reperitur formaliter vel virtualiter, quia est origo cæterorum. *Consequens* est falsum, quia multi actus religiosè fiunt, & non deuotè. Dices actum illum esse generalem ratione materiæ, est tamen in suo esse particularis. Hæc solutio nullius momenti est, vt 9 quid enim D. Thom. vnum extruxisset articulum ad probandum deuotionem esse in suo esse, & in exercitio actum particularem? quod verum est citra ambiguitatem de omni actu, quantumuis generalis sit ratione materiæ: sed esse particularẽ ratione obiecti particularis, quod respicit, in articulo ostendit, & hoc conantur labefactare argumenta illius articuli, vt patebit intuenti. *Præterea* eadem sentẽtia impugnatur quoad id, quod asserit deuotionem non importare promptitudinem vllam, præter illam, quæ est inclinatio ad diuinum obsequium, significata, & exercita sufficienter per propositum colendi Deum; quod (inquiũt isti) vagatur per omnem materiam Religionis.

Et arguitur primò ex D. Tho. in 1. art. definiẽte deuotionem sic: *Est voluntas quædam prompte tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum*, id est cultum: vbi abiectum speciale deuotionis ponitur tradere se promptè diuino cultui. Ecce prõptitudo includitur in obiecto actus deuotionis.

Resp. promptitudinem dupliciter posse considerari in deuotione. *Vno modo obiectiue*, ita quod actus voluntatis, qui deuotio est, feratur vt in obiectum in totum hoc quod est promptè se tradere diuino cultui; & hoc (inquiũt) non est de ratione deuotionis, sed dumtaxat quod feratur in Dei obsequium per propositum facienti illud. *Secundo modo*, vt promptitudo se habeat ex parte actus, quæ reperitur in eo generali actu, de quo dicitur amplecti omnem materiam Religionis: siue enim ille actus promptè, siue ægrè & difficulter fiat, si tamen eliciatur maximè ab habitu Religionis, ipse reddet hominem promptum ad diuina obsequia.

Sed certe ista solutio non potest esse ad mentẽ D. Tho. qui constituens deuotionem specialem actum Religionis, penes promptum obsequium volitum illum designat. *Præterea*, quia *in art.* 2. hac ratione probat deuotionem esse actum specialem Religionis, quia ad eandem virtutem pertinet velle facere aliquid, & habere voluntatem promptam ad illud. Ecce duos actus distinguit in deuotione, velle absolutè, id est proponere facere ea, quæ pertinent ad diuinum cultum, & velle promptè eundem cultum. In primo non constituit rationem deuotionis, vt isti autores: in secundo verò ponit eam consistere. Item tantum eos distinguit actus penes habere promptitudinem & non habere, & intelligendus est ex parte obiecti ipsius actus, aliàs neque essent duo actus, nec distinguerẽtur ab inuicem, cum iuxta istorum sententiam etiam prior ille actus ex parte subiecti includat promptitudinem, non ex parte obiecti. 10

His persuasus existimo ad mentem D. Thom. & secundum veritatem, deuotionem non tantum importare actum illum, qui est propositum offerendi se Deo, & eius famulatui, sed vltra hoc addere ex parte obiecti voliti promptitudinem quan-

quandam, quæ discriminat deuotionem ab illo generali proposito, & facit eam dici, & esse specialem actum Religionis. Explanare autem quid sit illa promptitudo, cum dixerimus non esse illam, quæ comitatur omnem actum religiosum, non est ita facile, sed per ambages & circumloquia explicandum est. Est namque, vel significatur per modum, seu auiditatem quandam & inclinationem ad obsequium diuinum volitam, & appetitam, instar eius quæ reperitur in actibus virtutum heroicis intra suum genus: verbi gratia, velle oppetere mortem pro Christo, actus fortitudinis est, & modum illum fortiter secum affert, quia actus fortitudinis est.

At si quis velit hoc obiectum sub modo quodam heroico, qualis repertus fuit in egregijs martyrum triumphis, putà D. Laurentij, Vincentij, & huiusmodi, actum specialem fortitudinis habebit, significatum per hoc quod est velle fortiter occumbere pro Christo. Ita dico in præsenti, velle se promptè offerre Dei cultui, est actus quasi heroicus intra actus Religionis: & modus ille volitus significatus per aduerbium *promptè* non importat qualemcunque promptitudinem, sed eximiam: id est auiditatem seu inclinationem ad Deo cultum exhibendum: ratione cuius homines producunt actus non vtcunque religiosos, sed egregios affectuosos, qui dicuntur deuoti: quod vel ex eo probatur, quia deuotio extollitur supra cæteros Religionis actus propter promptitudinem in eo inclusam. At si esset promptitudo communis omni actui religioso, non esset vnde extolleretur, & præferretur alijs actibus: ergo est specialis quædam promptitudo difficilis declaratu, sed vtcumque à nobis declarata, & insi-
D.Greg. nuata à D. Gregorio lib. 4. in 1. Reg. circa illa verba, cap. 9. *Sacrificium est Populi in excelso,* cum dixit: *Hostia mentis eius deuotio est: tunc enim carnalia nostra destruimus, cum ardēti deuotione ad cælestia subleuamur*: per actum enim illum, quo anima se offert non vtcunque, sed in excelso, id est cum magna promptitudine & speciali, inclusa in ardenti deuotione, id est quæ in sui ratione ardens est dicitur se hostiam consecrare, & sacrificare.

Hinc patet ad *argumentum quartum*, concedē-
11 do antecedens; si sit tamen sermo de promptitudine ex parte subiecti habita, & quæ reperitur in omni actu religioso, & præcipuè in illo actu generali, propono Deo obsequi, & famulari in ordine ad eius cultum: at verò si sit sermo de promptitudine, quæ volita est ex parte obiecti, negatur illā reperiri in omni actu Religionis, neque in præfato generali actu; qui pro positū seu deliberatio in materia Religionis est, & dicitur. Ad *probationē negat. antec.* quia ille actus qui sic præscindit à promptitudine, est quidē Religionis, sed nō est deuotio. *Ad confirmationem negatur antecedens*: quia promptitudo inclusa in deuotione non est illa, quæ aliquando causatur à gaudio & dulcedine: imò potius est eius effectus illa suauitas, & dulcedo, vt iam paramus dicere. Ad *quintum argumentum negatur minor.* Ad probationem dicimus, eam promptitudinem, quam nos ponimus esse de ratione deuotionis, non pēdere ex bona corporis dispositione, aut alijs impedimētis temporalibus: sed nos posse pro nostro arbitratu ad eam conari, & mediante habitu assequi. Fatemur, sæpe vulgus, imò & Sanctos appellare deuotionem, quandam dulcedinem, & suauitatem, quæ sentitur in actibus Religionis, non solum in mente, verùm etiam in appetitu & corpore, iuxta illud Psal. 83. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Et illud Psal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Psa. 83. &
Sed iste actus non est deuotio propriè loquendo, 118.
& hæc suauitas multum pendet à bona dispositione corporis, & à remotione aliorum impedimentorum: & eam habere non est in nostra potestate, etiamsi ad ipsam conemur: quare non est propriè dicenda deuotio, licet aliquando eo nomine nuncupetur, vel quia per veram deuotionem excitatur, vel quia veram deuotionem fouet, & adiuuat, maximè in incipientibus.

Circa solutionem ad tertium 2. articuli, *ad-
uerte*, quo modo D. Thom. deuotionem ad 12
Sanctos refert ad virtutem Religionis: quia ipsis D. Thom.
sumus deuoti propter Deum, & tamen *quæstione sequenti artic. 4. ad secundum* orationem ad Sanctos non ad Religionem, sed ad aliam virtutem, putà Duliam reducit. De hoc nos in eo loco latius: modo verò dicimus sanctum Doctorem in hoc loco tantum voluisse ostendere, quo modo deuotio ad Sanctos possit esse actus Religionis, quando scilicet deuotio non fundatur in excellentia creata Sanctorum, sed transit in Deum, & vt aliquid Dei considerantur: non tamen negat posse etiam pertinere ad Duliam, quin potius in eo loco affirmat, & in hoc insinuat, cum ait: *Deuotio autem, quam subditi dicuntur habere ad dominos temporales, alterius est rationis, sicut & temporalibus dominis famulari, differt à famulatu diuino*; nimirum, quia propter excellentiam creatam illis famulatus exhibetur: & propter eandem rationem, si Sanctis propter sanctitatem creatam famulemur, ille famulatus differt à diuino, & ad Duliam, non ad Religionem, pertinet.

Circa solutionem *ad secundum eiusdem secundi articuli*, notanda est cum Caietano differentia v-
nionum cum Deo, quæ fiunt per charitatem, 13
sanctitatem & per deuotionem. Nam charitas vnit mentem Deo vnione spiritus, hoc est voluntatis; non quomodocunque, sed ita quod habentis charitatem, & Dei sit vnum velle, vno vitali impulsu, quem significat spiritus: dicitur autem vnum velle, & vnus vitalis impulsus propter vnitatem amantium se mutuò, & propter transformationem amantis in amatum: & hoc est quod scriptū est: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cū eo.* Sed hæc nō plenè nouit, nisi qui gustat. Sāctitas verò vt sanctitas est, vnit mētē Deo, vt subditā honorādo, & propter mentē, cætera ad honorem & cultū Dei. Deuotio vero applicat hominem promptè ad ipsa opera diuini cultus.

Ex quo agnoscentur multa discrimina inter istas virtutū vniones: nā vnio charitatis præcipua est, & maximè vnitiua, per amorem scilicet. Vnio verò, quæ fit per sanctitatem & Religionem, est honoratiua sicut serui ad Dominum. Item charitas vnit nos Deo per se ipsā: sanctitas vero & Religio mediante charitate: saltem habet hoc verū de san-

de sanctitate, quæ elicit actus vel supposita charitate, vel imperante. Ex hoc etiam colligitur discrimen inter deuotionem, quæ est actus Religionis, & inter actum sanctitatis, vt sic, qui est tradere mentem Deo. Nam deuotio tradit mentē Deo nō absolutè, sed in materia determinata; nempe in his, quæ ad diuinū cultum seu famulatum spectant, & sanctitas absolutè applicat mentem Deo in ordine ad omnes virtutum actus.

Ex quo etiam infertur alterum discrimen. Nā sanctitatis actus nequit reperiri sine gratia & charitate, vt deduxi supra circa articulum vltimum quæstionis præcedentis. At verò deuotio, qui est actus Religionis vt sic, benè potest reperiri sine gratia & charitate: non enim videtur implicare contradictionem, quod aliquis habeat promptam voluntatem exequendi omnia, quæ pertinent ad diuinum cultum, & esse in peccato mortali: quod si aliquādo reperias apud Sanctos vel alios viros doctos deuotionem veram non esse in homine peccatore, loquuntur de deuotione vt est prompta voluntas tradendi mentem Deo in ordine ad omnes actus virtutum, quæ deuotio non est propriè actus Religionis vt sic, sed vt sanctitas est.


Et hæc deuotio iure extollitur à viris spiritualibus, tanquam parens omnium virtutum moralium, & quodammodo Theologalium: nō quia has efficit, cum potius illas supponat, & imperetur ab ipsis: sed quia illas conseruat, nutrit, ac auget, vt inquit D. Th. hic ad secundum. Vnde non inepte Hugo de sancto Victore *tom. 2. de arca moralι, lib. 3. cap. 5.* lignum vitæ dicit germinare per deuotionem, quemadmodum enim grana germinare dicuntur, quādo occulta quadam vi naturæ, id quod integrum est rumpitur, & exterius manifestatur, sic mens hominis occulta vi deuotionis impellente actus virtutum interius & exterius prorumpit. *D. Thom.* *Hugo.*

Est ergo deuotio quasi omnium virtutum parens: & ob id à quodam viro spirituali aquę comparatur, quæ terram impinguat, & germinare facit: quapropter sicut in horto arboribus consito inter primas curas collocatur ad eas irrigandas puteum fodere. aut aliunde aquam deriuare, ne alij labores & diligentiæ irritæ sint: ita quisquis virtutum plantas excolere ardenti desiderio cupit deuotionis quoq; exercitia colere debet, quibus virtutum plantas alat, atq; sustentet. Sed quæ sunt ista exercitia? statim D. Thom. *in art. sequenti.*

ARTICVLVS III.

An contemplatio, seu meditatio sit deuotionis causa?

Summa Articuli.



1 CONCLVSIO prima. Causa deuotionis extrinseca & principalis Deus est. *Probatur* ex Ambrosio super *Lucam cap. 9.* *Ambros.*

Secunda conclusio. Causa intrinseca ex parte nostra oportet, quod sit meditatio, seu contemplatio. *Probatur.* Deuotio est actus voluntatis ad hoc quod homo promptè se tradat diuino obsequio; sicut supra dictum est: sed homo per mediationem vel contemplationem concipit, quod se tradat huic obsequio: ergo necesse est, quod meditatio seu contemplatio sit deuotionis causa. *Minor probatur*, quia omnis actus volūtatis ex aliqua consideratione procedit: & in deuotione ista cōsideratio est, quod homo concipiat se tradere diuino cultui, vel quod æquum est se tradere.

Antequam literam & conclusiones D. Tho. discutiamus necessarium existimo inquirere vel summis labijs attingere aliqua de meditatione & cōtēplatione, quæ dicūtur esse deuotionis causa.

DISPVTATIO I.

Quid sint meditatio & contemplatio: & cuius potentiæ actus sint?

PRIMA *assertio nostra sit.* Meditatio & contemplatio, quæ à D. Tho. dicuntur esse deuotionis causa, sunt actus intellectus formaliter loquendo. Assertio habetur ex D. Tho. inferius *q. 180. art. 1.* Sed pro explanatione notanda est doctrina D. Tho. in ea *quæstione*, *præcipuè art. 1. 6. & 8.* vbi enumerans actus intellectus, qui ad contemplationem ordinantur eos discriminat ex sententia Richardi de sancto Victore, *lib. de contemplatione cap. 3. ait* enim, specialius *art. 3.* ad contemplationem ordinari cogitationem, considerationem, meditationem, speculationem, auditionem, lectionem, loquutionem: quæ omnia in contemplatione, quæ etiam est actus intellectus terminātur. Cogitatio quāuis teste Aug. *lib. 14. de Trinit. cap. 7.* quandoq; accipiatur pro quacunq; cognitione intellectus, tamen magis propriè est improuidus animi respectus ad euagationem pronus. Vnde idem de Trinit. ca. 15. *Tunc* (ait) *aliquid cogitamus, quando volubili mentis notatione, nunc hoc, nunc illud, sicut occurrerit, vel inuentum fuerit, apprehendimus*, vt innuitur Sap. 9. *Deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* *D. Thom.* *Richar.* *D. August.* 2 *Sapien. 9.*

Ad cogitationem red[u]citur lectio, in quantū hanc cogitationem excitat: & sermo vocalis, & quodcunq; aliud signum exterius, quod mentem ad hāc cogitationem possit excitare. Idem fermè dicendum est de consideratione, quæ in vsu latinorum quamcunq; intellectus agnitionem significat, vt ex *Arist. 3. de anima notat* D. Th. At verò specialiori significatione accipitur pro meditatione à D. Bernar. *lib. 2. de considerat. cap. 2.* *D. Bernar.*

Meditatio verò est prouidus animi obtutus in veritatis inquisitione vehementer occupatus, vt ad veritatem perueniatur. Vel meditatio est studiosa mētis attētio circa aliquid inuestigādū diligēter insistens. Speculatio autē secundum D. Th. hic significat meditationem: *Quia non est* (inquit) *dicta ab specula, sed ab speculo.* Atque ita speculari Deum est ipsum ex creaturis inuestigare; nam effectus

effectus sunt quasi speculum, in quo causa cernitur. Et ideo Paulus 2. ad Corinth. 3. *Nos gloriam Domini speculantes.*

Paul. 2 ad Corin. 3.

Cõtemplatio verò licèt quandoq; apud Latinos accipiatur pro meditatione & cõsideratione, vt apud Ciceronẽ, *l. 4. de finibus:* Tamẽ apud eosdẽ Latinos, præcipue apud Theologos sumitur pro ipsa intuitione veritatis, nõ per modũ inquisitionis, sed tanquam aspectus veritatis, iam acquisitæ, & inuentæ. Vnde à Richardo, approbante D. Tho. dicitur esse perspicax & liber animi contuitus in res perspiciendas: quem actum Richardus comparat quieti, quam nonnullæ aues interdum in alta regione aeris retinent, vbi postquam ascenderunt, quasi suspensæ immobiliter in vno loco manent.

Cicero.

Deducamus ista in praxim, vt melius intelligantur. Occurrit menti huc illucque vaganti Dei bonitas, hæc est cogitatio, rimatur ibidem aliqua de eadem scitu digna; iam cogitatio in meditationem transit: at si istas veritates de Deo bonitate per meditationem quæsitas mens simplici & quieto animo amplectatur, vt in eis quiescat, iam meditatio in contemplationem transiuit. Et licet vsus harum vocum reperiatur apud Autores prophanos, & interdũ apud sanctos circa materiam & veritates merè naturales: tamen per antonomasiam, & ex vsu piorum accommodatur: primò quidem circa Deum, secundariò circa res diuinas, aut opera, vel beneficia, vel effectus quatenus ad ipsius cognitionem conferunt. Ita D. Tho. *dicta q. 180. ar. 4.* loquens specialiter de contemplatione. Sed rogas. Meditatio & cõtẽplatio, quæ à nobis tractantur, & dicuntur esse causa cõtemplationis, cuius habitus aut virtutis actus sũt?

3 *Secunda assertio.* Fidei, aut scientiæ Theologicæ, per se loquẽdo. *Prima pars probatur:* quia contemplatio & meditatio, quæ ad eam ordinatur, debet versari circa obiectum diuinum, quale est præcipuè obiectum fidei. Quod benè considerauit Aug. in lib. *medit. cap. 27.* & Greg. *hom. 8. in Ezech.* & ratio est: quia perfecta contemplatio huius vitæ (loquimur de supernaturali) debet esse cũ perfecta adhæsione intellectus ad veritatem contẽplatam, per firmum assensum fundatum in reuelatione diuina, quæ obscura est in hac vita: ergo talis contemplatio debet esse per assensum fidei.

August.
Gregor.

Secunda verò pars nõ videtur ita certa propter verba D. Thom. *in art. 6.* dicentis, Cõtemplationem esse simplicem actum sine discursu, & in hac operatione non esse errorem, sicut patet: quia circa intellectum primorum principiorum nõ erratur, quę simplici intuitu cognoscimus: at in cognitione Theologica necessarius est discursus, & multoties error propter opinionũ varietatẽ. Ergo in talibus cognitionibus nõ potest esse contemplatio.

D. Thom.

Respondetur. In contẽplatione, quæ est actus fidei, hæc omnia reperiuntur, quia actus fidei simplex est, & sine discursu, licet quodãmodo illum supponat ad proximã obiecti applicationẽ. Item nullus ibi error inuenitur. At vero contẽplationẽ circa veritates Theologicas dicimus nõ esse cum discursu, quia est actus simplex & quasi effectus discursus; at discursus in ipso actu contemplationis nõ includitur, licèt supponatur: neq; includit errorem cum innitatur mediatè lumini fidei, cognitiones autem opinatiuæ neutiquam ad contẽplationẽ pertinere possunt, neq; illi qui his vacãt contẽplatiui debẽt dici. Neq; consultũ est has contemplari, aut contemplandas tradere: quibus quadrat illud Osee 9. *Da eis vuluam sine liberis, & vbera arẽtia.* Nimirũ quia relictis veritatibus certis, quib. sacrę literę abũdãt, opinionib. & imaginationib. in certis vacãt, & discipulos vacare docẽt.

Osea.

Dices: Quomodo est actus simplex circa veritates has Theologicas, si neque est credere, neque ex vno in aliud per cognitionem deuenire? Fortasse quis posset existimare, esse simplicem quandam apprehensionem obiecti, ita vt contemplãs nil de illa veritate iudicet; sed falso existimabit: Tum quia talis contemplatio non esset de veritate formaliter, quæ in prima operatione intellectus nõ inuenitur: Tum quia vix vllã delectationem afferret menti, nisi includeret cognitionem, & iudiciũ de veritate ipsa: est ergo quędam intuitio apprehensiua & iudicatiua de veritate cõtemplata: sicut visio Dei in patria est omnium contẽplationum excellentissima, & est iudicatiua, & simul apprehẽsiua. Cur ergo nõ ita erũt nostræ cõtẽplationes, q̃ sunt illius quædã participationes?

Vltima assertiò. Licet meditatio & contemplatio sint formaliter actus intellectus, habẽt tamen (præcipuè contemplatio) adiunctos actus voluntatis. Ad cuius probationem sat esset aduertere ex D. Thom. *supra qu. 45. art. 3.* meditationes & contemplationes (de quibus dicitur esse causam deuotionis) non esse merè speculatiuas, sed practicas: tum ex veritatibus contemplatis seu meditatis, tum ex intentione operantis. Ex veritatibus quidem contemplatis, quia huiusmodi contemplationes, & meditationes, licet sint de Deo & eius attributis non sistunt in ipso sub mera ratione intelligibilis, sed etiam feruntur in eum vt est dignus gloria, honore. &c. Ex intentione vero operantis res clara est, ad hoc enim tendunt nostræ piæ meditationes, & contemplationes, vt Deo vniamur, quantum nobis possibile est. 4

D. Thom.

Hinc infertur nostra assertio: quia illa praxis sine actu voluntatis non constat. Et confirmatur ex D. Tho. *in q. 180. citata art. 1. & vlt.* vbi actus voluntatis antecedentes & subsequentes ipsam cõtemplationem designat. Antecedẽtem actum dicit esse affectũ contẽplãdi, id est amorẽ vel ipsius contẽplationis vel rei cõtẽplatæ, vt latius explicat S. Doctor loco modò citatò. Ex hac assertione colliges interpretationem sanctorum Patrum, qui contemplationem videntur numerare inter opera voluntatis. August. lib. de spiritu & anima, cap. 32. *Cõtẽplatio* (inquit) *est perspicua veritatis iocũda admiratio.* Et tamẽ admiratio, quę est quoddã genus timoris actus volũtatis cẽsetur. Et Bern. lib. 5. de cõside. in fine ait. *Maximã contẽplationẽ esse admirationẽ diuinæ maiestatis,* & lib. de scala Claust. *Contemplatio est ipsa dulcedo iocundans.* quę actus voluntatis est. Gregor. *homi. 14. in Ezech. & 6. moral. cap. 18.* eximiam contemplationem constituit in affectu charitatis. Hi Sancti & alij sic loquẽtes intelligẽdi sũt de actibus cõcomitantibus ipsam

D. Thom.
D. Bernar
D. Grego.

ipsam contemplationem, non de ipso actu contemplationis, vt D. Thom. egregiè docet in quæst. 180. art. 1. & 3. citatis.

5 *Impugnātur asserentes contemplationem esse sine omni actu.* *Thaulerus.* *D. Dion.* Ex his clarè perspicies, quàm longe sint à veritate quidam qui se spirituales nimis, iactant, & asserunt aliquando mentem contemplantiū, aut mentaliter orantium, ita eleuari, vt ab omni operatione intellectus & voluntatis cesset: & tunc eximium genus contemplationis & orationis exercere, quod vocat orationem silentij, seu spiritualem somnum. Hęc sententia adscribitur Ioāni Thaulero *in suis institutionibus, cap. 12.* imò & Dionysio *cap. 7. de diuinis nominibus*: explicantes autem quomodo hoc sit possibile duo dicunt. *Primum est* in ea contemplatione mentem non agere, sed pati loquutionem Dei ad ipsam. *Secundò* dicunr, quamuis Deus non loquatur actu cum homine, in ea cessatione ab actu manere hominem quasi suspensum, & paratum ad audiendum Deū: per eam enim cessationem manet homo magis dispositus, minùsve impeditus ad recipiendā & audiēdam diuinam loquutionem; iuxta illud quod dicitur: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, & illud: *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Hæc sentētia ex dictis satis confutata est: Nā neque oratio, neq; cōtēplatio, neq; aliqua mentalis cum Deo vnio reperitur sine actu intellectus aut voluntatis. Ego hāc cessationē ab omni actu potius appellarē ruinā & casum contemplationis, quam contemplationem, potius appellarem ociositatem, quàm orationem, & figmentum nullius fructus, neque menti, neque impetrationis, neque deuotionis, neque charitatis nutrimentum, &c.

Illud verò primum quod addunt ad suę sentētiæ explicationem, nequaquam eis fauet; Deus enim licèt aliquando præueniat hominem loquēdo cum ipso internè, non tamen id fit mouendo ipsum, vt rem inanimatam, sed vitaliter: quod nequit fieri sine operatione ipsius viuentis. Itaq; siue Deus dicatur loqui ad hominem internè, siue hominem loqui ad Deum, vtrumque debet fieri cooperante ipso homine: est tamē differentia, nam loquutio Dei ad hominem incipit à Deo siue per infusionem, siue per motionem, & applicationem aliquarum specierum, & terminatur ad actum, qui in homine recipitur & pro vt est principaliter à Deo, dicitur loquutio Dei. pro vt vero est ab homine, dicitur auditio: loquutio autem hominis ad Deum est, quando aliquid ab ipso desiderat, vel desiderium suum illi exprimit; quæ quidem loquutio etiam Dei est, & ab eo incipit vel mouente affectum, vel dirigente intellectū: tamen non vocatur loquutio Dei, quia per illam non tam mouet ad intelligendū, quàm ad operandū. Vocatur autē loquutio hominis; quatenus cooperando gratiæ Dei suum affectū Deo exprimit. *Confirmatur*, quia non est intelligibile loquutionem Dei fieri ad hominem; & ipsum eam audire, nisi per intellectum suum: ergo operatio est intellectus, illa auditio verborum Dei.

6 Illud verò secūdum quod dicitur de expectatione cōtemplantis, vt illi loquatur Deus sine vllo actu expectantis impossibile est. *Tum* quia illa expectatio actus necessario est intellectus, aut voluntatis. *Tum* quia vix intelligibile est intellectum manere suspensum sine vllo actu: sed si cessatur ab actu circa Deum & diuina, necesse est ad alia diuertere, aut dormire, aut extra se esse. Item quamuis Deus sæpè alloquatur homines, mouendo eorum mentes ad eum audiendū, hoc tamen procurare, & expectare per cessationē ab omni actu, etiā circa Deum & diuina, non cēseo bonum consilium, sed potius periculosum, vt Angelus Satanæ transfigurans se in Angelum lucis sit, qui loquatur, & sua loquutione, vt diuina accepta decipiat audientem. Sic accidisse cuidam hoc modo auscultanti diuina verba, certò scio. Orandus quidem est Deus, & per contēplationem animus ad superna erigendus: sed in ipso contemplationis culmine, intellectu, & voluntate tanquam quibusdam brachijs amplectendus: inquietudines amoueantur, discursus cessent, sed operationes intellectus & voluntatis vigeant.

Hæc dicta sint de meditatione & contemplatione pro intellectu D. Th. dicētis eas esse deuotionis causas: quarum copiosior discussio pertinet *ad q. 179. & 180.* vbi Deo danre agemus, tractantes de statu & vita contemplatiua. Et in *q. 174.* an possit esse contemplatio sine operatione sensus & de ecstasi, aut raptu, quæ solent comitari contemplationem multa *in quæst. 175.* nolo enim disputationes à proprijs sedibus extrahere, proprias autem sedes appello loca, vbi D. Thom. in summa Theologiæ versat, tum quia iam sancti Doctoris autoritas hoc obtinuit apud omnes Theologos paucis exceptis: tum quia illum ordinem propè diuinum existimo, in quo non solum alios verum & se ipsum alijs locis disserentem vicit, & ideò meritò imitandus.

His prælibatis circa meditationem & contēplationem, quæ dicuntur esse causa deuotionis, circa literam & conclusiones D. Thom. in hoc tertio articulo insistendum est. De quo sit:

DISPVTATIO II.

De veritate conclusionum.

1 *D. Amb.* ET circa primam notandum, D. Tho. vt claram dumtaxat probasse testimonio D. Amb. lib. 6. in cap. 9. Lucæ dicentis: *Deus quos vult ex indeuotis deuotos facit*: Et ratione clara etiam probatur, quia deuotio, vt pote præcipuus religionis infusæ actus supernaturalis est, pertinens ad gratiam operantem, & cooperantem: ergo eius, Deus est principalis autor.

Cōtra secundam concl. argu. 1. Vt habeatur deuotio, sat est cognitio quæcunq; obiecti voliti, siue illa habeatur per scientiam, siue per fidem, siue per cogitationem aut considerationem: ergo non est necessaria contemplatio, aut meditatio. *Antecedens patet*, tum ex ratione D. Th. quæ nihil aliud concludit, si benè inspiciatur: tū quia quomodocunq; cognoscatur Deum esse dignum obsequio, nil vetat voluntatem prorumpere, vt se tradat eius obsequijs. *Consequentia verò probatur*, quia cognitio scientifica aut fidei aut cogitatio valde distāt à meditatione, vt dictū est.

Secundo

Secundò. Ad excitandam & promouẽdam deuotionem, non solum confert meditatio, verum & omnium virtutum actus, quos diximus quæstione præcedenti; artic. vltimo, disponere ad sanctitatem: ergo diminutè processit D. Tho. asserens, meditationem esse causam deuotionis: cùm alia quamplurima causent illam. *Confirmatur*. Nam lectio maximè sanctarum Scripturarum, auditio concionum, conuersatio spiritualium hominum efficit id, quod meditatio, & aliquando efficacius: ergo, &c.

Tertiò. Deuotio potius inuenitur in viris simplicibus & fœminis, quàm in viris doctis: tamen hi simplices neque abundant meditationibus, neq; contemplationibus, sua rusticitate cõtẽti: ergo contemplatio aut meditatio non sunt deuotionis causa: aliàs magis apti ad meditationem magis abundarent deuotione.

Quartò. Quia interdum deuotio excitat ad orandum, ad meditandum, & contemplandum, & tunc meditatio & contemplatio sunt effectus deuotionis, non causa: ergo.

2 *Soluũtur argumẽta proposita.* Ad argumenta continuò *Resp*. *Ad primum* D. Thom. accipere meditationem pro quacunque cognitione diuinorum, & eorum quæ ad diuina pertinent. si illorum consideratio apta est excitare mentis deuotionem. *Secundo resp*. concedendo posse haberi deuotionem sine præuia meditatione, mediante alia cognitione, siue sit scientiæ, siue speculationis, siue sit cogitatio, maxime Deo donante, qui (vt ait Amb. vbi supra) *potuit Samaritanos ex indeuotis deuotos facere*. Nihilominus D. Thom. *ex secunda conclusione* assignat causas intrinsecas incitãtes ad deuotionem communiter, & vt in plurimum: & hæ non sunt cognitiones qualescunq;, sed meditatio aut contemplatio diuinorum. De quarum laude & praxi multa scripsêre viri spirituales, sed præ cæteris ordinatius, & compendiosius D. Th. *in hoc ar*. qui hanc meditationis materiam sumit ex duplici capite. *Ambros.* *D. Thom.*

Primũ est, consideratio bonitatis diuinæ, & cæterarum perfectionum eius ac beneficiorum hominibus collatorum: quæ consideratio varios erga Deum affectus pios excitat, præcipuè dilectionem charitatis, quæ est proxima deuotionis causa. Et licèt ea, quæ pertinent ad diuinitatem sint altioris contemplationis, atq; adeò secundum se magis excitantia ad dilectionem, ac consequenter ad deuotionem, sed tamen ex debilitate mentis humanæ, quæ in ordine ad dilectionem, & deuotionem indiget manuductione sensibilium, magis excitamur ad deuotionem ex aliquibus sensibilibus nobis notis: verbi gratia beneficijs collatis, inter quæ principem locum tenent humanitas Christi, & mysteria ad eam pertinentia, quæ valdè excitant nostram dilectionẽ & deuotionem: secundo sumitur ex parte hominis considerantis suos defectus: vnde nascitur humilitas, & Deo inniti vt ab illis liberemur, & excluditur præsumptio, quæ magnum impedimentum præstat, ne Deo subijciamur, quod valdè pertinet ad deuotionem.

Caiet. Hæc aliquanto latius prosequitur Caiet. in Commentarijs huius articuli: vbi mirificè commemorat beneficia Dei, & defectus hominis, qui sunt considerandi ad excitandam deuotionem. Cuius autoris verba aurea propter eos, qui Caietani commentaria non habent ad manum fideliter apponam. *Nota causas deuotionis intrinsecas, duas scilicet, Alteram ex parte meditationis Dei & beneficiorum suorum, Alteram ex parte meditationis propriorum defectuum*. In prima sunt *bonitas, misericordia, charitas, &c. Dei erga hominem, & me, beneficiaque creationis ad imaginem suam, redemptionis, baptismi, inspirationis, vocationis per se, vel alios, expectationis ad pœnitentiam, Eucharistiæ, præseruationis à tot periculis animæ & corporis, Angelica custodiæ, & reliquorum beneficiorum singularium*. In secunda sunt *defectus culpæ & pœnæ, tam in præterito quàm in præsenti, labilitas ad peccandum, dissipatio propriæ substantiæ assuefaciendò cogitatus, & voluntates, & inclinationes aliarum suarum virium ad malum; habitatio in regione longinqua ab amicitia & conuersatione diuina; peruersitas affectus, magis temporalia, quàm spiritualia commoda vel incommoda sentientis; nuditas à virtutibus; vulnera ignorantiæ, malitiæ, infirmitatis, & concupiscentiæ; vincula manuum, & pedum, operum scilicet, & affectuum; in tenebris, in fœtoribus & amaritudinibus esse, nec horrere; vocem Pastoris interius non agnoscere: & quod omnibus peius est, Deum pro inimico, & hoste totiens elegisse mortaliter peccando, & propterea tantam iniuriam eidem fecisse, vt pro Deo refutatus sit, factusque noster Deus sit venter, aut pecunia, aut delectatio, &c. Ex huiusmodi namque meditationibus, quæ quotidianæ esse debent religiosis, & spiritualibus personis, omisso vocalium orationum multiloquio voluntario, deuotio aliaque consequenter gignuntur virtutes. Nec Religiosi, aut Religiosæ, seu spiritualis etiam nomine vocari potest, qui saltem semel in die ad huiusmodi se non transfert. Quomodo namque effectus absque causa, finis absque medio, insularis portus absque nauigatione haberi nequit, sic nec Religio in actu absque frequentatis actibus suarum causarum mediorum, ac vehiculorum.* Nota bene Religiose, & ecclesiasticè.

Ego verò sanctè promitto, quod qui hoc consilium Caietani attentè & ardenti studio sequutus fuerit, poterit dicere cum Propheta Psal. 38. *In meditatione mea exardescit ignis*, nimirum deuotionis, attente inquam, & magno studio. Nam si tepidè, & languidè, & sine affectu, hoc non est propriè meditari, vt vidimus ex Richardo & D. Thom. sed est speculari, aut cogitare. Optime quadrat verbum Hebræum, quod ponitur pro meditari: vt in Psal. 1. de viro iusto, *In lege Domini voluntas eius*. Voluntas, voluptas, & delectatio, desiderium, studium, negotium. Nam vox Hebraica *hepheiz* hæc omnia significat, in Ecclesiast. sæpius. *Et in lege eius meditabitur die ac nocte*. Meditabitur, id est se exercebit efficaciter, cogitabit solicitus scilicet de ea cognoscenda, & mysterijs in ea absconditis. Et in Hebræo non ponitur *Tsapha*, id est speculari, sed *Haga*, quod vehementius est. Includit enim ingentem quandam agitationem mentis, & quasi curam & solicitudinem, quæ erumpat sæpe ad oris motum, & summissam vocem, & si opus fuerit ad operationem. *Psal. 38.* *Richar.* *D. Thom.* *Psalm. 1*

Hinc intelligitur illud Psal. 36. *Os iusti meditabitur* *Psal. 36.*

bitur sapientiam apparet impropria loquutio, nam mens est quæ meditatur, non os: non est impropria, sed pulchra allusio ad ea, quæ dicebamus: dicitur autem vir iustus ore meditare diuina, quia mens eius adeò vehementer occupatur cõsideratione diuinorum, vt in oris murmur prorumpat, sicut solet fieri quando vehementer aliqua cogitamus.

Ad secundum resp. D. Tho. *in art.* non instruere quæstionem de omnibus quomodocunque disponentibus, aut adiuuantibus deuotionẽm: nã vt argumentum probat, sunt pleraque alia, præter meditationes, sed dumtaxat intendit scire causas deuotionis ex parte intellectus suppeditãtis materiam, vnde mens excitetur ad deuotionẽ: & causa proxima, & potissima intrinseca tale ex-
4 ercens munus meditatio est. *Ad confirmationem resp.* nomine meditationis comprehendi præfata, quia sunt velut causæ proponentes quæ meditetur mens, lectio potissimè Scripturarum sanctarum, & sacrorum interpretum commendatur.
Chrysost. Chrysost. hom. 7. de pœnitentia post elegans simile, *Quotquot desiderat quis bona, sacra comperiet in Scriptura.* & hom. 48. in Matth. hom. 29. in Gene. late hom. 8. in Lucam, quæ est concio de Lazaro
August. 4. Mulra luculenter de hac re August. quæst. 110. ex vtroque testamento. *Sicut lignum iuxta aquam plantatum sterile esse non potest, ita qui frequenter legi Dei studet, non potest eius operis nõ habere affectum, &c.* Et subdit quædam, in quibus fit allusio ad ea, quę dicuntur de meditatione hominis iusti sub metaphora ligni plantati secus aquarum decursus, & *sermone 56. ad fratres in eremo* multa egregiè.
Hieron. Hieron. lib. 14. in cap. 45. Ezech. explicans illa verba: *Et arietem vnum offeretis de grege, &c.* inquit, *Suscipit Christus Dominus arietem vel animal, quod nutritum est in locis irriguis Scripturarum sanctarum, & potest dicere, Dominus pascit me, &c. Hæc erunt irrigua, imò hi canales, ad quos Iacob ducebat pecora sua, vt in ipsis biberent, atque conciperent; & iuxta virgarum colorem fœtus ederent Domino.* Et idem Hieron. ad
Hieron. Demetriadem cap. 5. *Vnum illud tibi, nata Deo, præque omnibus vnum prædicans, & repetens iterum iterũque monebo, vt animum tuum sacræ lectionis amore occupes.* Et postea circa finem epistolæ. *Finem iungo principio, nec semel monuisse contentus sum; ama Scripturas sanctas, & amabit te sapientia; dilige eam, & seruabit te, honora illam, & amplexabit te: hæc monilia in*
Origen. *pectore, & in auribus tuis hæreãt.* Origen. in cap. 24. Genes. tom. 1. post narratam historiam de Rebecca, & Isaac, & mysticè declaratam ad nostrũ propositum subiungit: *Putas semper casu contingere, vt Patriarchæ ad puteos veniant, & ad aquas coniugia sortiantur?* Sed hæc mysticè intelligenda sunt. Ego puto coniunctionem animæ cum Deo non aliter fieri posse, nisi per instructionem diuinorum librorum, qui figuraliter putei appellantur, ad quos si quis veniat, & hauriat ex his aquas, id est meditando in his sensum intellectum percipiat altiorem, inueniet nuptias Deo dignas. Videndus etiam est in lib. 8. epist. ad Rom. to. 3. circa illa verba: *Fiat mensa eorũ coram ipsis in laqueũ.*

5 Sed nunquid meditationes hauriendæ sunt tantum ex sacra Scriptura? *Respondetur* ex ea potissimè, secundario vero ex commentarijs Sanctorum circa sacras paginas, & ex alijs traditis à sacris Doctoribus, & viris spiritualibus; ex quibus considerationes, quæ magis ad deuotionem excitat eligendæ sunt; reijciendæ verò, quæ deuotionem non adiuuant, aut verò impediunt, quantumuis subtiles sint; vt notat D. Tho. *in solut. ad* 1.

Ad tertium D. Tho. fatetur occasionaliter aliquando impedire deuotionem, scientiam, & literaturam; eo quod his homines inflantur, & non se Deo tradunt totaliter, quod est fundamẽtum deuotionis: at vero si Deo subijciatur scientia, potius ex hoc augetur deuotio. Videndus est Caieta. qui pulchrè declarat, si scientia, & quidquid magnum est, Deo subdatur, valdè deuotionem augere; tantum abest vt minuat. D. Thom. Caiet.

Ad quartum resp. in hoc negotio meditationis & deuotionis sæpè dari circulum quendam, non vitiosum: quia est respectu diuersorum, & in diuerso genere causæ: nam meditatio & contemplatio causant deuotionem per modum physicæ motionis; eo modo, quo intellectus mouet voluntatem; aliquando verò deuotio causat meditationem per modum meriti, & impetrationis, seu imperantis eam & alios actus Religionis; sed hoc rarius, illud communiter. Quare D. Thom. absolutè dixit, meditationem esse causam deuotionis: quia id, quod communiter fit in moralibus, absolutè dicitur fieri, & esse.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum lætitia sit deuotionis effectus?

Summa Articuli.



ONCLVSIO. Deuotio per se quidem, & principaliter causat spiritualem lætitia mentis ex consideratione diuinarum perfectionum, & beneficiorum nobis collatorum; per accidens autem, & ex consequenti tristitiam, quæ est secundum Deum, eo quod nondum quis fruitur Deo, quem amat, & desiderat: si verò deuotio causetur ex consideratione propriorum defectuum, è contra res se habet; quod ex deuotione causatur primò & per se tristitia, per accidens autem lætitia, scilicet propter spem diuinæ subuentionis, quæ speratur affutura.

DISPVTATIO VNICA.

Circa literam D. Thomæ.

PRO expositione primò *notanda sunt* quæ dicũtur 1. 2. *q.* 25. de lætitia, tristitia, & spe, & timore; quæ sunt præcipuè animæ passiones; & ea quæ D. Tho. *supra q.* 28. *de gaudio*, multum enim conducunt ad huius articuli intelligentiam. D. Thom.

Secundò

Secundò notandum. Quod cum per deuotionē bona diuina non plenè participentur, & mala nostra adhuc timeantur, ea quæ dixit D. Tho. de lætitia & tristitia, proportionaliter intelligenda sunt de spe & timore, quæ sunt animi passiones respicientes bona, vel mala futura; sicut lætitia & tristitia præsentia; neque ob id D. Tho. censeri debet diminutus; cum enim lætitia & tristitia sint principales passiones, ea quæ de illis dicuntur, de minus principalibus & accessorijs dicta censentur.

Tertiò notandum, lętitiam similiter & tristitiam esse duplicem: quandam spiritualem, non solum quia habetur de re spirituali, verum etiam quia est in parte spirituali mentis: altera lętitia est corporalis, quæ licèt sit de re spirituali, residet in parte mentis corporali; & hæc interdum redundat ex lætitia cōcepta à parte animæ, seu portione spirituali. Sic intelligitur illud Psalm. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Cor, id est, voluntas, caro, id est appetitus sensitiuus, vt interpretatur Diu. Thom. 1. 2. *quæst.* 24. *artic.* 3. *in* fine. Sed quomodo caro in Deo exultare potest? Lux cœlestis aliquando animam deuotam valdè illustrat, & voluntas vehementer accenditur, & ob vehementem concitationem redundat eius motus in appetitum sensitiuum, & facit illum tendere suo modo in spirituale bonum, vt & ipsum corpus spiritualibus deseruiat. Sicut enim primus orbis cœlestis secundum mouet, & secundus tertium, atq; alios similiter: ita intellectus mouet voluntatem, voluntas appetitum, appetitus verò carnem, propter magnā harum potentiarum coniunctionem. Aliter quomodo verum esset, quod Salomon ait Prouerbiorum. 17. *Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa.*

Psalm. 83. D. Thom. Prou. 17.

1. His suppositis, *Dico*. 1. Lætitia purè spiritualis, siue gaudium, naturali consequio dimanat à deuotione, vel à meditatione, seu contemplatione affectuosa diuinorum. Dixi *affectuosa*, quia speculatio seu cogitatio speculatiua diuinorum non habet necessariam connexionem cum lætitia, & gaudio, neque cum deuotione, quinimò neque est propriè meditatio, aut contemplatio sine affectu, vt patet ex dictis ex D. Thoma infra *quæst.* 180. *artic.* 1. sed in quantum scilicet causatur meditatio ex affectu amoris ad diuina, nam vt ait Gregor. homilia. 14. in Ezechielem, *Ex dilectione Dei inardescit animus ad eius pulchritudinem aspiciendum.* Et etiam meditatio est affectuosa, quia in dilectione, quæ est in affectu, terminatur: maximè si meditatio in contemplationem transierit.

D. Thom. Gregor.

Probatur conclusio. Quia lætitia & gaudium spiritualia dimanant ab amore rei, circa quam versatur gaudium, vt patet ex ijs, quæ de his passionibus dicuntur, 1. 2. quæst. 25. sed deuotio, & affectuosa meditatio, seu contemplatio supponunt Dei amorem, imò causantur ab ipso, vt patet ex dictis: ergo ab eo naturali consequio dimanant, & procedunt lætitia, & gaudium merè spirituale: illud videlicet quod est in appetitu intellectiuo: nam de illo, quod in appetitu sensitiuo, & in carne redundat, statim dicemus.

Ex hac conclusione infertur *primò*. Quantò vehementior fuerit deuotio, meditatio, aut contemplatio, tanto maior erit lætitia & gaudium, quæ inde resultant. Patet, quia quanto fortior fuerit causa, tāto fortior ab ea prodibit effectus. *Secūdò* infertur. Nisi per miraculum impediatur, omnem deuotionem, & omnem meditationem seu contemplationem, sequitur lætitia iuxta proportionem suæ causæ: quapropter benè infert Caietanus *in hoc articulo*, personas deuotas semper esse hilares & lætas, in animo suo, quia habent internè causam lætitiæ, è contrario verò nō censet deuotas personas, quæ communiter tristes ac syluestres nesciunt conuersari cum alijs, nisi perturbentur aut dissoluantur. Hoc Caietani dictum, licèt verum, ne præbeat occasionem deceptionis, cum grano salis intelligendum est; etenim lætitia deuotarum personarum est lætitia animi, & de Deo, & de rebus diuinis, non quæ resoluatur in risum, cacchinum, aut iocum, & multo minus in scurrilia verba: talis namque lætitia non est, quæ à deuotione promanat, sed à leuitate cordis vt minimum. Et si mihi non credis, crede D. Chrysostomo homilia. 6. in Matthęum, tomo. 2. *Flentem quidem Iesum frequenter inuenies nunquam verò ridentem.* Idem dicit de D. Paulo, & subdit: *Sed nec vllus Sanctorum vel de se ipso, vel de alio quopiam tale quid aliquando significasse narratur. De sola Sara legimus hoc dictum, sed illicò Dei voce correpta est: & de filio Noe, sed propter illum risum seruus factus est ex libero. Hac dico* (inquit Chrysostomus) *non vt risum prorsus abscindam, sed vt dissolutionem penitus extinguam.* Et Hieronymus Epistola 8. ad Demetriadem. *Ridere, & rideri secularibus derelinque, grauitas tuam personam decet.* Catonē quoque Censorium, & Marcum Crassum semel in vita risisse, scribit Lucinius.

Chrysost. Hierony. Lucinius.

Igitur personæ verè deuotæ non sunt, qui amarè conuersantur cum alijs, omnibus indignātur, visis eorum defectibus blasphemant: è contra verò veræ deuotæ cum gaudio & lætitia spirituali abundent, exhibent vultum lætum tanquā inchoantès vitam cęlestem, peccantibus compatiuntur, & cum omnibus dulciter conuersantur: iuxta illud Sapien. 8. *Non habet amaritudinem conuersatio illius.*

Sapient.

Sed rogas. Ista spiritualis lætitia, quæ est à Deuotione, qualis erit, & de quo obiecto? *Respondetur*. Si deuotio resultat ex meditatione diuinarū perfectionum, siue in se, siue in ordine ad beneficia, quæ Deus nobis confert, lætitia, quæ oritur, est, eo quòd Deus amatus se benè habeat: vel ex hoc quod à nobis participatur: si verò deuotio resultet ex consideratione propriorum defectuum, lætitia prouenit ex spe subuentionis: ac demum ex ipso met dolore & tristitia peccatorum lætatur anima; vt ait Augustinus, non minus, quam gaudet ex hoc quod lætatur de Dei bonitate & perfectione. Quapropter meritò homo deuotus vndique plenus lætitia spirituali incedit, iuxta illud Psalm. 117. *Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum.* Et notandum, hanc lætitiam non semper vsque adeò percipi: quia aliquando ex tepido amore,

D. August. Psal. 117

amore, aut meditatione languida procedit: tum quia etsi vehemens sit, non redundat in carnem, vbi est maior perceptibilitatis ratio; tum tertiò, quia nō potest esse vlla certitudo, an à vera deuotione, & amore Dei procedat; quia nemo certus esse potest, vtrum amore vel odio dignus sit; & propter alia quæ infra dicemus.

4 *Dico secūdò.* Lætitia prædicta spiritualis nō redūdat in appetitū sēsitiuū ex omni deuotione, neq; ex omni meditatione; sed ex vehemēti & acriori. *Vtraq; pars conclusionis* experientia patet. Videmus quāplurimos deuotioni verè intēdere, qui nō sētiunt hanc carnis exultationem; quæ si haberetur cùm sensibilis sit, sentiretur. Quando verò est vehemēs meditatio & contēplatio, semper sequitur; & aliquando vsque ad raptum, nisi fortè complexio corporalis suppositi dura & difficilis ad recipiendam lætitiam id impediat: sunt enim homines valdè duri ex complexione naturali ad lætitiæ signa: aut verò nisi per miraculum impeditur, vt in Christo Domino orante in horto Gethsemani. Ad cuius deuotionē non lætitia in appetitu sensitiuo, sed ingens tristitia vsque ad sanguinis sudorem secuta est, Deo prohibente per miraculum, ne lætitia valida, quæ in superiori portione eius animæ residebat, ad carnem vsque redundaret.

Dico tertiò. Quādoque cōfert Deus homini deuoto quandā ingentem lætitiam, tā animi, quā corporis vltra eam, quæ correspondet quantitati deuotionis & amoris, quæ ab homine habentur. *Probatur*, quia sæpè contingit vt minus deuotus, & minus amans maiori perfundatur lętitia in cōsideratione diuinorum, vt patet in incipientibus: ergo illa lætitia necessariò aliunde prouenit, quā ab amore & deuotione; aliàs à minori causa maior effectus proueniret.

Sed rogas, quæ est ista lætitia? *Respondetur.* Est quædam teneritudo mentis, imò interdum corporis, quædam animæ dulcedo, species quædam delectationis, seu potius quædam reductiua fruitio, vel vt ait D. Thomas, *opusculo.58 cap.19.* est quædam prægustatio gaudij cœlestis, & manna absconditum; quod nemo nouit, nisi qui accipit. Et vt verum fatear, ego experimento nihil de hac re noui, sed sola speculatione adducam verba experti Richardi de sancto Victore in opusculo de arca animæ, circa finem; vbi anima interrogat, & respondet homo. *Anima. Quid est illud dulce, quod in sponsi recordatione me tangere solet, & tam vehementer ac suauiter afficere, vt iam tota quodammodo à me ipsa alienari, & nescio quò abstrahi incipiam? subitò enim innouor, & tota immutor, & benè esse mihi incipit. Vltra quam dicere sufficiam, exhilaratur conscientia, in obliuionem venit omnis præteritorum dolorum miseria, exultat animus, clarescit intellectus, cor illuminatur, desideria iocundantur: iamque alibi (nescio vbi) me esse video, & quasi quibusdam amplexibus amoris teneo; & nescio quid illud sit, & illud semper retinere, & nunquam perdere toto annisu laboro. Luctatur quodammodo delectabiliter animus, ne recedat ab eo, quod semper amplecti desiderat, & quasi in illo omnium desideriorum finem inuenerit, summè & ineffabiliter exultat, nihil amplius quærens, nihil vltra appetens, semper sic esse volens. Nunquid ille dilectus meus?* Hæc Richardus, & alia plura, per quæ circūloquitur ea, quæ nos breuius speculatiuè diximus.

D. Thom.

Ric de sāc. Vict.

Dico quartò. Illa mentis dulcedo, illa prægustatio gaudij cœlestis, illa mentis inflammatio erga Deum, & de Deo, vltra proportionem amoris, & deuotionis, quandoque iustis cōceditur à Deo quandoque non, imò & collata sine vllis demeritis sæpe aufertur. *Prima pars huius asserti* ex dictis plurimorum Sanctorum probari poterat; vnum aut alterum apponam. Gregor. libro octauo moralium, capit. 21. *Ecce electorum mens iam terrena desideria subijcit; iam cuncta, quæ considerat, præterire transcendit; iam ab exteriorum delectatione suspenditur, & quæ sint bona inuisibilia rimatur, atque hæc agens plerumque in dulcedinem supernæ contemplationis rapitur, &c.* quæ videnda sunt. Augustinus in meditationibus: *Ecce video lumen cœli oculis mentis meæ, desuper interlucet radius à facie luminis, &c.* videndus est locus. D. Bernardus, de amore Dei: *Stans in domo solitudinis quasi onager solitarius, & habitaculum habens in terra salsuginis, & attrahens ventum amoris mei, os meum aperio ad te Domine, & attraho spiritum, & nonnunquam, Domine, quasi clausis oculis ad te inhianti mittis mihi in os cordis, quod non licet mihi scire quid sit: saporem quidem scientiæ, dulcedinem adeò comportantem, vt si perficeretur in me nihil vltra quærerem.* 5

Greg.

August.

D. Bern.

Sed ad quid confertur ista dulcedo iustis? Primò, vt gaudia humana fortiter spernant; nam experimento discunt, quanto excellentiora sunt gaudia spiritus, quàm carnis; si enim vna stilla & prægustatio gaudij cœlestis in tantum excedit gaudia, quæ de mundanis habentur, quid erit de plenitudine gaudij in patria cœlesti? De quo Gregorius super Ezechielem. *Si quis iam* (inquit) *cordis ore gustauerit, quæ sit illa dulcedo cœlestium præmiorum; qui illi hymnidici chori Angelorum; quæ incomprehensibilis visio Trinitatis, huic quantò dulcè sit quod intus videt, tantò in amaritudinem vertitur quod foris sustinet:* & ibidem multa alia pręclara ad hoc propositum dicit. Et D. Bernardus: *Gustato spiritu necesse est desipere carnem; affectanti cœlestia terrena non sapiunt; æternis inhianti fastidio sunt transitoria.* Hæc in quadam Epistola. 6

Greg.

D. Bern.

Secundò, vt consoletur iustos molesta patientes in hac vita, iuxta illud Prouerbiorum. 31. *Date siceram mœrentibus, &c.* & illud. *Gaudete in lætitia, qui in tristitia fuistis:* & ideò Propheta iure suo quodāmodo petit: *Lætifica nos pro diebus, quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* Et 2. ad Chorinthios. 1. *sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* 7

Prou. 31.

2. ad Corinth. 1.

Tertiò, quia ista consolatio nostra, magna lætitia, & gaudium valdè confortant animum ad fortiter seruanda Dei mandata; verè enim dicitur: *Delectatio perficit opus.* Et propterea opera omnia, quæ naturæ autor ab animantibus effici voluit, velut quadam voluptatis esca condiuit, omnem namque naturalem operationē sequitur delectatio: ideoque non mirum, si hanc tanquam

virtu-

Psalm. 85. virtutis adiutricem postulet Propheta Regius Psalmo 85. dicens. *Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.* Et Psalmo 118. *Hæreditate acquisiui testimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei sunt*: Et Canticorum 1. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Vnguenta odorifera sunt suauissima gaudia, & vbera consolationis; & his Christus Dominus nos trahit, & currere facit post se. Et apertius Psalmo 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Propter has, & alias plures causas solet Deus suos electos hac mira dulcedine, & lætitia magna gratis perfundere.

Psalm. 118. Cant. 1. Psalm. 118.

8 *Secunda dicti pars est*, quòd iusta mira Dei dispensatione subtrahitur hæc dulcedo & gaudium, quod passim reperies apud Sanctorum doctrinam, & experimento comprobatur. Causas autem inuestigare conabor, non alijs quàm Gersonis verbis, libro de mystica Theologica consid. 6. *Prima est. Propter humilitatem conseruandam aut nutriendam*: vnde Gregorius, Iob 7. capit. 17. *vt homo dona gratiæ habeat, & infirmitatem suam agnoscat, subitò probas illum.* 2. *Fit hoc ad desiderium vehementius igniendum, quemadmodum ignis flatu compressus erumpit ardentius, vt ait* Richardus de Sancto Victore: *quemadmodum, inquit* Clymacus, de luctu, capit. 7. *abscondit se ipsam infantis mater, quem si viderit se anxiè inquirere, gaudio afficitur; sicque illum instruit sibi adhærere iugiter, affectumque sui infanti altius imprimit, eumque ad se amandum ardentius inuitat.* 3. *Vt ab homine sua fragilitas, & abyssus miseriarum profundius ac clarius sentiatur; quatenus vilescat ipse sibi, recogitans qualis ex se sit, & qualis ex Dei munere esse possit. Hoc vsus est Deus artificio, quando Eliæ concessit, vt cœlum aperiret, & postea sibi derelictus Iezabel fugit: & Paulus paradysum intrat, & carne tentatur.* 4. *Fit hoc aliquando ad induendum viscera misericordiæ, & pietatis super aliorum desolatione, quibus hæc consolatio vel non conceditur, vel concessa subtrahitur.* 5. *Ad satisfaciendum pro se, vel pro alijs per dolorem sensibilem ex tali carentia derelictum.* 6. *Ne quis idoneus in doctrina alios iuuare, aut in re aliqua, velit assiduè sic osculari sibi, & sic inter amplexus Rachelis hærere, quod negotium charitatis spernat, & Liæ fœcundationi nequaquam inuigilet.* 7. *Vt homo per multa tentatus discat ex his quæ patitur obedientiam, cæterasque virtutes, quatenus eas edoceat postmodum efficacius.* 8. *Ne deserat homo per contemplationis suæ supererogationem, obligationem debitæ actionis.* 9. *Ad punitionem omnium venialium peccatorum, tanquam si pater indulgentissimus, vel auertat interim faciem à filio lasciuiore, vel tristiorem ostendat, quatenus exinde studiosior fit in omni modestiæ custodia, & ne minima negligens, paulatim decidat.* 10. *Vt cognoscatur illud Apostoli ad Roman. 9. Non est volentis neq; currentis, scilicet, per industriam propriam, sed Dei miserentis.* 11. *Ad purgationem maris spiritualis magni, spatiosi, quod ex nimia quiete solet contrahere sordes, sicut & materiale, quas exagitatio commotioque depellit.* 12. *Vt innotescat si gratis anima Deum timet; si parata est, scilicet, obsequi proprijs expensis dolorum & tribulationum, quemadmodum si stipendia consolationum, & suauitatum ab imperatore suo recuperet: & hoc contra illos, qui orationem suam vel effundere nolunt, vel inefficacem credunt, nisi consolationum sentimenta meruerint, quasi non fingeret Deus vnquam laborem in præcepto.* 13. *Quatenus ablactetur homo, ne semper putrescat, aut fornicetur in Dei donis, ea propter [illegible] diligens, his adhærens, sese oblectans; aut ne præmium hoc temporale recipiat illo futuro cariturus.* 14. *Vt dissimulet venire tantus hospes ad animam ne grauetur expensis; sicut Dauid ad filium: sed quibus expensis? lachrymis, pijs gemitibus, ieiunijs, vigilijs, & cæteris corpora grauantibus; quia anima iunior non posset sustinere ebrietatem spiritus, si iugiter introduceret eam in cellam vinariam suam; propterea clauem gerit, nunc claudens, nunc aperiens.* 15. *Vt prouocet te Deus sicut aquila pullos suos ad volandum, & mater filium ad ambulandum. Deserit enim mater filium suum aliquando hac industria, vt desertus clamet, vtque regrediens cautior sit adhærere sibi, cautior etiam ne cadat; & quæ si tam matrem lætior suscipiat inuentione, blanditia, & oscula suauius addat.* 16. *Ad exercendam patientiam, quæ perfectum opus habet; nam quæ est acerbior tribulatio? quæ materia patientiæ copiosior apud animam, quæ à prægustatione delitiarum paradisi relabitur, & corruit ad dolores inferni ad similitudinem vmbræ mortis, ad ærumnas huius seculi. Sumitur hinc coniectura, quanta futura est amaritudinis separatio perpetua.* Hæc Ioannes Gerson.

Gerson. Greg. Clymacus. Ad Ro. 9.

Igitur illa mentis dulcedo, & lætitia ingens perceptibilis, quandoque iustis conceditur, quandoque non; imò habita aufertur, sed pro ea obtinenda diligenter laborãdum est oratione & cordis custodia, ac purificatione; ita vt accedens paratus sit ea vti humiliter cum gratiarum actione, si detur: paratus ea carere bono animo, si non detur, recogitans assiduè, quia non in sensu huius dulcedinis, sed in charitate est regnum Dei. Vt iam iam amplius dicemus. 9

Dico quintò. Inflammatio est affectus perceptibilis, & spiritualis dulcedinis sensatio, seu sentimentum: delectatio quoq; in spiritualibus, atque operandi promptitudo sensibilis, quamuis frequenter comitentur charitatem, & veram deuotionem, non tamen inseparabiliter ei iunguntur. *Prima pars patet ex dictis: secunda probatur*; quia nihil prohibet, homines peccatis mortalibus irretitos, & in eis perseuerantes audientes aut cogitantes diuina, in magnam prorumpere lætitiam, & mentis dulcedinem etiam vsque ad lacrymarum effusionem; quinimò hoc patet experimento. Quæ lætitia & mentis dulcedo interdum est à Deo paruulos sic ad se attrahere volente; quemadmodum mater vocatum puerum & ad se venire recusantem, ostenso aliquo pomo, aut re aliqua, quæ nitore ac decore oculos eius alliciat, trahere ad se solet: de quo rectè dicetur: *Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis*: Vel est à Deo ad maiorem peccatorum punitionem, & condẽnationem eorum; qui mira inuitati & cibati dulcedine noluerunt resipiscere: quibus dicetur illud Psalm. Psal. 68. *Fiat mensa eorũ coram ipsis in laqueum, & in* 68.

retribu-

retributionẽ, & in scandalũ: id est, quod illis dabatur, vt cibus delitiosus, in venenum conuersum est. *August.* Vnde Augustinus, tractatu 73. in Ioannem: *Metuendum est, ne id quod possit non dare propitius, det iratus.*

Interdum verò ab aliquo habitu acquisito amandi Deum & diuina; qui remanet in peccatore post lapsum. Quandoq; verò à complexione tenera hominis considerantis diuina, & statim erumpentis in lætitiam etiam externam & sensibilem, & hæc frequenter reperitur in fœminis.

Quandoq; verò præfata lætitia est à Diabolo suggerente, vt decipiat hominem censentem se iustum esse, cùm his delitijs fruitur; & vt homo in his quærẽdis constituat suum vltimum finem, vel vt dum eas subtrahat, in desperationem mittat; vel propter alias quamplurimas causas. Ferè eadem dicit Gerson, vbi supra, his verbis. *Sunt filij infideles, & alieni, sunt serui nequam, quos aliquando cibari sustinet pater cœlestis ex adipe frumenti, & de petra melle saturari. Quemadmodum apud aliquos ex principibus videre est, qui condemnandũ paulò post ad mortem mittunt aliquoties in carcerem de pretiosis mensæ suæ reliquijs. Nanque has gratias reperire est apud maledictionis, reprobationisque filios; vel in augmentum suæ damnationis pro abusu ingratißimo doni Dei, vel ad aliorum eruditionem, vel pro qualicunque laborum suorum, velut florum vel inutilium præmio transitorio pro tali numismate. Tales merces dicit prouerbium vulgare, fornicari tantummodo quæsierunt in donis Dei per improbam delectationem, vel præsumptionem. Quid igitur? desiderium eorum affert eis Deus, sed iratus, audiunt illud Euangelij, tolle quod tuum est, & vade.*

Ex dictis colligitur esse difficillimum cognoscere vnde, & ad quid confertur præfata lætitia spiritualis, & mentis dulcedo, seu animi tenera delectatio perceptibilis, quam vulgus appellat deuotionem. Quapropter admonet Paulus, secunda ad Corinthios 11. Satanam se transfigurare in Angelum lucis, & 1. Ioannis. 4. *Probate spiritus vtrum ex Deo sint.* *(2. Ad Cor. 11. 1. Ioan. 4.)* Quibus autem notis & signis ista probatio, & examinatio fiat, trademus Deo dante infra, cùm de apparitionibus, & raptibus agetur, interim videndus est D. Thomas 2. *ad Cor. 11. Lect. 3.* *(D. Thom.)* Et si contra hoc postremum dictum obijcias Augustinum, in confessionibus cũ Deo loquentem: *Est gaudium, inquit, quod non datur impijs, sed eis, qui te gratis colunt Domine, &c.* *(August.)* Respondetur, similia testimonia intelligenda esse de lætitia & gaudio, quæ nascuntur ex Dei amore & vera deuotione.

QVAESTIO LXXXIII.
DE ORATIONE.



1 *Tertulliã. Cyprian. Cyrill. Nissenus. Chrysost. Augusti.* DE qua multa scripsere viri illustres doctrina. Ex patribus antiquis Tertullianus librũ vnum, Cyprianus expositionem orationis dominicæ, Cyrillus Ierosolymitanus *Cathechesi.* 5. *Mystagog.* Gregorius Nissenus *homilia.* 5. Chrysostomus *de Orando Deum libros duos tom.* 5. *& alibi sæpè* miscet multa de Oratione, Augustinus, *lib. 2. de Sermone Domini in monte, cap. 4. & sequentibus, & Epistola 121. ad Probam, & sparsim sæpè,* *Cassianus* Cassianus de Canonico Orationum, & Psalmorum modo *libros tres, & in caput 6. Matthæi. & Lucæ 11. Ioannis 13. & 16.* omnes sacrorum Bibliorum interpretes, item Doctores in 4. *distinction.* 15. Et ex patribus recentioribus *Gerson. Hugo. Richard. Guillel.* Gerson, *in multis Opusculis tertia partis,* Hugo de Sancto Victore, in aliquibus *opusculis secundæ partis,* Richardus de Sancto *Victore, in prima parte,* Guillelm. paruo *opusculo de retborica diuina.* Ex Doctoribus Scholasticis recentioribus, *Ioann. de Medin. Sotus. Nauar. Theodor. Bellarmin. Luisius Gran.* Ioannes de Medina, *Codice de pœnitẽtia tractatu 6.* Sotus, *lib. 10. de iustitia quæst.* 5. Nauarrus *in commentario de oratione & horis canonicis, & in Manuali, cap. 25.* Theodorus Peltanus, *in tractatu de tribus operibus satisfactorijs,* & Robertus Bellarminus, *tomo 3. Contr.* & deuotus ac de gẽte Hispana benemeritus frater Luisius Granatensis Ordinis Prædicatorũ, qui sermone Hispano edidit tractatum pijssimum de oratione & meditatione, non sine magno emolumento vitæ spiritualis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm oratio sit actus appetitiuæ virtutis?

Summa Articuli.

2



CONCLVSIO. Oratio non est actus virtutis appetitiuæ, sed actus rationis practicæ.

Acturus D. Thomas de oratione Theologica, quæ ad Deum dirigitur, cum ab ipso aliquid petimus, non de oratione grammatica aut rhetorica, breuitati studens ex multis definitionibus, quas Patres orationi assignarunt, eligit vnam, quæ quidditatem rei explicat, relictis alijs, quę potius sunt descriptiones orationis, interdum explicantes eius causam, interdum efficaciam, & alia quæ antecedunt illam, comitantur, aut sequuntur. Diffinitio autẽ quæ ab illo eligitur, est hæc. *Oratio est petitio decentium à Deo.* Rationem suæ electionis non aliam assignat, nisi quia ferè communis animi conceptio est, orationem esse deprecationem, vel petitionem à Deo; neque hoc negant qui aliter diffiniunt; sed orationem circunscribunt, aut circumloquuntur per suas proprietates, prout deuotio illis suggerit.

Mihi verò non admodum studenti breuitati placet in medium proferre quamplures orationis diffinitiones; vt inde eius quidditas & proprietates

D.Dioyn. prietates magis innoteſcant. D. Dionyſius.3. de diuinis nominibus,ait:*Omnia opus eſt ab oratione incipere,ſicut Deo nos ipſos tradentes & vnientes.*Ecce definitur oratio per vnionem cum Deo;& cum hęc vnio ad Charitatem pertineat, definitur oratio per vnionem;non quia oratio, illa vnio ſit, ſed quia perfecta oratio à charitate vniente & impe- *D.Thom.* rante proficiſci debet,vt explicat Diuus Thomas ad ſecundum,licet etiam alio modo poſſit intelligi hæc vnio per orationem; nimirum vnio non amoris,ſed applicationis, qua mens ſe, & ſua exhibet Deo in famulatu,& cultu affectuum, precum, meditationum, & exteriorum actionum. Per hanc enim vnionem indiuiſus eſt homo ſecundùm cultum & famulatum à Deo, dum quis orat;ſicut cum alicui ſeruit, indiuiſus eſt ab illo ſecundùm ſeruitium.Itaq;vnio hæc eſt honoratiua,& applicationis, quatenus quis dicitur vniri ſecundùm obſequium ei,cui ſe conſecrat.De qua re ſupra quæſtion.præcedenti.

Damaſ. Diuus Damaſcenus,lib.3.fidei Orthodoxę,capit.24.ait. *Oratio eſt aſcenſus mentis in Deum:* eo quod vel ab iſto aſcenſu ad Deum per fidem, & maximè per charitatem, Oratio perfecta cauſatur,vel quia in illo terminatur; aut verò quia, vt infra dicemus, perfectam orationem comitare debet abſtractio à terrenis,& aſcenſus ad diuina. *Auguſt.* *3* Ferè in idem redit definitio Auguſtini: *Quid eſt oratio niſi aſcenſio animæ de terreſtribus ad cœleſtia, inquiſitio ſupernorum, inuiſibilium deſiderium.* Prima pars ponitur propter contemplationem, ſecunda propter meditationem, tertia propter dilectionem, à quibus cauſatur perfecta oratio. Et in Sermone de oratione & ieiunio: *Oratio eſt pius mentis affectus in Deum directus*, definitur oratio per actum dilectionis,à quo cauſatur:& idem *Hugo.* dico de definitione Hugonis, lib.2. inſtitutionis monaſticæ, cap. vltimo: *Conuerſio in Deum, per pi-* *Bernard.* *um & humilem affectum.* Bernardi in Epiſtola quadam:*Oratio eſt hominis Deo adhærentis effectio: familiaris quædam & pia alloquutio, & ſtatio illuminatæ* *Ambroſ.* *mentis ad fruendum Deo,quandiu licet*, & Ambroſij: *Oratio eſt cibus mentis, præclaraque alimentatio ſanctitatis,quæ membra non onerat ſed ornat.* Iſtæ definitiones explicant ſtatum, quem debet habere perfectè orans.

Gerſon. Denique vt bene notat Gerſon,vbi ſupra.iſtæ non ſunt propriè definitiones, ſed potius laudes quædam orationis, & eiuſdem proprietatum explicationes. Magis accedit ad quidditatem o- *Chryſoſt.* ratio explicandam Chryſoſtomus homilia. 30. in Geneſim:*Oratio colloquium eſt cum Deo, quod vt ſcias, audi Prophetam dicentem, iocundum ſit ei eloquium meum.* Sed non omne colloquium eſt oratio; *D.Dam.* quare melius D.Damaſcenus,vbi ſupra: *Eſt petitio* *D.Baſil.* *decentium à Deo:*quæ clarius exprimitur à D. Baſilio homilia.5. ex varijs quæ eſt in martyrem Iulitam,vbi dixit:*Oratio eſt boni cuiuſpiam petitio,quæ ad Deum à pijs effunditur:* Quomodo autem omnis oratio debet procedere à pio animo, infra: modo verò inquirere oportet id, quod D. Thom. in articulo quæſiuit.

DISPVTATIO VNICA.

Cuius potentiæ actus ſit oratio?

ET videtur,quod ſi actus volũtatis *Primò* quia omnes illæ definitiones relatæ expreſſè hoc inſinuant, vt patet conſideranti illas.

Secundò. Propoſitum ſeu deliberatio vel affectus petendi aliquis à Deo,eſt actus voluntatis,vt de ſe patet, & in hoc conſiſtit eſſentia orationis: ergo oratio eſt actus voluntatis. *Probatur minor*, quia tale propoſitum regulatur à virtute Religionis, & eſt prius quàm petitio, & eſt neceſſarium intrinſecè ad orationem:ergo in eo potius, quàm in petitione conſiſtit eſſentia orationis.

Tertiò. Id quod potiſſimum eſt in oratione, eſt deſiderium eorum,quæ petimus à Deo: ſed deſiderium eſt actus voluntatis: ergo & oratio. *Maior patet*, quia oratio vocalis nihil aliud eſt, quam expreſſio deſiderij,vt ait Magiſter ſuper illud pri- *Magiſt.* mæ ad Theſſalonicen.vlt. *Sine intermiſſione orate:* & Auguſtin.enarrat.in Pſalm.39.circa illa verba, *Pſalm.39* *Ante te eſt omne deſiderium meũ.Ipſum*(inquit) *deſiderium tuum oratio tua eſt,& continuum deſiderium continua oratio:* ergo ipſum deſiderium potiſſimum eſt, ad quod expreſſio ordinatur. *Confirmatur*, quia id quod exauditur oratio eſt:ſed deſiderium eſt id,quod exauditur,Pſalm. 9. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus*:ergo.

Quartò. Dato quod oratio ſit petitio, quæ ad Deum fit, etiam eſt actus voluntatis: nam omne imperium ad voluntatem pertinet, quæ eſt regina potentiarum:ſed petitio pertinet, vel reducitur ad imperium;nam eiſdem ferè verbis imperamus inferioribus,& petimus ab æqualibus,aut ſuperioribus:verbi gratia, da mihi hoc, vel illud: ergo oratio eſt actus voluntatis.

Quintò. Intellectus habet tantum tres actus, videlicet ſimplicium apprehenſionẽ,diuiſionem,& ſyllogiſmum,ſeu ratiocinationem,vt colligitur ex Philoſopho.3. *de anima textu.21.* ſed petere non pertinet ad vllum actum iſtorum trium: ergo *Philoſ.* non eſt actus intellectus.

Sextò. Petere eſt actus liber intrinſecè; ſed actus intrinſecè liber non eſt intellectus,ſed voluntatis: quia intellectus ab extrinſeco habet libertatem:ergo oratio (quæ petitio eſt) actus eſt voluntatis.

Septimò. Dato quod petitio componatur ex actu intellectus, & voluntatis, ſicut concedunt omnes Thomiſtæ in ſimili loquentes de imperio intellectus.1.2.*quæſtion.*17. ergo potius debet dici actus voluntatis. *Probatur conſequentia*; tum, quia volũtas eſt, quę mouet intellectũ,& non è cõtra; tũ quia mouens primũ in actibus humanis,habet ſe vt formale,motũ vero vt materiale; vt ſæpè aſſeritur à D. Thom. ſed formale pręſtat materiali: ergo potius petitio debet cenſeri actus volunta- *D.Thom.* tis,quam intellectus: vel ſaltem ſequitur quod componitur ex æquo ex actu intellectus, & voluntatis.

Alex-

Alens. sēt. Alexander Alensis.4.*part. quæst.*95. tenet orationem esse actum voluntatis,& intellectus, & irascibilis, & concupiscibilis: & comminiscitur
2 quandam distinctionem orationis, vt contemplatio est, vt fit ad gustandum,& vt fit ad satis faciendum: sed posset mille assignare distinctiones, iuxta diuersas proprietates orationis: & quia meo iudicio sine artificio procedit,& non attingit in quo consistat essentia orationis; ideo illum relinquo,& eius argumēta: quia nullius momenti
Ioānes de Medina. sunt, præter vltimum à me positum. Ioan.de Medina, de pœnitentia vbi *supra qu.*1.*de oratione*, cōtendit esse actum voluntatis,& alij propter argumenta aliqua initio posita: nam cætera sciens omitto.

Pro expositione tamen *Aduertendum* est, rationem, quæ idem est cum potentia intellectiua, esse duplicem: quandam speculatiuam, quandam practicam. *Actus* rationis speculatiuæ sunt tres, apprehendere simplicia, ea componere aut diuidere,& ex his syllogizare, aut ratiocinari. Actus verò rationis practicæ, alij sunt, de quibus non est modò dicendum per singula: quia numerus eorum versatur sub opinione, & illum definire non est præsentis loci, nec necessarium ad eorum, quæ dicenda sunt, explicationem; sufficiat nobis scire, esse valdè diuersos actus rationis practicæ, ab illis tribus commemoratis pro ratione speculatiua.

3 *Secundò* ad determinandum cuius potentiæ actus sit oratio, libet ob oculos ponere discursum prudentialē qui reperitur in homine effundente corā Deo suas petitiones: imò in omni opere studioso proportionaliter reperitur. Discursus est iste. Homo infirmus intendit procurare salutem: iste actus est voluntatis,& dicitur intentio, ex qua intentione, quæ est finis & boni, procedit ratio tanquam ex principio ad consiliandum de medijs ad obtinendam salutem: & iste actus, qui est consiliari, pertinet ad quandam partem prudentiæ, quæ dicitur Eubulia, idest, bona consiliatrix. Deinde eadem ratio per aliam partem prudentiæ, quæ dicitur Synesis, id est, bona sensatio, iudicat medium fundendi orationem coram Deo pro salute obtinenda, hic & nunc congruere;& tota hæc Eubuliæ & Synesis actio dicitur
Caiet. deliberatio: licet Caietanus *dicat infra quæst.*88. *artic.*1.*esse* voluntatis actum formaliter, de quo modo non disputo. Post deliberationem petendi à Deo salutem, statim sequitur propositum petendi illam; quod nihil aliud est, quam electio voluntatis respectu illius medij, quod est petitio. Et ista electio ad eam virtutem pertinet, quæ versatur circa medium illud, quod iudicatum est per Synesim conueniens esse consequutioni finis, videlicet est, petere à Deo salutem.

Sub iudice omitto, an desiderium obtinendi salutem à Deo, pertineat ad deliberationem, an verò ad propositum, siue distinguatur ab illis formaliter, siue nō: sufficiat nobis scire, esse volūtatis actum, necessariò repertū in hoc discursu prudētiali. Deinde sequitur prudentiæ actus, qui est præcipere, nēpe in nostro casu petere à Deo: ac demum & vltimo sequitur ipsa petitio. Itaque in hoc discursu prudentiali, licet inspicere plures actus, quos haberi in instanti, nō implicat. Primus est intentio finis. Secundus consiliari de medijs. Tertius iudicare de medio conuenieti. Quartus determinari ad vnum medium. Quintus propositum voluntatis de illo medio eligendo. Sextus. Desiderium obtinendi à Deo finem. Septimus præcipere intellectus absolutè. Octauus petere à Deo.

Hoc supposito, *Prima assertio sit.* Essentia & 4
quidditas orationis non consistit in aliquo illorum sex actuum enumeratorum, neque in omnibus simul sumptis. *Probatur* meo iudicio demonstratiuè, quia stat hominem habere omnes illos actus,& non orare: ergo. *Antecedens patet*; quia stat hominem habere omnes illos actus, circa ieiunium, circa lectionem, &c. & quod non sequatur lectio, aut ieiunium. Idem dicendum est de oratione:& specialiter probatur de desiderio, quoniam stat in humanis quempiam desiderare aliquid,& tamen nolle petere ab alio; quia non vult se illi subijcere: ergo idem dicendum est de petitione à Deo.

Secunda assertio. Septimus ille actus, qui est imperium respectu executionis orationis electæ & deliberatæ, non est oratio. *Patet*, quia est ordinatio rationis, vt executioni tradatur electio: sed hic ordo rationis non est oratio: ergo. *Probatur minor*, quia oratio potius est deprecatio, & submissio, quàm imperare. *Confirmatur*, quia orare inferioris est, imperare superioris: ergo oratio non consistit in imperio propriè dicto, quale est ille septimus actus, de quo loquimur. *Confirmatur secundò*, quia ille septimus actus pertinet ad prudētiā, oratio ad religionem vt infra dicetur: ergo.

Tertia assertio. Essentia orationis cōsistit in petitione, quæ fit Deo: hanc supponit D.Thomas, vt 5
communem animi omnium conceptionem; & *D. Thom.*
probatur à sufficienti diuisione. *Secundò*, quia supplicatio, quæ fit hominibus, consistit in petitione; ergo ratio, quæ fit Deo, etiam consistit in petitione. *Confirmatur*, quia non dicitur quis, Deum orare, nisi quando ab ipso aliquid petit.

Quarta assertio. Petitio, atque adeo oratio, quę est petitio facta Deo, est actus intellectus practici. *Probatur* ex Aristotele.1.Ethicorum, cap. vltim. tom.5. dicente: *Ad optima deprecatur ratio*: deinde *Arist.*
ratione D.Thomæ. Petitio omnis est ordinatio, prout aliquis ordinat aliquid, per alium esse faciendum. *Item est* intimatio, seu insinuatio, seu ex- *D. Thom.*
pressio desiderij obtinendi aliquid ab eo, cui fit expressio: ergo est actus rationis practicæ. *Consequentia* videtur clara; quia omnia præfata cum sint quędam loquutiones, expressiones, seu enūtiationes non possunt ad intellectum non pertinere. *Antecedens declarat* D. Thomas in articulo, supponendo discrimen inter rationem speculati- *D. Thom.*
uam,& practicam: quia illa est sola apprehēsiua, hæc vero non solum apprehensiua, sed & causatiua: causatiua in quam dupliciter: vno modo necessitatē imponēdo, per imperiū, alio modo inducēdo,& disponendo; sicut fit per petitionem.

Dicit

Dices fortasse ad antecedens. Petitio motio est tantum voluntatis. *Contrà*, nam non fit petitio nisi solis creaturis rationalibus; nimirum quia cum illis solis potest fieri loquutio: ergo necessariò debet esse loquutio cum illis, & ordinatio vt faciant: atque inde etiam colligitur, petitionem esse actum intellectus: nam si sola motio voluntatis esset petitio, posset fieri creaturis irrationabilibus; quia à rationalibus moueri possunt: exorari verò aut aliquid petere ab illis nequaquam.

6 *Vltima assertio.* Quamuis petitio sit essentialiter, & absolutè actus intellectus, præsupponit tamen actum voluntatis, in cuius virtute intellectus petit. *Probatur*, quia primum mouens in viribus animæ ad exercitium actus, est voluntas, vt patet ex D. Thom. 1. 2. *quæst.* 9 *artic.* 1. ergo non potest intellectus exire in petitionis actum, nisi mediante voluntatis motione: quia mouens secundum non potest in actum prodire, nisi in virtute primi mouentis. *Sed vnum est valde notandum*, in quo aliqui hallucinantur: videlicet: actum voluntatis, quem assero præsupponi ad petitionem, in cuius actus voluntatis virtute intellectus petit, non esse aliquem ex commemoratis in discursu prudentiali à me facto (licet & ipsi supponatur,) sed alium, qui est volitio efficax voluntatis, vt intellectus petat. *Probatur*, quia nullus ex prædictis actus, est efficax sufficienter ad mouendum intellectum, vt petat: ergo alius requiritur ex parte voluntatis, qui talem motionẽ producat efficaciter. *Antecedens patet*, quia stat hominem habere propositum, & desiderium & electionem petitionis, & adhuc non petere: ergo nullus eorum actuum est efficax ex parte voluntatis, ex cuius parte aliquod mouens efficax assignandum est. *D. Thom.*

Superest respondere ad argumenta. *Ad primum* patet ex dictis in principio quæstionis, vbi diximus cæteras definitiones assignatas orationi, præter illam, quam eligit D. Thomas, esse potius laudes seu descriptiones orationis per eius proprietates, quam definitiones. Ad *secundum respondetur negando minorem*; ad probationem negatur consequentia: non enim omnis actus regulatus à Religione, est oratio; quin imò multi sunt actus requisiti ad orationem, & regulati à Religione, qui non ob id sunt oratio, quia oratio petitio est, petitio autem non est propositum, licèt supponat illud. *Soluũtur argumenta.*

7 Pro solutione tertij, & septimi *aduertendum*. Quod quando multi actus, etiam diuersarum potentiarum, concurrunt ad integrandum vnum actum, ex principalitate entis aut finis non licet inferre essentiam actus integrati, aut compositi in actu illo principali consistere: v.g. in discursu prudentiali, quem diximus exerceri, quãdo oramus, multi actus reperiuntur: & præcipuus, vtpotè ad quẽ cæteri ordinantur, est intentio obtinẽdi aliquid à Deo: & tamen certũ est non cõsistere in illa intẽtione orationem: item non ex eo quod aliquis actus sit formale respectu alterius, est id, pro quo supponit, neque actus est illud formale substantialiter. E contrario res se habet: verbi gratia, si ieiuno propter Deum, imperium illud Charitatis formale est in tali actu; ieiunium verò materiale.

Cæterùm ille actus non est neque voluntatis, neque intellectus, sed appetitus sensitiui. Doctrina est Caietani. 1. 2. *quæstion.* 17. *artic.* 1. imò D. Thom. 1. 2. *qu.* 13. *artic.* 1. Ratio est; quia actus, illius dicitur esse à quo elicitur, sed elicientia attenditur penes materiale, non penes formale: ergo. *Caiet.* *D. Thom.*

Quare ad argumentum, estò concederemus desiderium esse nobilius petitione, inde tamen non infertur esse orationem; quia oratio petitio est, qua exprimitur desiderium, non verò desiderium; quin imò vt supra diximus, benè stat desiderare aliquid, & nolle petere ab eo, qui potest dare, & tunc desiderium est, & non est oratio; an verò hoc ipso quod aliquis desiderat aliquid à Deo obtinere, qui scrutatur renes, & corda, petat ab ipso, infra examinabitur latius. *Ad confir. resp.* quod desiderium dicitur Deus exaudire, vel quia desiderium est causa petendi, cũ petitio sit expressio, & quodãmodo desiderij interpres; nõ verò quia desiderium sit oratio. *Vel dicitur. Secundò.* Deus exaudiet desiderium pauperum ad ostendendã volitionem, & propensionem ad exaudiendos pauperes; quia, scilicet, non indigent per orationem proponere suas necessitates, sed anteaquam aliquid petant, Deus annuit eorum desiderijs, iuxta illud Esaiæ. 65. *Eritque antequam clament, exaudiam eos.* *Esai. 65.*

Quartũ argumentũ, & reliqua vsq; ad vltimum, sunt quibus mouẽtur Almainus, Ochã, & Hẽric. Medina, & alij Nominales; & videtur annuere Scotus, vt existimẽt actũ imperij; imò & petitionis, esse actum voluntatis, non intellectus. Quæ antequã dissoluam admonitum esse volo lectorem, me in toto hoc opere sic velle omnia percurrere, vt nequaquam deturbem à proprijs sedibus disputationes Theologicas: quapropter nolo cum præsatis contendere. Nam imperium iuxta mentem D. Thomæ, & sequentium, in numero actus intellectus practici est, de quo re agitur. 1. 2. *quæst.* 17. *articul.* 1. *Alman.* *Ocham.* *Henric.* *Medina.* *D. Thom.*

Vnde respõdetur ad *quartum*, quod imperium per intimationem, & insinuationem, non est actus voluntatis. imperium per motionem est voluntatis, quæ regina est potentiarum: de *quo* 1. 2. *loco citato*, & quidquid sit de imperio, an sit actus intellectus, vel voluntatis; oratio est petitio à Deo: & hæc non est imperium, sed petitio; quæ est actus intellectus practici, cùm sit ordinatio, seu denuntiatio, aut intimatio, vt latè probaui in conclusione quarta.

Ad quintum iam resp. D. Tho. hic ad tertium, Aristotelem in loco citato tantum enumerasse actus intellectus speculatiui, non verò actus intellectus practici: verbi gratia, præcipere, suadere, obsecrari, promittere. Quæ omnia esse actus intellectus practici, asserit in diuersis locis D. Thom. sed an isti actus sint simplicium apprehensio, compositio, seu diuisio, vel discursus, non expresse asserit, aut negat D. Sanctus. Magister *Sotus, lib. 1. de iustitia, quæst. 1. artic. 1.* videtur sentire, nullum istorum esse, sed actus omninò distin- *D. Thom.* *Arist.* *D. Thom.* *Sotus.*

Cordub. distinctos. Cordub. *lib. 2. quæst. 10.* respondet ad argumentum solum esse in quocunque intellectu illas tres operationes ab Aristotele assignatas.

Arist. Cæterũ notitia iudicatiua, quæ est cõpositionis seu diuisionis, diuiditur in duas alias: nempe in ostensiuam, & præceptiuam; & actũ imperij esse notitiam iudicatiuam in compositione, aut diuisione, non ostensiuam, sed præceptiuam. Et existimo illum nomine notitiæ præceptiuæ comprehendere orationem, & suasionem, & alia huiusmodi, quæ ad præceptum quodammodo reducuntur: sed de hoc latiùs in materia de voto contra Gabrielem Vazquez.

9 Ad sextum respondet in simili D. Thomas. 1. 2. *quæst. 17 articul. 1. ad secundum:* ex cuius doctrina, &

D. Thom. Caiet. Caiet. ibidẽ, & alibi sæpè habemus, radicẽ libertatis formaliter tanquã in subiecto esse in volũtate, in intellectu verò vt in causa. Ratio est, quia ex hoc volũtas est formaliter libera, quia ratio est oppositorũ; quia enim voluntas à bono cognito mouetur ad operandum, quando bona cognita non habent necessariam connexionem cum fine ex natura sua; etiam ipsa voluntas indifferenter, & pro suo arbitratu applicatur ad volẽdum hoc, magis quã suum oppositũ. Quod est liberè velle.

Hinc infero, quod quamuis actus omnium potentiarum quantum ad exercitium accipiant libertatem ex participatione, & vi impressa à voluntate; tamen intellectus, & eius actus magis liberi ab intrinseco dicuntur, quia ipsamet libertas voluntatis, & eius actus prouenit radicaliter ab intellectu & eius actibus. *Et ad argumen. in forma resp. distinguendo maiorem;* quia procedit à potentia libera formaliter, nego; quia ex sua specie habet libertatem communicatam ab actu voluntatis, quem necessariò includit, concedo maiorem. *Pariter distinguitur minor, & negatur consequentia,* quia sat est libertas communicata orationi ab actu voluntatis intrinsecè incluso in oratione vt, dicatur actus intrinsecè liber & esse liberam.

Richard. Ad septimum Richardus, *in 4. dist. 15. quæst. 4. artic. 1.* ait, orationẽ posse dici actum intellectus, vel voluntatis secundum diuersas considerationes: sed quia fundatur in hoc quod oratio, & desiderium possunt accipi pro eodem, quod censeo esse falsum, ideò impugnare non placet. Greg. de Valentia, *in commentarijs supra hunc art.* existimat probabile, orationem esse actum intellectus, & voluntatis adæquatè: quia ex vtroque componitur. Nec hic autor placet, vt patet ex dictis *in 4. cõclusione:* nam petitio est loquutio, sed loquutio nõ supponit pro actu voluntatis, sed pro actu intellectus: ergo oratio actus est intellectus, licet præsupponat actum voluntatis. *Nec refert,* volũtatem esse primum mouens, aut formale: Nam communiter actus integratus ex concursu multorũ, & pertinentium ad diuersas potentias, illius erit vt elicientis à qua progreditur materiale. Recolenda sunt, quæ diximus *circa solutionem tertij argumenti.*

Post istorum meditationem, incidi in *caput quartum libri primi, viri docti* Francisci Suarez, *in 2. tomo de Religione,* vbi quandam orationem mentalem, quæ fit sine conceptibus vocum, adinuenit ad similitudinem orationum Angelicarum; quas esse actus voluntatis, non intellectus affirmat: Idemque dicit de illa hominum oratione mentali à se adinuenta. Sed quidquid sit de orationibus Angelorũ, (de quibus in proprio loco) existimo hominum orationes & petitiones in actu intellectus consummari, per ordinationem conceptuum ad Deum. Ea verò à docto viro inuenta, non oratio, sed desiderij ad Deum relatio est. Quod si nolis de hac re contendere, dicito: doctrinam à nobis traditam, & D. Tho. *in hoc artic.* intelligendam esse de oratione, vt communiter fit ab hominibus: nempè vtendo signis intellectualibus, quæ signis vocalibus correspondent: ea verò, quæ ab isto autore adinuenitur, si fit, rarissimè fit. De quo latius *quæst. 88. art. 1.*

ARTICVLVS II.

Vtrum sit conueniens orare?

Summa Articuli.



CONCLVSIO *affirmatiua.* Cuius ratio est, non quidem vt per orationes diuinam prouidentiam immutemus, quæ immutabilis est, sed vt per orationes nostras impleantur quidam effectus, quos ordo diuinæ prouidentiæ disposuit, esse implendos per nostras orationes.

Pro tituli explicatione nota. In actibus humanis eadem quæstio est de conuenientia, & necessitate: nam si actus aliquis humanus non est necessarius, neque conueniens est: cum tota conuenientia actus humani studiosi ex necessitate resultet: aliàs impertinẽter fingeretur: & ita D. Thom. *in articulo* necessitatem probat orationis, non in ordine ad hunc vel illum finem, sed ex ordine diuinæ prouidentiæ. D. Thom.

I. DISPVTATIO.

DVBITATVR de veritate conclusionis: nam Deus scit omnia, quibus indigemus, & cupit nostris subuenire indigentijs: superfluè ergo ab illo aliquid petimus. *Secundò.* Quando quis rogatur indigentias nostras subleuare, propterea inter alia rogatur; quia non semper amat, aut non ita feruenter amat, vt ipse amoris affectus inducat eum ad benefaciendum nobis, & ideò ipsa petitione excitetur. At hoc in Deo non habet locum, qui propensè nos diligit, & desiderat nostra, plus quam nos ipsi: ergo. 1

Tertiò. Quia quãdo oramus, vel petimus à Deo, vt operetur id, quod disposuerat se esse facturum ab æterno; vel vt mutet voluntatem nostris precibus flexus. Nõ primum: quia inutiliter oramus, & proinde se habet nostra oratio ac si non esset. Non secundum, quia impossibile est Deum mutari; iuxta illud Malachiæ. 3. *Ego Deus, & nõ mutor,* Malach. 3 & 1. Regum. 15. *Porrò triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur:* ergo omnino inutilis est oratio. 1. Reg. 15.

Circa orationis necessitatem, aut vtilitatem Primus fuerunt error.

fuerunt tres errores. *Primus* fuit Massilianorum, tempore Damasci Papæ, quorum duces fuerunt tres, aut quatuor, & præcipuus Adelphus quidã, vt videre est in historia tripartita *lib. 7. capit. 11. &* Nicephoro, *lib. 11. Historiæ Eccl. cap. 14.* qui adeò extollebant orationem, vt dicerent, illam solam sine alijs bonis operibus, etiam absque Baptismo sufficere ad vitam rectam instituendam: maximè ad effugandum vernaculum dæmonem vnicuique designatum, cuius impulsu omnia mala fiũt; & deinde virtute eiusdem orationis comparabitur Spiritus sanctus. Huius meminit Damascenus, *Hæresi. 80.* & de eius inepta phantasia latè Nicephorus vbi supra. *Adelph.* *Niceph.*

Secundus error fuit è regione oppositus negãtium necessitatem, vel vtilitatem orationis. In hac classe multi hæretici collocantur, sed ducti diuersis vijs. Primos enumero Pelagianos, qui tantam vim tribuerunt naturæ hominis, & libero arbitrio ad operandum necessaria ad salutem; vt negarent esse necessariam orationem: vt refert Augustinus, *Hæresi. 88. & Epistola 106.* Iste error antiquissimus est, & Iosephus. *1. libro ant.* refert illum ad Nembroth, qui suos subditos docebat, vt nil peterent à Deo; sed omnia referrent in proprias vires: & de his fortè intelligitur illud Ecclesiastici. 16. *Non exorauerunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtuti.* Aliquid simile videtur tribuere Origenistis Epiphanius, in Epistola ad Ioan. Hierosoli. quæ est 60. inter Hieronymi Epistolas. *Audent, (inquit) magis iubere Deo, & non ab eo orare, vel discere veritatem.* *Aug.* *Ioseph.* *Ecclef. 16.* *Epiphan.*

2 In eundem errorem applicuerunt omnes Hæretici, quotquot diuinam prouidentiam sustulerunt; siue absolutè, siue à rebus humanis, inter quos enumerat D. Thomas *super caput tertium Dionysij Areopagitæ*, Epicureos, & Stoicos, & aliquos ex peripateticis; item omnes qui posuerunt omnia necessariò prouenire, siue illud fiat propter immutabilitatem diuinæ prouidentiæ, siue ex necessitate stellarum; siue ex connexione causarum. Hi omnes vel expressè tollunt orationem, vt omninò inutilem; aut verò ex præfato errore sequitur ablatio orationis, vt ait *Boet. 5. de cons. prosa. 3.* & D. Thomas *dicit hic, & super caput tertium*, Dionys. Quo fit vt in hoc errore versetur Vviclephus apud Valdensem, *tomo. 3. capite primo*, vbi refert verba Vviclephi. *Est autor realis, qui non requirit vocem vel cogitationem, sed omninò vitam suæ institutæ complacentem.* Mouetur autem iste hæreticus, quia putauit diuinam prouidentiam imponere absolutam necessitatem rebus; sicut & hæretici Albigenses eodem fundamento moti, negarunt orationis necessitatem & vtilitatẽ, vt refert frater Bernardus de Luzemburg. *D. Thom.* *Boet.* *D. Thom.* *Vvald.*

Lutherus verò, quamuis in eodem fundamento cum Vviclepho conuenerit, non exclusit orationum vtilitatem: & certè si existimauit, orationes esse actus liberos, benè arguitur stoliditatis ab Alphonso de Castro, *verbo oratio, Hæresi. 3. quia* ex præfato fundamẽto aufertur orationum vtilitas, vt colligit D. Thomas. Si verò ponat orationẽ inter opera necessaria, & nõ libera: quod stolidius est, & contra experientiam, fortassis non exclu- *Luzẽbur.* *Castro.* *D. Thom.*

ditur talis orationum necessitas ex illo principio, quia posset dicere, quod diuina prouidentia imponit necessitatem rebus mediantibus causis secundis necessariò operantibus, & quædam causæ secundæ necessariæ sunt ipsæ orationes. Sed vt quid in Luthero inquirimus consequentiam in dicendo? Ipse alibi sæpè, maximè *in libro, quem scripsit de libertate Christiana*, fidem, ait, sufficere viro Christiano, neque vllis operibus indigere; neque orationem excipit.

Tertius error est eorum, qui dicunt, orationes esse necessarias, sed ad inflectendam & immutandam prouidentiam diuinam. Cuius erroris meminit hic D. Thomas: sed cum communi cœtu fidelium media & regia via incedit, quam explico sequentibus assertionibus. *Tertius error.* *D. Thom.*

Prima. Oratio actio est conueniens & vtilis. 3
Probatur ex innumeris locis sacræ Scripturæ. 2. Paralipo. 20. *Cum ignoremus, quid agere debeamus; hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te*: haud dubium quin in oratione Tobiæ. 4. *Omni tempore benedic Deum; & pete ab eo, vt vias tuas dirigat.* Ecclesiast. 18. *Non impediaris orare semper, quoniam merces Dei manet in æternum.* Lucæ. 18. *Semper orare & non deficere.* Matth. 6. *Sic vos orabitis, Pater noster &c.* Et capit. 7. *Petite & accipietis, &c. Galeam salutis assumite per omnem orationem & obsecrationem orantes, &c.* Et Colossen. 4. *Orationi instate, vigilantes in ea*: Primæ, ad Thessalonicenses. 5. *Sine intermissione orate.* Iacob. 5. *Orate pro inuicẽ, vt saluemini.* Denique tota sacra pagina referta est multis, quæ ostendunt vtilitatem orationis, & conuenientia. *Vera doct.* *D. Thom.* *2. Par. 20* *Tob. 4.* *Eccl. 18.* *Luc. 18.* *Matth. 6. & 7.* *Coloss. 4.* *1. Thes. 5.* *Iacob. 5.*

Secunda assertio. Non est oratio ita necessaria; vt sola illa sufficiat ad salutem animæ consequendam: sed sunt alia multa necessaria: maximè actus Fidei, Spei, & Charitatis. Non est huius loci probare ex actè hanc assertionem, videndus est Castro *vbi supra*, & Doctores Scholastici, in materia de Fide, Spe, & Charitate, & pœnitentia.

Tertia assertio. Non est necessaria oratio ad inflectendam, seu immutandam Dei prouidentiam, & decretum. *Probatur* ex his, quæ dicuntur prima parte de immutabilitate Dei, quæ nolo recensere in præsentiarum.

Quarta assertio. Oratio necessaria est, vt impleatur prouidentia Dei qua disposuit quosdam effectus futuros mediante oratione, & non aliter. 4
Pro explicatione vtriusque propositionis aduertit Diuus Thom. sic esse stabiliendam orationis vtilitatem, vt neque humanis actionibus, quæ sunt diuinæ prouidentiæ subiectæ, necessitatem imponamus; neque etiam diuina decreta mutabilia existimemus: quod declarat esse compossibile D. Thomas iacto fundamento, quod sæpè iecerat *in 1. part. maximè quæst. 22. art. 2. & 4.* videlicet, Diuina prouidentia non solum disponi & ordinari ab æterno, qui effectus fiant: sed etiã ex quibus causis, & quo ordine proueniant. *Exẽplum est in causis naturalibus.* Deus namque disposuit eas suos effectus producere, & quibus medijs, & quo tempore, &c. *Item in causis moralibus, & liberis.* Quas esse causas quorundam effectuum constat, quos effectus produci Deus decreuit; & quod medijs *D. Thom.*

causis liberis. *Idem dicendum est de oratione.* Deus namque decreuit quosdam effectus fieri: sed etiam decreuit, eos fieri medijs orationibus, & non aliter. Itaque sicut dispoſuit multiplicare homines mediante actu generationis; & triticum mediante ſemine, accultura; & domos mediante artifice, &c. cum tot & talibus medijs: sic diſpoſuit multorum salutem, & alios quam plurimos effectus efficere, mediantibus orationibus: quin potius exiſtimo omnia, aut ferè omnia, quæ ad salutem electorum conducunt, medijs orationibus diſpoſuiſſe fieri: & ex alijs effectibus moralibus, qui ad salutem animæ immediatè non ordinantur, etiam diuina prouidẽtia diſpoſuit, quamplures eorum media oratione fieri.

Vnde colligo primò, cauſalitatem orationum in ordine ad exequendam diuinam prouidentiam, erga effectus liberos, maximè ſtudioſos, qui à fidelibus fiunt, non minus extenſam eſſe, aut vniuerſalem, quàm cauſalitatem aliarum cauſarũ ſecundarum naturalium, aut artificialium. Quod patet: quia ferè omnes tales effectus à diuina prouidentia producuntur media oratione, vt cauſa: ſicut dictum eſt.

Secundò colligo. Sicut diligentes cultores frugum, vt plurimùm opimam meſſem colligunt; quia Deus diſpoſuit frumenta multiplicare mediante cultura; & è contra ſocordes agricolæ ſterilitate premuntur: Sic qui aſſiduè orationibus vacant, multis donis ſpiritualibus abundant; qui verò in oratione rari, vacui ferè ſemper manent: quia Deus ferè omnia illa conferre mediantibus orationibus diſpoſuit. Luculẽter Chryſoſtomus libro primo de orando Deum, *Cum videro quempiam non amantem orandi ſtudium, neque huius rei ſedula vehementique cura teneri, continuò mihi palam eſt, eum nihil egregiũ dotis in animo poſſidere.* Rurſus. *Vbi quem conſpexero inſatiabiliter adhærentem cultui diuino: idque in ſummis damnis numerantem, ſi non incontinenter orauerit: coniecto, talem omnis virtutis eſſe amatorem ac Dei templum.* Chryſoſt.

Tertiò colligo cum domino Caietan. piè & verè dicente: quam inſani ſint multi ex Chriſtianis; qui in effectibus à natura vel ab arte ſperatis, procurant medias adhibere cauſas; putà culturam, laborem, aut induſtriam; & cenſent ſtultos eos, qui oppoſitum faciunt, & eorum ſpectationem ſtultã, & ſine fundamento: in his autem, quæ ad ſalutẽ animæ pertinent, (quorum vt plurimum orationes ſunt cauſæ, ſicut dictũ eſt,) ſine orationibus putãt ea obtinere. Addit Caietanus: *Somniant in cauſis, nõ mirum nihil eos percipere in fructibus:* Quapropter viri ſancti, non ſolùm pro rebus ad ſalutem animæ pertinẽtibus, verùm in omni occaſione & negotio, ad orationes recurrunt. Moyſes pugnaturus contra Amalech, ad orationem recurrit, vt vincat. De quo eleganter Chryſoſtom. *tomo 1. homilia de Moyſe.* Et populus Iſrael ab eodem Moyſe edoctus, orationibus potius, quam armis pugnabat. Caiet. Chryſoſt.

Quod egregia ſimilitudine expreſſit rex Moabitarum, Numerorum 22. dicens ad maiores natu Madiam: *Ita delebit populus hic*, id eſt, populus Num. 22. Iſrael, *omnes qui in noſtris finibus commorantur: quomodo ſolet bos herbas vſq; ad radices carpere.* Quid ſibi vult hæc ſimilitudo? ſi diceret, quomodo ſolet leo deuorare agnos, aut quomodo ſolet accipiter columbam diſcerpere, vel aliud ſimile, melius ſignificaretur ſimilitudo populi Iſraelitici. *Reſpondet.* Origenes, ſe didiciſſe à quodam Magiſtro Hebræorum ad Chriſtianiſmum conuerſo, ob id regem Moabi tali vſum ſimilitudine, quia vitulus ore abrumpit herbam de campo, & lingua tanquam falce quæcunque inuenerit ſecat: Ita & populus hic, quaſi vitulus ore, & labijs pugnat, & arma habet, & fortitudinem in precibus collocatam. Vide Origenem *Homilia 13. in caput 22. Numerorum.* Orig. Orig.

Dauid multos ac ſænos inimicos fudit, orationis prece. Ezechias rex, orationibus euaſit ſuperior in bello, quod à Perſis illatum eſt. 4. *Regum 19. & Eſa. 37.* Denique ſacra Scriptura plena eſt in enarrando, quomodo viri Sancti in omni negotio & occaſione ad orationes recurrebant, ſcientes per eas Deum diſpoſuiſſe quamplures effectus morales, implere. 4. Reg. 19. Eſai. 37.

Demum in ſumma colligere licet, rationem potiſſimam & eſſentialem neceſſitatis orationis, ſumi à D. Thoma ex parte diuinæ prouidentiæ: quæ ſicut voluit in vniuerſo reperiri cauſas ſecũdas, tam in naturalibus, quam in artificialibus, quibus iſti effectus prodirent in lucem; & ideò ab intrinſeco & ratione ſuę conditionis in quantum partes vniuerſi ſunt, dicuntur neceſſariæ, vt potè diuinæ prouidentiæ executrices: ſic dicendum eſt de orationibus: quas Deus in moralibus eſſe voluit multorum effectuũ cauſas, & diuinæ prouidentię erga illos executrices: vnde orationes ab intrinſeco in quantum ſunt vniuerſi partes, & cauſæ, ſunt neceſſariæ, & non ſolum ab extrinſeco in ordine ad quoſdam peculiares effectus. 6

Quare nota, quod neceſſitas, quæ ſumitur in oratione ex eo, quod à Deo inuenta eſt, vt ſit cauſa executrix diuinæ prouidentiæ, eſt conſideratio neceſſitatis eſſentialis: conſideratio verò eiuſdem neceſſitatis ſumpta aliunde, eſt neceſſitatis conſideratio acceſſoria, & ſecundaria: & iſta eſt multiplex; videlicèt propter meritum, ſatisfactionem, & impetrationem: de quibus infra: & propter alias conſiderationes, & cauſas, de quibus D. Tho. ad tertium. D. Thom.

Prima conuenientia orationis, aut neceſſitas ex parte noſtri eſt: in intellectu quidẽ, vt cognoſcat Deũ eſſe omnium bonorum noſtrorũ autorem, à quo ea petit: inſuper, vt cognoſcat homo ſuam indigentiam, & miſeriam, ob quam ſubleuandam ad genua Dei prouoluitur ſupplex; quæ cognitio iuxta oraculum Delphicum ſumma ſcientia eſt.

Secunda conuenientia, in voluntate, vt habeamus fiduciam recurrendi ad ipſum. In natura etiam eſt conuenientia; vt magnificemur in hoc, quod cum Deo loquimur, conuerſamur, petimus, &c. De qua re eleganter Chryſoſt. lib. 1. de orando Deum, ab illis verbis: *Iam verò quis non obſtupeſcat, &c.* Ac denique enumerare omnes conuenientias & vtilitates, quas homines ex oratione percipiunt, Chryſ.

piunt, & præclaras Sanctorum de hac re meditationes, esset penè immēsus labor: quapropter ab illo desisto.

7 Soluūtur argumē-ta. *Ad primum* ergo in oppositum *respond. negando consequentiam*, quia non preces coram Deo fundimus, vt ei nostras necessitates manifestemus, cum omnia sint nuda & apta oculis eius: ad *Hebræos.*4. Ad Heb. 4 Prou.15. Hier.23. *Prouerb.*15. *Hier.*23. Sed vt erudiamur esse adeò indigentes, vt in omnibus diuino auxilio egeamus, & ad ipsum pro eo obtinendo esse recurrēdum. Secūdum argumentum proposuit Basilius de cōstitut. Mon. c. 2. ad quod respondit: Basil. *Vt homo cognoscat donum Dei, ac propriam indigentiam orationibus ostenditur, plurisque faciat rem datam, nec eam facilè amittat, quod enim petitione obtinemus, diligētius conseruamus.* Hæc Basilij responsio plures rationes respōdendi complectitur. *Secundo respondetur*, vt rogatus concedat multo plura, quàm exiguntur, in quo ostenditur Dei liberalitas erga petentes. Ita Hieron. D. Hieron. *Esaiæ.*38. quod ostendit exemplo Ezechiæ, qui infirmus petiuit à Deo vitam, & Dominus quindecim annos vitæ adiecit; & victoriam contra inimicos promisit, quod ille non rogauerat. Et Salomon .3. *Regum.*3. petijt à Deo 3.Reg.3. sapientiam ad iudicandum Israel; & dedit illi Deus sapientiam, & vltra hanc, diuitias, & gloriam. Et importunus ille pulsator. *Lucæ.*11. petijt Luc.11. tres panes, & dati sunt illi multo plures. Hieron. *Tertio respondetur* cum eodem Hieronymo, Ieremiæ.34. in illud: *Orabitis, & ego non exaudiam vos.* Vbi hanc affert causam, quare Deus vult rogari, videlicet vt cum merito donet, nam Deus dignos nos facit suo dono ipsis bonis debita petitione, est autem egregium & optabile cum dignitate obtinere, quod homo petit. *Quartò respondet* Chrysost. Chrysostomus *homilia.*30. *in Genesim*, vbi ait, Deum voluisse rogari, vt affectum nostrum erga ipsum inflammaret. Et adducit exemplum patrum, qui expectant rogari à filijs, vt amor petitione ipsa magis accendatur. *Quintò respondet* idē, homilia 23. *in Matth.* vt Deus per orationes nos Nissen. sibi faciat familiares. Nam vt ait Nissenus: *Oratio est colloquium quoddam, & conuersatio cum Deo.* Ex qua conuersatione multa nobis proueniunt commoda. Intellectus illustratur. Psalmo. 33. Psalm.33. *Accedite ad eum & illuminamini.* Affectus inflam- Luc.24. matur, Lucæ. 24. *Nonne cor nostrum ardens erat, &c.* Gaudium spirituale in anima concipitur. Cant. primo: *Introduxit me rex in cellaria sua, exultabimus* Cant.1. *& lætabimur in te.* Potentiæ roborantur ad opera virtutum, Canticorum primo: *Curremus in odorem, &c.* Homo componit vitam suam, vt ad Deum dignè accedat. Denique respondetur, Deum velle, vt preces ad eum fundamus, ne priuemur magno Dei dono, & beneficio: quod est ipsa oratio. Quod primo liquet; quia ipsamet oratio, si debitè fiat, est actus supernæ virtutis inter morales: nempè Religionis, quæ nequit esse sine comitatu actuum multarum, & insignium virtutum. Fides imprimis exercetur, nam qui petit credit posse fieri à Deo id, quod petit. Spes itidem, nemo enim petit, nisi speret obtinere, quod petit. Itidem dilectio; diligitur enim à quo speramus beneficia obtinere: & humilitas, qui enim petit, se indigere auxilio alterius fatetur; & multi alij virtutum actus miscentur aliquando, quos longum esset recensere.

Magnum ergo bonum est oratio, qua priuaremur si à Deo non peteremus. Quare meritò illā, si debitè fiat, computat Diu. Paulus, ad *Romanos* Roman.8. 8. inter Dei dona, vt doctè explicat Diuus Ambrosius, Ambrosi. *Epistola* 84. *ad Demetriadem*: nos non ineptè illā assimilamus Catenę illæ Homericæ, & scalæ Iacob. *Secundò* idem ostenditur: nam orantes siue exaudiamur, siue non exaudiamur, magnum reportamus fructum: quia omnis oratio à charitate prodiens meritoria est, & satisfactoria: vnde si petimus parua & exaudimur, magna accipimus, nēpè id quod petimus, & ipsius orationis bonū, q maius est: si verò petimus magna, & accipimus, duplicatur donū. id videlicet, q petimus, & petitio ipsa, quę tot secū affert vtilitates, quas percipimus, etiāsi nobis nō dentur petita. Benè igitur & liberaliter egit nobiscum Dominus volens vt pro obtinendis, ad eum orationem funderemus.

Ad tertium patet ex dictis in explicatione articuli, nō ideò nos orationes fundere, vt immutemus 8 eius diuina decreta, quod est impossibile, quia apud Deum non est trāsmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, *Iacobi primo*: sed ad obtinendum Iacob.1. nostris precibus, quod Deus per eas nobis cōferre cōstituit. Neque inde sequitur in Deo vlla mutatio, quemadmodū si quis statuerat inimico cōdonare offensam, quā per reuelationem agnosceret petiturum, postea remittendo non immutaretur, sic & perfectius de Deo cogitandum est.

Ad hoc propositum adducit D. Dionysius, *ca.*3. D.Dion. *de diuinis nominibus*, duo præclara similia. *Primum est*, si imaginemur vnam catenam luminis è cœlo pendentem, & nos alternando manus, & per illam quasi reptando conemur eam ad nos trahere: nequaquam eam descēdere faceremus, quinimò nos per eam ascenderemus. *Secundum simile*: Si essemus in naui in aqua collocata, & apprehēderemus funes fortes, & alligatos rubi immobili, dum conamur rupem ad nos attrahere, ipsi potius versus rupem veheremur: sic nos habemus in oratione (inquit Dionysius,) Super quem locū Diuus Thomas: D. Thom. *Catena & funes ordines sunt diuinæ prouidētiæ ab immutabilitate diuinæ sapiētiæ pendentes, per hanc catenam seu funes orantes, quasi reptamus dum ordinem diuinæ prouidentiæ, quæ disposuit per orationem nos ad se euehere, exequimur, & nos quidem mutamur, & Deo appropinquamus magis ac magis orantes: Dei autem sapientia immobilis perseuerat; quæ ab æterno disposuit, nos ad se per has orationes extollere:*

Eleganter sanè de hac re Beatus Prosper, lib.2. Prosp. de vocatione gentium, capite vltimo, adducit ad hoc propositum testimoniū *Tobiæ.* 6. qui pro im- Tob.6. petranda sanitate sibi, & suæ vxori, quam Deus illis ab æterno decreuerat donare, iussus est ab Angelo orare: *Quamuis ergo* (inquit Beatus Prosper) *quod statuit Deus nulla potest ratione non fieri; studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrij deuotio relaxatur, cum implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus: vt per laborem operum, per instantiam, supplicationem, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum: & qui*

bona gesserint non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundùm sua merita coronentur.

9 Vnum tamen supererat dubium. Quando effectus aliquis decretus est fieri à Diuina prouidētia per orationes, non poterit non fieri: ergo non liberè oramus. Hoc dubium in magnum pelagus dubiorum in hoc tempore Controuersorum nos immittit. Nos verò ab eo liberabimur, remittentes Lectorem ad *primam partem, quæst. 22. de prouidentia*, vbi hæ dubitationes habēt propriam sedem, eadem enim difficultas procedit de omnibus actionibus liberis à diuina prouidentia infallibiliter, & efficaciter præordinatis.

II. DISPVTATIO.

An oratio nō solùm sit necessaria eo modo, quo dictum est, id est, vtilis & conueniens ad executionem diuinæ prouidentiæ; verùm etiam necessaria; ita quod sit in præcepto, an verò tātum in consilio?

1 ET videtur quod tantum sit de consilio. *Primò*, quia omne præceptum maximè diuinum, ad aliquod Decalogi præceptū reducitur: sed non est ad quod reducatur præceptum de orando: ergo non est oratio in præcepto. *Dices*, quod reducitur ad tertium Decalogi, non ea parte qua cæremoniale est, sed qua morale: vtrumque enim reperitur in tertio præcepto, vt asserit D. Thomas. 1. 2. *quæstion.* 100. *artic.* 3. *ad secundum, & 2. 2. quæstion.* 122. *articul.* 4. *ad primum.* D. Thom.

Contra arguitur secundò, nam tertium præceptum, qua parte morale est, tantum datur de cultu Dei in generali, non de cultu per orationem: & ipsemet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 122. *articulo.* 4. *in corpore*, expresse dicit, non dari tertium præceptum de cultu interiore, qui fit per deuotionem & orationem. *Confirmatur*, quia deuotio est actus Religionis excellentior quàm oratio, (vt patet ex supra dictis:) sed deuotio non est in præcepto, sed tantum in consilio: quis enim vnquam asseruit, deuotionem cadere sub præcepto, ergo. D. Thom.

Arguitur tertiò. Præcepta iuris naturæ, maximè quæ versantur in ordine ad Deum, cuiusmodi sunt præcepta de actibus virtutum Theologicarum, sumunt obligandi vim, ex ordinatione ad Deum, & connexione necessaria inter actus præceptos, & ordinationem, quæ per illos fit erga Deum; sed vt homo ordinetur ad Deum non est necessaria oratio: ergo non est in præcepto, iuris naturæ saltem. *Maior patet* ex his quæ dicuntur à D. Thoma, 1. 2. quæstion. 100. *Minor probatur primò*, quia sufficienter homo ordinatur ad Deum per actus virtutum Theologicarum: vnde Augustinus sæpè citatus ait: *Bene Deus colitur fide, spe, & charitate.* Per fidem namque homo recognoscit Deum, vt autorem omnium bonorum, vt dominum, vt sapientem, &c. per spem confidit ab eo donandam esse beatitudinem: per charitatem amat, vt summum, bonum, benefactorem, patrem, &c. *Dices.* Hoc ipso quod Deus per fidem, aut alio modo cognoscatur, vt dignus honore, colēndus est per Religionis virtutem. *Contrà*, quia ex hoc non colligitur, orationem esse in præcepto, sed cultum Dei, qui præstari potest, per orationem, per adorationem, per fidei professionem, &c. Ergo non inde colligitur orationem esse in præcepto. D. Thom. August.

Quartò arguitur. In humanis possumus aliquid desiderare obtinere ab alio, inde tamen non infertur, quod petamus: Nam bene stat desiderare obtinere Episcopatum à Summo Pontifice, credere, & sperare quod dabit, & tamen nolle petere: ergo pariter possibile est, desiderare obtinere à Deo bona spiritualia, credere Deo, sperare ab ipso, & eum diligere, & tamen sine vlla petitione: ergo non est necessarius ordo inter desideriū obtinendi bona spiritualia, & petitionem eorum à Deo; atque ex consequenti ratio naturalis non dictat esse à Deo petenda.

Quintò. Ad consequendum aliquem finem non obligatur quis ex præcepto ad media dubia, respectu consecutionis finis: verbi gratia, etiam si tenear procurare sanitatem; tamen si media ad eam obtinendam sunt dubia, non teneor ea apponere, quia dubia sunt. Sed res dubia est vtrum orans impetrabit per orationes gratiam, charitatem, vitam æternam: ergo non est obligatio præcepti, ad petendum ea à Deo. *Confirmatur, & vrgetur.* Aut id, quod à Deo petimus in oratione, Deus vult dare; aut non. Si vult dare; videtur alienum à Dei liberalitate, quod imponat præceptum petendi; quia liberalius datur, quod sine precibus datur, dicente Seneca, lib. 2. de beneficijs capit. 1. circa finem: *Nulla res carius emitur, quàm quæ precibus empta est:* ergo alienum est à Dei liberalitate, quod per præceptum exigat preces de eo, quod vult dare. Si verò Deus non vult dare, non videtur æquum obligare nos, vt petamus: quia esset hominem irridere compellendo vt peteret non danda; & compulsio est ab eo, qui non vult dare. Seneca.

Alexander Alensis. 4. *parte, quæst.* 90. *Membro.* 1. *artic.* 2. tenet orationem non esse de necessarijs ad salutem, atque ex consequenti non esse in præcepto. licet fateatur esse id, per quod impetrantur necessaria ad salutem. Argumenta, quibus ducitur, nullius esse momenti iudico, & ideo prætermitto. Alen. Sēt.

Pro expositione *præmittendum est*, nos in præsentiarum non dubitare, an sit præceptum Ecclesiæ de oratione, sunt enim quidam, qui ad id obligantur, vt viri Ecclesiastici, de quo inferius: neque de his, qui se voto ad id astrinxerunt: sed Controuersia est de præcepto diuino, an extet aliquod obligans vniuersos fideles ad orandum. Et sententia affirmatiua vera est; quæ probatur primo, 2

Sent. vera.

primo, nam Matth. 7. dicitur: *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* Quem locum referri ad necessitatem orationis, ferè omnes interpretes, vel asserunt expresè, vel insinuant, & illa multiplicatio verborum idem confirmat. Quamuis enim Diuus Au-
Augus. gustinus *libro secundo de Sermone Domini*, hæc tria non putauit idem significare, sed tamen *libro primo retract. capite 19.* iam se ipso doctior, sententiam correxit, & dixit esse exaggerationē, quæ facta fuit accumulatione verborum, ex quo
Matth.6. magis innotescit necessitas orationis. Matth. 6. dixit Christus: *Sic vos orabitis Pater noster, &c.* Et ne existimet aliquis esse tantum Consilium, ait Ecclesia in Missâ: *Præceptis salutaribus*
Luc.38. *moniti audemus dicere, &c.* Lucæ. 18. *Oportet semper orare, & non deficere.* Nec te moueat verbum illud *oportet*; quod non videtur indicare necessitatem, inducit quidem, & sæpè in Sacra Scrip-
Matt.26. tura, Matt. 26. *Quomodo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri*, id est, sic necesse est vt fiat: & Actorum primo, & capit. 4. *Non est aliud nomen da-*
Actor.1. *tum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Et ad nostrum propositum, verba illa: *Oportet semper orare*, exponens Chrysost. tomo pri-
Chrys. mo Sermone de Moyse, ait: *dum oportet dicit, necessitatem inducit*; sed necessitas ista non potest
Psal.128. esse alia, quam præcepti: ergo. Item Psalm. 128. *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Quasi dicat: tam necessaria est oratio ad salutem animæ; quam necessaria est apertio oris exterioris & respiratio, vt viuat homo.

Confirmatur argumento communi, sed efficaci, Omnis actus necessarius ad salutem est in præcepto, oratio est huiusmodi, vt patet ex locis citatis, & alijs in dubitatione præcedenti: Ergo est in præcepto. *Maior patet* ex ijs, quæ dicuntur à
D.Thom. Diuo Thoma *supra quæst. 3. articul. 2. & 3. parte, quæst. 68. articul. 1. &* ab eius interpretibus. *Minor* expressè asseritur à sanctis Patribus citandis disputatione sequenti. *Secundò proba-*
3. *tur* non solùm esse præceptum, sed etiam pertinere ad præcepta naturalia, quæ in omni lege & statu obligant, & obligarunt: potissimus Dei cultus in oratione consistit, sed cultus Dei cadit sub præcepto iuris naturæ: ergo & oratio. *Consequentia inde videtur aperta*; quia præceptum cultus de potissimo cultu debet esse, non de ignobiliori. Actus enim virtutis, qui est in præcepto, debet esse nobilior actus illius virtutis, vt patet inductiuè. *Minor* etiam videtur manifesta: Quia sicut lumen naturæ dictat, Deum esse diligendum: & ob id dilectio Dei est in præceptis iuris naturæ; ita dictat Deum esse colendum; & cultus est in pręcepto iuris naturæ. *Maior*, in qua est difficultas, probatur multipliciter. Pri-
D.Thom. mò ex D.Thom. in quæstione præcedenti, vbi computauit inter actus præstantiores Religionis deuotionem & orationem. *Secundò* idem colligi-
Daniel. tur ex eo, quod narratur Danielis. 6. q̄ Satrapæ & Principes, qui Danieli inuidebant, cogitauerunt intra se dicentes: *Non inueniemus Danieli aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei*, hoc est, nisi ponamus illi offendiculum, in quo vel cadat ab amicitia regis, vel à mandatis Dei sui. Neque aliam violandæ legis rationem excogitarunt, quam illam, vt omnis, qui peteret aliquam petitionem à quocunque Deo & homine, nisi à Dario, mitteretur in lacum leonum.

Perpēde Lector quomodo animi communis conceptio est, etiam apud Gentiles, potissimum actum Religionis esse orationem, & esse adeò necessarium, vt illo ablato, vniuersam Danielis Dan.6.
religionem, & pietatem auferendam putarēt Satrapæ & Principes. Idem etiam colligere licet, cū prima fidei initia ponebātur, Apostoli enim dixerūt Iesu, Luc. 11. *Domine doce nos orare, sicut & Ioā-* Luc.
nes docuit discipulos suos: Nimirum intelligētes orationem esse præcipuum Religiones actum, & eiusdem quasi fundamentum. *Confirmatur*, quia inter omnes actus Religionis, nullus est ita in prōptu, sicut oratio; qua omnes pauper & diues possunt Deum interpellare: secus de sacrificio aut oblatione: ergo si aliquis actus pertinens ad virtutem Religionis debuit esse in præcepto, oratio est. Præclarè D. Augustinus, exponens illud Psal- D. August.
mi. 41. *Apud me oratio Deo vitæ meæ, Nec enim (ait) vt supplicem Deo iturus sum de transmarinis locis, aut vt exaudiat me Deus meus nauigabo; aut de longinquis afferam tura, & aromata; aut de grege adducam vitulum saginatum: sed apud me est oratio Deo vitæ meæ offerenda; intus habeo victimam, quam immolem sibi; intus habeo tus, quod imponam, intus habeo sacrificium quo flectam dominum meum; quia apud me est oratio Deo vitæ meæ.*

Tertiò. Lumen naturale dictat, ad Deum esse 4.
recurrendum vt nostris indigentijs subueniat; maximè pro spiritualibus necessarijs ad salutem obtinendis. Sed iste recursus non intelligitur, quo pacto possit fieri, nisi implorando eius auxilium, & petendo ab eo dona necessaria, & desiderata: ergo oratio necessaria est ad salutem, atque ex consequenti in præcepto. *Maior patet*, quia lumen naturale dictat, & multo melius lumen fidei, Deum esse omnium bonorum nostrorum autorem: & nos esse valdè indigentes istorum, ab eoque omnia bona, quæcunque habere possumus, esse deriuanda, quia omne donum desursum est, descendens à patre luminum: ergo nisi amentes fuerimus ab eo spectare hæc, & ad eum esse recurrendum certo certius cognoscemus. *Minor etiam non indiget probatione, sed declaratione.* Quis enim recursus potest fieri à famelico ad opulētū, Dub. quā.
ab ægro ad medicum, nisi petendo explicitè, aut implicitè? Sed non modica dubitatio est, quando obliget hoc præceptum: etenim præcepta affirmatiua vt docuit D. Thomas *supra quæst. 3. articul.* D.Thom.
2. non obligant pro semper, licet obligēt semper.

Res est ambigua, *sed aduertendum est*, dupliciter aliquem virtutis actum cadere sub præcepto: *vno modo* per se: *alio modo* per accidens, siue per aliud: per se quidem quando obligatio ad illum actum oritur ex propria ratione virtutis, ad quam pertinet actus, & non ratione alterius actus, vt quando quis tenetur ieiunare, vt mortificet carnem, eleemosynam dare, vt subleuet necessitatem proximi: per accidens verò aliquis virtutis actus dicitur esse in præcepto, quando talis

actus iudicatur medium necessarium ad custodiam alicuius alterius virtutis vel præcepti pertinẽtis ad alteram virtutem. v. g. si quis iudicet esse necessarium medium ad vitandum lapsum carnis, ieiunare: tunc ieiunium est in præcepto; non quidem per se, sed per aliud: & in hoc casu cum finis pertineat ad castitatem, potius dicetur obligationem esse ortã à castitate, & præceptũ esse de castitate, quã de ieiunio: tum quia vbi vnum est propter aliud, ratio formalis à fine sumenda est, non à medio. Quibus suppositis.

5 *Dico primò.* Quotiescũq; prudentia iudicauerit, orationem esse medium necessarium ad custodiã virtutis, aut ad vitandũ aliquod peccatũ, tunc oratio erit in præcepto, non quidem per se, D. Thom. sed per aliud: & hoc est quod ait Diuus Thomas *3. parte, quæst. 39. art. 5.* orationem esse necessariã propter impugnantia interiora, nempè carnem; & propter repugnãtia exteriora, nempè mundũ, & dæmonẽ. Hinc colligo, quod quando aliquis vrgetur aliqua graui tentatione, siue carnis, siue spiritus, cõmuniter, tenetur præcepto orationis, eo quod cõmuniter nullũ præsẽtatur magis præsentaneũ aut efficacius remediũ quã ad rationẽ cõfugere: maximè quia sacra Scriptura plena est pollicitationibus diuinis, factis ijs, qui ad diuinã Psal. 90. opẽ per orationes cõfugiũt, Psal. 90. *Clamabit ad me, & ego exaudiã eũ, cũ ipso sũ in tribulatione, eripiam* Psal. 119. *eũ & glorificabo eũ,* & Psal. 119. *ad Dominũ cũ tribu-* Psal. 49. *larer clamaui, & exaudiuit me,* & Psal. 49. *Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.* Et ideò viri sancti in omni tribulatione ad Deũ per orationẽ confugiunt, tanquã ad vnicũ suorũ laborum remedium. Quod non obscurè indicauit Iob. afflictus Iob, dicens: *Derelicta sunt tantũmodo labia circa dentes meos:* Ac si dicat, dum habeo labia ad orandum, non remedio destitutus sum. Quia oratio omni afflictioni remedium egregium est.

6 *Dico secundò.* Quãdo oratio iudicatur medium necessarium ad subueniẽdũ necessitatibus proximorũ, oratio est in præcepto. Sed hoc præceptũ potius pertinet ad virtutem charitatis, quàm ad virtutem Religionis: atq; adeò non cadit in his casibus oratio sub præcepto per se, sed per aliud. *Probatur:* quia ex hoc ipso, quod charitatis præcepto tenetur quis proximũ sicut seipsũ diligere, tenetur ei in necessitate beneficus esse, nõ solum per corporales eleemosynas, sed etiã per spirituales, quarũ vna est oratio. Sed quãdoq; nõ minus indiget proximus orationibus, quam corporea eleemosyna. Ergo tũc erit in præcepto. Hoc asseritur à D. Tho. *in quarto vbi supra.* Verum est tamẽ, quod cũ necessitates propriæ sint nobis notiores, pluries obligamur orare pro nobis, quã pro alijs, de quorũ necessitatibus nõ erit ita facilè iudicare: Credo tamen quod sub præcepto tenebimur orare pro Ecclesia in graui necessitate constituta: verbi gratia, quando instat electio Papæ, cõgregatio Concilij, quando est periculum aut actuale schisma, quando timentur, aut sunt bella cruenta inter principes Christianos, aut si obsideremur à Turcis, & pro alijs etiã particularibus necessitatibus, vt habetur *articulo 7. de* quibus non dicendum per singula, sed iudicandum secundũ prudentiam, non carnis, sed spiritus: præcipuè autem prælati, sacerdotes, religiosi, tenentur orare pro Ecclesia, & ouibus Christi, quia nullum est aptius remedium ad bonam gubernationem subditorum, quàm frequenter ad Deum confugere per orationem: & præterea qui sunt in dignitate constituti, debent esse ditiores in virtute, quare tenentur eleemosynam orationum impendere cæteris in necessitate constitutis.

Dico tertiò. Oratio cadit sub præcepto per se lo- 7 quendo, & non ratione alterius præcepti seruãdi, quotiescunque homo tenetur sub præcepto desiderare à Deo bona spiritualia, quæ sũt media necessaria ad salutem: verbi gratia, vocationem Dei, gratiam, fidẽ, spẽ, charitatẽ, & vitã æternã. *Probatur, quia* D. Thomas *in articulo sequenti ad se-* D. Thom. *cundũ,* parificat desiderare ista bona, & ea petere quãtum ad obligationẽ præcepti: licèt dicat desiderare ea pertinere ad præceptum charitatis, petere verò ad præceptum orationis. *Secundò probatur:* quia talia media tenetur homo procurare, quia media sũt necessaria ad salutem, sed nõ potest vllo pacto procurare commodius, quã petẽdo à Deo. Ergo quotiescũque tenetur illa desiderare, tenetur petere à Deo: quod verò ista petitio pertineat ad religionis habitum, in articulo sequenti.

Sed adhuc difficile est assignare determinatũ tẽpus, pro quo obliget hoc præceptũ. *Existimo* tamẽ, quod quãdo homo primò peruenit ad vsum rationis, sicut tenetur desiderare media necessaria ad salutem, ita & petere. Et in mortis articulo quãdo tenetur desiderare vitã æternã, tenetur etiam orare pro ea obtinẽda: & fortassis quãdo imminet aliquod ingẽs periculũ, vt in nauigatione aut bello periculoso, ac denique in vitæ discursu aliquãdo se offert tẽpus & occasio, qua teneatur homo præcepto orationis. Quare salubre cõsiliũ est sine intermissione orare, id est, certis tẽporibus, vt infra declarabimus: & sic vitabitur transgressio præcepti de orãdo Deum. Hæc non aliter probantur, nisi syllogizando iuxta tenorẽ eorũ, quæ dicũtur de præcepto charitatis, aut desiderãdi media supernaturalia necessaria ad salutem.

Dico quarto. Qui recitant horas canonicas quo- 8 tidie, sufficienter adimplent præceptum de orãdo. Imò fideles etiam, si non sint ministri Ecclesiæ, qui diebus festis Missæ intersunt, si ministris pro populo orantibus suam intentionem conformant: vt ait D. Thomas *in quartò vbi supra,* eo D. Thom. quod ex canonum iussu tenentur Christiani diebus festis Missę interesse, vt assignetur ab Ecclesia tempus orandi. Quod si emerserit alia necessitas, nihilominus tenebũtur. Ex dictis infertur, primo quod confessarij tenentur interrogare pœnitentes de hoc præcepto. *Secundò,* quod nunquã orãs probabiliter creditur, non esse in charitate, & quod incidet in multa alia peccata. Quia ferè sẽper homines impugnantur grauibus tentationibus, quibus resistitur mediante oratione, vt dictũ est. Vnde Iob. 15. Eliphaz dixit: *Euacuasti timorẽ & tulisti preces coram Deo.* Idest iã non times Deũ, siquidem finem imposuisti præcando, & orãdo: vbi videre licet, quam ingens piaculum censeat

Eliphaz

Eliphaz, quod homo afflictus ceſſet ab oratione.

9 *Soluūtur argumenta.* Ad argumenta in principio dubitationis facta reſpondetur. *Ad primum* benè ibi reſponſum eſt. *Ad ſecundum* quod tertium Decalogi præceptum, eſt formaliter de cultu externo, ſicut & ſeptimum. inde tamen non infertur, actus Religionis internos non eſſe ſub præcepto: Imo illos vtpotè perfectiores, maximè ſub præcepto cadere imbibito in illo tertio præcepto. Et vt hæc melius percipias, aduerte ex doctrina D. Thomæ. *D. Thom.* 1.2. *quæſt.*100. Quod licet omnia præcepta moralia ad Decalogum, pertineant, non tamen expreſſè ibi omnia ponuntur, ſed quædā extra Decalogum ſunt, valde diſtincta ratione: nam quędā extra Decalogum ſunt, quia ſunt prima principia per ſe nota, vt præcepta de fide, ſpe, & charitate, Imo & de colendo Deum. Non enim cenſeo minus notum lumine naturæ, Deum eſſe colendum, quàm Deum eſſe amandum. Quædam vero sūt extra Decalogū, quia licet à primis principijs lumine naturæ notis oriantur, tamen indigent diligenti inquiſitione ſapientū: & inter iſta computo præceptum de oratione. Cuius neceſſitatem iam oſtendi. Intra Decalogū vero collocantur præcepta, quæ ſunt quidē cōcluſiones per ſe illatæ ex communibus quibuſdam principijs, ad quorum illationem parua aut nulla diligentia opus eſt. Igitur præceptum orationis reductiuè pertinet ad tertium præceptum Decalogi.

Ad confirmationem ſecundi *reſpondetur*, Deuotionem vt includit promptitudinē affectuoſā ad Dei cultum, non eſſe ſub præcepto, ſed tantū ſub conſilio. Quia opus eſt pertinens ad perfectionem virtutis religionis, & eius ſtatum perfectum. Secus eſt de oratione, quæ eſt actus pertinens ad ſubſtantiam Religionis. Si verò ſumatur deuotio, vt dicit promptitudinē communē omni actui Religionis, id eſt, pro propoſitum tradēdi ſe Deo, in ordine ad Dei ſeruitium: non dubito quin ſit in præcepto, in illis caſibus in quibus dixi eſſe in præcepto orationem in tertio dicto. Maximè quia vt ſupra docui ex ſentētia D. Thomæ & Caietani, omnis actus virtutis quandoque eſt in præcepto; licet aſſignare tempus determinatum ſit admodum difficile.

10 *Ad tertium negatur minor*, ad probationem ex dicto Auguſtini reſpondetur: ſicut *quæſt.* 80. *ſupra* quod Auguſtinus loquitur imperatiuè, ſiue cauſaliter. Virtutes enim Theologales imperant actibus Religionis. Et ad replicam reſpondetur, præceptum de oratione & de cultu Dei ſunt diuerſa: ſecundum eſt præambulum ad præcepta Decalogi, & quaſi primum principium aliquorum primum, id eſt de oratione, in Decalogo nō eſt, quia vt inferatur ex illo principio, Deus eſt colendus, & ex alijs, opus eſt diligenti inquiſitione, quam ni fallor adhibuimus in probationibus noſtræ concluſionis, & amplius manifeſtabitur in ſolutione ſequentium argumentorum.

Ad quartum argumentum reſp. concedendo in humanis non eſſe neceſſariam connexionem inter deſiderium obtinendi aliquid ab alio, & petitionem eorum, quæ deſiderantur: itaq; non infertur, deſiderat Petrus obtinere à Paulo pecunias, ergo petit illas. Et hanc illationem ſeu connexionem multa poſſunt obſtare: aliquando diſtantia ſeu abſentia poſtulantis, & poſtulati: aliquando quia deſiderans & qui deberet petere, non vult ſubijci ei, à quo deſiderat obtinere. petere namque inferioris eſt: aliquando, quia deſiderans aliquid ab alio obtinere, non vult eſſe ei moleſtus aut importunus; & alijs huiuſmodi. Quibus tamen ſublatis è medio, ad deſiderium naturali conſequio ſequitur, & moraliter loquēdo, petere ea, quæ deſideramus ab alio obtinere. At verò quando deſideramus à Deo obtinere aliquid, nihil horum obſtat: non abſentia aut diſtantia, cum vbique ſit præſens: *Et non longè ab vno quoque noſtrum*. Actorum .7. non impotentia conferendi, cum omnia poſſit: non nolle illi ſubijci: quia dedignamur nos profiteri inferiores, quia in hoc quod Deo ſubijciamur totum bonū noſtrum conſiſtit, cum ſeruire Deo regnare ſit: non quia ei moleſti ſimus petendo: cum ipſe nos ſæpiſſimè ad petendum importunè hortetur, paſſim in ſacris Literis, maximè Luc. 18. exemplo viduæ importunæ, & amici poſtulantis ad oſtium media nocte, Lucæ 11. & quod amplius eſt, ipſe pro magno honore ducit, quod ab eo petamus, iuxta illud Pſalmi 49. *Inuoca me, &c. & honorificabis me*. Itaque fortaſſis metaphyſicè loquendo (quod ego vix capio) poteſt intelligi deſiderium obtinendi aliquid à Deo, ſine eo quod ſequatur petitio: cæterum moraliter eſt impoſſibile. *Ex quo infertur*, quod non minus tenemur petere dona ſpiritualia, quàm deſiderare; tenemur autem deſiderare ipſo naturæ iure præcipiente.

Actor. 17. *Luc.* 18. & 11. *Pſal.* 49.

Ad quintum reſp. primò, non dubium, quin orans cum debitis requiſitis obtinebit petita, de quibus infra. Sed quia eadem dubitatio eſt de requiſitis, reſpondetur ſecundò, quod ſicut quis tenetur facere quod in ſe eſt ex viribus naturæ, vt conſequatur gratiam, licèt non ſit certus quod ita faciens conſequetur, ſed confidens in Dei liberalitate, nihilominus facit, & tenetur facere; Ita dico de oratione: & falſum eſt quod infirmus non tenetur apponere media dubia ad conſequendam ſalutem: ſi tamen ſint probabilia. Quinimo, qui tenetur procurare ſalutem, tenetur etiam apponere media, quamuis tantum probabilia: aliàs nullus teneretur quærere medicinæ auxilium, quia omnia media curationum incerta ſunt & dubia. 11

Ad confirm. reſp. Obligationem orandi non ſumi ex eo quod detur à Deo res petita, v[illegible] non detur: ſed ex parte Dei ex ſubiectione [illegible] honore, quæ ipſi præſtantur ab orantibus, ex parte verò hominis orantis ex innumeris bonis quibus locupletantur orantes, ſiue impetrent res petitas, ſiue non: de quibus D. Thomas *in articulo hoc ad tertium, &* nos latè diximus *ſupra ad ſecundū in prima dubitatione*. Et in particulari ad argumentum *reſpondetur*, quod quando Deus vult dare, liberalius agit cum homine iubendo, vt petat, quā dando ſine petitione: eo quod dat deſiderata, & cum maiori cumulo meritorū, & donorum, quæ conferuntur ratione petitionis. Et illud dictum *D. Thom.*

Senecæ intelligendum est de eo, quod petitur per preces homini factas, cui petens necessariò subijcitur; nam petere, inferioris est, & durum certè est hominem homini subijci. Cæterùm non debet intelligi de eo, quod obtinetur per preces Deo exhibitas: tum quia perfectio & honor hominis consistit in hoc, quod se subijciat Deo: tum quia in petendo valde ditatur homo, vt dicebamus. Si verò Deus non vult dare postulata, iubet etiam petere, quia interdum postulata, si haberemus, nocerent habenti, & petitio multum prodest propter ea quæ accrescunt ex petitione: tũ etiam quia Deus sæpè vult nos pie velle, quod ille iustè non vult facere: res enim comperta est apud Theologos, nos non teneri conformare voluntatem nostram diuinæ in volito materiali. Imo quandoque iubet nos desiderare, aut petere id, quod ipse decreuit non dare: verbi gratia, patri morienti iubet desiderare, & petere vitam, maximè propter pietatis virtutem, quam interdum iustè non vult concedere. Hoc præceptum, est ne de oratione vocali? Respondetur infra.

DISPVTATIO III.

An oratio nõ solùm sit necessaria necessitate præcepti, sed etiam necessitate absoluta medij omninò necessarij ad salutem æternam consequendam?

1 PRo intelligentia tituli *notanda est celebris distinctio* Theologorum de duplici necessitate absoluta actuum humanorum. *Quadam est* tantum præcepti: quod si non obserues, peccasti: sed si ab eo excusaris, non ideò excluderis ab æterna salute adipiscenda. Sic necessaria sunt omnia Decalogi præcepta. *Secunda necessitas* est præcepti simul & medij, quando res, quæ necessaria dicitur est medium in omni euentu necessarium ad salutem, vt actus virtutum Theologicarum. Hac distinctione præmissa videtur, orationem abstrahendo à mentali & vocali esse medium necessarium ad salutem.

Primò, quia diuinum auxilium, vt fides tradit, est necessarium ad salutem, sed hoc non potest obtineri sine oratione, ergo mediũ est necessariũ ad vitam æternam. Minor probatur ex D. Augustin. in lib. de Ecclesiast. Dogmat. cap. 56. *Nullum credimus* (inquit) *ad salutem nisi Deo inuitante venire: nullum inuitatum salutẽ suam nisi Deo auxiliante operari: nullum nisi orantem auxilium promereri.* Ecce D. Augustin. expresse asserit orationem esse medium necessarium ad salutem. Et in *lib. de natura & gratia, cap.* 43. Deus impossibilia non iubet, sed iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis: quam sententiam amplectitur Concilium Tridenti. *sessio. 6. cap.* 11. vbi significatur petitionem auxilij diuini, sine quo nequeunt impleri mandata, esse absolutè necessariam: & idem August. lib. 2. de bono perseuer. cap. 16. sic ait. *Deum alia danda non orantibus, sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparasse; sicut vsque in finem perseuerantiam*: ergo sicut perseuerantia est medium necessarium ad salutẽ, ita & oratio: & D. Thomas in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 1. quæstiun. 3. ait: *Ad orationem quilibet tenetur ex hoc ipso quod tenetur ad bona spiritualia sic procuranda: quæ non nisi diuinitus dantur, vnde alio modo procurari non possunt, nisi ab ipso petantur.*

(margin: D. Augu. — Conci. Tridenti. — Augus. — D. Thom.)

Confirmatur argumentum ex Patribus Africanis præcipuè Hiero. in *Epist. ad Ethesiphon.* & Aug. *in epistol. 90. cõtra Pelagia.* qui tollebant necessitatem orationis tollendo necessitatem gratiæ. Secundò confirmatur: Nam necessitas præcepti de orando Deum à nobis asserta, non apparet in quo fundetur, nisi quia oratio est medium necessarium ad salutem. *Secundò.* Necessitas præcepti in oratione est in præcepto diuino, vt colligit D. Thom. Matthæ. 7. in illis verbis: *Petite & accipietis*: ergo inde à posteriori colligitur necessitas medij. Etenim Christus Dominus non apposuit noua præcepta positiua, præterquàm fidei, & sacramentorum: sed explicuit clarius ea, quæ secundum ius naturę necessaria media erant. *Tertiò.* Sicut Deus operatur per causas secundas in ordine naturali, quibus vtitur, aut medijs necessarijs, mediante ordine suæ diuinæ prouidentiæ requisitis, ita in ordine gratiæ mediante oratione: quã esse causam moralem ferè omnium effectuum supra explicuimus.

(margin: Hierony. — August. — D. Thom.)

Pro parte negatiua non desunt argumenta, & ea non infirma: quia oratio non est medium necessarium ad salutem per se, & ab intrinseco, neque ex diuina lege: ergo non est medium necessarium: nullum enim agnoscimus medium necessarium, nisi vno ex his duobus modis; actus virtutum Theologarum. Priori modo sunt necessarij propter intrinsecam connexionem cum fine, qui est gratia vel vita æterna Baptismus est necessarius posteriori modo. *Antecedens* quoad primam partem *probatur*, quia ad salutem solum videtur necessarium simpliciter, quod Deus in opportunis & necessarijs occasionibus vitandi peccata nos præueniat suo auxilio sufficienti, & præbeat efficax & concomitans, quibus si consentiamus, & cum illis operemur, haud dubium, quin sine oratione obtinebimus primam salutem per gratiam, & vltimam per gloriam. Nam quis neget, Diuum Paulum in itinere Damasci diuino auxilio præuentum, ac confortatum, si fortè consenserit ante orationem, & si fortè tunc in illo instanti moreretur, consecuturum vtramque salutem? *Secunda pars antecedentis probatur*: quia cum non constet de tali lege per reuelationem, voluntarium videtur eam asserere. *Confirmatur*: Nam experientia constat multa beneficia, etiam pertinentia ad ordinem gratiæ, nos recepisse à Deo, quæ nunquam postulauimus, & quando oramus, ipsum orandi donum accipimus non postulatum. Et sæpè plus accipimus, quàm rogamus, vt supra multis exemplis docuimus: & egregiè docet Hierony. in epistola. 40. ad Rufin. 2

(margin: Hierony.)

Pro

Sententia autoris. Pro decisione *duo primò*. Ex natura rei, seclusa lege diuina, oratio non est medium necessarium ad salutem primam, neque vltimam consequendam. Hoc assertum probatur argumentis factis pro parte negatiua. *Secundò dico.* Attento decreto, & dispositione diuinæ prouidentiæ, quæ decreuit quosdam effectus producere, quædam auxilia largiri necessaria ad salutem, oratio est medium necessarium in ordine ad consequendam salutem, quæ ex illis auxilijs sic decretis pendet. Hoc assertum *probatur* argumentis pro parte affirmatiua, & præcipuè explicatur in tertio argumento pro eadem: quod, & eius vim nos multis explicuimus in præcedenti disputatione. *Tertiò dico.* Absolutè & simpliciter loquendo oratio non est medium necessarium ad consequendam salutem, licèt ferè semper sit medium necessarium. *Prima pars patet* ex primo asserto, & argumentis pro parte negatiua. *Secunda*, quia vix repertus fuit aut reperietur qui consequatur salutem nisi media oratione, vt dicetur fusius in solutionibus argumentorum.

3 *Soluūtur argumenta pro parte affirmatiua.* *Ad argumenta partis affirmatiuæ respondetur.* Ad primum *negatur minor*: ad D. Augusti. qui videtur illam adstruere respondetur. *Primò*, ipsum loqui de oratione non ita rigorosè, vt petitio formalis est, sed pro desiderio obtinendi auxilia ad salutem, & ipsam salutem. Quod colligo ex eodem August. in epist. 121. ad Probam: *Sine intermissione orate, quid aliud est* (inquit August.) *quàm vitam beatam, quæ æterna est, ab eo, qui eam solus dare potest sine intermissione desiderare.* En D. Augustin. *August.* desiderium vocat orationem, sine quo nemò potest saluari. *Secundò respondetur* verba D. August. esse intelligenda iuxta secundum assertum: quia vix reperiri poterit, & fortasse non fuit repertus, qui sine auxilio postulato per orationem saluaretur: tum quia cùm desiderium obtinendi salutem, & auxilia necessaria ad illam absolutè sit medium necessarium ad eam adipiscendam; vix poterit imaginari, qui non prorumpat in petitione eorum ad Deum; quem agnouit omnipotentem, & misericordem largitorem; & similiter agnouit suam indigentiam, & impotentiam naturalem ad auxilia consequenda. Nihilominus non est implicatio, præuio desiderio, non orare, & salutem consequi. *Tum* quia, vt supra docuimus, Deus ferè semper decreuit auxilia necessaria non conferre, nisi mediantibus orationibus: quæ essent causæ executrices suæ diuinæ prouidentiæ: nihilominus hoc decretum aliquando nô interposuisse nihil vetat; sicut in naturalibus, seu temporalibus effectus quosdam decreuit fieri absque interuentu orationum.

Est tamen discrimen, nam auxilia (post primam gratiam excitantem) necessaria ad salutem spiritualem, rarò dantur sine oratione, aut nunquam, quod ego sciam, at verò è contra res se habet in temporalibus. Igitur D. Aug. & D. Tho. intelligendi sunt de illis auxilijs, quæ Deus præordinauit non dare nisi media oratione: præordinauit autem ferè semper sic dare. Similiter respondetur ad primam confirmationem.

Ad secundam confirmat. nos non negare orationem esse medium ad salutem, quando Deus decreuit eam non largiri nisi mediante oratione (decreuit autem ferè semper.) Inde autem nô infertur absolutè esse medium necessarium ad salutem: sicut ex eo, quod Deus decreuit, & Augustinus agnouerit: *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet*, Sermo. primo de sancto Stephano, non benè colligimus semper esse necessariam orationem Sanctorum pro aliquo, vt saluetur. *August.* Igitur *respondetur* præceptum orationis absolutum, & in omni euentu fundari in ipso dictamine naturæ; quod docet in nostris indigentijs esse Deum orandum. *Item*, quia cùm interdum oratio sit medium necessarium ad consequenda diuina auxilia, vt declarabamus; imò cum ferè semper sit medium à diuina prouidentia decretum; nimium negligens suæ salutis esset, qui hoc agnoscens non recurreret ad Deum pro ea obtinenda. Vnde certè benè fundatur præceptum: sicut qui infirmaretur, & sciret facili medicamēto omnes eo vtentes, aut ferè omnes incolumes euadere, præcepto salutis procurandę, teneretur vti tali medicamento.

Ad secundum argumentum respondetur, dumtaxat probare præceptum orationis esse iuris naturalis, & pertinere ad Decalogi præcepta, non tamen esse medium necessarium ad salutem, vt patet in præcepto de honorandis parentibus. Ad tertium argumentum respondetur, probare secundum assertum, & non impugnare tertium, vt patet ex dictis. Ad argumenta partis negatiuæ, quatenus militant contra secundum assertum, solutio manifesta est ex dictis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm oratio sit actus Religionis?

Summa Articuli.

RESPONSIO affirmatiua *probatur*: Per orationem homo Deo reuerentiam exhibet, in quantum ei se subijcit, & orando profitetur se eo indigere, sicut autore suorum bonorum; ergo est Religionis actus. Nam omne id per quod Deó reuerentia exhibetur ad Religionem pertinet.

DISPVTATIO VNICA.

An conclusio sit vera?

CONTRA conclusionem arguitur. 1 *Primò*: Oratio est petitio: sed petitio est actus intellectus practici, qui de suo genere neque bonus, neque malus est: ergo nullius virtutis est actus. *Minor probatur*, quia potest petitio laudabiliter vel vitiosè fieri. *Confirmatur.* Aliquando orant homines Deum, pro obtinendo aliquo intrinsecè malo, verbi gratia, pro pecunia, aut vxore

vxore aliena: & impossibile est, talem orationem pertinere ad Religionem, quin potius est sacrilegium talia petere à Deo: tum quia per talem orationem inuocatur Deus vt autor, & patrocinator peccatorum: & præterea existimatur coli aut honorari actionibus prauis: quod de Deo censere, ingens blasphemia est. Ergo oratio nō est Religionis actus.

Secundò. Oratio est petitio decentium à Deo: Sed istæ res petitæ & decentes non semper pertinent ad Religionis virtutem: Ergo oratio non est Religionis actus. *Consequentia* patet, quia actus sicut & habitus speciem sumunt ab obiectis, quæ in petitione non alia possunt esse nisi res petitæ. Probatur minor, quia aliquando petuntur res tēporales; aliquando bona spiritualia necessaria ad salutem, vt Dei vocatio, adiutorium, & gratia: aliquando obiecta actus, & augmentum cæterarum virtutum; quæ omnia obiecta non pertinere ad Religionem res comperta est. *Confirmatur.* Oratio quæ est petitio habet pro obiecto, & repetita bonum morale, quod est commune quoddā obiectum virtutum omnium moralium: Ergo non magis pertinet ad Religionem, quàm ad alias virtutes morales, imò Theologicas, atque ex consequenti oratio vagabitur per omnium virtutum obiecta, & aliquando ab ista, aliquando ab illa elicietur: quando est petitio temperantię à temperantia, quando est castitatis à castitate, &c.

Tertiò. In oratione, vel petitur à Deo aliquod bonum obtinendum pro petente, vel pro alio: prior petitio pertinet ad amorem proprium, vel ad charitatem, posterior ad amorem proximi, vel ad eandem charitatem, ad quam spectat petere bona pro se, & pro alijs: Ergo potius pertinet ad charitatem oratio, quam ad Religionem. *Confirmatur primò,* quia eiusdem rationis est, desiderare bonum, procurare illud, & petere: videntur enim sub eadem ratione militare, vt patet in humanis, sed desiderare pertinet ad amorem, seu charitatem, vt etiam fatetur D. Thomas *in hoc articulo ad secundum*: ergo & petere. *Confirmatur secundò.* Oratio est expressio desiderij: vt habetur ex definitione Magistri à me allata in initio quæstionis: ergo ad eam virtutem pertinet ad quam spectat desiderium: quia voluntas alicuius rei, & expressio eiusdem voluntatis ad eandem virtutem pertinet, sicut propositio mentalis & vocalis, quæ est eius expressiua, eiusdem rationis sunt in ratione veritatis. Tunc vltra: sed desideriū alicuius boni vel pertinet ad charitatem, vel ad virtutem, cuius est obiectum petitum: Ergo idē dicendum est de oratione.

D. Thom.

Quartò. Per omnem Religionis actum Deo exhibemus aliquid, nempe honorem & cultum, vt *in qu.* 81 *dictum est*: sed per orationem non exhibetur aliquid Deo: ergò non est Religionis actus. *Probatur minor,* quia oratio est petitio à Deo, ad obtinendum aliquid ab ipso: petere autem tantum abest vt sit conferre ei, à quo petitur, quod quasi opponantur. Nam petens vt sic non est cōferens, sed accipiens, aut intendens accipere. Quod si dicas, petentem, & conferentem respectu eiusdem opponi: vnde qui petit à Deo gratiā, non confert ei gratiam, respectu tamen diuersorum non opponuntur: vnde qui petit à Deo aliquid, confert illi cultum & honorem, iuxta modum assignatum à D. Thom. *in articulo.*

Contra argumentor quintò. Cultus qui exhibetur Deo per actum Religionis debet esse obiectum actus religiosi, aliàs non esset eius obiectū, vt sic: Ergo debet esse aliquid vltra ipsum orationis actum, aliàs ipse actus esset sibi obiectum, quod est impossibile. *Confirmatur.* Petere ab homine decentia non pertinet ad cultum hominum, ergò neque petere à Deo pertinet ad Dei cultum. 2

Sextò. Actus humani, maximè studiosi sumunt speciem, & formam ex fine, sed finis petendi aliquid à Deo, est impetratio eorum, quæ petuntur, non verò cultus Dei, nisi fortè accessoriè aliquando: ergo oratio non est actus Religionis, quæ habet cultum Dei pro obiecto. Maior patet ex ijs, quæ prima secundæ dicuntur: & minor probatur. Quia ferè semper orans dirigit suam orationem ad impetrandam rem petitam à Deo: cultus verò diuini vel non recordatur, vel accessoriè illum intendit.

Septimò. Oratio est actus intellectus practici habēs pro obiecto agibile: Ergo potius est actus prudentiæ, quàm Religionis. *Antecedens patet ex dictis in art.* 1 *huius quæst. Consequentia probatur:* nam prudentia versatur circa omne agibile.

Octauò. Oratio est actus intellectus practici, Religio est in voluntate sicut in subiecto, cum sit pars iustitiæ quæ in voluntate residet: ergo oratio non elicitur à Religione. *Antecedens patet,* probatur consequentia. Quia voluntas præbet efficaciam potentiæ, vt producat actum: etenim ex potentia & habitu integratur vnum principium effectiuum actus, vt *dicitur in* 1. 2. *q.* 49. Ergo ei soli potentiæ potest virtus præstare talem efficaciā, cui inest vt in subiecto, atque ex consequenti virtus Religionis, quæ est in voluntate vt in subiecto, non potest concurrere efficienter ad orationem eliciendam, quæ est actus intellectus.

Confirmatur, quia potentia non vtitur habitu, vt instrumento separato, sed potius vt comprincipio sibi coniuncto: quia actus procedens à potentia & habitu, vt ab vno principio vitali procedit. Ergo potentia, & habitus dicuntur esse in eadem potentia, vt producant vitaliter actum: atq; adeò oratio, quæ est actus intellectus, nō potest esse actus Religionis, quæ est in volūtate. *Confirmatur secundò.* Actus vnius potentiæ non potest attribui alteri potentiæ elicitiuè, sed tantum imperatiuè, vt de se patet. Ergò existente habitu in aliqua potentia, implicat quod attribuatur ei elicitiuè actus alterius potentiæ, nisi forsan imperatiuè, ac proinde sicut voluntas, in qua est Religio, tantùm potest imperare actum rationis, qui est intellectus, sic & ipsa Religio, quæ est in voluntate, tantùm potest imperare orationem, nō elicere.

Alexander Alensis, *quarta parte, quæst.* 88. *membro secundo, art.* 3 post recensitas aliorum sententias, ipse existimat orationem esse actum fidei, spei, *Alens. sententia.* 3

spei,& charitatis, quæ simul concurrunt ad eliciendum istum actum laudabilem, qui est orare: à fide enim incipit, & in charitate terminatur. Nec video argumentum pro hac parte efficax, potissimè ducitur autoritate Augustini in Epistola ad Probam, dicentis: *Tanto illud, quod valde magnum est quod oculus non vidit, quia non est color; nec auris audiuit, quia non est sonus; nec in cor hominis ascendit, quia cor hominis illuc debet ascendere, sumemus capacius, quanto illud fidelius credimus, & speramus firmius, & desideramus ardentius: in ipsa enim fide, spe, & charitate continuato desiderio semper oramus.* Ecce oratio est actus virtutum Theologicarum. *Quod si obijciatur* Alensi, quòd orare non est credere, sperare, aut amare: Respondet, quod est actus secundarius elicitus ab illis tribus virtutibus. Alensis videtur adhærere Gabrieli super Canon lectione 49. *litera* F. vbi nõ agnoscit vllum alium cultum internum, nisi actus fidei, spei, & charitatis; & nititur authoritate D. August. Ioannes de Medina *Codice de oratione, dubio secundo*, ait, orationem nullius virtutis specialis esse actum, sed si procedat ex amore pertinebit ad amicitiam, vel charitatem: si verò ad protestandam Dei excellentiam, vel quid simile, ad Religionem. Pro decisione recolenda sunt quæ diximus supra, *quæst.* 81. *art.* 5. & 7.

August. *Gabr.* *D. Augu.* *Ioan. de Medin.*

4 *Dico primò.* Oratio vt petitio est, nullus virtutis actus est. Hanc conclusionem concedimus primo argumento, & eius confirmationi.

Sententia autoris.

Dico secundò. Oratio vt est petitio decentium à Deo, non est actus, qui vagatur per omnes virtutes, vt quidam censent. *Probatur:* quia actus; in quo est specialis ratio laudabilis, pertinet ad virtutem specialem. Oratio est huiusmodi, vt patet ratione Diui Thomæ in articulo, & nos amplius probauimus: ergo.

Dico tertiò contra Alensem & Gabrielem. Oratio nõ est actus elicitus à tribus virtutibus Theologalibus. *Probatur primò* ratione modo facta, nõ enim benè capitur, quomodo petere à Deo sit actus illarum virtutum, qui sunt credere, sperare & amare.

Alens. *Gabriel.*

Dico quartò. Oratio actus est ad virtutem Religionis pertinens. Hæc conclusio habetur quasi communis conceptio omnium existimantium se valdè colere Deum orando: omnis Ecclesia Sanctorum cœlesti ac diuino magisterio instituta, in nullo alio frequentius & instantius se existimat colere Deum die noctuque quam orationibus. Egregiè Guil. Paris. in diuina rhetorica, circa principium: *Omnis sacrificatio, omnis benedictio, omne sacramentum, & omnino quidquid in cultu diuinæ honorificentiæ agitur, aut oratio est, aut oratione perficitur.* Deinde probatur ratione D. Tho. & pro nostræ conclusionis ampliori explicatione *notandum est* cum domino Caiet. in *hoc articulo*, in oratione posse quatuor considerari: videlicet rem petitã; eum à quo petitur; petitionem ipsam, & petentẽ. A Deo, cui fit petitio, non sumitur orationem esse Religionis actum, cum ipsi possit malè & benè fieri petitio: neque etiam à re petita, eo quod cum de ratione actus religiosi sit Deo exhibere aliquid, nempe cultum; si consideremus obiectũ

Guillel. Parisiens. *D. Thom.* *Caieta.*

petitionis, id est, rem petitam, eam desideramus accipere, & non eam dare: si verò consideremus petitionem ipsam, quæ fit Deo, ab ea colligimus orationem esse actum Religionis. Nam petens eo ipso quod ab alio petit, ipso facto petẽdi profitetur se indigentem ab alio accipere, & illum alium esse potentem adiuuare petentem: itaque ipsemet actus petendi, est actus subiectionis. Quod vel ex eo colligitur, quod superbi malunt pati indigentiam, quàm ab alio petere. Rursus actu petendi profitetur petens, in eo, à quo petit, esse aliquam excellentiam supra petentem: ratione primi exhibet subiectionem; ratione secundi honorem: & hæc duo melius & perfectius reperiuntur in petitione quæ fit Deo; nam ex modo petendi, vel ex re petita subijcimur illi, vt serui domino suo, vt creaturæ suo creatori, &c. Ac subinde profitemur ipso actu petendi, eum esse omnium bonorum autorem, in quibus duobus consistit tota quidditas Religionis. Vt patet ex D. Thoma *supra quæst.* 81. *articul.* 2. *ad secundum.* Possumus vltimo considerare ipsum petentem; ex quo etiam licet colligere orationem esse Religionis actum, quia orans orationem exercet per mentem nobilissimum omnium, quæ in homine sunt Et sicut ipse orationis actus, est actus subiectionis, & cultus, ita orans eandem mentem subijcit: imò sacrificat & offert Deo, nõ quidem abdicando eam à se; quia hoc est impossibile, sed vsum eius Deo, & eius honori dicando, ad eum modum quo, quando genua flectimus, ea Deo subijcimus, sacrificamus, & offerimus: eo quod illis vtimur ad Dei seruitutem, & cultum protestandum.

D. Thom.

Ad primum cum sua confirmatione respondetur, probare nostram primam assertionem, nos verò non quomodocunque loquimur de oratione, sed de ea, qua à Deo petimus decentia. Pro solutione secundi, & confirmationis eius, *aduertendum est,* actum aliquem ad virtutem pertinere, eo quod in sui ratione includit aliquid, quod pertinet ad ordinem virtutis: & hoc dupliciter. *Primo modo*, in ordine ad suũ obiectum immediatum, verbi gratia; amare Deum, vel proximum, est actus charitatis, & in respiciendo suum obiectum habet rationem virtutis. *Secundo modo,* non in ordine ad obiectum immediatum, sed quia ex hoc quod attingatur obiectum ab actu, resultat quædam quasi conditio, & modus pertinens ad rationem formalem alicuius virtutis: huiusmodi actus est oratio, seu petitio decentium à Deo, quæ de genere suo, vt est petitio à Deo, non est virtutis actus, quia res petita, quæ est obiectum immediatum petitionis, & in quod petitio fertur, potest mala & bona esse: At verò si coarctetur ista petitio, vt sit tantum decentium, nascitur quidam modus & conditio, subiectio scilicet & reuerentia erga Deum exercita, quæ ad Religionem pertinere nullus ambigit. 5

Soluũtur argumẽta

Vnde ad argumentum secundum in forma negatur consequentia, eo quod oratio nõ habet rationem virtutis, quia petitio est, sed ex eo quod ad petitionem, quæ Deo fit, consequitur quædam conditio, & modus ad Religionem pertinens.

Itaque petitio vt petitio est, est actus intellectus practici, at vt habet imbibitum illum modum & conditionem præfatam, aliud genus ingreditur, est namque actus laudabilis & studiosus. *Ad confirm. negatur conseq.* eo quod tantum probat, orationem, seu petitionem, vt petitio est, posse imperari ab omnibus virtutibus, modo ab hac, modo ab illa, semper tamen in ipsa petitione Deo exhibitur subiectio & cultus, vnde à Religione elicitur.

Similiter respondetur ad tertium, ferè semper, aut frequenter orationem à virtute charitatis imperari, aut verò ex amore proprio & amicitia nasci. Ad *primam confirm. resp. negando maiorem*, etenim hæc tria desiderare, procurare, & petere habent se sicut superius & inferius. Quisquis enim petit aliquid, procurat illud, & desiderat, non è contra; multi namque sunt, qui desiderant pecuniam, verbi gratia, & non procurant, aut petunt, & multi procurant, & non petunt: quia multis alijs vijs procurari aliquid potest sine petitione. Quapropter benè stat desiderium alicuius boni pertinere ad dilectionem, & procurare per varias virtutes vagari, petere verò pertinere ad Religionem, propter

D. Thom. rationes D. Thomæ *in articulo, & ad tertium.*

6 Pro solutione secundæ confirmationis reuocanda sunt in memoriam, quæ diximus supra articulo primo huius quæstionis, circa solutionem ad quintum. Quibus suppositis, negatur consequentia: ad probationem *negatur antecedens*, quando in expressione reperitur aliqua conditio, seu modus pertinens ad aliquam virtutem, qui modus non reperitur in desiderio, sic contingit in desiderio alicuius boni & expressione eiusdem desiderij per orationem, seu petitionem, nam in petitione reperitur subiectio, & reuerentia erga eum, cui fit petitio, quæ pertinet ad Religionem, non autem in desiderio.

Ad quartum benè ibi responsum est, eò quod petens, si consideretur res petita, nihil confert Deo, quinimò conatur accipere: si verò consideretur ipsa petitio, quatenus habet imbibitum modum subiectionis & reuerentiæ, exhibet aliquid Deo; nempè honorem & cultum.

Ad *quintum Resp.* In petitione, quæ fit Deo, oportet considerare quasi duplex obiectum. Si consideretur petitio, vt petitio est, habet pro obiecto rem petitam; & sub hac ratione, vt dicebam, non exhibet aliquid Deo: si verò consideretur vt actus Religionis est, sic habet pro obiecto honorem diuinum, seu cultum, qui non distinguitur realiter ab ipsa petitione: quod non est speciale in oratione, imò in omni actu honoratiuo, non distinguitur realiter ab actu honorãdi, sed tantũ formaliter: & ratio est, quia honor in honorãte collocatur: per quod patet ad cõfir.

Ad *sextum resp.* Si oratio consideretur habita consideratione ad rem petitam; quæ est proximum & immediatum obiectum orationis, vt petitio est: non pertinet ad aliquam specialem virtutem, sed versatur & negotiatur circa omnium virtutũ obiecta: & modò ad hanc, modò ad illam attinere potest, sicut mediũ, vt sic ad suũ finẽ reducatur. *Cæterùm* si oratio consideretur, vt habet imbibitum modum quendam, & conditionem subiectionis & reuerentiæ erga Deum, sic ad Religionem pertinet. Neque huic obstat, quòd homo sæpè non intendat talem reuerentiam & subiectionem, aut eius obliuiscatur: quia sat est ipsum actum orandi suapte natura includere illum præfatum modum subiectionis & reuerentiæ, qui inseparabilis est à vera oratione.

Ad septimum Resp. Si argumentum probaret, conuinceret etiam nullum esse actum virtutum moralium, sed omnes pertinere ad prudentiam: eò quod virtutes morales circa agibilia versantur. Quare *respondetur*, prudentiã versari circa omne agibile per imperiũ, quod inducat obligationem necessitatis: siue illud agibile sit exequendum ab ipso imperante, vel ab alio. Pro cuius intelligentia oportet recolere illũ discursũ prudentialem, quem fecimus circa articulum primum huius quæstionis. *Secundò resp.* prudentiam versari circa omne agibile, sed præstituendo modum electioni rectæ, vt recta sit. Vnde omnium moralium virtutum actibus inseritur, & orationi, non eliciendo, sed dirigendo & præbendo modum: sicut & cæterarum virtutum actibus. 7

Ad octauum argumentum respondet D. Thomas hic ad primum his verbis: *Ad primum dicendum, quod voluntas mouet alias potentias animæ in suum finem: & ideo Religio, quæ est in voluntate, ordinat actus aliarum potentiarum ad Dei reuerentiam, &c.* Ex quibus verbis tantùm videtur colligi orationem imperari à Religione, non verò elici. Sicut ex eò quod voluntas mouet alias potentias animæ ad suum finem, tantum colligitur, quod imperet actibus aliarum potentiarum: non verò quod eliciat, aut producat illos. Ex hoc autem quod Religio imperet actum orationis, non colligitur esse actum Religionis: alias actus omnium fermè virtutum essent Religionis actus, quia ab ea imperantur. D. Thom.

Nos igitur dicimus non obstare quominus actus aliqui ab aliquo habitu eliciantur, actum & habitum ad diuersas potentias pertinere. Cuius rei sunt innumera exempla, & res constans est in omni materia virtutis, & vitij, actus exteriores pertinere elicitiuè ad virtutem vel vitium: quamuis non exerceantur immediatè per potentiam, in qua est virtus, vel vitium, sed per potentiam executiuam: nam non solum pertinet elicitiuè ad iustitiam velle reddere vnicuique suum: sed etiam reddere exteriori actu, & non solùm pertinet ad temperantiam concupiscere moderatè cibum, sed etiam comedere temperatè.

Sit igitur regula ad dignoscendum, à qua virtute eliciantur actus. Illi actus laudabiles, qui versantur immediatè circa materiã, & obiectum propriũ alicuius virtutis, pertinent elicitiuè, & sunt actus proprij illius virtutis: siue virtus & actus eius sint in eadem potentia, siue non. Patet hoc, quia actus proprius alicuius habitus, & ipse habitus, idẽ obiectũ habent: & quia oratio habet pro obiecto subiectionẽ ad Deum, & cultũ eius, vt deduxit Diuus Thomas in articulo, quæ est propria materia & obiectum Religionis, ad ipsam per- D. Thom.

sam pertinet elicitiuè: vnde ad argum. negatur consequentia; ad probationem respondetur. Ego, qui censeo habitum concurrere ad suos actus, vt principium effectiuum; vt communis fert opinio Thomistarum 1.2. *q.* 49. conuincor subinde propter argumentum, & eius confirmationes, orationem, non elici à virtute Religionis physicè loquendo, sed tantum moraliter. Hoc est dicere, oratio versatur circa propriam materiã Religionis, exhibendo Deo subiectionem, & cultum imbibitum in ipso Religionis actu; & laudabilitas orationis ex canone & regulis Religionis iudicãda est; putà sit ne superstitiosa, pia, &c. quod satis est, vt dicatur elici à virtute Religionis moraliter. Qua distinctione vtendum sæpissimè, quando actus & habitus habẽt eandem materiam seu obiectum, & tamen sunt in diuersis potentijs. Nã tunc actus debet esse elicitiuè ab habitu, nõ physicè, sed moraliter. Ex eadem doctrina *respondetur ad primam conf.* In secunda tanguntur quædam scitu digna. *Primum* est, benè posse vnam potentiam imperare alterius actus, non vero elicere. Quia imperare nil aliud est, quam mouere & excitare aliquam potentiam, vt in suum prodeat actum. Hoc autem benè potest pręstare vna potentia erga alteram ratione connexionis inter eas repertã; quæ maior est & intimior inter volũtatem & intellectum, atque adeò sibi inuicem imperant: diuersa tamen ratione, vt dicitur in prima secundæ. At vero vna potentia non potest actum alterius elicere: sicut impossibile est effectum formalem vnius causæ propriũ, ab altera dimanare: effectus autem proprius & formalis potentię, est actus ab ea elicitus; vnde sicut nõ potest visus olfacere, aut olfatus videre; sic nec intellectus amare, aut volũtas intelligere. *Secundò notandum est*, non eodem modo contingere in habitibus: maximè in virtutibus, de quibus disputamus in præsentia. Nam stat benè vnam virtutem alteri imperare, & etiã actus elicere in alia potẽtia distincta ab ea, in qua ipsa virtus est. Etenim omnes illi actus dicuntur, & sunt eliciti, quotquot ex affectu alicuius virtutis procedunt circa materiam habitus, vt ex exemplis supra positis manifestatum est.

9 Caietan. Sed rogat quis. Vnde prouenit potentiam nõ posse habere elicentiam in actu alterius potentiæ ab ea, in qua residet. Caietanus *prima secundæ, quæstion:* 81. *artic.* 4. talem rationem discriminis reddit. Nimirum, quia potentia importat principium actus, quoad qualitatem eiusdem; substantia autem actus, nisi principium imperfectum sit, ab vno tãtum proprio ac proximo principio elicitiuè est: qualitas verò eiusdem ab extraneo etiam principio, tanquam à proximo elicitiuè esse potest: quia accidens eius est aduentitium, multiplex, & variabile: & hinc est, quod oratio sit elicitiuè à Religione, quamuis sit tantùm imperatiuè à voluntate, in qua est subiectiue Religio. Caietan. In hac solutione Caiet. videtur sui immemor, qui in *prima secunda*, quæst. 49. *art.* 3. contra Scotum, & Durandum tenuit, habitum etiam concurrere ad sustantiam actus, quando actus est ab habitu. *Præterea* omnes, qui benè sentiunt, vt patet ex loco citato, concedunt in actu procedenti ex habitu concurrere potentiam simul, & habitum vt vnum principium effectiuum, non solum ad substantiam, verùm etiam ad modum & perfectionem actus; sic vt tam substantia actus quam modus eius à potentia & habitu eliciatur, & non seorsum: substantia à potentia & modus ab habitu.

Quo supposito, vt credo supponere Caietanum, adhuc vrget argumentum principale. Nam si potentia & habitus concurrunt, vt vnum principium ad illum modum, impossibile est habitum esse in alia potentia distincta ab ea, quæ elicit actum. Quare *resp.* aliter, supposita distinctione præfata, de elicentia physica & morali; nam si attendamus concursum physicum, eadem est ratio de potentijs & habitibus; & sicut non potest elici actus vnius potentiæ ab alia; sic neque actus vnius potentiæ ab habitu existente in alia, moraliter verò nihil obstat. Et tunc ratio discriminis inter potentiam & habitum hæc est; quia potentia semper consideratur, & est agens naturale & physicum; at habitus, maximè, qui est virtus moralis, de qua disputamus, potest ingredi genus agentium moralium: in quo genere non obstat, quod actus substantia sumatur à potentia, moralitas verò aliunde: quæ aũt sit, & in quo consistat ista moralitas, iam explicui. Et hinc patet *ad conf. secũdam negando conf.* si sit sermo de elicientia morali.

Solùm superest explicare verba D. Thomæ, quæ prima facie tantum videntur concedere Religionem ad orationem imperatiuè concurrere. 10 D. Thom. Pro quorum explicatione *nota*, tripliciter posse ordinari aliquẽ actũ ad finem alicuius virtutis. *Vno modo*, præsupposita in actu honestate, & bonitate propria habitus, qui ordinat actum in finem suum: quod contingit quando actus, & habitus versantur circa idem obiectum immediatum, & finem, actus verò est in alia potentia ab ea, in qua est habitus. Exemplum est in oratione, [illegible] quæ dicitur ordinari à Religione; cò quod [illegible]u, Religio verò in voluntate. Iste ta[illegible]ctus & similes sic ordinati eliciuntur ab habitu: quia participant eius materiam & obiectum. *Secundò modo* potest actus ordinari in finem alicuius virtutis, præsupposita bonitate actus, siue honestate alicuius virtutis propria; distincta tamen ab honestate propria virtutis ordinantis in suum finem: & tũc ille actus dicitur imperari, non elici à virtute, quæ ordinat illum actum in suum finem. Vt si quis affectu Charitatis ductus oppetat mortem: ille actus dicitur imperari à Charitate, elici verò à fortitudine: quia actus ille, qui est oppetere mortem, versatur circa materiam fortitudinis immediatè. Similiter, si quis ieiunet & melius oret; illud ieiuniũ est actus temperantiæ, sed imperatus à Religione. *Tertiò modo* potest aliquis actus ordinari, seu colligi vt medium ad finem alicuius virtutis, non præsupposita honestate propria alicuius virtutis, tanquã in propria materia, sed sola vtilitate ad talem finem: & tunc electio talis medij non dicetur imperata ab habitu, sed elicita. Verbi gratia: si quis elegit leuare manus in cœlum, vel stare, vt aptius oret,

bona gesserint non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundùm sua merita coronentur.

9 Vnum tamen supererat dubium. Quando effectus aliquis decretus est fieri à Diuina prouidētia per orationes, non poterit non fieri: ergo non liberè oramus. Hoc dubium in magnum pelagus dubiorum in hoc tempore Controuersorum nos immittit. Nos verò ab eo liberabimur, remittentes Lectorem ad *primam partem, quæst. 22. de prouidentia*, vbi hæ dubitationes habēt propriam sedem, eadem enim difficultas procedit de omnibus actionibus liberis à diuina prouidentia infallibiliter, & efficaciter præordinatis.

II. DISPVTATIO.

An oratio nō solùm sit necessaria eo modo, quo dictum est, id est, vtilis & conueniens ad executionem diuinæ prouidentiæ; verùm etiam necessaria; ita quod sit in præcepto, an verò tātum in consilio?

1 ET videtur quod tantum sit de consilio. *Primò*, quia omne præceptum maximè diuinum, ad aliquod Decalogi præceptū reducitur: sed non est ad quod reducatur præceptum de orando: ergo non est oratio in præcepto. *Dices*, quod reducitur ad tertium Decalogi, non ea parte qua cæremoniale est, sed qua morale: vtrumque enim reperitur in tertio præcepto, vt asserit D. Thomas. 1. 2. *quæstion.* 100. *artic.* 3. *ad secundum, & 2. 2. quæstion.* 122. *articul.* 4. *ad primum.* D. Thom.

Contra arguitur secundò, nam tertium præceptum, qua parte morale est, tantum datur de cultu Dei in generali, non de cultu per orationem: & ipsemet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 122. *articulo.* 4. *in corpore*, expresse dicit, non dari tertium præceptum de cultu interiore, qui fit per deuotionem & orationem. *Confirmatur*, quia deuotio est actus Religionis excellentior quàm oratio, (vt patet ex supra dictis:) sed deuotio non est in præcepto, sed tantum in consilio: quis enim vnquam asseruit, deuotionem cadere sub præcepto, ergo. D. Thom.

Arguitur tertiò. Præcepta iuris naturæ, maximè quæ versantur in ordine ad Deum, cuiusmodi sunt præcepta de actibus virtutum Theologicarum, sumunt obligandi vim, ex ordinatione ad Deum, & connexione necessaria inter actus præceptos, & ordinationem, quæ per illos fit erga Deum; sed vt homo ordinetur ad Deum non est necessaria oratio: ergo non est in præcepto, iuris naturæ saltem. *Maior patet* ex his quæ dicuntur à D. Thoma. 1. 2. quæstion. 100. *Minor probatur primò*, quia sufficienter homo ordinatur ad Deum per actus virtutum Theologicarum: vnde Augustinus sæpè citatus ait: *Bene Deus colitur fide, spe, & charitate.* Per fidem namque homo recognoscit Deum, vt autorem omnium bonorum, vt dominum, vt sapientem, &c. per spem confidit ab eo donandam esse beatitudinem: per charitatem amat, vt summum, bonum, benefactorem, patrem, &c. *Dices.* Hoc ipso quod Deus per fidem, aut alio modo cognoscatur, vt dignus honore, colēndus est per Religionis virtutem. *Contrà*, quia ex hoc non colligitur, orationem esse in præcepto, sed cultum Dei, qui præstari potest, per orationem, per adorationem, per fidei professionem, &c. Ergo non inde colligitur orationem esse in præcepto. D. Thom. August.

Quartò arguitur. In humanis possumus aliquid desiderare obtinere ab alio, inde tamen non infertur, quod petamus: Nam bene stat desiderare obtinere Episcopatum à Summo Pontifice, credere, & sperare quod dabit, & tamen nolle petere: ergo pariter possibile est, desiderare obtinere à Deo bona spiritualia, credere Deo, sperare ab ipso, & eum diligere, & tamen sine vlla petitione: ergo non est necessarius ordo inter desideriū obtinendi bona spiritualia, & petitionem eorum à Deo; atque ex consequenti ratio naturalis non dictat esse à Deo petenda.

Quintò. Ad consequendum aliquem finem non obligatur quis ex præcepto ad media dubia, respectu consecutionis finis: verbi gratia, etiam si tenear procurare sanitatem; tamen si media ad eam obtinendam sunt dubia, non teneor ea apponere, quia dubia sunt. Sed res dubia est vtrum orans impetrabit per orationes gratiam, charitatem, vitam æternam: ergo non est obligatio præcepti, ad petendum ea à Deo. *Confirmatur, & vrgetur.* Aut id, quod à Deo petimus in oratione, Deus vult dare; aut non. Si vult dare; videtur alienum à Dei liberalitate, quod imponat præceptum petendi; quia liberalius datur, quod sine precibus datur, dicente Seneca, lib. 2. de beneficijs capit. 1. circa finem: *Nulla res carius emitur, quàm quæ precibus empta est*: ergo alienum est à Dei liberalitate, quod per præceptum exigat preces de eo, quod vult dare. Si verò Deus non vult dare, non videtur æquum obligare nos, vt petamus: quia esset hominem irridere compellendo vt peteret non danda; & compulsio est ab eo, qui non vult dare. Seneca.

Alexander Alensis. 4. *parte, quæst.* 90. *Membro.* 1. *artic.* 2. tenet orationem non esse de necessarijs ad salutem, atque ex consequenti non esse in præcepto. licet fateatur esse id, per quod impetrantur necessaria ad salutem. Argumenta, quibus ducitur, nullius esse momenti iudico, & ideo prætermitto. Alen. Sēt.

Pro expositione *præmittendum est*, nos in præsentiarum non dubitare, an sit præceptum Ecclesiæ de oratione, sunt enim quidam, qui ad id obligantur, vt viri Ecclesiastici, de quo inferius: neque de his, qui se voto ad id astrinxerunt: sed Controuersia est de præcepto diuino, an extet aliquod obligans vniuersos fideles ad orandum. Et sententia affirmatiua vera est; quæ probatur primo, 2 Sent. vera.

primo, nam Matth. 7. dicitur: *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* Quem locum referri ad necessitatem orationis, ferè omnes interpretes, vel asserunt expressè, vel insinuant, & illa multiplicatio verborum idem confirmat. Quamuis enim Diuus Augustinus *libro secundo de Sermone Domini*, hæc tria non putauit idem significare, sed tamen *libro primo retract. capite 19.* iam se ipso doctior, sententiam correxit, & dixit esse exaggerationẽ, quæ facta fuit accumulatione verborum, ex quo magis innotescit necessitas orationis. Matth. 6. dixit Christus: *Sic vos orabitis Pater noster, &c.* Et ne existimet aliquis esse tantum Consilium, ait Ecclesia in Missa: *Præceptis salutaribus moniti audemus dicere, &c.* Lucæ.18. *Oportet semper orare, & non deficere.* Nec te moueat verbum illud *oportet*; quod non videtur indicare necessitatem, inducit quidem, & sæpè in Sacra Scriptura, Matt.26. *Quomodo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri*, id est, sic necesse est vt fiat: & Actorum primo, & capit.4. *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Et ad nostrum propositum, verba illa: *Oportet semper orare*, exponens Chrysost. tomo primo Sermone de Moyse, ait: *dum oportet dicit, necessitatem inducit*; sed necessitas ista non potest esse alia, quam præcepti: ergo. Item Psalm.128. *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Quasi dicat: tam necessaria est oratio ad salutem animæ; quam necessaria est apertio oris exterioris & respiratio, vt viuat homo.

Augus. — Matth.6. — Luc.18. — Matt.26. — Actor.1. — Chrys. — Psal.128.

Confirmatur argumento communi, sed efficaci, Omnis actus necessarius ad salutem est in præcepto, oratio est huiusmodi, vt patet ex locis citatis, & alijs in dubitatione præcedenti: Ergo est in præcepto. *Maior patet* ex ijs, quæ dicuntur à Diuo Thoma *supra quæst.3. articul.2. & 3.parte, quæst. 68. articul.1. &* ab eius interpretibus. *Minor* expressè asseritur à sanctis Patribus citandis disputatione sequenti. *Secundò probatur* non solùm esse præceptum, sed etiam pertinere ad præcepta naturalia, quæ in omni lege & statu obligant, & obligarunt: potissimus Dei cultus in oratione consistit, sed cultus Dei cadit sub præcepto iuris naturæ: ergo & oratio. *Consequentia inde videtur aperta*; quia præceptum cultus de potissimo cultu debet esse, non de ignobiliori. Actus enim virtutis, qui est in præcepto, debet esse nobilior actus illius virtutis, vt patet inductiuè. *Minor* etiam videtur manifesta: Quia sicut lumen naturæ dictat, Deum esse diligendum: & ob id dilectio Dei est in præceptis iuris naturæ; ita dictat Deum esse colendum; & cultus est in præcepto iuris naturæ. *Maior*, in qua est difficultas, probatur multipliciter. Primò ex D.Thom. in quæstione præcedenti, vbi computauit inter actus præstantiores Religionis deuotionem & orationem. *Secundò* idem colligitur ex eo, quod narratur Danielis. 6. quod Sattrapæ & Principes, qui Danieli inuidebant, cogitauerunt intra se dicentes: *Non inueniemus Danieli aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei*, hoc est, nisi ponamus illi offendiculum, in quo vel cadat ab amicitia regis, vel à mandatis Dei sui. Neque aliam violandæ legis rationem excogitarunt, quam illam, vt omnis, qui peteret aliquam petitionem à quocunque Deo & homine, nisi à Dario, mitteretur in lacum leonum.

D.Thom. — 2. — D.Thom. — Daniel.

Perpẽde Lector quomodo animi communis conceptio est, etiam apud Gentiles, potissimum actum Religionis esse orationem, & esse adeò necessarium, vt illo ablato, vniuersam Danielis religionem, & pietatem auferendam putarẽt Satrapæ & Principes. Idem etiam colligere licet, cũ prima fidei initia ponebãtur, Apostoli enim dixerũt Iesu, Luc.11. *Domine doce nos orare, sicut & Ioãnes docuit discipulos suos:* Nimirum intelligẽtes orationem esse præcipuum Religiones actum, & eiusdem quasi fundamentum. *Confirmatur*, quia inter omnes actus Religionis, nullus est ita in promptu, sicut oratio; qua omnes pauper & diues possunt Deum interpellare: secus de sacrificio aut oblatione: ergo si aliquis actus pertinens ad virtutem Religionis debuit esse in præcepto, oratio est. Præclarè D.Augustinus, exponens illud Psalmi.41. *Apud me oratio Deo vitæ meæ. Nec enim (ait) vt supplicem Deo iturus sum de transmarinis locis, aut vt exaudiat me Deus meus nauigabo; aut de longinquis afferam tura, & aromata; aut de grege adducam vitulum saginatum: sed apud me est oratio Deo vitæ meæ offerenda; intus habeo victimam, quam immolem sibi; intus habeo tus, quod imponam, intus habeo sacrificium quo flectam dominum meum; quia apud me est oratio Deo vitæ meæ.*

Dan.6. — Lucæ. — D.August.

Tertiò. Lumen naturale dictat, ad Deum esse recurrendum vt nostris indigentijs subueniat; maximè pro spiritualibus necessarijs ad salutem obtinendis. Sed iste recursus non intelligitur, quo pacto possit fieri, nisi implorando eius auxilium, & petendo ab eo dona necessaria, & desiderata: ergo oratio necessaria est ad salutem, atque ex consequenti in præcepto. *Maior patet*, quia lumen naturale dictat, & multo melius lumen fidei, Deum esse omnium bonorum nostrorum autorem: & nos esse valdè indigentes istorum, ab eoque omnia bona, quæcunque habere possumus, esse deriuanda, quia omne donum desursum est, descendens à patre luminum: ergò nisi amentes fuerimus ab eo spectare hæc, & ad eum esse recurrendum certo certius cognoscemus. *Minor etiam non indiget probatione, sed declaratione.* Quis enim recursus potest fieri à famelico ad opulẽtũ, ab ægro ad medicum, nisi petendo explicitè, aut implicitè? Sed non modica dubitatio est, quando obliget hoc præceptum: etenim præcepta affirmatiua vt docuit D. Thomas *supra quæst.3. articul. 2.* non obligant pro semper, licet obligẽt semper.

Dub. quã[illegible] — D.Thom.

Res est ambigua, *sed aduertendum est*, dupliciter aliquem virtutis actum cadere sub præcepto: *vno modo* per se: *alio modo* per accidens, siue per aliud: per se quidem quando obligatio ad illum actum oritur ex propria ratione virtutis, ad quam pertinet actus, & non ratione alterius actus, vt quando quis tenetur ieiunare, vt mortificet carnem, eleemosynam dare, vt subleuet necessitatem proximi: per accidens verò aliquis virtutis actus dicitur esse in præcepto, quando talis

actus iudicatur medium necessarium ad custodiam alicuius alterius virtutis vel præcepti pertinẽtis ad alteram virtutem. v. g. si quis iudicet esse necessarium medium ad vitandum lapsum carnis, ieiunare: tunc ieiunium est in præcepto; non quidem per se, sed per aliud: & in hoc casu cum finis pertineat ad castitatem, potius dicetur obligationem esse ortã à castitate, & præceptũ esse de castitate, quã de ieiunio: tum quia vbi vnum est propter aliud, ratio formalis à fine sumenda est, non à medio. Quibus suppositis.

5 *Dico primò.* Quotiescũq; prudentia iudicauerit, orationem esse medium necessarium ad custodiã virtutis, aut ad vitandũ aliquod peccatũ, tunc oratio erit in præcepto, non quidem per se,
D. Thom. sed per aliud: & hoc est quod ait Diuus Thomas *3. parte, quæst. 39. art. 5.* orationem esse necessariã propter impugnantia interiora, nempè carnem; & propter repugnãtia exteriora, nempè mundũ, & dæmonẽ. Hinc colligo, quod quando aliquis vrgetur aliqua graui tentatione, siue carnis, siue spiritus, cõmuniter tenetur præcepto orationis, eo quod cõmuniter nullũ præsẽtatur magis præsentaneũ aut efficacius remediũ quã ad rationẽ cõfugere: maximè quia sacra Scriptura plena est pollicitationibus diuinis, factis ijs, qui ad diuinã
Psal. 90. opẽ per orationes cõfugiũt, Psal. 90. *Clamabit ad me, & ego exaudiã eũ, cũ ipso sũ in tribulatione, eripiam*
Psal. 119. *eũ & glorificabo eũ,* & Psal. 119. *ad Dominũ cũ tribu-*
Psal. 49. *larer clamaui, & exaudiuit me,* & Psal. 49. *Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.* Et ideò viri sancti in omni tribulatione ad Deũ per orationẽ confugiunt, tanquã ad vnicũ suorũ laborum remedium. Quod non obscurè indicauit
Iob. afflictus Iob, dicens: *Derelicta sunt tantũmodo labia circa dentes meos:* Ac si dicat, dum habeo labia ad orandum, non remedio destitutus sum. Quia oratio omni afflictioni remedium egregium est.

6 *Dico secundò.* Quãdo oratio iudicatur medium necessarium ad subueniẽdũ necessitatibus proximorũ, oratio est in præcepto. Sed hoc præceptũ potius pertinet ad virtutem charitatis, quàm ad virtutem Religionis: atq; adeò non cadit in his casibus oratio sub præcepto per se, sed per aliud. *Probatur:* quia ex hoc ipso, quod charitatis præcepto tenetur quis proximũ sicut seipsũ diligere, tenetur ei in necessitate beneficus esse, nõ solum per corporales eleemosynas, sed etiã per spirituales, quarũ vna est oratio. Sed quãdoq; nõ minus indiget proximus orationibus, quam corporea eleemosyna. Ergo tũc erit in præcepto. Hoc asseritur à D. Tho. *in quarto vbi supra.* Verum est tamẽ, quod cũ necessitates propriæ sint nobis notiores, pluries obligamur orare pro nobis, quã pro alijs, de quorũ necessitatibus nõ erit ita facilè iudicare: Credo tamen quod sub præcepto tenebimur orare pro Ecclesia in graui necessitate constituta: verbi gratia, quando instat electio Papæ, cõgregatio Concilij, quando est periculum aut actuale schisma, quando timentur, aut sunt bella cruenta inter principes Christianos, aut si obsideremur à Turcis, & pro alijs etiã particularibus necessitatibus, vt habetur *articulo 7. de* quibus non dicendum per singula, sed iudicandum secundũ prudentiam, non carnis, sed spiritus: præcipuè autem prælati, sacerdotes, religiosi, tenentur orare pro Ecclesia, & omnibus Christi, quia nullum est aptius remedium ad bonam gubernationem subditorum, quàm frequenter ad Deum confugere per orationem: & præterea qui sunt in dignitate constituti, debent esse ditiores in virtute, quare tenentur eleemosynam orationum impendere cæteris in necessitate constitutis.

Dico tertiò. Oratio cadit sub præcepto per se lo- 7
quendo, & non ratione alterius præcepti seruãdi, quotiescunque homo tenetur sub præcepto desiderare à Deo bona spiritualia, quæ sũt media necessaria ad salutem: verbi gratia, vocationem Dei, gratiam, fidẽ, spẽ, charitatẽ, & vitã æternã. *Probatur, quia* D. Thomas *in articulo sequenti ad se-* D. Thom.
cundũ, parificat desiderare ista bona, & ea petere quãtum ad obligationẽ præcepti: licèt dicat desiderare ea pertinere ad præceptum charitatis, petere verò ad præceptum orationis. *Secundò probatur:* quia talia media tenetur homo procurare, quia media sũt necessaria ad salutem, sed nõ potest vllo pacto procurare commodius, quã petẽdo à Deo. Ergo quotiescũque tenetur illa desiderare, tenetur petere à Deo: quod verò ista petitio pertineat ad religionis habitum, in articulo sequenti.

Sed adhuc difficile est assignare determinatũ tẽpus, pro quo obliget hoc præceptũ. *Existimo* tamẽ, quod quãdo homo primò peruenit ad vsum rationis, sicut tenetur desiderare media necessaria ad salutem, ita & petere. Et in mortis articulo quãdo tenetur desiderare vitã æternã, tenetur etiam orare pro ea obtinẽda: & fortassis quãdo imminet aliquod ingẽs periculũ, vt in nauigatione aut bello periculoso, ac denique in vitæ discursu aliquãdo se offert tẽpus & occasio, qua teneatur homo præcepto orationis. Quare salubre cõsiliũ est sine intermissione orare, id est, certis tẽporibus, vt infra declarabimus: & sic vitabitur transgressio præcepti de orãdo Deum. Hæc non aliter probantur, nisi syllogizando iuxta tenorẽ eorũ, quæ dicũtur de præcepto charitatis, aut desiderãdi media supernaturalia necessaria ad salutem.

Dico quarto. Qui recitant horas canonicas quo- 8
tidie, sufficienter adimplent præceptum de orãdo. Imò fideles etiam, si non sint ministri Ecclesiæ, qui diebus festis Missæ intersunt, si ministris pro populo orantibus suam intentionem conformant: vt ait D. Thomas *in quartò vbi supra,* eo D. Thom.
quod ex canonum iussu tenentur Christiani diebus festis Missę interesse, vt assignetur ab Ecclesia tempus orandi. Quod si emerserit alia necessitas, nihilominus tenebũtur. Ex dictis infertur, primo quod confessarij tenentur interrogare pœnitentes de hoc præcepto. *Secundò,* quod nunquã orãs probabiliter creditur, non esse in charitate, & quod incidet in multa alia peccata. Quia ferè sẽper homines impugnantur grauibus tentationibus, quibus resistitur mediante oratione, vt dictũ est. Vnde Iob. 15. Eliphaz dixit: *Euacuasti timorẽ & tulisti preces coram Deo.* Id est iã non times Deũ, siquidem finem imposuisti præcando, & orãdo: vbi videre licet, quam ingens piaculum censeat

Eliphaz

Eliphaz, quod homo afflictus cesset ab oratione.

9 Ad argumenta in principio dubitationis facta respondetur. *Ad primum* benè ibi responsum est. *Ad secundum* quod tertium Decalogi præceptum, est formaliter de cultu externo, sicut & septimum. inde tamen non infertur, actus Religionis internos non esse sub præcepto: Imo illos vtpotè perfectiores, maximè sub præcepto cadere imbibito in illo tertio præcepto. Et vt hæc melius percipias, aduerte ex doctrina D. Thomæ. 1.2. *quæst.*100. Quod licet omnia præcepta moralia ad Decalogum pertineant, non tamen expresse ibi omnia ponuntur, sed quædā extra Decalogum sunt, valde distincta ratione: nam quędā extra Decalogum sunt, quia sunt prima principia per se nota, vt præcepta de fide, spe, & charitate, Imo & de colendo Deum. Non enim censeo minus notum lumine naturæ, Deum esse colendum, quàm Deum esse amandum. Quædam vero sūt extra Decalogū, quia licet à primis principijs lumine naturæ notis oriantur, tamen indigent diligenti inquisitione sapientū: & inter ista computo præceptum de oratione. Cuius necessitatem iam ostendi. Intra Decalogū vero collocantur præcepta, quæ sunt quide cōclusiones per se illatæ ex communibus quibusdam principijs, ad quorum illationem parua aut nulla diligentia opus est. Igitur præceptum orationis reductiuè pertinet ad tertium præceptum Decalogi.

Soluūtur argumenta.

D. Thom.

Ad confirmationem secundi *respondetur*, Deuotionem vt includit promptitudinē affectuosā ad Dei cultum, non esse sub præcepto, sed tantū sub consilio. Quia opus est pertinens ad perfectionem virtutis religionis, & eius statum perfectum. Secus est de oratione, quæ est actus pertinens ad substantiam Religionis. Si verò sumatur deuotio, vt dicit promptitudinē communē omni actui Religionis, id est, pro propositum tradēdi se Deo, in ordine ad Dei seruitium: non dubito quin sit in præcepto, in illis casibus in quibus dixi esse in præcepto orationem in tertio dicto. Maximè quia vt supra docui ex sentētia D. Thomæ & Caietani, omnis actus virtutis quandoque est in præcepto; licet assignare tempus determinatum sit admodum difficile.

10 *Ad tertium negatur minor*, ad probationem ex dicto Augustini respondetur: sicut *quæst.* 80. *supra* quod Augustinus loquitur imperatiuè, siue causaliter. Virtutes enim Theologales imperant actibus Religionis. Et ad replicam respondetur, præceptum de oratione & de cultu Dei sunt diuersa: secundum est præambulum ad præcepta Decalogi, & quasi primum principium aliquorum primum, id est de oratione, in Decalogo nō est, quia vt inferatur ex illo principio, Deus est colendus, & ex alijs, opus est diligenti inquisitione, quam ni fallor adhibuimus in probationibus nostræ conclusionis, & amplius manifestabitur in solutione sequentium argumentorum.

Ad quartum argumentum resp. concedendo in humanis non esse necessariam connexionem inter desiderium obtinendi aliquid ab alio, & petitionem eorum, quæ desiderantur: itaq; non infertur, desiderat Petrus obtinere à Paulo pecunias, ergo petit illas. Et hanc illationem seu connexionem multa possunt obstare: aliquando distantia seu absentia postulantis, & postulati: aliquando quia desiderans & qui deberet petere, non vult subijci ei, à quo desiderat obtinere. petere namque inferioris est: aliquando, quia desiderans aliquid ab alio obtinere, non vult esse ei molestus aut importunus; & alijs huiusmodi. Quibus tamen sublatis è medio, ad desiderium naturali consequio sequitur, & moraliter loquēdo, petere ea, quæ desideramus ab alio obtinere. At verò quando desideramus à Deo obtinere aliquid, nihil horum obstat: non absentia aut distantia, cum vbique sit præsens: *Et non longè ab vno quoque nostrum.* Actorum .7. non impotentia conferendi, cum omnia possit: non nolle illi subijci: quia dedignamur nos profiteri inferiores, quia in hoc quod Deo subijciamur totum bonū nostrum consistit, cum seruire Deo regnare sit: non quia ei molesti simus petendo: cum ipse nos sæpissimè ad petendum importunè hortetur, passim in sacris Literis, maximè Luc. 18. exemplo viduæ importunæ, & amici postulantis ad ostium media nocte, Lucæ 11. & quod amplius est, ipse pro magno honore ducit, quod ab eo petamus, iuxta illud Psalmi 49. *Inuoca me, &c. & honorificabis me.* Itaque fortassis metaphysicè loquendo (quod ego vix capio) potest intelligi desiderium obtinendi aliquid à Deo, sine eo quod sequatur petitio: cæterum moraliter est impossibile. *Ex quo infertur*, quod non minus tenemur petere dona spiritualia, quàm desiderare; tenemur autem desiderare ipso naturæ iure præcipiente.

Actor. 17.

Luc. 18. & 11.

Psal. 49.

Ad quintum resp. primò, non dubium, quin orans cum debitis requisitis obtinebit petita, de quibus infra. Sed quia eadem dubitatio est de requisitis, respondetur secundò, quod sicut quis tenetur facere quod in se est ex viribus naturæ, vt consequatur gratiam, licèt non sit certus quod ita faciens consequetur, sed confidens in Dei liberalitate, nihilominus facit, & tenetur facere; Ita dico de oratione: & falsum est quod infirmus non tenetur apponere media dūbia ad consequendam salutem: si tamen sint probabilia. Quinimo, qui tenetur procurare salutem, tenetur etiam apponere media, quamuis tantum probabilia: aliàs nullus teneretur quærere medicinæ auxilium, quia omnia media curationum incerta sunt & dubia. 11

Ad confirm. resp. Obligationem orandi non sumi ex eo quod detur à Deo res petita, vel non detur: sed ex parte Dei ex subiectione & honore, quæ ipsi præstantur ab orantibus, ex parte verò hominis orantis ex innumeris bonis quibus locupletantur orantes, siue impetrent res petitas, siue non: de quibus D. Thomas *in articulo hoc ad tertium, &* nos latè diximus *supra ad secundū in prima dubitatione.* Et in particulari ad argumentum *respondetur*, quod quando Deus vult dare, liberalius agit cum homine iubendo, vt petat, quā dando sine petitione: eo quod dat desiderata, & cum maiori cumulo meritorū, & donorum, quæ conferuntur ratione petitionis. Et illud dictum

D. Thom.

Senecæ

Senecæ intelligendum est de eo, quod petitur per preces homini factas, cui petens necessariò subijcitur; nam petere, inferioris est, & durum certè est hominem homini subijci. Cæterùm non debet intelligi de eo, quod obtinetur per preces Deo exhibitas: tum quia perfectio & honor hominis consistit in hoc, quod se subijciat Deo: tum quia in petendo valde ditatur homo, vt dicebamus. Si verò Deus non vult dare postulata, iubet etiam petere, quia interdum postulata, si haberemus, nocerent habenti, & petitio multum prodest propter ea quæ accrescunt ex petitione: tū etiam quia Deus sæpè vult nos pie velle, quod ille iustè non vult facere: res enim comperta est apud Theologos, nos non teneri conformare voluntatem nostram diuinæ in volito materiali. Imo quandoque iubet nos desiderare, aut petere id, quod ipse decreuit non dare: verbi gratia, patri morienti iubet desiderare, & petere vitam, maximè propter pietatis virtutem, quam interdum iustè non vult concedere. Hoc præceptum, estne de oratione vocali? Respondetur infra.

DISPVTATIO III.

An oratio nō solùm sit necessaria necessitate præcepti, sed etiam necessitate absoluta medij omninò necessarij ad salutem æternam consequendam?

1 PRo intelligentia tituli *notanda est celebris distinctio* Theologorum de duplici necessitate absoluta actuum humanorum. *Quadam est* tantum præcepti: quod si non obserues, peccasti: sed si ab eo excusaris, non ideò excluderis ab æterna salute adipiscenda. Sic necessaria sunt omnia Decalogi præcepta. *Secunda necessitas* est præcepti simul & medij, quando res, quæ necessaria dicitur est medium in omni euentu necessarium ad salutem, vt actus virtutum Theologicarum. Hac distinctione præmissa videtur, orationem abstrahendo à mentali & vocali esse medium necessarium ad salutem.

Primò, quia diuinum auxilium, vt fides tradit, est necessarium ad salutem, sed hoc non potest obtineri sine oratione, ergo mediū est necessariū ad vitam æternam. Minor probatur ex D. Augustin. in lib. de Ecclesiast. Dogmat. cap. 56. *Nullum credimus* (inquit) *ad salutem nisi Deo inuitante venire: nullum inuitatum salutē suam nisi Deo auxiliante operari: nullum nisi orantem auxilium promereri.* Ecce D. Augustin. expresse asserit orationem esse medium necessarium ad salutem. Et in *lib. de natura & gratia, cap.* 43. Deus impossibilia non iubet, sed iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis: quam sententiam amplectitur Concilium Tridenti. *sessio. 6. cap.* 11. vbi significatur petitionem auxilij diuini, sine quo nequeunt impleri mandata, esse absolutè necessariam: & idem August. lib. 2. de bono perseuer. cap. 16. sic ait. *Deum alia danda non orantibus, sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparasse; sicut vsque in finem perseuerantiam*: ergo sicut perseuerantia est medium necessarium ad salutē, ita & oratio: & D. Thomas in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 1. quæstiun. 3. ait: *Ad orationem quilibet tenetur ex hoc ipso quod tenetur ad bona spiritualia sic procuranda: quæ non nisi diuinitus dantur, vnde alio modo procurari non possunt, nisi ab ipso petantur.*

D. Augu.

Conci. Tridenti.

Augus.

D. Thom.

Confirmatur argumentum ex Patribus Africanis præcipuè Hiero. in *Epist. ad Ethesifon.* & Aug. *in epistle. 90. cōtra Pelagia. qui* tollebant necessitatem orationis tollendo necessitatem gratiæ. Secundò confirmatur: Nam necessitas præcepti de orando Deum à nobis asserta, non apparet in quo fundetur, nisi quia oratio est medium necessarium ad salutem. *Secundò.* Necessitas præcepti in oratione est in præcepto diuino, vt colligit D. Thom. Matthæ. 7. in illis verbis: *Petite & accipietis*: ergo inde à posteriori colligitur necessitas medij. Etenim Christus Dominus non apposuit noua præcepta positiua, præterquàm fidei, & sacramentorum: sed explicuit clarius ea, quæ secundum ius naturę necessaria media erant. *Tertiò.* Sicut Deus operatur per causas secundas in ordine naturali, quibus vtitur, aut medijs necessarijs, mediante ordine suæ diuinæ prouidentiæ requisitis, ita in ordine gratiæ mediante oratione: quā esse causam moralem ferè omnium effectuum supra explicuimus.

Hierony.

August.

D. Thom.

Pro parte negatiua non desunt argumenta, & ea non infirma: quia oratio non est medium necessarium ad salutem per se, & ab intrinseco, neque ex diuina lege: ergo non est medium necessarium: nullum enim agnoscimus medium necessarium, nisi vno ex his duobus modis; actus virtutum Theologarum. Priori modo sunt necessarij propter intrinsecam connexionem cum fine, qui est gratia vel vita æterna Baptismus est necessarius posteriori modo. *Antecedens* quoad primam partem *probatur*, quia ad salutem solum videtur necessarium simpliciter, quod Deus in opportunis & necessarijs occasionibus vitandi peccata nos præueniat suo auxilio sufficienti, & præbeat efficax & concomitans, quibus si consentiamus, & cum illis operemur, haud dubium, quin sine oratione obtinebimus primam salutem per gratiam, & vltimam per gloriam. Nam quis neget, Diuum Paulum in itinere Damasci diuino auxilio præuentum, ac confortatum, si fortè consenserit ante orationem, & si fortè tunc in illo instanti moreretur, consecuturum vtramque salutem? *Secunda pars antecedentis probatur*: quia cum non constet de tali lege per reuelationem, voluntarium videtur eam asserere. *Confirmatur*: Nam experientia constat multa beneficia, etiam pertinentia ad ordinem gratiæ, nos recepisse à Deo, quæ nunquam postulauimus, & quando oramus, ipsum orandi donum accipimus non postulatum. Et sæpè plus accipimus, quàm rogamus, vt supra multis exemplis docuimus: & egregiè docet Hierony. in epistola. 40. ad Rufin. 2

Hierony.

Pro

Sententia autoris. Pro decisione *dico primò*. Ex natura rei, seclusa lege diuina, oratio non est medium necessarium ad salutem primam, neque vltimam consequendam. Hoc assertum probatur argumentis factis pro parte negatiua. *Secundò dico*. Attento decreto, & dispositione diuinæ prouidentiæ, quæ decreuit quosdam effectus producere, quædam auxilia largiri necessaria ad salutem, oratio est medium necessarium in ordine ad consequendam salutem, quæ ex illis auxilijs sic decretis pendet. Hoc assertum *probatur* argumentis pro parte affirmatiua, & præcipuè explicatur in tertio argumento pro eadem: quod, & eius vim nos multis explicuimus in præcedenti disputatione. *Tertiò dico*. Absolutè & simpliciter loquendo oratio non est medium necessarium ad consequendam salutem, licèt ferè semper sit medium necessarium. *Prima pars patet* ex primo asserto, & argumentis pro parte negatiua. *Secunda*, quia vix repertus fuit aut reperietur qui consequatur salutem nisi media oratione, vt dicetur fusius in solutionibus argumentorum.

3 *Soluitur argumenta pro parte affirmatiua. August.* *Ad argumenta partis affirmatiuæ respondetur.* Ad primum *negatur minor*: ad D. Augusti. qui videtur illam adstruere respondetur. *Primò*, ipsum loqui de oratione non ita rigorosè, vt petitio formalis est, sed pro desiderio obtinendi auxilia ad salutem, & ipsam salutem. Quod colligo ex eodem August. in epist. 121. ad Probam: *Sine intermissione orate, quid aliud est* (inquit August.) *quàm vitam beatam, quæ æterna est, ab eo, qui eam solus dare potest sine intermissione desiderare.* En D. Augustin. desiderium vocat orationem, sine quo nemò potest saluari. *Secundò respondetur* verba D. August. esse intelligenda iuxta secundum assertum: quia vix reperiri poterit, & fortassè non fuit repertus, qui sine auxilio postulato per orationem saluaretur: tum quia cùm desiderium obtinendi salutem, & auxilia necessaria ad illam absolutè sit medium necessarium ad eam adipiscendam; vix poterit imaginari, qui non prorumpat in petitione eorum ad Deum; quem agnouit omnipotentem, & misericordem largitorem; & similiter agnouit suam indigentiam, & impotentiam naturalem ad auxilia consequenda. Nihilominus non est implicatio, præuio desiderio, non orare, & salutem consequi. *Tum* quia, vt supra docuimus, Deus ferè semper decreuit auxilia necessaria non conferre, nisi mediantibus orationibus: quæ essent causæ executrices suæ diuinæ prouidentiæ: nihilominus hoc decretum aliquando nō interposuisse nihil vetat; sicut in naturalibus, seu temporalibus effectus quosdam decreuit fieri absque interuentu orationum.

Est tamen discrimen, nam auxilia (post primam gratiam excitantem) necessaria ad salutem spiritualem, raro dantur sine oratione, aut nunquam, quod ego sciam, at verò è contra res se habet in temporalibus. Igitur D. Aug. & D. Tho. intelligendi sunt de illis auxilijs, quæ Deus præordinauit non dare nisi media oratione: præordinauit autem ferè semper sic dare. Similiter respondetur ad primam confirmationem.

Ad secundam confirmat. nos non negare orationem esse medium ad salutem, quando Deus decreuit eam non largiri nisi mediante oratione (decreuit autem ferè semper.) Inde autem nō infertur absolutè esse medium necessarium ad salutem: sicut ex eo, quod Deus decreuit, & Augustinus agnouerit: *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet*, Sermo. primo de sancto Stephano, non benè colligimus semper esse necessariam orationem Sanctorum pro aliquo, vt saluetur. *August.* Igitur *respondetur* præceptum orationis absolutum, & in omni euentu fundari in ipso dictamine naturæ; quod docet in nostris indigentijs esse Deum orandum. *Item*, quia cùm interdum oratio sit medium necessarium ad consequenda diuina auxilia, vt declarabamus; imò cum ferè semper sit medium à diuina prouidentia decretum; nimium negligens suæ salutis esset, qui hoc agnoscens non recurreret ad Deum pro ea obtinenda. Vnde certè benè fundatur præceptum: sicut qui infirmaretur, & sciret facili medicamēto omnes eo vtentes, aut ferè omnes incolumes euadere, præcepto salutis procurandę teneretur vti tali medicamento.

Ad secundum argumentum respondetur, dumtaxat probare præceptum orationis esse iuris naturalis, & pertinere ad Decalogi præcepta, non tamen esse medium necessarium ad salutem, vt patet in præcepto de honorandis parentibus. Ad tertium argumentum respondetur, probare secundum assertum, & non impugnare tertium, vt patet ex dictis. Ad argumenta partis negatiuæ, quatenus militant contra secundum assertum, solutio manifesta est ex dictis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm oratio sit actus Religionis?

Summa Articuli.

RESPONSIO affirmatiua *probatur*: Per orationem homo Deo reuerētiam exhibet, in quantum ei se subijcit, & orando profitetur se eo indigere, sicut autore suorum bonorum; ergo est Religionis actus. Nam omne id per quod Deo reuerentia exhibetur ad Religionem pertinet.

DISPVTATIO VNICA.

An conclusio sit vera?

CONTRA conclusionem arguitur. 1 *Primò*: Oratio est petitio: sed petitio est actus intellectus practici, qui de suo genere neque bonus, neque malus est: ergo nullius virtutis est actus. *Minor probatur*, quia potest petitio laudabiliter vel vitiosè fieri. *Confirmatur*. Aliquando orant homines Deum, pro obtinendo aliquo intrinsecè malo, verbi gratia, pro pecunia, aut

vxore aliena: & impossibile est, talem orationem pertinere ad Religionem, quin potius est sacrilegium talia petere à Deo: tum quia per talem orationem inuocatur Deus vt autor, & patrocinator peccatorum: & præterea existimatur coli aut honorari actionibus prauis: quod de Deo censere, ingens blasphemia est. Ergo oratio nō est Religionis actus.

Secundò. Oratio est petitio decentium à Deo: Sed istæ res petitæ & decentes non semper pertinent ad Religionis virtutem: Ergo oratio non est Religionis actus. *Consequentia* patet, quia actus sicut & habitus speciem sumunt ab obiectis, quæ in petitione non alia possunt esse nisi res petitæ. Probatur minor, quia aliquando petuntur res tēporales; aliquando bona spiritualia necessaria ad salutem, vt Dei vocatio, adiutorium, & gratia: aliquando obiecta actus, & augmentum cæterarum virtutum; quæ omnia obiecta non pertinere ad Religionem res comperta est. *Confirmatur*. Oratio quæ est petitio habet pro obiecto, & repetita bonum morale, quod est commune quoddā obiectum virtutum omnium moralium: Ergo non magis pertinet ad Religionem, quàm ad alias virtutes morales, imò Theologicas, atque ex consequenti oratio vagabitur per omnium virtutum obiecta, & aliquando ab ista, aliquando ab illa elicietur: quando est petitio temperantię à temperantia, quando est castitatis à castitate, &c.

Tertiò. In oratione, vel petitur à Deo aliquod bonum obtinendum pro petente, vel pro alio: prior petitio pertinet ad amorem proprium, vel ad charitatem, posterior ad amorem proximi, vel ad eandem charitatem, ad quam spectat petere bona pro se, & pro alijs: Ergo potius pertinet ad charitatem oratio, quam ad Religionem. *Confirmatur primò*, quia eiusdem rationis est, desiderare bonum, procurare illud, & petere: videntur enim sub eadem ratione militare, vt patet in humanis, sed desiderare pertinet ad amorem, seu charitatem, vt etiam fatetur D. Thomas *in hoc articulo ad secundum*: ergo & petere. *Confirmatur secundo*. Oratio est expressio desiderij: vt habetur ex definitione Magistri à me allata in initio quæstionis: ergo ad eam virtutem pertinet ad quam spectat desiderium: quia voluntas alicuius rei, & expressio eiusdem voluntatis ad eandem virtutem pertinet, sicut propositio mentalis & vocalis, quæ est eius expressiua, eiusdem rationis sunt in ratione veritatis. Tunc vltra: sed desideriū alicuius boni vel pertinet ad charitatem, vel ad virtutem, cuius est obiectum petitum: Ergo idē dicendum est de oratione.

D. Thom.

Quartò. Per omnem Religionis actum Deo exhibemus aliquid, nempe honorem & cultum, vt *in qu*. 81 *dictum est*: sed per orationem non exhibetur aliquid Deo: ergò non est Religionis actus. *Probatur minor*, quia oratio est petitio à Deo, ad obtinendum aliquid ab ipso: petere autem tantum abest vt sit conferre ei, à quo petitur, quod quasi opponantur. Nam petens vt sic non est cōferens, sed accipiens, aut intendens accipere. Quod si dicas, petentem, & conferentem respectu eiusdem opponi: vnde qui petit à Deo gratiā, non confert ei gratiam, respectu tamen diuersorum non opponuntur: vnde qui petit à Deo aliquid, confert illi cultum & honorem, iuxta modum assignatum à D. Thom. *in articulo*.

Contra argumentor quintò. Cultus qui exhibetur Deo per actum Religionis debet esse obiectum actus religiosi, aliàs non esset eius obiectū, vt sic: Ergo debet esse aliquid vltra ipsum orationis actum, aliàs ipse actus esset sibi obiectum, quod est impossibile. *Confirmatur*. Petere ab homine decentia non pertinet ad cultum hominum, ergò neque petere à Deo pertinet ad Dei cultum. 2

Sextò. Actus humani, maximè studiosi sumunt speciem, & formam ex fine, sed finis petendi aliquid à Deo, est impetratio eorum, quæ petuntur, non verò cultus Dei, nisi fortè accessoriè aliquando: ergo oratio non est actus Religionis, quæ habet cultum Dei pro obiecto. Maior patet ex ijs, quæ prima secundæ dicuntur: & minor probatur. Quia ferè semper orans dirigit suam orationem ad impetrandam rem petitam à Deo: cultus verò diuini vel non recordatur, vel accessoriè illum intendit.

Septimò. Oratio est actus intellectus practici habēs pro obiecto agibile: Ergo potius est actus prudentiæ, quàm Religionis. *Antecedens patet ex dictis in art*. 1 *huius quæst*. *Consequentia probatur*: nam prudentia versatur circa omne agibile.

Octauò. Oratio est actus intellectus practici, Religio est in voluntate sicut in subiecto, cum sit pars iustitiæ quæ in voluntate residet: ergo oratio non elicitur à Religione. *Antecedens patet*, probatur consequentia. Quia virtus præbet efficaciam potentiæ, vt producat actum: etenim ex potentia & habitu integratur vnum principium effectiuum actus, vt *dicitur in* 1. 2. *q*. 49. Ergo ei soli potentiæ potest virtus præstare talem efficaciā, cui inest vt in subiecto, atque ex consequenti virtus Religionis, quæ est in voluntate vt in subiecto, non potest concurrere efficienter ad orationem eliciendam, quæ est actus intellectus.

Confirmatur, quia potentia non vtitur habitu, vt instrumento separato, sed potius vt comprincipio sibi coniuncto: quia actus procedens à potentia & habitu, vt ab vno principio vitali procedit. Ergo potentia, & habitus dicuntur esse in eadem potentia, vt producant vitaliter actum: atq; adeò oratio, quæ est actus intellectus, nō potest esse actus Religionis, quæ est in volūtate. *Cōfirmatur secundò*. Actus vnius potentiæ non potest attribui alteri potentiæ elicitiuè, sed tantum imperatiuè, vt de se patet. Ergò existente habitu in aliqua potentia, implicat quod attribuatur ei elicitiuè actus alterius potentiæ, nisi forsan imperatiuè, ac proinde sicut voluntas, in qua est Religio, tantùm potest imperare actum rationis, qui est intellectus, sic & ipsa Religio, quæ est in voluntate, tantùm potest imperare orationem, nō elicere.

Alens. sententia.

3 Alexander Alensis, *quarta part. quæst*. 88. *membro secundo, art*. 3. post recensitas aliorum sententias, ipse existimat orationem esse actum fidei, spei,

spei, & charitatis, quæ simul concurrunt ad eliciendum istum actum laudabilem, qui est orare: à fide enim incipit, & in charitate terminatur. Nec video argumentum pro hac parte efficax, potissimè ducitur autoritate Augustini in Epistola ad Probam, dicentis: *Tanto illud, quod valde magnum est quod oculus non vidit, quia non est color; nec auris audiuit, quia non est sonus; nec in cor hominis ascendit, quia cor hominis illuc debet ascendere, sumemus capacius, quanto illud fidelius credimus, & speramus firmius, & desideramus ardentius: in ipsa enim fide, spe, & charitate continuato desiderio semper oramus.* Ecce oratio est actus virtutum Theologicarum. *Quod si obijciatur* Alensi, quòd orare non est credere, sperare, aut amare: Respondet, quod est actus secundarius elicitus ab illis tribus virtutibus. Alensis videtur adhærere Gabrieli super Canon lectione 49. *litera* F. vbi nõ agnoscit vllum alium cultum internum, nisi actus fidei, spei, & charitatis; & nititur authoritate D. August. Ioannes de Medina *Codice de oratione, dubio secundo*, ait, orationem nullius virtutis specialis esse actum, sed si procedat ex amore pertinebit ad amicitiam, vel charitatem: si verò ad protestandam Dei excellentiam, vel quid simile, ad Religionem. Pro decisione recolenda sunt quæ diximus supra, *quæst.* 81. *art.* 5. & 7.

August. *Gabr.* *D. Augu.* *Ioan. de Medin.*

4 *Sententia autoru.* *Dico primò.* Oratio vt petitio est, nullus virtutis actus est. Hanc conclusionem concedimus primo argumento, & eius confirmationi.

Dico secundò. Oratio vt est petitio decentium à Deo, non est actus, qui vagatur per omnes virtutes, vt quidam censent. *Probatur:* quia actus; in quo est specialis ratio laudabilis, pertinet ad virtutem specialem. Oratio est huiusmodi, vt patet ratione Diui Thomæ in articulo, & nos amplius probauimus: ergo.

Alens. *Gabriel.* *Dico tertiò* contra Alensem & Gabrielem. Oratio nõ est actus elicitus à tribus virtutibus Theologalibus. *Probatur primò* ratione modo facta, nõ enim benè capitur, quomodo petere à Deo sit actus illarum virtutum, qui sunt credere, sperare & amare.

Dico quartò. Oratio actus est ad virtutem Religionis pertinens. Hæc conclusio habetur quasi communis conceptio omnium existimantium se valdè colere Deum orando: omnis Ecclesia Sanctorum cœlesti ac diuino magisterio instituta, in nullo alio frequentius & instantius se existimat colere Deum die noctuque quam orationibus. *Guillel. Parisiens.* Egregiè Guil. Paris. in diuina rhetorica, circa principium: *Omnis sacrificatio, omnis benedictio, omne sacramentum, & omnino quidquid in cultu diuina honorificentia agitur, aut oratio est, aut oratione perficitur.*

D. Thom. Deinde probatur ratione D. Tho. & pro nostræ conclusionis ampliori explicatione *notandum est* *Caieta.* cum domino Caiet. in *hoc articulo*, in oratione posse quatuor considerari: videlicet rem petitã; eum à quo petitur; petitionem ipsam, & petentẽ. A Deo, cui fit petitio, non sumitur orationem esse Religionis actum, cum ipsi possit malè & benè fieri petitio: neque etiam à re petita, eo quod cum de ratione actus religiosi sit Deo exhibere aliquid nempe cultum; si consideremus obiectũ petitionis, id est, rem petitam, eam desideramus accipere, & non eam dare: si verò consideremus petitionem ipsam, quæ fit Deo, ab ea colligimus orationem esse actum Religionis. Nam petens eo ipso quod ab alio petit, ipso facto petẽdi profitetur se indigentem ab alio accipere, & illum alium esse potentem adiuuare petentem: itaque ipsemet actus petendi, est actus subiectionis. Quod vel ex eo colligitur, quod superbi malunt pati indigentiam, quàm ab alio petere. Rursus actu petendi profitetur petens, in eo, à quo petit, esse aliquam excellentiam supra petentem: ratione primi exhibet subiectionem; ratione secundi honorem: & hæc duo melius & perfectius repériuntur in petitione quæ fit Deo; nam ex modo petendi, vel ex re petita subijcimur illi, vt serui domino suo, vt creaturæ suo creatori, &c. Ac subinde profitemur ipso actu petendi, eum esse omnium bonorum autorem, in quibus duobus consistit tota quidditas Religionis. Vt patet ex D. Thoma *supra quæst.* 81. *articul.* 2. *ad secundum.* *D. Thom.* Possumus vltimo considerare ipsum petentem; ex quo etiam licet colligere orationem esse Religionis actum, quia orans orationem exercet per mentem nobilissimum omnium, quæ in homine sunt Et sicut ipse orationis actus, est actus subiectionis, & cultus, ita orans eandem mentem subijcit: imò sacrificat & offert Deo, nõ quidem abdicando eam à se; quia hoc est impossibile, sed vsum eius Deo, & eius honori dicando, ad eum modum quo, quando genua flectimus, ea Deo subijcimus, sacrificamus, & offerimus: eo quod illis vtimur ad Dei seruitutem, & cultum protestandum.

Ad primum cum sua confirmatione respondetur, 5 probare nostram primam assertionem, nos verò *Soluũtur argumẽta* non quomodocunque loquimur de oratione, sed de ea, qua à Deo petimus decentia. Pro solutione secundi, & confirmationis eius, *aduertendum est,* actum aliquem ad virtutem pertinere, eo quod in sui ratione includit aliquid, quod pertinet ad ordinem virtutis: & hoc dupliciter. *Primo modo*, in ordine ad suũ obiectum immediatum, verbi gratia; amare Deum, vel proximum, est actus charitatis, & in respiciendo suum obiectum habet rationem virtutis. *Secundo modo,* non in ordine ad obiectum immediatum, sed quia ex hoc quod attingatur obiectum ab actu, resultat quædam quasi conditio, & modus pertinens ad rationem formalem alicuius virtutis: huiusmodi actus est oratio, seu petitio decentium à Deo, quæ de genere suo, vt est petitio à Deo, non est virtutis actus, quia res petita, quæ est obiectum immediatum petitionis, & in quod petitio fertur, potest mala & bona esse: At verò si coarctetur ista petitio, vt sit tantum decentium, nascitur quidam modus & conditio, subiectio scilicet & reuerentia erga Deum exercita, quæ ad Religionem pertinere nullus ambigit.

Vnde ad argumentum secundum in forma negatur consequentia, eo quod oratio nõ habet rationem virtutis, quia petitio est, sed ex eo quod ad petitionem, quæ Deo fit, consequitur quædam conditio, & modus ad Religionem pertinens. Ita-

Itaque petitio vt petitio est, est actus intellectus practici, at vt habet imbibitum illum modum & conditionem præfatam, aliud genus ingreditur, est namque actus laudabilis & studiosus. *Ad confirm. negatur conseq.* eo quod tantum probat, orationem, seu petitionem, vt petitio est, posse imperari ab omnibus virtutibus, modo ab hac, modo ab illa, semper tamen in ipsa petitione Deo exhibitur subiectio & cultus, vnde à Religione elicitur.

Similiter respondetur ad tertium, ferè semper, aut frequenter orationem à virtute charitatis imperari, aut verò ex amore proprio & amicitia nasci. Ad *primam confirm. resp. negando maiorem.* etenim hæc tria desiderare, procurare, & petere habent se sicut superius & inferius. Quisquis enim petit aliquid, procurat illud, & desiderat, non è contra; multi namque sunt, qui desiderant pecuniam, verbi gratia, & non procurant, aut petunt, & multi procurant, & non petunt: quia multis alijs vijs procurari aliquid potest sine petitione. Quapropter benè stat desiderium alicuius boni pertinere ad dilectionem, & procurare per varias virtutes vagari, petere verò pertinere ad Religionem, propter

D. Thom. rationes D. Thomæ *in articulo, & ad tertium.*

6 Pro solutione secundæ confirmationis reuocanda sunt in memoriam, quæ diximus supra articulo primo huius quæstionis, circa solutionem ad quintum. Quibus suppositis, negatur consequentia: ad probationem *negatur antecedens,* quando in expressione reperitur aliqua conditio, seu modus pertinens ad aliquam virtutem, qui modus non reperitur in desiderio, sic contingit in desiderio alicuius boni & expressione eiusdem desiderij per orationem, seu petitionem, nam in petitione reperitur subiectio, & reuerentia erga eum, cui fit petitio, quæ pertinet ad Religionem, non autem in desiderio.

Ad quartum benè ibi responsum est, eò quod petens, si consideretur res petita, nihil confert Deo, quinimò conatur accipere; [illegible] verò consideretur ipsa petitio, quatenùs habet imbibitum modum subiectionis & reuerentiæ, exhibet aliquid Deo; nempè honorem & cultum.

Ad *quintum Resp.* In petitione, quæ fit Deo, oportet considerare quasi duplex obiectum. Si consideretur petitio, vt petitio est, habet pro obiecto rem petitam; & sub hac ratione, vt dicebam, non exhibet aliquid Deo: si verò consideretur vt actus Religionis est, sic habet pro obiecto honorem diuinum, seu cultum, qui non distinguitur realiter ab ipsa petitione: quod non est speciale in oratione, imò in omni actu honoratiuo, non distinguitur realiter ab actu honorādi, sed tantū formaliter: & ratio est, quia honor in honorāte collocatur: per quod patet ad cōfir.

Ad *sextum resp.* Si oratio consideretur habita consideratione ad rem petitam; quæ est proximum & immediatum obiectum orationis, vt petitio est: non pertinet ad aliquam specialem virtutem, sed versatur & negotiatur circa omnium virtutū obiecta: & modò ad hanc, modò ad illam attinere potest, sicut mediū, vt sic ad suū finē reducatur. *Cæterùm* si oratio consideretur, vt habet imbibitum modum quendam, & conditionem subiectionis & reuerentiæ erga Deum, sic ad Religionem pertinet. Neque huic obstat, quòd homo sæpè non intendat talem reuerentiam & subiectionem, aut eius obliuiscatur: quia sat est ipsum actum orandi suapte natura includere illum præfatum modum subiectionis & reuerentiæ, qui inseparabilis est à vera oratione.

Ad septimum Resp. Si argumentum probaret, 7
conuinceret etiam nullum esse actum virtutum moralium, sed omnes pertinere ad prudentiam: eò quod virtutes morales circa agibilia versantur. Quare *respondetur*, prudentiā versari circa omne agibile per imperiū, quod inducat obligationem necessitatis: siue illud agibile sit exequendum ab ipso imperante, vel ab alio. Pro cuius intelligentia oportet recolere illū discursū prudentialem, quem fecimus circa articulum primum huius quæstionis. *Secundò resp.* prudentiam versari circa omne agibile, sed præstituendo modum electioni rectæ, vt recta sit. Vnde omnium moralium virtutum actibus inseritur, & orationi, non eliciendo, sed dirigendo & præbendo modum: sicut & cæterarum virtutum actibus.

Ad octauum argumentum respondet D. Thomas hic ad primum his verbis: *Ad primum dicendum, quod voluntas mouet alias potentias animæ in suum finem: & ideo Religio, quæ est in voluntate, ordinat actus aliarum potentiarum ad Dei reuerentiam, &c.* D. Thom.
Ex quibus verbis tantùm videtur colligi orationem imperari à Religione, non verò elici. Sicut ex eò quod voluntas mouet alias potentias animæ ad suum finem, tantùm colligitur, quod imperet actibus aliarum potentiarum; non verò quod eliciat, aut producat illos. Ex hoc autem quod Religio imperet actum orationis, non colligitur esse actum Religionis: alias actus omnium fermè virtutum essent Religionis actus, quia ab ea imperantur.

Nos igitur dicimus non obstare quominus actus aliqui ab aliquo habitu eliciantur, actum & habitum ad diuersas potentias pertinere. Cuius rei sunt innumera exempla, & res constans est in omni materia virtutis, & vitij, actus exteriores pertinere elicitiuè ad virtutem vel vitium: quamuis non exerceantur immediatè per potentiam, in qua est virtus, vel vitium, sed per potentiam executiuam: nam non solum pertinet elicitiuè ad iustitiam velle reddere vnicuique suum: sed etiam reddere exteriori actu, & non solùm pertinet ad temperantiam concupiscere moderatè cibum, sed etiam comedere temperatè.

Sit igitur regula ad dignoscendum, à qua virtute eliciantur actus. Illi actus laudabiles, qui versantur immediatè circa materiā, & obiectum propriū alicuius virtutis, pertinent elicitiuè, & sunt actus proprij illius virtutis: siue virtus & actus eius sint in eadem potentia, siue non. Patet hoc, quia actus proprius alicuius habitus, & ipse habitus, idē obiectū habent: & quia oratio habet pro obiecto subiectionē ad Deum, & cultū eius, vt deduxit Diuus Thomas in articulo, quæ est D. Thom.
propria materia & obiectum Religionis, ad ipsam per-

ſam pertinet elicitiuè: vnde ad argum. negatur conſequentia; ad probationem reſpondetur. Ego, qui cenſeo habitum concurrere ad ſuos actus, vt principium effectiuum; vt communis fert opinio Thomiſtarum 1.2. q. 49. conuincor ſubinde propter argumentum, & eius confirmationes, orationem, non elici à virtute Religionis phyſicè loquendo, ſed tantum moraliter. Hoc eſt dicere, oratio verſatur circa propriam materiã Religionis, exhibendo Deo ſubiectionem, & cultum imbibitum in ipſo Religionis actu; & laudabilitas orationis ex canone & regulis Religionis iudicãda eſt; putà ſit ne ſuperſtitioſa, pia, &c. quod ſatis eſt, vt dicatur elici à virtute Religionis moraliter. Qua diſtinctione vtendum ſæpiſſimè, quando actus & habitus habẽt eandem materiam ſeu obiectum, & tamen ſunt in diuerſis potentijs. Nã tunc actus debet eſſe elicitiuè ab habitu, nõ phyſicè, ſed moraliter. Ex eadem doctrina *reſpondetur ad primam conf.* In ſecunda tanguntur quædam ſcitu digna. *Primum* eſt, benè poſſe vnam potentiam imperare alterius actus, non vero elicere. Quia imperare nil aliud eſt, quam mouere & excitare aliquam potentiam, vt in ſuum prodeat actum. Hoc autem benè poteſt pręſtare vna potentia erga alteram ratione connexionis inter eas repertã; quæ maior eſt & intimior inter volũtatem & intellectum, atque adeò ſibi inuicem imperant: diuerſa tamen ratione, vt dicitur in prima ſecundæ. At vero vna potentia non poteſt actum alterius elicere: ſicut impoſſibile eſt effectum formalem vnius cauſæ propriũ, ab altera dimanare: effectus autem proprius & formalis potentię, eſt actus ab ea elicitus; vnde ſicut nõ poteſt viſus olfacere, aut olfatus videre; ſic nec intellectus amare, aut volũtas intelligere. *Secundò notandum eſt*, non eodem modo contingere in habitibus: maximè in virtutibus, de quibus diſputamus in præſentia. Nam ſtat benè vnam virtutem alteri imperare, & etiã actus elicere in alia potẽtia diſtincta ab ea, in qua ipſa virtus eſt. Etenim omnes illi actus dicuntur, & ſunt eliciti, quotquot ex affectu alicuius virtutis procedunt circa materiam habitus, vt exemplis ſupra poſitis manifeſtatum eſt.

9 Caietan. Sed rogat quis. Vnde prouenit potentiam nõ poſſe habere elicentiam in actu alterius potentiæ ab ea, in qua reſidet. Caietanus *prima ſecundæ, quæſtion.* 81. *artic.* 4. talem rationem diſcriminis reddit. Nimirum, quia potentia importat principium actus, quoad qualitatem eiuſdem; ſubſtantia autem actus, niſi principium imperfectum ſit, ab vno tãtum proprio ac proximo principio elicitiuè eſt: qualitas verò eiuſdem ab extraneo etiam principio, tanquam à proximo elicitiuè eſſe poteſt: quia accidens eius eſt aduentitium, multiplex, & variabile: & hinc eſt, quod oratio ſit elicitiuè à Religione, quamuis ſit tantùm imperatiuè à voluntate, in qua eſt ſubiectiue Religio. Caietan. In hac ſolutione Caiet. videtur ſui immemor, qui in *prima ſecunda*, quæſt. 49. *art.* 3. contra Scotum, & Durandum tenuit, habitum etiam concurrere ad ſuſtantiam actus, quando actus eſt ab habitu. *Præterea* omnes, qui benè ſentiunt, vt patet ex loco citato, concedunt in actu procedenti ex habitu concurrere potentiam ſimul, & habitum vt vnum principium effectiuum, non ſolum ad ſubſtantiam, verùm etiam ad modum & perfectionem actus; ſic vt tam ſubſtantia actus quam modus eius à potentia & habitu eliciatur, & non ſeorſum: ſubſtantia à potentia & modus ab habitu.

Quo ſuppoſito, vt credo ſupponere Caietanum, adhuc vrget argumentum principale. Nam ſi potentia & habitus concurrunt, vt vnum principium ad illum modum, impoſſibile eſt habitum eſſe in alia potentia diſtincta ab ea, quæ elicit actum. Quare *reſp.* aliter, ſuppoſita diſtinctione præfata, de elicentia phyſica & morali; nam ſi attendamus concurſum phyſicum, eadem eſt ratio de potentijs & habitibus; & ſicut non poteſt elici actus vnius potentiæ ab alia; ſic neque actus vnius potentiæ ab habitu exiſtente in alia, moraliter verò nihil obſtat. Et tunc ratio diſcriminis inter potentiam & habitum hæc eſt; quia potentia ſemper conſideratur, & eſt agens naturale & phyſicum; at habitus, maximè, qui eſt virtus moralis, de qua diſputamus, poteſt ingredi genus agentium moralium: in quo genere non obſtat, quod actus ſubſtantia ſumatur à potentia, moralitas verò aliunde: quæ aũt ſit, & in quo conſiſtat iſta moralitas, iam explicui. Et hinc patet *ad conf. ſecũdam negando conſ.* ſi ſit ſermo de elicientia morali.

Solùm ſupereſt explicare verba D. Thomæ, 10 D. Thom. quæ prima facie tantum videntur concedere Religionem ad orationem imperatiuè concurrere. Pro quorum explicatione *nota*, tripliciter poſſe ordinari aliquẽ actũ ad finem alicuius virtutis. *Vno modo*, præſuppoſita in actu honeſtate, & bonitate propria habitus, qui ordinat actum in finem ſuum: quod contingit quando actus, & habitus verſantur circa idem obiectum immediatum, & finem, actus verò eſt in alia potentia ab ea, in qua eſt habitus. Exemplum eſt in oration[illegible] quæ dicitur ordinari à Religione; eò quod [illegible]ctu, Religio verò in voluntate. Iſte tam[illegible]actus & ſimiles ſic ordinati eliciuntur ab habitu: quia participant eius materiam & obiectum. *Secundò modo* poteſt actus ordinari in finem alicuius virtutis, præſuppoſita bonitate actus, ſiue honeſtate alicuius virtutis propria; diſtincta tamen ab honeſtate propria virtutis ordinantis in ſuum finem: & tũc ille actus dicitur imperari, non elici à virtute, quæ ordinat illum actum in ſuum finem. Vt ſi quis affectu Charitatis ductus oppetat mortem: ille actus dicitur imperari à Charitate, elici verò à fortitudine: quia actus ille, qui eſt oppetere mortem, verſatur circa materiam fortitudinis immediatè. Similiter, ſi quis ieiunet & melius oret; illud ieiuniũ eſt actus temperantiæ, ſed imperatus à Religione. *Tertio modo* poteſt aliquis actus ordinari, ſeu colligi vt medium ad finem alicuius virtutis, non præſuppoſita honeſtate propria alicuius virtutis, tanquã in propria materia, ſed ſola vtilitate ad talem finem: & tunc electio talis medij non dicetur imperata ab habitu, ſed elicita. Verbi gratia: ſi quis elegit leuare manus in cœlum, vel ſtare, vt aptius oret,

oret, electio huius med. elicitur à Religione: si tamen eligeret quis ad eundem finem ieiunium, tunc talis electio non est elicita à Religione.

Quod si alicui hoc mirum videatur, animad-uertat hanc doctrinam praxi D. Thomæ, in tota hac secunda secundæ esse commendatam. Et ratio est: quia habitus circa propriam materiam videtur se habere vt proprium principium; & ita actus videntur ab eo eliciti quasi proprij: at verò circa materiam alienam non videtur esse proprium principium, sed extraneum: & ita potius comparatur cum illa per modum imperij. *D. Thom.*

11 Ex his elucidatur D. Thomas, qui dicit orationem ordinari per Religionem in Dei reuerentiam. Non loquitur de ordinatione tertio modo: quia oratio in se habet imbibitam honestatem & bonitatem propriam Religionis. Neque loquitur secundo modo: quia honestas orationis & Religionis eadem sunt. Sed loquitur de ordinatione primo modo, quæ ex eo appellatur ordinatio, non quia non sit elicentia, sed quia est in diuersa potentia ab ea, in qua est habitus: & ad declarandum quomodo hoc possit fieri, adducit ordinationem, quam facit volũtas erga alias potentias: & dicit ferè similem facere Religionem, quæ est in volũtate erga actus aliarum potentiarum, qui communicant in materia, & obiecto cum virtute Religionis, licèt sit differentia iam explicata: quia ordinatio voluntatis in ordine ad alias potentias, quæ est imperium, non elicentia: at ordinatio Religionis in ordine ad actus aliarum potentiarum, quæ participant in materia cum Religione vera elicentia est moralis, vt declaratum est. Sed de hac re latius & formalius supra, *quæstio.* 81. *arti.* 7. *disp.* 3. *&* 4.

Sed rogat quis, cuius Religionis actus sit oratio, infusæ, an acquisitæ? Vtriusque, & præcipuè infusæ. Existimo enim Religionem esse virtutem per se infusam, quia attingit Deum saltem in obliquo, vt autorem gratiæ: atq; ideò orationem Christianam sentio esse actum supernaturalem, quæ neutiquam fieri potest sine [illegible] gratiæ. Quod non obscurè colligitur ex [illegible] Paul. ad Roman. 8. *Spiritus* (inquit) *adiuuat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: id est, postulare nos facit. Et iterum: *Secundum Deum postulat pro Sanctis*, id est, facit Sanctos postulare. Ita D. Thom. & alij. Idem expresse definitur in Conc. Arausi. 2. videndus est D. August. *sparsim in libris contra Pelagium, & in sermon.* 171. *de tempore*, D. Chrysostom. *homil.* 38. *in Genes.* & *in lib. secundo de orando Deum.* *Ad Roman.* 8. *D. Thom.* *D. August.* *D. Chrysost.*

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm solus Deus debeat orari?

Paraphrasis Articuli.

1 
VPPOSITA distinctione, nempè orationem dupliciter alicui exhiberi: vno modo quasi per ipsum implendam, id est, per ipsum condonandam rem petitam: altero modo, sicut per ipsum impetrandam, sicut per intercessorem, & interpellatorem.

Prima conclusio sit. Primo modo solus Deus orandus est: quia omnes orationes nostræ debent ordinari ad gratiam, & gloriam consequendam, quæ solus Deus dat, Psalm. 83. sensus huius conclusionis est, solum Deum esse exorandum vt autorem, & causam principalem supernaturalium donorum gratiæ, & gloriæ, quæ per orationem specialius petuntur. *Psalm.* 38.

Secunda conclusio. Si secundo modo fiat oratio, benè potest fieri Sanctis, Angelis, & hominibus, non vt per eos nostras petitiones cognoscat Deus; sed vt eorum meritis & precibus orationes nostræ sortiantur effectum. *Prob.* Apocalyps. 8. & vtraque conclus. prob. ex modo, quo Ecclesia vtitur in orando: nam à sancta Trinitate petit, vt misereatur nostri: ab alijs autem Sanctis, vt orent pro nobis. *Apocal.* 8.

Hanc D. Thom. doctrinam satis elegãter protulit Dauid, Psalm. 129. dicens: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Et nequis deciperetur, credens quod ipsi montes, id est, Sancti (vt interpretatur August. & alij) essent auxilium daturi, subiunxit: *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.* Quæ verba exponens D. Augustin. super eundem locum: ait; *Noli putare, quia ipsi montes tibi dabunt auxilium: accipiunt enim, quod dent, non de suo dant.* Iuxta harum conclusionum tenorem interpretaberis multa dicta Sanctorum. v.g. Anselm. in fine monologij. *Liquidissimum est* (inquit) *hunc*, scilicet Deum, *solùm esse, quem omnis alia creatura secundum totum suum posse oportet diligendo venerari, & venerando diligere: de quo solo prospera sunt speranda; ad quem solum in aduersis fugiendum; cui soli pro qualibet re supplicandum.* Et illud Cassiodori dicentis: *Oratio propriè fit ad Deum, deprecatio verò ad Sanctos.* *Psal.* 129. *Aug.* *Aug.* *Anselm.* *Cassiod.*

I. DISPVTATIO.

An solùm sit orandum pro gratia, & gloria?

1 CIRCA rationem D. Thom. pro prima cõclusione mouet dubitatione Dominus Caietanus: nã videtur falsũ tantũ orandum esse pro gratia & gloria, & ijs, quæ ad ipsas ordinantur. Etenim licitè potest homo orare pro commoditatibus corporalibus, pro salutẽ amicorum, patriæ, pro honore parentum; etiamsi infideles sint, aut in peccato mortali: imò quamuis sciat non esse conuertendos. Et *præterea* illatio D. Thom. videtur nulla: Nam dato quod finis omnium orationum sit gratia & gloria à solo Deo donabilia; multa tamen, quæ sunt media ad talem finem, effici possunt ab hominibus. v.g. instructio, custodia, & alia huiusmodi: & pro huiusmodi efficiendis possumus deprecari homines. *Respond.* breuiter, quod D. Thom. loquitur de orationibus fidelium, quę à Fide, & Religione procedunt & pro obtinendo fine supernaturali ordinantur pro se loquendo *Caietan.*

quendo. Quid verò possit à Deo absolutè peti, infra dicemus cum D. Thom. Ad secundam verò obiectionem respondetur. Quamuis multa sunt conducentia ad gratiam & gloriam obtinēdam, quæ absolutè & secundum se possunt à creaturis effici, vt argumentum probat, tamen vt media sunt ad gratiam, & gloriam efficaciter obtinendam, à solo Deo sunt; sicut ipsa gratia & gloria. Et sub hac cōsideratione eadem ratio est de gratia, & gloria, & de istis. Hæc ferè ad verbum ex Caie.

Hæc ratio D. Thom. quibusdam modernis nō placet, & defensio Caietani non minus displicet. *Primò*, quia non est necessitas recurrendi ad hoc, quod Deus solus sit autor gratiæ & gloriæ, vt solus ipse orandus sit, tanquam is, qui per se potest facere quod postulatur: quia non solum gratiam & gloriam, verùm nec minimum aliquod bonum potest aliquis præter Deum per se ipsum conferre: ergo si oratio fiat ad aliquem, vt per se autorem boni postulati, de quocunque bono fiat, ad Deum tantum fieri potest; etiā si tale bonū nec sit gratia, nec gloria, nec ad eam referatur.

Conf. quia adæquata ratio petendi à Deo modo incommunicabili creaturę, est quia oratio debet dirigi ad Deum, tanquam ad principalem autorem boni postulati, qui per se ipsum, & propria virtute à nullo dependenti conferre potest. Quæ ratio extenditur ad omnem orationem, etiam si in ea non petatur gratia, vel gloria, nec media ad ipsas: vt videre licet in orationibus infidelium, qui lumine naturali ducti petebant à Deo, vel à Dijs, quos verè Deos putabant, bona temporalia corporis, & animi, tanquam ab autore omnium bonorum: quas orationes non procedere à Fide & Religione infusa certò certius est. Igitur non benè limitatur specialis modus orandi Deum diuersus ab eo, quo orantur creaturæ, ad orationem procedentem ex Fide & habitu Religionis infusæ.

Secundò, quia etiam in homine existenti in gratia & fideli potest reperiri oratio ad Deum, procedens ex Fide supernaturali, & habitu Religio-

D. Thom. nis infusæ, quæ tamen non postulet gratiā & gloriā, nec media ad ipsas: ergo interpretatio Caiet. falso innititur fundamento. Antecedens verificatur in homine fideli, qui petens bona temporalia propter honestum finem & vsum naturalem, nihil vnquam cogitauit de vera beatitudine; nec res postulatas formaliter, aut virtualiter retulit ad beatitudinis consequutionem; cuius oratio, vt pote procedens ex Fide, actus supernaturalis est; & consequenter procedens à Religione infusa.

3 Has obiectiones sufficienter dissoluerat Ca-

D. Thom. ietan. vt patebit attentè legenti. Sed pro maiori explicatione & defensione vtriusque Thomæ, *aduertendum* D. Tho. *in hoc articul.* neutiquam voluisse instituere sermonem de oratione, etiam, vt se extendit ad eam, quæ non oritur ex habitu infuso, qualis sæpè fusa est ab infidelibus: Nam si in ista vniuersalitate consideretur, nullus etiam literarum ignarus, vt pote sciens quid est Deum esse, & Deum non esse creaturam, dubitabit, quin ad Deum fusa terminetur ad ipsum, vt ad primum omnium bonorum autorem; directa verò ad creaturam, minimè sic ad eam terminari potest, Doctor autem Angelicus hanc rem tàm claram omisit, vel neglexit, maximè quia, vt benè notauit Caiet. oratio quæ ab habitu infuso Religio- Caietan.
nis non procedit, vix meretur nomen orationis: & ipse habitus (si quis est) à quo procedit, imperfectissimo modo Religio est.

Omissa ergo oratione in ea vniuersalitate, & supposito clarissimo discrimine inter eam, quam ad Deum porrigimus, & quam ad creaturam: D. Thom. in hoc articul. de oratione verè religiosa procedente à Fide, & Spe supernaturalibus, & habitu Religionis infusæ instituit sermonem. Et loquendo de ea vt sic, benè & verè dicitur, si ad Deum fiat, postulata à Deo esse per ipsum, tanquam per causam principalem implenda, quia per eam postulantur gratia & gloria, & media ad ipsas, quæ à solo Deo sunt vt causa principali, & non à creatura: at verò si à Sanctis eadem petantur, non vt implenda per ipsos, quia non sunt causæ principales talium postulatorum, sed tantum ab ipsis impetranda, vel eorum intercessionibus danda.

Ad primam obiectionem resp. dupliciter posse intelligi Deum esse per se autorem boni postulati. 4
Vno modo per se, id est, propria virtute, & ab alio independenti, & iste modus reperitur in omni oratione, quæ ad Deum funditur, siue oratio procedat ex Fide, & Religione, siue non: & ad istum modum orandi stabiliendum tanquam propriū Deo, non erat necesse recurrere ad gratiam & gloriam postulata. Sed de hoc non egit D. Tho. in hoc articulo, sed supponit illum, vt per se notum, nec disputatione indigentem, licèt quasi per transenam expresserit in solutione ad primū. *Alio modo* potest intelligi, Deum esse per se autorem boni postulati, id est, causam principalem. Et isto pacto est modus singularis & proprius orationis ad Deum, à Fide & Religione procedentis: quia per eam vt sic, nihil postulatur à Deo nisi gratia & gloria, vel media ad eas. Et in hoc sensu accipit illam voculam, *per se*, D. Thom in hoc artic. & ad istum modum orandi Deum, & verificandum, necesse fuit recurrere ad gratiam & gloriam: quia sicut à solo illo petuntur, vt per se implenda, id est, tanquam à causa principali, ita à solo eo petuntur per orationem pertinentem ad Religionem infusam.

Ad argumenta igitur in forma respond. negando antecedens; si sit sermo de oratione procedente à Fi- Soluūtur
de & Religione infusa. *Ad prob.* ablata æquiuoca- argum.
tione illius termini *per se*, nam si accipiatur pro hoc, quod est independenter, & propria virtute conferre, vera est probatio; sed nihil contra D. Thom. qui loquitur tantùm de oratione religiosa, vt ab habitu infuso procedit vt sic, id est, sub speciali hac ratione. Si verò per se accipiatur pro hoc quod est conferre, vt causam principalem, falsa est probatio: quia creaturæ multa bona possunt nobis largiri, vt causæ principales secundariæ. Et ad consequentiam similiter conceditur, si sermo sit de oratione, secundum communem rationem orationis, vt etiam extenditur ad orationes infidelium, non verò si loquamur, iuxta

iuxta mentem Diui Thomæ, de oratione à Fide, & Religione infusa procedente. Pariformiter respondetur ad confirmationem.

5 *Ad secundam obiectionem respond.* Orationes infidelium non procedere ab habitu Religionis infusæ. Quare earum exemplum nihil contra nos probat. Imò & orationes fidelium etiam si procedant à Fide supernaturali, & ob id sint supernaturales ex parte principij: si postulata non referantur in beatitudinem supernaturalem formaliter, aut virtualiter, non sunt à Religione infusa elicitiuè: quæ respicit tantum supernaturalia obiecta, vel temporalia, vt induunt supernaturalitatem ex relatione in beatitudinem: sicut & aliæ virtutes infusæ. Quare ad *argument. nego anteced. pro secunda parte. Ad prob. negatur assumptum*: Etenim vt aliquis actus dicatur elici à virtute infusa, non sat est esse supernaturalem ex parte principij: sed etiam necesse est esse supernaturalem ex parte obiecti: vt patet in fideli, qui motus tantum pietate naturali diligit proximum, non amat ex charitate. Sic dico de oratione fidelium, per quam postulantur temporalia, nullo modo relata ad finem supernaturalem, quā vocat Caiet. orationem inordinatam priuatiuè; *Caiet.* eò quod petit rem, quam posset ordinare ad beatitudinem, sed de facto non ordinat: & addit, vix nomen orationis mereri, nec à Religione elici.

6 Circa primam conclus. Doctoris Scholastici *D.Thom.* aliqui *in 4. dist. 15. imò &* D.Thom. ibidem tangit: *An oratio ad essētiā diuinā sit dirigenda.* an oratio, quæ Deo fit, maximè vocalis, sit dirigenda ad essentiam diuinam: an verò ad personas. Dubitatio meo iudicio friuola, & vt talis à D.Thom. in summa relicta: eo quod indifferēter ad essentiā & ad personas, prout deuotio suggesserit, oratio fundenda est: exemplo Ecclesiæ, quæ interdum ad Deum, interdum ad Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum suas preces dirigit. Vt videre licet ijs, qui diuinum officium persoluunt. Nec obstat quòd ea, quæ à Deo petimus in nobis fieri, efficiantur à Deo, vt Deus est, non vt Pater, &c. quia re vera cum opera Trinitatis ad extra sint indiuisa, ea omnia efficiunt personæ diuinæ: quare indifferenter pro nostro arbitratu ad personas, & essentiam possumus orationes dirigere. Petitio namque factionem postulat: parum curans de formalitate faciendi. Erasmus verò, vt nihil sit, quod eius morsibus non subiaceat, inquit, non fuisse morem antiquis & Sanctis orationes suas ad Spiritum sanctum dirigere; *Erasmus.* sed ad solum patrem, aut Filium. Abeat in malam rem Erasmus; nos cum omnibus Catholicis æquè veneramur & obsecramus Spiritum sanctum, sicut Patrem & Filium, æqualem ipsis in omnibus & per omnia. Quod si veteres non ita frequenter dirigebant suas orationes ad Spiritum sanctum: id efficiebant, quia Spiritus sanctum donum est, & donum à largitore doni videtur congruum petere, non ab ipso dono: ideò congruentiam hanc seruantes, à Patre & Filio hoc donum flagitabant; & id donum, quod Spiritus sanctus est, sibi promereri curabant. Iuxta quem modum interpretandus est Hilarius 12. *Hilar.* *de Trinitat.* nos verò & Ecclesia Catholica ab Spiritu sancto & se ipsum, & alia dona postulamus, parum curantes de præfata congruentia; potius attendentes ipsum Spiritum sanctum æqualis esse potestatis, cum Patre & Filio, & æqualiter orandus.

Circa secūdam conclusionem D. Tho. adnotare oportet *ex artic. 10. sequent.* solum creaturas intellectuales posse Deum orare. Atque adeò hic resoluere debemus: An omnis talis creatura sit à nobis imploranda, vt oret pro nobis Dominum: an verò sit aliqua, cuius oratione pro nobis nō liceat petere.

II. DISPVTATIO.

An Beati sint orandi?

NVLLVS Catholicorū ambigit Sanctorum inuocationem esse licitam, & perutilem. Soli hæretici, admittentes 1 esse licitum iustos viuentes orare, cōuicti multitudine testimoniorum sacræ Scripturæ, quæ supra artic. 2. retulimus: id negant in Sāctis, qui ex humanis excesserint; etiam si Dei præsentia fruantur. Omnibus antiquior fuit quidam hæreticus Eustachius Sebastiæ Episcopus: qui omnem cultum Sanctorum negligebat. Secutus est Vigilantius, qui specialiter aiebat, post mortem nullius exaudiri orationem fusam pro altero. Ex quo sequitur, eos non orare pro alijs, & alios inutiliter eos inuocare. Ita colligitur ex D. Hieronym. in lib. contra Vigilantium. Et *in* *D. Hierō.* *epistol. 53.* ad Riparium: idem tenuere Petrus de Bruis cum sequacibus: Henritiani & Apostolici, vt refert D.Bernard. *ser. 66. in Cantica*: item Catharinus tempore Alexandri III. vt refert Guido *D.Bern.* *Guido.* in Catalogo hæreticorum. Et sub eodem ferè tempore Pauperes de Lugduno, teste eodem Guidone, & Tritemio in Chronic. *anno.* 1160. ac *Tritemius.* Vvaldensis: & postea Vvicleph. vt refert Thom. Valdensis, *tom. 3. de sacramentalibus, cap.* 108. & *Vvicleph.* *seq.* Denique hæretici nostri temporis in nullum cultum inuerecundius sæuierunt, quam in Sanctorum inuocationem: vt videre est apud Bellarmin. *tom. 1. in præfatione 7. controuersiæ generalis,* *Bellarm.* vbi refert blasphema verba hæreticorum nostri temporis aduersus cultum Sanctorum per inuocationem, ex eorum impijs codicibus.

Sed vt veritas catholica magis innotescat, libet apponere hæreticorum obiectiones præcipuas, & inuare rationibus & alijs; ac demum ea 2 omnia dissoluere. *Primò* arguunt, nam ad Roman. 10. dicitur: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Sed in nullum credimus nisi in Deum: *Ad Rom. 10.* ergo solus Deus inuocandus est, & non Sancti, nisi illos velimus efficere Deos. Item Exod. 20. *Non habebis Deos alienos coram me:* ergo non sunt inuocandi Sancti, ne eos Deos habeamus. Esai. 8. *Exod. 20.* vbi execratur eos, qui mortuorū auxiliū implorāt, dicēs. *Pro viuis à mortuis:* ac si dicat, nullo modo implorādi sūt mortui in patrocinium viuorum. *Esai. 8.*

Secun-

Secundò arg. In sacra Scriptura non inuenitur Sanctos esse inuocãdos saltem in particulari; nec ipsos pro nobis orare in particulari; quidquid sit de oratione in genere: ergo talis inuocatio non est admittenda. *Confirm. in cap. 12. Deuter.* (*Deute. 12.*) postquàm Deus assignauit modum sacrificiorum, & cultus, subiunxit: *Quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas.* Ecce in materia cultus nihil agendum est, nisi quod præcipitur in sacra Scriptura; sed in tota sacra Pagina vtriusque testamenti nullum extat præceptum de inuocatione Sanctorum; imò nec exemplum, aut monitio: ergo non est vtendum tali inuocatione.

Tertiò 1. ad Timot. 2. (*Ad Tim. 2.*) *Vnus est mediator Dei & hominum Christus Iesus, &c.* ergo solus Christus debet esse mediator inter nos & Deum; aliàs illi iniuria irrogaretur; eò quod habentes talem ac tantum mediatorem ad alios recurreremus; quasi ipse non esset sufficiens. Quod latius videtur probare Aug. (*Aug.*) lib. 2. contra Parmenianum, cap. 8.

Quartò. Deus solus sufficiens est ad danda omnia petita: quia omnipotens est: vult dare omnia, quæ nobis conducunt: quia liberalissimus & clemens: plus diligit nos, quàm omnes Angeli & Sancti simul: ergo iniuriam irrogamus illi, si ad alios recurrimus.

Quintò, quia oratio continet religiosum cultum pertinentem ad virtutem Religionis; qui Latriæ dicitur: ergo impium est Sanctos orare: quia cultus Religionis & Latriæ soli Deo debetur.

Vltimò. Sancti non cognoscũt, quæ nos hic agimus: & communiter nequeũt audire voces nostras, quia corporibus carent, & longè distãt: nec cogitationes nostras intueri possibile est: quia hoc est Dei proprium: ergo imprudenter ad eos orationes fundimus.

3 *Vera sententia.* Pro decisione *sit prima assertio.* Nobis non licèt Sanctos inuocare, tanquam autores donorũ, quę potissimè in orationibus postulantur: quod si sic inuocaremus, certè coleremus illos vt Deos: quod à nobis catholicis longè abest. *Hæc assertio satis probata est, & explanata à D. Thom. in 1. concl. art.* estque tàm aperta, vt non indigeat probatione. Quod si aliquando reperiantur inuocatoria verba ad Sanctos, quæ sonant causalitatem principalem in Sanctis; piè interpretandi sunt, videlicet secundum intercessionem. Nam sępè docti, & inducti ad B. Virginem præcipuè alloquentes dicunt, *Miserere mei: salua me*: subintelligitur, tuis precibus intercedendo apud Deum, vt misereatur mei, vt me saluet, &c. Nec est Phrasis aliena à D. Paulo ad Roman. 11. (*Ad Roma. 11.*) *Vt saluos facerem aliquos ex illis*, & 1. ad Corinth. 9. (*1. Ad Corinth. 9.*) similiter intelligitur, non vt Deus, sed iuuando contionibus, precibus, &c. sic etiam interpretaberis illud ad Virginem alloquentium: *Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* Et illud ad Apostolos: *Nos à peccatis omnibus soluite iussu quæsumus.* Primum ad intercessionem planè pertinet; secundũ vltra intercessionẽ, ministerialẽ potestatẽ soluẽdi peccata. Et sic de alijs locutionibus iudicato: quæ in sensu bono ab Ecclesia admisso interpretãdę sũt.

Secunda assertio. Secundum fidem res certa est, 4
Sanctos cum Christo regnantes esse nobis maximo, & tutissimo præsidio; eò quod valdè pollẽt apud Deum. Hanc concl. existimo non negari, nec posse ab hæreticis, qui admittunt sacram Scripturam. Ex qua apertè colligitur, quãto Deus prosequatur fauore beatos sui visione fruentes, propter sanctos mortuos, Genes. 26 (*Genes. 26.*) ait Dominus ad Isaac: *Benedicam tibi, & multiplicabo semẽ tuum propter seruum meum Abraham*, & iam erat defunctus, vt patet Genes. 25. (*Genes. 25.*) item Exod. 32. (*Exod. 32.*) ait Moyses ad Dominum: *Recordare Domine Abraham, Isaac, Israel seruorum tuorum, &c.* Et subditur: *Placatus est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.* Et 3. Reg. 15. (*3. Reg. 15.*) & Daniel. 3. (*Daniel. 3.*) inuocantur merita Patriarcharum iam defunctorum; nimirum quia potentes sunt nobis auxiliari. *Resp.* Caluin. (*Caluinus.*) nunquã peti talibus verbis auxilium à meritis Sanctorum; sed commemorari pactum, quod Deus cum Patriarchis fecerat de protegendis, & adiuuandis eorum posteris. Sed non satisfacit eius solutio, nam esto testimonia illa duo priora ex Pentateucho, sic interpretetur Caluin. in alijs verò expressè fit mentio de iustitia, & meritis Sanctorum, quibus viui adiuuari petunt. Vnde Psalm. 131 (*Psal. 131.*) *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*, verba sunt Salomonis orantis per merita patris iam defuncti, vt constat *ex lib. 2. Paralipomenon cap. 6.* (*2. Par. 6.*)

Fortassè dicet aliquis; Sancti iam defuncti dum viuerent, meruerunt vt sibi aliquo modo coniunctis, vel inuocantibus Dominũ allegando eorum merita Deus auxiliaretur; non verò quia denuo pro viuis intercedant, aut orent. Existimat enim Caluinus, (*Caluin.*) & ante eum Vigilantius (*Vigilant.*) Sanctos omnes in atrio quodam quasi in libera custodia inclusos esse; nec inde vnquam egredi; sed ibi lætissimè viuere omnium nostrorum totaliter oblitos. O status beatificus ineptè, & iniuriosè descriptus! *Inepte quidem*; quasi ad Sanctorum gaudium non pertineat solicitos esse de nobis, nullam illis ingerere molestiam tali cura. De quo agitur in materia de beatitudine. *Iniuriose verò*, quia carcerali custodia emãcipat Sanctos. Nõ dissimiliter finxerunt Poetæ in diuersorio Athlãtis recipi plures, vt viuerent in delitijs; sed indè egredi non valerent. Idem finxit Mahometus in suo Alcorano. An verò hoc auxilium Sanctorum nobis proueniat mediante eorum oratione, infra artic. 11. dicemus.

Tertia assertio. Licitè inuocamus Sanctos, vt ad Deum pro nobis intercedãt. *Prob.* ex illo Iob. 5. (*Iob. 5.*) *Voca si quis est, qui sibi respondeat, & ad aliquem Sãctorum conuertere.* Fateor istum locum diuersimodè exponi; nam quidam, non de oratione, sed de doctrina requirenda à Sanctis: quidam verò de oratione, sed fundenda apud Angelos, qui intelliguntur nomine Sanctorum: vt autor est D. August. (*Aug.*) in annotationibus in Iob. Cæterum D. Thom. hic, & alij plures melius intelligunt de inuocatione & oratione. Et nomine Sanctorum intelligit Sanctos quosque, siue Angelos, siue homines, siue viui sint, siue vita functi; ex quo sensu valdè firmatur nostra assertio.

Secundò. Licitè & piè inuocamus viuos, vt pro nobis suis precibus ad Dominum intercedant, vt dicemus: ergo etiam licitè, & piè eosdem Sanctos inuocamus iam vita functos; & cum Christo regnãtes, vt suis præcibus nos adiuuent. Conseq. prob. quia si hoc regnantes cum Christo non faciunt, ideo est quia nolunt; quod non est fas dicere de eis maiore charitate præditis: vel quia non possunt; & hoc non, vt patet ex secunda assertione; vbi ostendimus Sanctos in cœlo, quam plurimũ pollere gratia & fauore apud Deum; & multò maiore, quàm cum erant in mundo exsules & peregrini: aut quia ignorant orationes nostras; & hoc non, vt ostendemus in solutione ad vlt. aut quia fit iniuria Christo, & nec hoc, vt palam faciemus.

Hieron. D.Bern. Hoc arg. insinuauit Hieron. contra Vigilantium, & Bernard. in sermone Apostolorum Petri & Pauli; & adeò torsit hæreticos sectarios nostri temporis, vt in omne se latus vertentes nequeant illud dissoluere. Et solutio Caluini nullius
5 momenti est, qui negat nostri arg. conseq. assignans discrimen inter Sanctos viuos, & mortuos; nam viui omnes subnixi vna Christi intercessione pro se, & pro alijs rogant, quia sunt inuicem
Iacob.5. mẽbra; & quia sacra Scriptura, Iacob.5. hortatur, vt oremus pro inuicem, quæ non reperiuntur in vita functis. O impudentiam stultam: quasi non omnes Sancti sint membra Ecclesiæ, quæ diuiditur in militantem & triumphantem. Omnes etiam cœlicolæ vna Christi intercessione nitutũr.

Tertiò, ex definitione antiquissimorum Conciliorum, & recentiorum, vbi expresè habetur inuocatio Sanctorum cum Christo regnantium Definita est nostra concul. contra sectarios huius temporis *actione*.11. Concilij Calcedonensis, *& 6. Synodo generali, cap*.7. *& in 7. actione 6. in fine. & in*
Concil. Calced. Constan. Trident. Concil. Constantiensi contra Vvicleph. & in Triden. *ses*. 25. *contra Sectarios*.

August. *Quartò* ex consuetudine totius Ecclesiæ, quam improbare insolentissimam insaniam ait August. *epist*.18. *ad Ianuarium*. Quæ consuetudo potissimè innotescit in *Letanijs publicis*. Est iste orandi modus antiquissimus, approbatus maximè in Concil. Aurelianensi, *cap*.20. *in* Gerundensi, & Toletano 5. *cap*.1. *&* Toletano 6. *cap*.2. & Bracarensi 2. *Canone* 9. Fuerunt autem omnia ista Concilia celebrata ante annos mille. Quod autem Litaniæ illæ non solum constarent ex Dei inuocatione, per illa verba, *Kyrie eleison, Christe eleison*. constat ex Conc. Aurelianensi citato, vbi expresè dicit, Litanias esse Sanctorum inuocationem:
Vualfrid. & sic illas describit Vvalfridus Strabo. *de rebus Ecclesiast. cap*.28.

Quintò ex innumeris testimonijs Sanctorum,
Euseb. tam Græcorũ, quã Latinorũ. Videndi sunt Euse-
Athanas. bius *lib*.13. *præparationis Euãgel. ca*.7. & Athanas. *ser-*
Basilius *mone de sanctissima Deipara, circa finem*. Basilius *ora-*
Chrysost. *tione in quadraginta Martyres*. Chrysost. *homil*.6. *ad*
Ambros. *populum, & alibi sæpe*. Ambros. *de viduis*. Hierony. *in*
Hieroým. *epita. Paulæ, cap*.14. & aliorum Sanctorum quam
Bellarmi. plurima testimonia congerunt Bellarmin. *vbi sup.*
Gregor. de Valen. & Gregor. de Valentia. 2.2. *q*.82. *art*.4. *puncto* 7. *de oratione*.

Vltimò ex multitudine penè infinita miraculorum, quæ facta sũt ad inuocationem Sanctorum. De qua re videnda est epistola Nili recitata *in* 7. 6
synodo. actione 4. Theodoretus *in historia. lib*.5. *ca*. Theodor.
24. *& lib*.8. *ad Græcos*. Ambros. *sermo*.90. Aug. *lib*. Ambros.
22. *de ciuit. Dei cap*.8. Gregorius Turonicus in *libris* August.
de gloria Martyrum, & Confessorum. Gregor. *lib*.3. Turonic.
dialog. capit.22.24.25.37. Sed non prætermittam Greg.
quod narratur in vita D. Bernardi *lib*.3. *ca*.5. quòd cum apud Tolosã cõtra hãc hæresim prædicaret benedicebat panes, & offerebat turbis dicens: *In hoc scietis quòd vera sũt ea, quæ à nobis dicũtur de inuocatione Sanctorum; & falsa quæ ab hæreticis, si infirmi vestri gustatis panibus vestris adepti fuerint sospitatem*. Et cum Episcopus Carnotensis qui aderat diceret, *Si bona fide sumpserint: sanabuntur*, B. Bernardus addidit: *Non hoc ego dixi; sed quicunque sanabuntur, vt veros nos, & veracis Dei nuntios esse sciatis*. Et ingens multitudo sanata est gustatis panibus. Enumerare miracula quæ antiquitus & recenter facta sunt inuocatis Sanctis, esset immensus labor. Viden-
Sotus. dus est Sotus *in* 4. *d*.45. *q*.3. Echius *in enchiri. c*.15. Echius.
Canis. *in Catechis. &* Bellar. *vbi sup.* Canisius. Bellarm.

Superest respon. ad argum. in principio facta. *Ad* 1. *resp*. D. Paulum ibi expresè loqui de inuocatione Dei; qua inuocatur vt autor & largitor 7
omnium bonorum. Quo inuocationis modo, Soluũtur
nos non asserimus Sãctos esse inuocãdos; sed tã- argumẽ-
tum vt intercessores apud Deum. Vnde non be- ta.
ne colligitur nos facere eos Deos. Et mirum est, quod concedant hæretici, piè, & licitè nos inuocare viuos, vt intercedant pro nobis apud Deum; & inde non colligent eos nos facere Deos, & illud colligant ex inuocatione Sanctorum defunctorum. Et fortasse qui diceret, nos quodãmodo in Sanctos credere, nõ vt in Deos, sed ex eo quod nostra fides etiam illos respicit in ordine ad De-
um; non prorsus esset alienus à phrasi Pauli ad Ad Phile.
Philemon. quando inquit: *Gratias ago Deo meo, audiens tuam charitatẽ & fidem, quam habes in domino Ie-*
su, & in omnes Sanctos. Videndus est D. Hie- Hierony.
ron. super hunc locum. Et tunc sensus est. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Si quis non credit Sanctos posse intercedere apud Deum, quomodo inuocabit illos? Ac si dicat, minimè. Sed melior est prior solutio, quæ etiam adhiben-
da est dictis D. Ambros. ad Roma.1. qui si non Ambros.
cautè legitur, videtur nobis aduersari.

Similiter patet ad locum Exodi: & alium ex Esai. *resp*. diuersimodam esse lectionem in diuersis Codicibus. Antiquior sic habet; *Nunquid non populus à Deo suo requirit visionem pro viuis ac mortuis?* & tunc non procedit arg. credo tamen veriorem esse isto pacto; *Nunquid non populus à Deo suo requiret visionem? pro viuis à mortuis?* Itaque tota ista periodus clauditur duplici interrogatione. Et tunc procedit argu. *ad quod resp. ibi* dumtaxat prohiberi quærere responsa à mortuis; qui mediante illusione dæmonum videbantur suscitare à Pytonibus; qui erant genus quoddam maleficorum, vt suo loco dicemus. Quod clarissimè patet ex illis verbis præcedentibus: *Cum dixerint ad vos, Quærite à Pytonibus, qui strident in cantationibus suis, nunquid non populus à Deo suo requiret visionem?*

Et

Et tunc illud sequitur. *Pro vmis a luortxis? Ad legem magis, & ad te... ...*

8 *Ad 2. r. sp. primo neg. anteced.* vt patet ex dictis circa conclusione. *Secundò resp.* consimile arg. fieri sæpissimè ab hæreticis, Quasi non essent multa in Ecclesia pertinentia ad doctrinam & mores, quę habentur ex traditione & vsu vniuersalis Ecclesiæ, v.g. quod B. Deipara mansit Virgo, toto vitæ suę curriculo: quod paruuli sint baptizandi: quod imagines sint adorandæ, & his similia. Quare dicito ad arg. transf. antecedens, & negatur consequentia, quia potuit haberi inuocatio Sanctorum per traditionem. *Ad conf. resp.* illud testimonium quod frequens est in ore hæreticorum non eis fauere; nã ibi non prohibetur cultus, qui quocunque modo non est à Deo præceptus, sed qui non est ita à Deo præceptus, vt sit etiam contra præceptum diuinum. Itaque illa particula, *Tantum*, non excludit à cultu pio, qui non aduersatur cultui in illo cap. expresso, sed à cultu superstitioso & Gentilico, qui illi aduersatur. At illud; *Nec addas quidquam, aut minuas*, intelligitur de cultu superstitioso. *Quod proba.* 1. quia multa festa, multa vota voluntariè facta sunt, quæ non habentur in illo cap. & postmodum à Iudæis

Iudit. 15. religiosè obseruata; vt patet *Iudith.* 15. & *Esther.* 9.

Esther. 9. ergò non omnia, quæ reperiuntur in materia cultus debent esse in præcepto. Secũdò ex verbis antecedentibus illud testimonium, colligitur apertè, solos impios cultus & ritus Gentilium ibi Deum voluisse prohibere, qui dicuntur non præcepti; quia ita non sunt præcepti, vt potiùs sint contra præceptum. Phrasis est vsitata in sacra

Deute. 17. Scriptura, Deuteron. 17. *Cum reperti fuerint apud te vir aut mulier, vt faciant malum, &c. Et adorent Solem, & Lunam, & omnem militiam cæli; quæ non præcepi.* Nimirum adeò non præcepit, vt prohi-

Deute. 18. buerit. Et Deuteron. 18. *Propheta qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, &c.* Igitur inuocatio Sanctorum non est non præcepta, ad eum modum, & sensum, quo loquitur Deus in loco citato. Quinimò vt & licita no est necesse esse in præcepto. v.g. cælibatus ad Deum liberius orandum, non est in prę-

1. Ad Corint. 7. cepto, sed in consilio; vt videre licet. 1. ad Corinth. 7. & illud Luc. 18. *Vende omnia quæ habes, & da*

Luc. 18. *pauperibus, & sequere me*, non est præceptum, sed consilium. Denique resp. sicut ad argum. responsum est duplici solutione.

9 *Ad tertium resp.* Christum dici vnicum mediatorem, non eo quod non sint alij mediatores inter nos & Deum: sed eo quod excellit supra cæteros in ratione mediatoris excellentijs & prærogatiuis, quæ in nullo alio mediatore inueniuntur. Quas egregiè & compendiosè describit Apostolus in loco citato, inquiens: *Vnicus est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* In illis verbis, *Homo, Christus, Iesus*, insinuatur quomodo sit mediator inter Deum & homines: videlicet quia est Deus & homo; atque à Deo participans de vtroque extremo, inter quæ est mediator. Hanc rationem

Ambros. reddunt, quare sit mediator ferè omnes patres,

Chrysost. Ambros. Chrysost. Theophil. Theodoret. Oecumenius, D. Thom. & alij *super hunc locum*, Epiphanius in *ancorato ante medium.* Cyrillus *lib.* 12. *Thesauri, cap.* 10. *& lib.* 1. *de Trinit. ante medium.* Hilarius *li.* 9. *de Trinit. non procul à principio*, August. *li.* 9. *de Ciuita. Dei, cap.* 17. Fulgentius *lib. de fide ad Petrum, ca.* 2.

Theophil. Theodoret. Oecumen. D. Thom. Epiphan. Cyril. Hilar. August. Fulgen. D. Thom.

Sed hæc mediatoris ratio, quia est substãtialis, fortassis nõ est ita propria in præsenti speculatione, vbi agimus de ratione mediatoris, vt designat munus siue officiũ: ꝙ, autore D. Tho. 3. *p. q.* 26. *art.* 1. propriè cõsistit in hoc ꝙ est cõiungere, vnire, &

reconciliare personas dissidentes. Quod fit mul- 10

tiplici actione; nempè merendo, satisfaciendo, sacrificium offerendo, interpellando. Et hoc modo Christus dicitur vnus mediator Dei & hominũ, qualis nullus alius fuit, quia ex iustitia satisfecit Patri, meruit, & sacrificium obtulit, atque orauit dignus ex iustitia audiri; quæ omnia includuntur quando sacræ Literæ asserunt esse Redemptoré. Nam his actionibus nos redemit; & redimendo, nos Deo reconciliauit; & reconciliando, mediatoris munus exercuit. Vnde cõstat officium mediatoris in Christo esse idem cum officio Redéptoris. Quod satis explicuit D. Paulus, in illo verbo, *Redemptionem.* Et sicut titulus Redemptoris nulli conuenit nisi Christo; ita nec titulus mediatoris, vt in Christo reperitur. In illo aũt verbo, *Semetipsum*, insinuatur magna quædam excellentia mediatoris; eo quod dignitate propria infinitæ suæ personæ, quæ diuina est, & non beneficio alterius intercedit. In illo verbo, *Pro omnibus*, quarta excellentia mediatoris Christi significatur: tum quia mediator est pro omnibus, præsentibus scilicet, præteritis, & futuris. Tum etiam, quia solus Christus ita est mediator omnium hominum, vt ipse nullo mediatore indigeat. Sancti cæteri indiguerunt reconciliare per Christum; & nunc quidquid impetrant à Deo, per Christum impetrant, Christus autem nec pro se, nec pro alijs vllo mediatore indiguit, aut indiget. Sed vt dicitur

Hebræorum 7. *Accedit per semetipsum ad Deum, semper viuens, ad interpellandum pro nobis.* *Ad Heb.* 7.

Igitur Christus dicitur mediator inter Deũ & homines, quia nos suo patrocinio, & intercessione adiuuit, & adiuuat: siue hoc fiat per orationẽ, quam etiam ad Patrem fundit: *de quo* 3. *p. q.* 21. siue merito siue alio modo, vt dicebamus. Et hæc intercessio reperitur illis commemoratis excellentijs comitata; qualis in nullo alio reperitur. Et ob id dicitur vnus mediator; Non quia alij non reperiantur mediatores: nempe omnes Sancti Dei, qui innixi meritis, & patrocinio Christi mediatores excellentissimi sunt ipsi mediatores. Quod

probo dupliciter. *Primò*, quia sic appellãtur, Deu- *Deuter.* 5.

teron. 5. dicit de se Moyses, *Ego sequester fui inter Dominum & vos.* Quibus verbis alludens Paulus

ad Galat. 3. dicit. *Legem veterem ordinatam fuisse per* *Ad Gal.* 3.

Angelos in manu mediatoris, id est, *Moysis.* Item Gre-

gor. Nazianz. in oratione ad Gregor. Nisse. *Nazian.*

appellat Martyres mediatores inter nos &

Deum. Et Cyrillus *libr.* 12 *thesaur*, *capit.* 10. dicit *Cyril.*

Prophetas, & Apostolos fuisse mediatores.

Secundò probo idem ex eodem testimonio, 11

quo hæretici vtuntur contra nos, vt telum retor-

retorqueamus contra illos. Nam initio illius *cap.* 2. Apostolus monet fieri orationes pro omnibus hominibus. Ecce monet nos mediare nostris intercessionibus. Et vt illud confirmet subiungit duplicem rationem. *Prima*, quia vnus est Deus, qui vult omnes homines saluos fieri. *Secūda*, quia vnus est mediator omnium; & idcircò conueniens est, vt pro omnibus oretur; tum vt omnes participent beneuolentiam diuinam in omnes; tum vt participent redemptione exhibitam quātum est in se, pro omnibus. Ecce quomodo vt Apostolus hortetur nos orare pro omnibus, quod est mediatores esse, inducit Christum mediatorem: tantum abest, vt ex eo quod Christus mediator sit tollantur cæteri mediatores.

Dicet quis. Si recurrimus ad alios mediatores notā insufficiētiæ inurimus intercessioni Christi vnici mediatoris. *Negat. consequen.* sicut nec Deo talem tribuimus notam ex hoc quod oramus Sāctos, vt infra dicetur. Et ipsi hæretici tenentur soluere hanc replicam, cùm admittant coacti testimonijs, viuos posse & debere intercedere pro viuis. Vnde ergo quod inuocantes viuos, vt nobis sint intercessores, non irrogamus iniuriam Christo: & si inuocamus Sanctos cum Christo
August. regnantes illam irrogamus? August. verò in loco citato, loquebatur contra Donatistas, qui Sacerdotibus tribuebant gratiam, vt autoribus, & mediatoribus quodammodo redemptionis; quo pacto solus Christus mediator est.

12 *Ad quartum resp.* adhibere Sanctos vt patronos & intercessores apud Deum, nec est signum diffidentiæ de promissione diuina illa, *Petite & accipietis, &c.* vt obijciunt sectarij, sed potius vt maiori cum fiducia accedamus ad impetrandum, quod à Deo desideramus accipere, adiuti nimirum, & stipati Sanctorum patrocinio. Et illud quod adducitur de omnipotentia Dei valente per se sine illo efficere in nobis dona sua, non obstat; quod clarè apparet in naturalibus effectibus, quos omnes posset Deus efficere, & præstare sine concursu & causalitate causarum secundarū; plerosq; tamē efficit medio cōcursu earū, vt sic suauiter omnia disponat; ita licèt posset omnia nobis conferre sine mediatore, vult tamē multa nobis largiri mediante Sanctorum intercessione, vt sic suauiter inferiora ad superiora reducat per
Dionys. media, vt ait Dion. de angelica hierarchia. cap. 4.

13 *Nec obstat illud, quod obijcitur*, Deum nos diligere plus quam Sanctos omnes; & esse paratissimum nobis exaudire, quia magis Deus paratus est exaudire preces Sanctorum, quàm nostras; & magis eos diligit, quam nos; quare Sanctorum intercessione vti, pium, & valde vtile est. Quod si cupis huius rei rationes scire. Sit *prima*, ex parte Dei volētis sic nobilitare & magnificare Sanctos suos. Iuxta illud: *Nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.* Et per eorum intercessionem facere magna miracula, largiri magna dona, vt sic ad eorum laudes, & vitæ imitationem excitemur. Sic fit sæpè in humana republica; vbi rex ad intercessionem amicorum vult petita donare, vt suos amicos exaltet, & in pretio habeantur apud cæteros. *Secunda*, ex parte nostra: nimirum, quia videntes nos inopia meritorum premi, recurrimus ad opulentiam Sanctorum: vt quibus merita propria non sufficiunt ad doni alicuius impetrationem, succurrant aliena. Huic accedit alia ratio; nimirum quia peccatores ad Sanctorum interpellationem magis animantur, quàm ad iudicis; verentes accedere ante Dei vultum. Etenim peccator, qui Deum offendit, suam considerans fœditatem, quasi non audet præ confusione coram altissima pariter ac tremenda maiestate apparere. Vnde recurrit ad Sanctos purissimos, & Deo gratos, qui suas preces Altissimo præsentent, quibus motus Deus peccata remittat, & dona largiatur. Hoc discursu vtitur D. Bernardus, sermo. de B. Virgi- D. Berne: cuius initium est, *Signum magnum apparuit* nar. *in cælo*, non longè à principio. *Fidelis planè, & præpotens mediator Dei & hominum Christus Iesus* (ait Bernardus) *sed diuinam in eo verentur homines maiestatem: absorta videtur in maiestate humanitas; non quòd sit mutata substantia, sed affectio deificata; non sola cantatur illi misericordia; cantatur pariter & iudicium: quia etsi didicerit ex his, quæ passus est, compassionem, vt misericors fieret: habet tamen & iudiciariam potestatem. Denique Deus noster ignis consumens est: quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereant ipsi à facie Dei. Opus est ergo mediatore ad mediatorem istum: nec alter nobis vtilior, quàm Maria.* Hæc ille.

Ex dictis colligimus esse nobis vtilius, & cum maiori confidentia offerre Deo nostras orationes, mediante Sanctorum intercessione; quam si solas nostras ei preces porrigeremus. Vnde Iob Iob vltim. vltimo, dicit Deus, *Ite ad seruum meum Iob, vt oret pro vobis.* Dicunt sectarij. Iob viuus erat. Mira res: vti intercessione viuorum non est signum diffidentiæ; nec vlla irrogatur iniuria Deo & Christo, quare non magis licebit eosdem Sanctos inuocare cum Christo regnantes? Quod si quis obijciat Chrysostomum 3. *homil. de profectu* Chrysosto. *Euangelij, & in præfatione ad Psalm.* 4. hortantem 14 vt confidentia sine intercessione ad Deum accedamus. Respondetur eum inuehi contra quosdam, qui nunquam pro se orant, & remittunt omnia orationibus aliorum. Nam *homilia prima ad Thessal. & homilia octaua in Matthæum, & 43. in Genesim*, valde commendat Sanctorum preces.

Ad quintum, quod est primum D. Thomæ, respond. cultum Sanctorum per orationem quodammodo posse dici religiosum; quia ad Deum tandem refertur, nihilominus longè diuersus est ab eo, per quem orando Deum colimus. Etenim Deum veneramur orando tanquam omniū bonorum autorem; Sanctos verò nequaquam, sed vt intercessores apud Deum; siue cultus ille sit à Religione; siue non. *Secundò respond. & melius ac formalius, sicut* decet Theologum & Philosophum moralem; cultum exhibitum Sanctis per orationem non esse Latriæ, sed Duliæ; nec pertinere ad virtutem Religionis, sed ad virtutē obseruantiæ, quæ est pars Duliæ. Ratio est: quia cultus exhibitus Sanctis cum Christo regnantibus

fundatur

fundatur in excellentia creata ipſorum: cultus verò exhibitus Deo, in excellentia diuina increata. Cum hoc tamen ſtat, poſſe Sanctos coli per virtutem Religionis; quatenus ſunt aliquid Dei: verbi gratia, amici aut miniſtri Dei; & tunc cultus Latriæ illis exhibitus potiùs dicitur Deo conferri, quàm Sanctis. Sicut quando diligimus proximos per charitatem, quatenus amici Dei ſunt. Sed iſte modus colendi Sanctos inuſitatus eſt; ac raro & cautè exhibendus illis. Raro propter periculum: cautè propter ſcandalum, maximè hæreticorum neſcientium diſtinguere, ita ſicut & nos diſtinximus.

Circa vltimum arg. eſt dubit. quàm tetigit D. Tho. in 2. arg. Quæ talis eſt.

III. DISPVTATIO.

An Beati cognoſcant orationes viatorum, quæ ad ipſos diriguntur? & quomodo?

1 Iob 14. ET videtur vera pars negat. Primò Iob 14. dicitur de iam defunctis, *Siue nobiles fuerunt filij eius, ſiue ignobiles non intelliget:* & Eccleſ. 9. Eccleſiaſt. 9. dicitur, *Melior eſt canis viuus leone mortuo. Viuentes enim ſciunt ſe eſſe morituros; mortui verò nihil nouerunt amplius.* Eſai. 63. Eſaiæ 63. *Tu es enim pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos:* & 4. Reg. 22. 4. Reg. 22. *Vt non videant oculi tui opera mala, quæ introducturus ſum in locum iſtum.* Et Auguſt. in lib. de cura pro mortuis, cap. 13. poſt citatum illud teſtimonium Eſaiæ ſubiungit, *Si tanti Patriarchæ quid erga populum ex ipſis procreatum ageretur, ignorauerunt, quomodo mortui viuorum rebus, atque actibus cognoſcendis, adiuuandiſque miſcentur?*

Secundò. Orationes noſtræ in terris funduntur, Beati in cœlo quieſcunt; quomodo poſſunt noſtras orationes audire, niſi habeant aures à cœlo Caluinus. ad terram vſque propenſas? Argum. eſt Caluini hæretici in ſuis inſtitutionibus.

Tertiò, orationes noſtræ plerumque, & potiſſimè actibus interioribus fiunt; ſed hos ſancti beati cognoſcere nequeunt, ſed ſolus Deus: iuxta 3. Reg. 8. illud 3. Regum. 8. *Tu ſolus noſti cor omnium fidelium hominum.* & Pſalm. 7. Pſal. 7. *Scrutans corda & renes Deus.* Ergò Sancti non cognoſcunt noſtras orationes. Ex quo inferunt ſectarij, inutiliter nos ad ipſos preces emittere. Magna ſe offerebat occaſio diſputandi de cognitione animarũ ſeparatarum à corpore, de cognitione beatifica & modis earum; ſed quia vt ſæpè dixi, nolo controuerſias à proprijs ſedibus ad alienas auocare, remitto Le- D. Thom. ctorem ad primam partem D. Thom. *quæſt.* 12. & *quæſt.* 89. & modò tantum dicam ea quæ præſenti inſtituto ſatis eſſe iudicauero.

2 Pro deciſione igitur *dico primò*. Etiam ſi Sancti Beati noſtras orationes non agnoſcerent; inde tamen non infertur, quod non orent pro nobis. *Prob.* Nam illi benè ſciunt nos verſari in magnis periculis, & pluribus egere: ergo poſſunt petere, & petunt auxilium diuinum pro nobis; ſicut nos quamuis ignoremus, quos in particulari patiantur cruciatus Purgatorij animæ, pro eis tamen fundimus preces, & ſuffragia applicamus. Nec etiam infertur, ex hoc quod Beati ignorent noſtras petitiones, per ſe ipſos non eſſe vtiliter inuocandos. Nam aliquis, verbi gratia, Angelus poteſt eas Deo præſentare: & ſatis nobis ſit, quod Deus ipſas audit. Erudite ſatis Hugo de Sancto Victore lib. 2. de Sacramentis, parte 16. capite 11. dicit; *Multi in quæſtionem adducunt; ſi* Hugo. *Sancti preces ſupplicantium audiunt, ſi vota poſtulantium ad ipſorum vſque cognitionem perueniunt. Difficilè eſt iudicare de huiuſmodi quæſtione. Hoc enim certum eſt, animas Sanctorum in ſecreto diuinæ contẽplationis conſtitutas, eorum, quæ foris aguntur, tantum ſcire, quantum illis vel ad gaudium, vel nobis ad auxilium prodeſſe conſtat. Nos interceſſores quærimus apud Deum: quid amplius vis? times ne fortè, non orent, qui ſemper orant? Quomodo non orabunt pro te, quando tu oras, qui & quando tu non oras, orare tamen non ceſſant? Sed non audiunt* (*inquis*,) *& ego in ventum infundo verba, non audientibus, & non intelligentibus loquens. Ecce dicamus, non audiunt Sancti verba poſtulantium, nec ad beatitudinem illorum attinet iſta noſſe, quæ foris aguntur; nunquid Deus non audit? Quid ergo laboras inueſtigare, quid audiant, & quantum audiant; cùm ipſe Deus audiat, propter quem oras; ipſe videt humilitatem tuam, qui remuneraturus eſt deuotionem tuam.* En concluſionem noſtram: licèt paulò inferius dicat Hugo, quomodo Sancti audiant orationes noſtras, vt dicemus.

Dico ſecundò. Beati in cœlo commorantes habent cognitionem petitionum noſtrarum, etiam in particulari. Prob. 1. expreſſo teſtimonio Apocalypſ. 5. *Quatuor* (inquit) *animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli citharas & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* Ecce ſancti non ignorant iuſtorum orationes, quas ſeruant in phialis Deo præſentandas. *Secundò.* Angeli cognoſcunt piorum hominum orationes, ergo Sancti qui in cœlo ſunt. Prob. conſeq. quia vt dicitur Matth. 22. & Lucæ 20. æquales ſunt Angelis. Antecedens patet Tobiæ. 12. & *Apocalypſ.* 8. *Tertiò proba.* eadem concluſio omnibus teſtimonijs Sanctorum, quæ allata ſunt in approbatione quinta quartæ Aſſertionis in Controuerſia priori principali huius artic. de inuocatione Sanctorum. In plerisq; namq; illorum inducuntur ſancti Patres inuocantes Sanctos, adeò peculiariter, & talibus verbis; vt niſi eos ineptos iudices, manifeſtè apparebit, eos firmiſſimè tenere animas beatas in cœlo regnantes, eorum petitiones agnoſcere. Quorſum, niſi beati agnoſcerent noſtras preces, Athan. in Euangelio de Deipara dicit? *Ad te clamamus, recordare noſtri ſacratiſſima Virgo.* Quorſum Gregor. Niſſen. in vita ſancti Ephrem circa finem? *Tu verò* (inquit) *diuino aſſiſtens altari,* &c. *omnium noſtrorum recordare.* Quorſum Hierony. in epi-

3 Apocal. 7. Matt. 22. Luca. 20. Tob. 12. Apocal. 8. Athanaſ. Gregor. Hierony.

Itaque petitio vt petitio est, est actus intellectus practici, at vt habet imbibitum illum modum & conditionem præfatam, aliud genus ingreditur, est namque actus laudabilis & studiosus. *Ad confirm. negatur conseq.* eo quod tantum probat, orationem, seu petitionem, vt petitio est, posse imperari ab omnibus virtutibus, modo ab hac, modo ab illa, semper tamen in ipsa petitione Deo exhibitur subiectio & cultus, vnde à Religione elicitur.

Similiter respondetur ad tertium, ferè semper, aut frequenter orationem à virtute charitatis imperari, aut verò ex amore proprio & amicitia nasci. Ad *primam confirm. resp. negando maiorem*, etenim hæc tria desiderare, procurare, & petere habent se sicut superius & inferius. Quisquis enim petit aliquid, procurat illud, & desiderat, non è contra; multi namque sunt, qui desiderant pecuniam, verbi gratia, & non procurant, aut petunt, & multi procurant, & non petunt: quia multis alijs vijs procurari aliquid potest sine petitione. Quapropter benè stat desiderium alicuius boni pertinere ad dilectionem, & procurare per varias virtutes vagari, petere verò pertinere ad Religionem, propter

D. Thom. rationes D. Thomæ *in articulo, & ad tertium.*

6 Pro solutione secundæ confirmationis reuocanda sunt in memoriam, quæ diximus supra articulo primo huius quæstionis, circa solutionem ad quintum. Quibus suppositis, negatur consequentia: ad probationem *negatur antecedens*, quando in expressione reperitur aliqua conditio, seu modus pertinens ad aliquam virtutem, qui modus non reperitur in desiderio, sic contingit in desiderio alicuius boni & expressione eiusdem desiderij per orationem, seu petitionem, nam in petitione reperitur subiectio, & reuerentia erga eum, cui fit petitio, quæ pertinet ad Religionem, non autem in desiderio.

Ad quartum benè ibi responsum est, eò quod petens, si consideretur res petita, nihil confert Deo, quinimò conatur accipere; [illegible] eò consideretur ipsa petitio, quatenùs habet imbibitum modum subiectionis & reuerentiæ, exhibet aliquid Deo; nempè honorem & cultum.

Ad *quintum Resp.* In petitione, quæ fit Deo, oportet considerare quasi duplex obiectum. Si consideretur petitio, vt petitio est, habet pro obiecto rem petitam; & sub hac ratione, vt dicebam, non exhibet aliquid Deo: si verò consideretur vt actus Religionis est, sic habet pro obiecto honorem diuinum, seu cultum, qui non distinguitur realiter ab ipsa petitione: quod non est speciale in oratione, imò in omni actu honoratiuo, non distinguitur realiter ab actu honorãdi, sed tantũ formaliter: & ratio est, quia honor in honorãte collocatur: per quod patet ad cõfir.

Ad *sextum resp.* Si oratio consideretur habita consideratione ad rem petitam; quæ est proximum & immediatum obiectum orationis, vt petitio est: non pertinet ad aliquam specialem virtutem, sed versatur & negotiatur circa omnium virtutũ obiecta: & modò ad hanc, modò ad illam attinere potest, sicut mediũ, vt sic ad suũ finẽ reducatur. *Cæterùm* si oratio consideretur, vt habet imbibitum modum quendam, & conditionem subiectionis & reuerentiæ erga Deum, sic ad Religionem pertinet. Neque huic obstat, quòd homo sæpè non intendat talem reuerentiam & subiectionem, aut eius obliuiscatur: quia sat est ipsum actum orandi suapte natura includere illum præfatum modum subiectionis & reuerentiæ, qui inseparabilis est à vera oratione.

Ad septimum Resp. Si argumentum probaret, 7
conuinceret etiam nullum esse actum virtutum moralium, sed omnes pertinere ad prudentiam: eò quod virtutes morales circa agibilia versantur. Quare *respondetur*, prudentiã versari circa omne agibile per imperiũ, quod inducat obligationem necessitatis: siue illud agibile sit exequendum ab ipso imperante, vel ab alio. Pro cuius intelligentia oportet recolere illũ discursũ prudentialem, quem fecimus circa articulum primum huius quæstionis. *Secundò resp.* prudentiam versari circa omne agibile, sed præstituendo modum electioni rectæ, vt recta sit. Vnde omnium moralium virtutum actibus inseritur, & orationi, non eliciendo, sed dirigendo & præbendo modum: sicut & cæterarum virtutum actibus. Ad octauum argumentum respondet D. Thomas hic ad primum his verbis: *Ad primum dicendum, quod voluntas mouet alias potentias animæ in suum finem: & ideo Religio, quæ est in voluntate, ordinat actus aliarum potentiarum ad Dei reuerentiam, &c.* D. Thom.
Ex quibus verbis tantùm videtur colligi orationem imperari à Religione, non verò elici. Sicut ex eò quod voluntas mouet alias potentias animæ ad suum finem, tantùm colligitur, quod imperet actibus aliarum potentiarum: non verò quod eliciat, aut producat illos. Ex hoc autem quod Religio imperet actum orationis, non colligitur esse actum Religionis: alias actus omnium fermè virtutum essent Religionis actus, quia ab ea imperantur.

Nos igitur dicimus non obstare quominus actus aliqui ab aliquo habitu eliciantur, actum & habitum ad diuersas potentias pertinere. Cuius rei sunt innumera exempla, & res constans est in omni materia virtutis, & vitij, actus exteriores pertinere elicitiuè ad virtutem vel vitium: quamuis non exerceantur immediatè per potentiam, in qua est virtus, vel vitium, sed per potentiam executiuam: nam non solum pertinet elicitiuè ad iustitiam velle reddere vnicuique suum: sed etiam reddere exteriori actu, & non solùm pertinet ad temperantiam concupiscere moderatè cibum, sed etiam comedere temperatè.

Sit igitur regula ad dignoscendum, à qua virtute eliciantur actus. Illi actus laudabiles, qui versantur immediatè circa materiã, & obiectum propriũ alicuius virtutis, pertinent elicitiuè, & sunt actus proprij illius virtutis: siue virtus & actus eius sint in eadem potentia, siue non. Patet hoc, quia actus proprius alicuius habitus, & ipse habitus, idẽ obiectũ habent: & quia oratio habet pro obiecto subiectionẽ ad Deum, & cultũ eius, vt deduxit Diuus Thomas in articulo, quæ est D. Thom.
propria materia & obiectum Religionis, ad ipsam per-

sam pertinet elicitiuè: vnde ad argum. negatur consequentia; ad probationem respondetur. Ego, qui censeo habitum concurrere ad suos actus, vt principium effectiuum; vt communis fert opinio Thomistarum 1.2. *q.* 49. conuincor subinde propter argumentum, & eius confirmationes, orationem, non elici à virtute Religionis physicè loquendo, sed tantum moraliter. Hoc est dicere, oratio versatur circa propriam materiã Religionis, exhibendo Deo subiectionem, & cultum imbibitum in ipso Religionis actu; & laudabilitas orationis ex canone & regulis Religionis iudicãda est; putà sit ne superstitiosa, pia, &c. quod satis est, vt dicatur elici à virtute Religionis moraliter. Qua distinctione vtendum sæpissimè, quando actus & habitus habẽt eandem materiam seu obiectum, & tamen sunt in diuersis potentijs. Nã tunc actus debet esse elicitiuè ab habitu, nõ physicè, sed moraliter. Ex eadem doctrina *respondetur ad primam conf.* In secunda tanguntur quædam scitu digna. *Primum* est, benè posse vnam potentiam imperare alterius actus, non vero elicere. Quia imperare nil aliud est, quam mouere & excitare aliquam potentiam, vt in suum prodeat actum. Hoc autem benè potest pręstare vna potentia erga alteram ratione connexionis inter eas repertã; quæ maior est & intimior inter volũtatem & intellectum, atque adeò sibi inuicem imperant: diuersa tamen ratione, vt dicitur in prima secundæ. At vero vna potentia non potest actum alterius elicere: sicut impossibile est effectum formalem vnius causæ propriũ, ab altera dimanare: effectus autem proprius & formalis potentię, est actus ab ea elicitus; vnde sicut nõ potest visus olfacere, aut olfatus videre; sic nec intellectus amare, aut volũtas intelligere. *Secundò notandum est*, non eodem modo contingere in habitibus: maximè in virtutibus, de quibus disputamus in præsentia. Nam stat benè vnam virtutem alteri imperare, & etiã actus elicere in alia potẽtia distincta ab ea, in qua ipsa virtus est. Etenim omnes illi actus dicuntur, & sunt eliciti, quotquot ex affectu alicuius virtutis procedunt circa materiam habitus, vt exemplis supra positis manifestatum est.

9 *Caietan.* Sed rogat quis. Vnde prouenit potentiam nõ posse habere elicentiam in actu alterius potentiæ ab ea, in qua residet. Caietanus *prima secundæ, quæstion:* 81. *artic.* 4. talem rationem discriminis reddit. Nimirum, quia potentia importat principium actus, quoad qualitatem eiusdem; substantia autem actus, nisi principium imperfectum sit, ab vno tãtum proprio ac proximo principio elicitiuè est: qualitas verò eiusdem ab extraneo etiam principio, tanquam à proximo elicitiuè esse potest: quia accidens eius est aduentitium, multiplex, & variabile: & hinc est, quod oratio sit elicitiuè à Religione, quamuis sit tantùm imperatiuè à voluntate, in qua est subiectiue Religio. *Caietan.* In hac solutione Caiet. videtur sui immemor, qui in *prima secunda*, quæst. 49. *art.* 3. contra Scotum, & Durandum tenuit, habitum etiam concurrere ad sustantiam actus, quando actus est ab habitu. *Præterea* omnes, qui benè sentiunt, vt patet ex loco citato, concedunt in actu procedenti ex habitu concurrere potentiam simul, & habitum vt vnum principium effectiuum, non solum ad substantiam, verùm etiam ad modum & perfectionem actus; sic vt tam substantia actus quam modus eius à potentia & habitu eliciatur, & non seorsum: substantia à potentia & modus ab habitu.

Quo supposito, vt credo supponere Caietanum, adhuc vrget argumentum principale. Nam si potentia & habitus concurrunt, vt vnum principium ad illum modum, impossibile est habitum esse in alia potentia distincta ab ea, quæ elicit actum. Quare *resp.* aliter, supposita distinctione præfata, de elicentia physica & morali; nam si attendamus concursum physicum, eadem est ratio de potentijs & habitibus; & sicut non potest elici actus vnius potentiæ ab alia; sic neque actus vnius potentiæ ab habitu existente in alia, moraliter verò nihil obstat. Et tunc ratio discriminis inter potentiam & habitum hæc est; quia potentia semper consideratur, & est agens naturale & physicum; at habitus, maximè, qui est virtus moralis, de qua disputamus, potest ingredi genus agentium moralium: in quo genere non obstat, quod actus substantia sumatur à potentia, moralitas verò aliunde: quæ aũt sit, & in quo consistat ista moralitas, iam explicui. Et hinc patet *ad conf. secũdam negando conf.* si sit sermo de elicientia morali.

Solùm superest explicare verba D. Thomæ, 10 quæ prima facie tantum videntur concedere Religionem ad orationem imperatiuè concurrere. *D. Thom.* Pro quorum explicatione *nota*, tripliciter posse ordinari aliquẽ actũ ad finem alicuius virtutis. *Vno modo*, præsupposita in actu honestate, & bonitate propria habitus, qui ordinat actum in finem suum: quod contingit quando actus, & habitus versantur circa idem obiectum immediatum, & finem, actus verò est in alia potentia ab ea, in qua est habitus. Exemplum est in oratione, quæ dicitur ordinari à Religione; eò quod [illegible] ctu, Religio verò in voluntate. Iste ta[illegible] ctus & similes sic ordinati eliciuntur ab habitu: quia participant eius materiam & obiectum. *Secundò modo* potest actus ordinari in finem alicuius virtutis, præsupposita bonitate actus, siue honestate alicuius virtutis propria; distincta tamen ab honestate propria virtutis ordinantis in suum finem: & tũc ille actus dicitur imperari, non elici à virtute, quæ ordinat illum actum in suum finem. Vt si quis affectu Charitatis ductus oppetat mortem: ille actus dicitur imperari à Charitate, elici verò à fortitudine: quia actus ille, qui est oppetere mortem, versatur circa materiam fortitudinis immediatè. Similiter, si quis ieiunet & melius oret; illud ieiuniũ est actus temperantiæ, sed imperatus à Religione. *Tertio modo* potest aliquis actus ordinari, seu colligi vt medium ad finem alicuius virtutis, non præsupposita honestate propria alicuius virtutis, tanquã in propria materia, sed sola vtilitate ad talem finem: & tunc electio talis medij non dicetur imperata ab habitu, sed elicita. Verbi gratia: si quis elegit leuare manus in cœlum, vel stare, vt aptius oret,

oret, electio huius medij elicitur à Religione: si tamen eligeret quis ad eundem finem ieiunium, tunc talis electio non est elicita à Religione.

D. Thom. Quod si alicui hoc mirum videatur, animaduertat hanc doctrinam praxi D. Thomæ, in tota hac secunda secundæ esse commendatam. Et ratio est: quia habitus circa propriam materiam videtur se habere vt proprium principium; & ita actus videntur ab eo eliciti quasi proprij: at verò circa materiam alienam non videtur esse proprium principium, sed extraneum: & ita potius comparatur cum illa per modum imperij.

11 Ex his elucidatur D. Thomas, qui dicit orationem ordinari per Religionem in Dei reuerẽtiam. Non loquitur de ordinatione tertio modo: quia oratio in se habet imbibitam honestatem & bonitatem propriam Religionis. Neque loquitur secundo modo: quia honestas orationis & Religionis eadem sunt. Sed loquitur de ordinatione primo modo, quæ ex eo appellatur ordinatio, non quia non sit elicentia, sed quia est in diuersa potentia ab ea, in qua est habitus: & ad declarandum quomodo hoc possit fieri, adducit ordinationem, quam facit volũtas erga alias potentias: & dicit ferè similem facere Religionem, quæ est in volũtate erga actus aliarum potentiarum, qui communicant in materia, & obiecto cum virtute Religionis, licèt sit differentia iam explicata: quia ordinatio voluntatis in ordine ad alias potentias, quæ est imperium, non elicentia: at ordinatio Religionis in ordine ad actus aliarum potentiarum, quæ participant in materia cum Religione vera elicentia est moralis, vt declaratum est. Sed de hac re latius & formalius supra, *quæstio. 81. artic. 7. disp. 3. & 4.*

Sed rogat quis, cuius Religionis actus sit oratio, infusæ, an acquisitæ? Vtriusque, & præcipuè infusæ. Existimo enim Religionem esse virtutem per se infusam, quia attingit Deum saltem in obliquo, vt autorem gratiæ: atq; ideò orationem Christianam sentio esse actum supernaturalem, quæ neutiquam fieri potest sin[illegible] gratiæ. Quod non obscurè colligitur ex [illegible]aul. ad Roman. 8. *Spiritus* (inquit) *adiuuat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: id est, postulare nos facit. Et iterum: *Secundum Deum postulat pro Sanctis*, id est, facit Sanctos postulare. Ita D. Thom. & alij. Idem expressè definitur in Conc. Arausi. 2. videndus est D. August. *sparsim in libris contra Pelagium, & in sermon.* 171. *de tempore*, D. Chrysostom. *homil.* 38. *in Genes.* & *in lib. secundo de orando Deum.*

Ad Roman. 8. — D. Thom. — D. August. — D. Chrysost.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm solus Deus debeat orari?

Paraphrasis Articuli.



1 SVPPOSITA distinctione, nempè orationem dupliciter alicui exhiberi: vno modo quasi per ipsum implendam, id est, per ipsum condonandam rem petitam: altero modo, sicut per ipsum impetrandam, sicut per intercessorem, & interpellatorem.

Prima conclusio sit. Primo modo solus Deus orandus est: quia omnes orationes nostræ debent ordinari ad gratiam, & gloriam consequendam, quæ solus Deus dat, Psalm. 83. sensus huius conclusionis est, solum Deum esse exorandum vt autorem, & causam principalem supernaturalium donorum gratiæ, & gloriæ, quæ per orationem specialius petuntur. Psalm. 38.

Secunda conclusio. Si secundo modo fiat oratio, bene potest fieri Sanctis, Angelis, & hominibus, non vt per eos nostras petitiones cognoscat Deus; sed vt eorum meritis & precibus orationes nostræ sortiantur effectum. *Prob.* Apocalyps. 8. & vtraque conclus. prob. ex modo, quo Ecclesia vtitur in orando: nam à sancta Trinitate petit, vt misereatur nostri: ab alijs autem Sanctis, vt orent pro nobis. Apocal. 8.

Hanc D. Thom. doctrinam satis elegãter protulit Dauid, Psalm. 129. dicens: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Et nequis deciperetur, credens quod ipsi montes, id est, Sancti (vt interpretatur August. & alij) essent auxilium daturi, subiunxit: *Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.* Quæ verba exponens D. Augustin. super eundem locum: ait; *Noli putare, quia ipsi montes tibi dabunt auxilium: accipiunt enim, quod dent, non de suo dant.* Iuxta harum conclusionum tenorem interpretaberis multa dicta Sanctorum. v.g. Anselm. in fine monologij. *Liquidissimum est* (inquit) *hunc*, scilicet Deum, *solùm esse, quem omnis alia creatura secundum totum suum posse oportet diligendo venerari, & venerando diligere: de quo solo prospera sunt speranda; ad quem solum in aduersis fugiendum; cui soli pro qualibet re supplicandum.* Et illud Cassiodori dicentis: *Oratio propriè fit ad Deum, deprecatio verò ad Sanctos.*

Psal. 129. — Aug. — Aug. — Anselm. — Cassiod.

I. DISPVTATIO.

An solùm sit orandum pro gratia, & gloria?

1 CIRCA rationem D. Thom. pro prima cõclusione mouet dubitationem Dominus Caietanus: nã videtur falsũ tantũ orandum esse pro gratia & gloria, & ijs, quæ ad ipsas ordinantur. Etenim licitè potest homo orare pro commoditatibus corporalibus, pro salute amicorum, patriæ, pro honore parentum; etiamsi infideles sint, aut in peccato mortali: imò quamuis sciat non esse conuertendos. Et *præterea* illatio D. Thom. videtur nulla: Nam dato quod finis omnium orationum sit gratia & gloria à solo Deo donabilia; multa tamen, quæ sunt media ad talem finem, effici possunt ab hominibus. v.g. instructio, custodia, & alia huiusmodi: & pro huiusmodi efficiendis possumus deprecari homines. *Respond.* breuiter, quod D. Thom. loquitur de orationibus fidelium, quę à Fide, & Religione procedunt, & pro obtinendo fine supernaturali ordinantur pro se loquendo Caietan.

quendo. Quid verò possit à Deo absolutè peti, infra dicemus cum D.Thom. Ad secundam verò obiectionem respondetur. Quamuis multa sunt conducentia ad gratiam & gloriam obtinẽdam, quæ absolutè & secundum se possunt à creaturis effici, vt argumentum probat, tamen vt media sunt ad gratiam, & gloriam efficaciter obtinendam, à solo Deo sunt; sicut ipsa gratia & gloria. Et sub hac cõsideratione eadem ratio est de gratia, & gloria, & de istis. Hæc ferè ad verbum ex Caie.

Hæc ratio D.Thom. quibusdam modernis nõ placet, & defensio Caietani non minus displicet. *Primò*, quia non est necessitas recurrendi ad hoc, quod Deus solus sit autor gratiæ & gloriæ, vt solus ipse orandus sit, tanquam is, qui per se potest facere quod postulatur: quia non solum gratiam & gloriam, verùm nec minimum aliquod bonum potest aliquis præter Deum per se ipsum conferre: ergo si oratio fiat ad aliquem, vt per se autorem boni postulati, de quocunque bono fiat, ad Deum tantum fieri potest; etiã si tale bonũ nec sit gratia, nec gloria, nec ad eam referatur.

Conf. quia adæquata ratio petendi à Deo modo incommunicabili creaturę, est quia oratio debet dirigi ad Deum, tanquam ad principalem autorem boni postulati, qui per se ipsum, & propria virtute à nullo dependenti conferre potest. Quæ ratio extenditur ad omnem orationem, etiam si in ea non petatur gratia, vel gloria, nec media ad ipsas: vt videre licet in orationibus infidelium, qui lumine naturali ducti petebant à Deo, vel à Dijs, quos verè Deos putabant, bona temporalia corporis, & animi, tanquam ab autore omnium bonorum: quas orationes non procedere à Fide & Religione infusa certò certius est. Igitur non benè limitatur specialis modus orandi Deum diuersus ab eo, quo orantur creaturæ, ad orationem procedentem ex Fide & habitu Religionis infusæ.

Secundò, quia etiam in homine existenti in gratia & fideli potest reperiri oratio ad Deum, procedens ex Fide supernaturali, & habitu Religio-
D. Thom. nis infusæ, quæ tamen non postulet gratiã & gloriã, nec media ad ipsas: ergo interpretatio Caiet. falso innititur fundamento. Antecedens verificatur in homine fideli, qui petens bona temporalia propter honestum finem & vsum naturalem, nihil vnquam cogitauit de vera beatitudine; nec res postulatas formaliter, aut virtualiter retulit ad beatitudinis consequutionem; cuius oratio, vt pote procedens ex Fide, actus supernaturalis est; & consequenter procedens à Religione infusa.

3 D. Thom. Has obiectiones sufficienter dissoluerat Caietan. vt patebit attentè legenti. Sed pro maiori explicatione & defensione vtriusque Thomæ, *aduertendum* D.Tho. *in hoc articul.* neutiquam voluisse instituere sermonem de oratione, etiam, vt se extendit ad eam, quæ non oritur ex habitu infuso, qualis sæpè fusa est ab infidelibus: Nam si in ista vniuersalitate consideretur, nullus etiam literarum ignarus, vt pote sciens quid est Deum esse, & Deum non esse creaturam, dubitabit, quin ad Deum fusa terminetur ad ipsum, vt ad primum omnium bonorum autorem; directa verò ad creaturam, minimè sic ad eam terminari potest, Doctor autem Angelicus hanc rem tàm claram omisit, vel neglexit, maximè quia, vt benè notauit Caiet. oratio quæ ab habitu infuso Religionis non procedit, vix meretur nomen orationis: & ipse habitus (si quis est) à quo procedit, imperfectissimo modo Religio est. Caietan.

Omissa ergo oratione in ea vniuersalitate, & supposito clarissimo discrimine inter eam, quam ad Deum porrigimus, & quam ad creaturam: D. Thom. in hoc articul. de oratione verè religiosa procedente à Fide, & Spe supernaturalibus, & habitu Religionis infusæ instituit sermonem. Et loquendo de ea vt sic, benè & verè dicitur, si ad Deum fiat, postulata à Deo esse per ipsum, tanquam per causam principalem implenda, quia per eam postulantur gratia & gloria, & media ad ipsas, quæ à solo Deo sunt vt causa principali, & non à creatura: at verò si à Sanctis eadem petantur, non vt implenda per ipsos, quia non sunt causæ principales talium postulatorum, sed tantum ab ipsis impetranda, vel eorum intercessionibus danda.

Ad primam obiectionem resp. dupliciter posse intelligi Deum esse per se autorem boni postulati. 4
Vno modo per se, id est, propria virtute, & ab alio independenti, & iste modus reperitur in omni oratione, quæ ad Deum funditur, siue oratio procedat ex Fide, & Religione, siue non: & ad istum modum orandi stabiliendum tanquam propriũ Deo, non erat necesse recurrere ad gratiam & gloriam postulata. Sed de hoc non egit D. Tho. in hoc articulo, sed supponit illum, vt per se notum, nec disputatione indigentem, licèt quasi per transenam expresserit in solutione ad primũ. *Alio modo* potest intelligi, Deum esse per se autorem boni postulati, id est, causam principalem. Et isto pacto est modus singularis & proprius orationis ad Deum, à Fide & Religione procedentis: quia per eam vt sic, nihil postulatur à Deo nisi gratia & gloria, vel media ad eas. Et in hoc sensu accipit illam voculam, *per se*, D. Thom in hoc artic. & ad istum modum orandi Deum, & verificandum, necesse fuit recurrere ad gratiam & gloriam: quia sicut à solo illo petuntur, vt per se implenda, id est, tanquam à causa principali, ita à solo eo petuntur per orationem pertinentem ad Religionem infusam.

Ad argumenta igitur in forma respond. negando antecedens; si sit sermo de oratione procedente à Fide & Religione infusa. *Ad prob.* ablata æquiuocationе illius termini *per se*, nam si accipiatur pro hoc, quod est independenter, & propria virtute conferre, vera est probatio; sed nihil contra D. Thom. qui loquitur tantùm de oratione religiosa, vt ab habitu infuso procedit vt sic, id est, sub speciali hac ratione. Si verò per se accipiatur pro hoc quod est conferre, vt causam principalem, falsa est probatio: quia creaturæ multa bona possunt nobis largiri, vt causæ principales secundariæ. Et ad consequentiam similiter conceditur, si sermo sit de oratione, secundum communem rationem orationis, vt etiam extenditur ad orationes infidelium, non verò si loquamur, iuxta Soluũtur argum.

iuxta mentem Diui Thomæ, de oratione à Fide, & Religione infusa procedente. Pariformiter respondetur ad confirmationem.

5 *Ad secundam obiectionem respond.* Orationes infidelium non procedere ab habitu Religionis infusæ. Quare earum exemplum nihil contra nos probat. Imò & orationes fidelium etiam si procedant à Fide supernaturali, & ob id sint supernaturales ex parte principij: si postulata non referantur in beatitudinem supernaturalem formaliter, aut virtualiter, non sunt à Religione infusa eliciuiè: quæ respicit tantum supernaturalia obiecta, vel temporalia, vt induunt supernaturalitatem ex relatione in beatitudinem: sicut & aliæ virtutes infusæ. Quare ad *argument. nego anteced. pro secunda parte. Ad prob. negatur assumptum*: Etenim vt aliquis actus dicatur elici à virtute infusa, non sat est esse supernaturalem ex parte principij: sed etiam necesse est esse supernaturalem ex parte obiecti: vt patet in fideli, qui motus tantum pietate naturali diligit proximum, non amat ex charitate. Sic dico de oratione fidelium, per quam postulantur temporalia, nullo modo relata ad finem supernaturalem, quã vocat Caiet. orationem inordinatam priuatiuè; eò quod petit rem, quam posset ordinare ad beatitudinem, sed de facto non ordinat: & addit, vix nomen orationis mereri, nec à Religione elici. (*Caiet.*)

6 Circa primam conclus. Doctoris Scholastici aliqui *in 4. dist. 15. art. 6* & D. Thom. ibidem tangit: an oratio, quæ Deo fit, maximè vocalis, sit dirigenda ad essentiam diuinam: an verò ad personas. Dubitatio meo iudicio friuola, & vt talis à D. Thom. in summa relicta: eo quod indifferenter ad essentiã & ad personas, prout deuotio suggesserit, oratio fundenda est: exemplo Ecclesiæ, quæ interdum ad Deum, interdum ad Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum suas preces dirigit. Vt videre licet ijs, qui diuinum officium persoluunt. Nec obstat quòd ea, quæ à Deo petimus in nobis fieri, efficiantur à Deo, vt Deus est, non vt Pater, &c. quia re vera cum opera Trinitatis ad extra sint indiuisa, ea omnia efficiunt personæ diuinæ: quare indifferenter pro nostro arbitratu ad personas, & essentiam possumus orationes dirigere. Petitio namque factionem postulat: parum curans de formalitate faciendi. Erasmus verò, vt nihil sit, quod eius morsibus non subiaceat, inquit, non fuisse morem antiquis & Sanctis orationes suas ad Spiritum sanctum dirigere; sed ad solum patrem, aut Filium. Abeat in malam rem Erasmus; nos cum omnibus Catholicis æquè veneramur & obsecramus Spiritum sanctum, sicut Patrem & Filium, æqualem ipsis in omnibus & per omnia. Quod si veteres non ita frequenter dirigebant suas orationes ad Spiritum sanctum: id efficiebant, quia Spiritus sanctum donum est, & donum à largitore doni videtur congruum petere, non ab ipso dono: ideò congruentiam hanc seruantes, à Patre & Filio hoc donum flagitabant; & id donum, quod Spiritus sanctus est, sibi promereri curabant. Iuxta quem modum interpretandus est Hilarius 12. *de Trinitat.* nos verò & Ecclesia Catholica ab Spiritu sancto & se ipsum, & alia dona postulamus, parum curantes de præfata congruentia; potius attendentes ipsum Spiritum sanctum æqualis esse potestatis, cum Patre & Filio, & æqualiter orandus. (*D. Thom.* — *An oratio ad essẽtiã diuinã sit dirigenda.* — *Erasmus.* — *Hilar.*)

Circa secũdam conclusionem D. Tho. adnotare oportet *ex artic. 10. sequent.* solum creaturas intellectuales posse Deum orare. Atque adeò hic resoluere debemus: An omnis talis creatura sit à nobis imploranda, vt oret pro nobis Dominum: an verò sit aliqua, cuius oratione pro nobis nõ liceat petere.

II. DISPVTATIO.

An Beati sint orandi?

NVLLVS Catholicorũ ambigit Sanctorum inuocationem esse licitam, & perutilem. Soli hæretici, admittentes esse licitum iustos viuentes orare, cõuicti multitudine testimoniorum sacræ Scripturæ, quæ supra artic. 2. retulimus: id negant in Sãctis, qui ex humanis excesserint; etiam si Dei præsentia fruantur. Omnibus antiquior fuit quidam hæreticus Eustachius Sebastiæ Episcopus: qui omnem cultum Sanctorum negligebat. Secutus est Vigilantius, qui specialiter aiebat, post mortem nullius exaudiri orationem fusam pro altero. Ex quo sequitur, eos non orare pro alijs, & alios inutiliter eos inuocare. Ita colligitur ex D. Hieronym. in lib. contra Vigilantium. Et *in epistol. 53.* ad Riparium: idem tenuere Petrus de Bruis cum sequacibus: Henriciani & Apostolici, vt refert D. Bernard. *ser. 66. in Cantica*: item Catharinus tempore Alexandri III. vt refert Guido in Catalogo hæreticorum. Et sub eodem ferè tempore Pauperes de Lugduno, teste eodem Guidone, & Tritemio in Chronic. *anno.* 1160. ac Vualdensis: & postea Vuicleph. vt refert Thom. Valdensis, *tom. 3. de sacramentalibus, cap.* 108. & *seq.* Denique hæretici nostri temporis in nullum cultum inuerecundius sæuierunt, quam in Sanctorum inuocationem: vt videre est apud Bellarmin. *tom. 1. in præfatione 7. controuersiæ generalis*, vbi refert blasphema verba hæreticorum nostri temporis aduersus cultum Sanctorum per inuocationem, ex eorum impijs codicibus. 1 (*D. Hierõ.* — *D. Bern.* — *Guido.* — *Tritemius.* — *Vvicleph.* — *Bellarm.*)

Sed vt veritas catholica magis innotescat, libet apponere hæreticorum obiectiones præcipuas, & iuuare rationibus & alijs; ac demum ea omnia dissoluere. *Primò* arguunt, nam ad Roman. 10. dicitur: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Sed in nullum credimus nisi in Deum: ergo solus Deus inuocandus est, & non Sancti, nisi illos velimus efficere Deos. Item Exod. 20. *Non habebis Deos alienos coram me*: ergo non sunt inuocandi Sancti, ne eos Deos habeamus. Esai. 8. vbi execratur eos, qui mortuorũ auxiliũ implorãt, dicẽs. *Pro viuis à mortuis*: ac si dicat, nullo modo implorãdi sũt mortui in patrocinium viuorum. 2 (*Ad Rom. 10.* — *Exod. 20.* — *Esai. 8.*)

Secun-

Secundò arg. In sacra Scriptura non inuenitur Sanctos esse inuocãdos saltem in particulari; nec ipsos pro nobis orare in particulari; quidquid sit de oratione in genere: ergo talis inuocatio non est admittenda. *Confirm. in cap. 12. Deuter.* postquàm Deus assignauit modum sacrificiorum, & cultus, subiunxit: *Quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas.* Ecce in materia cultus nihil agendum est, nisi quod præcipitur in sacra Scriptura; sed in tota sacra Pagina vtriusque testamenti nullum extat præceptum de inuocatione Sanctorum; imò nec exemplum, aut monitio: ergo non est vtendum tali inuocatione.

Deut. 12.

Tertiò 1. ad Timot. 2. *Vnus est mediator Dei & hominum Christus Iesus, &c.* ergo solus Christus debet esse mediator inter nos & Deum; aliàs illi iniuria irrogaretur; eò quod habentes talem ac tantum mediatorem ad alios recurreremus; quasi ipse non esset sufficiens. Quod latius videtur probare Aug. lib. 2. contra Parmenianum, cap. 8.

Ad Tim. 2. Aug.

Quartò. Deus solus sufficiens est ad danda omnia petita: quia omnipotens est: vult dare omnia, quæ nobis conducunt: quia liberalissimus & clemens: plus diligit nos, quàm omnes Angeli & Sancti simul: ergo iniuriam irrogamus illi, si ad alios recurrimus.

Quintò, quia oratio continet religiosum cultum pertinentem ad virtutem Religionis; qui Latriæ dicitur: ergo impium est Sanctos orare: quia cultus Religionis & Latriæ soli Deo debetur.

Vltimò. Sancti non cognoscũt, quæ nos hic agimus: & communiter nequeũt audire voces nostras, quia corporibus carent, & longè distãt: nec cogitationes nostras intueri possibile est: quia hoc est Dei proprium: ergo imprudenter ad eos orationes fundimus.

3 Vera sententia. Pro decisione *sit prima assertio.* Nobis non licèt Sanctos inuocare, tanquam autores donorũ, quę potissimè in orationibus postulantur: quod si sic inuocaremus, certè coleremus illos vt Deos: quod à nobis catholicis longè abest. *Hæc assertio satis probata est, & explanata à D. Thom. in 1. concl. art.* estque tàm aperta, vt non indigeat probatione. Quod si aliquando reperiantur inuocatoria verba ad Sanctos, quæ sonant causalitatem principalem in Sanctis; piè interpretandi sunt, videlicet secundum intercessionem. Nam sępè docti, & indocti ad B. Virginem præcipuè alloquentes dicunt, *Miserere mei: salua me*: subintelligitur, tuis precibus intercedendo apud Deum, vt misereatur mei, vt me saluet, &c. Nec est Phrasis aliena à D. Paulo ad Roman. 11. *Vt saluos facerem aliquos ex illis*, & 1. ad Corinth. 9. similiter intelligitur, non vt Deus, sed iuuando concionibus, precibus, &c. sic etiam interpretaberis illud ad Virginem alloquentium: *Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* Et illud ad Apostolos: *Nos à peccatis omnibus soluite iussu quæsumus.* Primum ad intercessionem planè pertinet; secundũ vltra intercessionẽ, ministerialẽ potestatẽ soluẽdi peccata. Et sic de alijs locutionibus iudicato: quæ in sensu bono ab Ecclesia admisso interpretãdę sũt.

Ad Roma. 11. 1. Ad Corinth. 9.

4 *Secunda assertio.* Secundum fidem res certa est, Sanctos cum Christo regnantes esse nobis maximo, & tutissimo præsidio; eò quod valdè pollẽt apud Deum. Hanc concl. existimo non negari, nec posse ab hæreticis, qui admittunt sacram Scripturam. Ex qua apertè colligitur, quãto Deus prosequatur fauore beatos sui visione fruentes, propter sanctos mortuos, Genes. 26 ait Dominus ad Isaac: *Benedicam tibi, & multiplicabo semẽ tuum propter seruum meum Abraham*, & iam erat defunctus, vt patet Genes. 25. item Exod. 32. ait Moyses ad Dominum: *Recordare Domine Abraham, Isaac, Israël seruorum tuorum, &c.* Et subditur: *Placatus est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.* Et 3. Reg. 15. & Daniel. 3. inuocantur merita Patriarcharum iam defunctorum; nimirum quia potentes sunt nobis auxiliari. *Resp.* Caluin. nunquã peti talibus verbis auxilium à meritis Sanctorum; sed commemorari pactum, quod Deus cum Patriarchis fecerat de protegendis, & adiuuandis eorum posteris. Sed non satisfacit eius solutio, nam esto testimonia illa duo priora ex Pentateucho, sic interpretetur Caluin. in alijs verò expressè fit mentio de iustitia, & meritis Sanctorum, quibus viui adiuuari petunt. Vnde Psalm. 131 *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*, verba sunt Salomonis orantis per merita patris iam defuncti, vt constat *ex lib. 2. Paralipomenon cap. 6.*

Genes. 26. Genes. 25. Exod. 32. 3. Reg. 15. Daniel. 3. Caluinus. Psal. 131. 2. Par. 6.

Fortassè dicet aliquis; Sancti iam defuncti dum viuerent, meruerunt vt sibi aliquo modo coniunctis, vel inuocantibus Dominũ allegando eorum merita Deus auxiliaretur; non verò quia denuo pro viuis intercedant, aut orent. Existimat enim Caluinus, & ante eum Vigilantius Sanctos omnes in atrio quodam quasi in libera custodia inclusos esse; nec inde vnquam egredi; sed ibi lætissimè viuere omnium nostrorum totaliter oblitos. O status beatificus ineptè, & iniuriose descriptus! *Inepte quidem*; quasi ad Sanctorum gaudium non pertineat solicitos esse de nobis, nullam illis ingerere molestiam tali cura. De quo agitur in materia de beatitudine. *Iniuriose vero*, quia carcer tali custodia emãcipat Sanctos. Nõ dissimiliter finxerunt Poetæ in diuersorio Athlãtis recipi plures, vt viuerent in delitijs; sed indè egredi non valerent. Idem finxit Mahometus in suo Alcorano. An verò hoc auxilium Sanctorum nobis proueniat mediante eorum oratione, infra artic. 11. dicemus.

Caluin. Vigilant.

Tertia assertio. Licitè inuocamus Sanctos, vt ad Deum pro nobis intercedãt. *Prob.* ex illo Iob. 5. *Voca si quis est, qui sibi respondeat, & ad aliquem Sãctorum conuertere.* Fateor istum locum diuersimodè exponi; nam quidam, non de oratione, sed de doctrina requirenda à Sanctis: quidam verò de oratione, sed fundenda apud Angelos, qui intelliguntur nomine Sanctorum: vt autor est D. August. in annotationibus in Iob. Cæterum D. Thom. hic, & alij plures melius intelligunt de inuocatione & oratione. Et nomine Sanctorum intelligit Sanctos quosque, siue Angelos, siue homines, siue viui sint, siue vita functi; ex quo sensu valdè firmatur nostra assertio.

Iob. 5. Aug.

Secundò. Licitè & piè inuocamus viuos, vt pro nobis suis precibus ad Dominum intercedant, vt dicemus: ergo etiam licitè, & piè eosdem Sanctos inuocamus iam vita functos; & cum Christo regnãtes, vt suis præcibus nos adiuuent. Conseq. prob. quia si hoc regnantes cum Christo non faciunt, ideo est quia nolunt; quod non est fas dicere de eis maiore charitate præditis: vel quia non possunt; & hoc non, vt patet ex secunda assertione; vbi ostendimus Sanctos in cœlo, quam plurimũ pollere gratia & fauore apud Deum; & multò maiore, quàm cum erant in mundo exsules & peregrini: aut quia ignorant orationes nostras; & hoc non, vt ostendemus in solutione ad vlt. aut quia fit iniuria Christo, & nec hoc, vt palam faciemus.

Hieron. D.Bern. Hoc arg. insinuauit Hieron. contra Vigilantium, & Bernard. in sermone Apostolorum Petri & Pauli; & adeò torsit hæreticos sectarios nostri temporis, vt in omne se latus vertentes nequeant illud dissoluere. Et solutio Caluini nullius
5 momenti est, qui negat nostri atq. conseq. assignans discrimen inter Sanctos viuos, & mortuos; nam viui omnes subnixi vna Christi intercessione pro se, & pro alijs rogant, quia sunt inuicem
Iacob. 5. mẽbra; & quia sacra Scriptura, Iacob. 5. hortatur, vt oremus pro inuicem, quæ non reperiuntur in vita functis. O impudentiam stultam: quasi non omnes Sancti sint membra Ecclesiæ, quæ diuiditur in militantem & triumphantem. Omnes etiam cœlicolæ vna Christi intercessione nituntũr.

Tertiò, ex definitione antiquissimorum Conciliorum, & recentiorum, vbi expresè habetur inuocatio Sanctorum cum Christo regnantium Definita est nostra concul. contra sectarios huius temporis *actione*. 11. Concilij Calcedonensis, *&* 6. *Synodo generali, cap.* 7. *& in* 7. *actione* 6. *in fine. & in*
Concil. Calced. Constan. Trident. Concil. Constantiensi contra Vvicleph. & in Triden. *ses.* 25. *contra Sectarios.*

Augu[st]. *Quartò* ex consuetudine totius Ecclesiæ, quam improbare insolentissimam insaniam ait August. *epist.* 18. *ad Ianuarium.* Quæ consuetudo potissimè innotescit in *Letanijs publicis.* Est iste orandi modus antiquissimus, approbatus maximè in Concil. Aurelianensi, *cap.* 20. *in* Gerundensi, & Toletano 5. *cap.* 1. *&* Toletano 6. *cap.* 2. & Bracarensi 2. *Canone* 9. Fuerunt autem omnia ista Concilia celebrata ante annos mille. Quod autem Litaniæ illæ non solum constarent ex Dei inuocatione, per illa verba, *Kyrie eleison, Christe eleison.* constat ex Conc. Aurelianensi citato, vbi expressè dicit, Litanias esse Sanctorum inuocationem:
Vvalfrid. & sic illas describit Vvalfridus Strabo. *de rebus Ecclesiast. cap.* 28.

Quintò ex innumeris testimonijs Sanctorum,
Euseb. Athanas. Basilius Chrysost. Ambros. Hierõym. Bellarmi. Gregor. de Valen. tam Græcorũ, quã Latinorũ. Videndi sunt Eusebius *lib.* 13. *præparationis Euãgel. ca.* 7. & Athanas. *sermone de sanctissima Deipara, circa finem.* Basilius *oratione in quadraginta Martyres.* Chrysost. *homil.* 6. *ad populum, & alibi sæpe.* Ambros. *de viduis.* Hierony. *in epita. Paulæ, cap.* 14. & aliorum Sanctorum quam plurima testimonia congerunt Bellarmin. *vbi sup.* & Gregor. de Valentia. 2. 2. *q.* 82. *art.* 4. *puncto* 7. *de oratione.*

Vltimò ex multitudine penè infinita miraculorum, quæ facta sũt ad inuocationem Sanctorum. De qua re videnda est epistola Nili recitata *in* 7. 6
synodo. actione 4. Theodoretus *in historia. lib.* 5. *ca.* 24. *& lib.* 8. *ad Græcos.* Ambros. *sermo.* 90. Aug. *lib.* 22. *de ciuit. Dei cap.* 8. Gregorius Turonicus in *libris de gloria Martyrum, & Confessorum.* Gregor. *lib.* 3. *dialog. capit.* 22. 24. 25. 37. Sed non prætermittam quod narratur in vita D. Bernardi *lib.* 3. *ca.* 5. quòd cum apud Tolosã cõtra hãc hæresim prædicaret benedicebat panes, & offerebat turbis dicens: *In hoc scietis quòd vera sũt ea, quæ à nobis dicũtur de inuocatione Sanctorum; & falsa quæ ab hæreticis, si infirmi vestri gustatis panibus vestris adepti fuerint sospitatem.* Et cum Episcopus Carnotensis qui aderat diceret, *Si bona fide sumpserint: sanabuntur*, B. Bernardus addidit: *Non hoc ego dixi; sed quicunque sanabuntur, vt veros nos, & veracis Dei nuntios esse sciatis.* Et ingens multitudo sanata est gustatis panibus. Enumerare miracula quæ antiquitus & recenter facta sunt inuocatis Sanctis, esset immensus labor. Videndus est Sotus *in* 4. *d.* 45. *q.* 3. Echius *in enchiri. c.* 15. Canis. *in Catechis.* & Bellar. *vbi sup.* *Theodor. Ambros. August. Turonic. Greg. Sotus. Echius. Canisius. Bellarm.*

Superest respon. ad argum. in principio facta. *Ad* 1. *resp.* D. Paulum ibi expresè loqui de inuocatione Dei; qua inuocatur vt autor & largitor
omnium bonorum. Quo inuocationis modo, nos non asserimus Sãctos esse inuocãdos; sed tãtum vt intercessores apud Deum. Vnde non benè colligitur nos facere eos Deos. Et mirum est, quod concedant hæretici, piè, & licitè nos inuocare viuos, vt intercedant pro nobis apud Deum; & inde non colligent eos nos facere Deos, & illud colligant ex inuocatione Sanctorum defunctorum. Et fortasse qui diceret, nos quodãmodo in Sanctos credere, nõ vt in Deos, sed ex eo quod nostra fides etiam illos respicit in ordine ad Deum; non prorsus esset alienus à phrasi Pauli ad Philemon. quando inquit: *Gratias ago Deo meo, audiens tuam charitatẽ & fidem, quam habes in domino Iesu, & in omnes Sanctos.* Videndus est D. Hieron. super hunc locum. Et tunc sensus est. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Siquis non credit Sanctos posse intercedere apud Deum, quomodo inuocabit illos? Ac si dicat, minimè. Sed melior est prior solutio, quæ etiam adhibenda est dictis D. Ambros. ad Roma. 1. qui si non cautè legitur, videtur nobis aduersari. 7 *Soluũtur argumẽta.* *Ad Phile. Hierony. Ambros.*

Similiter patet ad locum Exodi: & alium ex Esai. *resp.* diuersimodam esse lectionem in diuersis Codicibus. Antiquior sic habet; *Nunquid non populus à Deo suo requirit visionem pro viuis ac mortuis?* & tunc non procedit arg. credo tamen veriorem esse isto pacto; *Nunquid non populus à Deo suo requiret visionem? pro viuis à mortuis?* Itaque tota ista periodus clauditur duplici interrogatione. Et tunc procedit argu. *ad quod resp. ibi* dumtaxat prohiberi quærere responsa à mortuis; qui mediante illusione dæmonum videbantur suscitare à Pytonibus; qui erant genus quoddam maleficorum, vt suo loco dicemus. Quod clarissimè patet ex illis verbis præcedentibus: *Cum dixerint ad vos, Quærite à Pytonibus, qui strident in cantationibus suis, nunquid non populus à Deo suo requiret visionem?*

Et

Et tunc illud sequitur. *Pro vino & mortuis? Ad legem magis, & ad testimonium.*

8 *Ad 2. a. resp. primo neg. anteced.* vt patet ex dictis circa conclusionem. *Secundo resp.* consimile arg. fieri sæpissime ab hæreticis, Quasi non essent multa in Ecclesia pertinentia ad doctrinam & mores, quę habentur ex traditione & vsu vniuersalis Ecclesiæ v.g. quod B. Deipara semper sit Virgo, toto vitæ suæ curriculo: quod paruuli sint baptizandi: quod imagines sint adorandæ, & his similia. Quare dicito ad arg. transf. antecedens, & negatur consequentia, quia potuit haberi inuocatio Sanctorum per traditionem. *Ad conf. resp.* illud testimonium quod frequens est in ore hæreticorum non eis fauere; nã ibi non prohibetur cultus, qui quocunque modo non est à Deo præceptus, sed qui non est ita à Deo præceptus, vt sit etiam contra præceptum diuinum. Itaque illa particula, *Tantum*, non excludit à cultu pio, qui non aduersatur cultui in illo cap. expresso, sed à cultu superstitioso & Gentilico, qui illi aduersatur. At illud; *Nec addas quidquam, aut minuas*, intelligitur de cultu superstitioso. *Quod proba.* 1. quia multa festa, multa vota voluntariè facta sunt, quæ non habentur in illo cap. & postmodum à Iudæis

Iudit. 15. religiosè obseruata; vt patet *Iudith.* 15. & *Esther.* 9.

Esther. 9. ergò non omnia, quæ reperiuntur in materia cultus debent esse in præcepto. Secũdò ex verbis antecedentibus illud testimonium, colligitur apertè, solos impios cultus & ritus Gentilium ibi Deum voluisse prohibere, qui dicuntur non præcepti; quia ita non sunt præcepti, vt potiùs sint contra præceptum. Phrasis est vsitata in sacra

Deute. 17. Scriptura, Deuteron. 17. *Cum reperti fuerint apud te vir aut mulier, vt faciant malum, &c. Et adorent Solem, & Lunam, & omnem militiam cœli; quæ non præcepi.* Nimirum adeò non præcepit, vt prohi-

Deute. 18. buerit. Et Deuteron. 18. *Propheta qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, &c.* Igitur inuocatio Sanctorum non est non præcepta, ad eum modum, & sensum, quo loquitur Deus in loco citato. Quinimò vt & licita no est necesse esse in præcepto. v.g. cœlibatus ad Deum liberius orandum, non est in præ-

1. Ad Corint. 7. cepto, sed in consilio; vt videre licet. 1. ad Corinth. 7. & illud Luc. 18. *Vende omnia quæ habes, & da*

Luc. 18. *pauperibus, & sequere me,* non est præceptum, sed consilium. Denique resp. sicut ad argum. responsum est duplici solutione.

9 *Ad tertium resp.* Christum dici vnicum mediatorem, non eo quod non sint alij mediatores inter nos & Deum: sed eo quod excellit supra cæteros in ratione mediatoris excellentijs & prærogatiuis, quæ in nullo alio mediatore inueniuntur. Quas egregiè & compendiosè describit Apostolus in loco citato, inquiens: *Vnicus est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* In illis verbis, *Homo, Christus, Iesus.* insinuatur quomodo sit mediator inter Deum & homines: videlicet quia est Deus & homo; atque à Deo participans de vtroque extremo, inter quæ est mediator. Hanc rationem

Ambros. reddunt, quare sit mediator ferè omnes patres,

Chrysost. Ambros. Chrysost. Theophil. Theodore. Oecumenius, D. Thom. & alij *super hunc locum*, Epiphanius in *ancorato ante medium.* Cyrillus *lib.* 12. *Thesauri, cap.* 10. *& lib.* 1. *de Trinit. ante medium*, Hilarius *li.* 9. *de Trinit. non procul. à principio*, August. *li.* 9. *de Ciuit. Dei, cap.* 17. Fulgentius *lib. de fide ad Petrum, ca.* 2.

Theophil. Theodore. Oecumen. D. Thom. Epiphan. Cyril. Hilar. August. Fulgen. D. Thom.

Sed hæc mediatoris ratio, quia est substãtialis, fortassis nõ est ita propria in præsenti speculatione, vbi agimus de ratione mediatoris, vt designat munus siue officiũ: quod, autore D. Tho. 3. p. q. 26. art. 1. propriè cõsistit in hoc quod est cõiungere, vnire, & reconciliare personas dissidentes. Quod fit mul- 10
tiplici actione; nempè merendo, satisfaciendo, sacrificium offerendo, interpellando. Et hoc modo Christus dicitur vnus mediator Dei & hominũ, qualis nullus alius fuit, quia ex iustitia satisfecit Patri, meruit, & sacrificium obtulit, atque orauit dignus ex iustitia audiri; quæ omnia includuntur quando sacræ Literæ asserunt esse Redemptorẽ. Nam his actionibus nos redemit; & redimendo, nos Deo reconciliauit; & reconciliando, mediatoris munus exercuit. Vnde cõstat officium mediatoris in Christo esse idem cum officio Redẽptoris. Quod satis explicuit D. Paulus, in illo verbo, *Redemptionem.* Et sicut titulus Redemptoris nulli conuenit nisi Christo; ita nec titulus mediatoris, vt in Christo reperitur. In illo aũt verbo, *Semetipsum*, insinuatur magna quædam excellentia mediatoris; eo quod dignitate propria infinitæ suæ personæ, quæ diuina est, & non beneficio alterius intercedit. In illo verbo, *Pro omnibus*, quarta excellentia mediatoris Christi significatur: tum quia mediator est pro omnibus, præsentibus scilicet, præteritis, & futuris. Tum etiam, quia solus Christus ita est mediator omnium hominum, vt ipse nullo mediatore indigeat. Sancti cæteri indiguerunt reconciliare per Christum; & nunc quidquid impetrant à Deo, per Christum impetrant, Christus autem nec pro se, nec pro alijs vllo mediatore indiguit, aut indiget. Sed vt dicitur Hebræorum 7 *Accedit per semetipsum ad Deum, semper viuens, ad interpellandum pro nobis.* *Ad Heb.* 7.

Igitur Christus dicitur mediator inter Deũ & homines, quia nos suo patrocinio, & intercessione adiuuit, & adiuuat: siue hoc fiat per orationẽ, quam etiam ad Patrem fundit: *de quo* 3. *p. q.* 21. siue merito, siue alio modo, vt dicebamus. Et hæc intercessio reperitur illis commemoratis excellentijs comitata; qualis in nullo alio reperitur. Et ob id dicitur vnus mediator; Non quia alij non reperiantur mediatores: nempe omnes Sancti Dei, qui innixi meritis, & patrocinio Christi mediatores excellentissimi sunt ipsi mediatores. Quod probo dupliciter. *Primò*, quia sic appellãtur, Deuteron. 5. dicit de se Moyses, *Ego sequester fui inter Dominum & vos.* Quibus verbis alludens Paulus ad Galat. 3. dicit. *Legem veterem ordinatam fuisse per Angelos in manu mediatoris*, id est, *Moysis.* Item Gregor. Nazianz. in oratione ad Gregor. Nisse. appellat Martyres mediatores inter nos & Deum. Et Cyrillus *libr.* 12. *thesaur, capit.* 10. dicit Prophetas, & Apostolos fuisse mediatores.

Deuter. 5. *Ad Gal.* 3. *Nazian. Cyril.*

Secundò probo idem ex eodem testimonio, 11
quo hæretici vtuntur contra nos, vt telum retor-

fendatur in excellentia creata ipsorum: cultus verò exhibitus Deo, in excellentia diuina, increata. Cum hoc tamen stat, posse Sanctos coli per virtutem Religionis; quatenus sunt aliquid Dei: verbi gratia, amici, aut ministri Dei; & tunc cultus Latriæ illis exhibitus potiùs dicitur Deo conferri, quàm Sanctis. Sicut quando diligimus proximos per charitatem, quatenus amici Dei sunt. Sed iste modus colendi Sanctos inusitatus est; ac raro & cautè exhibendus illis. Raro propter periculum: cautè propter scandalum, maximè hæreticorum nescientium distinguere, ita sicut & nos distinximus.

Circa vltimum arg. est dubit. quàm tetigit D. Tho. in 2. arg. Quæ talis est.

III. DISPVTATIO.

An Beati cognoscant orationes viatorum, quæ ad ipsos diriguntur? & quomodo?

1 Iob 14. ET videtur vera pars negat. Primò Iob 14. dicitur de iam defunctis, *Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles non intelliget:* & Ecclesi. 9. Ecclesiast. 9. dicitur, *Melior est canis viuus leone mortuo. Viuentes enim sciunt se esse morituros, mortui verò nihil nouerunt amplius.* Esai. 63. Esaiæ 63. *Tu es enim pater noster, & Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos:* 4. Reg. 22. & 4. Reg. 22. *Vt non videant oculi tui opera mala, quæ introducturus sum in locum istum.* Et August. in lib. de cura pro mortuis, cap. 13. post citatum illud testimonium Esaiæ subiungit, *Si tanti Patriarchæ quid erga populum ex ipsis procreatum ageretur, ignorauerunt, quomodo mortui viuorum rebus, atque actibus cognoscendis, adiuuandisque miscentur?*

Secundò. Orationes nostræ in terris funduntur, Beati in cœlo quiescunt; quomodo possunt nostras orationes audire, nisi habeant aures à cœlo Caluinus. ad terram vsque propensas? Argum. est Caluini hæretici in suis institutionibus.

Tertiò, orationes nostræ plerumque, & potissimè actibus interioribus fiunt; sed hos sancti beati cognoscere nequeunt, sed solus Deus: iuxta 3. Reg. 8. illud 3. Regum. 8. *Tu solus nosti cor omnium fidelium* Psal. 7. *hominum.* & Psalm. 7. *Scrutans corda & renes Deus.* Ergò Sancti non cognoscunt nostras orationes. Ex quo inferunt sectarij, inutiliter nos ad ipsos preces emittere. Magna se offerebat occasio disputandi de cognitione animarũ separatarum à corpore, de cognitione beatifica & modis earum; sed quia vt sæpè dixi, nolo controuersias à proprijs sedibus ad alienas auocare, remitto Lectorem ad primam partem D. Thom. *quæst.* 12. D. Thom. & *quæst.* 89. & modò tantum dicam ea quæ præsenti instituto satis esse iudicauero.

2 Pro decisione igitur *dico primò*. Etiam si Sancti Beati nostras orationes non agnoscerent; inde tamen non infertur, quod non orent pro nobis. *Prob.* Nam illi benè sciunt nos versari in magnis periculis, & pluribus egere: ergo possunt petere, & petunt auxilium diuinum pro nobis; sicut nos quamuis ignoremus, quos in particulari patiantur cruciatus Purgatorij animæ, pro eis tamen fundimus preces, & suffragia applicamus: Nec etiam infertur, ex hoc quod Beati ignorent nostras petitiones, per se ipsos non esse vtiliter inuocandos. Nam aliquis, verbi gratia, Angelus potest eas Deo præsentare: & satis nobis sit, quod Deus ipsas audit. Erudite satis Hugo de Sancto Victore lib. 2. de Sacramentis, parte 16. capite 11. dicit; *Multi in quæstionem adducunt; si* Hugo. *Sancti preces supplicantium audiunt; si vota postulantium ad ipsorum vsque cognitionem perueniunt. Difficilè est iudicare de huiusmodi quæstione. Hoc enim certum est, animas Sanctorum in secreto diuinæ contẽplationis constitutas, eorum, quæ foris aguntur, tantum scire, quantum illis vel ad gaudium, vel nobis ad auxilium prodesse constat. Nos intercessores quærimus apud Deum: quid amplius vis? times ne fortè, non orent, qui semper orant? Quomodo non orabunt pro te, quando tu oras, qui & quando tu non oras, orare tamen non cessant? Sed non audiunt (inquis,) & ego in ventum infundo verba, non audientibus, & non intelligentibus loquens. Ecce dicamus, non audiunt Sancti verba postulantium, nec ad beatitudinem illorum attinet ista nosse, quæ foris aguntur; nunquid Deus non audit? Quid ergo laboras inuestigare, quid audiant, & quantum audiant; cùm ipse Deus audiat, propter quem oras; ipse videt humilitatem tuam, qui remuneraturus est deuotionem tuam.* En conclusionem nostram: licèt paulò inferius dicat Hugo, quomodo Sancti audiant orationes nostras, vt dicemus.

3 *Dico secundò*. Beati in cœlo commorantes habent cognitionem petitionum nostrarum, etiam in particulari. Prob. 1. expresso testimonio Apocal. 7. Apocalyps. 5. *Quatuor* (inquit) *animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Ecce sancti non ignorant iustorum orationes, quas seruant in phialis Deo præsentandas. *Secundò*. Angeli cognoscunt piorum hominum orationes, ergo Sancti qui in cœlo sunt. Prob. conseq. quia vt dicitur Matth. 22. & Lucæ 20. æquales sunt An- Matt. 22. gelis. Antecedens patet Tobiæ. 12. & *Apoca-* Luca. 20. *lyps.* 8. *Tertiò proba. eadem conclusio* omni- Tob. 12. bus testimonijs Sanctorum, quæ allata sunt Apocal. 8. in approbatione quinta quartæ Assertionis in Controuersia priori principali huius artic. de inuocatione Sanctorum. In plerisq; namq; illorum inducuntur sancti Patres inuocantes Sanctos, adeò peculiariter, & talibus verbis; vt nisi eos ineptos iudices, manifestè apparebit, eos firmissimè tenere animas beatas in cœlo regnantes, eorum petitiones agnoscere. Quorsum, nisi beati agnoscerent nostras preces, Athan. in Euan- Athanas. gelio de Deipara dicit? *Ad te clamamus, recordare nostri sacratissima Virgo.* Quorsum Gregor. Nissen. in vita sancti Ephrem cir- Gregor. ca finem? *Tu verò,* (inquit) *diuino assistens altari,* &c. *omnium nostrorum recordare.* Quorsum Hierony. Hierony. in epi-

in epitaphio Paulæ? *Vale, ô Paula, & cultoris tui vltimam senectutem orationibus leua.* Vlt. proba. ex totius Ecclesiæ consensu credentis, Beatos nostras orationes exaudire, id est, agnoscere.

Ad argum. in initio facta, propar. nega. resp. & primum quidem constat ex multis locis sacræ Scripturæ. *Ad primum locum ex Iob resp.* multiplici explicatione: prima est cuiusdam moderni eruditi, ibi fieri sermonem de homine iam iam moribundo, qui doloribus & mortis agonia pressus, non valet aliquid cogitare de prosperitate, aut calamitate suorum filiorum, nec dum aliorum. Quæ prosperitas significatur per nobilitatem, & plurimum complectentem omnia fortunæ bona; & per ignobilitatem ambientem omnem miseriam.

4 *Soluūtur argum.*

D. Thom. *Secunda expositio* est D. Thom. Glossæ interlinealis, Hugonis & aliorum; quod ibi fit sermo de cognitione naturali, per quam citra dubium animæ separatæ, etiam beatæ, non valent agnoscere omnia, quæ hîc aguntur; maximè quæ pendent à nostra libera voluntate: specialiter cogitationes cordium, & orationes purè internas. Cæterùm ibi non negatur posse eas cognoscere, vel diuina reuelatione aut verò Angelorum, qui intersunt his, quæ apud nos aguntur, vel narratione animarum, quæ hinc discedunt; aut verò in verbo, vt infrà dicemus. *Eodem modo explicabitur secundus locus ex Ecclesiast. cuius secunda explicatio fit;* quod Sapiens hæc loquitur in persona carnaliũ, qui negabant Dei prouidentiam, & animæ immortalitatem. Ex quo etiam colligitur alius error; mortuos nihil scire aut cogitare: quem modum loquendi in persona impiorum frequentem esse in libris Salomonis, testatur D. Greg. *lib. 4. moral. cap. 4.* Hæc explicatio est Glossæ, & D. Hieron. Titel. & Ioannis Feri. super illum locum. Tertia explicatio Caietan. dicentis, quod Sapiẽs sub nomine duorum animalium; quorum alterũ tenet principatum; alterum quod videtur esse in fine sortis, declarare videtur, quod conditio viuentium est à toto genere melior, quàm mortuorum; & subdit rationem: *Viuentes enim sciunt se esse morituros, mortui verò nihil nouerunt amplius, &c.* id est, viuentes possunt præsentibus rebus proficere, & amicorum officia possunt illis prodesse, secus autem in mortuis: quantum ad hanc vitam politicam intelligit Caiet.

Gregor. Hieron. Titelm. Caietan.

Vlt. & melior expositio est, ac magis conformis textui, vt per vtrumque animal intelligamus peccatorem. Et tunc est sensus; si ex vna parte consideretur peccator, cui fuerit summa dignitas, & potestas quasi Leonis: qui dicitur Rex inter animalia, & tamen iam mortuus; & cui non sit occasio pœnitendi: ex alia parte sit peccator infimæ sortis, significatus per canem; cui tamen, quia vita superstes est, datur tempus pœnitentiæ: huius conditio simpliciter est melior, quàm illius: & quadrant sequentia, eo quod viuentes sciunt se esse morituros temporaliter, & æternaliter, nisi pœniteãt: quod magum calcar addet ad benè operandum: *Mortui verò nihil nouerũt amplius,* id est, quæcunque cognitio, ac si non esset, illis proficiet, & ideò dicuntur nihil nosse: *Nec habent vltra mercedem,* quia nihil merebuntur: excesserunt enim statum merendi. Hæc expositio est Lyrani super hunc locum, & insinuatur ab Interlineali.

Lyran.

Ad tertium locum *ex 4. Reg. 22. resp. primò*, esse intelligendum de cognitione naturali, sicut alia testimonia relata. Omitto modò quod tempore Iosiæ Regis, non agnoscebant iusti vita functi ea, quæ hîc agebantur, nec diuinæ essentiæ visione, quia nondum erat propalata Sanctorum via: nec iusti diuina visione fruebantur, vnde in verbo non poterant agnoscere, quæ in terris agebãtur: & nec reuelatione: quia fortè rarò fiebat existentibus in Limbo. *Secundò* respond. Istum locum explicari de visione per experientiam, qua ne contristaretur Ozias, volebat Dominus eum educere à præsenti vita. Sic explicatur illud Ioan. 8. *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum:* & Iob 7. *Non reuertetur oculus meus, vt videat bona.* Quem locum de visione bonorum per experientiam interpretatur D. Greg. 8. *moral. cap. 12.* 6

Ioan. 8. Iob 7. Grego.

Ad quartum locum ex *Esaiæ 63. respond. primò*, esse intelligendum in eo sensu, vt nescire vel ignorare accipiatur pro eo quod est deserere, aut abijcere, vel negare. Et sensus est, Abraham & Israel non gerit nostri curam, nec approbat nos vt filios, quia à Deo recessimus. Phrasis est sacræ Scripturæ, nescire, pro reprobare, Deuteron. 33. *Qui dixerit patri suo, aut matri suæ nescio vos, &c.* Quẽ locum explicat in hunc sensum D. Gregor. 7. *moralium, cap. 18. sicut & illud Matth. 7. & 25. Nescio vos,* secundùm explicationem Origenis, homilia 4. super Genesim. Et hæc explicatio adhibetur à Glossa ordinaria, & communiter à Patribus. *Secunda explicatio est* Augustini lib. *de cura pro mortuis,* quòd nesciunt mortui quid agant viui. Et intelligendus est Augustinus, de cognitione naturali, non verò de cognitione beatifica, aut per reuelationem. Sic interpretatur Augustin. D. Thom. *in 4. distinctio. 45. quæst. 3. artic. 1. ad 1. & quæst. 9. de verita. artic. 6. ad 5.* & placet hæc expositio Augustini Ioanni Arboreo, lib. 1. *Theosophiæ cap. 9.* Sed contra hoc qui attentè legerit Augustinum in illo lib. agnoscet, loquutum fuisse etiam de cognitione beatifica; siquidem confirmat mortuos nõ cognoscere quid agant viui, etiam eorum filij, ex hoc quod mater sua non aduenerat ad consolandum eum: quam sine dubio ipse in eodem loco existimat esse in statu fœlici beatitudinis. Quare magis placet Sixtus Senensis, qui in sua Bibliotheca, *lib. 5. annotat. 139.* ait, Augustinum, illa ferè omnia quæ dixit in illo lib. de cura pro mortuis, dixisse dubitando, & recitando; quia fortè tunc illa res non erat illi adeò cognita. Et hæc est expressa mens Diui Thomæ 1. *p. quæst. 89. art. 8.* Pari ratione est interpretandus Origen. *Secundum,* quod est Caluini, non est responsione dignum, eo quod iniuriosum est Sanctis: quasi nõ sit alia cognitio, nisi quæ per aures inducitur. Infrà dicemus, quomodo dicantur Sanctos audire, id est, agnoscere orationes ad ipsos fusas. *Ad tertium resp.* Agnoscere futura, & cogitationes cordium propria & naturali virtute soli Deo conuenit; cæterum supernaturali dono, ac virtute, vel

Deut. 33. Gregor. Origen. 7 *August. D. Thom. Ioann. Arbor. Sixt. Sen. D. Thom. Origen.*

vel reuelatione, aut visione Dei. Deus communicat hominibus pro sua largitate.

IIII. DISPVTATIO.

An animæ Beatæ cognoscant orationes ad eas emissas à viatoribus?

1 Prima sententia. Scot. Ocham. Gabriel. IN qua re prima sententia est Scot. in repertis *lib. 2. distin. 9. & Ochami in 2. quæst. 13.* Gabriel. *super canonem Missæ, lectione 31.* dicentium: quod si sit sermo de oratione vocali, quas viatores ad Beatos emittunt, illas cognoscunt Beati; si habent ad illas approximitatem debitam, vel præsentiam. Similiter dicunt de orationibus mentalibus, quas dicunt Sanctos cognoscere cognitione naturali, & intuitiua; dum modo ad orantem habeant debitam præsentiam, & omne tollatur impedimentum. Dicitur, dummodo habeant ad orantem debitam præsentiam, eo quod intellectus creatus non intelligit naturali cognitione intuitiua intelligibile quodcunque quantumcunque distans. Additur etiam, dummodo tollatur impedimentum; non quia cogitationes cordis possint occultari animabus Beatis ab ipsis cogitantibus, sed quia Deus potest subtrahere suum concursum ab intellectu animarum Beatorum, ne intelligant cogitationes viatorum. Hæc est sententia prædictorum certè falsa, de cuius impugnatione supersedeo, quia ex professo contra illam disputatur *1. p. q. 89.* vbi ex sententia D. Tho. ad cognitionem animarum saparatarum impertinenter se habet distantia loci: eo quod Angeli, nec animæ beatæ nõ intelligunt per species separatas à phantasmatibus; etenim non vtuntur ministerio sensuum, sed per species à Deo inditas: ergo impertinenter se habet distantia localis obiecti. Et *ibidem etiam prob.* animas separatas quantumuis beatas, naturali cognitione non posse cognoscere, quæ in terris aguntur; maximè cogitationes cordis. Et idem dixerat de Angelis. *1. p. q. 87. ar. 4. & ratio* est, quia cogitationes liberæ cordium non rediguntur intra numerum entium naturalium, quæ ad ordinem vniuersi pertinent, sed voluntati subduntur, quæ exempta est ab hoc ordine, & soli Deo subiacet.

Secunda sententia. 2 D. Hiero. *Secunda sententia* asserit, Sanctorum animas, sicut etiam Angelos mirabili quadam celeritate quodammodo esse vbique, & audire per se orationes viatorum. Quod videtur insinuari à D. Hieron. contra Vigilantium. Sed nec hæc sententia placet. Nam si sit sermo de orationibus purè mentalibus, nec Angeli, nec animæ beatæ eas cognoscere possunt cognitione naturali; etiã si adsint orationibus, vt latè prob. vbi sup. Si verò sit sermo de orationibus purè vocalibus fatemur aliquas posse cognoscere, sed non omnes: quia si non sunt in loco, vbi orationes funduntur, non possunt eas cognoscere. Continget autem in eodem tempore fieri preces in diuersis locis: vbi per præsentiam localem non possunt esse animæ, aut Angeli, quantacunque celeritate polleant, ac ex consequenti eas non cognoscent.

Tertia sententia est, quæ insinuatur ab Augu. *li. de cura pro mortuis.* Videlicet Beatos cognoscere orationes viuorum ex relatione Angelorum, qui nunc ad cœlos ascendunt, nunc inde ad nos descendunt. Fateor ita esse aliquando. Sed eisdem rationibus impugnatur hæc sentent. sicut præcedens. August. Tertia sententia.

Quarta sententia asserit, Sanctos non videre orationes ad eos emissas, sed tamen reuelari eis à Deo, quando viatores eas fundimus. Ad eum modum, quo Prophetæ Deo reuelante cognouerunt futura: & multis Sanctis in terra degentibus à Deo donatum est, vt cognoscant cogitationes hominum, & facta occultissima: vt de Samuele dicitur. *1. Reg. 9. & de Eliseo 4. Reg. 5. & de D. Petro Act. 5.* & de sancto Benedicto refert Greg. *lib. 2. dialogi, cap. 20.* & de alijs plurimis idem legitur. Vnde infertur Sanctos in cœlo hoc dono pollere multo potiori iure. Hæc est aperta sent. D. August. lib. *de cura pro mortuis, cap. 15.* Soto in 4. *d. 49. q. 3. art. 3. concl. 8. circa fin. & aliorum.* Quarta sententia. 1. Reg. 9. 4. Reg. 4. Actor. 5. D. Grego. August. Soto.

Quinta sententia est D. Thom. quòd Sancti considerata eorum naturali cognitione, quæ in hoc mundo aguntur non cognoscunt, præcipuè interiores motus cordis, sed in verbo illis manifestatur illud, quod decet eos cognoscere de ijs, quæ apud nos aguntur, etiam quantum ad interiores motus cordis. Maximè autem excellentiã eorum decet, vt cognoscant omnes petitiones ad eos factas vel voce, vel corde; & ideò petitiones, quas ad eos dirigimus Deo manifestante cognoscunt. Et D. Thom. in *4. d. 45. q. 3. art. 1.* inquit, quòd in verbo cognoscunt vota, & deuotiones & orationes hominum, qui ad eorum auxilium confugiunt. Et Magister in 4. d. 45. inquit: *Non est credibile animas Sanctorum, quæ in abscondito faciei Dei veri luminis illustratione lætantur; in ipsius contemplatione ea, quæ foris aguntur, non intelligere, quantum illis ad gaudium, nobis verò ad auxilium pertinet. Sicut enim Angelis, ita & Sanctis, qui Deo assistunt, petitiones nostræ innotescunt in verbo Dei, quod contemplantur.* Et idem colligitur ex his, quæ tradit 3. p. q. 10. art. 2. Quinta sententia. 3 D. Thom. D. Thom. Magister.

Hanc sententiam hausit Mag. & D. Thom. ex D. Gregor. lib. 12. moral. cap. 13. vbi de animabus sanctis dicit: *Quia intus omnipotentis claritatem vident; nullo modo credendum est, quod sit foris aliquid, quod ignorent:* & lib. 4. dialogi: *Quid est quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt:* & intelligitur de his, quæ scire oportet, non de omnibus creaturis, vt ipsemet Gregor. se exponit lib. 2. moral. capit. 2. circa medium. Diu. Bernard. lib. 5. de considerat. ad Eugenium, in principio, loquens de Beatis inquit: *Quod opus scalis tenenti iam solium? Creatura cœli illa est præsto habens, per quòd potius ista intuentur, videt verbum, & in verbo facta per verbum, &c.* Concil. Senonense in decretis fidei, vt damnet errorem eorum, qui dicunt Sanctos non esse orandos, apponit hæc verba: *Sed quam sit hoc, non modò veritati, sed etiam Scripturis contrarium non ignorat illud vniformè diuinitatis speculum; in quo* quid- D. Grego. D.Bern.

quidquid eorum intersit illucescat. Quid clarius ad probandum Beatos nostras orationes in verbo agnoscere.

4 Contra hanc sent. *argum.*1. Cognitio in verbo terminatur ad omnia simul, vt ait D.Th.*3.p.q.*12. *ar.*10. Et ratio est, quia illa præexcellens cognitio cùm habeatur per vnam speciem intelligibilem, quæ est diuina essentia, inuariabilis debet esse; vt colligitur ex August.15.*de Trin.c.*16.*tom.*3. Sed animæ beatæ agnoscunt successiuè orationes ad ipsas successu temporis emissas, sicut & successiuè emittuntur: ergò nō vident in verbo orationes viatorum ad ipsos fusas. *Mi.prob.*1. Singularia non cognoscuntur, nisi quando actu existunt, sed orationes ad Beatos directæ non sunt simul, sed successiuè fiunt: ergo non cognoscuntur simul, sed successiuè. Mai. huius prob. est D.Th.1.*p.q.*89.*a.*8 Secundo prob. *ex eod. D.Tho.*1.*p.q.*12.*art.*8.*ad* 4. Vbi duo dicit, quæ videntur aduersari positioni præfatæ de cognitione orationum in verbo. *Primum est*, non pertinere ad perfectionē intellectus cognoscere singularia, atque ex consequenti non videri ex vi visionis beatificæ. *Secundum est*, non agnoscere beatos visione beatifica singularia, quæ nondum sunt: ergo orationes, quæ nondum sunt tempore, quo incipit beari Beatus, non cognoscet visione beata. *Tertio prob.* eadem min. ex D.Th.3.*cont.gent.c.*89. vbi habet, quod animæ videntes Deum cognoscunt singularia omnia sub speciebus existentia: ergo orationes, quæ non sunt, quando beatificantur, non vident visione beata. Quartò prob. *eadem mi. ex* D.Tho.1.*p.q.*57 *art.*5. vbi expressè asserit Angelos beatos cognouisse in verbo à principio quædam mysteria gratiæ, quædam verò postmodum: sed non minus spectat ad Angelos cognoscere mysteria gratiæ, quam ad animas beatas orationes ad eas directas è terra: ergò successiuè agnoscunt tales orationes sicut successiuè emittuntur, atque ex consequenti non cognoscuntur ea visione, qua cognoscitur verbum, quæ simul & inuariabilis est. *Secundò arg.*

5 Si animæ beatæ in verbo cognoscunt orationes ad eas directas; maximè quia ad earum statum spectat eas agnoscere, vt eas Deo præsentent; & pro nobis intercessores sint & patronæ. *Sed hæc ratio supponit falsum*: etenim hoc est proprium munus & officium Christi esse nobis mediatorē & aduocatum, vt sacræ Literæ clamant: Sancti vero, quia sunt amici Dei & familiares, habent liberam facultatem præsentandi Deo petitiones nostras, & intercedendi pro nobis; non tamen ex munere aut officio, & ideò hæc excellentia non est intrinseca statui beatifico Sanctorum, sed soli Christo: ergo non vident in verbo orationes ad se emissas.

Tertiò argumentor ab inconuenienti: quia ex hoc quod animæ beatæ in verbo videant orationes viatorum quæ ad eas emittuntur, sequitur minus Beatum aliquando videre diuinam essentiam perfectius, quàm magis Beatum. Consequēs est manifestè falsum: Nam cum beatitudo in visione diuinæ essentiæ consistat, magis Beatus ex eo magis Beatus est, quia perfectius diuinam essentiam intuetur. *Probatur consequentia*, quia contingit sæpius ad minus Beatum plures orationes fieri: vel propter deuotionem populi: vel quia magis Beatus nondum est Canonizatus, & non tam nota eius sanctitas: vel quia patronus, & fundator est alicuius Religionis, cui sui clientuli se frequentissimè commendant: & in hoc casu probatur minus Beatum perfectius diuinam essentiam intueri, quia teste D.Thoma 3.*parte quæstion.*10.*artic.*2. intellectus creatus, quantò plures creaturas videt in verbo, tantò perfectius videt verbum: sed in casu præfato minus Beatus plures creaturas videt in verbo, quàm magis Beatus, quia plures creaturæ spectant ad eius statum, & plures orationes ad eum funduntur: ergo perfectius videt verbum. 6

Quartò. Consideremus duos viros Sanctos æqualis sanctitatis & meriti in cœlum euolare, vbi æquali lumine prædīti, æqualiter vident diuinam essentiam, quorum vnus solitariè vixit in eremo per totam vitam: alter verò fundauit amplissimam Religionem; & ob id ad ipsum crebræ funduntur orationes à suis clientulis; prioris verò solitarij nullus meminit; nec ad eius statum vlla spectat cura eorum, quæ geruntur in terris: tunc est argument. ad probandum quod orationes ad priorem Sanctum emissas, sit impossibile videri in verbo. Etenim amborū visiones æquales sunt omninò; sicut merita æqualia sunt: ergo vnius visio non terminatur ad plures creaturas, nec ad diuersas. *Probatur antecedens, & conseq. simul*, quia non est vnde nascatur aliqua diuersitas inter istas visiones; non ex parte diuinæ essentiæ, quæ æqualiter videtur, & de se causa est, & exemplar indifferens ad omnes creaturas; nec ex parte luminis, quod supponimus esse æquale in ambobus; sicut amborum merita sunt æqualia: ergo necessarium est, vt orationes illæ extra verbum videantur, necessarium constituere inæqualia lumina in Sanctis æqualis meriti; quia idem manens idem, semper facit idem.

Sed non obstantibus his argumentis, Thomistæ conueniunt in hoc asserto, Beatos cognoscere orationes ad eos emissas in verbo; sed in exponendo sententiā sui ducis valdè discordant.

Prima sententia Thomistarum asserit, Beatos à principio suæ beatitudinis vidisse diuinā essentiam; & eadem visione numero vidisse orationes ad eos fusas eo tempore quo Beati effecti sunt, & quæ postmodum effusæ sunt & fundūtur. *Probatur*, quia hæc videtur esse sententia D.Thom. clara in locis allegatis. *Secundò probat.* ex natura ipsius visionis beatificæ, qua Sancti in cœlo beantur, quæ talis est, vt sit appetitus rationalis satiatiua; ita vt nihil rationaliter appetere possit Beatus, quod non reperiatur in ipsamet Dei visione, iuxta illud Psal.16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua:* ac denique cum ille status sit omnium bonorum aggregatione perfectus, vt dicitur Ioan.16. *Vt gaudium vestrum sit plenum.* Sed nemini dubium est, quin rationabiliter desideret Beatus scire, quid de ipso cogitetur in mundo, aut quid sibi à suis vel ab alijs cōmendetur: ergo in ipsa Dei visione hæc omnia agnoscunt. *Tertio prob.* idē ex præstantia luminis beatifici. Etenim præstantius & per-

Marginalia: D.Thom. (beside "terminatur ad omnia simul"); August. (beside "colligitur ex August."); D.Thom. (beside "Secundo prob."); D.Thom. (beside "dentes Deum cognoscunt"); D.Thom. (beside "art.5."); 1. Sē.inter Thomist. 7 (beside "Prima sententia"); Psal.16. (beside "ta illud Psal.16."); Ioan. 16. (beside "aggregatione perfectus").

perfectius videtur per lumen beatificum ea omnia, quæ Prophetæ per lumen propheticũ, & cæteri Sancti in terris degentes per lumen quodcũque diuinitus datum agnouerũt, iuxta illud Apostoli. 1. ad Corint. 13. *Siue prophetia euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur: ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est, &c.* Sed per lumen propheticum, aut alia Dei munere data, sępenumero viri iusti viatores agnouerũt cogitationes cordiũ, & alia abditissima: vt patet ex testimonijs allegatis circa 4. *sentent.* ergo eadem perfectius cognoscentur lumine beatifico, atque ex consequenti in verbo. Simili discursu procedit D. Aug. *lib. 22. de ciu. c. 29. ex 4. Reg. 5.*

1. Ad Cor. 13. — *Aug.*

Quartò. Ad excellentiam beatorum, qua ratione Beati sunt, decet, vt cognoscant petitiones ad eos factas, vel corde vel voce, vt asserit D. Th. *in a. 4. huius q. ad 2.* sed nisi cognoscant eas in verbo, ęgrè & cum magna difficultate eas poterũt cognoscere: ergo in verbo vident. *Probat. minor.* qui cum cognitio, quæ fit per reuelationes nouas extra verbum, fiat per proprias species rerum, & orationes tam crebræ ferè infinitis obiectis fiant ad Sanctos, v. g. ad B. Virginé, cui commissa est cura totius Ecclesiæ: cũ magna difficultate eodem temporis puncto intellectus finitus actuabitur tot speciebus, & producet tot cognitiones. In verbo autem alia est ratio, vbi vnica est Dei cognitio, & vna essentia diuina, quæ supplet vicem speciei.

D. Thom.

Quintò. Si quid obstaret, quominus Beati in verbo viderent orationes ad ipsos è terra emissas, maximè quia quando cœperunt beari, non erant illæ orationes; sed hoc non obstat, eò quod visio illa excellens & beatifica non mensuratur tempore, sed æternitate participata, vt patet ex his, quæ dicunt D. Tho. interpretes. 1. p. quæst. 12. quæ natura sua ambit ea, quæ in ea omni temporis differentia fiunt: ergo, &c. *Confirmatur*, & explicatur sententia. Status beatificus est inuariabilis; vnde omnia quæ pertinẽt ad statum Beati pro toto beatitudinis progressu, ad ipsum spectãt pro primo instanti beatitudinis; quia illud instans æternitatis est, quo mensuratur eius visio: vnde omnia illa Beatus intuitiuè videt, & pari ratione orationes ad eum fusas, quocunque tempore fundantur. Hanc sententiam amplectuntur Caiet. *in art. 4. huius quæst. ad 2. Ferrar. 3. contra gent. capit. 50. §.* sed hic remanet dubium; qui tamen ibidem dicunt, quod Sancti non vident in verbo, sed nouis illuminationibus cognoscunt, an expediat, quod petitur, & quomodo implendum, & an Deo placeat, & an debeant petere, & alia huiusmodi. Quam limitationem non aliter probant, quam quia Ecclesia Deum rogat, vt Sancti orent pro nobis, dicens: *Tribue quæsumus Domine omnes sanctos tuos iugiter orare pro nobis.* Ad quod munus cum ipsi sint prompti, si sciant expedire, quod petitur, &c. nihil aliud petit Ecclesia, nisi vt illis hæc reuelet vt petant.

Caiet. Ferrar.

2. Sent. Thomist.

9 *Secunda sentẽtia* Thomist. dicit duo. *Primum* est. Eadem numero visione, qua Beati vident essentiam diuinam, agnoscunt etiam orationes, quas ad ipsos emittunt viatores. *Secundum est*, orationes fusas ante, vel in ipso temporis puncto, quo beatificantur, videre simul cum essentia; cæteras verò, quę progressu temporis funduntur, successiuè, sicut à parte rei existunt; omnes tamen eadem numero visione, qua essentia diuina videtur. Hanc sententiam reputat probabilem Ferrar. *vbi sup.* & multi Thomistæ. *Et prima pars probatur* ex eis, quæ adducta sunt pro prima sententia, secunda verò probatur ex testimonijs adductis in primo argumento contra Diui Thomæ sententiam; maximè *ex prima parte, quæst. 57. articul. 5.*

Ferrar.

Hoc secundum dictum Ferrar. mihi non probatur, & *arguitur contra illud:* nam iuxta illud Beati mediante visione diuinæ essentiæ successiuè vident nunc has orationes, postea alias: ergo in ipsa visione & beatitudine potest esse varietas; ita vt Beata anima nunc non sit ita beata, sicut erit, quando ad eam funduntur orationes aliquæ. *Probatur consequentia*: quia plura vident in verbo postea, quàm in initio suę beatitudinis. *Dicet fortasse aliquis*, non variare beatitudinem extẽsionem, & successionem, erga obiectum secundarium, id est creaturas, sed erga primarium, quod est essentia diuina; in hoc autem cognoscendo nulla est varietas. *Contra hoc est secundum argumentum.* Orationes sicut & aliæ creaturæ non videntur visione beatifica, nisi in Deo ipso, qui est ratio cognoscendi creaturas in verbo: ergo implicat variari visionem circa creaturas; quin varietur circa Deum. *Nec refert*, si dicatur variari circa Deum, semper tamen cum æquali perfectione, quamuis in ordine ad diuersas creaturas: tum quia hoc ipsum esset magna imperfectio in tali visione; tùm etiam, quia qua ratione posset hoc modo variari, posset etiam intendi & remitti. Cur enim quoad vnũ subderetur voluntati videntis, & non quoad aliud? Hæc argumenta sine dubio probant talem visionem non posse variari, ita vt in initio Beatitudinis se non extendat ad aliquas creaturas, quas postea in progressu cognoscat Beatus.

Quare alia via pergit Ferrar. vt nodum hunc 10
dissoluat, & dicit, quod dupliciter potest intelligi successio & variatio in visione beata. *Primo modo* extrinsecè, *alio modò* intrinsecè: si accipiatur intrinsecè, nulla est successio in visione beata; quia vnus tantum actus semper manens nec intenditur, nec remittitur; quamuis aliqua singularia prius non videantur, & postmodum videantur: itaq; successio tenet se ex parte rerũ, non ex parte visionis beatificę. Est simile: ponatur Angelus per speciem hominis considerare naturam humanã & eius singularia, eadem visione durante, & nullo modo in se variata, potest videre homines aliquos, quos antea nõ videbat; quia antequã essent nõ participabant actu speciẽ humanam. Si verò accipiatur extrinsecè; non est inconueniens esse successionem in visione beatifica, quatenus terminatur modo ad aliqua singularia, ad quę antea non terminabatur.

Ferrar.

Contra quem sic arguitur. Visio huius Beati, de 11
quo in argumento fit sermo, eadem omninò est, & inuariata à principio, & toto temporis progressu:

gressu: ergo non potest repræsentare in temporis successu, quod antea non repræsentabat. *Prob. conseq.* quia manens in se semper idem semper efficit idem. *Dices* non esse necessariam talem mutationem ad repræsentanda indiuidua. *Contrà*, nam quando repræsentatur id, quod est in indiuiduo; non solum repræsentatur natura specifica, sed etiam indiuidua: ergo repræsentatio diuersa esse debet: quæ sine mutatione intrinseca visionis nequit, intelligi. *Confir.* Vt intellectus nouiter incipiat videre, quę nō videbat, nouū effectum formalem habere debet; siquidem ex non vidente fit videns; effectus autem formalis nouus sine noua forma esse non potest: ergo, &c. Et illud simile de specie Angelica, quæ repræsentat hominem, & ipsa inuariata postea Petrum, non conuincit, nam repræsentatio speciei est quadam tenus ratione repræsentatio, & potissimè habet esse principium cognitionis effectiuum; non autem apparet impossibile, quod idem principium manens idem terminetur ad diuersos effectus: secus est de repræsentatione expressa & propria, qualis reperitur in conceptu, & fit per cognitionem; quam variari, manente in se inuariato conceptu, aut cognitione, non capio.

3. Sent. Thomistarum. 12 *Tertia sententia* Thomist. asserentiū, orationes omnes videri quidem in verbo à Beatis: sed esse discrimen inter orationes, quæ fiunt tēpore, quo incipit esse Beatus ille, qui inuocatur à viatoribus, & orationes quæ postea fiunt: priores orationes videt formaliter ea visione, qua diuinā essentiā videt, posteriores verò tātum causaliter, & distincta cognitione, nēpe per reuelationē, & nouā illuminationē: & idē dicitur de omnibus futuris cōtingētibus pertinētibus ad statū Beatorū, ita Caiet. (Caiet.) 3. p. qu. 10 ar. 2. & 1. p. quæst. 57 articul. 5. de Angelis Beatis idē asseuerat. Et quod dicimus de orationibus extēdendum est ad ea omnia, quæ ad statū Beati concernunt. Hæc est sententia Caiet. 3. *part. quæst.* 10. *art.* 2. & eadem distinctione vsus fuerat loco allegato 1. *part.*

Pro cuius ampliori declaratione *aduertendum est*, aliquos hallucinari in intelligenda Caiet. sententia. Putant enim Caiet. existimasse vna & eadem essentiæ diuinæ visione videri quædam formaliter, quędam causaliter; quod nec somniauit, vt patebit eius verba legenti. Sed re vera censuit Beatos videre formaliter visione diuinæ essentiæ ea, quæ ad statum pertinent Beati tempore quo incipit esse Beatus: reliqua verò etiam pertinentia ad statum; sed quæ successu temporis fiūt causaliter; id est cognitione alia, quę fit mediantibus nouis illuminationibus: in qua cognitione posteriori notare oportet, non pertinere ad scientiam beatam, sed ad infusam; nō esse in rigore intuitiuam, si habeatur de re præterita, sed abstractiuā; non haberi per essentiam diuinam habentem vicem speciei intelligibilis, sed per alias species inditas.

Item aduertere oportet per talem cognitionem posteriorem, dici Beatos videre orationes siue alia creata in verbo causaliter; non ex eo tantum quia verbum effectiuè concurrat illuminādo intellectum Beatorum: hoc enim commune est in omni cognitione, quæ habetur per reuelationē, aut qualemcunque illuminationem factam viatoribus, qua nō dicuntur illa videre in verbo, sed dicuntur causaliter videre in verbo; quia illæ diuinæ illuminationes, ex quibus causatur illa posterior cognitio, habent se sicut accidentia concomitantia ipsam visionem diuinæ essentiæ, non simul, sed successiuè; quia ita congruit statui fœlici Beatorum, proportionaliter ad ea, quæ eorum statum concernunt. Ita Caiet. *prima parte, vbi supra.* Caiet.

Sed melius tertia parte, & clarius, nō ex eo tātùm visio illa diuinæ essentiæ & creaturarum, quæ in illa formaliter videntur, dicitur causare posteriorem præfatam cognitionem; quia verbum, seu, quod idem est, diuina essentia causat illam illuminando, &c. Sed quia ex hoc ipso, quod aliquis videt verbum, debetur sibi quod suo tempore innotescant sibi spectantia ad suum statum; nam alias visio illa non substantialiter constitueret Beatum; quia non esset expletus totaliter eius appetitus rationalis, cupiens scire ea, quæ ad se expectant. Beatitudo autem constituit statum omnium bonorum aggregatione perfectum. Itaque solum verbum causat illam posteriorem cognitionem creaturarum, nō causalitate efficienti, sed causalitate consequenti, vt dictum est.

Hæc Caiet. doctrina quantum ad hoc quod est multa videri à Beatis extra verbum, de his, quę ad eorū statū non concernunt, quia eò ipso quod Beati sunt, decet eos à Deo illuminari & instrui de multis alijs, videtur mihi verissima, sed tamen eius sententia displicet; maximè quia ad eam astruendam mouetur *argum.* 3. quod nos fecimus contra D. Th. sententiam, cuius vim non fugit per positionē suæ sententię. Etenim benè stat aliquem esse minus beatum, ad cuius statum plura spectent tempore quo incipit beari, quam ad aliū magis Beatū eodē primo tempore, quo ingreditur Beatitudinem: vt si cogitemus D. Franciscum esse minus Beatum Anachoreta quodam sanctissimo, & tamen simul ambo moriuntur, & in cælum euolant. Ecce minus Beatus plura videt in verbo, spectantia nimirum ad suum statum, quā magis Beatus. Sed de hac re latius in solutione ad præfatum 3. argumentum.

Quarta sententia Thomistarum asserit, primo omnium, esse commensurandam perfectionem beatitudinis vniuscuiusque meritis: deinde vnūquemque Beatū videre formaliter in verbo omnia illa, quæ pertinent ad suum statum, quantum sub quantitate perfectionis diuinæ visionis suis meritis debitè cadere possunt: nàm si fortasse ad videnda omnia illa necessaria esset perfectior visio, quā suis meritis deberetur, non posset omnia formaliter in verbo videre, sed videret præcipua, seu quæ sufficerent iuxta ordinem diuinæ institiæ & prouidētiæ: reliqua verò videret causaliter, vt ait Caiet. Hanc sentent. tenet P. Suarez, *è societate Iesu in commentarijs ad* 3. *part.* D. Thom. *q.* 10. *sect.* 3. Fundamentum huius sententiæ non est aliud, nisi quia sic effugitur vis huius 3. *argum.* sed in hac sententia videtur esse necessariò recurrendum ad 4. Sent. Thomistarum. Suarez.

dum ad ordinationem Dei extrinsecam volentis potius hãc rem videri in verbo, quam illam. Nos autem loquimur de his, quæ postulat ex natura sua visio beatifica cuiuscunq; Beati.

5. Sent. Bannez. *Quinta sententia* est sapientissimi M. mei Dominici Bannez, *in commentarijs ad 1. p. D. Thom. quæst. 12 artic.* 10. asserentis Beatos videre omnia, quæ spectant ad suum statum visione verbi formaliter; siue spectent à principio Beatitudinis, siue postea. Cæterùm etiam asserit orationes viatorum ad Sanctos emissas non cognosci in verbo formaliter, sed tantum causaliter: mouetur arg. 2. à nobis facto, contra D. Th. sententiam. Hæc sententia probabilis est, sed meo iudicio expressè contra D. Tho. in locis allegatis.

6. Sen. Gab. Vazquez. *Sexta sententia est*, Beatos videre in verbo orationes viatorum ad ipsos emissas, tantum causaliter. Hæc est Gab. Vaz. 1. *p. q.* 12. *a.* 8. fundamentum huius autoris est hucusq; in auditum inter Thomistas, qualem se esse dicit: nempè nullam creaturam videri in verbo, sed omnia extra verbum, si loquamur formaliter, causaliter autem dicuntur videri in verbo, eò quod Deus est causa illuminationum, & reuelationum, quibus mediantibus Beati creaturas vident, quotquot vident. De confutatione huius sententiæ latius alibi.

Vera sent. 15 Pro decisione *dico*. 1. in omnibus relatis sententijs circa modum, quo Sancti agnoscunt nostras preces, nihil inuenio, quod aduersetur doctrinæ orthodoxæ. Cæterùm prima mihi videtur falsa, secunda & 3. insufficienter declarantes, quomodo Sancti audiant nostras orationes, patet hoc ex impugnationibus factis aduersus eas.

Dico secundò. Quarta sententia, quæ asserit orationes viatorum agnosci à Beatis per peculiares reuelationes, mihi videtur probabilis & aptior ad respondendum hæreticis sectarijs: qui cũ negent animas beatas modo frui beatitudine, nõ admittunt, in verbo posse cognoscere tales orationes. Quòd si obijcias. Sequitur, antequã Sanctos precemur, esse Deum exorandum, vt eis reuelet nostras preces, Res. hoc non esse necessariũ: nã ad fœlicitatem sui status, & ad munus intercessorum exercendum spectat Deum illis reuelare omnes orationes, quæ ad ipsos emittuntur, & de facto reuelat: & Ecclesia certitudinem habet, hæc omnia Beatis esse nota siue hac, siue alia via, nec id ex nostris orationibus pendere, quare non censet necessariam talem postulationem.

Dico tertiò. Sentẽtia D. Th. qu. 5. est in ordine, probabilior est, & à nobis eligenda prop. arg. facta in eius fauorem, & inter omnes explicationes Thomistarũ, cæteris neglectis, prior eligẽda patet à sufficiẽti impugnatione cæterarũ, & ex probationibus ibi allatis. *Itaque assero*, Beatos videre in verbo eadẽ visione qua videtur essentia diuina omnes orationes viatorũ ad ipsos emissas, siue fũdãtur ante adeptionẽ beatitudinis, siue post, ac deniq; omnia, quæ ad vnũquẽq; Beatũ spectant: & similiter assero cõtra Caiet. Beatum in visione verbi videre, an expediat, quod petitur, & quomodo implendum, &c. Quia non minus hoc spectat ad statum Beati, quã agnoscere orationes ad se fusas: & ratio Cai. adducta ex eò quod Ecclesia rogat Deũ, vt Sancti orẽt pro nobis, cũ Sãcti sint paratissimi: nihil probat, nam Deus multò parator est ad nos exaudiendum, & tamen oramus, vt nos exaudiat.

Dico quartò. Propriã vocẽ ignorãt, qui asserunt Beatos agnoscere orationes in verbo, & simul asseuerãt eas agnoscere nouis illuminationibus, & reuelationibus; ac noua, & distincta visione ab ea, qua videtur essentia diuina. *Pro cuius probatione oportet declarare*, quid sit cognoscere aliquid in alio: est enim cognoscere aliquid agnito alio, quod sibi sit ratio cognoscẽdi illud. Exemplũ sit, Angelus vidẽdo, & cognoscẽdo, penetrãdoque essentiam hominis, consequẽter videt & intuetur proprietates; nõ solũ, quia vno, & eodẽ actu videt vtrũque, verũ etiã videndo vnũ, ratione illius videt aliud, & hoc est propriè vnũ videri in alio. Et potest esse signũ à posteriori, quia quãdo hoc modo cognoscuntur duo, nõ potest actus terminari ad obiectũ in alio cognitũ, nisi mediãte illo. Non dissimiliter videre creaturas in verbo, seu essentia diuina (quod idem est in proposito) est cognitionem terminari, primo ad essentiam diuinam, & in ea videre etiam creaturas; quia Deus cognitus est ratio videndi creaturas, & obiectũ in quo cognito, & ipsæ cognoscũtur. 16

Ex hoc infertur, quod si creaturæ, & Deus cognoscantur diuerso actu: vt de aliquibus creaturis censet Caietanus, *vbi supra*, tales creaturæ non videntur in verbo: estò daremus quod visio verbi parturiret illam distinctam cognitionem; quia quamuis fortasse visio verbi esset ratio illius alterius cognitionis, tamen videre in verbo est videre in eadem cognitione, qua verbum videtur; aliàs videret ratione visionis verbi, non in verbo. Igitur videre Beatos creaturas in verbo, est quædã participatio altissimæ scientiæ Dei, qua creaturas cognoscit. Vnde sicut Deus dicitur cognoscere creaturas in se ipso: eò quod se vidẽdo videt creaturas, & ipse cognitus est ratio cognoscendi eas, & eodẽ prorsus actu. Ita proportionabiliter dicẽdũ est, quod beati vident verbũ; & in ipso viso vt in causa, & primario obiecto cognito, & ratione videndi creaturas, vident creaturas.

Hoc supposito, *probatur conclusio. Primò*: vt videantur creaturæ in verbo, oportet, vt eadẽ cognitione, qua agnoscitur verbum, videantur creaturæ; sed autores præfati ponunt alia cognitione videri orationes à viatoribus emissas, ab ea cognitione qua videtur essentia diuina: ergo non videntur in verbo *Secundò*, cognitio in verbo est cognitio matutina, cognitio autem illa, quæ fit per nouas reuelationes est vespertina: ergo non debet dici cognitio in verbo. *Mai. est nota*, & minor probat. quia cognitio illa, quæ fit per proprias species, est cognitio rerum in proprio genere; ac ex consequenti vespertina: sed illa cognitio est huiusmodi: ergo. *Confirm*. Vel illa cognitio fit per propriam speciem; & tunc erit cognitio extra verbum, & non in verbo; quæ fit essentia diuina habente vicem speciei intelligibilis: vel fit essentia diuina supplente vicem speciei: & tunc implicat talem cognitionem terminari immediatè ad creaturas alia cognitione, quæ non fit 17

essentiæ diuinæ cognitio; nam licet essentia diuina respectu sui ipsius suppleat vicem speciei intelligibilis, tamen respectu creaturarum non habet vicem speciei intelligibilis immediatè inducens, vel efficiens cognitionem earum in se ipsis, tanquam ratio seu medium incognitum, vt Philosophi loquuntur: quia hic modus concurrendi ad cognitionem alterius est imperfectus, Deus autē non continet creaturas illo imperfecto modo, sed eminenter, tanquam perfecta causa causarū.

Vnde licèt Deus sua infinita virtute possit supplere efficientiam cuiuslibet speciei intelligibilis; non tamen in hoc potest per modum obiecti, nisi respectu sui ipsius; respectu verò aliorum, tantum per modum causæ supremæ; quæ per suam voluntatem supplere potest efficientiam particularis causæ: & ita potest facere, vt visus videat sine specie supplendo per omnipotentiam suam efficacitatem speciei: & hoc modo potest idem facere in intellectu. Hoc tamen nihil refert ad visionem beatam, nec ad visionē creaturarum in Deo: non ergo se habet diuina essentia per modum vnius speciei intelligibilis immediatè repræsentans Deum & creaturas: ergo quæcunque alia cognitio creaturarum, quæ non immediatè terminatur ad essentiā diuinam, necessariò fit per speciem propriam earū; & consequēter est cognitio extra verbum, & non in verbo: nisi fortè aliquis incidat in hanc phantasiam; vt opinetur Beatum cognoscere essentiam diuinam, & aliquot creaturas, & postea alias creaturas alia cognitione, quæ versetur circa Deum & alias creaturas: quod est inopinabile, dum ponit duas visiones in verbo in Beato quolibet. Nec obstat

D. Thom. nostræ assertioni D.Thom.*1.p.quæst.62.1.ad 3.* constituens in Angelis viatoribus cognitionem creaturarum in verbo non media essentia diuina habente vicem speciei, sed per similitudinē & speciem creatam; quia D.Th. loquebatur de cognitione in verbo impropriè, vt expressè ibi habetur, & de cognitione imperfecta: imò ex illo loco corroboratur præcipua assertio: videlicet non posse res videri in verbo: nisi eodē actu quo cognoscitur verbum, cognoscantur & creaturæ: & ita asserit ibi Sanctus Doctor expressè, quod illa imperfecta cognitione & naturali Angelus videbat per species creaturas in verbo, nimirum eadem cognitione.

18 *Soluūtur argumēta.* Superest respondere ad argumenta facta contra sentētiā D. Thom. iuxta declarationem, quam suscepimus defensandam. *Ad primum*, si sequeremur Ferrar. sent. facilè diceremus orationes, quæ fiunt temporis progressu successiuè videri per visionem diuinæ essentiæ: sed quia illam sententiam reiecimus, respondetur concessa mai. negat. min. *Ad prim. probat.* quod dubitatio illius articuli erat: vtrum cognoscerent præsentia, quæ apud nos aguntur, respondet affirmatiuè: non tamen subinde docet, quod sola præsentia videant, ita vt non agnoscant futura. *Ad secund. prob.* quod sunt quidam existimantes D. Thom. in 1. part. correxisse tacitè id, quod docuerat in summa cōtra gent. nempè Beatos agnoscere ex vi visionis beatificæ multa singularia & cōtingētia, in cuius signum adducunt doctrinam citatam, quæ videtur fauere; dum ait: *Non pertinere ad perfectionem intellectus cognoscere singularia.* Isti tamē ni fallor, decipiuntur; tùm quia D. Thom. loquitur præcisè de intellectu rationalis creaturæ, vt speculatiuus est; non verò vt practicus; quia isto pacto ad eius perfectionem pertinet cognoscere aliquot singularia, vt proferat prudentialia iudicia. Imò intellectus etiam vt speculatiuus est, quo plura indiuidua cognoscit perfectiori modo se habet. Ac deniq; quia D.Th.*3.p.q.10.ar.2.* ait pertinere ad perfectionem intellectus illustrati lumine gloriæ, vt videat omnia, quæ ad statū Beati spectāt. Illud D. Thom verò q̃ subdit D.Th. *in loco arg.* non esse de perfectione intellectus cognoscere ea, quæ nondū sūt, sed fieri à Deo possunt, similiter explicandum est, quod D. Thom. loquebatur de singularibus & speciebus, quæ nunquam erunt, possunt tamen à Deo produci: vt ibi expressè dicitur. Ad *tert. prob.* quod D.Th. loquutus est de singularibus, quæ in aliqua differētia tēporis sub speciebus existēt. Ad 19 vlt. prob. resp. in loco citato nunquam dixisse D. Th. Angelos Beatos vidisse omnia mysteria gratiæ, in Dei visione; cū potius oppositū dicat ibidē, & quādo paucis adiectis dicit: *Horū autē mysteriorum quædam à principio suæ creationis cognouerunt, quædam verò postmodū*: non loquitur de mysteriis visis lumine gloriæ, & visione beatifica, sed absolutè. Quare nō video, cur tā anxietur Caiet. vt vtatur illa distinctione de visione formali, & causali, quidquid sit de veritate distinctionis. Nihilominus siue hoc siue illo modo dicas, vrget arg. nō omnes orationes viatorum à Beatis visione beatifica necessariò cognosci.

Quare *resp.* ad statū Angelorū beatorū attinebat mysteria gratiæ præcipua & quantum ad substātiā agnoscere; vt egregiè deducit D. Th. in illo D. Thom. loco 1.p. ad 1. argum. & hæc omnia à principio suæ Beatitudinis & visione beatifica agnouerunt; cæterum alia minutiora, & quantum speciales conditiones agnoscere non pertinuit ad eorum statū; & ideò per reuelationes peculiares cognouerunt: fortassè nō pertinuit ad statum Angeli confortantis Christum dominū illā legatione facere, sed ex Dei munere illi cōmissa est: quod si hoc est verum, nec necessariū fuit illā videre Angelū visione beatifica. Idē dico de multis alijs officijs ab Angelis præstitis, ad quos nō attinebat ex suo statu illa præstare. Et sic est intelligēdus D.Th. quādo ait in fine art. *Quædā verò postea secūdū quod eorū officijs cōgruit edocētur: officijs* id est, operibus officiosis, nō verò fit sermo de officijs pertinētibus ad eorū D. Thom. statū; aliàs iuxta doctrinam eiusdē S. Doct. *in.3.p.* visione ipsa beatifica viderētur. Igitur ad *vlt. prob. resp. neg. conseq.* ratio discriminis est: quia ad statum 20 animarū Beatarū spectat agnoscere preces è terris ad eas missas, vt sunt nostrorum intercessores.

Cæterum ad statum Angelorum Beatorum quocumcunque non attinet agnoscere omnia mysteria gratiæ, sed tantum præcipua, & ea agnoscunt in verbo formaliter; ita ad Beatos non attinet qualemcunque precariunculam agnoscere, sed præcipuas orationes, quas in verbo agnoscunt, reliquas verò per reuelationem,

tionem, sed præstat dicere primo modo.

Secundo argumento mouetur M. Dominicus Bannez, vt existimet orationes Beatorum non videri in verbo, sed per reuelationes peculiares: miror tamen sapientissimum Patrem veteri cōcedere, alios esse mediatores, aduocatos, & intercessores præter Christum; cum tamen nos expreßè contra sectarios oppositum stabilierimus ex communi doctrina Sanctorum. Vnde ad argumentum *negat. min.* & ad probationem, cōcessa excellentia Christi mediatoris, Sanctos etiam habere munus per eius participationē, fatemur. *Bannez.*

21 *Ad tertium* variè dicitur à Thomistis. Pro eius solutione *imprimis statuendum* tanquam certum, maximè in doctrina D. Thomæ, eò perfectius videri diuinam essentiam, quò plures creaturæ videntur in ipsa, si cætera sint paria: & ratio est manifesta: quia cum diuina essentia visa sit ratio videndi creaturas, necessariò videntur in ipsa omnes creaturæ; quæ ex vi visionis perfectæ vsque ad talem gradum videri possunt. ergo vt plura videantur, necesse est vt perficiatur eadem visio; non solum quasi extensiuè respectu creaturarum: sed quasi intensiuè respectu ipsius essentiæ diuinæ; aliàs tales creaturæ non viderentur ex vi visionis Dei; sed immediatè, & quasi concomitanter simul cum Deo.

Itaque quidquid sit, an ex perfectiori visione essentiæ diuinæ necessariò sequatur visio plurium & excellentiarum creaturarum, (de hoc enim nolo in præsenti disputare) tamen è contrario vt certum statuendum est. Si visione beatifica plures creaturæ videntur, à posteriori benè colligitur, ipsam essentiam diuinam perfectiùs videri: quod intelligitur, si cætera sint paria: nam continget aliquando (vt in casu argumenti) vt qui est minùs Beatus videat plures creaturas intra genus, vel speciem ordinis inferioris, & magis Beatus excedat aliundè: nempè videndo plures superioris ordinis, & perfectioris rationis; aut verò videndo clariùs & perfectiùs res alias: igitur propositio illa D. Tho. quantò aliquis plures creaturas videt in verbo, tantò perfectiùs videt Deū, intelligitur si cætera sint paria, in casu autem cætera non sunt paria, vt dictum est.

22 *Ad quartum resp.* diuersitatem prouenire ex parte luminum, quæ sunt eiusdem speciei, & æqualia in perfectione intensiua: quia causant visionem æqualis intensionis saltem in ordine ad diuinam essentiam, & sunt æqualia lumina extensiuè, sed proportionaliter; id est, non videntur plures creaturæ in vno lumine quàm in alio cæteris paribus: sicut explicui in præcedentis argumenti solutione. Nihilominus non est necesse æqualia esse extensiuè, absolutè loquendo, & omnibus modis, id est, ad easdem creaturas vidēdas extendi, sed potest contingere, vt in casu argumenti, lumen beatificum vnius Sācti ad quasdam creaturas terminetur, ad quas non terminatur lumen alterius: & hæc diuersitas pertinet ad numericam diuersitatem, quæ attenditur in luminibus non solū ex parte subiectorū diuersorū, in quibus sunt; nec ex parte perfectionis intensiuæ, sed etiam ex alio duplici capite: nempè quia ipsum lumen in hoc supposito est potiùs determinatum ex natura sua ad has creaturas quàm ad alias: vel secundò, quia concursus necessarius ex parte diuinæ essentiæ datur ad cognoscendum Deum vt continentem has creaturas potiùs quā aliàs. Huius rei possumus in naturalibus aliquale exemplum adducere: nam continget sępè, vt vno proposito principio duobus hominibus æqualis acuminis intellectualis, vnus ex illo principio educat aliquam conclusionem, & alter aliam omnino diuersam. *Rogas*, vnde hoc proueniat, cum sint æqualia lumina? *Resp.* vel ex defectu specierū in vno, & non in alio, aut verò quia vnius lumen magis determinatum est ad hanc conclusionem, quam alius; & tamen sunt æqualia lumina, licet differant indiuidualiter, non in perfectione intensiua, quam vocant, sed in extensiua.

Obijciet quispiam. Nequit intelligi quomodo duo lumina sint æqualia, & vnum natura sua determinatur ad quasdam creaturas, ad quas non determinatur aliud, nisi ex Dei ordinatione. *Item* illud quod adducitur de concursu Dei dato ad cognoscendum has creaturas, & non alias, pertinere ad ordinationem Dei extrinsecam; nos verò quærimus de eo quod conuenit visioni & luminibus ab intrinseco & ex natura rei. *Resp.* Duplex est ordinatio Dei erga creaturas. *Prima*, qua creaturas iam conditas ordinat ad extrinsecos fines. *Secunda* est intrinseca ipsi conditioni creaturarū, qua creādo creaturas illis indidit proprios fines. Sic produxit aquā vt humectet, ignē vt cōburat, &c. & hæc ordinatio non est extrinseca creaturarū naturæ; sed in ipsorū creatione imbibita. Vnde sicut quādo voluit gratiā producere, voluit esse semen gloriæ, & indidit illi inclinationem ad gloriam subiecti, in quo est, & non ad alia dona percipienda, verbi gratia, salutem, vires, &c. sic quando produxit lumina beatifica in beatorum intellectibus iuxta diuersitatem subiectorum induxit inclinationes, & hoc lumen ordinat & determinat ad hos effectus videndos, & non alios: & hæc ordinatio intrinseca est naturis luminum, non extrinseca: & iuxta luminis diuersitatem datur etiam diuersus concursus ex parte diuinæ essentiæ. Sed quia hoc argum. magni fit à quodam moderno interprete Diu. Thom. existimante non solùm orationes viatorum non videri à Beatis in verbo, sed nec vllam creaturam: quod fundamentum (quidquid sit de orationibus) censeo plus quàm falsum, ideò profundius & extensius examinandum est suo loco. 23

Ex dictis haud difficilè erit alias disputationes minores diffinire. Et sit

---

DISPVTATIO V.

De Sanctis veteris testamenti, quando in Limbo existebant, an inuocandi essent?

1 DE qua re dico. Non fuit mos apud Patres veteris Legis implorare Sanctos in Limbo existentes. *Probatur* ex contextu veteris testamenti, in quo sæpè fundebatur à Patribus antiquis ad Deum oratio, allegantibus merita sanctorum Patrū in Limbo commorantium, *Exod.* 33. 2. *Paral.* 6. *Dan.* 6. nusquā tamen legimus, quod ego viderim, vbi dicatur Abraham, Isaac, &c. orate pro nobis; sicut facimus modo Christiani dicentes, Sācte Petre, &c. orate pro nobis. Et ratio discriminis, & probatio conclusionis est; quia nondum erat illis propalata Sanctorū via, nondum Deo fruebantur: ergo non erat vnde scire orationes nostras possent: ergo in cassum ad eos clamarent. Sancti verò qui modo cum Christo regnant, Dei visione fruuntur, & ibi vident nostras petitiones, vt nuper dicebamus.

Exod. 33. 2. Para. 6. Daniel. 6.

Dicet quispiam, per Reuelationem sciebant, sicut de Sanctis cum Christo regnantibus quidā dixerunt. *Resp.* Sancti, qui Deum vident, sunt iam in statu fœlicissimo Beatitudinis; vbi iam non erit amplius tristitia, aut tædium, etiam de suorum calamitatibus, & vbi nihil deest eorum, quæ desiderare possunt: desiderant autem scire quid de illis dicatur, quis se illis cōmendet, *vt infra art.* 11. videbimus, & ideò ad complementum suæ felicitatis attinet, vt sciant orationes ad eos directas, pressuras, in quibus sui constituuntur, vt illis subueniant: siue hoc sciant in Dei visione; siue per reuelationes peculiares: at verò iusti in Limbo, nondum consequuti fuerant statum fœlicem beatitudinis, & ex alia parte capaces erant tristitiæ, & doloris, auditis suorum ærumnijs: non ergo est vnde colligamus legem generalem reuelationum, quinimò decebat eis non fieri, ne fortè auditis malis suorum, pro quibus subleuandis implorabant, tristarentur, ac anxiarentur. Probat hoc illud quod dixit Dominus Regi. 4. Reg. 22. *Colligam te ad Patres tuos (nimirum existentes in Limbo) vt non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum.* Ecce quomodo non reuelantur hæc Patribus in Limbo. Cum hoc tamen fatemur, aliquādo sciuisse quæ in terris agebantur, siue edocentibus Angelis, siue enarrantibus animabus alijs, quæ ad ipsos transmigrabant, vel fortasse Deo peculiariter reuelante. Ita insinuat Diuus Tho. 1. *p. quæst.* 89. *art.* 8. ex Augustino: sed quod asserimus est, ad eos non solere emitti orationes, quia communiter ignorabant illas.

4. Reg. 22

D. Thom.

Luc. 16.

2 *Obijciet* quispiam historiam *Lucæ* 16. vbi diues epulo orat Abrahamum in Limbo Patrum tunc existentem, & precatur aliqua, quæ non obtinuit: ergo Patres in Limbo solebant orari in veteri testamento, & agnoscebant aliorum petitiones. Nec sufficit dicere, hanc non esse historiam; sed Parabolam inuentam à Christo Domino ad populum docendum: tùm, quia plerique ex Patribus historiam esse affirmant, ex qua potissimè colligunt extitisse Abrahæ sinum, id est, Limbum Patrum deputatum quieti iustorum ante Christi mortem. Tum etiam, quia esto Parabola esset, debuit constitui ex rebus vsitatis; aut quæ verosimilia credebantur ab omnibus: tale ergo erat animas damnatorum videre animas existentium in Limbo, & petere ab eis auxilium, quod est ipsas orare.

Quare ad obiectionem respondetur, supponendo ex Doctrina D. Thom. animas separatas vbicunque sint; etiam si sint animæ damnatorū, posse videre ex naturalibus animas existentium in Limbo; maximè eas, ad quas habent aliqualem determinationem, vt ait fusius 1. *parte. quæst.* 89. *articul.* 4. Et hoc fit magis verosimile, si censeamus cum Abulens. 7. *tomo super Matth. quæst.* 339. & in *Paradoxis*, Limbum Patrum non differre continuitate à loco damnatorum, sed tantùm secundùm situm: tum maximè quia esto valdè distarent, non prohibentur animæ separatæ propter distantiam ad cognoscendum quæ agnoscēda sunt, vt autor est idem sanctus Doctor, *art.* 7. *præfata q.* Quinimò expresse ait *in* 4. *dist.* 50. *qu.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. damnatos ante diem iudicij videre Beatos in gloria. An ex naturalibus? non disputo, sicut nec an discreuerit diues epulo animā Lazari & Abrahæ ab alijs animabus ex naturalibus, an Dei peculiari dispensatione, & agnouerit Abraham sibi loquentem hæc, vel hæc.

D. Thom.

Abulens.

D. Thom.

Quibus suppositis, respondeo primò, Dei ordinatione speciali factum esse; vt Abrahā agnosceret postulationem epulonis, & ipsi hoc innotesceret, sicut eadem Dei ordinatione fieri posset, vt petitiones alicuius viuentis innotescerent alijs Patribus in Limbo existentibus. In quo casu non dubito eos posse exorari, vt essent intercessores apud Deum, sicut eius charissimi amici. Nos verò loquimur in assertione de ordine commune & generali, iuxta quem nesciunt mortui, (præter Beatos) quid agant viui. Secundò respondetur. Esto animæ separatè agnoscant animas alias separatas, & quid agant, & consequenter possint interpellari ab eis animæ in Limbo existentes, inde tamen non infertur, in veteri testamento fuisse exoratos iustos in Limbo existentes à superstitibus in seculo, quia vt ait August. lib. de cura pro mortuis: *Nesciunt mortui quid agant viui.* Vt latè deduxit D. Thom. in art. 8. quæst. prædictæ, ex quo innotescit non debuisse orari Patres in Limbo existētes à viuis. Idem dico de Elia & Enoc raptis in Paradisum. 3

August.

D. Thom.

DISPVTATIO VI.

An licitè possimus inuocare animas in Purgatorio existentes, vt pro nobis viuentibus interpellent communem Dominum?

COmmunis sententia est non esse inuocandas. Ita omnes antiqui Doctores, & D. Tho. *in solutione ad tertiū huius art. & art.* 11. *ad* 3. & post illum omnes eius discipuli: 1

D. Thom.

D. Anto. Abulens. Syluest. Nauar. discipuli: idem tenet *Alens. 4. part. quaest. 26. memb. 3. ar. 5. §. 1. quaestiun. 3.* D. Antonin. *4. part. titu. 5. cap. 3. §. 2.* Abulens. *in 6. cap. Matth. quaest. 87.* *Syluester. verbo oratio, num. 3.* Nauarr. *in enchir. de oratione cap. 1. nu. 22. &* discipuli D. Tho. *in 4. dis. 15.* Prob. *Primò* quia animae existentes in Purgatorio non audiũt, nec intelligunt orationes nostras, nec decet eis reuelari nostras indigentias & aerumnas, sicut de animabus in Limbo dicebamus: ergo inutiliter ad eas sermonem dirigimus vel petitiones. *Secundò*, quia animae in purgatorio existentes non orant pro nobis, *vt ostendetur ar. 11. seq.* ergo frustra inuocamus eas poscentes earum adiutoria, quae nulla dare possunt, nisi orando Deum pro ijs, qui se illis commendant. *Tertiò.* Nusquam in officio ecclesiastico, vbi variè ponuntur orandi formulae, legimus orationes viuorum dirigi ad animas Purgatorij: ergo signũ est eas non esse orandas.

2 Gabriel. Medin. Oppositam sentent. videntur significare Gabriel *in Canone lect. 58. circa finem*, Medina *Cod. de orat. qu. 4. & 5.* quę potest iuuari ex vsu fidelium se animabus Purgatorij commendantium. Sententia tamen communis non est deserenda. Nec puto affirmatiuam esse probabilem, cum nullum illius videam firmum fundamẽtum: nisi fortè velis dicere hoc opus charitatis, & pietatis, quod exercent viui, non esse animabus sanctis denegãdum sine vrgẽti ratione. Nos autem vrgentes putamus allatas pro communi sententia. *Quibus quidam conantur respondere*: primae, quia animę Purgatorij cognoscere possunt orationes nostras, manifestantibus Angelis custodibus earum, vel eas exorantium: sed hoc gratis asseritur cũ enim Angeli custodes post obitum suorum clientulorum, & deductionẽ suarũ animarum ad Purgatorij loca, iam expleuerint suae custodiae munus, non est vnde colligamus eos assistere in Purgatorio, nũtiantes viuorum aerumnas, vt pro illis subleuandis orent, quinimo nec decet, vt de Patribus in Limbo dicebamus, onerarentur, potius quã subleuarentur auditis nostris calamitatibus, & estò gaudium aliquod posset illis inde obuenire, cum sint in statu satis factiuo per afflictionem, non est cur fingamus eas cõsolationibus leuari. Illud verò quod ait Medina: *Licet non cognoscant* (inquit) *illae animae orationes ad eas fusas, possunt tamen orare generaliter pro his, qui se illis commendant.* Haec respõsio non euadit quin petitiones ad ipsas inutiles sint, quia petere ab ignorante petitionem, certè inutile est. Nec etiam satisfacit quod quidam dicunt: Animabus Purgatorij, quando in coelo resident, manifestari petitiones eorum, qui se illis commendarent, & tunc orare pro eis: quia cum viui nec per se, nec per alium colloquia cum animabus Purgatorij miscuerint non cognoscentibus ad ipsas petitiones derigi, non sunt dicendi eas orare, aut ab eis aliquid petere. *Illud verò quod obijcitur* de more fidelium se commendantium animabus Purgatorij nihil probat, cum his & similibus occupetur rude vulgus, sicut in implorando opẽ animarũ Purgatorij pro custodia peccatorum, pro inuentione rerum perditarum, &c. Sapientes quidem eis opitulantur suis suffragijs, ab ipsis verò nihil petũt propter rationes à nobis factas, quae vrgentiores sunt, quam tradita ab *Alensi. 4. part. quaest. 92. memb. 1. ar. 3.* videlicet quia non sunt in statu merendi, aut accipiendi praemium. Alensis

---

DISPVTATIO VII.

An licitè oremus viui viuos, vt orent pro nobis?

SIT nostra *assertio.* Sanctè & licitè interpellamus viui viuos, maximè eos, quos credimus fauore apud Deum pollere, vt intercedant pro nobis coram Domino. *Prob. 1.* ex autoritatibus sacrae Scripturae, Iob. 5. *Voca si est qui qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Dices. Hoc dixit Eliphaz, sicut alia dogmata falsa, contra Iob. Respondetur. In illis fuit ab Iob vel à Deo reprehensus, in hoc minimè: sed potius cap. 40. iussit Deus amicis Iob. vt ab eo peterent sacrificia, & orationes, & intercessione eius eis Deus condonauit offensam. Hier. 42. dixit populus Iudaeorum ad Hieremiam prophetam: *Cadat oratio nostra in conspectu tuo, & ora pro nobis ad Dominum.* Baruch 13. qui erant captiui in Babylone, dicunt ad eos qui erant Hierosolymis: *Pro nobis ipsis orate ad Dominum.* Et Paulus saepe petit fideles vt pro eo orent, ad Roman. 15. ad Colos. 4. primae ad Thess. 5. secundae ad Thessalonic. 3. Iacobi 5. *Orate pro inuicem vt saluemini*, & ibidem, *Multum valet deprecatio iusti assidua.* Secundò. Orationes viuorum pro alijs saepè exaudiuntur, ergo licet eas petere. Antecedens patet, Gen. 20. Abraham orat pro Abimelech; audita est oratio eius. Exod. 33. Moyses sexingentis millibus pugnatorum veniam impetrauit. 3. Reg. 17. & 18. Helias orauit, & coelum clausit ne plueret tribus annis, & rursus orauit, & pluuiam largissimam impetrauit. Stephanus orans pro persecutoribus, Pauli conuersionem impetrauit; & Paul. *Actor. 17* connauigantibus submersionis euasionem. His testimonijs etiam ipsi haeretici concedunt, esse licitum & pium orare iustos in carne viuentes, vt pro nobis apud Deum intercedant. 1 Iob 5. Hier. 4. Baruch 13 Ad Ro. 15. Ad Colo. 4 1. ad The. 5 2. ad The. 3 Iacob 5. Gen. 20. Exod. 33. 3. Reg. 17. & 18. Act. 17.

Ab hac assertione excipimus excommunicatos, à quibus non licèt orationes pro nobis petere, saltem publicas. *Prob.* quia omni publica cõmunione suffragiorum priuantur. *Et si arguas.* Licet priuatim & in occulto orare pro excommunicato: ergo & petere ab eo orationes priuatas. Antecedẽs est Syluest. *in summa, verbo excõmunicatio. §. 2.* Conf. licitè potest ipse orare pro me: ergo & licitè possum ab eo petere orationes. *Respondetur.* Nõ licet cõmunicare cum ipso: vnde cũ nõ possimus petere nisi cõmunicando, nõ licèt ab eo postulare orationes, nisi fortè in casu aliquo, sicut in casu, in quo licet cũ excõmunicato cõmunicare, de quo latius in materia de excommunicatione. Syluest.

3 An peccatores sint interpellandi. In huius controuersiae fine est non contemnenda dubitatio, *an peccatores, de quibus certò scimus esse in peccato mortali, sint interpellandi, vt orent pro nobis ad Dominum?* Dixi, de quibus certò scimus esse in peccato mortali, quia si nõ sit certũ semper credendũ est piè ipsos nõ esse inimicos Dei. *Et videtur*

vera

vera pars negat. primò nequeunt esse intercessores & patroni pro nobis apud Deum: ergo non sunt rogandi, vt orent pro nobis. *Probatur antecedens.* De ratione intercessoris & patroni est, vt sit gratus vel saltem fauore polleat erga eum, apud quẽ intercedit: sed qui sunt in peccato mortali sunt Dei inimici, ipsi inuisi, & nihil pollent meritis: ergo nequeunt esse nostri intercessoris apud Deum. *Confirmatur* in humanis Qui pro impetrando à Rege aliquid adhibent intercessorem inimicum Regis ab ipso abiectum, non solum ineptè faceret, verùm & iniuriam faceret Regi: ergo pariter dicendum est de eo, qui precatur manifestum peccatorem, vt pro se oret. *Gregor.* Vnde Gregor. in pastorali: *Cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.* Confirmatur secundò. D. Tho. in art. 10. seq. ad 1. inquit: *Orationes beatorum pro nobis habent efficaciam impetrandi ex præcedentibus eorum meritis, & ex diuina acceptione.* Sed in peccatoribus nulla sunt merita, & si quæ habuerunt sunt mortificata: ergo non est vnde orationes eorum habeant efficaciam impetrandi: ac ex consequenti non sunt rogãdi, vt pro nobis orent. *Secundò*, nam si non obstat esse Dei inimicos, vt rogare possimus, quod pro nobis orent: sequitur nos rogare posse dæmones & damnatos, vt orent pro nobis : quod tamen asserere impium est.

4 *In oppositum est.* Nam quod alicui licet facere, licet petere, vt faciat, sed licitum est peccatoribus, vt orent pro nobis: quis enim condẽnet malitiæ, aut imperitiæ peccatores, qui pro suis orãt? ergo licitum est petere ab eis vt pro nobis orent. *Secundo.* Orationes peccatorum sæpè exaudiuntur, vt *infra art.* 16. ergo licet eas petere ab ipsis. *Dices.* Exaudiuntur pro se, non pro alijs: & vnde habetur, quod nõ pro alijs? *Tertiò.* Orationes, qua ratione impetratoriæ sunt, innituntur præcisè Dei benignitati, & misericordiæ, vt infra latius constabit, sed diuina misericordia etiam respicit peccatores, & pro sua benignitate eos exaudit: ergo non est cur recusemus eos interpellare vt orẽt pro nobis: quia aliquando obtinebunt petita à Dei misericordia.

5 *Hæc pars affirma.* placet mihi propter argumen. allata, maximè propter tertiam rationem, quæ fundamentalis est. Vnde ad argum. pro parte negatiua sigillatim est respondendum. *Ad primum,* quod si in rigore sermonis stemus, quando rogamus peccatores vt pro nobis orent, non apponimus intercessores, aut patronos, vt argumentum probat : sed multiplicamus interpellantes Dei misericordiam, qui dignatur aliquando exaudire petitiones inimicorum : quare negatur consequentia. *Ad primam confirmat.* etiam negatur consequentia, quia sicut exaltantur cœli à terra, excedunt viscera pietatis diuinæ, pietatem hominum: vnde apud Deum valet aliquando deprecatio peccatoris, licet plus iusti, potissimè assidua. *Ad secundam confirm. resp.* ex duplici capite prouenire efficaciam orationibus iustorum: ex meritis eorum, ad quæ Deus respicit, & ex Dei benignitate. Primum non reperitur in orationibus peccatorum: & secundo totaliter innituntur, qui est potissimus titulus impetrandi. Quod vel ex eo patere potest, quia aliquando minus sancti efficacius exaudiuntur, vt notat D. Tho. *infra art.* 10. *D. Thom.* ergò à posteriori, signum est, impetrationem initi in Dei misericordia, non in meritis petentis: cum quo tamen stat, quod Deus & respiciat, & sæpè merita petentium. Quare orationes iustorũ sunt potius desiderandæ & petendæ, quàm orationes peccatorum. Ad *vlt. resp. negando conseq.* tum quia damnati & dæmones sunt inimici Dei immobiliter, atque adeò repulsi ab officio petendi aliquid à Deo: tum quia sunt adeò obstinati in malo, vt nullum motum bonum exercere velint, & multo minus petere pro nobis bona. Et si obijcias diuitem epulonem orasse ne fratres eius venirent ad locum tormentorum. Respondetur. Suo malo exemplo illi multa commiserant peccata, propter quæ, si venirent in infernum, ipse amplius puniretur supplicio, quod appellant accidentale, & ideò pro se petebat, non pro suis fratribus.

ARTICVLVS V.

Vtrùm in oratione debeamus aliquid determinatè à Deo petere?

Paraphrasis Articuli.



1 HIC, & immediatè sequens articulus circa petenda in oratione versantur. & in hoc D. Thom. tam in corpore, quam in argumento tertio *D. Thom.* supponit, mala culpæ nõ esse à Deo petenda: Et hæc sit prima huius art. conclusio: quæ *probatur.* Non licet petere, nisi quæ desiderare licet, mala autem culpæ desiderare non licet: ergò nec à Deo petere. Item quia si talis petitio fieret, ea protestaremur, Deum esse patronum peccatorum, quod peccatum mortale est, etiãsi res petita culpa venialis sit: ad eum modum, quo dicimus iuramentum assertorium falsum in materia leui, esse peccatum mortale: cum nesciat diuina iustitia patrocinium præstare criminibus, vt luculenter tradidit D. Chrysost. hom. 42. in imperfect. & D. Ambr. circa illud Psal. 108. *Et oratio eius fiat in peccatum,* Serm. 22. in Psa. 118. *Chrysost. D. Ambr.* Item propter eamdem rationem, non licebit petere à Deo permissionem peccati ab ipsomet postulante cõmittendi, & intuitu obtinendi ea via maiorem sanctitatis apicem: quia peccatum non est mediũ ad huiusmodi profectum, sed potius destruit omne spirituale bonum. Quinimò nõ licet petere denegationem auxilij efficacis, ad hoc vel illud opus bonum: quia hoc obiectum malum est homini, & infallibiliter inducit peccatum. Nec obstat hæc mala esse à Deo volita, nã non quidquid Deus vult voluntate efficaci , licet hominibus velle, vt latius docetur 1. 2. *quæst.* 19 *art.* 9. & 10.

2 Suppositum autem , sola bona esse petenda à Deo, quæ diuidit D. Thom. in bona, quæ possessa *D. Thom.* possunt malum euentum afferre: cuiusmodi sunt tempo-

temporalia bona, putà, bona fortunæ, vt diuitiæ, honor, fama, salus, vita, & huiusmodi, de quorum petitione, an licita sit, agit in art. sequenti. Alia bona sunt, quibus homo non potest malè vti: quia scilicet malum euentum afferre non possunt: hæc autem sunt, quibus beatificamur, & quibus beatitudinem meremur: cuiusmodi sunt auxilia diuina, virtutes, & ipsa Dei fruitio, & de his ait, Sanctos ea absolutè petere, Psal. 79. *Ostende faciem tuam*, & 118. *Deduc me in semita mandatorum tuorum*. Et hæc sit secunda conclusio huius artic.

Psalm.

D. Thom. Circa quam *aduertendum* D. Tho. hic accipere, determinatè, pro absolutè, id est, sine vlla conditione, & prout specialiter, & in particulari petere. In vtroque, præcipuè in hoc postremo sensu eliditur sententia Socratis apud Valer. Maximū dicentem de illo, lib. 7. cap. 2. *Socrates humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, nihil vltra petendum à Dijs immortalibus arbitrabatur, quàm vt bona tribuerent, quia hi demum scirent, quid vnicuique esset vtile; nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret. Etenim densissimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quam latè patentem errorem cæcas precationes tuas spargis, diuitias appetis, quæ multis exitio fuerunt, honores concupiscis, quæ complures pessumdederunt. Regna tecum ipse voluis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur, splendidis coniugijs inijcis manus: at hæc vt aliquando illustrant, ita nonnunquam domos euertunt. Desine igitur stultè futuris malorum tuorum causis, quasi fœlicissimis rebus inhiare, teque totum cœlestium arbitrio permitte, quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt.* Similiter etiam reprobatur error Viclephi, & quorundam hæreticorum, qui dicebantur illuminati, sentientes nihil esse petendum à Deo, nisi vt fieret voluntas eius: quos omnes damnauit sapientia Patris Matthæi 6. docens orare discipulos suos, non tantum illa petitione: *Fiat voluntas tua*, sed alijs sex contentis in oratione Dominica: damnauit etiam vsus sanctorum vtriusque testamenti, multa in particulari à Deo petentium, id est, absolutè: bona spiritualia posse peti expressè ait Diu. Thom. quod pressius statim examinabitur. Hæc de litera Diui Thomæ.

Valer. Maximus *VViclephus.* *Matt. 6.* *D. Thom.*

DISPVTATIO I.

Circa primam Conclusionem.

An mala pœnæ liceat petere à Deo, vel sibi vel alijs?

3 Resolutio est affirmatiua, satis probata ex vsu Sanctorum, & ex sacris Literis. Insuper quia mala pœnæ sunt ordinabilia ad bona plura, quæ ex eorum inflictione nascuntur: cur ergo non licebit ea à Deo petere? verbi gratia, egestatem, afflictionem, & huiusmodi. *Obseruandum tamen*, multa mala pœnæ esse, quæ licet nobis desiderare & petere, non tamen ea inferre: verbi gratia, ægritudo, mutilatio mors, & propria infamatio: quia huius generis mala licet desiderare, vt ab alijs infligenda, non vt à nobis inferenda. Hoc orationis genere vsi sunt sæpè Sancti: iuxta illud Psalm. 25. *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum.* Non est tamen accommodatum pro imperfectis: qui malis hisce pressi deficiunt. De imprecatione verò horum malorum pro alijs, & quomodo licitè fiat: infra art. 8. ad 1. & 2. *Psalm.*

DISPVTATIO II.

Circa secundam Conclusionē.

An liceat petere à Deo bona spiritualia absolutè, & sine vlla conditione, putà, si ea habere expediat ad spiritualem salutem?

Et videtur vera pars negatiua: *primò*, quia licet hæc bona de se egregia sint, & non possint esse principia alicuius mali, tamē ob fragilitatem subiecti, possunt esse occasio ruinæ, verbi gratia, præsumptioni, vel superbiæ, ergo non sunt absolutè petenda, sed sub conditione expressa, vel tacita: si ea habere expediat ad salutem. *Dices*, hanc occasionem mali esse omnino per accidens, & extraneam illis spiritualibus bonis. *Contrà*, nam hanc occasionem vitare tenemur, & parum refert ad nostrum detrimentum, quod per se vel per accidens fiat, si cum effectu posita illa occasione futurum est, & sine illa non esset: ergo in petendis his bonis semper hanc intentionem retinere debemus, vt si Deus præsciat, nobis esse futura occasionem ruinæ, illa non largiatur. 1

Secundò. Aliqua bona spiritualia à Deo petimus, quæ scimus Deum decreuisse quibusdam nō dare: cuiusmodi est auxilium efficax: ergo saltem in huiusmodi petendis debemus apponere, vel subintelligere conditionem: nisi Deus decreuerit non dare. Probo consequentiam, aliàs oratio nostra non esset conformis diuinæ voluntati.

Tertiò. Eximia sanctitas, qualis fuit in Apostolis, & Beata Virgine, magnum bonum spirituale est: at hanc petere non licet nec absolutè, nec sub conditione.

Quartò. Auxilium sufficiens & præueniens ipsum orandi actum, magna bona spiritualia sunt, quæ tamē nō debent peti in oratione à Deo: primum quia Deus est paratus omnibus dare, vnde superfluè peterētur; sicut superflua esset petitio, quod sol oriatur, Deus enim facit illum oriri, siue petatur, siue non petatur. Secundum etiam, id est auxilium præueniens orationem ipsam, nequit peti, vt perspicuè patet: ergo non omnia bona spiritualia à Deo petenda sunt in oratione.

His non obstantibus secunda conclusio D. Th. tenenda est, & communiter ab omnibus approbatur, & certè cum isthæc bona maximè conducant 2 *Vera sententia.*

cant ad Dei gloriam, & nostrum profectum, si quæ petenda sunt, hæc sunt. Vnde ad *argumenta in oppositum respondetur*, & imprimis quidem, si sermo fit de bonis spiritualibus, sine quibus prima, aut vltima salus nequeat comparari, aut conseruari: cuiusmodi sunt prima iustificatio, auxilia præuenientia, aut concomitantia ad eam necessaria, donum perseuerantię, gratia, fides, spes, ac charitas: de his inquam argumētum non procedit, quia euidens est, illam conditionem, vt petantur, non esse necessariam, imò nec possibilē, quia defectus talium bonorum necessariò infert nostram spiritualem ruinam, ergo nunquam possessio horum bonorum potest esse occasio ruinæ ex fragilitate recipientis, & estò esset multo maior ruina accideret si abessent: præcipuè, quia sine his nulli potest patere salus. *Argumentum* igitur tantum procedit de bonis spiritualibus necessarijs ad melius esse, vt charitas eximia, status religiosus, excellens contemplatio, reuelationes crebræ, & huiusmodi: & de his benè in argumēto responsum est, per accidens occasionem ruinæ præbere ex fragilitate subiecti. Ad *replicam verò in articulo sequenti respondebitur*, ne eadem sæpius repetamus.

3 D. Thom. Ad *secūdū respondetur* verbis D. Th. in solutione ad secūdū huius articuli sic dicētis: *Ad secūdū respōdetur, quod cùm orando petimus aliqua, quæ pertinēt ad nostrā salutē, cōformamus volūtatē nostrā voluntati Dei, de qua dicitur 1. ad Timoth. 2. quòd vult omnes homines saluos fieri.* 1. Tim. 2. Circa quę verba nota, duas in Deo cōsiderari voluntates; quandam antecedentem, qua vult nos saluos fieri: alteram subsequentem, per quam interdum saluari vult, interdum condemnari, & denegare condemnandis auxilia efficacia, quibus conuertantur. Primæ voluntati tenemur conformari in oratione, petendo auxilia omnia necessaria ad salutem: Quia hanc voluit Deus nos sumere vt regulam nostrorum actuum, at secundæ posteriori voluntati nequaquam, in petendo auxilia necessaria. Etenim illa prior voluntas, vt potè nostro modo intelligendi anterior, est quasi præceptiua, & quatenus imponit nobis obligationem procurandi omnia media, faciendumque quantum in nobis est, vt impleatur: at secunda non est regula nostrarum actionum, nec nobis, qui ei non tenemur conformari, imponit obligationem vllam. Vnde nō est formidandum bona, quæ decreuit Deus non dare, petere. An verò, si certò sciamus decretum illud, possemus ea petere? Alibi dicetur.

4 Ad *tertium argumentum respondetur*, quod licèt illæ eximiæ sanctitates secundùm se spectatæ sint desiderabiles, & vnicuique valdè conuenientes, & consequenter secundum se postulabiles, tamen ex parte subiecti, & propter decretum diuinum, quo voluit certas quasdam personas, & non alias tanto sanctitatis culmine donare, vt responderet sanctitas, & proportionaretur summæ dignitati Beatæ Virginis, & muneri Apostolici chori, præsumptuosum, & temerarium est eum gradum sanctitatis actu absoluto, & efficaci desiderare, & petere. Dixi, *actu absoluto*, quia velleitate quadam, quæ potius est complacentia in præfato sanctitatis gradu, non esset temeritas eam velle. Per hoc tamen non negamus, licitum esse petere Deo eximiam sanctitatem, determinare autem certum gradum, verbi gratia sanctitatem Diui Laurentij, aut Diui Antonij, non condemnarem, licèt fortasse ad curiositatem pertineret, talem modum orandi exercere.

Ad *quartum respondetur*, auxilium sufficiens petendum esse à Deo, quia, vt supra docuimus, semper, aut ferè semper, decretum est à Deo dare media oratione: secus est in temporalibus, vbi quamplurimi effectus decreti sunt à Deo dari sine oratione. Ad illud verò de auxilio antecedenti ad orationem: respondetur esse impossibile illud petere in ea oratione, quam præuenit, cùm perspicuum sit, illud præcedere orationem, & illam non posse fieri sine illo orationem præueniente.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm homo debeat temporalia à Deo petere orando?

Summa Articuli.



CONCLVSIO est. Licet petere à Deo bona temporalia, non quidem principaliter, sed sicut quædam adminicula, quibus adiuuamur ad tendendum in beatitudinem: hoc est in quantum per ea corporalis vita sustentatur, & in quantum nobis organicè deseruiunt ad actus virtutum. Priorem partem conclusionis probat D. Thom. ex oratione Sapientis. Prouer. 30. *Tribue victui meo necessaria.* D. Thom. Prou. 30. Vtrámque verò partem ex testimonio diui Augus. in Epistola 121. ad Probam. August. Quibus non obstat, in sacra Scriptura reprobari solicitudinem temporalium, sermo enim est de solicitudine nimia, & superflua. Item non obstat, per possessionem temporalium deprimi mentem hominum. Hoc enim tantum contingit, quando animus quiescit in temporalibus, non verò quando petuntur, vt media ad beatitudinem.

DISPVTATIO I.

An bona temporalia sint absque conditione postulanda?

DOCTOR Angelicus in articulo videtur docere, bona temporalia non esse à Deo petenda absolutè, sed sub conditione, quatenus deseruire possunt ad beatitudinem consequendam: quod tamen videtur falsum. Primo Genes. 28. (ait Iacob) *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, &* 2 Genes. 28.

dum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum. Ecce petitionem bonorum temporalium nulla posita conditione. Et Prouerb. 30. *Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria.* Et Matth. 6. in oratione Dominica: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Vbi iuxta quorundam Patrum citandorum expositionem, absolutè petitur panis corporalis, imò & quælibet necessaria ad edendum.

Prouer. 30.
Matth. 6.

Secundò. Licitum est possidere bona temporalia, honores, diuitias, &c. siue conducant ad beatitudinem, siue non: quis enim damnet eos qui ista possident, eo quod possident? ergo etiam licet ea cupere, & à Deo absolutè petere, quamuis non exprimatur conditio illa, nec intelligatur, si prosint ad Beatitudinem consequendam, sicut licèt ea absolutè habere.

Tertiò contra id, quod ait D. Tho. in corpore art. non licere petere bona temporalia principaliter, vt in eis finem constituamus. Nam, sub hac ratione nec spiritualia licet petere, vt in illis finem vltimum constituamus: esset enim graue peccatum in aliqua creatura finem vltimum constituere.

Quartò. Qui petunt bona temporalia sine illa relatione, aut ordine virtuali, aut formali ad beatitudinem consequendam, non peccant. Probatur in ijs, qui existunt in peccato mortali, & in infidelibus, qui nihil cogitantes de beatitudine, desiderant, & petunt à Deo temporalia, verbi gratia, sanitatem, incolumitatem Patriæ, honorem debitum, & similia: istos autem damnare, nimis falsum videtur, & eosdem apparet non referre hæc temporalia ad beatitudinem, nec formaliter (vt suppono) nec virtualiter, cum careant gratia, & charitate, per quas fit huiusmodi relatio.

Quintò. Si bona temporalia non sunt profutura ad beatitudinem, Deus illa non dabit, frustra igitur apponitur in oratione illa conditio, si sint conducibilia ad beatitudinem.

Sexto. Quædam sunt bona temporalia, quæ licitè desiderantur absolutè nulla adhibita conditione: ergo licitè ea petuntur. *Consequentia* nota est ex axiomate D. August. ad Probam, quod licet desiderare, licet petere. *Antecedens probatur,* in vita corporali, incolumitate eiusdem, & in victu, & vestitu parco: ex quibus priora necessaria sunt naturæ, posteriora ad conuenientiam naturæ. Et *confirmatur.* Nam isthæc commemorata in argumento propter se appetibilia sunt: quædam quia sine illis natura consistere non potest, quædam propter conuenientiam cum natura rationali, verbi gratia, corporis integritas, sanitas, scientia, cognitio rerum naturalium. Ergo absolutè desiderabilia, propter eam bonitatem intrinsecam, quam includunt, instar virtutum, quæ ob hanc rationem dicuntur per se appetibiles: proinde postulabilia sunt sine vlla conditione expressa, vel tacita. Nemo enim sine temeritate damnabit eos, qui huiusœmodi bona, nulla posita conditione petunt.

August.

Septimò. Fundamentum, & radix vnde oritur, bona temporalia non esse absolutè & sine conditione præfata petenda à Deo, ea est: quia temporalia sunt indifferentia ad bonum, vel malum vsum, & possunt esse instrumenta vitiorum, & occasio. At hæc ratio non est sufficiens: nam pari ratione deberemus dicere virtutes morales, & earum actus non esse petenda à Deo absolutè: cuius contrarium in præcedenti articulo docuimus. *Sequela patet,* quia virtutes, & earum actus possunt esse occasiones ruinæ per superbia & præsumptionem. *Dices,* virtutes per accidens esse occasionem ruinæ: bona temporalia per se. *Item:* bona temporalia frequentius, virtutes rarò. *Contrà,* nam si vtraque bona sunt occasio ruinæ: siue ruina contingat per se, siue per accidens, persona orans & timens ruinam, debet petere vtraque à Deo sub conditione, ne ruat: vel si quædam potest petere sine conditione, etiam & alia. *Item,* quia illud discrimen secundo loco positum inter bona temporalia & spiritualia, solùm ostendit differentiam penes magis vel minus, quod parum refert in præsentiarum. *Confirmatur,* quia quædam virtutes morales sunt, quæ non minus periculum afferunt ruinæ, quàm temporalia bona, in quibus fundantur, verbi gratia, magnificentia, eutrapelia, & huiusmodi.

Octauò Qui petierit à Deo ingentes thesauros, diuitias superfluas, honores nimios, robustissimas vires: quamuis apponeret illam præfatam conditionem, peccaret ambitiose: vel adminus esset imprudens: ergo ad petenda à Deo bona temporalia, non satis est apponere illam conditionem, si conducunt ad vitam æternam, sed oportet exprimere, aut subintelligere moderatam quantitatem bonorum temporalium. *Antecedens patet,* quia Sancti id non petunt, quin potius refugiunt, vt rem plenam laqueis, & periculis, qui autem amat periculum, in eo peribit. *Confirmatur:* nam in sacris Literis, & apud Sanctos malè sonat, diuitias, honores, & similia quærere: ergo & petere siue sub conditione, siue sine illa. Antecedens patet Matth. 6. *Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & reliqua omnia adijcientur vobis.* & ibidem. *Nolite soliciti esse, quid manducetis, &c.* Origenes super illud, *Hoc est præceptum meum. In domo Domini Iesu Deum nostrum non quærimus, si in æternitatis templo pro temporalibus oramus.* Matth. 6.

3 De hac re duas reperio sententias. *Prima est communis,* & videtur esse D. Thom. in hoc artic. quam etiam tenet Alexander Alensis in *dicta sententia, quæst. 26. artic. 3. §. 1.* videlicet, bona temporalia non esse petenda à Deo absolutè, sed sub conditione, si conducant ad beatitudinem, & futura sint media ad virtutes; quòd si aliter petantur illicitè petuntur. Eamdem sententiam tenet Medina *codice de pœnitentia, quæst. 3.* & Syluester *verbo oratio, quæst. 5.*

Prima sententia. D. Thom. Alens. Medin. Syluest.

Secunda sententia affirmat bona temporalia omnia posse absolutè peti, præter quàm quando cum excessu aliquo, vel abundantia, aut sine moderata limitatione petuntur: hanc sententiam tenet Franciscus Suarez, *secundo tomo de Religione lib. 1. c. 17.* mouetur præcipuè argumento. 6. cum sua confirmatione, & hanc esse sententiam D.Thom.

2. Sententia. Suarez.

D. Thom. D.Thom. conatur defendere, sed sine fundamento firmo. Pro decisione *præmittendum est* ex Philosopho, bona temporalia quędam esse bona naturæ, vt vita, salus, corporis integritas, potentiæ animę & corporis, ad quam classem reducitur libertas: quædam esse bona fortunæ, vt diuitiæ: quędã medio modo se habentia, vt honor, & fama. *Rursus* bona temporalia in sua vniuersitate spectata, quædam sunt necessaria ad cõseruationem naturæ rationalis, vt vita, salus, victus & vestitus: quædam verò consistunt in mediocritate quadam, ad prioris generis bona conseruanda, v. g. parcus victus & vestitus, opes moderatæ: alia verò consistunt in excessu & superabundantia, vt ingentes diuitiæ, magni honores, & similia.

4 *Vera sententia.* His suppositis *dico primò*. Bona temporalia necessaria ad conseruationem naturæ rationalis, vt vita, corporis integritas, &c. possunt peti absolutè, id est sine vlla conditione expressa, vel tacita. *Prob.* nam huiusmodi bona per se sunt appetibilia, sicut ipsa natura, & habẽt in se bonitatem moralẽ, vnde appeti possint: ergo absolutè & per se sũt postulabilia. *Secundò*. Huiuscemodi bona per se loquendo non sunt occasio ruinæ & periculi ad peccandum, saltem illius periculi, quod vitare debemus: aliàs deberemus amputare vitam, morbos inferre, mutilare membra, vt occasionem mali vitaremus: quod plus quàm falsum est. *Quod si obijcias* D. Thom. vniuersaliter, de omni genere bonorum temporalium, D. Thom. asserere esse postulanda sub conditione præfata, videlicet quatenus sunt media ad beatitudinem. *Respondetur*, sanctum Doctorem esse intelligendum sicut D. August. *in loco ab ipso citato*, super quo D. Augus. fundat suam sententiam. Nimirum de petitione bonorum temporalium, quæ circunstant & accidentariò coniunguntur naturæ rationali: qualia sunt illa, quæ non necessaria sunt ad consistentiam naturæ rationalis in esse naturali, vel morali: quod agnoscetur ab attentè legenti verba D. Thom. & D. August. qui in Epistola citata ad Probam. cap. 6. & sequentibus, cum dixisset: *Si optant sibi ac suis sufficientiam rerum necessariarum, &c.* post adductum locum. Prouer 30. adiungit paucis interiectis: *In his itaque omnibus, incolumitas hominu, & amicitia propter se ipsa appetuntur, sufficientia verò rerum necessariarum, non propter se ipsam, sed propter duo superiora quæri solet, cum decenter quæritur.*

D. Thom. D. Augu.

Ex quibus verbis colligere licet, bona temporalia quædam esse propter se appetibilia, & consequenter postulabilia: imò ex eisdem verbis extendenda est assertio ad bona quædam temporalia, quæ licet ex suo genere non sint per se appetibilia, sed indifferentia ad bonum & malum: tamen in casu quo necessaria sint ad conseruationẽ, vel consistentiam bonorum cõmemoratorum, quibus natura rationalis consistit, possunt licitè peti absolutè, & sine vlla limitatione: quia hic, & nunc non possunt conseruari sine istis: verbi gratia, panis, aqua, victus, quandoque ita sunt necessaria, vt incolumitas sine ipsis conseruari non possit: & in eo casu, & similibus licèt non sint appetibilia propter se, tamen absolutè sunt petibilia: patet, quia de illis procurandis in his casibus est præceptum: ergo absolutè peti possunt, sine vlla limitatione.

Dico secundo. Bona temporalia non necessaria ad conseruationem, vel consistentiam, seu integritatem naturæ, non possunt peti licitè, cum excessu aliquo, abundantia, aut sine moderata limitatione. *Probatur*, quia hæc bona non sunt propter se appetibilia, vt pote cum sint indifferentia ad bonum vel malum vsum: ergo nisi apponatur expressè, vel explicitè conditio, & limitatio posita à Diuo Thoma non decenter petuntur. Item, talis abundantia vt plurimum periculosa est habentibus, iuxta illud primæ ad Timothe. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & in desideria multa & nociua, &c.* Et Christus Dominus: *Impossibile est* (Id est difficile) *Diuitem introire in regnum Dei.* Et in parabola seminatoris diuitiæ comparantur spinis, quæ suffocant verbum Dei: ergo. 5 1. Tim. 6.

Dico tertiò. Bona temporalia non necessaria simpliciter ad consistentiam, & conseruationem naturę, sed in quadam mediocritate consistentia, non possunt peti absolutè, & sine vlla limitatione: sed vt benè petantur necesse est apponi, vel subintelligi limitationem, in quantum conducibilia sunt ad beatitudinem consequendam, vel ad vitam honestè transigendam. Hæc assertio est D. Augustin. in loco citato, vbi ait. *Vides certè & istam sufficientiam non appeti propter se ipsam, sed propter salutem corporis, & congruentem habitum personæ hominis, quo habito non sit inconueniens eis, cum quibus honestè & officiosè viuendum est.* En limitationem, vt expressè habetur in D. August. & D. Thomas *in articu.* immediatè præcedenti, ait, sententiam Socratis (qui certè loquebatur de bonis temporalibus: diuitijs, etiam in mediocritate consistentibus: asserens nõ esse à Deo absolutè petenda) esse aliqualiter veram, quantum ad illa, quæ possunt malum euentum habere: cuiusmodi sunt diuitiæ, etiam mediocriter habitæ. Et *in hoc artic.* expressè, & generaliter asserit bona temporalia esse petenda cum limitatione. 6 D. Augu. Socrat.

Dices Loquebatur D. Thom. quando exiguntur in excessu: glossa est sine fundamento. Maximè (quia vt dicemus) fortè cum hoc excessu nequeunt postulari à Deo, nec cum limitatione, nec sine illa: de quo inferius. *Item* hæc bona, etiam cum mediocritate habita, sunt indifferentia ad bonum, vel malum vsum, & consequenter non sunt appetibilia propter se, nec propter aliquem finem necessarium ad salutem: ergo non sunt absolutè petenda: petitio enim absoluta tantum versatur circa ea, quę sunt appetibilia per se, cuiusmodi sunt virtutes, vel circa ea, quæ appetuntur, vt necessaria ad finem virtutis, saltem moralis. *Preterea*. Isthæc temporalia etiam in mediocritate possessa suis possessoribus attulerunt exitia: ergo non sunt petenda, nisi vt ait Diuus Thomas: *Quatenus ad vitam honestè transigendam conducunt, vel organicè deseruiunt ad actus virtutis*. Hæc ratio insinuatur D. Thom.

Sapien-

Sapiē.14. Sapientiæ.14. *Quoniam creaturæ* (loquitur de bonis temporalibus indifferentibus ad bonum, vel malum vsum) *factæ sunt in odium: & in tentationem animæ hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Idem innuitur in testimonio Socratis citato.

Ad argumenta posita in principio disputationis respondetur. Ad *primum* ex testimonijs sacræ Scripturæ dicimus, Iacob petiuisse victum, & vestitum congruentem suo statui (vt verbis vtar Augustini) *vt non inconuenienter viueret cum his, cum quibus conuersabatur*, quod est petere mediocritatem temporalium. Aduertè ex Gregor. lib. 23. moralium, explicans illud Iob.cap.33. *Abominabilis sit ei in vita sua panis*, quod nomine panis, & aquæ, solet in sacris Literis, cibus & potus frugalis & parcus significari: sed tamen hæc petitio Iacob non sine relatione ad beatitudinem facta esse creditur; vtpotè à viro sanctissimo facta, quem verosimile est, se, & omnia sua frequenter in Deum referre. Imò in verbis illis citatis hoc insinuatur: dum apposita petitione, subiungitur votum de colendo Deo: nimirum per sacrificia, quibus se, & sua Deo offerret. *Ad testimonium* Sapientis ferè eodem modo *respondetur*: hoc excepto, quod repudians egestatem videtur affectum hominis imperfecti exprimere: nam viri perfecti, & Christus ipse egestatem, vt magnum bonum amplexi sunt. Limitatio autem, quæ à nobis poscitur, ibi expressa est, dum ait, ne fortè egestate compulsus, &c. id est, ne paupertas, aut diuitiæ nociture essent animæ saluti. Ad testimonium ex oratione Dominica *respondetur*, tam petitiones præcedentes, quam subsequentes illam conditionem exprimere, saltem implicitè, vt dicemus.

7 *Soluūtur argumēta.* *Augustin.* *Gregor.*

8 *Ad secundum negatur consequentia*, quia possidere diuitias non est actus humanus, qui debeat fieri cum conditione, vel sine illa: at verò petere diuitias, actus humanus est, qui potest decenter, & indecenter fieri; & nos asserimus, indecenter fieri, nisi expressa, vel subintellecta conditione sæpius præfata.

Ad *tertium respondetur.* Aliud esse finem vltimum constituere in creatura, aliud esse constituere finem in illa. *Primum est* intrinsecè malum. *Secundum* nequaquam. Est namq; duplex finis, vnus vltimus, scilicet æterna beatitudo, in quo Deus obiectiuè continetur. Alter proximus, & immediatus; cuiusmodi sunt omnia media, & virtutes habentia bonitatem intrinsecam, ratione cuius natura rationalis assumit ea vt medium ad consequendam beatitudinem. Et sanctus Thom. quādo ait, temporalia bona non esse appetenda vt finem, & ideò petenda sub conditione; intelligit de fine proximo, qualis non possunt esse bona temporalia propter suam indifferentiam. Secùs virtutes, & actus earum, quæ possunt esse fines proximi propter bonitatem, quam intrinsecè includunt, ratione cuius ordinantur ad beatitudinem suapte natura, sine noua apposita relatione, vel conditione.

D.Thom.

9 *Quartum argumentum* postulat, quæ, & qualis debet esse illa limitatio seu conditio, quam D. Thom. ait posse contineri in petitione rerum tēporalium. Pro quo aduertendum est, ex 1.2. *quæst.* 14. *artic.* 4. & 2.2. *quæstio.* 10. *artic.* 4. dupliciter aliquid referri posse ad beatitudinem: expressè scilicet, & implicitè, vel sub alijs verbis, in actu signato, & in actu exercito: & vtroque modo actus petendi bona temporalia potest includere hanc limitationem, si bona postulata expedierint ad beatitudinem, vel saltem non sint nocitura ad beatitudinem consequendam. De inclusione formali, & expressa res clara est: quo modo orandi vtuntur passim viri perfecti, quando temporalia petunt. Quando verò implicitè ea conditio includatur difficilius est. *Dicimus tamen.* Quotiescunque aliquis existens in gratia, & charitate, formaliter, vel virtualiter retulit se & omnia sua in Deum; si petat temporalia censetur ea petere, vt media ad beatitudinem; quia ea petitio virtute præcedentis relationis, implicitè petit ea bona, vt medium ad beatitudinem. *Item.* Quando quis siue sit in gratia, siue non, petit bona temporalia, non cogitans de beatitudine, sed dumtaxat ea postulat, vt honestè vitam transigat, & non sit molestus eis quibus conuiuit, & conuersatur; etiam implicitè apponit prædictam conditionem. Hoc habetur expressè à D. August. in loco citato, iuxta explicationem Diui Thomæ, qui explicans, quomodo bona temporalia sint adminicula, quibus iuuamur ad tendendum in beatitudinem, ait: *In quantum scilicet per ea vita corporalis sustentatur; & in quantum nobis organicè deseruiunt ad actus virtutum.* Et ad obiectionem factam in argumento, per gratiam, & charitatem fieri relationem formalem, vel virtualem in beatitudinem supernaturalē. *Respondetur*, ita esse, vt aliquis actus sit meritorius beatitudinis supernaturalis: at verò relatio ista, quam exigimus in petitione bonorum temporalium, non ponitur ad hoc, sed vt petitio temporalium decenter fiat. Est enim oratio petitio decentium, nimirum ad beatitudinem: non fiet autem decenter, quando petuntur temporalia, nisi implicitè vel explicitè includatur limitatio sæpè dicta; eo quod temporalia de se sunt indifferentia ad bonum, & malum; quæ indiffentia quodammodo tollitur apposita prædicta limitatione, explicitè, vel implicitè; ad quam apponendā, non est necessaria gratia, vel charitas orantis, sed sat est orantis intentio, vt dictum est.

D.Thom. *D.August.* *D.Thom.*

In eodem argumento tangitur dubitatiuncula. *An sit peccatum, & quale, petere temporalia illa, de quibus in secunda, & tertia assertione, sine limitatione prædicta.* Et quidem si praxim orantium consideremus, semper aut ferè semper orans pro temporalibus, sibi præstituit aliquem finem suæ petitionis: etsi petat bona temporalia propter se, cōstituendo in eis vltimum finem: siue quiescendo in ipsis bonis temporalibus tanquam in vltimo fine, siue petendo ad aliquod peccatum mortale perpetrandum, mortaliter peccat, vt de se perspicuum est. Si verò constituat 10

Quale peccatū sit petere tēporalia sine conditione.

finem non vltimum, sed proximum in temporalibus; vix potest contingere quin referat ea temporalia petita sine limitatione ad aliquem vsum; qui si malus est, petitio etiam mala erit, malitia desumpta, & specificata ab illo malo vsu: si verò bonus est vsus, petitio bona erit, sed non sine limitatione sæpè repetita; nam certè qui petit bona temporalia propter bonum aliquem vsum, maximè si oratio ex fide procedat, virtualiter saltem apponit limitationem, scilicet, in quantum illa bona sunt media ad beatitudinem, vt nuper declarabamus.

Quod si aliquis contendat posse reperiri petitionem bonorum temporalium non relatorum ad aliquem vsum, sed quæ tantum versetur circa temporalia in homine, qui nihil cogitauit, nec cogitat de beatitudine, aut eius medijs, nec de honesto aliquo vsu: non moror de hoc, casu dato, talis petitio esset peccatum (vt reor) veniale contra Religionem. Eo quod orationem, quæ deberet esse actus Religionis indecenter exerceret petendo temporalia, vt finem proximum; cùm tamen non deceat ipsa, quæ secundum se indifferentia sunt, postulare vt finem.

11 Ad quintum negatur antecedens. Nam vt ait D. Augustin. tractatu 73. in Ioannem: *Si hoc à Deo petitur, vnde lædatur exauditus, magis timendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus.* Itaque quandoque bona temporalia Deus concedit iratus, quæ negat propitius, aliquando ex specialissima gratia, aliquando in malum petentis. *Ad sextum cum sua confirmatione respondemus*, concedēdo totum quod infertur, si sermo fiat de bonis commemoratis in hoc argumento, & in prima assertione: de quibus fortè intelligitur illud Diui Pauli 1. ad Timoth. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.*

D. August.

1. Ad Timot. 6.

Argumentum septimum in præcedenti articulo positum est, cui quidam videntur succumbere dicentes, bona spiritualia in abundantia licitè posse peti, & fortassè debere peti sub conditione, dummodo possidens non sumat ex eis occasionem superbiendi, vel alicuius similis ruinæ. *Sed hic modus dicendi non placet. Primò.* Quia contra omnium sententiam æquiparat petitionem spiritualium, & temporalium bonorum; saltem quando in aliquo excellenti gradu petuntur: verbigratia, magnæ diuitiæ, eximia sanctitas, &c. *Secundò.* Quia si ratio, & replica posita, aliquid probaret in bonis spiritualibus in aliquo excellenti gradu spectatis; probaret subinde in bonis spiritualibus necessarijs ad salutem; vt in gratia, charitate, & pœnitentia, & huiusmodi alijs. *Probatur consequentia,* quia de possessione istorum bonorum potest aliquis superbire ex fragilitate subiecti. *Confir.* Qui esset occupatus peccato mortali carnis, si peteret à Deo diuinum auxilium, ad resurgendum à peccato, actum contritionis deberet, vel posset petere, ista sub conditione, dummodo non superbiret de his. *Probat. consequentia,* quia subiectum fragile deberet timere ruinam superbiæ, quæ maior est, quàm peccati carnalis.

Igitur nos respondemus, multas esse differentias inter petitionem rerum spiritualium: verbi gratia sanctitatis eximiæ, & inter petitionem rerum temporalium, ratione quarum differentiarum in his debemus apponere limitationem dictam, in illis verò nequaquam. *Prima differentia est*, quia bona spiritualia, abundantia, & augmentum eorum propter se sunt desiderabilia: bona verò temporalia minimè. Bona spiritualia non sunt indifferentia ad bonum, & malum vsum, sed determinata ad bonum; vtpotè quibus nullus potest malè vti: temporalia verò indifferentia sunt ad bonum, & malum. Et possunt esse tàm instrumenta mali, quàm boni, & frequentius mali. Item. Bona ipsa spiritualia, si propriè loquamur, etiam in excessu habita non sunt occasio mali: bona verò temporalia occasio mali sunt propter suam indifferentiam. 12

Præterea. Bona spiritualia, vt virtutes, si petantur absolutè, virtualiter petitur perfectio contraria excludens superbiam: verbi gratia, petendo perfectam sanctitatem petimus humilitatem, quæ cum superbia esse non potest. Secus in petitione temporalium: maximè si petantur in gradu aliquo excellenti. Orans ergo, & petens isthæc bona spiritualia, petat confidenter, & sina vlla conditione, non trepidans vbi non est timor. Certè qui ita timidè petit sanctitatem, nimis meticulosus est: quia res petita quantò in abundantiori gradu, tantò melior, & de se securior, & includens adiutorium ad propulsanda omnia contraria, quæ ex fragilitate subiecti possunt euenire. Fateor, qui attenta sua fragilitate peteret ista bona spiritualia sub conditione, non peccaret, nisi fortè vitium timiditatis nimiæ plus quàm par esset. Sed credo melius faceret intrepidè petendo egregiam sanctitatem, excellentem Charitatem. Et en apertum discrimen inter petitionem rerum temporalium, secundum aliquem opulentum gradum: & inter petitionem rerum spiritualium, etiam in gradu excellenti: nam prior petitio non licet, nisi apposita conditione: at posterior licita est, ex omnium sententia: imò (vt reor) laudabilior sine vlla apposita conditione. Per quod facilè responsio patet ad argumentum.

An verò sint aliqua bona spiritualia, quæ non liceat petere sine conditione præfata? dicemus in solutione confirmationis, ad quam dicimus. Eas virtutes ibi commemoratas, si sermo sit de habitibus ipsis non minus appetibiles, & consequenter postulabiles sunt, quàm reliquæ virtutes morales, & quas habere in præparatione animæ necessarium est: sicut & cæteras virtutes morales. Vnde, & Christus omnium pauperrimus virtutem magnificentiæ habuit. Si verò sermo sit de actibus istarum virtutum, qui necessariò supponunt bona temporalia in magno excessu; fatemur non esse petendos, nisi sub conditione: vt benè adnotauit Medina *vbi supra.* Idem potest dici de quibusdam bonis spiritualibus: cuiusmodi sunt gradus eximiæ contemplatio- 13

Medina.

plationis; status religiosus, & huiusmodi, quæ supponunt bona aliqua temporalia: verbi gratia, contemplatio eximia firmitatem capitis: status religiosus bonam valetudinem. Licet alia ratione possimus dicere, hos actus, sicut & reuelationes, & visiones non esse petendas à Deo, nisi sub conditione: nimirum, quia licet incorporales sint, propriè tamen loquendo, possunt esse communes bonis, & malis, instar bonorum tempora-
D.Bonau. lium. Vnde Diuus Bonauentura de his, & dulcedinibus, ac suauitatibus spiritualibus, in libro de processu Religionis, cap. 18. & 20. ait. *Communes esse bonis, & malis, & quod in alijs spiritualibus bonis maior vis est, & certior veritas, & fructuosior profectus, & purior perfectio.*

14 *Ad octauum resp.* petitionem quæ habet inordinationem ex parte obiecti vitiosam esse, siue petatur res apertè nocitura, siue petatur in ea quantitate, quæ communiter nocere solet, sicut thesauri, &c. vnde in huiusmodi petitionibus necessaria est præfata conditio, & adhuc illa apposita, petitio nõnihil malitiæ habet: quia res petitæ (vt dicebamus) cõmuniter nociuæ esse solent. Hinc fit, quòd viri probi his vanis petitionibus nõ indulgent, sed petunt temporalia bona in quadam mediocritate, expressa vel subintellecta conditione dicta, & quantum sat est ad vitam medio-
Genes. 28. criter transigendam: vt patet in oratione Iacob,
Prou. 30. Genesis 28. & in petitione Sapientis, *Prouerb.* 30. Et hoc quidem faciunt viri Sancti, qui non sectantur Euangelicam perfectionem, sed communem agunt vitam, putà vxoriam, vel quid simile. Eo quod viris non vsquequaque perfectis facultatum mediocritas, affert vitam frugalem, & quietam. Egregiè Aristoteles, lib. 4. Polit. cap.
Aristot. 11. *Nec enim ditissimi, nec pauperrimi sunt ad ciuilem societatem idonei; alteri enim nimis superbi, alteri nimis deiecti fiunt, alteri contẽnunt, alteri inuidẽt, alteri imperant vt domini, alteri parent, vt serui.* Ciuitas autem ex paribus, & similibus constare debet, quod medio-
Horat. cribus accidit; eaque optima est, & à seditionibus abhorret. Horatius lib. 2. Odarum:

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.

Iuuenalis. Idem Iuuenalis Satyra 14. Igitur à Deo petenda sunt temporalia in quadam mediocritate. Si cum excessu petas, vitiosa petitio est. Verumtamen si quis commotus affectu pietatis in pauperes, vel videns templa diruta, aut quid simile, prorumperet in petitionem magnarum opum, vt visas miserias subleuaret, non condemnarem. Qui verò eadem peteret in quantitate immodica, & valdè improportionata suo statui, & vt creditur nunquam affutura, quamuis apponeret conditionem, si conducant ad beatitudinem, vt minimum otiosa esset petitio. *Ad confirmationem resp.* in præfatis testimonijs tam sacræ Scripturæ, quàm Sanctorum nõ damnari desiderium temporalium, aut eorum petitionem, sed desiderium, & solicitudinem nimiam tamquam ex principali intentione. Sunt enim appeten-

da, & petenda in secundo loco, vt media ad honestè vitam transigendam, vel vt eorum vsu merita promoueantur, & ideò sub conditione flagitanda.

DISPVTATIO II.

An quando petimus à Deo bona temporalia, petamus nobis exhiberi per medium aliquod: id est, per concursum diuinum pertinentem ad ordinem naturæ; an verò ad ordinem gratiæ?

HÆc disputatio procedit de facto, & in exercitio. Nam quando aliquis à Deo petit bona temporalia, ferè semper non reminiscitur, quo medio, & 1
quo concursu sit illa largiendus. *Explicatur difficultas.* Quia hæc bona temporalia proueniunt ex naturalibus causis cum generali concursu Dei: ergo quando illa petimus, aut miraculum petimus, aut dumtaxat quod per communem cursum causarum nobis proueniant. *Primum* falsum videtur, quia vt dicitur infra, *quæstione* 178. miracula non sunt postulanda à Deo ordinariè, & sine speciali inspiratione, & dono fidei, atque adeò quotiescumque postulamus temporalia à Deo (flagitamus enim frequenter) miraculum petere esset tentare Deum. *Secundum* autem si petamus, parum aut nihil petimus: quia causæ secundæ necessitate quadam generali agunt, & Deus præbet illis concursum ad modum naturæ. Nam licèt per actum simpliciter liberum concurrat; tamen is concursus ex lege est quasi naturalis; ita vt sit miraculum illum suspendere. Itaque cum hæc bona petimus non solùm rogamus, vt Deus non auferat concursum suum, vel ne miraculosè faciat, vt eis priuemur.

De hac re difficili duas reperio sententias. *Prima sententia.*
Prima asserit. Quando per orationem petimus à Deo temporalia, dumtaxat postulare, vt ea nobis conferat suo generali concursu. Ita sensit So- 2
tus lib. primo de natura, & gratia, capite vigesimo primo. Ad secundum argumentum Gregorij circa finem: *Petimus* (inquit) *à Deo pluuiam, & alia benigna tempora, & temporalia: quæ tamen per causas secundas solo generali adiutorio elargitur nobis:* & hoc modo dicit ibi esse agendas Deo gratias pro quocumque bono morali; etiam si interdum merè natura fit, & absque gratia fiat: & consequenter significat esse in oratione petendum adiutorium ad bonum opus morale, vel artificiale, aut scientiæ: etiamsi tantum sit adiutorium naturæ, & nõ gratiæ. Idem sentit Vega opusculo de
iustificatione, quæst. 12. vbi ait: *Hæc temporalia* *Vega.*

quamuis petantur, non concedi, nisi per communem cursum naturæ, & generalem concursum Dei: & nihilominus debere peti; quia singulariter sunt beneficia Dei, & plus ipse in eis operatur, quam nos. Et quamuis paratus sit ad dandum suum concursum, tamen simpliciter non debet illum ex iustitia: posset que illum non dare. Ideoque meritò vult, vt à nobis postuletur, & vt petendo recognoscamus esse hoc Dei beneficium. Hæc sententia non probatur à suis Autoribus: à nobis verò suadetur. *Primò.* Temporalia, quæ petuntur in oratione, pertinent ad ordinem naturæ: ergo ad ea elargienda sufficiens est adiutorium Dei, & concursus generalis pertinens ad eundem ordinem naturæ. *Secundò.* Infideles sæpè fundebant orationes, & legitimè orabant pro adipiscendis bonis temporalibus à Deo, oratione habita naturali lumine per virtutem acquisitam: vt docet Caietan. in præsenti quæstione, articul. 4. & Deus sæpè annuebat eorum petitionibus: ergo ad id solum erat necessarium adiutorium Dei generale, sicut & oratio ipsa procedebat ex adiutorio Dei generali, & naturali.

Caietan.

Secunda sententia.

3 *Altera sententia est.* Temporalia hæc peti à Deo, vt danda per auxilium speciale pertinens ad ordinem gratiæ. *Probatur ex dictis in præcedenti disputatione:* vbi docuimus, hæc bona temporalia non esse petenda à Deo, nisi quatenus media sunt ad beatitudinem veram, & supernaturalem. *Tunc sic.* Hæc bona quamuis secundum se considerata naturalia sint: tamen quatenus possunt esse instrumenta virtutis, & ad salutem æternam deseruire, ad ordinem gratiæ eleuantur: quod vel ex eo colligere licet; quia vt dicitur in materia de merito, possunt cadere sub merito iustorum: ergo quando à Deo petuntur quandam rationem spiritualitatis induunt: atque adeò ad ea elargienda necessarium est auxilium Dei speciale, pertinens ad ordinem gratiæ. *Secundò.* Patres, præcipuè Hieronymus, & Augustinus, & alij Africani ex oratione colligunt necessitatem gratiæ. Vnde quia Pelagius dicebat bona opera fieri per vires naturæ absque donis gratiæ, intulerunt prædicti Patres, ex errore Pelagij sequi non esse orandum Deum pro bonis operibus. Quæ collectio non esset bona, si Deus esset orandus non tantùm pro bonis gratiæ, sed etiam pro bonis naturæ: cùm autem constet, Deum esse orandum pro bonis temporalibus: necessarium est dicere, ipsa bona temporalia, prout petuntur à nobis in oratione, induere aliquo modo rationem spiritualitatis, & esse nobis elargienda à Deo per concursum supernaturalem. Si cupis videre Patres lege Hieronymum in *Epistola ad Cthesiphontem, & lib. primo contra Pelagianos,* & Augustin. *lib. de perfectione iustitiæ, circa finem, & de natura, & gratia, capite* 18. & Celestin. *epistola prima ad Episcopos Galliæ, capit.* 19.

Hierony. *August.* *Pelagius.* *Hieron.* *August.* *Celestin.*

4 In decisione huius difficultatis video Autores in æquiuocatione versari. Et vt clarè procedamus, aduertendum est, hanc quæstionem in duplici sensu posse disputari. *Primus est.* An oratio, qua bona temporalia à Deo petimus, habeatur ex Dei auxilio naturali, an supernaturali; generali, an speciali? In quo sensu eam discutiemus *infra in artic.* 15. *Secundus sensus est:* An bona postulata à Deo ipse largiatur, applicando causas secundas, à quibus temporalia proueniunt mediante auxilio suo, seu concursu generali, an speciali; naturali an supernaturali; & in hoc sensu à me disputatur in præsentiarum.

Pro quo prælibanda sunt aliqua ex materia de gratia. *Primum est.* Prouidentia diuina (abstrahendo à generali, & particulari) quædam est naturalis, quæ versatur circa effectus naturalis: quædam supernaturalis, quæ circa effectus supernaturales. Et prouidentia supernaturalis adhuc diuiditur in generalem, & particularem. Prouidentia generalis, & supernaturalis est, qua Deus gubernat, & disponit effectus supernaturales fieri secundùm legem, & ordinem communé gratiæ: particularis verò supernaturalis, qua Deus disponit aliquos effectus fieri præter ordinem communem gratiæ. Item. Prouidentia naturalis diuiditur in generalem, & specialem: Generalis est, qua Deus disponit effectus fieri iuxta naturam causarum secundarum, & ordinem communem operandi; quem Deus, vt autor naturæ causis naturalibus indidit. Specialis verò est, qua Deus disposuit aliquos effectus fieri à se ipso, vel à causis secundis, præter, vel supra ordinem communem operandi naturaliter.

5 Ex his diuisionibus colliguntur aliæ consimiles auxiliorum diuinorum, quibus executioni traditur prouidentia diuina. Quædam namque sunt supernaturalia, & generalia, quibus Deus concurrit cum creatura rationali ad producendas actiones, vel effectus supernaturales secundùm communem cursum gratiæ: quædam verò auxilia sunt pertinentia ad prouidentiam specialem supernaturalem, quibus Deus concurrit cum creatura rationali ad producendos aliquos effectus excellentes, & eleuatos supra communem ordinem gratiæ: verbi gratia ad perseuerandum per totam vitam, ad suscitandos mortuos, & similia. *Item.* Auxilia, quibus executioni traditur prouidentia diuina naturalis, quædam sunt naturalia, & generalia, debita quidem causis secundis, vt operetur secundum ordinem, & communem cursum earum: alia verò auxilia naturalia sunt specialia; quibus Deus concurrit cum causis secundis ad effectus quosdam naturales producendos, præter vel supra communem earum operandi modum: quæ auxilia non sunt debita naturis rerum, sed à Deo liberaliter dantur, etiam vt autor naturæ est: nam vt sic operatur libere, & omnipotenter. Ad eius autem omnipotentiam pertinet, vt aliqua operetur supra totum ordinem naturæ communem. Quod puto agnouisse lumine naturæ dictante Philosophos benè institutos. His suppositis.

Dico primò. Quando temporalia petuntur elargienda à Deo, non exigitur necessariò concursus generalis naturalis; sed specialis pertinens ad prouidentiam Dei specialem. *Probatur prima pars assertionis.* Nam concursus iste generalis 6 siue

Sententia Autoris.

si ue petatur, siue non petatur, in promptu est, & Deo infallibiliter conceditur. *Dices.* Potest Deus concursum istum impedire, aut verò suspendere: ergo quando petuntur à Deo bona temporalia, poterit concursus iste postulari. *Respondetur.* Hoc non posse fieri sine miraculo: miracula autem vt dicemus, vel pertinent ad ordinem gratiæ, vel si quæ inter limites naturæ reperiuntur, pertinent ad prouidentiam specialem, quæ mediante auxilio speciali exercetur.

Secunda pars probatur argumento primo posito in principio. Hoc enim mediat inter auxilium generale, & miraculum: scilicet auxilium speciale pertinens ad ordinem naturæ, si effectus est naturalis. *Declaratur etiam eadem pars:* Postulamus à Deo pluuias, victoriam in bello, aptitudinem ad scientias, & similia; quæ licèt per se pendeant à causis naturalibus, interdum tamen non sunt præparatæ secundum suum communem influxum illa præstare: Deus tamen annuens postulantibus illa largitur, vel per se ipsum: & ad hoc non indiget auxilio, vel per Angelos, cum quibus concurrit auxilio naturali speciali: aut verò præparat alios concursus causarum secundarum, tam efficientium, quam materialium, vt talis effectus sequatur, vel aufert impedimenta, quæ ipse nouit futura, si omnes inferiores causæ suum cursum sinerentur agere sine interuentu alicuius prouidentiæ specialis. Omnes isti varij modi prouidentiæ specialis exercentur per diuersa auxilia Dei specialia naturalia.

7 *Dico secundo.* Quando temporalia non possunt præstari sine miraculo, postulata conceduntur à Deo per auxilium speciale supernaturale: harum petitionum plenæ sunt paginæ vtriusque Testamenti: verbi gratia, in petitione Ezechiæ ne moreretur: in petitione sororum Lazari, vt ad vitam reuocaretur. Et in Historijs Sanctorum legis Gratiæ, multæ petitiones rerum temporalium leguntur impletæ miraculosè. Ad quarum impletionem existimo fuisse necessarium auxilium speciale gratiæ. *Probatur* nam operari miracula propriè loquendo, est supra totum ordinem naturæ: ergò non pertinet ad prouidentiam Dei naturalem: atque ex consequenti nequeunt miracula fieri, per quodcumque auxilium naturale, quodcunque illud sit.

Soluūtur argumēta. Superest respondere ad argumenta pro relatis sententijs, quatenus militant contra nostram.

8 Ad *primum* pro prima sententia *resp.* prouidentiam Dei specialem in largiendis bonis temporalibus, nisi miraculum interueniat, citra dubium ad ordinem naturæ pertinere, sed exequendam per auxilium speciale pertinens ad eundem naturæ ordinem, vt supra declarabamus. Et existimo Sotum, & Vegam hunc concursum, quem nos appellamus generalem intra ordinem naturæ appellasse generalem, id est non pertinentem ad ordinem gratiæ. Non distinguentes expressè auxilium naturale in generale, & speciale, sed condistinguentes auxilium supernaturale contra naturale: & omne naturale appellantes generale: & supernaturale appellantes speciale. Præcipuè, quia hoc auxilium speciale naturale, licet sit præter ordinariam legem debitam huic, vel illi naturæ particulari; non est tamē contra ordinariam legem vniuersalis prouidentiæ Dei. Vnde non ineptè appellabitur generale in sensu hoc: quod videtur significare Vega, quando inter verba citata ait: *Deum non debere ex iustitia illud dare, possetque illud non dare.*

Sotus. Vega.

Ex quo nos inferimus, illud auxilium esse speciale intra ordinem naturæ: nam generale debitum est supposito ordine vniuersi. Nec obstat, Deum posse hoc non dare, suspendendo concursum generalem, quia hæc suspensio miraculosa esset. Item non obstat dæmones multoties posse impedire concursum generalem causarum secundarum; & ideò possumus orare Deum, vt dæmones cohibeat ne impedimenta apponant; quia hæc prohibitio non pertinet ad ordinem naturæ, sed gratiæ.

Ad *secundam obiectionem resp.* Probare satis esse 9
concursum naturalem ad danda bona temporalia postulata: non verò probat non esse necessarium auxilium speciale naturale: siue oratio petentis bona temporalia procedat ex Fide, & Spe supernaturalibus: vt contingit fidelibus petentibus bona temporalia, nōn facta relatione ad beatitudinem supernaturalem, sed ad vitam honestè transigendam. Idem contingit in orationibus infidelium, qui solo in lumine naturali ducti agnoscunt, vel agnoscere possunt, Deū vt autorem naturæ, posse hæc bona concedere præter ordinem communem naturæ, qua cognitione si careant, saltem per humanam credulitatem de prouidentia Dei, & quod sit autor talium bonorum, & de potestate libera eius ad impediendum illa, seu concursum causarum secundarum, per quas fieri debent, aut sine talibus causis, aut saltem præparando, & comprocurando causas, per quas fiant; vix potest intelligi, eos fundere posse tales orationes.

Primum argumentum pro secunda sententia 10
æquiuocatione relata laborat: dum tantùm probat, orationem fidelium procedentem ex fide, & gratia, & petentium bona temporalia cum relatione formali, vel virtuali ad beatitudinem supernaturalem, esse actum supernaturalem; & interdum meritorium eorum bonorum: & ex consequenti non posse elici sine auxilio gratiæ: quod nos non negamus, nec de hoc disputamus in hoc loco. Inde tamen non infertur non posse præstari à Deo, mediantibus causis secundis solo concursu naturali. *Est simile.* Petit quis à Deo vt plantatio cuiusdam vineæ, prosperè succedat, & ordinat ad beatitudinem supernaturalem. Oratio hęc ex auxilio supernaturali procedit, sed plātatio vineæ non indiget auxilio supernaturali. Item credit quis per virtutem supernaturalē fidei, Christum esse mortuū, & crucifixū: Actus ille fidei indiget auxilio supernaturali; crucifixio vero, & mors illata fuêre solo cōcursu Dei naturali, & generali.

Soluūtur argumenta secunda sententia.

Quare ad argum. neg. conseq. Etenim benè stat bona temporalia relata ad orationem, vt obiectum eius, inducere spiritualitatem quandam: ratione cuius indiget orans, vt ea petat legitimè ex Fide, & Spe, auxilio supernaturali: at verò relata ad causas secundas, quibus Deus illa largitur, nullam habent supernaturalitatem, sed manent in sua naturalitate, ac si non essent postulata. *Ex hoc infertur*, quando hæc bona temporalia petuntur vt media ad beatitudinem, cadere sub merito Christi: vnde Ecclesia etiam orationes pro temporalibus concludit, dicens: *Per Dominum nostrum Iesum Christum*. Imò etiamsi hæc bona referantur ad beatitudinem supernaturalem, nec formaliter, nec virtualiter, sed duntaxat propter finem honestum naturalem. Existimo posse fieri per Christum hoc, & per meritum Christi: quia petuntur, vt quædam media apta ordinari ad beatitudinem. Et tunc potius petitur ipsa ordinatio bonorum temporalium ad finem supernaturalem per merita Christi: quod non obscurè significat Ecclesia, quando petens hæc temporalia, per Christum petit.

11 Ad secundum argumentum *respond. Primò*, Pelagium fortasse negasse non solùm necessitatem gratiæ, sed etiam necessitatem concursus diuini ad bona opera libera: ita enim insinuat Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem. Et idcircò intulerunt Patres contra ipsum dicentem nostram voluntatem sufficere sine vllo diuino auxilio, hoc magnum inconueniens: non esse cur oraretur Deus. *Secundò respondetur* & melius. Præcipuam concertationem Patrum contra Pelagium esse circa opera bona supernaturalia, quibus iustificamur, & tendimus in finem supernaturalem: eo quod ille aiebat, ad ea elicienda sufficere voluntatem nostram sine vllo auxilio supernaturali. Ex quo rectè colligunt contra ipsum non esse orandum pro illis operibus, quia tam voluntas, quàm concursus generalis, & naturalis Dei in promptu est, & nulli denegatur. Quorsum ergo interpellaretur Deus? Mitto modò, quod hoc auxilium naturale speciale, quod nos ponimus, gratia quodammodo est, id est, non debita secundum communem ordinem: quo sublato, non est cur oretur Deus.

Hieron.

Soluitur argumentum in principio positum. *Ad argumentum positum in principio disputationis* non est difficilis solutio ex dictis. Concedimus namque, quando temporalia petimus à Deo, non postulare, vt præbeat generalem concursum, quem negare miraculum esset. Quando enim peto à Deo vitæ conseruationem, non videor petere, vt Deus non suspendat proprium suum concursum, quo me conseruat: iam enim scio Deum non esse suspensurum illum ex se, nec de hoc aliquis est solicitus: peto ergo alium modum conseruationis, & protectionis Dei: qui fit per prouidentiam specialem naturalem, multis ac varijs modis exercitatam per auxilium speciale intra limites naturæ. Idem dicendum est, quando petimus, vt in bello hostes corruant: non solum petimus, vt concurrat generali concursu cum nostris militibus, vel cum hostibus non concurrat miraculoso modo. Nam illud prius parum est, & supponitur potius quam petatur: posterius verò pertinet ad miraculum, quod non est frequenter petendum. Igitur inter hoc, quòd est petere communem concursum erga causas secundas, & petere miraculum, mediat petere auxilium speciale naturale, pertinens ad prouidentiam specialem, vel extraordinariam: quam exposcere non est petere miraculum. Patet, quia per eam non est necesse, quod fiat aliquid contra debitum totius naturæ, sed sat est per eam fieri aliquid vltra debitum. Similiter non est necessarium per eam fieri aliquid contra ordinariam legem, imò nec præter totam legem vniuersalis prouidentiæ diuinæ: sed dumtaxat, vt fiat aliquid vltra legem debitam huic, vel illi naturæ particulari: vt supra explicabamus.

ARTICVLVS VII.

Vtrum debeamus pro alijs orare?



ONCLVSIO D. Thom. in corpore, & in *solutione ad* 3. hæc est. Pro omnibus orandum est: pro iustis, vt perseuerent, & proficiant: pro peccatoribus, vt conuertantur. *Probatur* Iacobi 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini.* Item ex charitate alijs debemus optare bona, ergò & pro alijs orare. Quia quod licet cupere, licet petere, vt sæpè retulimus, ex August. ad Probam. *D. Thom.* *Iacobi.* *August.*

In hoc artic. & immediatè sequenti tantùm disputat sanctus Doctor, quando, & pro quibus viuis orandum sit. Nos verò post explanatos hos articulos, an & quando pro vita functis, & qui iam ab humanis decesserunt, orandum sit, disputabimus, vt copiosior sit tractatio.

I. DISPVTATIO.

Contra conclusionem arg. *primò.* Vix cuique sufficiunt merita sua, iuxta illud Psal. 142. *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*: ergo præsumptuosum est orare pro alijs: sufficiat cuique, vt pro se interpellet. *Confirm.* In humanis iram prouocat pro alijs intercedere, qui inimicus est ei, ad quem dirigitur petitio: ergo saltem existentes in peccato mortali non debent pro alijs orare, ne iram Dei excitent. *Psal.* 142.

Secundò. Oratio quæ non impetrat otiosa est: sed sæpè non impetrat fusa pro alijs; maximè si fiat generaliter pro omnibus: ergo otiosa erit.

Tertiò, Lucæ 12. dicitur de peccato in Spiritum sanctum non remitti, nec in hoc seculo, nec in futuro: ergo pro ijs, qui peccant in Spiritū Sanctum non est orandum. *Confirm.* nam primæ Ioannis capit. 5. dicitur. *Est peccatum ad mortem, pro eo non dico vt roget quis.* Ergo pro ijs, qui peccãt ad mor- *Luc.* 12. *1. Ioan.* 5.

mortem non est orandum. *Confirm. secundò*: nam
1.Reg.2. primi Regum 2. dicitur. *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccauerit, quis orabit pro eo?* Ecce pro peccati in Deum remissione non est orandum.

Quartò. Excommunicati sunt exclusi ab orationibus fidelium: ergo pro illis non est orandũ.

Hier.14. *Quintò*. Hieremiæ 14. dicitur: *Noli orare pro populo hoc*, & glossa, *Eo quod indignus est*. Huiuscemodi est omnis, qui est incorrigibilis, & in vitijs obstinatus, vt ibidem dicit Interlinealis: ergo. Idem fermè habetur capite 7.

In oppositum est D. Thomæ conclusionem cum suis probationibus. Cui consonat D. Cyprianus exponens orationem Dominicam. *Noluit pacis Doctor, vt quis pro se tantum tantum precetur.* (ait Cyprianus) *Non enim dicimus Pater meus, nec panem meum da mihi, &c. sed Pater noster, panem nostrum da nobis, &c.* quia videlicet vniuersaliter pro omnibus orare debemus. — Cyprian.

Soluũtur argumenta proposita. Superest respondere ad argumenta. *Ad primum* & eius confirm. *resp. neg. conseq.* etenim non eodem modo iudicandum est de Deo & hominibus: nam quamuis pauperes & infirmi quando proceres interpellant, nobilitatem, aut dignitatem eorum in memoriam reuocent, vt exaudiantur: tamen qui munus intercessorum pro alijs subire volunt, nisi desipiant, dignitati suæ, aut merito confidentes apud eum, qui exoratur accedunt: secus continget in Deo exorando: quamuis enim aliquando viri iusti suas bonas operationes commemorent flagitantes aliquid à Deo;
Esai.38. sicut fecit Ezechias Esai. 38. *Memento quæso*, inquit, *quomodo ambulauerim coram te, & in corde perfecto; & quod bonum est in oculis tuis fecerim*; idem
Hierem. Esther. Hieremias 15. & Mardoch. cap. 10. Esther, tamen neutiquam suis meritis confidunt, neque eorum oratio dignitati, aut meritis orantium innititur: sed puræ misericordiæ Dei & liberalitati. Iuxta
Daniel. illud Dan. 9. *Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam; sed in miserationibus tuis multis.* Excipimus Christum Dominum, qui suis meritis & iustitia postulare potuit à Patre quidquid voluit. Et fortasse Beata Virgo dignitate matris Dei ornata, potuit fidenter accedere: vtpote quæ, secundùm quosdam, meruit de condigno esse Matrem Dei.

3 *Ad secundum respond.* Orationem pro alijs, non esse tam infallibilis impetrationis; sicut eam, quæ pro ipso orante fit, vt *infra dicemus*. Cæterum non inde infertur esse otiosam; neque nos exponere illi periculo: eò quod vt minimum erit meritoria ipsi oranti ex charitate: & hoc est quod insinuauit Dauid, Psalm. 34. *Oratio mea in sinu*
Psal.34 *meo conuertetur.* Quamuis enim iste locus alias admittat expositiones, potissima est: vt significetur orationem iusti pro alijs etiam impijs fusam, etsi non redeat cum fructu ad ipsos, pro quibus funditur, sed frustra, quod ad ipsos attinet, effusa sit: redituram tamen cum fructu ad ipsum, qui orat: non enim frustratur merito charitatis in
Matt.10. Luc.10. orando, quemadmodum Dominus Matthæi, & Lucæ 10. dicit: *Pacem domui indignè imprecatam redituram ad eos, qui eam imprecati sunt.* Sic explicat D. Thomas hîc, & Iansen. Titelma. & alij super istum Psalmum. — D. Thom. Iansen. Titelm.

Ad tertium resp. non esse huius loci exactè tractare, quid sit peccatum in Spiritum sanctum; & quomodo distinguatur à peccato in Filium hominis; & an sit idem cum blasphemia in Spiritum sanctum: res quidem difficilis, & quæ magnum negotium facessiuit Sanctis Patribus. Vnde D. Augustinus tractatu secundo de verbis Domini, in hæc prorumpit verba: *Fortè* (inquit) *in omnibus sanctis Scripturis, nulla maior quæstio, nulla difficilior inuenitur.* Addit Augustinus: *vt vobis aliquid de me ipso fatear, semper in sermonibus quos ad populum habui, huius quæstionis difficultatem, molestiamque vitaui: non quia nihil haberem, quod inde vtcumque cogitarem; neque enim in re tanta petere, quærere, pulsare negligerem: sed quia ipsi intelligentiæ, quæ mihi aliquando aperiebatur, verbis ad horam occurrentibus posse sufficere non putarem.* Hæc Augustin. Nobis verò sit satis videre Diuum Thomam, 2.2. *quæst.* 14. vbi compendiosè satis tractat hanc rem: qui verò fusius cupit videre antiquos patres de hac re loquentes, videat Hylarium, *Canone* 12. *in Matthæum, & Canone* 5. Ambrosium *lib.* 1. *de Spiritu sancto cap.* 3. *& lib.* 2. *de pœnitent. cap.* 4. *& super Lucam, capit.* 12. Hieronym. *in Matth.* 12. *& in epist. ad Marcellam:* Cyprianum, *lib.* 3. *ad Quirinum. n.* 28 & libro 3. epist. 14. Augustin. *lib.* 1. *de serm. Domini in monte, capite* 44. *de verbis Domini, tract.* 2. Richardum de Sancto Victore *in quodam tractatu de blasphemia:* Origen. *in Ioannem:* Athanasium Basilien. *in regulis breuior.* 273. Chrysostom. *homilia* 42. *in Matth.* Epiphanium, *hæresi.* 42. Eusebium *Emis. homilia* 4. post Pascha. Sed quod propius accedit ad nostram disputationem illud est, quomodo intelligatur peccatum in Spiritum sanctum esse irremissibile, vt inde colligatur, an pro inuolutis tali peccato orandum sit, an non? — 4 *Quid sit peccatum in Spiritũ sanctum.* D. Augu. D. Thom. Hylar. Ambros. Hieron. Cyprian. August. Richard. Origen. Athan. Chrysost. Epipha. Euseb.

In quo *supponendum* est imprimis vt dogma Fidei, nullum esse peccatum in hac vita, quod Dei omnipotentia deleri non possit. Imò nullum esse peccatorem, de cuius salute dum degit in vita hac mortali desperandum sit. Ita Augustinus, libro 10. retractationum, capite nono, vbi correxit id, quod dixerat *lib.* 1. *de sermone Domini in monte, cap.* 4. & omnes Diu. Thomæ interpretes, 3. *parte. quæst.* 86. *art.* 1. Secundò *nota*, peccatum in Spiritum sanctum dici irremissibile vno modo absolutè. Sed accipitur peccatum in Spiritum sanctum pro quouis peccato, cui adiungitur finalis impœnitentia; hoc autem peccatum non remittitur: quia post illud commissum non superest tempus in quo remittatur; præscripsit enim Deus tempus vitæ ad remittenda peccata; & illo transacto vbi ceciderit lignum ibi manebit, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem. Hæc interpretatio est Origenis, Basilij, Epiphanij, Augustini vbi supra. — 5 August. Origen. Basil. Epiph. Augu.

Secunda explicatio est Chrysostomi *vbi supra* dicentis, peccatum in Spiritum sanctum dici irremissibile: quia si conferatur cum peccato, quod est in filium hominis, est multo minus remissione dignum. Hæc etiam est Victoris *vbi supra.* — Chrysost. Victorius.

Vltima

D. Thom. Vltima explicatio est quorundam modernorum, & insinuatur à D.Thoma, *in 2.2. quæst.14. art.3.* Quod quando peccatum in Spiritū sanctū dicitur non remitti neque in hoc sæculo, neque in futuro: non fit sermo de remissione culpæ, sed de pœna: sic enim frequenter vsurpatur remissio, Exodi.32. Esaiæ.2. Thren.3. *Exodi 32. Esaiæ. 2. Thren.3.* Est ergo discrimen inter peccatum in Spiritum sanctum, & quodcumque aliud; nam peccatum in Spiritum sanctum decreuit Deus punire, & in hoc sæculo & in futuro: vt patet in peccato Iudæorum: q̃ puniuit in hoc sæculo per Romanos Ierusalem vastantes: alia verò peccata non decreuit punire in hoc sæculo, etiamsi non sit pœnitentia; sed reseruata sunt punienda in futuro: non quod aliquando Deus non puniat peccata alia, etiam temporaliter in multis peccantibus: fit enim hoc sæpè: sed quod Deus non decreuerit punire hæc peccata secundum se in quocumque peccante: nam quædam punit in quibusdam, in alijs non punit. Peccatum verò in Spiritum sanctum semper punit, non in hoc sæculo tantum, verum etiam in alio: quæ omnia intelligenda sunt secundum statum peccati præsentem: nec per hæc tollitur, quin per pœnitentiam omnia remittantur, etiam peccatum in Spiritum sanctum, & in hoc sæculo & in futuro: quare orandum est pro peccatoribus, etiamsi peccent in Spiritum sanctum.

6 Peccatum ad mortē quid? Circa confirmationem duo sunt prælibanda. *Primum est*, quod sit & quid dicatur peccatum ad mortem: & quid sit peccatum non ad mortem: D.Ioan. nam vtriusque meminit D. Ioannes in præfato testimonio. *Secundum*, quare pro peccato, seu Variæ Sanctorū expositiones. peccatore ad mortem non sit orandum? Circa primum variæ sunt sententiæ Patrum. Prima est, peccatum ad mortem esse idem, quod Dominus Matthæi, & *Lucæ decimo* appellat peccatum in Prima expositio. Spiritum sanctum. Vnde eo modo, quo secundùm diuersas acceptiones dicitur peccatum in Matth. Spiritum sanctum irremissibile; dicetur etiam Lucæ. 10. peccatum ad mortem esse, pro quo orandum Secunda expositio. August. non est. *Secunda* est Augustini *lib.10. de vera & falsa pœnitent. capite quarto*, videlicet per peccatum ad mortem intelligi peccatum mortale: per peccatum non ad mortem intelligi veniale. D. Thom. Et hæc eadem expositio est Diu. Thomæ super illum locum Ioannis, *& videtur ad mortem*: Origen. Origenis, homilia duodecima in Exodum.

Et si dicas quomodo non est orandum pro peccato mortali. *Respondetur*, sensus est, id est non sufficit oratio Dominica, quæ sufficit ad peccatū nō ad mortem; id est veniale: non est hæc expositio omninò ingrata. Non tamen videtur consona textui Ioannis dicentis. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem; petat & dabitur ei vita peccanti non ad mortem; est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.* Ecce monet orare pro peccante non ad mortem, & mediante oratione, inquit, dabitur ei vita: ergo carebat illa, quod non contingit in habente sola venialia: ergo peccatum non ad mortem non est peccatum veniale: atque adeò vtrumque peccati genus, & ad mortem, & non ad mortē peccatum mortale est, nisi fortasse quis glosset: *dabitur ei vita*, id est, augmentum gratiæ, quæ Glossa non videtur vsque adeò germana textui.

Secundò, quoniam oratio Dominica non remittit venialia, nisi facta ab illo, qui est in peccato. D. autem Ioannes, vt patet ex contextu loquitur de orationibus quæ pro alijs funduntur.

Tertia expositio. Aug. Gregor. D. Thom. Tertia expositio, quod peccatum ad mortem vocetur mortale, cui adiuncta est finalis impœnitentia; id est, in quo quis decedit: ita Augustinus, libro de correctione & gratia, capite decimo secundo, & Gregorius *lib.16. moralium, cap. 28.* & Diuus Thomas, *quæst.3.* de malo, art.15. Canonistæ super Canonem *si sacerdos. de pœnitentia, dist. 1.* & multi Theologorum in 2.dist. 43. Quomodo autem pro huiusmodi peccati dimissione non sit orandum, patet, quia irremissibile absolutè est. 7

Sed neque hæc expositio videtur multum genuina textui: huiusmodi enim peccata vix aut nunquam cognosci possunt, vt pro illis non sit orandum: & D. Ioannes vt patebit legenti, loquitur de peccato, quod possumus cognoscere. *Quarta* expositio est Hieronymi in illud Hieremiæ decimo quarto: *Noli orare pro populo isto*, locum Ioannis allegans videtur interpretari peccatum ad mortem esse illud, quod Deus punire decreuit. *Qui enim*, inquit, *semel gladio, fame, & pesti fuerit destinatus, nullius precibus erui potest.* Hæc non videtur expositio germana textui propter rationem factam. Quarta expositio. Hieronȳ.

Istæ Sanctorum expositiones venerandæ sunt. cæterum & recentiorum non contemnenda; quę multum conformis videtur textui Ioannis, ea est. Per peccatum ad mortem intelligi peccatum, quod peccans negligit; seu non curat pœnitentia delere: eo quod obstinatè manet in illo: sicut qui in inimicitijs, in vsuris, in concubinatu perseuerare proponit: isti ad mortem dicuntur peccare: non quia veniā impetrare nequeant, & per pœnitentiam conuerti; sed quia quantum est ex parte sic peccantium, in damnationem & mortem tendant. E contra verò, qui post peccatum, quantumcumque sit, ad pœnitentiam recurrunt, eorum peccatum non dicitur esse ad mortem: non quod non sit mortale: sed quia ex parte sic peccantium ad vitam tendat, cū remedium pœnitentiæ sic exhibeant, sine quo peccatum est ad mortem, nec veniam habet. Hæc explicatio est Occumenij super locum Ioannis, vbi sic dicit: *Solùm hoc peccatum est ad mortem, quod pœnitentiam non respicit.* Et paulò inferius: *Illi etiam peccant ad mortem, qui iniuriarum sunt memores: neque enim hi resipiscendo conuertuntur iniuriæ memoriam retinentes.* Vbi nota duo genera peccantium ad mortem; & illorum, quos commissi peccati non pœnitet; & eorum, qui in voluntate & proposito peccandi permanent. Hi enim impœnitentes sunt: & ad hoc videtur alludere D. Hieronymus vbi supra, allegatis enim verbis Ioannis, subiungit: *Ieiunia, & preces, & victimæ & holocausta tunc proficiunt, cum à vitijs recedimus, & antiqua peccata deflemus: si autem in antiquis sceleribus permanemus, putantes votis atque sacrificijs redimi* 8 Expositio quinta. Occumen. Hieron.

autes

antes Dei, vehementer erramus: quia Deum iniquum arbitramur. 9 **Gregor.** Idem videtur sentire Gregorius, lib. sexto, in libro Regum, cap. 2. vbi sic habet: *Corrigibilia peccata portantur: quia postquam à delinquentibus voluntate discedunt, purgari satisfactione salubriter possunt. Non autem portantur peccata eorum, in quorum mentibus per impœnitudinem inuiscerata sunt. Vnde & Ioannes ait, est peccatum ad mortem, ne pro illo roget quis: peccatum quippe ad mortem est, quod ab eo committitur, qui resipiscere nunquam potest. Quod nimirum peccatum a præpositis non portatur, quia Sacerdotũ oblationibus, & orationibus nõ deletur.* Hęc ille.

Peccatum ergo, quod pœnitentia non deletur, ad mortem est: quia ad mortem tendit æternam; eò quod remedium necessarium non adhibeatur. Quapropter D. Ioannes post verba citata adiecit: *Omnis iniquitas peccatum est, & est peccatum ad mortem*; id est, omnis legis transgressio, peccatum erit ad mortem, nisi necessariũ remedium adhibeatur. **Hieron.** Græca exemplaria, & Hieronymus per negationem legunt, sic: *Omnis iniquitas peccatum est: & est peccatum non ad mortem*: sed in idem reddit, nam nullum peccatum est, quod pœnitentia deleri non possit, & sic non erit ad mortem.

Caietan. Itaque vt benè admonet Caietanus, si legamus negatiuè, sensus est, quòd omnis iniquitas ex proprio genere est peccatum; peccatum inquam non ad mortem: hoc est, nulla iniquitas ex proprio genere est peccatum ad mortem; & ex **Caietan.** hoc innuit, vt aduertit Caietanus, quod peccatum ad mortem non est species peccati; sed aliunde habet quod sit ad mortem. Habet autem ex parte peccantis, si tàm affectus sit ad peccatum aliquod, vt velit in eo perseuerare vsque ad mortem. **Sotus.** Etiam hæc explicatio est Magistri Soti in 4. *sent. dist. 15. quæst. 1. art. 1.*

10 Sed quare dicitur, *Pro hoc non dico vt roget quis*, nunquid quia prohibemur orare pro remissione **Tertul.** talis peccati? Tertulianus, libro de pudicitia, D. **Hieron.** Hieronymus, Hieremiæ 14. Augustinus, lib. 2. **Augustin.** de serm. Dom. in monte, cap. 43. videntur respõ- **Oecumen.** dere affirmatiuè, & Oecumenius vbi supra subiungit: *Qui sic oraret, malè oraret: quia peteret pro impœnitentibus veniam, quæ sine pœnitentia non datur.* Et **Gregor.** non valde abhorret Gregorius loco citato super librum Regum, cum negatiuè legat, *Pro eo ne roget quis.* Sed nos arbitramur neque D. Ioannem, neque Patres citatos voluisse prohibere, ne orationes funderemus pro peccantibus ad mortem. Quod colligimus primò, *quia* non legitur negatiuè, *non roget quis*, sed *non dico, vt roget quis*. Secundò, quia Christus rogauit pro crucifixoribus impœnitentibus.

Caietan. Quare sensus est, vt scitè Caietanus, *Pro eo, qui peccat ad mortem*, idest habet propositum perseuerandi in peccato vsque ad mortem, nõ dicit, *vt roget quis*. Quibus verbis Ioannes, qui dederat fiduciam magnam orandi pro ijs, qui non peccãt ad mortem, moderatur fiduciam orandi pro ijs, qui peccant ad mortem, dicens: *Non moneo vt roget quis*: quia fortassis non impetrabit, propter pessimam peccatoris conditionem: quæ directè contrariatur tàm veniæ, quàm petitioni alienæ pro illius venia. Itaque docet orare pro talibus, & exaudiri est res difficillima: non tamen prohibet pro his orare: quinimò videmus D. Stephanum orasse, & impetrasse conuersionem D. Pauli, & matrẽ D. Augustini salutẽ filij sui. Vnde D. Bernardus, in tractatu de gradibus humilitatis in sententia dicit. **Bernar.** *Gemus, si fortè gemitus penetret quò oratio non præsumit tendere.* Similis phrasis est in eodem Ioanne, capite 16. vbi Christus dicit: *Non dico vobis, quod ego rogabo Patrem*, non negat Christus se rogaturum, nec excludit suas preces apud **Ioan. 16.** Patrem; vt benè notat Cyrillus, libro vndecimo in Ioannem, capite nono: excludit autem necessitatem: id est, non est necessarium, vt ego rogem, fermè eodem stylo & phrasi, vt in prima Canonica, *Pro eo non dico, vt roget quis*; id est, non moneo, vt explicatum est. **Cyril.**

Igitur licitum est orare pro impœnitentibus, & pro perseuerantibus in proposito peccandi: ex verbis tamen D. Ioannis citatis, colligimus non habituros eam certitudinem & fiduciam exauditionis, quæ habetur pro pœnitentibus peccatoribus. Sancti autem citati, qui videntur prohibere tales orationes, intelligendi sunt formaliter, id est, non est orandum, vt Deus impœnitentibus vt sic, dimittat peccata. Tunc enim mala esset oratio, vt dicit Oecumenius; sed orãdũ est, vt **Oecumen.** Deus illi largiatur cor pœnitẽs, & sic det suã gratiã. Ad istũ modũ etiã est orãdũ pro infidelibus, non vt det illis vitã æternã; sed vt conuertat illos, & per media debita perducat ad vitã ęternã. Similiter dico de peccatoribus, vt pęnitentiam agant, & mediante gratia perducat in cœlum.

Sexta expositio est Ambrosij, *libro 4. de pœnit. cap.* 11 8. & 9. peccatum ad mortem esse peccatum gra- **Sexta expositio.** uissimum cuiuscumque generis sit; pro quo non sufficit, vt quilibet oret, sed requiritur oratio e- **Ambros.** gregia hominis valde amici Dei. **1. Reg. 2.**

Circa secundam confirmationem ex testimonio *primo Regum secundo*, non libet immorari in referenda varietate lectionis illius loci, orta ex æquiuocatione cuiusdam nominis Hebraici. Satis nobis sit explicare lectionem Vulgatæ; quam, vt par est, veneror: & etiam est D. Hieronymi in **Hieron.** quibusdam Hebraicis in *libros Regum, &* D. Gre- **D. Gregor.** gorij *in caput secũdum libri primi Regum.* Cyprianus, **Cyprian.** *libro tertio ad Quirinum, cap. 28.* putat peccatum in Deum in præfato testimonio, esse peccatum in Spiritum sanctum, de quo dixit Christus non remitti neque in hoc sęculo, neque in futuro. Nobis autem verius apparet, peccata in hominem dici quæ licet offendant Deum, sunt tamen immediatè contra homines, vt peccata contra præcepta secundæ tabulæ: peccata verò contra Deum dicuntur, quæ immediatè sunt contra Deum; vt peccata, quæ sunt contra præcepta primæ tabulæ: & hæc posteriora esse grauiora ex genere suo prioribus, nullus est qui ignoret. His suppositis, quæ benè probat & corroborat Abulensis super **Abulens.** locum istum. 12

Prima expositio est Hieronymi vbi supra, & **Prima expositio.** aliorum: vt quando dicitur de peccato in Deum *quis orabit pro eo?* non esse sensum tale peccatum **Hieron.**

carere venia, atque adeò pro illo non esse orandum; sed quod comparatione prioris, quod est hominis in hominé, difficilior est remissio: quia grauius est, & non excluditur pro tali peccatore omnis oratio; sed significatur pertinere ad insignes sanctitate viros. Ita etiam Ambrosius, *libro primo de pœnitentia. capite octauo.* Sed inquies, nonne pro hæreticis, & ijs qui transgrediuntur præcepta primæ tabulę orat quilibet de populo? Respondetur. Orant, sed quando sunt grauissima peccata vix exaudiuntur, nisi viri sanctitate insignes: vt Stephanus, & sancta Monica.

Ambros.

Secunda expositio. *Alio explicatio* modernorum non displicet, *vt sensus sit*, quando quispiam peccat in proximum, facilius placatur Deus, quia proximus offensus placatus orat pro offendente & peccante in Deum (quando enim homo peccat in proximum, peccat etiam mediatè in Deum) multumq; valet oratio proximi remittentis apud Deum: etenim si homo remitrit, in quem peccatum est immediatè: Deus, cuius misericordia maior est, non patietur quodammodo se ab homine superari, sed remittet etiam: at cum in Deum tantum peccatur, non est homo sic offensus, qui intercedat: & hoc est quod dicitur: *quis orabit pro eo?* nō quod nemo oret; sed quod non sit, qui oret, tanquam qui remittat quod contra se peccatum est, suoque exemplo quodammodo inducat Deum ad remittendum: remissio enim hominis est argumétum efficax apud Deum quod remittet etiam quod suum est, ideò ex hac parte difficilior est remissio peccati in Deum, quàm remissio peccati in hominem. Exemplum appositum est in Iob, cuius amicis in eum peccantibus, Deus non remittit, nisi orante pro ipsis Iob ipso.

13 *Ad quartum respondetur*, non esse orandum pro excommunicatis orationibus publicis; quia exclusi sunt à communibus Ecclesiæ suffragijs: publicas orationes voco, quæ fiunt à publico ministro, cum communi intentione Ecclesiæ, & vt fungens est officio ministri Ecclesiæ. Huiusmodi sunt orationes, quæ fiunt in ritu celebrandi Missam: in pensu horarum, in processionibus, &c. Cæterùm orationibus priuatis possunt iuuari excommunicati vt supponitur capite, *quod in te*, de pœnitentijs & remissionibus. Nauarrus *cap. 27. num. 19. & 36.* Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4.* & D. Thomas, *dist. 18. art. 1. quæst. 1. ad primum*, & Bernardus loquens de excommunicatis, in tractatu de gradibus humilitatis, gradu duodecimo, sic ait: *Absit à nobis, vt etiamsi pro talibus, & si palam non præsumimus, vel in cordibus nostris orare cessemus: etsi enim à communibus orationibus ipsi se excludunt, sed ab affectibus omninò non possunt: videant enim in quanto periculo sint, pro quibus Ecclesia palam orare non audet, quæ fidenter etiam pro Iudæis, pro Hæreticis, pro Gentilibus orat; cum enim in Parasceue nominatim oretur pro quibuslibet malis; nulla tamen mentio fit de excommunicatis.* Hæc Bernardus, & est communis sententia Theologorum, Canonistarum, & Summistarum, verbo, *excommunicatio*, & verbo, *Missa*.

Nauar. *Sotus.* *D. Thom.* *Bernard.*

Ex quo infero in illa tantilla temporis mora, quæ in Missa, Memento dicitur, licitum esse orare pro excommunicatis: imò non est improbabile, si aliquis sit excommunicatus non publicè & nominatim, qualem vitare iuuet Concilium Constantiense, posse pro illo Sacerdotem accepto stipendio offerre. Missam. *Prima pars* corolarij affirmatur ad Nauarro *de oratione, notab. 19. num. 72.* Couarruuia *in cap. alma mater, de excommunicatione, §. sexto, num. 4. concl. 7.* Syluestro, *verbo, excommunicatio, 1. numero 2. & verbo Missa, primo, §. octauo.* Secunda pars corolarij asseritur à Nauarro, *capite 27. 36.* Et ratio est: quia Concilium Constantiense concessit communicare cum excommunicatis non nominatis, aut percussoribus clericorum, in fauorem fidelium non excommunicatorum; sed fauor est clerici maximè inopis stipendia accipere pro Missa ab excommunicatis: ergo ex indulto Synodi Constantiensis potest illud accipere, & offerre pro excommunicato. Caue tamen ne extendas hoc ad orationes alias communes: quia in præfata Synodo conceditur communio cum excommunicatis non nominatim, aut qui non sunt manifesti percussores clericorum, non in fauorem excommunicatorum, sed aliorum. Igitur ad argumentum respondetur, conclusionem D. Thomæ esse intelligendam vniuersaliter: exceptis illis, qui exclusi sunt à communione orationum Ecclesiæ, quales sunt excommunicati: quare quando Sacerdos in Missa generali intentione offert pro omnibus, non intendit illicitè contra prohibitionem Ecclesiæ offerre pro excommunicatis, vt supra citati Nauarrus, & alij benè aduertunt. 14

Nauar. *Couarru.* *Syluest.* *Nauar.*

Ad quintum respond. ex Hieronymo super illa loca Deum prohibere Hieremiam orare pro liberatione illius populi à pœna temporali, mortis, famis, aut captiuitatis, qua Deus decreuerat punire populum illum propter inueteratam cósuetudinem peccandi; quam punitionem certò futuram reuelat Dominus Prophetæ, & simul prohibet orare, ne cassa & impertinens esset eius oratio. Ita etiam explicat Sotus *in quarto, dist. 15. qu. 1. art. 1.* & Palat. *ibidem.* Secunda explicatio eiusdem Soti in eodem loco, illa verba esse intelligenda secundum comminatoriam reuelationem, sicut illud: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*, & sicut illud Hierem. 15. *Si steterit Moyses, Iob, & Samuel non est anima mea ad populum istum.* Tertia explicatio est D. Thom. *in quarto, dist. 55. quæst. 4. artic. 4. quæst. vltima ad primum*, & *de verit. quæst. 24. art. 11.* ad octauum, voluisse Deum illis verbis significare indignitatem, & impedimenta illius populi, propter quæ non erat dignus venia.

Circa solutionem ad tertium argumentum D. Thom. est:

II. DISPVTATIO.
An pro reprobis & præscitis liceat orare?

De quo D. Thomas hîc habet in hunc modum: *Orantes non pro omnibus peccatoribus exaudiuntur; sed pro quibusdam exaudiun-* 1

D. Thom.

audiuntur : id est , pro prædestinatis , non autem pro præscitis ad mortem : sicut etiam correctio qua fratres corrigimus, effectum habet in prædestinatis, non Eccles.7. *in reprobatis , secundùm illud Ecclesiastes 7. Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit. Sed sicut nulli quandiu viuit hic , substrahendum est correctionis beneficium : quia non possumus distinguere prædestinatos à reprobatis: ita etiam nulli est denegandum orationis suffragium.* Hæc D. Thomas. Ex quibus verbis apertè colligitur , si possemus distinguere prædestinatos à reprobatis, non esse pro reprobatis orandum: & idem Sanctus Doctor in commentarijs super epistolam primam ad Timotheum, capite secundo, lectione prima, sic ait: *Deus vult Sanctos suos voluntate benè placiti, velle quod omnes salui fiant: hoc enim velle debet esse in Sanctis, quia nesciunt qui sunt prædestinati, & qui non.* Hæc D. Thomas. Igitur si scirent, qui non sint prædestinati, non deberent velle ipsos saluos fieri, & consequenter neque orare pro eis: quia non debemus hoc velle, neque à Deo petere in oratione. Quinimò ex eisdem verbis colligitur, si Deus reuelaret nobis condemnationem, aut reprobationem alicuius, non liceret pro eo orare: & amplius sequitur non licere orare pro omnibus collectiuè, vt salui fiant, quia certum est esse aliquos reprobos; quamuis diuisiuè benè licet orare pro omnibus: quia de nullo scitur esse reprobum, ne-
D. Thom. que tale quid præsumendum, vt ait D. Thomas
August. hic ad tertium, & Augusti. libro de correptione & gratia, capite decimo quinto , tomo septimo. *An* (inquit) *ante finem huius vitæ de aliquo desperandum est, aut contradici Deo potest, ne respiciat, & det pœnitentiam: & accepto sacrificio spiritus contribulati, cordisque contriti, à reatu quamuis iustæ damnationis absoluat, dãnatũque ipse non dãnetur?*

Secundò probatur idem : quia oratio pro reprobatis esset otiosa; eo quod certum esset oranti nullum sortiri effectum: essetque præsumptuosa, & iniuriosa Deo: vt pote quæ conaretur contradicere Dei voluntati, cui nemo resistere potest, etenim supponimus Dei voluntatem esse, vt reprobi damnentur: ergo talis oratio nullo modo fundenda est.

Tertiò, nam Christus nũquam orauit Patrem, vt omnes etiam reprobi, consequerentur beatitudinem, seu dumtaxat illi qui consecuturi erant,
Ioan. vt colligitur Ioannis decimo septimo. *Ego* (inquit Christus) *pro eis rogo*, nimirum pro Apostolis, *non pro mundo rogo, sed pro illis qui credituri sunt per verbum illorum in me.*

1.Reg.16. *Quartò*, primo Regum decimo sexto, dixit Dominus ad Samuelem: *Vsquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum à facie mea.* Ecce reprehenditur Samuel, quia orabat pro eo, quem Deus despexerat: ergo pro reprobis, quos Deus despexerit, non est orandum.

2 Sed contra præfatam assertionem sunt non
D. Thom. imbecillia argumenta. *Primum*, ad hominem (vt dicitur) nam D. Thomas 1. 2. quæst. 19. art. 10. & alibi sæpè, affirmat non teneri homines suam voluntatem conformare diuinæ, in volito materiali: hoc est , non tenentur velle quidquid Deus vult: sed possunt oppositum velle, etiamsi sciant Deum à sua discordare voluntate : ergo etiamsi alicui reueletur sua, vel aliorum reprobatio, aut damnatio, potest velle oppositum & cupere : ergo & petere potest à Deo ne illos condemnet, aut reprobet; sed illis suam gloriam largiatur. *Prima* consequentia nota est, & secunda probatur ex dicto celebri Augustini : *Quod licet optare,* August. *licet à Deo petere.*

Confirmatur , quia doctrina expressa est D. D.Thom. Thomæ, aliquando licere discordare in volito materiali à diuina voluntate; & certè non inuenietur expressior casus, quàm si alicui reueletur sua damnatio, vel quid simile : ergo tunc licebit orare Deum, vt faueat optatis, cum id liceat petere quod licet optare.

Secundò. Si non licet orare vt reprobi conse- 3
quantur vitam æternam, quia infallibile est eos non cõsecuturos: ergo pro nulla re obtinenda licet orare, quia iam à Deo infallibiliter decretum est, quid sit futurum, vel non futurum; quod si res petita eueniet, superfluè Deum pro euentu oramus; si autem non eueniet, magis superfluè; quia in cassum oramus.

Tertiò, Christus Dominus Petro reuelauit, *antequam gallus cantet, ter me negabis*: & tamen tenebatur velle non negare, & cupere non negare: ergo poterat orare Deum, vt euaderet negationem: ergo potest fundi ad Deum oratio pro re quam scimus esse impossibilem : atque adeò pro reprobatis vt salutem consequantur. *Minor* argumenti nota est: tum quia illa reuelatio non auferebat præceptum non rogandi Christum: tùm quia aliàs non peccasset negãdo. *Cõsequentia* verò probatur, quia quod licet optare, licet à Deo petere. *Secunda consequentia* etiam manifesta est cum tertia.

Quartò, adhuc posita reuelatione de propria, aut alterius damnatione, est in potestate hominis, & tenetur vitare peccata propter quæ damnabitur : ergo licitum est orare Deum pro impletione eius, quod tenetur facere : & potest liberè facere: imò & tenetur velle. *Antecedens* manifestum est, aliàs posita tali reuelatione auferetur obligatio & culpa in vitãdis illis peccatis, propter quæ damnatur. *Consequentia* verò probatur: quia mirũ esset nõ posse postulare auxiliũ à Deo, pro eo quod quis potest & tenetur facere : imò non potest facere sine auxilio , aut concursu Dei.

Quintò, Qui Deum imitatur non errat, sed Deus vult omnes homines saluos fieri, etiam reprobos: ergo & nos idem debemus velle, & consequenter à Deo petere. *Confirmatur*, nam Christus pro omnibus mortuus est, pro omnibus se exhibuit Redemptorem: ergo nos quia ad eius normam nostram debemus componere vitam, pro omnibus etiam reprobis orare debemus, vt salutem consequantur. Hoc eodem protsus argumento vtitur D. Paulus *prima ad Timotheum* 2. vt probet pro omnibus nemine excepto esse oran- 1. AdTim. 2.
dum.

Sextò. Quamuis Christus Dominus sciret non esse exaudiendum, pro euadenda morte orauit. *Matth.* 26. ergo quamuis nos sciamus reproba- Matt.26.
tiquem,

tionem, adhuc pro ea vitanda orare oportet. *Confirmatur*: quia Christus in Cruce appensus o-
Luc.30. rauit pro crucifixoribus, dicens: *Ignosce illis*, Lucæ 13.& tamen certò sciebat plures ex illis esse damnandos: ergo & nos pari ratione possumus pro reprobis orare.

4 Propter hæc & similia argumenta Ioannes de
Sententia Ioannis de Medina. Medina, *Codice de oratione, quæstione sexta* circa finem, asserit esse orandum pro reprobis: *Eò quod secundùm legem Dei ordinariam*, inquit ipse, *nullus reprobatur, nisi propter sua peccata*: atque adeò reprobatur dependenter ab operibus malis reprobati, quorum fugam & vitationem petentes à Deo, petimus consequenter vitari reprobationem.

Vera sententia. Dubitatio hæc plus habebit in recessu, quàm in fronte: pro cuius decisione, *sit primum assertum*. Quando scitur Deum voluntate efficaci velle aliquid fieri, quod in sui productione non pendet aliquo modo à cooperante libero arbitrio hominis, nō licet oranti pro se, aut pro alio petere oppositum: verbi gratia, reuelat Deus patrem moriturum præsenti infirmitate oppressum: aut verò pluuiam futuram hac hora & die: non licet orare pro tali effectu vitando. *Probatur primò*, quia qui sic oraret conaretur contra Dei voluntatem: tum non volendo id, quod decreuit diuina voluntas fieri: tum orando contra Dei beneplacitum immutabile: ergo Deo iniuriam irrogaret. *Secundò*, quia talis conatus esset stultus sine vllo fructu: essetque Deo iniuriosus; quia quantum ex se est, intenderet decretum diuinum mutare: ergo non esset fundenda talis oratio.

Sed rogabit quispiam, quod peccatum esset, & contra quam virtutem sic orare? *Respondetur*. Fortasse ad inobedientiam reducitur, vel fortassis contra virtutem Religionis: vt sic enim qui iurat falsum contra Religionem peccat: quia ipso facto protestatur, Deum quem adducit in testem esse mendacem: sic qui oraret in casu nostræ conclusionis, ipso facto conatur Deum astruere, vel mendacem in sua reuelatione; vel mutabilem in suis decretis; quod est contra Religionē, & reuerentiam Deo debitam.

5 Ex hac assertione *infertur primò*. Si Deus alicui reuelet se non daturum aliquod donum pertinens ad voluntatem Dei antecedentem: verbi gratia, talem illuminationem, reseruationem à tali occasione peccandi: imò & ipsum donum perseuerantiæ: non licebit à Deo petere, & petitio esset stulta, & Dei decreto iniuriosa: vt in assertione probatum est; eò quod collatio illorum donorum, quæ fit per voluntatem Dei antecedētem, non pendet à cooperatione liberi arbitrij: sed à sola Dei voluntate, cui contraire nefas est. *Secundò* infertur, facta certa reuelatione de alicuius damnatione, non licere à Deo petere, vt supposito adhuc vltimo peccato in fine vitæ non damnetur: quia supposito illo vltimo peccato nullo modo pendent ex voluntate hominis, sed solus Dei, damnatio: & ita vt in assertione dixi, illa oratio esset conatus quidam contra Dei, decretum, nullo modo pendens ex voluntate hominis.

Secundum assertum. Si Deus reuelet alicui aliquid infallibiliter fiendum, ad quod tamen liberè concurrit liberum arbitrium hominis, censeo non licere orare, vt fiat oppositum: verbi gratia, Deus reuelat alicui, quòd leget, aut scibet etas, quòd peccabit furti peccato, sicut reuelauit Petro, *ter me negabis*. 6

Sed antequam à me probetur: aduerto veritatem eius non pendere ex illa controuersia hisce temporibus agitata: an Deus sua voluntate concurrat ad omnia opera liberi arbitrij, prædeterminando illud ad operandum, sine vlla tamen læsione libertatis, quod verum censeo: an verò concurrat dumtaxat voluntate concomitante, quod falsum esse existimo: sed siue hoc, siue illud dixeris: arbitror veram nostram assertionem: & probatur. Nam est impossibile quempiam ad Deum accedere aliquid petendo, imò neque ab homine, nisi habeat aliquam spem, seu fiduciam impetrandi quod petitur; vt de se patet, & amplius explicabitur. Sed posita reuelatione diuina, quod aliquid infallibiliter eueniet, vndecunque veniat ista infallibilitas, est impossibile concipere fiduciam obtinendi oppositum; nisi petens sit amens, aut immemor diuinæ reuelationis & certitudinis eius, aut dubitet de certitudine, & infallibilitate diuinæ reuelationis, quod esset magnum piaculum: ergo vel fatua esset talis oratio, aut Deo iniuriosa, quia ipso facto protestaretur Deum posse esse mendacem in suis dictis. *Probatur minor*, quia fiducia obtinendi rem petitam fundatur in iudicio intellectus, saltem probabili aut ad minus non improbabili, quod assequetur rem petitam: sed tale iudicium est incompatibile cum reuelatione præfata de opposito ei, quod petitur, nisi putet orans Dei reuelationem non esse indequaque certissimam, & infallibilem: ergo non est possibile concipere talem fiduciam. Confirmatur testimonio Diui Augustini, libr.21. de ciuitate Dei, capite 24. vbi ait: August. *Si sciret Ecclesia de aliquo esse reprobum, non magis oraret pro illo, quàm pro ijs, qui sunt in Inferno*. Et notate, secundùm mentem Augustini, reprobationem fieri ratione peccatorum, quæ præuidentur, ac ex consequenti pendere quodammodo ex cooperatione liberi arbitrij.

Hæc conclusio est contra Ioannem de Medina *vbi supra* asserentem non esse licitum orare pro reprobo, qui reprobatus est nullo supposito peccato: quia talis reprobatio solùm pendet à Dei voluntate, quam innotescere nobis supponitur per reuelationem esse determinatam ad reprobandum aliquem, at verò benè licet orare pro reprobo, qui reprobatus est supposito peccato; eo quod talis reprobatio pendet à libero arbitrio hominis, cuius libertas non tollitur per reuelationem. Similiter est contra Gabrielem Vazquez è societate Iesu *super Diuum Thomam* 1.2. *quæst*.19. *art*.10. *cap*.3. fauent huic sententiæ præcipuè quartum & quintum argumenta posita contra D.Thom. sententiam. Medina. Vazquez.

Ex hoc infertur *Assertio tertia* appendix ad immediatè præcedētes. Si alicui reuelaretur reprobatio propria, aut alterius, non liceret orare pro illa 7

illa euitanda. Hoc colligitur ex prima assertione, si reprobationis non datur causa ex parte hominis: si verò dicas dari causam, colligitur ex immediatè præcedenti assertione, ex qua etiam colligitur idem esse dicendum de damnatione propter demerita præcedentia.

Quartum assertum. Licitum est orare pro reprobis viuentibus, etiam si sciamus illos esse reprobatos, non quidem vt euadant damnationem, sed vt donentur illis gratia, virtutes, auxilia ad benè operandum, & ad vitanda singula peccata diuisim toto vitæ suæ tempore. *Probatur*, quia hæc oratio non petit rem impossibilem, sed est Deo gratum & acceptum quod exigitur, & offensarum Dei impeditiuum. Vnde & ipsis reprobis ingens dimanat vtilitas, quia vitandorum peccatorum non subibunt pœnas. *Sed rogat quis*, quid si reuelatio sit, quod propter hoc peccatum damnabitur committendum in vltimo vitæ termino? *Respondetur*. Tenetur illud vitare, vt statim dicemus, sed orare pro eo vitando vel impossibile est, vel non licet, vt iam in præcedenti assertione probatum est.

8 Demum in calce huius dubij *aduerte*, fuisse aliquos Doctores existimantes non posse fieri alicui reuelationem de sua damnatione: ita Diuus Bonauentura *in expositione Textus*; Magister *in 1. dist.* 48. id ipsum asserit Altisiodorensis, *in tertio, Tract. 5. capit. 6. quæst. 5. paulò ante finem*: & Gregorius Ariminin. *in primo dist. 48. in fine vltimæ quæst.* dubius manet, an possit fieri talis reuelatio, quia reputant talem hominem perplexum. Cæterum D. Thomas *de veritate quæst. 23. art. 8. ad secundum*, ait, de potentia Dei ordinaria nunquam fieri absolutas reuelationes de alicuius damnatione, sed si aliquando fiunt, intelligendæ sunt comminatoriæ, vt homo perterrefactus timore sententiæ conuertatur. Hoc autem modo si fiant, licet orare pro quibuscunque, & petere pro eis auxilia præuenientia & efficia ad donum perseuerantiæ, & liberationem à tali sententia.

(Bonau. — Altisiod. — Greg. Ari. — D. Thom.)

Quintum denique & vltimum *assertum* sit. Non licet orare pro omnibus hominibus collectiuè, vt saluentur, benè tamen diuisiuè. *Prima pars* patet, quia est impossibile omnes saluari simul: ergo non licet talem orationem fundere: quia inepta petitio esset. *Secunda pars probatur* ex testimonio citato Diui Augustini de correptione & gratia: *De nemine, inquit, esse desperandum, quandiu viuit:* ergo nullus est pro quo non liceat orare.

(Augu.)

(Soluũtur argumẽta contra D. Thom.)

Ad argum. facta à principio huius dubitatiunculæ contra sententiam D. Thomæ, respondetur. *Ad primum* difficile esset respondere si exactè tractandum esset; quando possumus discordare à voluntate Dei in re, quam Deus vult: quod communiter solet dici in volito materiali. Ingens certè difficultas, & varietate argumentorum difficilium & diuersitate opinionum. De hac re videndi sunt D. Thomæ interpretes. 1. 2. *q.* 19. *artic.* 10.

Modo verò omissa fusiore tractatione, ne disturbemus disputationes à proprijs sedibus, respondetur ad argumentum, quod postulat dari casum, in quo liceat discordare voluntatẽ humanam à diuina. Nam in eo videtur posse orationẽ fundi pro impetrando aliquid, cuius oppositum Deus decreuit fieri. *Respondetur* inquam non posse nos discordare à voluntate Dei in ijs, quæ à Deo solo pendent, cuiusmodi est reprobatio, atque adeò non posse orare pro reprobatis, vt dictum est in prima assertione: in ijs verò quæ pendent quodammodo ex cooperatione liberi arbitrij probabiliter censeo posse nos discordare à voluntate Dei in volito materiali. Inde tamen non infertur posse orare Deum pro effectu, cuius oppositum infallibiliter futurum esse decreuit Deus propter rationem vrgentem positam in secunda assertione. *Quare ad argumentũ* negatur prima & secunda consequẽtia, & admissa prima etiã negatur consequentia secũda, quia illa propositio fundamentalis D. Augustini: *Quod licet desiderare, licet petere à Deo*, limitanda est, quando orans aliũde non scit firmiter non obtenturum quod petit: quia si sciat deficit formalis ratio petendi. Pariter respond. ad confirmationem negando minorem; vel melius respondetur negando consequentiam, propter rationem datam.

(August.)

Ad secundum respondetur, quod secundum legem ordinariam, an obtinebimus petita, nescimus: & si sciremus obtẽturos, etiam scire oportet diuinã prouidẽtiam ordinasse, vt per orationes obtineamus; & tunc oratio non est superflua, quia per eã & media ea mandatur executioni diuina prouidentia. Quod si scimus certissimè non obtenturos petita, iam diximus superfluè orare pro consecutione; quia non est pro consecutione impossibilium orandum. 10

Ad tertium fortasse quis dicet, illã reuelationẽ D. Petri intelligi quasi cõminatoriè: & exprobrãdo infirmitatem eius. Sed conformius textui dicitur Petrum perturbatione eorum, quæ audierat à Christo, omnes, scilicet, passuros scãdalum; vel non penetrauit reuelationem, vel quod certius est, illum esse oblitum: nam subditur: *Recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat ei, &c.* Vnde illo temporis interuallo ante negationem non orauit pro vitanda negatione. Hæc vera sunt, per quę tamen non euaditur argumenti difficultas; quod procedit supposita cognitione certissimæ reuelationis. *Vnde respondetur* concedendo Petrum facta tali reuelatione teneri non negare, imò & conari non negare; non tamen tenebatur, neque poterat orare pro vitanda negatione; nõ quia tenebatur conformari volũtati diuinæ absolutè; quin potius de opposito habebat præceptum; sed quia impossibile erat orare pro euitanda negatione: eò quod posita illa reuelatione impossibile erat fiduciam concipere obtinendi petita. Quare concessa maiori & minori, negatur consequentia: cuius rei ratio statim amplius explicabitur.

Ad *quartum* similiter negatur consequentia: & notate rationem, propter quam tenetur ille vitare omnia peccata, propter quæ damnabitur, & tamen non tenetur, nec potest orare pro ijs vitandis; etenim reuelatio talis, si fiat, nõ tollit præceptum nec libertatem vitandi; sicut enim liberum erat homini peccata illa cõmittere ãte reuelationem pręfatam, ita & post eam pronuntiatã. Simi- 11

liter neque tollit præcepta, v.g. non orandi, non occidendi, &c. aliàs propter illa non damnaretur homo; & ex hoc sequitur, quod tenetur conari & velle illa vitare.

Cæterum illa reuelatione admissa talis homo, neq; tenetur præcepto orandi pro euitandis illis malis, neq; possibile est orare, nisi stultè procedat non intelligens quid sit orare; eo quod de intrinseca & formali ratione orationis est, ꝙ sit petitio procedens ex fiducia obtinendi rem petitam; quę fiducia impossibilis est facta tali reuelatione, vt dicebamus circa secundũ assertum. Itaque per reuelationem dictam aufertur tota literali quid quod est de ratione formali orationis; at non aufertur ratio formalis iustitiæ, aut dilectionis, aut alterius virtutis contra quam cõmittuntur peccata, propter quæ damnantur quotquot damnantur.

Hinc soluitur arg. quod prima facie videtur torquere, quod huiusmodi est: fingamus aliquẽ esse damnandum propter solam transgressionẽ præcepti de orando Deum; quod sæpissimè obligare diximus supra: cui demus à Deo reuelari, fore condemnandum propter illud peccatum; tunc sequitur manifesta contradictio? nam iste damnabitur, quia Deus reuelauit; & non damnabitur, quia non tenetur, nec potest orare: ergo nõ peccat non orando, imò peccaret orando, & sic esset perplexus; nam siue oret, siue non oret peccabit. *Respondetur.* In ipsamet reuelatione includitur implicatio, vt argumentum probat; quare nõ admitto manere pręceptum orandi posita tali reuelatione; eo quod destruitur ratio formalis orationis per illam reuelationẽ: secus est in præceptis aliarum virtutum, quarum rationi formali nõ opponitur reuelatio damnationis propriæ, & ideo non redduntur homines impotentes ad vitandam talium præceptorum transgressionem, sicut efficiuntur ad vitandam transgressionem pręcepti de oratione. Simile quid contingit si alicui reuelaretur esse damnandum propter transgressionem præcepti sperandi beatitudinem: de qua re in materia de spe.

Circa quintum argumentũ, notanda est expositio illius loci: *Deus vult omnes homines saluos fieri.* D. Thomas quatuor aut quinque expositiones apponit super illum locum: tres. *1. parte quæstio. 19. articul. 7.* Magister Bannez *ibidem octo*: Iuxta quasdam non procedit argumentum: iuxta alias verò sic. *Respondetur* ergo si sit sensus de voluntate antecedente, quia vellet omnes saluos fieri, quantum est ex parte sua; sic & nos possemus orare pro omnibus, vt Deus non deficiat quantum est ex parte sua ad omnes saluandos: & sicut Christus quantũ ad sufficientiam pro omnibus mortuus est, non tamen quantum ad efficaciã: sic & nos possumus pro omnibus orare, vt quãtum est ex parte Christi non desint illis sufficientia auxilia, vt saluentur; non tamen possumus petere pro omnibus collectiuè auxilia efficacia. Ac deniq; Apostolus loquebatur de oratione fundenda pro omnibus diuisiuè, id est, nullũ esse excipiendũ, quia secũdũ legẽ Dei ordinariã de nullo scimus certo esse reprobũ; nisi de Antechristo, pro quo nõ licet orare, vt saluetur, & hinc etiã patet ad cõfirmationẽ.

D. Thom. 12

Bannez.

Circa *sextum argumentum* videndus est D. Thomas. *3. part. quæst. 21. per omnes articulos,* vbi mirabiliter exponit testimonium allatum ex *Matthæi. 26.* maximè *articul. 4. ad primum.* Nobis verò placet expositio Chrysostomi & Ambrosij: nimirum quod illa oratio explicatiua fuit motus appetitus sensitiui, aut voluntatis, vt natura est refugientium mortem, vt ostenderet se suscepisse veram humanam naturam cum omnibus naturalibus affectibus; & etiam vt doceret homini aliquando licere aliquid velle secundum naturalem affectũ, quod Deus non vult: & sicut ille motus naturalis non est voluntas simpliciter & absoluta, sed secũdum quid, id est conditionata, quæ explicatur, sic vellem, si aliud non obsistat, sic & oratio illa secundum quid est oratio; nec necessarium fuit exaudiri simpliciter id, quod petebat, quia non simpliciter, sed conditionaliter petebat, dum subiungit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* D. Thom. 13 Chrysost. Ambrosi.

Ad *argumentum ergo respondetur. Primò* quod nos possemus fortasse orare pro reprobis, eo orationis genere, quo Christus orauit pro non subeunda morte: nimirum exprimẽdo affectum naturalem charitatis & amoris, erga omnes; sed esset oratio secundum quid; nos verò loquimur de oratione absolutè, quæ petit absolutè aliquid cum fiducia impetrandi, qualis oratio non potest fieri pro reprobis. *Secundò respondetur.* Nisi inaduertenter prorumpamus in talem orationem ex affectu amoris, otiosa esset talis oratio pro reprobis, vt potè in qua non procedunt rationes quæ mouerunt Christum, vt tali genere orationis vteretur.

Ad *confir. resp.* ex D. Th. *doctr. 3. p. q. 21. ar. 4. ad secundum.* Christum Dominum non orasse pro omnibus Crucifixoribus, neque etiam pro omnibus qui erãt credituri in eum, sed pro ijs solum, qui erant prædestinati; vt vitam æternam per ipsum consequerentur: ex qua responsione habes, tum claram sententiam D. Th. non esse orandum pro reprobis, tum expositionem quorundam testimoniorum sacræ Scripturæ; vbi funditur oratio pro omnibus, semper intelliguntur excepti reprobi, quando agitur de æterna salute cõsequenda. *Secundò resp.* Christum orasse pro omnibus etiam includẽdo reprobos, vt ostenderet affectum amoris erga omnes, quantum est ex parte sua: ad eum modum, quo Deus vult omnes homines saluos fieri; aliter tamen & aliter; nam pro prædestinatis oratione absoluta & simpliciter, pro reprobis si ipsi non obstarent: vel melius, pro prædestinatis etiam si in peccato tunc essent, vt aliqui Crucifixores, vt actu se disponerẽt ad gratiam, & consequerentur gloriam: ꝙ & factum esse declarat Euangelista Lucas *cap. 23.* dicens de quibusdã, ꝙ reuertentes percutiebant pectora sua, at verò pro reprobis, non vt salutem æternam consequerentur, sed vt haberẽt media sufficientia ad salutem: quod pulchrè satis expressit Dauid *Psal. 34.* in persona Christi dicẽs: *Oratio mea in sinu meo cõuertetur.* Et loquitur de oratione fusa pro se persequentibus: Glos. Interlinealis inquit: *Oratio mea non proderit* (intellige ad gloriam) *nisi ijs, qui sunt* 14 D. Thom. D. Thom. Luc. 23. Psal. 34. Interlinealis.

præde-

prædestinati, futuri familiares, & sani in sinu à quo exierāt leprosi facti, vt manus Moysi. Fit allusio ad manus Moysi, quę eductæ à sinu leprosæ ostēdebātur, & reductæ ad eūdē sinū sanatæ sunt: sic prædestinati quando peccāt leprosi fiūt, sed Dei misericordia Christi meritis reducuntur in Dei familiaritatem & amicitiam, & sanātur. Igitur sensus Christi loquentis est: *Oratio mea in sinu meo conuertetur*: id est, oratio à me facta in Cruce pro inimicis meis, nō omnibus proderit ad salutem vltimā, sed cōuertetur in sinum meū (sic habetur Gręcè & Hebraicè, ablatiuus vsurpatus pro accusatiuo.) *Cōuertetur* (inquam) *in sinū meū*, id est, ad electos meos & prędestinatos, qui dicuntur esse in sinu, in quo res pretiosę, & licitæ solent seruari: pro his namq; ad gloriam oratio mea proficiet. Ita etiam interpretatur hunc locum Iacobus de Valentia. Hæc dicta sint de hac quæstiuncula. *Iacob. Valentia.*

DISPVTATIO III.

An pro hominibus quibusdam peccantibus ex malitia, & in peccatis inueteratis, & sine remorsu conscientiæ peccantibus, quos solemus appellare obstinatos, seu incorrigibiles, liceat orare?

1 *1. Ioannis.* ET videtur quod non, ex testimonio iam citato. 1. Ioan. 5. *Est peccatum ad mortem, pro hoc non dico vt roget quis.* Quem locum quidam, vt vidimus supra, exponunt de incorrigibilibus, & qui peccant cum proposito non pœnitendi. Ita D. Thom. *de malo. q. 3. art. 15. ad. 3.* *D. Thom.*

Secundò, quia non minores cōiecturæ reperiūtur, quod aliqui viuētes sint reprobi, verbi gratia, isti obstinati, quàm quod aliquis vita functus sit prædestinatus: sed propter cōiecturas de prædestinatione alicuius defūcti superuacanea est oratio pro illius salute: ergo etiā propter cōiecturas de aliquorum reprobatione erit superuacanea similis pro illis oratio. *Maior* videtur nota, & minor patet ex illo cōmuni dicto: *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro illo.* Et tamē de salute Martyris nō habemus, nisi coniecturas, antequam canonizetur, potest enim fieri vt in mortis instanti peruerteretur.

Tertiò, vt quis excusetur ab impletione alicuius præcepti sat est iudicium certū morale, quo arbitretur non esse exercendum actu præceptum, sed respectu aliquorū in particulari potest haberi iudicium certum moraliter, quod non sit orandū pro salute illius: ergo, &c. *Maior est aperta.* Nam vt, verbi gratia, non tenearis Petro dare eleemosynam, satis est iudicium certum moraliter, quo iudices Petrum nō esse pauperem: atque adeò te nō teneri porrigere eleemosynā illi. *Minor probat.* quia, quando coniecturę ostendunt aliquem esse reprobum, potest quis ita ratiocinari: Pro reprobo non est orandum, vt re ipsa gloriam cōsequatur: sed hic est reprobus: ergo pro isto non est orandū. *Maior* certa est ex præcedentibus, minor etiam est certa moraliter propter coniecturas: ergo cōclusio erit etiam certa, vt minimum moraliter.

Pro decisione *aduertendū* ex doctrina D. Thomæ *in quæst. 24. de veritate, art. 11.* nullum reperiri hominem, dum degit in vita mortali, de cuius salute desperandum sit citra reuelationem: sunt quidem aliqui adeò inueterati in suis peccatis, vt videantur in fronte vt dicitur, descriptā suam reprobationem habere, non quod sint simpliciter obstinati in malo, sed quia difficilè conuertuntur. Et *probatur* pro istis esse orandum, quia licet attenta eorum inueterata malitia, & naturæ humanæ imbecillitate ad resurgendum à peccato, nedū à talibus peccatis, iuxta illud, Psalmi: *Spiritus vadens* (nimirum proprijs viribus in ruinam) *& nō rediēs*, eisdem viribus solis, tamē Dei misericordia in hisce peccatoribus conuertēdis ostendit suam manum fortem. Sic interpretantur quidam illud Psal. 67. *Dixit Dominus ex Basam conuertam: conuertā in profundū maris.* Ex Basā, id est, ex siccitate, sterilitate, aut confusione (hæc enim omnia sonat Basam) *conuertam*; *& conuertam me, dixit Dominus, vel conuertar, in profundum maris.* Vel ad eos qui erant desperatissimi, & iacent in profundo malitiæ, ita August. & Glossa interlinealis Exodi, cui cōsonat Hebraica lectio, quę sonat, de profūditatibus, seu de profundo maris, non in profundum, vt nostra habet editio. 2 *D. Thom.* *Psalm.* *Psal. 67.* *August.*

Proinde quidā ex ipsis sic legit: *Restituā à Basā, restituam à profundo mari*, id est, à peccatis desperatissimis: quinimò solet Deus ad ostensionem misericordiæ & potentiæ suæ ex istis quasi obstinatis viros inclitos suæ Ecclesiæ efficere, vt patet in Paulo & Matthæo: sic interpretatur D. Augustinus illud Psal. 147. *Misit crystallum suam sicut buccellas.* Aliàs: *Frustra panis.* Et per crystallum intelligit peccantes ex malitia, & in malis obstinatos, quos ideò dicitur Dominus mittere tanquam buccellas, eò quod sæpe Dei vocatione incorporentur Ecclesiæ, vt alios pascant, vt constat in Paulo, de quo Augusti. *Paulus crystallus fuit, durus, & nitidus: Durus, quia persecutus Ecclesiam, Nitidus, quia in lege peritus. Hanc autem Deus dissoluit, & factus est panis, quia veritatem docuit.* Igitur quos Deus conuertit, & quibus dat salutem liberaliter, cur ab hominibus non est imparciendum beneficium orationis, vt saluentur? fortasse enim medijs orationibus maximè iustorum, istos vult conuertere, sicut Paulum media D. Stephani oratione. Secundò. Huiusmodi peccatores licitè & vtiliter orant pro se ipsis, vt saluentur, cur ergo alij non licitè orabunt? cum scriptum sit: *Diliges proximum sicut te ipsum.* Tertio. Quicunque dum degit in hoc sæculo quantumuis obstinatus, induratus & incorrigibilis, potest saluari, vt vidimus ex August. *vbi supra de correptione & gratia, & ex sermone. 11. de verbis Domini, & alibi* sæpe: ergo nō est cur non ei beneficium orationis impendamus. *August.* *Psal. 147.* *August.* *August.*

3 *Soluūtur* Ad primum in oppositum, multa superius diximus de expositione peccati ad mortem, modo verò

argumenta. vero admittentes peccantes ad mortem esse obstinatos & induratos; Respondetur cum D.Tho. *D.Thom.* de *veritate.q.24.artic.11.ad 8.& de malo,q.3.artic.15.ad 5.* quod in verbis Apostoli, non prohibemur orare pro huiuscemodi peccatoribus, sed admonemur non attinere ad quoscunque fiducialiter orare pro huiuscemodi, sed ad viros excellentis virtutis, eò quod non quicunque orans est tanti meriti, vt orando modo præfato gratiam impetrare possit: quia talium conuersio est quasi miraculosa: & hoc est quod intendunt Sancti, quando per exaggerationem reputāt eam impossibilem, sicut si diceretur, pro suscitatione mortui *non dico vt oret quis,* id est, quicunque, sed aliquis magni meriti. Quare non assentior quibusdam modernis dicentibus non esse orandum pro quibusdam iam iā moribundis, & exhibentibus signa reprobationis, verbi gratia, verba blasphemiæ, aut desperationis, vel quid simile: quia licet metaphysicè possibile est, vt saluentur, non tamen moraliter: quin imò censeo pro talibus magis esse orandū, quia eorū maius periculū plus excitat ad orādum pro conuersione ipsorum; & ex alia parte nō solum possibile est metaphysicè huiuscemodi saluari, verum & de facto aliquando precibus iustorum redeunt ad cor, & salui fiunt.

4 Ad *secundum* concessa maiori negatur minor, & ad probationem, quæ exigit sensum illius dicti vulgaris: *Iniuriam facit martyri, qui orat pro eo,* infra latius dicēdū est: modò verò breuiter dico quod ante canonizationem alicuius, qui visus est mori pro Christo, vel antequam totius populi Christiani consensu approbetur eius martyrium, nō censetur incōueniens orare pro eo: nam fortasse, qui visus est mori pro Christo, mortem subijt vel non ex charitate, vel cum complacentia alicuius peccati venialis, atque adeo indiget oratione, si est in Purgatorio: sed de hoc aliàs.

Ad tertium negatur minor: ad probationē distinguo maiorē: si enim intelligatur de reprobo, quē esse reprobū certò & infallibiliter constaret: cōcedatur, & sic non constat de aliquo secundū legē Dei ordinariā: si autem intelligatur de eo, qui tātum existimatur reprobus per coniecturas, falsa est illa maior: etenim illis coniecturis non obstātibus, habetur iudiciū de possibilitate morali salutis, quod iudiciū sat est ad orandū, vt dictū est. *Et si vrgeas* ex simili adducto præcepti eleemosynę, nō est par ratio, nam vt teneamur eleemosynam facere, non sat est iudicium de possibilitate paupertatis, sed requiritur esse certū moraliter eum, cui porrigenda est eleemosyna, esse de facto pauperem; at verò vt teneamur orare pro aliquo, iudicium sufficiens est, possibile esse, quod iste saluetur moraliter loquendo.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum debeamus pro inimicis orare?

Paraphrasis Articuli.

PRIMA *conclusio.* Tenemur non excludere inimicos in orationibus communibus, quas pro alijs facimus. 1

Secunda conclusio. In particulari orare pro inimicis perfectionis non necessitatis est, præter quam in casu speciali necessitatis, in quo tenebimur pro illis orare. Ambas has conclusiones probat D.Th. facta proportione dilectionis *D.Thom.* inimicorum ad orationem pro ipsis: etenim sicut tantum tenemur in cōmuni nōn excludere inimicos à dilectione, & in speciali nō tenemur diligere, nisi in casu necessitatis: ita proportionaliter dicēdum est de oratione pro inimicis.

Nulli videatur superfluus iste articulus post determinationem factam in præcedenti, esse orandum pro alijs quibuscunque: quia id quod potissimum D.Thom. intendit docere, est tempus præcepti orationis pro alijs: quo determinato erga inimicos, erga omnes determinatur, cum in hac parte eadem sit ratio præcepti in orando pro amicis. Circa literam verò D.Thom. repetit, quæ docuerat de dilectione inimicorum supra *q.25.artic.8.& 9.* vt inde colligat, quando & quomodo sit orandum pro inimicis: & Caietanus *Caiet.* *super hunc articulum* benè notat sanctum Thomam non esse sibi contrarium, propterea quod loco allegato tantum dixerit inimicos esse diligendos, in particulari, tempore necessitatis: in hoc autem articulo dicit esse diligendos, tum in necessitate, tum etiam quando petunt veniam, benignè illis respondeo: etenim supra in materia de charitate accepit nomen necessitatis in ampliore significatione, cōprehēdens oēs casus, quibus necesse est inimicos diligere, siue propter indigentiam personæ siue propter aliorum scandalum, siue propter timorem, ne iterum qui inimicus fuerat, repetat inimicitiam, videns secum austerius agi, vel propter quid simile: cuiusmodi est tempus, quando inimicus petit veniam: in hoc tamen articulo, strictius vsurpauit nomen necessitatis, videlicet pro necessitate tantum ipsius inimici: ac proinde distinxit necessitatem à tempore, quo est necessaria inimici dilectio, propter scandalum vitandum, non autem propter indigentiam ipsius inimici. Esse orandum pro inimicis fides est, vt habetur Matth.5. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Et quidem non pigebit adnotasse, nomine *Matth.5.* inimicorum intelligendos esse quoscunque homines nobis aduersantes, siue cum peccato inimicitias exerceant, siue sine illo: vt in his qui gerunt nobiscum bellum, putantes se iustè facere, vel in ambitoribus Cathedrarū, & similibus.

Sed 1.concl. D.Th. videtur falsa: nam possumus orare pro cōsanguineis, & amicis, nulla facta mētione inimicorū. *Præmittere* oportet hæc tria esse 3 distincta, includere inimicū in mea oratione, & excludere eū ab illa, & nō includere. Hoc supposito *respondetur:* quædam sunt orationes, quæ fiunt ab Ecclesia pro omnibus, & in his non licet excludere inimicos: aliæ sunt, quæ non fiunt nomine Ecclesiæ, sed ipsius orantis, siue sint orationes communes, siue particulares, & in his licitum

tum est excludere negatiue inimicos extra casum necessitatis, id est, sic orare, vt nullam eorum habeamus memoriam: non tamen licet excludere inimicos positiuè, & contrariè, dicendo, oro quod Deus largiatur hæc & hæc amico meo, non verò inimico meo.

Et si arguas, quia aliquando oratur ex præcepto pro integra cõmunitate, vt pro Religione Dominicana, à qua oratione excludere inimicos etiam negatiuè peccatũ est. *Item*. Quandoq; oratur voluntariè, & sine obligatione: ergo tũc excludere inimicos etiam positiuè nullum peccatum erit: quia orare pro ipsis in hoc casu liberum est. Ad *primam obiect. resp.* in eo casu omittere inimicum peccatum esse, quia habent ius ad illas orationes tanquam ad bona communia: vnde meritò appellabuntur orationes communes. Ad *secundam negatur consequentia*, quia in eo exceptionis modo includitur moraliter loquendo auersus affectus inimici saltem, qui periculosus valde est.

4 Circa secundam conclusionem *dubitatur*, quãdo instat præceptum orandi pro inimicis in particulari? *Resp.* cùm ex Euangelio habeamus inimicos esse nostros proximos, atq; adeò diligendos, sicut nosmetipsos, in hoc nullum cerno discrimẽ inter amicos & inimicos: quapropter dico præceptum esse orandi pro alijs siue amici sint siue inimici, quando sunt constituti in aliqua extrema aut grauissima necessitate, quę ad extremũ properat, ad quam subleuãdam censetur prudẽter orationem esse necessarium medium: arbitramur nãq; orationem esse quandam eleemosynam spiritualem, & ideò iudicandum est de eius necessitate & præcepto proportionaliter ad necessitatẽ, & præceptũ eleemosynæ corporalis.

Sed quid petendum pro alijs in art. necessitatis? Dona spiritualia & virtutes. De tẽporalibus petẽdis vix video præceptum, quia non sunt petenda, nisi vt media ad vitam æternam, & non sunt media adeò necessaria ad hunc finem, vt sine illis nõ possimus eum assequi. Quod si in aliquo casu prudẽter iudicarentur necessaria media ad salutem, non inficior, tunc esse præceptum de illis petendis in oratione. Denique nota hæc præcepta orandi pro nobis, aut pro alijs, nõ pertinere ad Religionem, sed ad charitatem, ita D. Tho. Cæterum cum hoc stat, quod talis oratio eliciatur à Religione, & imperetur à charitate: de quo latè supra. D. Thom.

DISPVTATIO I.

An conclusiones D. Thom. sint veræ.

ET contra eas fit 1. argumentum. Licitum est inimicis imprecari multa mala, vt patet ex innumeris locis sacræ Scripturæ, Psalm. 6. *Erubescant, & conturbentur inimici mei*. Et Psalm. 34. plenus est huiusmodi imprecationibus, & Psal. 108. Similiter licitum est bello iusto impetere inimicos: ergo & licebit petere à Deo eorũ mortẽ, malã valetudinẽ, infaustos successus, & similia, quæ necessaria sunt ad victoriam obtinendam. *Confirmatur*. Aliquando licet petere à Magistratibus vindictam de inimicis nostris, aliàs iustitia vindicatiua non esset virtus: ergo & licebit imprecari eis mala à Deo omnium iudice. *Confirmatur secundò* ex Apocalypsi. 6. vbi Sancti quos imitari debemus petunt vindictam à Deo: *Vsq; quo* (inquiunt) *non vindicas sanguinem nostrum, de his qui habitant in terra*. Insuper de vindicta impiorum lætantur, Psal. 57. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatorum*. Psalm. 6. Apoc. 6. Psal. 57.

2 Vt consideratio de imprecationibus absoluatur, *Dico primo*. Nunquam licet nec nobis, nec alijs etiam inimicis mala culpæ imprecari: imo neq; mala pœnæ, quæ habent annexum, eius pro quo oratur, peccatum: verbi gratia, non licet petere à Deo, vt inimicus peccet, aut vt condemnetur, quia nõ potest condemnari, nisi propter culpam: aut quod cadat, vt humilietur, &c. *Probatur*, quia omnis petitio debet habere obiectum bonum, & malum culpæ non potest vllam habere rationem boni: ergo non licet imprecari alicui malum culpæ. Dico secundò. Licitum est inimicis, imò & amicis imprecari mala pœnæ propter aliquem finem bonum, ad quem ordinabilia sunt: verbi gratia, mortem licet imprecari peccatori, vt minus peccet: tyranno vt à tyrannide cesset, cui bellum indicitur iustum, vt potiamur victoria, &c. Et in his & similibus casibus, huiusmodi imprecationes non ad odium pertinent, sed ad charitatem, vel ad aliam virtutem, à qua imperantur. Hinc patet ad argumẽta. *Vera sententia.*

3 Ad primum responder D. Thom. *hic ad primum, & supra quæst. 25. artic. 6. ad 3.* Omnes imprecationes, quæ à sanctis viris in sacris Literis habentur, vno è quatuor modis esse intelligendas: *primus* est, non per modum optantium, & petentium, sed futura prædicentium, ita vt non tã sint precationes malorum, quàm futurorum prædictiones: quę inimici sunt incursuri: vnde & modus optatiuus pro indicatiuo de futuro vsurpatur, quæ permutatio modorũ frequẽs est in S. Scriptura, per figuram enallage: solẽt enim Prophetę figura imprecãtis futura prędicere: sicut figura præteriti ea, quæ ventura erãt, sępe cecinerũt, ferè innumera loca sacræ Scripturæ sic interpretãda sunt. Videndus est Iustinus, *q. 125. ad gẽtes*, Anacletus *Epist. 2.* Augustin. *super Psalmũ. 108. & lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 42. & Psalm. 5. & 38.* Hieronymus Threnorum, 1. cap. & in Psal. 11. super illud: *Disperdat Dominus, &c.* D. Gregorius libro 15. moralium, capit. 23. & Euthymius, Psal. 34. & in titulo Psal. 108. *D. Thom. Soluũtur argumenta. Iustinus. Anacle. August. Hieron. Gregor. Euthym.*

Secũdus modus explicandi easdẽ imprecationes est, quod imprecãtur Sancti mala pœnæ, optãdo illis euenire, propter correctionẽ tamẽ eorũ: ad hunc modũ reducitur, si quis petat victoriã in iusto bello, in iusta lite, aut infirmitatẽ inimici, parantis insidias, &c. Hæc expositio approbatur ab Euthymio super Psal. 34. dicẽte: *Ea ratione Sancti imprecãtur, quoniã scriptũ est: Percute argentũ reprobũ, & purgabitur: imprecatur enim eis, non vt acerbi hostes, sed vel vt ijs, qui prauos homines oderat, & optabat eos castigatione emendari, vt futurũ ac horribile iudiciũ euaderent, vel per illorum pœnas alij fierent meliores.* Euthym.

Tertius modus eſt vt intelligantur petere mala pœnæ, non contra ipſos homines, ſed contra regnum peccati: quid eſt contra regnum peccati? Vt peccata deleantur correctione hominum, manentibus incolumibus hominibus,ſecundum naturam.Itaq; iſte modus differt à ſecundo, quia in ſecundo, mala volunt Sancti pro vtilitate correctorum,vel aliorum: in hoc tertio,mala volunt pro deſtructione regni peccati: in ſecundo, mala volunt ex amore hominũ: in tertio mala volunt ex odio regni peccati. Hunc modum interpretãdi ſequitur Auguſtinus *ſermone. 59. de tempore, & lib.1.de ſermone Domini in monte, cap. 45.* Hieronymus *in capite. 3. Ezechielis, in cap. 4. Danielis.* Origenes.8.*in Epiſtol.ad Romanos ſuper caput 11. Euthym. in Pſal.43.*

Auguſt. Hieron. Origen. Euthym.

4 *Quarta expoſitio* eſt, vt imprecationes illæ non intelligantur de imprecatione malorum vt mala ſunt, ſed vt ſunt bonum iuſtitiæ diuinæ:ita vt deſiderium non referatur ad pœnam hominũ, ſed ad iuſtitiam punientis, cuius voluntati Sancti ſuã voluntatem conformant, circa damnationẽ perſeuerantiũ in peccato. Cui cõſonat illud: *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam.* Et iſto modo poſſumus iniuſtis & incorrigibilibus petere,vt dãnẽtur, & exultare de eorum dãnatione; nec deſiderium tale, aut petitio fertur in damnationem, vt pœna damnatorũ eſt;ſed vt bonũ iuſtitiæ diuinæ eſt; hoc eſt dicere,ſuppoſito, quod ipſi peccatores in peccato perſeuerabunt: petũt & optant licitè iuſti, vt in eorum damnatione luceat iuſtitia diuina,& gaudent quod luceat; ſicut ipſe Deus non lætatur in perditione impiorum. Sapientiæ. 1. *Et nihil eorum,quæ faciunt.*Sapientiæ.11.& tamen lætatur in executione ſuæ iuſtitiæ,erga reprobos. Vide D.Thomam 1. *Contra gentes cap. 95.& 90.*

Sap. 2. D. Thom. D.Hieron. Euthym. D. Bern.

Iſto modo interpretatur quædam loca Sacræ Scripturæ D.Hieronymus cap.1.Threnorum, & Euthymius Pſalm.34.ſuper illud: *Obſcurentur oculi eorum ne videant*, & D. Bernardus ſuper Pſalmum, *Qui habitat.*Sermone. 8.Sed caue, inquit Euthymius, ne ex imprecationibus, quæ videntur in Sacris Litteris, occaſionem ſumas imprecandi aduerſus inimicos, iuxta illud, quod dictũ erat antiquis: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Ex quo colligitur non eſſe crebrò vſitandas tales imprecationes,maximè iuxta præfatum quartum modum imprecandi, qui viris imperfectis periculoſus erit; quia cum eorum corda non ſint vndequaque ab odio inimicorum aliena, timendum eſt, ne intuitu diligendi iuſtitiæ diuinæ ordinem, in odium inimicorũ exardeſcant. Quibus propterea dicitur: *Diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos*, vt & ita ab odio arceãtur; at beati qui nec odio affici poſſunt, neque à Dei voluntate diſcordare, non eſt timendum,quod optantes, & petentes vt inimici, & impij puniantur ad oſtenſionem iuſtitiæ diuinæ, in odium eorum labantur. Similiter & iuſtis viatoribus idem licet optare, & petere ſi viſcera charitatis induant, & omnem odij, & inimicitiæ affectum deponant inſtar beatorum:& ideò dico tales imprecationes rarò debere eſſe in vſu, niſi perfectis,qui beatorum mores imitantur.

Ad ſecundum reſp. quotieſcũq; per iniuriã nobis aliqui aduerſantur licitũ eſt aduerſarijs imprecari ea mala, quæ media ordinata ſũt ad talẽ iniuriã propulſandam, ſiue in bello iniuſto, aut lite, vel quopiam ſimili, iuxta ea, quę dicebamus in ſecũdo modo interpretãdi huiuſcemodi imprecationes.Vbi *aduerte* cũ domino Caietano *hic ad tertiũ*, nõ ſemper licere operari, quæ à Deo petimus, v. g. licet petere à Deo mortẽ hæreſiarchæ vel tyrãni,quos tamẽ occidere priuata autoritate non eſt licitũ. Ad *cõfirmationẽ* cõceditur totũ quod infertur: illa nãque vindicta nõ ex odio procedit, ſed ex iure, quo quis poteſt ſe ſeruare indemnem ab inimicis, de quo latius *in quæſt.*108. vbi agitur de iuſtitia vindicati. 5

Caiet.

Quod ſi obijciat quis D.Auguſt.ſuper *Pſalmũ.* 78.dicentem:non licere petere à Deo vindictam inimicorum; neque gaudere, ſi fortè Deus eam ſumat. *Reſpondetur*,id eſſe intelligendum, quando ex eo non reſultat petenti aliquod bonum; nam vindicta propter ſe, non eſt appetenda. Ad *teſtimonium ex ſexto capite Apocalypſis*, adducto in ſecunda confirmatione, reſpondetur ex D. Auguſtino *Sermone. 6. de tempore,& lib.1. de Sermone Domini in monte, cap. 45. & Sermone. 11. de Sanctis* quod imprecantur mala contra regnum peccati, vt dictum eſt circa tertium modum interpretandi imprecationes. Ita etiam Anſelmus, & Haymon,& quadrant verba ſequentia: *Et dictum eſt illis vt requieſcerent, adhuc tempus modicum, donec compleantur conſerui eorum, &c.* Ac ſi diceretur tũc eſſe faciendum quod petunt, cum euertatur regnum peccati,& mali puniãtur. *Secundò* poteſt exponi iſte locus iuxta quartum modum præfatum interpretandi imprecationes vt ſupra.

D. Augu. Anſelm. Haymon.

Sed quare appellatur vindicta illa inflictio malorũ? quia pro die iudicij illam reſeruant, & cupiunt vindictam: quia diem iudicij optant venire, atque adeò reſurrectionem ſuorum corporum expectant:ſicut ſi quis optaret vindictam de latronibus, potius deſiderio recipiendi res ſuas, quam inflictionis pœnarum. Videndus etiam eſt D. Gregorius.2. Moralium capit.6. Eodẽ modo licet interpretari illud Pſalm. 57. *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam*: Non propter afflictionem malorum, ſed propter ſuorum corporum reſurrectionem. *Secundò*, & melius, lætabitur de malorum punitione;tum quia in illa agnoſcet ſe Dei miſericordia non incidiſſe in eorum peccata: atque adeò liberatum à conſimili pœnarum inflictione; tum,quia videt fratres ſuos viatores ea vindicta liberatos eſſe à peruerſorum oppreſſione: tùm tertio & maximè, quod ea acerbarum pœnarum inflictio cedat in Dei gloriam, & iuſtitiæ eius oſtenſionem, iuxta quartum modum prædictum, & huic conſonant verba ſequentia: *Manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Quæ licet communiter exponantur, vt illis ſignificetur iuſtum actiones ſuas mundaturum, ex conſideratione vindictæ de impijs ſumptæ,vt notat Caſſiodorus ex illo Salomonis dicto, *Stulto pereunte, ſapiens cautior erit*: Tamen magis proprius ſenſus eſt de vltione erga impios: Ita lætabitur, ſicut ſolent

D.Greg. Pſalm. Caſſiodo.

solent gaudere victores victoria parta, insultantes & gaudentes cõculcare sanguinem hostium, & in eo manus suas tingere. Nõ dissonat Hebraica lectio, quæ habet: *Pedes suos lauabit*. Tropus certè appositissima ad declarandã lætitiam, qua iusti in die iudicij exultabunt de omnium impiorum vltione. Et hæc dicta sint de oratione quæ funditur pro alijs, aut contra alios, sed, vt quod polliciti sumus præstemus, sit

DISPVTATIO II.

An pro vita functis orãdum sit? & pro quibus?

1 ET videtur non esse pro defunctis orandum, quia post hanc vitam talia suffragia non prosunt: *Quæ enim homo seminauerit, hæc & metet*. Ad Galatas 6. *Et Deus reddet* *AdGal.6.* *vnicuique iuxta opera sua*. Psalm.61. *Et omnes nos manifestari oportet ante tribunal Domini, vt accipiat vnusquisque prout gessit*. 2. Ad Corinthios. 5.& Apoca- *Apocal. 5.* lips.5. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequuntur illos*. *Psal.61.* Secundò. Hieronymus *2. Ad Co.5.* in caput 6. ad Galatas, exponens illud: *Vnusquisq; onus suum portabit, Docemur* (inquit) *per hanc* *Hierony.* *sententiolam nouum dogma, quod latitat, dum in præsenti sæculo sumus siue orationibus, siue consilijs inuicem posse nos coadiuuari; cùm autem ante tribunal Christi venerimus non Iob, non Daniel, nec Noë rogare posse pro quopiam, sed vnumquemque portare onus suum*. Hæc Hieronymus, & approbatur canone in præsenti.13. quæst.1. Tertiò viuentes non debent se exponere periculo in casum fundendi suas preces, sed ipsi nesciunt, an defuncti sint in Cœlo, in Purgatorio, an in Inferno: ergo non debent orare pro vita functis.

2 Hæc disputatio agitatur à Doctoribus Scholasticis sub titulo generaliori, an suffragia viuorũ defunctis prosint, *in quarto distinct*.45. Maximè D. *D. Thom.* Thomas, *quæst*. 2. & omnes affirmatiuam partem tenent aduersus quosdam hæreticos, cõtra quos *Damascē.* D. Damascenus pronuntiauit loculentissimam orationem: pro quibus refellendis deberet suffice- *2.Mac.12.* re testimonium. 2. Machab. capit.12. vbi memoratur de Iuda Machabæo. *Duodecim millia dragmas argenti misit Ierosolymam, vt offerrent eas ibi pro peccatis mortuorum: nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis: sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*. Hæc ibi. Cuius testimonij efficacitatem non valentes fugere hæretici nostri temporis, qui sectatores sunt antiquorum illorum, negant librum Machabæorum esse canonicum, quos impugnare non est huius loci, tantum dicimus eos sicut in alijs, hæretico decipi spiritu.

Secundò. D. Ambrosius de sacrificio & ora- *D. Ambr.* tione pro defunctis, lib. 2. Epistola 8 aduersus Faustũ de obitu Sororis, *Non tam deplorandam, quàm prosequendã orationibus*, inquit, & Chrysosto- *Chrysost.* mus homilia.41. super primã ad Corinthios. *Iuuatur* (inquit) *mortuus non lacrymis, sed precibus, &c.* August. sermone 32. de verbis Apostoli, dicit *August.* non esse dubium mortuos adiuuari orationibus sanctæ Ecclesiæ, & idem, *capite 4. de cura pro mortuis*, & Clemens Apostolorum discipulus, Epi- *Clemens.* stola prima: *Oportet diligenter orare pro mortuis*. Et Chrysostomus homilia 21. in acta Apostolorum: *Chrysost.* *Si voluerimus* (inquit) *mortuo benè facere, preces pro illo faciamus continuas*. Cyrillus Hierosolymitanus, *Cyrillus.* Catech.5. mystologica: *Oramus* (ait) *pro ijs, qui inter nos vita functi sunt*. Eusebius Alexandrinus *Alexand.* homilia in diem Domini: *Memento* (inquit) *eorum, qui de vita iam decesserunt, parentum ac fratrum, hoc si feceris, magnam ei requiem præstabis*. Sanctus *S.Ephren.* Ephren Syrus, sermone de sua morte ait: *Posse noui testamenti sacerdotes in oblationibus & precibus debitum mortuorum dissoluere*. Videndi sunt etiam D. *D. Prosper.* Prosper, *lib. de prædictionibus, parte 2. capite vltimo*, & sanctus Balchearius contemporaneus D. Au- *Balchearius.* gustini, *in Epistola ad Iouinianum*. Rabbanus Clu- *Rabbanus.* niacensis *Epistola contra Petro-Brusianos, qui hæretici*, & Næriani, & alij, quos citat Epiphanius *hæ-* *Epiphan.* *resi*.75. & Cluniacensis *Epistola* 2. & D. Augusti- *Cluniacensis.* nus *de hæresibus hæresi*.53. & D. Bernardus, *sermone* 66. *in Cantica* negarunt orandum esse pro mortuis, aut quoquo modo illis suffragandum. *D. Augu.*

Bernard. Hos secuti sunt hæretici nostri tẽporis Luthe- *Bellarmi.* rani, quos refutat Bellarminus *in primo tomo, agens de purgatorio, lib.* 2. & 16. mihi videtur, hos esse in mortuos multo crudeliores, quàm veteres illi Albani, quorum celebrata est sæuitia. Hi enim tantum quoad corpora dicebant non esse pium curare de ijs, qui è vita excesserant, vt Strabo *lib.* 11. *Strabo.* Illi verò nouatores idem quoad mortuorũ animas, quæ corporibus longè præstant, magna asseueratione affirmant. *Tertiò* idem probatur traditione & consensu totius Ecclesiæ, vt patet ex 3 testimonijs Patrum citatis, & ex D. Dion. *c. vlt.* *D.Dionys.* *de cœlesti Hierarchia*.

Quartò probatur ex vsu fidelium: Theodosius *Theodosius.* enim iunior ad reliquias Diui Chrysostomi pro animabus parentum suorum iam defunctorum supplicauit, vt autor est Theodoretus, *lib. 5. Hi-* *Theodoret.* *storia, capit*.26. Cõstãtinus Magnus, vt dicit Eusebius *libr*.4. in vita eius, voluit sepeliri in celebri *Euseb.* templo, vt quando mortuus esset fieret particeps multarum orationum. De Sancto Machario sic scribit Pallad. *Pro consuetudine sua pro defunctis preces fundebat*. *Pallad.* Esset in immensum procedere, si vellemus proferre, quomodo Sancti dum viuerent pro se quando è vita excessissent, peterint fieri orationes. Et hic est perpetuus mos fidelium orandi pro mortuis: nam cum sacra mysteria celebrãtur, dicitur in Canone: *Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis*. Horæ Canonicæ quoties persoluuntur per orationem: *Fidelium animæ requiescant in pace*: terminantur. Nunquam morigerati è mensa surgunt, nisi Deus rogetur pro requie defunctorum. Cœmiteria si quando transire contingat, fidelium defunctorum memoria fit. Si sermo incidat de defunctis, diuinam ipsis consolationem precamur: si quem è vita migrasse audiamus, vt animæ ipsius benè velit Deus, supplicamus.

Benè

4 Benè ſcio obieciſſe hæreticum Munſterum: Hunc vſum eſſe adinuentionem papiſtarũ;quod vel ex eo conſtare poteſt; quia Iudæi Literis ſanctis verſati, ad hunc vſque diem non habent in vſu orare pro ijs, qui iã ſunt ſub iudicio Dei. Videte inuerecundiam, quaſi Iudas Machabæus nõ eſſet Iudęus,& ex Sacerdotibus ſapientioribus in lege. Item alij etiam Iudæi olim pro mortuis fuderunt & hodie fundunt preces: ſic in libello quẽ ex Mazor vertit Genebrardus, & in oratione, quæ dicitur Haſchabab, id eſt, requies, vel pro requie, & Ioſephus Gorion, citatur à Genebrardo, in notis, quaſi tradat, tantùm pro ijs,qui ſe ipſos interficiunt,orandum non eſſe; pro alijs verò fidelibus defunctis orandum eſſe. Rabbi Iſaac Toletanus, in libro Beth, Ioſeph agens de vltimo præcepto legis dicit : *Singulis anniuerſario die mortis parẽtũ ieiunandum eſt, & preces, quæ incipiunt Colos, id eſt, Sanctos fundẽdæ.* Fatetur & hũc Iudæorum morem Munſterus, qui Iophagio in 24. caput Deuteronomij: idem dicit Vvitakerus,lib.1. contra Dureum, vbi ait : *Scio Iudæis eſſe libros memoriales Machzor, quos in Synagogis ſuis legunt, eoſque precibus quibuſdam pro mortuis vti ſolere non ignoro.*

Geneb. *Rabbi.* *Vvitaker.*

5 Præterea idem probatur ratione. Ad communitatem pertinet vt communicentur fauores & ſubſidia inuicem inter omnia membra, ſed iuſti vita functi, ſunt Eccleſiæ membra : ergo in orationibus, quæ non mediocria ſubſidia ſunt,communicant ad inuicem , ſi tamen eis indigeant. *Maior patet:*quia hæc eſt Sanctorum communio, quam inſinuat D.Paulus 1. *ad Corint.*12.vt ſcilicet ex charitate pro inuicem ſollicita ſint membra, & ſi quid patitur vnum membrum, compatiantur omnia membra. *Minor probatur,*nam iuſti defuncti ſunt colligati nobiſcum, mediantibus Fide,Spe, & Charitate. Vnde Auguſt. 20. de ciuitate cap.9. *Neque enim (inquit) piorum animæ defunctorum ab Eccleſia ſeparantur, quæ eſt regnum Chriſti.*Conſequentia nota eſt, & pro conſequẽtis intelligentia nota,quod hæc cõmunicatio in orationibus fit primò mediante communicatione viuorum & mortuorũ in charitate Dei,quæ eadẽ eſt in patria, & in via, iuxta illud primæ ad Cor. 13. *Charitas nunquam excidit*, & ideò omnes,qui in charitate connectuntur aliquod emolumentum ex mutuis operibus reportant, & inde eſt, quod articulus fidei ponitur Sanctorum communio; ſed hæc communicatio,communis eſt omnibus operibus bonis; quia dirigitur oratio viuorũ pro impetrando aliquid pro defunctis, ſiue fiat charitate impellente, vt pro confidelibus oremus,ſiue fide, aut amicitia Chriſtiana id ſuadente : & ſic procedit noſtra aſſertio, qua dicimus orandũ eſſe pro defunctis, licèt non excludamus priorem modum,neq; viam meriti aut ſatisfactionis, quod non eſt huius loci.

1. Ad Cor. 12. *1. Ad Cor. 13.*

Neque huic obſtat obiectio, vita functos non pertinere ad iudicium Eccleſiæ militantis; quia oratio,quæ habet pro fine impetrare poſtulata, etiam ad nõ ſubditos extenditur. *Confirmatur.* Iuſti mortui ſunt colligati nobiſcum ſub vno capite Chriſto, ſub eadem charitate,& quidam ex ipſis valdè indigent; cur ergo non poſſemus eos adiuuare noſtris orationibus apud communem omnium Dominum?

Ad *primum in oppoſitum reſp.* in citatis teſtimonijs dumtaxat fieri mentionem de retributione vitæ æternæ, & gloriæ eſſentialis, quam fatemur eſſe obtinendam; ex merito tamen propriorum operum: cum hoc tamen ſtat defunctos iuuari orationibus viuorum, ſiue pro ſubleuatione pœnarum, ſiue pro conſolatione aliqua.Qui ſint autem iſti defuncti ſtatim dicemus. Ad *ſecundum reſp.* D. Hieronymum eſſe intelligendum de ijs, qui in peccato mortali deceſſerunt. *Secundò reſp.* loqui de vita functis, non pro hoc tempore, ſed poſt diem iudicij, quando nullus iuuabitur alterius orationibus, ſed in eo ſtatu & conditione, quo repertus fuerit, perſeuerabit vſque in finem. Ad *tertium reſp.* ſat eſſe viris iuſtis neſcire aliquem eſſe damnatum, vt pro eo oretur: quod ſi is, pro quo oratio funditur, non eſt capax beneficij, ipſe tamen orans ſuo merito non priuabitur, iuxta id, quod ſupra colligemus ex Pſalmo. 54. *Oratio mea in ſinum meum conuertetur.* Nunquid pro omnibus defunctis orandum? etiam qui ſint iſti? pro deciſione eſt.

Soluũtur argumenta. 6 *Pſal. 54.*

II. DISPVTATIO.
An pro damnatis in inferno orandum ſit?

VIDETVR vera pars affirmatiua , primò ex D.Auguſt.in Enchiridione cap. 110.vbi ait: *Quibus proſunt ſuffragia , aut ad hoc proſunt , vt plena ſit remiſſio; aut vt tolerabilior ſit ipſa damnatio*, & capit.112. ſic ait. *Pœnas damnatorum certis temporum interuallis exiſtiment, ſi hoc eis placet, aliquatenus mitigari; dummodo intelligatur in eis manere ira Dei, hoc eſt , ipſa damnatio.* Chryſoſtomus homilia. 3. in Epiſtola ad Philippenſes, poſtquam dixerat orandum pro defunctis ſubdit: *Verum iſtud dicimus de ijs, qui in fide abſceſſerunt. Catechumeni verò neque hac quidem conſolatione cenſentur: ſed omni ſunt huiuſmodi auxilio deſtituti, &c.* Ex quibus verbis & alijs antecedentibus videtur colligi, Chryſoſtomum ſentire omnes fideles mortuos participes eſſe ſuffragiorum , & non omninò immunes à conſolatione aliqua recipienda: & idem videtur colligi homilia. 33.ſuper caput.9. Matthæi, circa illa verba: *Non eſt mortua puella, &c.* Theophilactus ſuper illud Lucę.12. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*, poſt multa adiecit: *Hoc autem dico propter oblationes & diſtributiones, quæ fiunt pro defunctis; qui in grauibus peccatis deceſſerunt eſſe licitas interceſſiones pro damnatis.* Et Prudentius de nouo lumine Paſchali.

1 *Auguſt.* *Chryſoſt.* *Theophil.* *Prudentius.*

Sicut & ſpiritibus ſæpè nocentibus,
Pœnarum celebres ſub ſtyge feriæ,
Illa nocte ſacer, qua rediȷt Deus,
Stagnis ad ſuperos ex acharontycis,
Marcent ſupplicibus tartara mitibus,
Exultatque ſui carceris otio,
Vmbrarum populus,liber ab ignibus,
Nec feruent ſolito fulmina ſulphure.

Secundò.

2.Mac.12. *Secundò*. 2. Machab. 12. legitur, multos Iudæorum
2 in prælio occubuisse, quorum corpora cum iussu Iudæ Machabæi colligerentur, vt sepulturæ traderentur, inuenerunt sub tunicis interfectorum de donarijs idolorum, & subditur: *Et ad preces conuersi rogauerunt, vt id, quod factum fuerat delictum obliuioni traderetur: & quod Iudas misit duodecim millia drachmas argenti offerri eas in Ierusalem pro peccatis mortuorum, &c.* En religiosissimus Iudas, simul & sapiens monuit, vt oraretur, & oblationes fierent pro defunctis, quos in peccato mortale decessisse colligitur: quia acceperunt & retinuerunt de ijs, quæ idolis oblata sunt contra Dei legem prohibentem
Deute. 7. id fieri verbis grauissimis Deuterono. 7. *Ter-*
3 *tiò*. Damascenus in Sermone, *qui inscribi-*
Palladius. *tur; quod defuncti à viuis adiuuentur* refert ex vitis patrum, sanctum Macharium, qui solitus erat frequentes pro defunctis orationes fundere, testatur Palladius, dum iter faceret, fortè offendisse cranium aridum, seu caluariam cuiusdam defuncti, & oratione præmissa quæsiuit, cuius caput fuisset; Caluaria autem respondit, quòd cuiusdam Sacerdotis Gentilis in Inferno damnati, & adiecit, oratione D. Macharij se & alios iuuari. Iuuatur tertium argumen-
Bonfinius. tum, quodam euentu quem refert Bonfinius, *rerum Vngaricarum decade 3. libr. 3.* accidisse in Valachiæ quodam campo, post cruentam pugnam inter Dæam & Aerchem eodem genere natos, & de Valachiæ dominatu, contendentes principes. Euentum miraculosum Bonfinij verbis enarrabimus: *Secundo, inquit, tertiòve anno cùm plerique in eum campum descendissent, vbi patratam stragem fuisse memoratur, editissimumque cadauerum aceruum spectarent, emissam inter ossa vocem subinde exaudiuère tristissima Iesu Christi Saluatoris, & Diuæ Mariæ Virginis nomina resonantem. Admiratio simul & pauor hos incessit: cum ad verba subticuissent, eadem paulo post quasi difficulter expressa accepere; dum vocem inter ossa disquirerent portenti desiderio succensi, loquax inter cadauera caput inueniunt; quod vbi homines adesse agnouit, quid tam, inquit, stupidi hic statis viri? Christianus ego sum, & magnæ matris Diuæ Mariæ semper addictus inexpiatus inconfessusq; huic bello occubui. Magna Dea in cuius tutelam vitam degi, me æterni supplicij reum esse non patitur, hic me adhuc linguæ compotem seruauit, vt & delicta fateri, & animam sacris rite Apostolicis lustrare queam: proinde sacerdotem, qui confessionem exaudiat, & me expiatum reddat accersite quæso. Rogatus quò tantum à Dea beneficij promeruisset? Respondit peculiare sibi id in vita fuisse numen serena quotannis in vita sua, festa reuerendissimè celebrasse, religiosissimisque ieiunijs ex pane dumtaxat & aqua decorasse, sacris frisse quam studiosissimè operatum, illi tantum numini cunctas animi vires dedicasse: Accersito è pago proximo Sacerdote confessionem ritè transegit, & impetrata peccatorum omnium remissione, acceptaque nouissima lustratione, id defuncti caput repentè conticuit, perpetuoque quieuit.* Hæc Bonfinius.

Quarto Idem Damascenus, vbi supra affert
Damasc. Palladiũ asserẽtẽ D. Gregoriũ orasse pro Traiano
4 magna instantia, audiuisseq; vocẽ à cœlo lapsam: *Vocẽ tuã audio, & veniã Traiano do. Cuius rei,* inquit Damascenus, *testis est omnis Oriens, & Occidens*, at certum est Traianũ fuisse ex dãnatis, eo quod immanis fuit persecutor Christianorũ. Idẽ refert de Falconilla, quæ fuit cultrix idolorum, salutem consecuta post mortem, oratione sanctæ Teclæ.

Quintò. Ecclesia in officio Missæ, quæ pro defunctis celebratur, orat dicens: *Domine libera animas defunctorum de pœnis Inferni, & de profundo lacu, & ne absorbeat eas Tartarus, nec cadant in obscura.* Sed hæc & similia, quæ in defunctorum exequijs solent proferri, non conueniunt animabus in Purgatorio existentibus: de quibus nullum dubium est secundum fidem esse infallibiliter in cœlum euolaturas, atque esse certissimas de sua salute, & ideò non esse cur oretur, ne eas absorbeat Tartarus, & vt à pœnis Inferni liberentur: ergo illæ precationes ne inanes sint adaptari debent animabus damnatorum.

Sextò. Maxima Dei misericordia ostendi de- 5
bet in subleuanda omnium miseriarum maxima: ergo Dei misericordia imploranda est pro auferenda damnatorum miseria, quæ omnium maxima est. Confirmatur ex illo Psalmi. 76. *Nunquid* Psal. 76.
obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira misericordias suas.

Septimò. Quod Deus liberaliter confert licet ab eo petere: sed ex Dei misericordia & liberalitate, damnati puniuntur in Inferno citra condignum, vt asserunt Theologi communiter: ergo saltem id licebit à Deo petere.

Octauò. Ex Christi nutu debemus inimicos diligere quandiu in hac vita sunt: ergo & postquã in aliam trãsmigrarunt, quamuis in inimicitia, & peccato permaneant, debemus eos diligere, & orare pro illis, iuxta illud, *Orate pro persequentibus &c.*

Vltimò: Bonus effectus est & licitus misereri & compati damnatorum miserijs, maximè nobis sanguine iũctorum, vt patrum, fratrum: ergo & orare Deum pro aliquo solatio eorum. *Probatur consequẽtia*, quia quamuis sit impossibile eos euadere pœnam gehẽnalem æternam, possunt tamẽ gaudere de aliquibus, verbi gratia, de vita eorum quos in vita dilexerunt, de egressu ab Infernali carcere, de apparẽdo viuis, vel quid simile. Nec longè abest hoc ab D. Augustin. in Enchi. vbi supra. *Confirmatur*. Possunt damnati à Deo aliquid August.
petere, vt patet in diuite Epulone, *Luca. 16. &* dæ- Luca. 16.
mones petierũt à Christo, vt mitteret eos in gregem porcorum, potius quam detrudi in Infernũ
Luca. 8. Matthæi. 8. & Marci. 5. ne eos torqueret ante Luca. 8.
tempus, quod & obtinuerũt: ergo & nos poteri- Matth. 8.
mus eadem pro ipsis petere, ab omniũ Domino. Marc. 5.

De hac re varij sunt errores apud antiquos, 6
quos partim refert, & refutat D. Thom. in *4. dist.* Varij er-
45. quæst. 2. articul. 2. quæst. 1. & alij emerserunt rorũ.
nostris temporibus apud Hæreticos Sectato- D. Thom.
res, eruti ex veteribus Hæreticis, quos videre licet apud Bellarmin. *tomo. 1. lib. 2. de purgatorio* Bellarm.
cap. 1. Vera sen-

Nobis tamen sit certissima *cõclusio*. Nullo mo- tent.
do orãdũ est pro dãnatis ad perpetuas flãmas ge- August.
hẽnales. Cõclusio est expressa D. August. *libro. 2.* Gregor.
de ciuitate capit. 24. & Gregorij libro. 34. *Moralium,* Dionys.
capit. 12.

capit.12.lib.4.Dialogi cap.44. & Dionys.7.cap. de cælesti Hierarchia D. August. sermone 32. de verbis
August. Apostoli: *Non omninò*, inquit, *ambigendum est, ista prodesse defunctis, sed talibus qui ita vixerint ante mortem, vt possint hæc vtilia esse post mortem; nam qui sine fide, quæ per dilectionem operatur, eiusq; sacramentis de corporibus exierunt, frustra eis à suis huiusmodi pietatis impenduntur officia, &c.* Videndus etiam est lib.2.
Cõc.Brac. *de anima, cap.12.* item ex Concilio Bracharensi, *capite, placuit.26.quæst.5.& capite, Audiamus, de reliquijs & veneratione Sanctorum.*

Probatur ratione. Vndecunque consideres orationem pro damnatis, est illicita: ergo non est fundenda pro illis. *Antecedens patet*, nam si ipsi damnati considerentur, sunt in malo obstinati, eorum vitia inexpiabilia, mala ipsorum sine remedio: vt quid ergo pro eis orandum? si orantes attendas: erunt eorum preces cassæ, & inutiles, quod iure reformidant Sancti viri, vt colligitur ex verbis Gregorij citatis: si Deum ipsum consideremus, præsumptuosum erit conari orando pro damnatis, vt eius decretum de puniendis eis igne æterno frustretur, imò & iniuriosum: ergo non est pro eis orandum. *Confirmatur*, quia tota communicatio orationum, vt dictum est, consistit in communicatione charitatis, vel per coniunctionem, & communicationem membrorũ ad inuicem, vel per directionem orationum ad Deum, quæ etiam fit imperante & impellente charitate: nihil istorum reperitur in damnatis: nõ primum; quia damnati in Inferno sunt extra vinculum charitatis, quæ fundatur in communicatione vitæ æternæ, per quod vinculum continuantur opera viuorum cum defunctis, non secundum quia sunt Dei inimici infensissimi indies crescentes in malitia & inimicitias exercentes, sicut & dæmones, iuxta illud: *Malitia eorum qui te*
Psal. 73. *oderunt ascendit semper, &c.* Psalm.73.

Porphir. 7 Non ignorauit hoc impius Porphirius, libr.2. de abstinentia animalium, qui cum de dæmonibus, aliqua dixisset, subdit hæc de animabus: *Tales* (inquit) *sunt & animæ defunctorum, quæ vitijs repletæ è corpore migrarunt; conflictantur enim etiam nunc ira & concupiscentiæ perturbationibus, & in naturam Dæmonum conuersæ, similes illorum redduntur noxiæ ac turbulentæ, in varias se conuertunt formas, ac modò conspicuas se oculis præbent, modò recondunt, & ita illudunt aciem, tum intuentium, tum etiam cogitantium.* Hæc Porphirius. Igitur cum huiusmodi acerrimis Dei inimicis sine spe conuersionis miscere amicitias, & obsequiorum officia, quale est orare pro ipsis, non sine piaculo fiet. Hinc refutantur quidam asserentes, quòd quamuis oratio pro damnatis, qui in Inferno existunt non prosit illis ad relaxandam pœnam æternam, valet tamen ad remittendam pœnam temporalem, quam debebant damnati, pro peccatis iam dimissis in hac vita.
Mar. Led. Hos refert & confutat Martinus à Ledesma in 4. *2.parte quæst.16 art.14.* & satis nobis sit contra illos
Iacob. adducere illud Iacobi. *Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam*, & dictum Au-
August. gustini vbi supra: *Si scirem patrem meum esse in Inferno, non magis pro eo orarem, quàm pro Dæmone.*

Ad primum ex testimonijs Sanctorum *respond.* Solutio argumenta. 8
Ad primum testimonium ex August. ibi eum loqui de ijs, qui in Purgatorio sunt, vt colligitur ex diuisione illa trimembri, quàm præmiserat sub his verbis: *Eccl.: sia suffragia pro valde bonis, gratiarum actiones sunt; pro non valde malis, propitiationes; pro valdè malis, nulla esse adiumenta mortuorum, sed qualescunque viuorum consolationes.* Videndus est etiam lib. *de cura pro mortuis, capite primo.* Itaque nomine damnationis intelligit D. August. punitionem pro pœna debita culpis: & sensus est, quod suffragia prosunt ijs, qui sunt in Purgatorio, vt totaliter remittantur pœnæ, aut verò vt diminuantur. In secundo verò testimonio disputabat cum aliquibus censentibus damnatos esse saluandos, & dicit nequaquam hoc esse sustinendum: *Quod si censent*, inquit, *aliquam fieri tormentorum alleuationẽ, magis tolleretur eorum sententia*: Fortasse quia hic dicendi modus saluari potest per illud celebre dictum Theologorum, Deus damnatos punit citra cõdignum. Ad D. Chrysostomi primum testimonium *respondetur*, locutum fuisse de oratione publica, à qua excludebantur catechumeni temporibus Chrysostomi, quod similiter ordinatum fuit in Concilio *Bracharensi.1. Canone 35.* In secundo verò testimonio duriusculè loquitur; sed macularum labes non appellat ipsas culpas, sed pœnas culpis debitas, iuxta morem sacræ Scripturæ, 2. Machab. 12. *Vt à peccatis soluantur*, 2.Mac.12
id est, à pœnis peccatis, debitas, Leuitici 17. Esai. Leuit. 17.
35. 2. Regum 12. Vide de his Magistrum Canum, Esai.35.
lib.12.de locis. Hoc Chrysostomi testimonium in- 2.Reg. 12.
ferius explanandum est latius. Eodem modo etiã Canus.
declarandus est Theophilactus, dicit enim orandum esse pro ijs, qui in grauibus peccatis decesserunt, id est, pro ijs qui commiserũt grauia peccata, quæ non sunt perfectè remissa & abolita quoad pœnam, licet ante mortem fuerint remissa quoad culpam. Prudentius verò more poetico potius ad venustatem & ornatum aspexit quàm ad veritatem: & ideò parum de eius versibus in hac parte soliciti esse debemus.

Ad *secundum in oppositum resp.* Prohibitio citata legis, ne victores acciperent ex denarijs idolorum, potissimè tendebat, ne ea deferrent animo, aut cum periculo colendi idola, quod isti non creditur ita fecisse. Quidam excusant eos de ignorantia legis, sed decipiuntur, quod vel ex eo colligitur, quia occultauerunt illa sub vestibus: magis mihi verosimile est eos cupiditate ductos occultasse, ideoque peccatum veniale commisisse auaritiæ, aut certè sacrilegij leuis ex parte obiecti & finis. Secundò respondetur, esto fuisse lethale peccatum, verosimile fuit eos in ipso ardore prælij, quando vulnera irrogabantur, & mortis articulus instabat pœnituisse, iuxta illud Psalmi 76. *Cum occideret eos, quærebant eum*, atque Psal. 76.
adeò bonam spem de ipsorum salute concipientes Iudas & alij Hebræi, pro eorum pœnis subleuandis Deum orauere, & oblationes Hierosolymis obtulere. Consonat his, nam vbi nos legimus: *Preces fusæ vt peccatum obliuioni traderetur*, Græcè legitur: *vt admissum peccatum penitus deleretur, seu perfectè aboleretur*: hoc est, nõ solũ remissum

esse;

esse, quoad culpam, quod per contritionem effectum est, verum etiam quoad pœnam propter preces & oblationes eorum, qui superfuerunt: certè si isti Religiosi Iudæi superstites hos vita functos damnatos putassent, in patriam sepulturam non intulissent, & si in aliam intulissent, sacer Textus id affirmaret, vt de Iasone lib. 2. cap. 5. & de alijs. 2. Paralipom. 21. & 24. & Hier. 22. vbi *sepultura asini sepelietur* dicitur.

10 Ad *tertium resp.* iuuamen illud, quod asserebat ille damnatus percipere per orationes sancti Macharij, non consistere in diminutione, aut ablatione pœnarum gehennalium; sed in quodã gaudio accidentali, scilicet, vt damnati se viderent, quod fiebat per Macharij preces. Hoc autem gaudium non erat verum, sed phantasticũ, seu apparens. *D. Thom.* ita Diuus Thomas propter authoritatem Damasceni solitus maximum honorem deferre Sanctis: sed in Palladio hoc nõ inuenio, neque concio illa est D. Damasc. vt infra dicetur. *Quare resp. secundò*, prȩfatam narrationem esse inter apochripha reputandam. Nec possum credere D. Macharium pro gentilibus, quos sciebat æternis flammis addictos, orationes fudisse, ad quos Ecclesia suas vetat orationes dirigere. Narratur namque in Historia sancti Bonifacij quasi Apostoli Germanorùm, lib. 1. ipsum interrogasse Pontificem, an pro solis his mortuis orare liceret, qui in fide permansissent, & Apostatæ facti non essent. Respõdit ergo ei Gregorius III. pro Catholicis tantum mortuis esse orandum, idque, ait, Sancta tenet Ecclesia. Idem respondetur ad miraculum, quod retulimus ex Bonfinio, historiam illam non esse tantæ autoritatis. *Secũdò respondetur*, animam illius hominis, cuius caput loquebatur, Deiparæ precibus non excessisse ab humanis, sed informasse caput truncum: nec hoc est difficilè intellectu, cum anima rationalis, quæ tota est in toto, & in qualibet parte, miraculosè potuit in illo capite loquaci cõseruari; quousque confessione præmissa expiaret crimina: fundere autem preces pro peccatoribus, qui non è vita excessere, licitum est, & vsitatum in Ecclesia Dei, maximè ad Diuam Virginem peccatorum aduocatam.

11 In quarto argumento fit mentio de Traiani liberatione ab Inferni carcere, & in Cœlum ascẽsu: circa quod autores reperio in duas classes diuisos; quidam veram esse historiam conantur, quidam intrepidè eam reijciunt. In priori classe collocantur ferè omnes antiqui Doctores Scholastici, qui illam admittunt. Et nostris tempori- *Ciacon.* bus quidam Hispanus Alphonsus Ciaconius, vir humanarum rerum non mediocriter eruditus, edidit Romæ quandam Apologiam; vbi mordicus Traiano fauet, fortasse vt morẽ gereret Romanis, de Traiano suo gloriantibus (si tamẽ suus est, nam Hispanus erat) & probatur primò, testi- *D. Dama.* monio D. Damasc. *in Sermone, quod defuncti à viuis adiuuentur*; ibi expresè dicit Traiano fuisse condonatam veniam delictorum, & ad patriam euolasse propter merita & preces D. Greg. Magni, qui pergens per viam, quæ Traiani dicitur, preces feruentissimas pro eo fudit, & audiuit vocem de cœlo lapsam: *Audiui preces tuas, & veniam Traiano do; tu autem caue, ne amplius ores pro impio*: Quinimò aliqui Historiographi addunt, ob eas preces fusas D. Gregor. punitum fuisse perpetuo dolore stomachi, & pedum. Et Abulensis super 4. *librum* *Abulens.* *Regum, quæst.* 197. existimat D. Gregorium in tali precatione peccasse mortaliter. Suæ assertionis adducit Damascenus totum Orientem & Occidentem in testes. *Probat secundò* testimonio cuiusdam Petri diaconi, qui dicitur stare in Bibliothe- *Petrus diaconus.* ca Vaticana, qui referens gesta Gregorij, huius precationis pro Traiano meminit, & Ioannes *Ioannes diaconus.* diaconus in vita D. Greg. *li. 2. ca.* 44. *Tertiò* ex reuelatione facta sanctæ Brigidæ de hac re, & sanctæ Mechtildi. Ac denique ex testimonio multorum Doctorum Scholasticorum, potissimè D. *D. Thom.* Tho. *in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2.*

In secunda Classe reijcientium talem historiã 12 vt apochripham, reponuntur ferè omnes moderni nostri temporis, *in quarto dist.* 45. & Sotus *Sotus.* in *eadem distinct. quæst.* 2. durissimam illam censet, *Caietan.* & Canus *lib. 11. de locis ca.* 2. omninò eam reijcit. Quæ sententia mihi magis arridet propter sequentia. *Primò*, quia concio illa, quæ dicitur esse Damasceni, cui innititur tota historiæ credulitas, absque dubio falsò illi Diuo ascribitur, quod colligere apertè licet: tùm quia citat D. Gregor. Papam, ob cuius preces dicit Traianum esse liberatum, cùm tamen Gregor. natus esset multos post annos Damasceni: Gregorius namque sub Mauricio Imperatore, & Phoca tyranno; at Damasc. prius sub Theodosio iuniore vixit: tùm etiam, quia in illo serm. Damasceni dicitur etiam Christum Dominum, quando ad inferos descendit, liberasse animas multorum infidelium damnatorum: quæ sententia erronea est, & valdè aliena à D. Damasc. dicente, *li. 2. de fide, ca.* 4. hominibus id esse mortem, quod Angelis fuit casus. *Secundò*, quia D. Gregor. expresè dicit in *lib.* 34. *Moralium* *D. Grego.* *capite* 13. non esse magis licitum orare pro damnatis infidelibus, quàm pro ipso Diabolo: quomodo igitur ipse orasset pro Traiano?

Dices cum Abulensi vbi supra D. Gregor. ob id *Abulens.* peccasse mortaliter, & punitum esse à Deo perpetuo dolore stomachi. Hoc certè nefas est dicere de sanctissimo viro. Item si in faciendo talem precationem peccauit mortaliter, quare aut quomodo exauditus est? *Tertiò*, quia in sacra Scriptura in multis locis habemus non remitti peccata sine Baptismo, & pœnitentia, & sine remissione peccati nullum beari felicitate æterna, quinimò decedentes in peccato mortali esse à Deo puniendos igne æterno, qui nõ extinguitur, debereque esse socios dæmoniorum: ergo non est excipiendus ab his legibus Traianus.

Respondent Traiani studiosi, non immedia- 13 tè Traiani animam ab Inferno ad Cœlum vsque euolasse, sed Beati Gregor. precibus Traianum suscitatum baptizatum fuisse, & egisse pœnitentiam de delicto suo; & secundò vita functum in cœlum eius animam abijsse. Isti nõ loquuntur ad Damasc. mentem, qui non meminit talis suscitationis & pœnitentiæ: sed immediatè liberatã ab inferni cruciatibus ad cœlum perrexisse cõmemorat.

sit, quomodo explicabitur illud: *Ne absorbeat eas Tartarus*: & infra, *fac eas Domine de morte transire ad vitã*, & illud, *gratia tua illis succurrẽte mereantur euadere iudicium vltionis.* Et in quãdam oratione pro defunctis dicitur: *Vt quia in te sperauit & credidit, nõ pœnas aeternas sustineat, sed gaudia sempiterna possideat.* Et huiusmodi multa reperies in orationibus pro defunctis, quæ nisi adaptes animabus damnatis, tamen existẽtibus in Purgatorio nullo modo conuenire possunt, nisi asseras eas posse damnari, & non esse certas de sua salute: quod est aperta hæresis, vt alibi dicitur.

Quidam dicunt Deũ posse secundũ suã absolutã potentiã animas Purgatorij dãnare, & in Infernũ perpetuo detrudere, sua autẽ benignitate id non efficit, & hoc petimus à Deo pro animabus Purgatorij. *Contra*, nam pari ratione possemus orare pro dãnatis, quia Deus posset eos in cœlũ euehere, & pro Beatis ne eos deturbet in infernum; hæc enim omnia potest Deus efficere si vtatur sua absoluta potestate.

Alij dicunt. Quamuis istæ animæ, iudicio speciali, ꝙ perficitur in cuiusuis morte iudicatæ sint, atque deputatę in sortẽ amicorũ Dei, tamen adhuc superest iudicium vniuersale, & ideò adhuc posse pro eis orari, vt euadant iudicium vltionis. Ita
Bellarm. Bellarminus. 2. *lib. de Purgatorio cap. 5. ad secundam obiectionem.* Sed inde etiam infertur nos posse orare pro Beatis, quia nondum euaserunt, vltionis iudicium, si sermo sit de iudicio vniuersali.

Valentia. Aliter respondit Gregorius de Valẽtia 3. *tomo,*
17 *disp. 6. q. 2. de orat. puncto 8. circa finẽ.* Nempe Ecclesiã nõ petere pro animabus Purgatorij, vt liberẽtur à pęnis inferni, aut ne absorbeãtur à Tartaro, &c. quasi cẽseat id nõ esse à Deo decretũ, aut velit illud de nouo imponere, siue .n. oremus, siue nõ oremus stabile erit animas in Purgatorio existentes non absorbendas à Tartaro, & à pœnis inferni liberandas, & ad cœlum euolaturas, sed petit executionem illius decreti, quam fiendam esse per orationes etiam decretum est. Sicut quãdo Patres veteris testamenti petebant Christi aduentum à Deo certissimè decretum, confidebant tamen id executioni mandandum decreuisse medijs orationibus, & ideò petebant, & ita re vera erat, nempe Deum medijs orationibus id facere decreuisse.

Item. Quando petimus à Deo aliquid, non petimus, vt tunc primum statuat illud fieri, benè enim scimus ab æterno decreuisse quidquid facturus est, sed vt id exequatur iuxta suum æternum decretum, quod illud per nostras etiam orationes id facere statuisse confidimus. Itaque nullum est inconueniens, petere id, quod certum futurum est: quia forsan executioni mandabitur per & propter orationes fidelium, tanquam per quoddam eiusdem executionis medium, & in hoc sensu intelligitur illud assertum, prædestinationem iuuari orationibus Sanctorum.

18 *Sed contra* hanc sententiam arguitur *primo.* Id quod certò futurum est, non petitur, nisi aliquo modo à nobis pendeat, sed quod animæ in Purgatorio existentes non damnentur, non pendet vllo modo à nobis, sed est in se ineuitabile: ergo non petit hoc Ecclesia in suis orationibus. *Maior prob.* & explicatur simul: nõ petimus à Deo, vt sol cras oriatur, aut quod Orbes cœlestes moueãtur, petebant autẽ Patres veteris legis Christi incarnationem, quam sciebant certò futurã, quia simul sciebant ipsius executionem promerendam fore clamoribus eorum. *Minor autem prob.* Quia quod non dãnentur animæ existentes in Purgatorio, certò futurum est sine vllo ordine ad orationes, neque etiam quantum ad executionem; dicente Apostolo, *Saluus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Secũdò efficacius, nã licet contingat aliquãdo petere rẽ certò futuram, vt quando petimus Spiritũ sanctum assistere Concilio ritè congregato, non tamen cordate petimus rem iã factam, sicut nõ petimus quod anima Sancti Petri sit in cœlo, sed quod animæ in Purgatorio existẽtes, à morte æterna liberentur, quod euadant iudicium vltionis, & similia non est iam futurum, sed factum. Ergo non petit illud Ecclesia: potest autem petere, & petit, ꝙ Dei misericordia citius liberentur, quam punitio suarum culparum exigebat, nõ quia existimet Ecclesia diuinum decretum de tẽpore, quo decreuit Deus vnãquãque animam liberare, mutandum sit, sed quia scit executionẽ illius decreti implendam esse medijs orationibus, ꝙ & clauditur in ipso diuino decreto.

Ioannes de Medina, *codice de oratione, quæst. 6.* de 19 ijs, pro quibus orandum est, soluit prædictã difficultatem dicens primò. Non esse necessariũ omnia, quę in Missis defunctorum dicuntur, ab omni ineptitudine excusari: *Multa enim,* inquit, *in Ecclesia legi permittuntur, quamuis non omninò vera sint, vel non omnino apta, quia conferunt ad fidelium deuotionem excitandam, vel augendam, vt in legendis Sanctorum & opinionibus Doctorum. Ita ergo,* inquit, *dici potest de illis orationibus, quæ à priuatis personis factæ sunt, & non à Concilio aliquo, neque in eo sunt approbatæ.* *Ioãnes de Medina.*

Quam responsionem existimo temeraria ad minus, nam à quocunq; factæ fuerint illæ orationes, tamen certissimũ est cõmuni vsu totius Ecclesiæ Romanæ esse receptas, & approbatas: ergo citra temeritatẽ nemo potest asserere, esse in eis aliquẽ errorẽ à sana doct. alienũ. Ad illud verò ꝙ objicit Medina de legendis Sanctorũ, respondetur, esse latum discrimen, nam in officio diuino quædam proponũtur, vt humana fide certa, aut probabilia, cuiusmodi sũt historiæ Sãctorũ, & alia similia, quę tãtũ proponit Ecclesia, vt piè & probabiliter credita, verbi gratia, Cõceptio Beatæ Virginis, sine labe peccati originalis: aut quod in Epiphania canit, Reges Magos adoratũ veniẽtes fuisse Reges, illum diẽ ornatum esse tribus Christi apparitionibus, seu miraculis; & huius generis multa, & in his nullus est error, quia non sunt res, quæ per se pertinent ad Catholicam doctrinam, neq; vt tales proponuntur: vnde licèt accideret in re esse falsum id, quod Ecclesia vt pium & probabile proponit, non diceretur Ecclesiam fuisse deceptam, quia nõ ea proponit vt certa omnino, sed dumtaxat vt pia, & probabilia, sicut re vera sunt. Alia vero vsurpãtur ab Ecclesia in officio diuino vt pertinentia ad dogmata fidei, in quibus cõpertum est Ecclesiam nõ posse decipi, & ideò neq; in eis *Impugnatur Ioannes de Medina.*

eis officijs & orationibus, quæ ab vniuersali Ecclesia recipiũtur, potest misceri aliquid veræ doctrinæ cõtrariũ, quãuis fortasse aliquid sit obscurum quandoque, & q̃ interpretatione indigeat.

20 Ad *argument. ergo quintum respond.* rem esse claram, Ecclesiam non orare in allatis verbis pro damnatis, quia rogat, ne cadant in obscura: presupponit ergo non cecidisse, atq; adeò pro dãnatis non orat, sed pro animabus in Purgatorio existẽtibus. *Aduertedũ* tamẽ est, quod orationes, & officia omnia, quæ pro defũctis fundũtur, dupliciter possunt declarari: *vno modo* cõsiderando easdẽ animas secundũ eum statũ, in quo reperiũtur, quando pro eis orationes fundũtur, & tunc petimus, vt eis pœnæ relaxentur, & vt requie æterna donẽtur, vt luceat eis lux perpetua: & ferè omnia, quæ in officio defunctorũ vsurpantur, isto pacto possunt interpretari. *Secundo verò modo*, in quo est difficultas, possunt pauca quædam verba, vt illa inter arguendum allata, interpretari per quandã repræsentationẽ, eo quod repræsentat Ecclesia in præfatis verbis statum illarum animarum in eo puncto temporis, quo à corpore exeunt, & ad iudicium ferũtur: & hoc modo intercedit pro illis, & orat, *ne absorbeat eas Tartarus*, & illud, *Mereantur euadere iudicium vltionis, &c.* Ad eum modũ, quo celebrans Christi aduẽtum dicit: *Rorate Cœli desuper, & nubes pluãt iustum*; & illud: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ*, eo quod repræsentat petitiones Patrum de Christi aduentu, ac si esset Ecclesia in eo tẽporis momento, quo talis illi preces vociferabãtur. *Et si obijcias*, nõ posse hoc stare, quia oratur pro iam defunctis, dicens: *Libera animas fidelium defunctorum*. Respondetur, per quandã anticipationem iam iam proximi morti, vocantur defuncti. Et si rursus *obijcias*, quorsũ isthæc repręsentatio, aut ad quid vtilis? *Respõd.* ad multa. *Primò*, vt viuentes periculũ illius tẽporis cum agonizantur homines, ante oculos habeant. *Secundò*, quia illa repræsẽtatio cedit in verũ Dei cultũ, qua Ecclesia recognoscit, & cõfitetur ipsum, vt supremũ animarum iudicẽ, & patrem misericordiæ: qui orationibus fusis pro animabus, ipsas ab acerbitate pœnarũ Purgatorij potest, & vult liberare. *Tertiò*, quia de facto hoc genere orationis aliquid de huiusmodi pęnis illis remittitur: vel fortasse, quia propter tales orationes Ecclesiæ præuisas, quando ab hac vita migrant, recipiunt à Deo fauorem, & dispositionem, secundum quam benignè ac misericorditer possunt iudicari.

21 Ad *sextum argumentum resp.* Argumentum probaret, si maxima illa miseria damnatorum posset releuari: habemus autem hoc esse impossibile, secundum communes leges, quia Dei sententia de pœnarum ęternitate aduersus damnatos lata est.

Iob.20. Iob.20. *In inferno nulla est redemptio.* Psal.6. *In inferno autem quis confitebitur tibi*: id est, nullus, Psal.113. *Quia non infernus confitebitur tibi.* Et potissimè Matthæ.25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Huic autem sententiæ contradicere non solùm stultum est, verùm iniuriosũ Dei veritati. *Quod si quis arguat*, si Deus vtatur sua potentia extraordinaria seu absoluta, potest omnes dãnatos in cęlũ euehere: ergo licet hoc à Deo petere, sicut sępe Sãcti petierũt opera miraculosa præter solitũ rerũ cursũ; quietẽ solis, suscitationẽ mortuorũ, & similia. *Resp.* istos miraculosos effectus Sancti ferè sẽper Dei instinctu petiêre, quia sciũt sæpe Deũ pro huiuscemodi fuisse exoratum: cæterum dãnatorũ liberationẽ nullus petijt, nec debuit, quia sententia lata est de æternitate pœnarum eorundem, quam non decet reuocare.

(Psal.6. Psal.113. Matt.25.)

Ad septimũ Alexander Alensi. 4. *pa.q.*93. *mem.* 2. & *ar.*7. *ad* 7. cõcedit, posse nos orare Deum, vt puniat dãnatos citra cõdignum, non autem vt liberentur à gehennę pœnis: & pari ratione concedit posse orare pro Beatis, vt præmiet vltra condignum. *Sed contra*, oratio fidelium præ alijs est actus imperatus à charitate, ita D.Thom. *art.*7. charitas autem non se extẽdit ad damnatos, quia nequeunt esse participes beatitudinis, in quo fundatur vinculum charitatis: ergo nullo modo pro eis orandum est. *Alensis.* 22 *D.Thom.*

Quare melius resp. ad septimum argumẽtum, ea quæ à Deo expectãtur esse in triplici differẽtia: *quædã*, quæ nõ certò sciuntur futura, vt salus integra, lõga vita & similia; *altera sunt*, quæ certo sciuntur futura, sed in quibus obtinendis multũ valet oratio ad Deũ fusa, vt Incarnatio Christi, respectu Patrum veteris legis, assistẽtia Spiritus sancti in Cõcilijs rite congregatis, & id genus multa, quę Deus statuit certo futura, sed medijs orationibus executioni mandanda: itaq; in ipso Dei decreto, nõ solum includitur rẽ futurã, sed medijs orationibus esse futuram. *Alia sunt* certò futura, quæ Deus statuit futura sine vllo respectu, aut depẽdẽtia ab orationibus hominum, vt quod sol oriatur cras, quòd orbes cœlestes mouebuntur, &c. & in moralibus, quod Deus daturus est suam gratiã verè pœnitentibus; quòd daturus sit beatitudinem ijs, qui in gratia Dei decesserunt, & similia: & ad hoc diuisionis membrum pertinet punire damnatos citra condignum, quod sicut ab orationibus non pendet, ita neq; à Deo debet in oratione postulari, sicut nõ postulamus à Deo, quod sol cras oriatur, esset enim stulta & sine causa huiuscemodi petitio: oratio enim vt supra diximus, cum de necessitate orationis ageretur, est vt mandetur executioni diuina prouidentia: ergo in his de quibus certi sumus diuinam prouidentiam ordinasse eam esse implendam sine orationibus, sine vlla necessitate eas vsurpamus, quasi putantes diuinã prouidentiam non esse certam: eo quod quasi cẽsemus esse exequendam per diuersa media ab his, per quæ ipsamet statuit impleri; at vero futura prioris aut secundi generis à Dẽo postulamus, prioris quidem, quia confidimus Deum statuisse nobis illa concedere medijs orationibus: secundi verò generis futura, quia certò scitur Deum decreuisse illa donare medijs orationibus.

Quod si quis obijciat. Vnde nos scimus futura secũdi generis Deũ decreuisse concedere medijs orationibus, non verò futura primi generis? *Resp.* ex cognitione, quæ habetur de Dei decreto. Nam Deus, qui reuelauit decretum suũ de Incarnatione filij sui, reuelauit id esse à Patribus impetrandum orationibus & clamoribus; vel saltẽ ad hoc eos induxit, vt patet ex multis locis sacrę Scripturæ,

pturæ, quæ referta est huiusmodi clamoribus: & assistentiam Spiritus S. donandam esse orationibus habitis ex vsu fidelium, qui tempore congregationis Concilij maximè fundũt ad Deum preces: secus contingit in futuris tertij generis, quæ futura sunt ex sententia lata à Deo, vel ex promissione absoluta, v.g. *In quacunq; hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatũ eius non recordabor amplius.* Ecce remissionem peccatorum affuturã verè pœnitenti, siue oret, siue non oret: similiter qui decedũt in gratia, obtinebunt beatitudinem, siue fundantur orationes, siue nõ. Idem dico de punitione damnatorum citra condignum, & de præmio beatorum vltra condignum. Et aduertendum est damnatos puniri citra condignum, non debere intelligi de extensione pœnarum, quasi aliquid de æternitate earum detrahatur; sed sensus est, quod Deus attenta grauitate criminum, posset maiore pœna punire, sed pro sua clementia minus punit, quam scelera merentur. De qua re videdus est D.Tho.& eius interpretes. *1.par.qu.21. art.4.ad primum, & alibi sæpè.* D.Thom.

23 August. Ad *octauum resp.neg.conseq.* vt enim ait Aug. *li.21. de ciu.Dei ca.24.* nullus est in hac vita mortali adeò peccator & inimicus, qui nõ possit agere pœnitentiam fructuosam, atque ex consequenti fieri amicus; Damnati verò nõ item, sed sunt & nobis & Deo infensissimi inimici. Itaque discrimen est inter damnatos in hac vita & futura, nam hîc sunt nostri proximi ex charitate diligẽdi, de quibus non est desperandum esse, aut posse esse participes beatitudinis, at verò in alia vita, iam non sunt nostri proximi, quia non sunt capaces beatitudinis, sed sunt nobis inimici, atque adeò non magis diligendi, quam dœmones, nec magis pro illis orandum, quam pro dœmonibus.

24 *Ad nonum* concedimus illos affectus commiserationis esse viatoribus licitos, & à Deo autore naturæ efficiuntur, si sermo sit de affectibus appetitus sensitiui, & volũtatis, vt natura est, in quibus discordare à voluntate Dei non est illicitum: maximè quia non pendet à libero arbitrio, secus erit de affectibus voluntatis, vt ratio est, in quibus non licet discordare, voluntate deliberata & absoluta seu efficaci à voluntate Dei: negatur tamen conseq. qua infertur, licitũ esse petere à Deo, vt euadant pœnas æternas dãnati: tum quia nõ licet à Deo petere, id q; Deus decreuit fieri, & nullo modo à libero arbitrio hominum pendet: tum quia oratio simpliciter, & propriè, quia est petitio possibilium, non proficiscitur, neque regulatur à quocunque desiderio, sed à desiderio absoluto, & ex se efficaci volitorum: præfati autem affectus sunt volitiones imperfectæ, inefficaces, & velleitates quædam, quæ etiam possunt versari circa res impossibiles.

Et si quis dicat. Saltem poterit fundi oratio conditionata pro damnatis, sicut illa: *Pater si possibile est transeat à me calix iste.* Respondetur negãdo rationis paritatem, quia illa oratione ostẽdit Christus suum erga nos amorem, & naturæ humanæ veritatem, at hæc ratio non procedit erga dãnatos. Illud verò, q; in probatione cõsequentiæ argumenti tangitur de solatio dãnatorum, magnũ nobis campum aperiebat disputandi, vtrũ in dãnatis aliqua lætitia & delectatio reperiri possit: de quo D.Tho. interpretes, *1.par.qu.64 ar.3.ad 1.* & Doctores in *4.dist.50.* potissimè D.Tho. *q.2.ar. 1.quæstiũc.4.* Modò breuiter, quemadmodum Sãcti de omnibus gaudent, ita & damnati de omnibus dolebunt: itaque nihil erit illis solatio, aut alleuationi pœnarum, nihil voluptatis aut gaudij ex aliquo percipient. Habebunt quidem quædã gaudia, vt ait D.Tho. *vbi sup.* sed inania & fallacia, v.g. spiritus damnatorum aliquando, sed raro in propria persona apparent viuentibus, & molestias ingerunt, in quo videntur gaudere, sicut dœmones videntes alios damnatos, ex quo videntur consolari. Iuxta illud: *Solatium est miseris socios habere penates:* Sed non sunt verè gaudia, sed tantum complacentia quædam, ex qua non nascitur vera delectatio: vel obsistentibus maximis cruciatibus, quos sustinent, ne vlla perfluat delectatio ex tali complacentia, vel quod verosimilius est: eorũ statum in fœlicissimum decet, vt Deus subtrahat suum concursum, ne ex tali complacentia illa nascatur voluptas, aut delectatio. Quare nullum illis à Deo petendũ est leuamen aut solatiũ. *Secũdò resp.* Estò aliquod solatium, aut delectatio ab eis caperetur, omnia hæc aut sunt mala ex obiecto, aut si bona sunt, ordinantur ab eis in malum, in rabiem, scilicet, in inuidia etiam suorum sodaliũ, quos in vita vnicè dilexerunt. Hoc autem pro illis à Deo petere execrabile est. D.Thom. D.Thom.

In *respons.ad confirm.* prius explicandum est breuiter, quid sibi voluit illa petitio diuitis Epulonis. Abulensis *super ca.25. Mat.q.563.* refert quosdã dicentes, diuitem illum motum ex amore & cõpassione ad suos fratres orasse Deum, vt mitteret animam Lazari ad monendum eos de attinentibus ad suam salutem, ne venirẽt in locum tormẽtorum. *Sed istorum positio falsa est*, quia dãnati nullã possunt habere voluntatem bonam, neque vllam compassionem viuorum, quin potius inuidiæ facibus erga oẽs agitantur. Alij sunt existimantes Diuitem talem precationem fudisse, vt fugeret maiorem cruciatum. Etenim sicut Beati maius capiunt gaudium ex maiori numero saluandorũ, ita & damnati maiori affliguntur pœna ex maiori numero damnatorum, maximè iste Diues, si fratres eius ducti suo malo exemplo damnarentur, illi fortior instaret cruciatus, quem cupiẽs vitare orabat Deum pro liberatione suorum fratrum: non quia compatiebatur illis, sed quia timebat sibi infligi maiorem pœnam. Abulens.

Sed neque hæc interpretatio placet D.Tho. *vbi sup.ad tertium*: eò quòd quamuis ex damnatorum multitudine pœna singulorum augeatur, tamen tantum superexcresceret odium & inuidia q; magis eligerent torqueri vehementius cum multis, quã minus cruciari soli: tum etiam, quia pœna debita propter scandalum datum fratribus suis in ipso statim ingressu inferni simul inflicta est.

Igitur respondetur cum D.Tho.& Abul. vbi sup. damnatos mauelle absolutè loquendo omnes etiam fratres suos simul damnari, at quia minorẽ habent inuidiam erga propinquos suos, consequenter maiori afflictione premerẽtur, si omnes

propinqui damnarentur, & alij in cælum euolarent: & ideò Diues ille Epulo, cum sciret quamplures esse saluãdos, concupiuit, quod sui fratres essent de numero saluandorũ, & ob id petijt à Deo, vt Lazarum mitteret ad eos edocendos ad suam salutem pertinentia; non quia vellet eos nõ condẽnari, sed mallens suos fratres esse de numero saluandorum, quam alios. *Sed ducet quis*. Ista petitio, & affectus erga fratres bona erat: vtiq; bona aliqualiter, sed vt ait Caietanus super hunc locum ex affectu superbiæ procedens, quia propterea petebat suos fratres euadere pœnas magis quam alios saluandos, vt vel sic in suis fratribus exaltaretur. *Ad confirmationem igitur negatur consequentia*, quia petijt Epulo, quod non assecutus est, imò peccauit petendo, vnde non infertur, nos posse orare Deum, vt petitioni eorum annuat.

26. Circa secundum testimonium etiã videndum est, quid Dæmones petierint à Christo. *Primò* petierunt ne mitteret eos in gehennã, ex quo collige valdè cupere Dæmones extra infernum esse: non quia sic euadant cruciatus, secum enim deferunt sua supplicia quocunq; pertrexerint; vel quia incedunt circumsepti igne. Infernali modo quodã occulto & inuisibili, Deo ita disponẽte: vel quia à Deo immediatè torquentur, ac si igne gehẽnali vrerentur: sed desiderant esse extra illum carcerẽ, tum propter horrorem & loci turpitudinem, tum ne impedirentur à molestijs inferendis & perturbandis hominibus, quia in Inferno existentes eorum potestas ad huiuscemodi operationes impedita & ligata est. *Secundò* petierunt vt mitterentur in gregem porcorum: quid eos ad hoc mouerit incertum est: rationes coniecturales plures affert Cardinalis Franciscus à Toleto *super caput octauum D. Luc.* quas omnes desumpsit ex Abul. *Matth. 8. q. 127.* quæ videndæ sunt ad confirmationem: ergo negatur consequentia: quia Dæmonum petitio mala est, nostra verò non debet eis conformari. *Toletus.*

Dices, exaudita est à Christo, quomodo mala est? *Respondetur*. Ex parte obiecti petitio nõ habuit malum obiectum, & à Christo volitum propter bonos fines, quos enumerare longum esset; ex parte Dæmonum vitiata petitio à mala fine, quia omnis eorum operatio vitiosa est: sæpè autẽ contingit petitiones peccatorum exaudiri in suam eorum perniciem, quia petita ob malum finem petunt, sic in præsenti contingit.

27 Ex dictis decisa manet altera dubitatiuncula præcedenti affinis: An pro pueris in Limbo existentibus, qui cum peccato originali decesserunt orandum sit? *Respondetur* namq; negatiuè: licèt enim non peccauerunt voluntate propria, sed aliena: tamen re vera in peccato decesserunt, & sũt in statu irreuocabili inimicorum Dei; oratio autem non impetrat mutationem ab statu peccati ad statum gratiæ, aliàs mutaret decretum Dei, dicentis Ecclesiast. 11. *Vbi ceciderit lignum ibi manebit, siue ad Austrũ, siue ad Aquilonem.* Quod si obijciat quis, Innocentiũ III. capite cum Marte de celebratione Missarũ, vbi ait, *Ex mortuis quosdã esse valdè bonos, qui non egent suffragijs, quosdam valdè malos, qui non possunt iuuari, quosdam mediocriter bonos, quibus suffragia prosunt ad expiationem, quosdam mediocriter malos, quibus prosunt ad propitiationem:* Ad vltimum membrum diuisionis quibus conuenit, nisi pueris in Limbo, si enim valdè boni sunt in cœlo, valdè mali in Inferno, mediocriter boni in Purgatorio; vbi erunt mediocriter mali, nisi in Limbo? Igitur vt his concedatur aliqua propitiatio possumus pro illis orare.

Non esse orandum pro pueris in Limbo existentibus.

Ecclesiast.

Hoc argumentum magnum negotium Canonistis facessiuit; nos verò dicimus primò, mediocriter bonos appellari, qui nullam habẽt culpam, sed tamen habent reatum pœnæ; mediocriter malos appellari eos, qui habent culpam aliquam, sed venialem tantum. Secundò respond. Innocentium III. eam diuisionem sumpsisse ex Augustino *in Enchirid. c. 110. & in libro de cura pro mortuis*, vbi ponit diuisionem tantum trimembrem: & iure, nam ad idem pertinet membrum illud mediocriter boni, & mediocriter mali: quare vel memoria lapsus est Innocentius, quando diuisionẽ ab Augustino desumpsit, vel sine causa adauxit vnum membrum.

III. DISPVTATIO

An pro animabus existentibus in Purgatorio sit orandum?

ET videtur vera pars negatiua, primò omnibus argumentis, quibus supra probauimus non esse orãdũ pro defunctis. *Secũdò*, estò sit orandum pro aliquibus animabus Purgatorij, non tamen pro omnibus, ex D. Augusti Enchirid. cap. 109. & in libro de cura pro mortuis agenda c. primo; vbi dicit: *Pia opera* (inter quæ oratio computatur,) *eis tantum defunctis prodesse, qui cum viuerẽt hæc sibi vt postea possent prodesse meruerunt.* Ecce D. Augu. negat omnibus in Purgatorio existentibus posse viuos auxiliari. *D. Aug.*

Tertiò. Sancti cũ Christo regnantes non orant pro animabus in Purgatorio existentibus: ergo nec nos qui infirmioris sumus charitatis, quosque Deus minori prosequitur fauore pro illis orare debemus. Antecedens prob. quia cum animæ beatæ vehementius orent, & pro omnibus orent, & eorum orationes à Deo benignius & facilius exaudiantur, in modico tempore euacuissent Purgatorium.

In præsentiarũ non est nobis animus disputare contra Hæreticos nostri temporis, an sit Purgatorium, & ad quid sit: & multa alia ad hunc articulum de Purgatorio concernẽtia: sed supponimus vt fidei dogma, Purgatoriũ esse, vbi animæ eorum, qui decedunt è vita, in gratia Dei, obnoxiæ tamen pœnis debitis peccatis, aut morientes aliquibus venialibus culpis non remissis, pœnas luãt, & fiat plena remissio. *Supponẽdũ itidẽ est*, nos modo nolle disputare de omni genere suffragiorũ, quibus animæ Purgatorij iuuantur, sed dumtaxat de oratione; & de ea, nõ secundum omnem

confi-

consideratione,videlicet vt meritoria est,& satisfactoria, sed tantum vt impetratoria est.¶Vnde dubitatio præsens est, verùm fructuose & licitè oremus pro animabus Purgatorij, ita vt per nostras orationes eis aliquid impetremus,nempe liberationem à pœnis,aut qualecunque aliud solatium?

3 *Sententia Autoris.* Pro cuius decisione *Dico primò*.Secundum fidē Catholicam asserendum est, animas in Purgatorio existentes nostris orationibus adiuuari.*Probatur* omnibus,quę attulimus supra ad probandum orandum esse pro defunctis;quod non est intelligendum de damnatis,vt probauimus , neque de Beatis,vt ostendemus;ergo de animabus in Purgatorio existētibus id intelligi necesse est. Probatur secūdò ex D.Dionysio in 7.cap.cœlestis Hierarchiæ,vbi ait: *Diuinus Sacerdos pro mortuis orans, pro illis orat,qui sanctè vixerunt,& tamen aliquas maculas habuerunt,ex infirmitate humana contractus*:huiusmodi aūt sūt animæ,quę detinentur in Purgatorio.Idē latius prosequitur D.Damasc.in citato sermone,si tamen eius est.*Tertio*,ex vsu fidelium à principio nascentis Ecclesiæ, quæ sæpissimè orat pro animabus Purgatorij, & credit eas nostris orationibus & pœnis releuari, & liberari : de qua re sunt multæ apparitiones & reuelationes testificantes animas præfatas orationibus esse adiutas. Videndus est D. Gregorius in *quarto Dial.capi.* 40. vbi narrat Paschasium precibus Germani Episcopi à pœnis Purgatorij esse solutum,& *capite.55.& libro 1.de vita Bernardi*, *cap.* 10. *vide autorem eius.*

D.Diony. *D.Dam.* *D.Grego.*

Maurelius. Quod si de hac re plures cupis scire apparitiones lege Maurelium *libro 4.capite.12.& libro 2.capite 2.*Quādam historiam,quam refert D.Bernard. *in vita sancti Malachiæ capite 4.*non grauabor referre:nam cùm sāctus Malachias pro sorore sua defuncta preces in Missa offerret, primo visa est illi peruenisse ad limen Ecclesiæ in veste pulla , nec dum tamen posse intrare , cumque ille perseuerasset in prece, & sacrificij oblatione vidit eam secundò in veste subcandida, ad Missam quidem intra Ecclesiam, sed altare contingere non permitti:tertiò tandem visa est aggregari cœtui candidatorum,& in veste candida: ex quo intellexit suis precibus & Missæ oblatione à Purgatorij pœnis esse solutam.

4 *Secundo dico*.Non solum orationes communes, quæ nomine Ecclesię fiunt pro animabus Purgatorij omnibus illic existentibus prosunt, sed etiā orationes particulares, quæ à fidelibus pro eisdē funduntur. Hæc assertio est contra Caiet. qui *in primo tomo opus.tract.16.quæst.5.*tenet omnes qui in Purgatorio sūt,posse Ecclesię suffragijs adiuuari, sed de facto specialibus suffragijs non omnes iuuātur,sed illi soli,qui hic meruerunt, vt illic iuuarētur:& explicāt,qui sunt isti,qui hoc meruerunt, ait,esse illos qui in hoc sæculo viuētes magnā deuotionē habuerunt ad clauē Ecclesię,qui propēsi ad misericordiā & soliciti ad satisfaciendum pro peccatis, & ad suffragādum defunctis, & similia. Mouetur Caiet. testimonio D.Augu.allato in 1. argum.facto in initio huius dubitationis:sed perperam citato,&non benè intellecto:nam D.Augu. non dicit:*Suffragia nostra non prodesse,nisi illis animabus Purgatorij,qui hic meruerunt,vt illis prodessēt*, vt refert Caietanus,sed dicit:*non prodesse , nisi illis, qui dū hic essent meruerunt,vt illis possent prodesse.* Vbi nomē *meriti*, non accipitur strictè pro meritorio opere,sed pro condignitate & capacitate, vt animabus possint cōmunicari suffragia,& auxilia,& donum petitum per orationē;omnes autem animæ existentes in Purgatorio, hoc solum quod in gratia decesserunt,habent hanc capacitatem, & meritum,siue habuerint merita actualia propria, vt illæ quæ operatæ sunt ex charitate,dū essent in via,siue iustificatæ ex vi sacramenti,sine vllo opere meritorio obierint.

Caiet. *August.*

Non inficior Domino Caietano, eas animas, quæ dum viuerent habuerunt eam deuotionē ad claues,quā ipse exigit,magis esse dispositas,ad inclinādā Dei misericordiā,vt annuat petitioni factæ pro eis, vel vt ipse Deus moueat viuos ad eis suffragandum.Itaq; fundamētum, vnde colligēdum est , animas Purgatorij posse omnes iuuari quibuscunq; suffragijs & orationibus etiā specialib⁹,est in gratia decessisse,esseque ob noxias reatibus peccatorum,cuiusmodi sunt omnes,quæ in Purgatorio morantur.Vnde omnes harum orationum percipiunt fructus,si tamen pro illis funduntur,nam certum est orationem non impetrare nisi illi,pro quo funditur expressè, aut implicitè.Ex his patet ad secundum.

Dico tertio.Non solū viatores orant fructuose pro animabus Purgatorij, verum etiā Beati cum Christo regnantes, & ij maximè.Hæc assertio est contra doctissimū *Sotum in 4.sent.d.45.q.3.art.2.in fine*, & persuadetur sapientissimus pater argumēto vltimo quod feci in principio huius dubij.Sed *probatur nostra assertio,quia* orare pro ijs, qui miserias & ærumnas patiuntur, opus charitatis est,si tamen capaces sint leuaminis & solatij:sed animę Beatæ feruent charitate erga animas laborantes in Purgatorio,& indigētes liberari à magnis cruciatibus,& sunt huius beneficij capaces : quæ ergo inuidia est negare illis orationes beatorum? 5 *Sotum.*

Adeò veram censeo hanc nostram assertionē, vt existimem doctissimum Sotum nō sensisse oppositum,sed aliquem maleuolum in fine illius articuli illud adiecisse. Quare in alijs impressionibus nouiter factis non inuenitur: aut verò fortasse loquebatur de oratione Beatorum, vt oratio habet rationem meriti,aut satis factionis,quę cum non habeant locum in Beatis, certū est Beatorum orationes non fieri pro animabus Purgatorij,neque in ratione meriti,neque in ratione satisfactionis; secus est in ratione impetrationis. *Secundo probatur nostra assertio* ex D.August. *libro de cura pro mortuis,capit.4.*vbi dicit prodesse mortuis sepulturā in Basilicis martyrū, vt qui recordatur mortuis,simul recordetur Martyris,&ei⁹ precib⁹ mortui animam cōmendet. Tertiò Ecclesia in oratione illa pro defūctis,*De⁹ veniæ largitor,&c.*qua sæpè vtitur,à Deo postulat,vt B.Maria intercedēte,& omnibus Sāctis animas defunctorū ad perpetuæ beatitudinis cōsortiū peruenire cōcedat. 6 *August.* *Soluūtur argumenta.*

Ad argumentum in oppositum respondetur. Cū nos possimus mereri de cōgruo animab⁹ Purgatorij,

gatorij, & applicare illis satisfactionem nostrorum operum, ex hac parte excellimus Beatos. Quod attinet verò ad impetrationem per orationes, longè ab eis superamur, quia vehementius & crebrius orant quàm nos, & quantum est ex parte sua facilius exaudiuntur. Sed tamen cum omnis orationis impetratio soli innitatur misericordiæ Dei, non est debitum oranti, vt impetret, quę postulat, sed duntaxat, quando res petita cōformis est diuinæ voluntati: quæ propter ordinē sapientiæ suæ quædam petita concedit, quædam verò negat. Hinc fit, vt interdum sanctiores non exaudiuntur, quia petunt ea, quæ Deus decreuit non facere; vt patet de Moyse, qui petiuit intrare
Deut. 3. terram Chanaam *Deut. 3. & 32.* Et Samuel orans
1. Reg. 15. pro Saule, non est exauditus *1. Reg. 15.* è contra ve-
Matth. 8. rò sæpè contingit malos exaudiri, imò & dæmo-
Luc. 8. nes *Matt. & Luc. 8. & Marc. 6.* quia postulatum
Marci 6. concordabat diuinæ voluntati propter fines dispositos à sua prouidentia. Ad *argum. igitur negat. antec. & eius probatio.* Etenim cùm impetratio orationum beatorum non semper sit infallibilis, quia, vt dicebamus, innititur Dei liberalitati, quantumuis preces eorum pro animabus Purgatorij sint crebræ & feruentes, nō semper exaudiuntur, & consequenter non euacuāt Purgatoriū.

Ad hæc accedit, quod iuxta sententiā aliquorum (vt infra dicemus) Beati certò cognoscunt, quando preces eorum exaudiendæ sunt, & quando non sunt exaudiendæ. Vnde non multiplicant eas, sicut nos, qui hæc ignoramus. Imò (vt insinuabam) multiplicius possunt animæ Purgatorij à viatoribus adiuuari, quàm à Beatis. Nam ab illis per applicationem satisfactionis debitæ suis operibus per indulgentias, per Missæ sacrificia, quibus suffragijs (iuxta sapientum quorumdam placitum) ex iustitia debetur remissio pœnarum animabus Purgatorij debitarum, & per meritum de congruo & per impetrationem: à Beatis verò tātum iuuari possunt per modum impetrationis, quapropter sicut ex multipliciori suffragio viatorum erga animas Purgatorij non infertur repentina euacuatio Purgatorij, neque ex suffragio Beatorum per orationes inferretur: maximè quia non semper talis modus suffragij sortitur effectū postulatum.

DISPVTATIO IV.

An sit orandum pro animabus quæ plena fœlicitate cum Christo regnant?

1 Epiphan. Cyrillus. Chrysost. Matth. 9.

ET videtur vera pars affirmatiua, ex Epip. *hæresi. 75.* & Cyril. *Cathechesi. 5. Mystagogica* & Chrysost. *in sua Liturgia*, dicentibus sacrificium offerri Deo pro Apostolis, Martyribus, &c. & hom. 33. in Mat. super illa verba: *Non est mortua puella sed dormit.* Matth. 9. agens de filio diuitis obituro dicit. *Putas eum maculis inquinatum obijsse? Da ipsi sua, vt illis se à maculis detergat. Putas in iustitia ipsum decessisse? prabe ipsi sua ad mercedis & retributionis adiectionem.* Vbi per defunctum, qui obijt cum maculis intelligendus est, qui migrauit ab hoc seculo obnoxius reatibus pœnæ, & culpis tantùm venialibus: sicut dubitatione præcedenti docuimus. Ergo per eum, qui decessit in iustitia intelligendus est ille, qui obijt in gratia Dei nulli reatui obnoxius, qui euolauit in cœlum, pro quo suadet fieri eleemosynas ad augmentum mercedis & gloriæ, & pari ratione suadet fieri pro eo orationes.

Secūdò ex consuetudine Ecclesiæ, nam vt refert Innoc. III. c. cum Marte, de celebratione Missarū, Innocen. in die S. Leonis dicebatur: *Annue quæsumus Dominē, vt animæ Beati Leonis hæc prosit oblatio.* Quæ verba licèt mutata fuerint, vt ibidē refert Inno. III. tamen in secreta oratione eiusdem S. Leonis, nūc petitur: *Vt per hæc piæ placationis officia, & illum beata retributio comitetur, & nobis tuæ misericordiæ dona cōciliet.* Et in alijs orationibus, quibus frequenter vtitur Ecclesia dicitur: *Vt sicut sancta mysteria Sāctis prosunt ad gloriā, ita nobis proficiāt ad medelam.* Ecce supponuntur oblationes, & mysteria celebrata prodesse Beatis ad gloriam, atque adeò orare pro illo profectu licitum erit.

Tertiò. Beatæ animæ comparāt sibi multa gaudia, quæ Theologi vocant accidentalia, vt de bonis operibus aliorum: *Gaudiū est in cœlis, super vno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. 15. maximè si sunt Luc. 15. sibi coniuncti, & specialius, quando ipsi Beati, dū viuerent, fuēre; causa, aut occasio illa bona opera efficiendi: ergo possumus à Deo petere, vt Beatis conferat huiusmodi gaudia accidentalia.

Quartò. Beati ipsi magnis clamoribus interpellāt Deū pro consummatione suæ gloriæ, mediāte animarum ad corpora vnione, vt collegimus supra ex testimonio Apoc. 6. iuncta expositione D. Greg. *2. moral. ca. 6.* ergo & nos possumus eadem precari pro illis Domino Deo nostro.

In oppositum tamen est D. Aug. qui protulit August. illud celebre dictum, *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro eo, cuius debemus nos orationibus commendari.* Quare iniuriam? quia protestatur illum miserum & indigentē, cum tamē omnis miseriæ expers sit, sicut & quilibet Beati inebriati ab vbertate domus Dei, *Psa. 35. Secundò ratione,* à Deo pro alijs petimus vel collationem alicuius boni, vel liberationē à malo: sed Beati nullius boni sunt indigentes, nullūque patiuntur, aut timent malum, ergo non est pro illis orandum. Hæcque sit nostra assertio tenenda, limitanda tamē ad orationes pro obtinenda gloria essentiali, quæ in Dei visione, amore & fruitione cōsistit. Nō enim reputo incōueniens pro illis postulare aliquā gloriā accidētalem, quæ consistit in gaudendo de nostris cōmodis, de honore, qui à nobis Deo exhibetur, per cultū aut bona opera alia, de laude Dei & similibus, iuxta illud Aug. in soliloquijs. *Da igitur* August. *Pater, da eis semper gaudere de nobis, vt & tu semper per eos lauderis in nobis.* Limitatio intelligenda est de gloria accidentali, nō necessariò connexa cum essentiali: quia hæc ex essentiali nascitur, & ratione suorum meritorum debita est, & cōsequenter nō danda per preces aliorum. Et limitatio etiā extēdenda est ad aliq; extrinsecum bonum charitatis, seu boni & amoris aut honoris apud alios: pro quo videtur Christus orasse Ioa. 17. *Glorifica me tu Pater,*

D. Thom. *Pater &c.* Benè enim D. Th. *in 4. dist. 45. qu. 2. ar. 2. qu. 4. ad 3.* etiam in præfatis casibus nō admittit Beatos nostris orationibus posse adiuuari: *Eo quod,* inquit ipse, *propter illa multiplicata gaudia, eorū gaudiū nō augetur formaliter, sed tantū materialiter:* id est, non est intensius, sed extensius, sed quāuis hæc vera sint, fortasse nō est incōueniēs, illud augmentum gaudij extensiuum, à Deo pro illis postulari, non vt nostris orationibus adiuuentur: sic enim intelligendus est D. Th. quia iuuari indigentium est, sed vt de honore, aut alio simili gaudeamur Deo exhibitio.

3 Soluūtur argumenta. Ad *primū negatur cōsequētia,* quia oblatio sacrificij quādo pro Sāctis fit, nō fit ꝓ obtinēda beatitudine, sed pro gratiarū actione, propter gloriā collatā: secus est de oratione, quæ intrinsecè petitio est, & saluari non potest, nisi aliquid à Deo postuletur nō habitū, quo nō carēt Beati. Fateor, verba D. Chrys. duriora esse, respōdetur tamen ex cōtextu eiusdē, nā loquitur de filio Diuitis moriturо, & suadet, quod dētur illi bona sua, vt eroget pauperibus: vt se liberet à peccatis, in quibus est, iuxta sēsū Catholicū in quo intelligi solet illud: *Peccata tua eleemosynis redime,* & illud: *Eleemosyna à morte liberat.* Et tūc legēdū est: *Putas eū maculis inquinatū obiturū.* Vel si, *Obysse,* legatur, loquitur de viuo per anticipationem, & in sequētibus verbis monet, vt fiant eleemosynæ pro defuncto, qui in gratia decessit, vt à reatu pęnę absolutus, cōsequatur gloriā: & hāc cēseo magis consonā expositionē, quàm quæ in citata dubitatione apposita est.

Ad verba Collectæ in Missa sancti Leonis respōdetur, intelligenda esse de retributione gaudiorū quorūdā accidētaliū suę beatitudini essentiali. Illud verò quod dicitur in alijs Collectis: *Vt sacra illa Sanctis prosint ad gloriam,* intelligēda sunt, non de nouæ glorię & beatitudinis acquisitione: sed de gloria, vt est clara cū laude notitia. Et supponitur ex Sanctorū celebratione famā sanctitatis eorū vbique diffundi, & quod à nobis in magno habeātur pretio. Vnde nobis accrescit exemplū, Deo laus, & honor, qui mirabilis cognoscitur, & laudatur in Sāctis suis, ipsis verò Sanctis nil gloriæ essentialis ex hoc accrescit, nisi tantum accidentalis, vt dictum est.

Sed obijciet quispiā contra Doctrinā præfatā, ex qua videtur sequi nos posse orare pro ipso Deo; quod magnam absurditatē præ se fert. *Probatur sequela;* quia cū Deus capax sit honoris, & gloriæ, dimanātiū à bonis operibus fideliū (glorificatur nāque & honoratur in Sanctis suis) posset orari pro ipso, vt videlicèt, illa gloria & honor in eo augeretur, sicut de Beatis dicebamus. *Respōdet.* negādo cōsequentiam, quia pro nullo oratur, nisi vt proueniat illi aliqua vtilitas vel emolumētū, quorum Deus capax non est. Item quia gloriæ, & honor solum constituunt in eo denominationem extrinsecam, per quam nihil illi accrescit.

Ad *tertiū & quartū* nō cēseo improbabile nos posse à Deo postulare pro Beatis cōsūmationem suæ gloriæ per corporū resurrectionē, & accelerationē eiusdē resurrectionis: & cōsētit Innocētius tertius, *in cap. cū Marthæ.* citato, & etiā August. & Greg. qui exponētes illud testimoniū D. Ioānis dicunt Beatos orare pro obtinēda gloria sui corporis: & D. Th. in *hac quæst. ar. 11. ad primū* expresse. Quare non video, cur nos non possimus eandem gloriam corporis pro ipsis à Deo petere, & censeo non obstare nos beatis esse longè inferiores: siquidem peccatores pro iustis licitè orationes fundunt, vt infra dicetur.


Inno. 3. August. Gregor. D. Thom.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm cōuenienter septem petitiones orationis Dominicæ aßignentur?

CONCLVSIO est affirmatiua, ex Christi autoritate eā precationē instituētis, Matth. 6. Matth.

PRÆAMBVLA AD EXpositionem orationis Dominicæ.



EA est orationis Dominicæ præstātia, vt ferè oēs Patres ātiqui & moderni in ea explanāda præclara ingenij sui monimenta dederint, quidā obiter, quidā ex professo. Tertulianus in libro de oratione, Cyprian. in expositione orationis Dominicæ, Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi. 5. *Mystagogica,* Chrysostomus *Homilia de oratione Dominica,* Gregorius Nissenus *in homilijs quinq; decadis.* Amb. *lib. 5. de Sacramentis c. 4. Aug.* de Serm. *Domini in monte c. 5. & sequētibus.* D. Bernar. *in Epist. 121. ad Probam c. 11. & 12. in Enchir. c. 115.* Innoc. *Sermon. 28. de verbis Domini, Homi. 42. ex libro quinquaginta homiliarum, & Serm. 126. 135. 182. de tempore.* D. Ber. *Serm. 6. de Quadragesima,* Innoc. Papa *lib. 5. de mysterijs Missæ cap. 17. Diu. Thom. Opusc. 7.* Cassianus *coll. 9. c. 18. & sequentib.* Chrysolog. *Serm. 67. & sequent.* & interpretes sacræ Scripturæ in *caput sextum Matth.* Abul. *ibi à q. 113.* Gabriel *super Canonem Missæ à Lectio. 64. vsq; ad Lection. 79. inclusiuè,* Rob. Bellarm. *in 3. tomo suorum operum controuersia vlt. gener. lib. 1. c. 3. & sequent.* 1 Tertulian. Cypr. Cyril. Chrysost. Nissenus. Ambros. D. Bernar. Innoc. Abul. D. Thom. 2 August. Cassianus. Chrysolog. Abul. Gab. Bell.

Cōmendatur autem orationis Dominicę pręstantia, supra cæteras orationes, *dignitate, vtilitate, breuitate, fœcunditate, necessitate, ac denium ordine.*

Dignitate, qui eam composuit & docuit, non homo, aut Angelus, sed Christus Dei filius, & Sapientia Patris.

Vtilitate, tum quia Christo dicente: *Sic orabitis Pater noster, &c.* nemo ambiget, quia oratio illa sit Deo gratior & acceptior, quàm quæcunq; alia precādi forma. Vnde D. Cyprianus: *Quæ apud patrē precatio exauditur, quā quæ ab ore Filij qui veritas est probata, creditur:* tū etiā, quia si Christus promisit, & īplebit: *Quidquid petieritis Patrē in nomine meo dabit vobis:* si petierimus aliquid in nomine Christi & oratione à Christo composita quidni dabitur. D. Cyp.

Breuitate compendiosa excellit alias; quare Tertul. eam appellat, *Breuiarium Euangelij:* & D. Cyp. *Ipsa est oratio, quam ipsemet Deus incarnatus mortales orare docuit, qui suo magisterio omnem precem nostram in vno sermone abbreuiauit, tanquam sit sermo de quo dixit Esaias, Sermonem breuiatum faciet Dominus in toto orbe terræ.* Hæc autem breuitas ad multa conducit: ad præbendam fiduciam impetrandi: vt enim Tertul. D. Cypr. Esai.

vt enim ait quæ iam glossa: *Orationem composuit Christus breuibus verbis, vt esset fiducia cito annuendi, qui breuiter vult rogari:* Item ad facilius discēdū, & ne memoria elabatur, vt frequentius iteretur, vt orans nō grauetur fastidio, ac deniq; vt dānetur multiloquiū Getilium putantium, quod in multiloquio exaudiantur: nam orationis negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu, quam affatu.

D. Aug. *Fœcunditate* etiam cōmendatur: vnde D. Aug. ad Probam. *Si omnia sanctarū precationū verba discurras, non inuenies quod ista oratio Dominica non contineat, & includat.* Et hoc declarādo subdit quędā quæ erūt gratia legenti. Similiter in ea excitantur omnes affectus studiosi, qui haberi poterunt; timor, tristitia, Spes, gaudium: ac amor Dei, & proximi, qui præcedētiū fōs est, & origo affectuum. Pręterea in ea monemur quid credere, quid sperare, quid amare, quē colere, quid agere, quid fugere, quid appetere, quid cōtēnere debeamus.

3 Demum reliquas precandi formulas excellit *necessitate*, vt pote quam omnes fideles discere & proferre frequenter iubentur: *in constitutionibus Apostolicis lib.* 7. *capit.* 25. monentur omnes Christiani, ter quolibet die orationem hanc fundere:

D.Greg. vnde D. Gregorius Magnus instituit decantari statim post consecrationem, *quia*, inquit libr. 7. Registri Epistola. 64. *mos Apostolorum fuit, vt ad ipsam solummodo orationem Dominicam oblationis hostiam consecrarent.* Et in Concilio Toletano 4. *Canone.* 9. iubemur nullo vnquam die orationem hanc intermittere, & ob id Cyprianus *Sermon.* 6. *& in Enchir. capite.* 71. quotidianam vocare. Dubitabit tamen quis, an sit præceptum de ea memoriter tenenda, vt suo tempore dicatur? videtur q̄ sic ex Conc. Remensi *ca.* 2. vbi habetur non licere homini Christiano Dominicam orationē aut non tenere memoria, aut nō intelligere, aut non frequentare. Item *de consecratione dist.* 4. *is*, qui lauat infantem de fonte baptismatis admonetur vt doceat paruulum Symbolum, & orationem Dominicam, sed præceptum est Symbolum memoriter tenere: ergo & orationem Dominicam. Syluester *verbo oratio.* §. 8. adducit supplementum habentem partem affirmatiuam, quod videntur sonare verba Christi Domini, dicentis: *Sic orabitis.*

Nihilominus censeo tantum esse consiliū, non præceptum respectu omniū Christianorum, nā respectu vouentium eius recitationem, aut aliàs obligatorū ad eam dicendā, alia est ratio. Tenētur quidem omnes fideles, si quid petunt, non alia nisi in oratione Dominica contenta petere: Cæterum non eo ordine & verbis, quæ in ea sunt, & hoc intendunt omnia allegata in oppositum: & nostra sententia est expressa Augu. *Epist.* 89. *ad Hyllarium, &* Medinæ Tractatu *de oratione. q.* 10. Syluestri *verbo scientia, n.* 2. estq; communis Doctrina ad eā modū, quo dici solet de articulis fidei: fateor qui hanc precatiunculam perbreuem ignorat, animi desidiosi & malè affecti non modicum indicium daret.

Ex dictis sequitur nullum esse præceptum de recitando priuatè orationem Dominicam: nam si non est præceptū de retinenda aut addiscenda oratione Dominica, neq; erit de ea recitāda oratione priuata: & si Sermo sit de pręcepto naturali, aut diuino, certū est, vt docebimus statim contra quosdā Hæreticos, sed de iure positiuo nō ita certum, quia Palud. *in* 4. *distinct.* 19. *quæst.* 1. *num.* 7. tenet esse præceptum obligans ad veniale: sequitur eum Nauar. in *Enchir. de orat. ca.* 3. *num.* 22. *& ca.* 20. *nu.* 20. adduxitq; pro se iura citata, & Cōc. Tol. 4. *c.* 5. *idem* tenet Durantus *lib.* 2. *de ritib. c.* 46. qui pro se adducit Clementem, *lib.* 6. *const. ca.* 25.

Oppositam sententiam tenet *Medina vbi supra:* quam sententiam veram esse existimo, & iura citata tantum cōmendant verbis exaggeratiuis vtilitatem recitandi præfatam orationem, & necessitatem petendi ea quæ in eo continentur. Et in speciali dico Concil. Tolet. dirigere sermonem ad Clericos, quando diuinum officium recitant, vt patet legenti: non verò loquitur de orantibus priuatè, Concil. verò Remense, quod aperte videtur nobis contradicere Prouinciale fuit, non valens inducere præceptū toti Ecclesiæ. Itē docet quid sit melius, & quid debent pastores Ecclesiæ, suos subditos, & parentes filios suos docere.

Quintò. Huic est annexa alia dubitatio, an solis verbis expressis in oratione Dominica vtendum sit, quando Deum precamur? Partem affirmatiuam tenuerunt Hæretici Vualdenses, & etiam Hæretici Bogomiles, vt refert Euthymius in Panoplia titul. 23. parte. 2. quia Christus Dominus id præcepit, dicens: *Sic orabitis*, & Cyprianus dicit: *Aliter orare, quàm Christus docuit, non solùm ignorantia est, sed culpa.* Respondetur tamen non est necesse semper vti in precationibus, verbis contentis expressè in oratione Dominica; necesse est tamen nulla alia petere nisi contenta in oratione Dominica. Secunda pars est expressa sententia Augustini *Epistola.* 121. *ad Probā, capit.* 12. quia omnia petenda ibi continentur. Prima verò pars probatur: nam Christus & Apostoli alijs verbis sæpe vsi sunt in suis orationibus *Matthei.* 26. *Lucæ.* 22. *Ioannis.* 17. *Actorum* 1. *& alibi sæpè.* Ad obiectum primum respondetur, aduerbium. *Sic*, non dicere omnimodam similitudinem verborum, sed rerum significatarum: *Sic orabitis*, sensus est, id est, verbis similem sententiam significantibus orabitis, vt declarat Beda *Matthæi.* 6. Similiter respondetur ad testimonium Cypriani, quod aduerbium, *aliter*, non dicit alietatem verborū, quibus oratur, sed alietatem rerū pro quibus oratur. August. Matt. 26. Luc. 22. Ioann. 17. Actor. 1.

6 Diuiditur oratio Dominica in Exordiū, Narrationem & Epilogum, vt notat Diuus Ambrosius *lib.* 5. *de Sacramentis, capit.* 4. Exordiū artificiosum in hac Dominica oratione nō deest, siquidē aliquid petituri solēt laudem eius, quem rogant præmittere ad reddendum eum beneuolū & attentum. *Vide* (inquit D. Ambrosius) *vnde debes incipere orationem tuam. Dic mihi, si velis hominē rogare & sic incipias, da mihi quod peto, non ne arrogans videtur oratio?* Propter quod sapientes oratores hanc obseruant disciplinam quod incipiunt à Iudicis laudibus, vt eum fautorem sibi præsentent, & beneuolum faciat cognitorē. Quod colligere licet ex vno aut altero loco sacræ Scripturæ. Ambr. Ambr.

Moyses,

Exod. 34. Moyses, Exodi. 34. supplicaturus pro populo Israel præmisit: *Dominator Domine Deus, misericors, & clemens, &c.* & statim petitionem subiunxit: *Si inueni gratiam in conspectu tuo Domine, obsecro*
Iudith. 9. *vt gradiaris nobiscum.* Et Iudith. 9. eodem modo orauit. Non dissimiliter Christus sapientia Patris docens nos orare præmisit Exordium laudis, *Pater noster qui es in cælis.* Prima facie nulla laus Dei videtur ipsum vocare Patrē; licèt nostri maxima sit, ipse tamen sua maxima misericordia in laudē reputat patrem vocari à vilibus seruis: cum verò addimus: *Qui es in cælis*: eius potentiam & excellentiam laudamus, qui in cœlo tanquam in altissimo solio præsidet. Sic artificiose exordimur ab eius laudibus; non tamen pariformiter ad exordia precationum, quæ ab hominibus fiunt, non enim ab eius laudibus incipimus, vt Deum flectamus, qui immutabilis est, neq; vt eius beneuolentiam excitemus, siquidem ipse prior dilexit
1.Ioan. 4. nos. 1. *Ioannis*. 4. sed vt in nobis ipsis fiduciā impetrandi & postulādi excitemus, quod fit cōsiderādo charitatē in nos, siquidē Pater est, noster est.

7 Narratio autem petitiones, quæ ibidem fiunt, complectitur: de quarum numero nō est ferè vlla dubitatio apud Orthodoxos, qui vnanimiter sētiunt, paucis exceptis, esse numerum septenari-
Tertul. um. Paucis inquam exceptis, nam Tertulianus,
Nissenus. & Gregorius Nisse. dicunt esse tantū sex petitiones, quia pro eadē reputant totū: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* quod nos in du-
Caluinus. as partimur: & Ioan. Calui. *libr.* 3. *inst. cap.* 20. §. 35. idem sentit. *Et prob.* 1. quia si essent duæ petitiones non connecterentur per particulam, *sed*, sed per copulationem. Et secundò probat ex Augustino & Chrysostomo.

Ad *primum respondetur*, particulam non accipi declarando præcedentia, sed augendo, vt si dicas creditori, ne repetas nūmos, quos dedisti mihi, sed adde potius aliquot alios. Ad secundum impudenter Caluinus citat pro se Augustinum, & Chrysostomum: cùm hic non fuerit solicitus in numero assignando; ille verò sæpè dicat esse septenarium, videndus est *in Enchirid. capit.* 115. *lib.* 2. *de sermone Domini in monte, cap.* 16. & 17. & *alibi frequenter.*

8 Maius nobis negotium facessit, quoniam S. Lucas tantum posuit quinq; petitiones, omittens tertiam & septimam; quas D. Matthæus apposuit. Quidam respondent incuria impressorum esse omissas, colliguntq; quia integrè habētur in codicibus Græcis, & Syriacis, & exponuntur ab
Euthym. Euthymio & Teophilacto in commentarijs Lucæ: ego imperitus harum linguarum non facile iudicabo; alios reperio, qui in antiquis exēplaribus Græcis, eadem desiderari affirmant, & cum in vulgata editione, quæ cōmuniter circūfertur, & in emendata facta Scriptura per Sixtū V. Clementem VIII. non habeantur, inde adducor vt re vera credam illas duas petitiones omissas fuisse à D. Luca. Sed quare? Responsio pendet ex resolutione alterius dubitatiunculæ, an scilicet, eadē sit Historia Matthæi, & Lucæ, quibus ab vtroq; narratur Christum docuisse orationē Domini-
D. Aug. cā. D. August. *Sermo.* 28. *de verbis Domini, & Tract.* 7. *in Ioannem videtur* dicere esse eandē Historiā, & *tūc resp.* ex eiusdē sententia in *Enchir. cap.* 16. duas petitiones esse omissas à D. Luca, non quia Christus nō adiunxerit eas; sed quia Lucas vsus Historico compēdio, in quinq; petitionibus, quas apposuit conclusit septem, quas Matthæus explicuit, eo quod illæ duæ prætermissæ in cæteris quodammodo continentur, tertia omissa in prima & secunda, septima verò in sexta: vnde acutè Augu. dicit Lucam prætermittendo duas petitiones, fecisse potius, vt intelligerentur.

Simile quid accidit in beatitudinibus; nam Matth. c. 5. numerauit octo, Luc. cap. 6. quatuor, sed vt ait D. Amb. lib. 5. in Lucam: *In illis octo illa quatuor, & in illis quatuor octo illæ continentur.* Ambros.

Alij verò censent non esse eandem Historiam, 9
quæ à D. Matthæo, & Luca narratur, sed diuersam, ac subinde bis docuisse Christū modū orādi per orationē Dominicā: quod colligūt quia à D. Matthæo nō dicitur Christū docuisse orationem Dominicā requisitus à Discipulis, sed sumpta occasione ex multiloquio Gentiliū dixit: *Vos autē sic orabitis.* Lucas vero ait, Christū requisitū à discipulo docuisse orationē Dominicā, tū quia Matt. narrat, id accidisse in mōte, quādo Christus egit sermonē illū refertū multis præceptis & cōsilijs: at Lucas dicit, id cōtigisse in alio quodā loco; tū quia discipulus ille dixit: *Doce nos orare, sicut docuit Ioānes discipulos suos:* Cuius orationis Ioannis, Matthæus non meminit: & iuxta hanc sententiam dicendum est Lucam prætermisisse illas duas petitiones, tertiam & vltimam: quia re vera Christus illas omisit, quando rogatus est ab illo discipulo, vt doceret modum orandi, fortasse quia erudiebat discipulum rudiorem, quàm Apostoli, (erat enim vnus ex septuaginta vt tradit Theodore- Theodoret.
tus) & ideò breuiori orandi forma ne memoria laberetur, vtendum erat: maximè, quia duæ petitiones omissæ in cæteris includuntur. Secus faciendum fuit, quando docebat orare Apostolos expressioris doctrinæ capaciores. Quomodo autem tertia petitio includatur in prima & secunda explicat D. Thom. ad quartum; etenim ad hoc D. Thom.
præcipuè voluntas Dei tēdit, vt eius sanctitatem cognoscamus, & cum ipso regnemus: item qui non infertur in tentationem, liberabitur à malo. Ecce quomodo vltima includitur in sexta.

Ordo verò harum petitionum mirabilis est, 10
quem diuersimodè & satis artificiose patres tradiderunt. Augustinus in *Enchirid. vbi supra, & lib.* 2. *de sermone Domini in monte. cap.* 17. considerat tribus petitionibus prioribus peti res æternas, reliquis, temporales. August.

Cornelius Iansenius in concordia Euangelica Iansen.
sic deducit. *Primò petitur* bonorum largitio, secūdò malorum remotio. Et in bonis, primo bonū Dei: *Sāctificetur nomē tuū. Secūdò* bonū nostrū: *Adueniat regnū tuū. Tertiò* bonū nostrū mediū, id est, gratia implēdi mādata: *Fiat volūtas tua. Quartò* bonū nostrū infimū, id est, subsidia tēporalia: *Panē nostrū quotidianū da nobis hodie.* In malis primò petitur remotio mali præteriti, *Dimitte nobis debita nostra.* Secūdo ablatio mali futuri. *Et ne nos inducas in tētationē.* Tertiò mali prçsētis, *Sed libera nos à malo.*

Præterea

D. Augu. Præterea D. August. *lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 18. tom. 4.* adaptat artificiosè satis septem has petitiones donis & beatitudinibus, ad quem remitto curiosum Lectorem.

D. Thom. Sed D. Tho. in hoc art. curiosius & mirabilius præ cæteris ordinem harum petitionum inuestigauit. Et supposito ea nos petere in oratione Dominica, quæ licitè desiderare valemus, & eo ordine, quo desideranda sunt; tunc sic. Id, quod primo, sub nostro desiderio cadit finis est, deinde media ad consequendum finem: finis autem noster Deus est, in quem nostrum desiderium tendit dupliciter. *Vno modo* pro vt desideramus gloriam Dei, vt iste affectus nascitur ex dilectione Dei, qua Deum in ipso diligimus. *Secundo modo* secundum quod desideramus frui gloria eius, & hic affectus nascitur ex dilectione Dei, qua diligimus nos in Deo: & cum oratio sit desiderij nostri interpres, per primam petitionem, *Sanctificetur nomen tuum*, manifestamus desiderium gloriæ Dei in se: per secundam verò, *Adueniat Regnum tuum*, manifestamus desiderium gloriæ eius in nobis.

Media autem ad præfatum finem consequendum, duplicia: *quædam*, quæ nos ordinant ad illum finem per se, *alia* verò per accidens: *per se* quidem omnia illa, quæ natura sua sunt vtilia ad illum finem, *per accidens* verò, quæ remouent prohibentia consecutionem illius finis. Et illa, quæ per se nos ordinant, & sunt vtilia ad finem, sunt in duplici differentia: *quædam* vtilia directè principaliter, & secundum meritum, quo beatitudinem, (quæ finis est) meremur, Deo obediendo: & hoc est, quod petimus in tertia petitione, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra*. Alia verò media sunt vtilia indirectè & minus principaliter, quia coadiuuant nos, & sunt instrumenta ad merendum beatitudinem, & hoc petimus in quarta petitione, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*.

Media autem remouentia obstacula ad consequendam beatitudinem tria, sicut obstacula sunt tria. *Primum* obstaculum est peccatum, quod petimus remoueri per remissionem, cum dicimus in quinta petitione, *& dimitte nobis debita nostra, &c.* *Secundum* obstaculum est tentatio, quæ nos impedit ab obseruantia diuinæ voluntatis, contra quod statuitur sexta petitio, *Et ne nos inducas in tentationem.* *Tertium* obstaculum sunt mala pœnæ præsentia, quæ petimus remoueri dicentes in 7. petitione: *Sed libera nos à malo.* Ac denique concluditur oratio epilogo hoc *Amen*, quo petitur confirmatio omnium præfatarum petitionũ.

Hæc dicta satis esse poterant pro interpretatione articuli noni, relinquentes sacræ scripturæ interpretibus fusiorem explicationem orationis Dominicæ. Sed age, procul esto desidia, singula quæque particulatim examinemus, quasdam dubitatiunculas immittentes, fortassis non pœnitebit Lectorem oculis animoque lustrasse.

EXPOSITIO
Orationis Dominicæ.
Pater.

1 *An Ly Pater, accipiatur essentialiter* HÆc est persona ad quam oratio dirigitur. Et *primò dubitatur*, an vox *Pater* accipiatur notionaliter pro prima sanctissimæ Trinitatis persona, an verò essentialiter pro Deo, vt communis est tribus personis? Tert. Cyprian. Ambr. & August. locis supra citatis existimant accipi in hac oratione vocem *Pater* notionaliter, atque adeò ad primam personam sanctissimæ Trinitatis orationem hanc dirigi immediatè, licèt mediatè etiam Filius & Spiritus sanctus inuocentur, vt notat Tert. eo quod trium personarum vna est natura, vna est potestas, & voluntas, atque diuinitas: & potest probari ex eo, quod vsus Ecclesiæ habet ferè omnes orationes ad primam personam Trinitatis dirigere: & concludere: *Per filium, qui cum eodem Patre & Spiritu sancto viuit & regnat.* Albertus etiam libro de Sacramentis dicit: *Attolle oculum ad Patrem, qui per Filium te redemit, & dic Pater noster, &c.*

Tertul. Cyprian. Ambros. August. Alb.

2 In oppositum est, nam hac præfatione voluit Christus Dominus excitare affectum filialem ad Deum vt Patrem, vt infra dicemus: sed Deus sub ratione Deitatis, & singulæ personæ seorsum & simul, habent hanc paternitatis rationem: ergo ad Deum, qua ratione Pater noster est, dirigitur oratio, & non ad solam primam personam sanctissimæ Trinitatis. *Secundò*. Ea quæ in oratione Dominica postulamus, à tota Trinitate fiunt in nobis: imò & à Deo vt sic, videlicet sub ratione Deitatis: ergo ad Deum, qui interpellatur à nobis sub ratione Patris, dirigitur oratio Dominica; ac consequenter non accipitur vox, *Pater*, notionaliter, sed essentialiter. Parum refert sic vel sic loqui; mihi magis arridet iste posterior modus, licet venerer primum propter autoritatem tantorum virorum: & ad probationem in eorum fauorem facilis est responsio, non esse consuetudinem terminare orationem Dominicam modo præfato in argumento, quidquid sit de alijs Collectis & orationibus. Nostræ sententiæ fauet Marcellinus Papa Epistola prima. *Marcell.*

Secundò dubitatur. Dato quod Deus vocetur in oratione Dominica *Pater*, essentialiter, qua ratione ea interpellatio vsurpetur? an ratione creationis? iuxta illud Malac. 2. *Nunquid non pater vnus omnium nostrum*, & Deut. 32. *Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te: & fecit, & creauit te*: aut verò redemptiuè? Esai. 62. *Tu Domine Pater noster, & Redem-* 3

Malac. 2. Deut. 32. Esai. 62.

Redemptor noster an vero gratiæ adoptione? *Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater.* Ad Rom. 8. & idem ad Gal. 4. Resp. in oratione Dominica vocatur Deus *Pater noster*, cum omni rigore & proprietate, quæ consistit in adoptione, qua nos fecit consortes diuinæ naturæ per gratiam, & consequenter hæredes beatitudinis æternæ, & non solum ratione creationis & prouidentiæ; nam isto pacto, etiam creaturarum irrationalium dicitur *Pater*. Iob. 18. *Quis est pater pluuiæ? & quis genuit stillas roris?* Hæc assertio extensius habetur apud Cyprianum, Nissenum, Chrys. & August. & alios, vt infra manifestabitur, dum differemus, an hæc præfatio orationis Dominicæ solum reseruata fuerit statui Euangelicæ legis.

Ad Rõ. 8. An Gal. 4. Iob. 18. Cyp. Nissen. Chrysost. August.

4 Et si quis insurgat contra nostram responsionem colligens, eos, qui in peccato mortali sunt, & ob id gratia carent, non posse licitè vti hac præfatione sine mendacio & temeritate, siquidẽ non est Deus pater eorum, neq; ipsi sunt eius filij. Talis oppugnator habebit patronum Gregorium Nisse. qui *oratione. 2. de oratione Dominica* ex præfatione hac colligit, eos, qui in peccato mortali sunt mendaciter dicere: *Pater noster, &c. Nam cum patrem inuocant* (vt ipse ait,) *non Deum, sed Diabolum inuocant, siquidem ex patre Diabolo sunt.* Sic de tali oratione dicitur Prou. 23. *Oratio eius erit execrabilis*, & ferè idem dicit Petrus Laod. Respondit D. Hierony. in Epist. ad Damasum de filio prodigo: *Peccator, qui pœnitere desiderat, & ad id accingitur, benè potest dicere Pater noster, sicut filius Prodigus nondum reconciliatus orauit, Pater peccaui in cœlum, & corã te:* imò qui existens in voluntate peccandi diceret, *Pater noster, &c.* si absit contemptus Dei, non peccaret taliter orando, quia Deus quantum est ex parte sua, pater illius peccatoris est.

Nissen. Prou. Laodic. D. Hier.

5 Igitur Christus Dominus Patris sapientia sapienter præfixit precationi Dominicę exordium, pulchrum valdè, & vtile, videlicet *Pater*, ad erigendã fiduciam postulandi, ad roborandam spem impetrandi, ad inducendum orantes in Dei imitationem, ad commendandum egregiũ Dei colendi modum, ad declarandum prærogatiuam orantium in lege gratiæ, supra orantes in lege veteri. Fiducia quidem postulandi erigitur; quid enim ad postulandum ita excitat indigentes filios, quã patris beneuoli recordatio? Spes etiam impetrandi roboratur, quid enim non largietur patris amor? quid non obtinebit filiorum affectus? ad Rom. 5. *Gloriamur in spe filiorum Dei.* D. Chrys. hom. 20. in Matth. *Deus se patrem, magis quàm Dominum dici voluit, vt nobis daret fiduciam ad petendum, & spem magnam ad impetrandum:* & Aug. li. 2. de Sermone Domini in monte c. 8. *Quædam* (dicit) *datur præsumptio ad impetrandum, cum prius quam peteremus tam magnum donum accipimus, vt sinamur, imo vt iubeamur Deo dicere Pater, quid enim nõ dabit filijs petẽtibus, quibus hoc ipsũ ante dedit, vt filij eius essent* & D. Bern. *Oratio, quæ paterno dulcescit nomine, omniũ petitionũ mearũ impetrandarũ fiduciã mihi præstat* Orantes etiam inducuntur, vt Dei virtutes imitentur, prolata dulcissima voce *Pater*: dedecori enim datur filio, si non imitetur præclara patris gesta: vnde D. Cyprianus. *Meminisse nos debemus & scire, quod quando Deum patrem dicimus, vt & quasi filij Dei operemur, vt scilicet, simus pij & misericordes, sicut & Pater noster, qui in cœlis est.*

Ad Rõ. 5. D. Chrys. August. D. Berna. D. Cypri.

Præterea illa voce, *Pater*, pronunciata, non solum ore, sed etiam affectu Deum colimus egregio cultus modo, qui oritur ex amore & timore filiali, quos affectus coniungimus vocando Deũ *Patrem*; patres enim & amamus, & reueremur; domini timentur magis, quàm amantur. Excellit autem amor timorem, Malach. 1. *Si pater ego sum, vbi est honor meus?* Dixit Dominus, *si ego Dominus vbi timor meus?* Qui autem vocat Deum *Patrem*, & amat, atq; reueretur, ac subinde egregie Deum colit. Vnde Chrysostomus hom. 20. in Matth. eleganti & docto compendio ostendit, quæ hoc nomine indicentur, *Patrem* (inquit) *dicendo, & veniam peccatorum, & pœnarum interitum, & iustificationem, & sanctificationem, & liberationem, & filiorum adoptionem, & hæreditatem, & fraternitatem cum vnigenito copulatam, & sancti Spiritus dona largissima vnico hoc vocabulo confessus est: impossibile est enim Deum Patrem vocari ab eo, qui non omnia hæc verba fuerit consecutus.* Deniq; eadem vocula declaratur differentia orantium in lege veteri, ab ijs, qui orant in noua: illi namq; non interpellabant Deum vocantes *Patrem*, sed *Dominum*, vt patet ex dictis. Isti verò *Patrem* vocare non solum permittuntur, sed iubentur: quia euecti sunt ad dignitatem & adoptiuam, eò quod à seruitutis statu per Christum vindicati sunt.

Malach. 1. Chrysost.

Occasione huius differentiæ dubitatio est nõ contemnenda: an sit proprium eorum, qui morantur in lege gratiæ, Deum interpellare, vocando eum *Patrem*? an verò conuenerit talis formula deprecandi etiam Patribus antiquæ legis? Videtur quod conuenerit etiam Patribus antiquæ legis. Primò: nam Hier. 3. dicit Deus populo Israel, *Patrem vocabis me*, sicut Christus dicit populo Christiano, *Sic orabitis Pater noster, &c. Secundò* nã sancti & iusti veteris testamenti appellabantur filij Dei, Deuteronomij. 32. Esaiæ. 63. Malachię. 2. & ab ipso Deo sic vocabantur, Esaiæ, 1. *Filios enutriui, & exaltaui. &c.* & Psalm. 8. *Ego dixi Dij estis & filij excelsi omnes.* Ergo & ipsi Hebræi maximè sancti, & iusti poterant Deũ precari vocãdo eum patrẽ. *Tertiò.* Adoptio filiorũ, in gratia & charitate consistit; quia per illam efficiuntur homines diuinæ consortes naturæ, vt filij, & per charitatẽ diligũt eum vt patrem. Ergo iusti veteris legis verè filij Dei erant, vt pote in gratia Dei existentes: tunc sic: ergo poterant Deum interpellare, sicut & nos, dicentes, *Pater noster, qui es in cælis, &c.* 6

An solum in lege gratiæ debebit Deus appellari Pater. Hiere. 3. Deut. 32. Esai. 63. Malac. 2. Esai. 1. Psalm. 8.

In oppositum est, nam non legimus in sacra Scriptura aliquem ex Patribus veteris testamenti Deum interpellasse, dicendo, *Pater noster*, aut, *Pater mi*, sed potius suas preces incipiebant commemorãdo Dei potẽtiã & dominationẽ, vt patet in locis adductis Exod. 34. & Iudit. 9. & D. Aug. lib. 2. de Serm. Domini in monte c. 8. *Multa*, inquit, *dicta sunt in laudẽ Dei, quæ per omnes sanctas Scripturas longe lateq; diffusa poterit quisq; considerare,* 7

Exod. 34. Iudith. 9. D. August.

[illegible], nusquam tamen præceptum inuenitur populo Israeli, vt ad Deum diceret, Pater noster, aut oraret Patrem Deum, sed ipse eis Dominus Deus insinuatus est, tanquam seruientibus, id est, secundum carnem adhuc viuentibus. Sed populo noui testamenti, qui vocatur ad æternam hæreditatem, vt Christi cohæres & in adoptionē filiorum Israel venit, nō suis meritis, sed gratia Dei præceptum est, vt eandem ipsam gratiam adoptionis ponat in principio orationis, & dicat, Pater noster, qui es in cælis, &c. Theophil. Theo. in c.8. Epist. ad Rom. circa illa verba, *in quo clamamus Abba Pater:* vbi quærit, cur Iudæi non vocabant *Patrem*, Deum. Cum Deut.32. dicatur: *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te? &c. & Deum qui te genuit dereliquisti, &c.* & subiecit: *Et si hæc dicta sint de illis, nemo tamen inuentus est, qui in orationibus vocaret Patrem, vt nos vocamus, &c.* Oecum. Idem dicit Oecumenius super idem caput Pauli. Ad Rom. 8. Secundò D. Paulus ad Romanos. 8. loquens ad eos, qui ex Iudæis ad Christi legem conuersi sunt, inquit: *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus. Abba pater: ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei: si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi:* Ad Gal.4. & ad Galat. 4. *Quoniam estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba pater.*

In quibus testimonijs duo continentur, quæ valdè conducunt ad nostrum propositum. *Primum* est, Patres veteris legis esse seruos, quia acceperunt spiritum seruitutis: at in lege gratiæ nos sumus veri filij, quia accepimus spiritum filiorum. *Secundum*, quod ex primo sequitur, spiritum adoptionis filiorum, qui reperitur in iustis pertinentibus ad legem gratiæ, instigare nos, vt clamemus apud Deum, dicentes, *Abba Pater*, quę instigatio non tribuitur Patribus veteris testamēti. Ex quo infertur proprium esse his, qui orant in lege gratiæ, vocare Deum *Patrem*, non verò cōuenire iustis veteris legis. *Tertiò*. Quod in figura seu vmbra & typice est tale, non est simpliciter tale; sed Patres veteris legis erāt filij in figura, vmbra, & typice: ergo non erant simpliciter filij Dei per adoptionem: tunc sic: ergo non debebant inuocare Deum vocādo, *Patrem*, sicut nos facimus in lege gratiæ, edocti à Christo, qui nos iubet dicere, *Pater noster &c.* Minor huius syllogismi est Cyrill. assertio plurimorum Sanctorum Cyrilli, &c. vide in Leone de Castro Esaiæ. 1. circa illud. *Filios enutrivi & exaltaui, &c.* Leo de Cas.

8 Sententia autoris. Hæc dubitatio plus habebit in recessu, quam in fronte promiserit. Pro cuius decisione sit

Prima Assertio. Omnes quotquot iusti fuerunt, siuè in lege naturę, siuè in lege veteri, verè & propriè fuēre, & dici debent filij Dei per adoptionē, & nō in figura & typice. Hęc conclusio est contra quosdam modernos, qui moti quibusdam testimonijs sacræ Scripturæ citatis in argum. secundo in oppositum, & testimonijs Sanctorum relatorum in *argum.3. & 4.* censent tantum typice, & figuratiuè esse filios; sed nostra assertio omni caret dubitatione, & oppositum putamus periculosum, & probatur argumētis factis in principio Ad Gal.4. huius dubitationis. Deinde probatur ad Galat.4. *Quāto tēpore hæres paruulus est, &c.* Ecce vocat illū populū hæredē bonorum diuinorū. Itē fides est, multos ex antiquæ legis Patribus fuisse prædestinatos: sed prædestinatio, vt patet ex Doctrina Pauli ad *Ephes.1. & ad Roman.8.* est in ordine ad adoptionem filiorum: ergo verè & propriè fuerunt filij. Hæc est expressa mens D. Augu. *lib.3. contra duas Epistolas Pelagian. cap.4.* vbi ex professo tractat hanc quæst. & idē D. Thomas ad Galat.4. *Lect.1.* Ad Eph.1. Ad Rom 8. Ad Augu. D. Thom.

9 *Secunda Assertio.* Patres veteris legis quamuis verè & propriè fuerint filij Dei, non tamen erant in statu filiorū, sed seruorum. Pro cuius declaratione *aduertendū est*, longè differre inter esse filios, & esse in statu filiorum. Filius paruulus Regis, filius est, sed non habet statum filij, sed sub pedagogo est, quousq; mancipetur à patre. Sic dicendum de iustis veteris testamenti qui re vera filij Dei erant per gratiam; cæterū erant in statu seruorū. Hanc assertionē conclamant mille loca sacræ Scripturæ, multaq; testimonia Sanctorum, præcipuè D. Paul. ad Galat. 4. vbi loquēs de Patribus iustis veteris testamēti, comparat eos paruulo filio Regis dicens: *Quanto tempore hæres paruulus est* (Ecce hæredes sunt, quia filij) *nihil differt à seruo, cum sit Dominus*; (En ipsi qui Domini, hæredes, & filij, dicūtur habere statum seruorū, non quidē cōditione, sed statu, & viuēdi modo) *sed sub tutoribus, & actoribus est, vsq; ad diffinitū tempus à patre.* Ecce modum seruitutis, esse sub tutoribus & actoribus vsq; ad diffinitum tempus. AdGal.4.

10 Hæc certa sunt, sed expositione indigēt, in quo consistat ista vera filiatio, quam reperiri diximus in iustis veteris legis: & in quo consistat iste status seruitutis, in quo collocabantur Patres veteris testamenti. Vera filiatio adoptione Dei, cōsistit in Dei gratia, tum quia gratia definitur à Theologis ius ad gloriam: & sic interpretantur illud Pauli ad Rom.6. *Gratia Dei, vita æterna*; nulli autem est dubium, quin in hoc iure ad gloriam cōsistat filiorum Dei adoptio: tū etiā & præcipuè, quia cum gratia efficiat habētē diuinæ cōsortem naturæ, ac subinde filium, quicunq; Dei munere possidet gratiā, filius Dei est: vnde D. Ioannes in c.1. sui Euangelij. *Quotquot autem receperunt eū, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Sed quomodo nati & quomodo filij? mediante gratia, quæ vt ipsemet Ioannes testatur in 1. Canonica, c. vltim. *est semen Dei.* Vnde sicut mediante semine homo generat hominem eiusdem naturæ secum, sic Deus mediante gratia generat homines diuinæ consortes naturæ, & sibi filios adoptiuos, & hæredes vitæ æternæ; etenim si filij, & hæredes. Ad Rom. 6. Ioann.1.

11 Modus autē, & status seruitutis, sub quo Patres veteris legis viuebant, expēditur penes multa. *Primò*, quia sicut seruus nō est sui iuris, neq; habet libertatē faciendi quodlibet; ita ille populus pressus onere legis, quamplurima præcepta continentis, non habebat libertatem operandi pro suo arbitratu: vnde satis artificiose comparauit cum D. Paulus loco citato ad Galat. 4. paruulo hæredi patris locupletis, qui propter ætatis defe-

Ad Gal. 4. defectũ, aut alicuius debitæ perfectionis, regitur & ducitur à pedagogo: qui non sinit eum agere pro libito. *Lex autem*, inquit Paulus vbi supra capit. 3. *pedagogus noster fuit*, à qua lege onerosa, & minaci, non sinebantur agere pro libito; sicut hæres paruulus vsque ad legitimam ætatem à pedagogo constringitur, ducitur, & si opus est affligitur.

Cæterum degentes in lege gratiæ liberati sunt per Christum ab hoc statu seruitutis: nec premũtur legis onere, sed vt ait Apostolus ibidé: *Vbi venit fides, iã non sumus sub pedagogo*: id est sub coactione legis, quæ propria erat paruulorum imperfectorum: & alibi: *Vbi venit plenitudo temporis, &c.* Non quia ante Christi aduentum iusti veteris legis non essent veri filij adoptiui (erant etenim) sed quia liberati à lege libertatis statũ (qui decet iam factos viros) consecuti sunt. *Secundò* consistit iste seruitutis status, sub quo Patres veteris legis viuebant, quia degebant constricti lege, quæ timoris dicitur, eo quòd cohibebat suos cultores à malis minitando pœnas, & inducebat ad bona promittendo temporalem mercedem. Hoc autem propriè seruorum est. At qui sunt in lege gratiæ, lege amoris ducuntur, eo quod Euangelium suis cultoribus bona æterna promittit, & Dei amorem, ob oculos ad operandum proponit. Alensis. Rectè Augustin. contra Adamantium capit. 17. tom. 6. *Breuis differentia legis, & Euangelij est timor & amor.* Sed rectius D. Paul. ad Rom. 8. Ad Rom. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore; sed spiritum adoptionis filiorum. &c.* *Tertiò* consistit iste seruitutis status in eo, quod lex vetus ianuam cœli non aperiebat, vt esset aditus filijs ad possidédam hæreditatem, res enim comperta est, nullum mortalium quantumuis Sanctum, ante Christi mortem cœlum introisse.

Et si dicas: neque modo iusti viuentes capessunt hæreditatem, & sic dicentur esse in statu seruorum, quorum est non admitti ad paternam hæreditatem. *Resp. negando conseq.* quia completa peregrinatione huius vitæ, si mundi reperiantur obtinebunt beatitudinem: sicut peregrinus Rex, in statu Regis est, licet ad actualem possessionem Regni non peruenerit, secus accidebat Patribus antiquæ legis, quia nondum erat propalata Sanctorum via. *Quartò* consistit iste seruitutis status in hoc, quod illius legis hominibus non communicabantur cœlestia secreta, nisi sub quibusdam figuris, & vmbris, quod seruorum est; secus nouæ legis cultoribus, iuxta illud Ioa. 5. Ioan. 15. *Iã non dicam vos seruos, sed amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Dices nõne mysteria Trinitatis Incarnationis & similia nouerunt ex Dei reuelatione: Patriarchæ, & Prophetæ? Ita est, sed id quasi ex priuilegio, & præter id, quod debitum erat illius legis cultoribus: at in lege gratiæ hæc omnia sublimia mysteria passim rudi populo, & plebeis innotescunt, in cuius typum in Christi morte velum templi scissum est à summo vsque deorsum, quia pãtefienda erant, in lege gratiæ, omnibus omnia diuina mysteria.

Ex his colligimus veritatem nostræ assertionis, Sanctos veteris testamenti fuisse quidem verè & propriè filios Dei adoptiuos, nõ tamen habuisse statũ filiorũ, sed seruorum, quod pulchrè docuit D. Paul. *ad Gal.* 4. sub allegoria Ismaelis, & Isaac, vtrique filij Abrahæ, sed vnus de ancilla, Ad Gal. 4. alter de libera: figura appositissima degentium 12 sub lege veteri & noua, vtrique si in gratia sint, verè filij Dei adoptiui, sed qui sub lege veteri habentes seruitutis statum, ij vero qui sub noua, & filij, & in statu libertatis & filiorum collocati.

Assert. proprium est degentium in lege Christi Deum interpellare vocando eũ, *Patrem.* Ratio huius sumitur ex prædictis, nam Patres veteris legis, quamuis filij erant, nondum tamen excesserãt seruorũ statũ, & ideò nõ audebát, neq; à Deo iubebantur orare, dicẽtes, *Pater noster*, sicut iubemur existẽtes sub lege Christi. Egregiè D. Aug. 2. D. Augu. li. de Serm. Dom. in mõte c. 8. *Vt serui* (inquit) *audierũt in mõte Syna, Ego sũ Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra AEgypti. Nos vt filij orare iubemur, Pater noster, qui es in cœlis.* Item 1. Ioã. tertio. *Videte qualẽ charitatẽ dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus. Simus*, dicit quantũ ad rẽ ipsã, & rationẽ filiationis, quã absq; dubio habuere iusti veteris testamẽti, *Nominemur* autẽ, dicit quãtũ ad statum quo caruerunt veteris legis Patres. Ac Denique; quia vt retulimus ex Aug. in arg. 1. in oppositum, August. nusquã legimus in sacra Scriptura Deũ iussisse, vt vocaretur *Pater* per adoptionẽ filiorũ, neq; aliquẽ eũ interpellasse vtẽdo hac inuocatione *Pater*: ergo proprius est modus iste orãdi eorũ, qui sub Euangelio militãt propter filiationẽ perfectã & liberã à seruitutis statu, quia insigniũtur Euãgelici cultores. Cõsultò diximus, nunquam legi in sacra Scriptura Deũ iussisse, &c. quia vt ipsemet Augu. testatur ibidem, Prophetæ sæpè ostendunt eundem Dominum Deum etiam *Patrem* orandum esse potuisse, si ab eius mandatis non aberrarent: & refert testimonia hoc dicentia à me allata in argumentis factis in principio.

Ad argumenta posita in principio, maximè 13 ad testimonia ex sacra Scriptura poterat *responderi primò.* Solũũtur argumenta. Quando filij Israel vocantur filij in locis citatis, non fit sermo de filiatione per adoptionem, quæ propriè & strictè filiatio est; sed de filiatione per creationem, & peculiarem electionem, vt esset ille populus Dei, populus peculiaris per legem peculiarem, prouidentiam, & protectionem peculiarem: quod manifestum erit perpendenti verba prædictorum testimoniorum. Similiter manifestum erit: quia de omnibus illius populi hominibus fit sermo, ex quibus multos non esse filios Dei adoptiuos clarum est, quia erant in peccato mortali. Quod si fiat sermo de ijs, qui in gratia erant, respondet D. Augustin. *lib. 3. contra duas epist. Pelagia.* eos potius August. ad euangelicam legem pertinere, quam ad veterem; eo quod sub Fide Christi venturi, & eiusdem Fidei iussione iustificabantur: & potius amore quam timore ducebantur, ac præmia æterna potius spectabant, quam terrena. Hæc vera sunt, sed non videntur plenè satisfacere sanctis literis, maximè D. Paulo in locis citatis: qui loquens de vniuersis Patribus veteris legis, siue

iustis, siue peccatoribus dicit, eos habuisse seruitutis spiritum, & seruos esse, &c.

Quapropter *tertiò respondetur*, quãplures eorum fuisse verè filios per gratiã adoptionis, cæterum appellari seruos, & habere spiritũ seruitutis dici non ratione sui, quia re vera diligebant ardẽter Deũ, vt Patrẽ: sed propter statũ legis, sub qua degebant, qui erat status seruorum, vt dictum est; & ideò non sunt iussi interpellare Deum vocando *Patrem*, sicut qui sunt in lege gratiæ, & libertate filiorum, ad quam denotanda iussit Christus orare *Pater noster*, &c. Quod si vrgeat quis: in humanis qui vere filius est, quamuis in ætate infantili; aut statu serui sit, permittitur genitorem suum interpellare vocando. *Patrem* nec hoc illi tribuitur præsumptioni: ergo omnes iusti veteris legis, siquidẽ erãt veri filij Dei per adoptionem, poterant & debebant Deũ orare vocãdo *Patrem*. Respõdetur negãdo consequẽtiã; etenim in humanis pater & filius eiusdem naturæ sunt, mõdicumq; differt inter eos: at inter paternitatem Dei & nostram filiationem interuallũ infinitũ distat, vnde præsumptuosum esset Deũ interpellare, *Patrem*, nisi iussi ab ipso: non iussit autẽ nisi Christus in Euãgelio: quia per ipsum perfectam adoptionem, & filiorum statum adepti sumus, & adhuc cum trepidatione canit Ecclesia, dicens: *Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati audemus dicere. Pater noster*, &c. ac si diceret, nisi iussi essemus, non auderemus tali præfatione nostram orationem fundere.

14 *Ad argumenta sigillatim R.* ¶ Ad argumenta modo sigillatim. *Ad primum* quatenus militat cõtra vltimã assertionẽ respõd. Non fieri ibi sermonem de Patre Deo, qua ratione nos adoptabat in filios; sed qua ratione regebat, & ducebat peculiari prodẽtia & protectione populum illum. Quod colligitur ex verbis sequẽtibus, *Dux virginitatis, nec tu es*, &c. *Ad secundũ pariter respond.* negando consequentiam qui eo quòd erant in statu seruitutis, non iubebantur, nec ipsi audebant Deum vocare *Patrem*. Ex quo patet ad tertium.

Argumenta in oppositum. Argumenta verò in oppositũ nostram confirmant assertionem: at verò tertiũ videtur militare contra primã assertionẽ, qua asseueramus iustos veteris legis esse propriè, & in rigore filios. *Ad tertium igitur respondetur*, Sanctos illos citatos, & si qui alij inueniantur instar eorum loquentes, intelligendos esse, cẽsere Patres iustos veteris legis esse typicè filios, & non simpliciter, non quia veri filij adoptiui non fuerint: sed quia erant in statu imperfecto seruorum.

Sed vrges, dicuntur esse tantum filij in figura & typo respectu nostri? *Respondetur*, cum filiatio eorum, & nostra sit eiusdem rationis, & differant tantum sicut perfectum & imperfectum in eadẽ *D. Thom.* specie, vt ait D. Thom. 1.2. *quæst.* 107 *artic.* 1. *ad secundum*, non potuit eorum filiatio esse figura nostræ filiationis rigorosè loquendo; sed multa quę illis contingebant, erant figura filiationis perfectæ: quæ est in lege gratiæ: v.g. ea quæ contigerunt circa generationis Isaac, & eius filiationem fuerunt figura filiationis, quæ reperitur in lege gratiæ, vt testatur Paul. *ad Galat.* 4.

Deniq; pro pleniore prædictorum intelligentia *aduertendum est*, sub triplici statu posse considerari adoptionem filiorum. *Primò*, sub statu legis, qui erat seruorum status: & quamuis iusti illius legis essent verè filij Dei adoptiui; tamen erant in statu seruorum, propter rationes à me superius allatas, & vt ait Paul. ad Galat. 4. *Sub elementis mundi seruiebant corpore & anima. Sub elementis mundi*, id est, sub ritibus, & cæremonijs legis. *Ad Gal. 4.* 15

Secundò consideratur adoptio sub statu legis gratiæ, qui est filiorum: quia in illo, status seruitutis remotus est quantum ad animam, & ad filiorum statum euecti sunt eius cultores, expulsis figuris & vmbris ac oneribus legis: at iste status non est omninò perfectus, quia corpora corruptioni seruiunt, ac mortalitati subiecta sunt, nec hæreditaris actualis possessio in actu posita est. *Tertiò modo* considerari potest filiorum adoptio in resurrectione: vbi erit status filiorum, vndequaque perfectus, qualis decet filios Dei; vbi possidebunt filij hæreditatem sibi debitam, & corpora ab omni seruitute redimentur. *Et nos ipsi* (inquit Paul. ad Rom. 8.) *ingemiscimus adoptionem filiorum Dei, expectantes* (intellige perfectam vndequaq;) *redemptionem corporis nostri*, vt sicut spiritus redemptus est à peccato per adoptionem habitam mediante gratia, ita corpus redimatur à corruptione, & morte, & ab omni cura circa corpora tuenda & conseruanda: quæ non modica seruitus est, vt insinuat D. Paul. ibidẽ: *quia & ipsa creatura*, inquit, id est, homo iustus in resurrectione, *liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorũ Dei*. *Ad Rõ. 8*

Vbi obiter *nota*, iustos in lege gratiæ esse in statu adoptionis filiorum, seclusa seruitute: at in comparatione ad statum glorię non omnimoda carere seruitute, circa curam corporum & mortalitatem eorum; quinimò etiam circa animam, quæ omninò per gratiam legis nouæ libera est à peccato, aliqualis etiam in hac vita remanet seruitus: nam in ea iustorum animæ peccatis venialibus, quasi quodam puluere fœdantur, expositi etiam sunt periculo peccandi mortaliter, & amittendi gratiæ statum, alijsq; passionibus & imperfectionibus subijciuntur: quæ omnia deponenda sunt in illo statu perfectissimo gloriæ, vbi filiorũ Dei adoptio perfectissima erit. In calce demũ interpretationis huius voculæ, *Pater*, censui adiungere verba Chrysos. homil. 20 in Matt. *Deus se Patrem magis, quam Deum dici voluit, vt nobis daret fiduciam ad petendum, & spem magnam ad impetrandum.* Reuertamur ad reliquas particulas explicandas, illæ autem, *Qui est in cœlis*, licet à D. Luc. omissæ sint propter rationes superius datas, apud Matth. habentur, & quæ sequitur est.

Noster.

Offert se dubitatio. Cur non vtitur ea precãdi forma, qua Christus ipse vtebatur dicẽs, *Pater mi*, Matt. 26. & iubet dicere, *Pater noster*. Prima ratio D. Cyprian. vt admoneamur vnitatis & pacis, quam debemus mutuò conseruare vt fratres, si audiri volumus à Deo: quod non mediocriter exaggerat Dominus per Matt. *Si offers munus tuum, &c.* Idem Fortunat. Pictauiensis. Se- 16 *Matt. 26.* *Cyprian.* *Pictauiẽs.*

ſis. Secunda ratio, ad retinendam ſuperbiam potentium,& plebeios & ignobiles deſpicientiũ: qui proferẽtes hæc verba, *Pater noſter* fateri cogũtur, omnes nos eſſe fratres.& Dei filios; de qua re *Auguſt.* eleganter D. Auguſt. lib. 2. de ſerm. Domini in monte, & ſerm. 182. de tempore luculenter, & *Boecius.* Boetius 3. de conſolatione met. 6. ſic ait.

Quid genus & proauos ſtrepitis,
Mortales igitur cunctos
Edidit nobile germen.
Nam omne hominum genus in terris
Simili ſurgit ab ortu;
Vnus enim Pater eſt,
Vnus, qui cuncta miniſtrat.
Si primordia veſtra
Auctoremque Deum ſpectes
Nullus degener extat,
Ni vitijs peiora fouens,
Proprium deſerat ortum.

17 Tertia ratio propter abundãtiora orationum *Cyprian.* ſuffragia, vt enim notarunt Cyprian. Ambroſ. *Ambroſ.* Chryſoſt. fructuoſior & amplior eſt oratio gene- *Chryſoſ.* ralis, quam ſpecialis: quia amplioris eſt Charitatis, imò non ſolum alijs eſt fructuoſior, verùm *Ambroſ.* & ipſi oranti, vt notat D. Ambroſ. *lib. 1. de Cain & Abel, cap. 9.* nam dum ſinguli orant pro omnibus, colligitur, vt omnes orent pro ſingulis: itaque ſi ego dicerem. *Pater mi*, nemo pro me oraret, niſi ego ſolus: at ſi dicant omnes, *Pater noſter*, omnes *Pet. Laod.* pro me orabunt. Petrus Laodicenus has omnes cauſas eleganti etiam & docto compendio enu- *Chryſoſ.* merat. Chryſoſtomus *homilia* 20. *in Matth.* his verbis: *Non dicit Pater meus, ſed Pater noſter, pro communi corpore preces fundens: & quo quidem ipſe & inimicitias interimit, & ſuperbiam reprimit, & explodit inuidiam, & introducit matrem omnium bonorum Charitatem, & humanarum rerum inæqualitatẽ prorſus eliminat, & nuram Regis cum Papa æqualitatem oſtendit: ſiquidem in maximis ad æternam gloriam neceſſarijs conſortes ſumus omnes. Quid enim noxæ de terrena cognitione metuendũ eſt: cum cœleſti cognatione oẽs ſimus coniuncti, cum nullus alio amplius de illo honore poſſideat? neq; locuples paupere, nec dominus ſeruo, nec Princeps ſubdito, nec Rex milite, neq; Philoſophus barbaro, nec Sapiens imperito: cunctis enim vnam vtiq; eandem cognationem donauit, cum dignatus eſt omnium ex æquo Pater vocari.* Hæc Chryſoſt. Mihi autem ſe offert alia ratio fortaſſis magis accommodata literæ, ea eſt ad ſignificandam diſtinctionem inter nos, & Chriſtum ipſum: ipſe enim filius eſt naturalis conſubſtantialis Patri, ac vnicus, nos verò adoptionis, ac plures filij ad hanc adoptionem per vnicum filium euecti: vnde ad illum ſpectat dicere, *Pater mi*, & non ad nos. *Matt. 26.* Hinc eſt quod in oratione ſua, Matth. 26. dixit: *Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire.* Vide Ambroſ. vbi ſupr.

Qui es in cœlis.

18 PEr cœlos multi Sanctorũ intelligunt animas ſanctas & iuſtas, ſiue Angelorũ, ſiue hominũ, in quibus Deus per gratiã inha- *Sapiẽt. 9.* bitat: iuxta illud Sap. 9. *Anima iuſti ſedes eſt* *2. ad Cor. 6.* *ſapientiæ.* & 2. ad Corint. 6. dicuntur, *templum Dei.*

Sic interpretantur Cyrill. Ambroſ. Auguſt. vbi *Cyrill.* ſupra. Sed literarior mihi ſenſus videtur, vt per *Auguſt.* cœlos intelligantur cœleſtia corpora, quæ pro- *Ambro.* priè cœli vocantur, ita Niſſenus, Chryſoſt. Caſ- *Niſſen.* ſian. in locis citatis. Bernard. ſermon. 1. in Pſalm. *Chryſoſ.* *Qui habitat.* *Caſsian.*

Sed quare cum Deus ſit vbique per eſſentiam, *Bern.* præſentiam, & potentiam, vt tradit D. Thomas, *D. Thom.* 1. *part. q. 8. artic. 3.* & ibi omnes eius Interpretes, 19 dicitur eſſe in cœlis, magis quàm in alijs locis? & iterum, qui cœli intelligantur? an ſolùm empyreum? an verò omnes? *Reſpondetur* ad primum, eò quod Dei potentiam & ſapientiam ex cœlis, qui ſunt omnium corporum pulchriores & maiores, magis cognoſcimus: iuxta illud Pſalm. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* *Pſal. 18.* Videndus eſt catechiſmus Concilij Tridentini eleganter hoc explicans.

Fortaſsè hîc per cęlos intelligitur empyreum, moueor autem vt credam hoc; quia non fit hic mentio de exiſtentia Dei in cœlis eo modo, quo eſt in cæteris rebus & cauſis elementaribus; quomodo eſt in cœlis, qui mouentur, vt influant in hæc inferiora; ſed de exiſtentia Dei in cœlis per modum habitationis, ſicut in ſede, aut in throno: vel potius ſicut aula Regia. Et iſto pacto in cœlo empyreo eſt dumtaxat: tùm quia immobile, qualem decet eſſe ſedem, thronum, aut aulam, tùm & maximè, quia in cœlo empyreo eſt ſicut in palatio Regio ſtipatus ſuis proceribus Sãctis & Angelis; quibus in cœlo empyreo oſtẽdit faciem maieſtatis ſuę: quo fit alluſio in Pſalm. 113. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs ho-* *Pſal. 113.* *minum.* Quem locum interpretatur D. Damaſ- cenus, *libr. 2. de Fide, capit. 6.* de cœlo empyreo, *D. Dam.* quod deputatum ſit Dei habitationi, vbi oſtendat electis gloriam ſuam. Quadrat illud Eſai. 66. *Eſai. 66.* *Cœlum mihi ſedes eſt*, id eſt empyreum. Similiter illud Iacobi. 5. *Nolite iurare per cœlum, quia thronus Dei eſt*, fit ſermo de empyreo, ne turbet quempiam, quia dixit Chriſtus, *Qui in cœlis eſt*, in numero plurali, quia cœlum empyreum cœlum, & cœli dicuntur in innumeris locis ſacræ Scripturæ, eò quod ſub ſe comprehendat reliquos cœlos. Deuteron. 10. *En Domini Dei tui cœlum eſt, &* *Deute. 10.* *cœlum cœli*: & Pſalm. 118. *Laudate eum cœli cœlorum.* *Pſal. 118.* Similiter tradit Theodoretus in quæſt. *ſuper Ge-* *Theodo.* *neſim, q. 11. & 14.*

Sed quare in præfatione orationis Deus in cœlis, aut cœlo empyreo eſſe commemoratur? propter multas cauſas. Prima ad iudicandum hæreditatem, quam ex hac filiatione à Patre Deo ſperamus, ea autem non eſt terrena, ſed cœleſtis, & æterna poſſidenda in cœlo empyreo, quam depingit D. Petrus in ſua prima Canonica, capit. 1. *1. Petr. 1.* *Regenerauit nos*, inquit, *in ſpem viuam in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſsibilem conſeruatam in cœlis.* Altera cauſa eſt, vt orantes à terrenis ad cœleſtia abſtrahant mentes ſuas: iuxta illud ad Coloſſenſ. 6. *Quæ ſur-* *Ad Col. 6.* *ſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, &c.* & ad Philippenſ. 3. *Conuerſatio noſtra in* *Ad Phil. 3.* *cœlis eſt.* Egregiè Chryſoſtomus, homilia 20. in *Chryſoſt.* Matthæum. *Cum verò dicit in cœlis, non ibi Deum*

hoc dicendo concludit, sed à terris abducit orantem, eumque supernis habitaculis & regionibus affigit. Et Abbas Isaac in collatio. Patrum: Dicentes; *Qui est in cælis, vt commemorationem vitæ præsentis, quam in hac degimus terra, velut peregrinam, & in hac peregrinatione longissimè separantem toto horrore vitantes, ad illam potius regionem, in qua Patrem nostrum commorari fatemur summo desiderio properemus,* &c. Videndus est etiam August. 2. lib. de serm. Domi. in monte, ca.

Abb. Isac. *August.*


3. Tertia causa est, vt significaret nobis Christus, quæ imprimis & ante omnia petenda sunt, nempè quæ ad cœli gaudia consequenda nobis conducunt, iuxta illud Matth. *Primum quærite Regnum Dei, & omnia adi icientur vobis.* Vnde Hugo, Luc. 11. parum à princi. *Si dixisset, qui vbique es, verum dixisset, sed ne inepta & inania mente vagemur, dicit: Qui es in cælis, vt mente radicata, quæ sunt vtilia quæramus.*

Matth. *Hugo.*

SECVNDA PARS

Orationis Dominicæ constat septem petitionibus, quarum prima est.

Sanctificetur nomen tuum.



20 SANCTIFICATIO duplex est. Quędam, quæ homo à Deo sanctificatur; nimirum ab eo accipiendo ea, quibus euadit sanctus, maximè gratiam, qua homines efficit diuinæ consortes naturæ. Iuxta illud Psalm. 131. *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea*, & alibi sæpè: & isto modo nequaquam petimus in oratione Dominica nomen Dei sanctificari, quia in se sanctum est, & gloriosum, neque magnificari, aut sanctificari vllo modo potest. Secundo modo dicitur Deus ab homine sanctificari non quidem in se, sed in nobis. Iuxta illud *sanctificabor in vobis in oculis, &c.* & 1. Pet. 3. *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris.*

Psal. 131. *1. Pet. 3.*

Quomodo autem, & in quo sensu docuerit nos Christus petere, quod nomen Dei sanctificetur in nobis, vel in ordine ad nos non est nimis facilè propter varias Patrum expositiones. *Prima* est Tertul. in tractatu de oratione, vbi ait: *Petere vt nomen Dei sanctificetur, nihil aliud esse, quā petere, vt Deus sāctos oēs homines efficiat. Secūda* est D. Cypria. tract. de orat. Dominica, cuius sensus est, *Sanctificetur nomen tuum*, id est, Sanctificatio, quam in baptismo accepimus, perquam à peccatis abluti, iustificati, & sanctificati sumus, conseruetur in nobis; ac in eo, quod esse cœpimus perseueremus. *Opus* (inquit) *nobis est quotidiana sanctificatione, vt quia quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus.* Hæ duæ interpretationes non satis accommodatæ videntur textui; tùm quia ille, qui sic petit, non tam immediatè videtur petere sanctificationem nominis Dei, quam propriam sanctitatem; vt autem collegimus superius in prima petitione, postulamus aliquid pertinens ad Deum in se ipso; nempè gloriam eius; tùm quia hoc potius est petere fieri à nobis voluntatem Dei, quod pertinet ad tertiam petitionem: iuxta illud 1. Thessalon. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Tertia* interpretatio refert petitionem sanctificationis ad gloriam nominis Dei, sed ex nostris bonis operibus consequentè: & sensus est, concede nobis tàm piè & purè viuere, vt per nos cuncti te glorificent: iuxta illud Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Sanctum autem Deum confiteri, est glorificare, nam Esai. 5. Seraphim hac voce Deum glorificabāt, *Sanctus, sanctus, sanctus.* Sic explicant Chrysost. hom. 20. *in Matth.* Hyllar. *in Psa.* 134. Cyrill. *Cathechesi. 5. mystagogica.* Nissen. *oratio.* 3. *de oratione Domini.* Hieronym. & Rupert. *Matth.* 6. Sed hæc interpretatio licet propius re attingat, quia petit Dei gloriam immediatius, petit tamen nostram sanctificationem, quæ consistit in adimpletione Dei voluntatis, quod petitur in tertia petitione. *Quarta* est non multum differens 21
à præcedenti, nam conuenit cum tertia, in hoc quod asserit sanctificationem petitam esse clarificationem & glorificationem: tantum differt in modo: nam tertia asserit vt per bonam vitam nostram, Deus glorificetur ab alijs, iuxta illud primę Petri secundo; *vt ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis*; hæc verò quarta exponit absolutè peti Deum clarificari apud eos, qui eum non noscunt. Hæc potissimè tribuitur August. in epist. 121. de orando Deum, cap. 11. & 12. cap. 11. sic ait: *Cum dicit sanctificetur nomen tuum, nos ipsos admonemus desiderare, vt nomen eius, quod semper sanctum est, etiam apud homines sanctum habeatur*; hoc est vt non contemnatur, quod non Deo, sed hominibus prodest: capite autem 12. hæc verba sic explicat: *Qui dicit clarificare in omnibus gentibus, sicut clarificatus es in nobis, quid aliud dicit quàm, Sanctificetur nomen tuum?*

Quomodo Dei nomē debeat sāctificari? *Prima expositio. Tertull.* *Secunda expositio. Cypria.* *1. Thes. 4.* *Tertia expositio.* *Matth. 5.* *Esai. 5.* *Chrysost.* *Hyllar.* *Cyril.* *Nissen.* *Hieron.* *Rupertus.* *Quarta expositio.* *1. Pet. 2.* *August.*

Hæc Augustini expositio conformior literæ 22
est; sed à quibusdam modernis reijcitur: quia qui petit Deum glorificari, seu clarificari, petit Fidē solam: sed qui petit Dei sanctificationem, non solùm petit Fidem ab omnibus haberi, sed etiam Religionem ac Cultum: ergo August. interpretatio nō satisfacit literæ. Maior patet, quia Deum glorificare, est de Deo veram & conuenientem suæ Maiestati notitiam & existimationem habere, quod fidei est: sic Ioann. 16. *Ego clarificaui te super terram, & nunc clarifica me tu Pater*: id est manifestaui quis sis, manifesta me etiam quis sim, quæ ad Fidei veritatem pertinent: quinimò sine Fide diuina & infusa potest fieri ista glorificatio, & clarificatio, vt quando Ægyptij videntes magnalia,

Ioan. 16.

gnalia, quæ à Deo facta sunt in patrocinium Hebræorum, laudabant Deum Israel, & eius potentiam. Vnde Eccles. 36. *Immitte timorem tuum super gentes, vt cognoscant, quia non est Deus nisi tu, vt enarrent magnalia tua.* Minor autem probatur, quia ille Deum sanctificat, qui non tantùm in eum credit, magnificeque de ipso sentit, sed etiam eum colit, ac veneratur. Sanctitas enim *vt supra vidimus q. 81. art. vlt.* cultus Religionis nomen est.

Eccl. 36.

Hoc discrimen inter clarificationem ex vna parte, ac sanctificationem Dei ex altera pulchrè insinuauit Sapiens in loco proximè citato, dicẽs: *Sicut enim in conspectu illorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro, magnificaberis in eis.* Notanda est distinctio Iudæorum & Gentium, Deus in Iudæis sanctificabatur: quia non solum credebatur vera Fide, sed colebatur Religionis cultu; Gentibus autem magnificandus dicitur, per magnalia, quæ videbant ab eo fieri, propter ea enim eum timebant, ac magnificabant, iuxta illud Exod. 15. *Cantemus Domino gloriosè enim magnificatus est: equũ & ascensorem proiecit in mare.* Id est propter opera miranda, quæ pro nobis fecit, magnum ac potissimum se declarauit Aegyptijs, talisque reputatus est ab eis.

Exod. 15.

23 Hæc allata contra interpretationem D. Aug. vera sunt in rigore sermonis, sed non militant cõtra egregium Doctorem; qui neque somniauit sanctificationem & clarificationem Dei petitam in oratione Dominica pertinere ad solam Fidem. Certè ex verbis, quæ habentur in *cap. 11. epistol. ad Probã*, id non colligitur: quia haberi nomen eius, vt sanctum, non tantum pertinet ad Fidem: sed ad sanctitatem, quæ pars Religionis est, & Cultum importat. Ea verò quæ dicit cap. 12. cursim dicta sunt, vt explicaretur quomodo omnes petitiones fidelium includantur in oratione Dominica, & dicit illam Ecclesiastici. 36. *Clarificare in omnibus Gentibus, sicut clarificatus es in nobis*, reduci ad petitionem primam, *Sanctificetur nomen tuum*, Et meritò, tum quia dicendo, *Sicut clarificatus es in nobis*, insinuat, Sapientem petere Gentibus nõ qualemcunq; clarificationem; sed talem, qualis exercebatur à fideli populo; nimirum constans ex Fide & Religionis cultu; tum etiam, quia frequenter, maximè quando fit sermo de fideli populo, clarificare seu glorificare Deum, est non solum magnum & clarum prædicare; sed etiam sanctificare, & venerari per Religionis Cultum. Innumera sunt loca sacræ Scripturæ, sufficiat nobis id, quod dicitur Exod. 15. *Iste Deus meus & glorificabo eum*, non per solam Fidem eum gloriosum manifestando, sed etiam per verum cultum eum venerando. Deniq; hanc esse D. August. mentem, apertum erit, si legas ipsum, lib. 2. de serm. Domi. in monte, cap. 10. vbi sic ait: *Sanctificetur nomen tuum: quod non sic petitur, quasi non sit sanctum nomen Dei, sed vt sanctum habeatur ab hominibus: id est, ita illis innotescat Deus, vt non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeãt: neque enim quia dictum est: Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius: sic intelligendum est, quasi alibi minor sit Deus, alibi maior: sed ibi magnum est nomen eius, vbi pro suæ maiestatis magnitudine nominatur; ita ibi dicitur sanctum nomen eius, vbi cum veneratione & offensionis timore nominatur.* Hæc ille.

Exod. 15.

August.

Igitur iuxta August. mentem, sic est intelligenda prima petitio orationis Dominicæ, *Sanctificetur nomen tuum*, id est, innotescat per totum orbem, quis tu sis, summè potest, summè sapiens, &c. deniq; omnis expers imperfectionis: quinimo origo totius perfectionis. Hæc enim omnia significantur nomine Dei. Laudetur insuper, prædicetur, veneretur, colatur & adoretur. Hæc expositio approbatur à D. Bern. *serm. 6. in Quadrages.* à Cassian. *collatione. 9. cap.* 18. & ferè ab omnibus huius ætatis sapientibus, estque literæ accommodatior, & suasibilior: tùm, quia gloria Dei non solum in intellectu hominum, sed etiam in affectu imprimis petenda est, vt notat Chrysostomus vbi supra: tum quia sic in primo Decalogi præcepto iubetur glorificatio Dei, non solùm cognitione, sed etiam cultu: ita in prima petitione id primò petendum fuit. Sed cur non dictum est: *Sanctificetur Deus*, aut verò, *Sanctificeris ô Pater*? quia in hoc sæculo Deum agnoscimus, nõ visu, sed auditu, Fides autem quæ Religionis est fundamentum, ex auditu est, idcircò dicitur: *Sanctificetur nomen tuum.*

D. Bern.

Cassian.

Chrysost.

Adueniat Regnum tuum.

HÆc est secunda petitio; circa quam interpretandam lapsi sunt Hæretici Manichæi, & Luciferiani: primi namque ferebant esse duos Deos: vnum lucis, & alium tenebrarum: qui inter se mouerunt bellum, quo Deus lucis compulsus est, vt aliquam partem sui Regni ei largiretur, vt ab eo segregatus quietè viueret: & ita in hominis compositione, partem Dei lucis coniunctam esse parti Dei tenebrarum. Et ita dicunt orandum esse, vt omnes partes lucis, quas Deus lucis in prælio perdidit, rursus Deo lucis acquirantur; vt potentius regnet super ea, quæ sunt lucis. Dicunt enim in homine sensualitatem esse à Deo tenebrarum: rationem verò à Deo lucis. Luciferiani verò dicunt: Luciferum verum Deum deiectum fuisse à Regnõ, per Deum nunc regnantem, ab eoque vinctum obseruari vsque ad finem mundi; quãdo restituetur Lucifer suo Regno, & ideò dicunt esse petenda: *Adueniat Regnum tuum*, tibi scilicet Lucifero, vt Regno, à quo eiectus es, restituaris. Hæc potius adduxi, vt irrideam, quam vt impugnem. Videndus est D. August. *contra Faustum, tom.* 7. Non erit absque re aduertere Gregor. Nissen. lib. de oratione, apud Lucam loco huius: *Adueniat Regnum tuum*, quod Matth. refert, sic legere: *Adueniat sanctus Spiritus tuus super nos, & purificet nos*: in qua lectione, quia solus est, à nobis relinquitur: & sequimur communem lectionem. 25

Error quorundã.

August.

26 In expositione verò huius petitionis, aliqui ex Doctoribus Scholasticis multiplicant acceptiones huius vocabuli, *Regnum Dei*: specialiter Gabriel *super Canonem Missæ, lectione* 67. enumerat septem acceptiones huius vocis, & totidem expositiones huius secundæ petitionis. Ego verò, qui decreui in sacris Literis explanandis sequi expositiones antiquorum Patrum, ad tres

Gabriel.

tantùm reduco; quæ præsenti instituto sufficientes sunt. *Primò* accipitur, *Regnum Dei*, pro iure, quod habet Deus dominandi in toto orbe; à quo dicitur Rex, vnum ex attributis Dei, ad eius prouidentiam pertinens: & hoc Regnum Deo connaturale est, & æternum: iuxta illud Psalm. 144. *Regnum tuum, Regnum sæculorum.* Imò & Christus habet hoc Regnum, non solum in quantum Deus: verùm etiam in quantum homo, iuxta illud Apocal. 19. *In femore eius*, id est, in humanitate, *scriptum erat, Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Secundo modo accipitur, *Regnum Dei*, pro Regno gratiæ: quod est spirituale, quo Deus regnat in hominibus, qui eius præceptis & consilijs obediunt. De hoc Regno loquitur Dominus Matth. 13. *Colligent de Regno eius omnia scandala*, & Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos est.* Tertio modo accipitur Regnum Dei, pro Regno cœlesti; quod spectamus quando deuicta morte, ablatis omnibus peccatis, expulsa omni miseria & corruptione, iusti Deo fruentur, & hoc Regnum nunc inchoatur in spiritibus beatorum & perficietur in die iudicij: quando beati accepta gloria etiam corporum cum Deo & Christo fœliciter in perpetuas æternitates regnabunt. De hoc Regno intelligitur illud Luc. 14. *Beati qui manducabunt panem in Regno Dei.*

Psal. 144. Apoc. 19. Matt. 13. Luc. 17. Luc. 14.

27 De Regno in priori acceptione non videtur posse intelligi petitio hæc secunda, quia frustra petitur id, quod non potest non esse, aut aliter fieri: At Regnum in prima acceptione Deo connaturale est & proprium, atque adeò inutiliter peteretur, vt adueniret. Ita Augustin. *lib. 2. de sermone Domini in monte.*

Aug.

Dices fortassè. Deus verè Rex est & Dominus omnium: sed multi sunt rebelles, qui nolunt obedire eius iussis. Ita est, sed eo permittente; nã quæcumque efficaci voluntate vult, nequeunt aliter euenire. Iuxta illud Esther. 13. *In ditione tua cuncta sunt posita, nec est qui possit resistere voluntati tuæ.* Et Psalm. 134. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra.* Nihilominus idem Augustin. vbi sup. videtur interpretari petitionem secundam de Regno in priori acceptione, dicens debere intelligi sic, *Adueniat Regnum tuum*, id est, manifestetur euidenter, & omnibus innotescat Deum esse Regem omnium, simul & Christum; quod fiet perfectè in nouissimo die, quando malis punitis, & iustis præmiatis manifestabitur Regnum Dei, & Christi supra omnes gentes. Et lib. 83. quæstionum, quæst. 69. ait: *Plerumque Scriptura sic loquitur, vt quod semper est, tunc fieri dicatur ab aliquo, cum in eo cognosci cœperit. Ita dicimus in oratione Dominica: Sanctificetur nomen tuum: quasi aliquando sanctum non sit: ergo sicut sanctificetur, sanctum esse innotescat. Ita quoque quod ait Paulus 1. ad Corinth. 15. Cum tradiderit Regnum Deo & Patri, id est, Patrem regnare demonstrauerit: vt per speciem manifestationemque clarescat, quod nunc à fidelibus creditur, & ab infidelibus non putatur. euacuabit omnem Principatum, & potestatem, manifestando vtique Regnum Patris, vt omnibus notum sit, nullum Principem, aut potestatem, siue cœlestium, siue terrestrium, per se habuisse aliquid Principatus, & potestatis: sed ab illo ex quo sunt omnia.*

Esther 13. Psal. 134. August. 1. Ad Cor. 13. D. Thom. August.

Hæc Augustin. quibus si adiungas ea, quæ dicit libro secundo de sermone Domini in monte, videbis secundùm eius mentem, quando dicitur, *Adueniat Regnum tuum*, debere intelligi, id est manifestetur Regnum tuum.

De Regno Dei in secunda acceptione exponunt alij D. Ambros. *lib. 5. de sacramentis cap.* 4. D. Hieronym. *lib. 3. contra Pelagianos.* Euthym. *Matth.* 6. Quamuis etiam amplectatur sequentem expositionem Rupertus etiam *Matth.* 6. qui distinguit duplex Regnum, diaboli scilicet & Dei: quando homines suis obtemperant appetitibus Dei voluntate postposita, in ijs peccatum & diabolus regna. Vnde Paulus ad Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.* At quando homines proprijs appetitibus pessundatis Dei mãdatis obediunt, tunc dicitur Deus regnare in illis. Ad Rom. 5. *Sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam.* Et de hoc Regno Dei dicitur ad Rom. 4. *Non est Regnum Dei esca & potus; sed iustitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Quando ergo dicimus, *Adueniat Regnũ tuũ*, nihil aliud petimus, nisi vt homines Dei volũtati obediant, eius mandata seruent, abnegatis proprijs concupiscentijs; & dæmonum suggestionibus. 28

D. Ambr. D. Hiero. Euthym. Rupert. Ad Rõ. 6. Ad Rom. 5 Ad Rõ. 4.

De Regno in tertia acceptione, nempè pro Regno cœlesti, quando homines sancti, maximè post diem iudicij reassumptis corporibus gloriosè triumphabunt, intelligunt alij; quando petimus *Adueniat Regnum tuum.* Hanc interpretationem amplectuntur ferè omnes Patres antiqui & moderni. Tertulianus, Cyprianus, Cyrillus & alij. Chrysost. *hom. 20. in Matth. & 44. in Ioannem*, Nissenus. *lib. de oratione*, Augu. *epist. 121. cap.* 12. vbi ait hanc eandem fuisse petitionem Dauid, Psal. 79. dicentis, *Domine Deus virtutum conuerte nos, ostende faciem tuam & salui erimus.* 29

Tertull. Cyprian. Cyril. Chrysost. Nissen. August.

Et hæc expositio mihi videtur germanior textui. *Primò.* Quia ita censent tot viri grauissimi. *Secundò.* Quia si primo modo explicetur de Regno Dei, coincidit hæc petitio cum prima; manifestari Deum in quantum Rex est, quod pertinere ad primam petitionem clarum est: si verò sequaris secundam expositionem, luce clarius est, hanc petitionem non distingui à petitione sequenti, *Fiat voluntas tua*, per quod Deus in hominibus regnat in hac vita mortali. *Tertiò*, quia nisi sic interpretemur, nusquam in tota Dominica oratione petitur beatitudo, quæ imprimis petenda est. Egregiè D. Aug. super Psal. 118. concione. 20. *Quemadmodum*, inquit, *ante Christi incarnationem omnia vota piorum in primum Christi aduentum aspiciebant; ita nunc par est, vt aspiciant in secundum.* Et hoc est quod Apostolus dicit ad Rom. 8. *Et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum expectantes redemptionem corporis nostri.* Et ad Tim. 3. *Expectantes beatam Spem & aduentum gloriæ magni Dei.* Hæc legens, Christiane, aduerte verba D. Hiero. vbi sup. *Grandis fiduciæ est, & puræ conscientiæ postulare Regnum Dei; quod non dabitur perfectè: nisi in tremendo iudicij die, & puris corde.* *Quartò.* Sicut ex charitate imperante oritur petitio prima, quæ postulatur gloria Dei in se, ita ex Spei virtu-

August. Ad Rõ. 8. Ad Tit. 3. Hieron.

virtute, etiam imperante nascitur; vt petamus gloriam Dei in nobis, quæ significatur per Regnum Dei. *Quintò.* Quoniam frequètius vsurpatur in sacris Literis. *Regnum Dei* pro resurrectione & gloria cælesti. Luc. 13. *Cum videritis Abraham, Isaac, Iacob, & omnes Prophetas in Regno Dei, vos autem expelli foras.* Et cap. 14. *Beatus qui manducabit panem in Regno Dei.* Et Matt. 5. *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi.*

Luc. 13. & 14.

Matth. 5.

30 Sed contra hanc vltimam interpretationem, quam præ alijs eligimus, *est argum.* Etenim hominum vltima beatitudo est eorum magna perfectio; sed Regnū Dei, non hominū, sed Dei perfectio est. Ergo quando postulamus aduenire Regnum Dei, non poscimus nobis beatitudinem. *Minor probatur:* quia Regnum non est perfectio subditorum, sed Regis. *Ad Confirm.* Quando petimus aduenire nobis Regnum Dei; vel petimus ipsum Regnum, quod in Deo est, nobis aduenire; vel vt communicetur nobis, vt possessutis illud. Non primum, quia Regnum Dei nobis aduenire, nil aliud potest esse (si fiat sermo de ipso Regno, quod in se habet Deus) nisi quod simus ei subiecti vt supremo Regi, obtemperando in omnibus illi, & faciendo eius voluntatem. Hoc autem pertinere ad sequentem petitionem, nempè: *Fiat voluntas tua*, quis ambigit? Nec etiam secundum, quia in vltima resurrectione licèt benè intelligatur, quomodo omnes erimus Deo subiecti, non tamen quomodo regnemus; tùm quia regnare non consistit in subiectione: tùm quia regnare est respectu subditorum, quos qui sint animarum beatarum ignoramus: tum tertiò, quia beatitudo non consistit in regnando, sed in vidēdo Deum per essentiam, amando eum, & fruendo eo.

31 Hæc dubitatiuncula à me proposita est vt explicem quare & quomodo beatitudo appelletur, & sit Regnum, & omnes Beati, Reges. Sed vt rem à fundamentis exordiamur, *præmittendum est*, Regem à regendo dici. Et ob id Deus Rex vniuersorum dicitur: quia omni creaturæ præest, & sub eius ditione cuncta sunt posita: & sicut in Regis munere duo status considerantur: vnus curæ & solicitudinis in condendo leges, in coercendo rebelles, in puniendo malefactores, in debellando hostes, & similia: alter status Regis in potiundo triumphis partis, in fruendo pace acquisita: ita in Regno Dei duplicem statum considerare possumus: vnus, in quo non omnes obediunt suis mandatis, sed multi ab eius monitis & legibus discedunt, quos ipse corripit, punit, monet, & quasi anxius in eorum gubernatione & regimine procedit; alter est post diem iudicij, quando omnia plenè & sine vlla rebellione erunt ei subiecta; & tunc præsidebit toti orbi sine vlla cura, aut subditorum rebellione, ac quietè & pacificè triumphabit. Id ipsum quod dixi de Regno Dei, dico de Regno Christi, quod sibi in assumpta humanitate promeruit.

32 Pro decisione *dico primò.* Deus gratiosè dedit, & Christus Dominus omnibus electis promeruit, vt essent Reges in hac vita inchoatiuè per gratiam; in futura plenè, & perfectè per claram Dei visionem. *Probatur prima huius asserti pars*; quia per gratiam efficimur diuinæ consortes naturæ: & consequenter omnium perfectionum diuinarum, vt possunt ab hominibus participari, sed inter perfectiones diuinas, vna est, vt sit Rex omnium: ergo eandem nobis contulit Deus dando gratiam. Secundò probatur, ex illo Apocalyp. 1. *Fecit nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes*, alij legunt, *Reges & Sacerdotes*, & loquitur D. Ioannes de in hac vita degentibus: & Apocalyp. 19. dicitur de Christo, quod habebat, *in femore* id est, in humanitate, *scriptum, Rex Regum, & Dominus Dominantium*: ergo electi Reges sunt ex Christi merito, vt patet ex præcedentibus verbis ad primum testimonium. Præmiserat enim Ioannes, *qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*; quę omnia ad meritum Christi referuntur: & statim subdit, *Et fecit nos Regnum*, &c. Item in eodem capite dicitur de Christo, quod est *Princeps Regum terræ.* Super quæ verba Rupertus sic ait, *Quorum, vel qualium Regum terræ? Nunquid illorum, vel talium, quales astiterunt aduersus Dominum, & aduersus Christum eius? Non vtique talium hic est Princeps, imò iudex: tales enim se dicunt Reges terræ esse, & non sunt, sed sunt serui terræ: cum sint serui peccati, subditi cupiditatibus terræ. Illorum est Princeps iste, qui etsi non vulgò dicantur Reges, sunt tamen Reges terræ: quia teneritatem suam norunt regere, liberi à peccato, serui autem iustitiæ: ergo non nisi Regum iste Princeps est, omnes enim qui eius esse volunt, oportet tales esse. O verè pulchrum & gloriosum Principis huius Principatum, qui omnes subditos sibi, Reges, siue Regnum & regale facit Sacerdotium!* Hæc ille.

Apoc. 1.

Apoc. 16.

Rupertus.

Secunda pars asserti planior est: quia cum gloria sit gratia consummata, & status ille fœlicissimus (maximè post iudicij diem, quando electi & anima & corpore erunt gloriosi) plenissimè possidebit omnia bona: atque adeò, qui in illo statu reperientur, plenissimè regnabunt & erunt Reges cum Christo triumphantes. Vnde Psal. 109. vbi nos legimus, *Tecum principium, in die virtutis tuæ*, alij legūt, *Populus tuus Princeps, in die virtutis tuæ*: id est, in die iudicij, quando Christus ostendet suam potentiam, & virtutem iudicaturus orbem. Ex Christi merito hæc omnia euenient. *O mira bonitatis dignatio*, (ait Rupertus) *non ad seruitutem nos emit tam caro pretio, tam pretioso sanguine suo, sed vt faceret nos Regnum, & Sacerdotes; Rex, & Sacerdos solus erat; Reges & Sacerdotes facere de seruis peccati proposuerat, & idcircò sanguinem fundebat: quantorum hic testis fidelis meritorum, quantarum caput est coronarum. Sumes*, ait Dominus in Propheta Zachar. 6. *argentum & aurum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedech Sacerdotis.* Super quæ verba Diuus Hieronymus ait: *Imponuntur autem coronæ Iesu filio Iosedech: quia per singulas virtutes nostras Dominus coronatur: imò nobis per virtutem pœnitentiæ coronatus, Saluator in singulis coronam accipit*, id est, Christus per suum sanguinem meruit electis Regnum, & ipsi coronæ datæ sunt, vt eos eisdem coronaret in Reges. Imò vt sacer Textus refert omnes coronæ prius capite Iesu impositæ sunt; vt inde

Psa. 109.

Zachar. 6

D. Hieron.

accepta

accepta virtute, nos Reges efficeret coronatos. *Domine Dominus noster*, ait Rupertus, *quam admirabile est nomen tuum! quia gloria & honore coronasti hunc principem Regum, tot coronis, quot vel quantis ex Regibus constat hoc regnum, in quo omnes, qui sanguine eius sacrati sunt, splendidi Reges sunt.* Egregiè qua-

4. Esd. 2. drat dictis visio illa, quæ habetur in lib. 4. Esdræ capite 2. vbi ait. *Ego Esdras vidi in monte Sion turbam magnam, quam numerare non potui: & omnes canticis collaudabant Dominũ, & in medio eorum erat iuuenis, statura celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur: ego autem miraculo tenebar. Tunc interrogaui Angelum, & dixi: Qui sunt hi Domine? Qui respondens dixit mihi: Hi sunt, qui mortalem tunicam deposuerunt, & immortalem susceperunt, & confessi sunt nomen Dei: modò coronantur & accipiunt palmas. Et dixi Angelo: Ille iuuenis quis est? qui eis coronas imponit, & palmas in manus tradit? Et respondens dixit mihi: Ipse est filius Dei, quem in sæculo confessi sunt. Ego autem magnificare eos cœpi, qui fortiter pro nomine Domini steterunt.*

33 *In quo cõsistat iustorum Regnum.* Sed in quo constat iste principatus, & regnum electorum; difficile explicata est. Et quidem si loquamur de iustis in hoc sæculo degentibus, quos diximus esse Reges; in hoc consistit eorum dominatio, & regnum, vt suis imperent appetitibus, & mediante gratia portio superior inferiorem subdat & sibi & Deo. Ita Rupertus vbi supra (*Rupert.*) & D. Gregorius de talibus, ait, *In moribus Reges sunt, quia se ipsos regere sciunt.* (*D. Grego.*) Secundò fortasse melius Reges sunt, quia per gratiam accipiunt ius ad regnum, sicut Princeps puer ius ad regnum habet; & ideò Rex est inchoatiuè, nondum autem accepit possessionem regni, suo tempore accepturus. Sed cum sacræ Scripturæ, & Sanctorũ testimonia clament, Beatos post Iudicij diem plenissimè regnaturos, & futuros esse Reges per-

Apoca. 22. fectos: ita Apocalyp. 22. & 5. & id regnum petamus in oratione Dominica: illud potissimè inuestigandum est, in quo cõsistat istud regnum, & qualiter tunc perfectum erit. Huius enim rei gratia, hæc dubitatio mota est.

34 *Dico secundò.* Formaliter non consistit in subiectione hominis ad Deum neque in visione Dei: hoc patet ex argumento posito in principio, maximè ex eius confirmatione.

Dico tertiò. Causaliter ipsa visio est regnũ Dei, & ab ipsa causatur, quod Sancti regnent. *Probatur*, quia ille status est omnium bonorum aggregatione perfectus & non modicum est Sanctorum regnare; ergo ab ipsa Dei visione, vel cum ipsa oritur. *Secundò*, per gratiam inchoatam fiunt electi participes omnium perfectionum diuinarum: ergo per consummatam, quæ visio Dei est, fient multò perfectius, & consummatius participes earundem: ac ex consequenti ipsius regni.

1. ad Cor. 15. Et fortassis hic est sensus D. Pauli 1. ad Corinthios 15. dicentis, quod in illa vita, *Erit Deus omnia in omnibus*; scilicet electis; id est erit participatio omnium perfectionum, quæ in Deo sunt.

35 *Dico quartò.* Beati in patria erunt Reges, & formalitas sui regni in hoc consistet. *Primò.* Quia plenè, & perfectè subijciet carnem spiritui, portionem inferiorem superiori; ita vt nulla rebellio, nulla pugna sit inter carnem & spiritum. Egregiè Rupertus Apocalyp. 5. *Nunc quidem*, ait, *quando corpora mortalia sunt, cum labore & solicitudine regunt illa Sancti, in futuro autem in pace & securitate super illa regnabunt.* *Rupert.* *Secundò.* In illo statu regnabunt, non quidem concedendo leges, solicitè imperantes, imperiosè iubentes; quæ, & similia pertinent ad officium Regis, in statu curæ, solicitudinis, aut belli: sed præsidendo orbi in pace & quiete, fruendo triumphis, quæ pertinent ad officium Regis, parta victoria. *Item.* Ille status erit quædã assimilatio & participatio status fœlicissimi nostri capitis Christi: & sicut post diem Iudicij Christus Dominus regnabit, non quidem curam, & solicitudinem gerendo suæ Ecclesiæ, ipsam protegendo ab hostibus, per Angelos edocendo, &c. sed vacabit (vt ita dicam) ab exterioribus functionibus, tunc enim cessabunt nouæ illuminationes, noua gaudia beatorum accidentalia, & totus festiuus præsidebit orbi, vt victor gloriosus; sic & Sancti suo modo, & proportione. *Tertiò*: in illo statu regnabunt, quia in se ratione visionis Dei, habebunt dominium supra omnem creaturam sibi inferiorem, quæ obedirent illis ad nutum, si iubente Deo, omnes non cessassent creaturæ à suis functionibus; nam cœli non mouebuntur, elementa non suscipient alterationes, mixta non permanebunt, *Quia tempus non erit amplius.* Quod vel ex eo fiet probabile: quia iustitia originalis hæc omnia præstabat homini supra omnem creaturam sibi inferiorem, vt disputat D. Thom. 1. *p. quæst.* 96. *artic.* 1. & 2. *D. Thom.* Sed præstantius donum Dei visio, & lumen gloriæ: ergo cum maiori cumulo eadem largietur. *Est simile.* Deus antequam creaturas condidisset, verè Rex erat, per ordinem ad creaturas, quas in tempore erat producturus, quod autem non gubernaret actu rationem regni non subtrahebat, sic in statu illo fœlicissimo, beati Reges erunt, quia dominium supra totum habent orbem, quod verò liberi sint à regimine actuali, non est defectu dominij, sed quia nec ipsi indigent creaturis, neque creaturæ indigent Sanctorũ protectione: eo quod propter renouationem in toto sæculo futuram à suis functionibus exterioribus cessabunt.

Dico vltimo. Quando in oratione Dominica petimus Regnum Dei aduenire nobis, petimus nostram beatitudinẽ, quæ dicitur Regnum Dei, non quia sit visio ipsa formaliter Regnum Dei, sed quia ab ipsa ortum habet, & causatur, vt dictum est.

Ad argumenta in principio dubitationis. Ad 35
primum respondetur ex D. Thoma in 4. *dist.* 49. *art.* 2. *quæst.* 5. *ad tertium*, quòd Regnum Dei importat perfectionem & in Deo & in Beatis, aliter tamen & aliter: nam est perfectio in Deo, sicut in principio, à quo omne regimen ad alios deriuatur, in Sanctis verò sicut in accipientibus à Deo & Christo hanc perfectionem, & sicut in Deo subiectis, qui tamen hoc modò prouidentiæ, & regimini Dei subduntur, quod etiam ipsi prouidentes fiunt sibi ipsis, vel etiam alijs, secundùm quod omnia alia erunt eis subiecta, & ideò ad Reg- *D. Thom.*

ad Regnum Dei pertinent, non solum vt existentes sub Rege, sed etiam vt Reges, qui tamen erunt sub vno magno Rege: igitur ad argumentum negatur minor, & eius probatio. Ad confirmationem datur secundum membrum argumētationis: & iam explicauimus in quo consistat formaliter regnum beatorum.

Et dictis superaddo, quod quemadmodum Sancti omnes dicuntur futuri iudices in die Iudicij, Matth. 19. Luc. 22. & specialiter, 2. ad Cor. 5. *An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt;* non cum ea proprietate, qua Christo conuenit iudicare, cui conuenit iurisdictionis potestas, neque sumēdo iudiciū, pro eo omni, ꝙ includit, sed tātū pro eo ꝙ est honoratè comitari Christū, qui ꝓpriè iudicabit, assistēdo illi in subsellijs suis, & thronis, *Daniel.* 7. Velut iudices assessores, sic Sācti regnabūt cū Deo & Christo, nō exercēdo omnia munia regia, maximè illa, quæ de se curam & solicitudinem afferunt, sed dumtaxat presidendo, & vt splendidos Reges se exhibendo, quod decet Reges in statu triumphi existentes: ad eum modum, quo ait D. Thom. 1. *ad Corint.* 14. de Angelis, quod post diem iudicij remanebunt ordines Angelorum distincti, quantum ad eminentiam gloriæ, qua vnus alterum excellit, sed non quantum ad efficaciam executionis, quoad nos.

Matt. 19. *Luc.* 22. *2. Ad Corinth.* 5. *Daniel.* 7. *D. Thom.*

Hoc est enim, quod ait Paulus ibidem, *Cum Christus tradiderit Regnum Deo & patri, euacuauit omnem principatum, potestatem, & virtutem*, id est, faciet cessare à cura regendi nos, & isto modo philosophantes de Beatorum regno, potius extollimus, quàm deijcimus regnum, & regnandi modum, quia solicitudo & cura subditorum potius vergit in Regibus ad seruitutem, quàm ad regnum: & fortasè hoc est quod ait Paulus ad Romanos 8. *Post Iudicij diem ipsa creatura*, nempè omnis sensibilis, *liberabitur à seruitute corruptionis*, id est, mutabilitatis, quia in qualibet mutabilitate corruptio quædam est, quæ omnia cessabunt in creaturis post iudicij diem. Sed ad quid hoc? *In libertatem filiorum gloriæ Dei*, id est, vt filij Dei & Beati, qui in statu beato sunt Reges, & consequēter ad eos pertinebat regimen creaturarum, liberè vtantur gloria sua, sine vlla cura, qua non indigebunt creaturæ post Iudicij diem: liberè autem fruentur gloria sua, quietè viuendo & triumphando, vt Reges post partam victoriam.

Ad Rō. 8.

Fiat voluntas tua.

56 Postulato regno, monet nos Christus petere id, sine quo regnum adipisci non valemus. Hoc autem est voluntatem Dei facere, mandatis eius omnibus parendo: iuxta illud Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, quod quidem à Deo postulamus: quia id sine eius auxilio implere non possumus. Circa quam petitionem obiter *notādum est*, voluntatem hoc loco non accipi pro potentia, seu facultate; sed pro re ipsa, in quam voluntas tendit: & sensus est: Pater fiat quod tu vis, aut quod non facere vis. Et iure non petimus fieri nostram voluntatem, tum quia sæpè ad illicita rapitur; tum etiā, quia sæpè ignoramus nobis profutura. Vnde voluntas nostra cæca, & periculosa frequenter est, si sibi relinquatur; at Deus omnia scit, & nos amat, plus quàm nos ipsi nos: erit ergo vtilissimum nobis facere, quæ Deus nos vult facere, ac subinde nostra voluntas iustè, optimè, & vtiliter subditur diuinæ, quando dicimus, *Fiat voluntas tua*. Secundò etiam obseruandum est ex autore operis Imperfecti in Matthæum, super hunc locum, egregiè dictum esse, *Fiat voluntas tua*, & non esse dictum, faciamus voluntatem nostram, vel fac in nobis voluntatem tuam; vt intelligamus obseruantiam mandatorum Dei, non esse opus solius Dei, nec solius liberi nostri arbitrij, sed vtriusque. Hoc notabile dilatat mirabiliter, vt solet D. Thom. in *opusculo de oratione Dominica*, & ideò videndus est.

Matt. 19. *D. Thom.*

Sicut in cœlo & in terra.

Verba ista apposita sunt ad ostendendum perfectionis modum, qui debet comitari mandatorum Dei obseruātiam, quem & petimus ei adiungi. Exponuntur autem verba hæc multipliciter, secundùm diuersas acceptiones cœli, & terræ. *Primò* exponuntur, vt per cœlum intelligatur spiritus. eo quod suadet cœlestia, per terram caro; quia ad terrena prona est, & quoniam caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, postulamus, vt caro concordet cum spiritu, sequendo ductum spiritus, in obseruatione mandatorum Dei: ita Augusti. Cyprianus, & Tertullianus. Quamuis Tertulianus *tractatu de oratione* paulò differentius interpretetur, adhibens duplicem sensum. Primus est, vt idem sit: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*, ac dicere in nobis, qui per figuram dicimur cœlum & terra, vel potius componi ex cœlo & terra. 37

Prima expositio. *August.* *Cyprian.* *Tertull.*

Secundus sensus: *Fiat voluntas tua*, in terra, vt sic possit fieri in cœlo, vel vt obediamus in terra, vt salui esse possimus in cœlo. Nec mirum, si sic exponat Tertul. cum ipse legat: *Fiat voluntas tua in cœlo, & in terra*, sine particula comparatiuo, *Sicut*. Sed præstat interpretari primo modò exprimendo particulam comparatiuam.

Secundò exponunt alij per cœlum intelligentes fideles, & iustos; per terram, infideles & peccatores: vt sit sensus, sicut fideles, & iusti Deo obediunt, ita infideles & peccatores conuertantur ad Deum, eiusque mandatis obtemperent. Hæc expositio non displicet Augustino, *sermone de oratione Dominica*. Est etiam diui Cypriani, quem citat Augustinus *in libro de dono perseuerantiæ*. 38

Secunda expositio. *August.* *Cyprian.*

Tertiò, alij per cœlum intelligunt Christum, per terram Ecclesiam: & tunc id quod exigitur est, vt Ecclesia sponsum suum Christum imitetur in exequendis Dei mandatis: ita Augustinus *lib.* 2. *de sermone Domini in monte, cap.* 11.

Tertia expositio. *August.*

Quartò. Quidam moderni per cœlum intelligunt hoc materiale cœlum, & per terram homines in ea degentes: vt sit sensus, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra*, id est, sicut cœli, & ea, quæ in ipsis continentur planetæ, stellæ, &c. Dei parēt voluntati, neque latum vnguem excedentes à suis fun-

Quarta expositio.

functionibus per Dei voluntatem illis iniunctis; ita & nos homines omninò Dei obediamus iussis, in nullis ab eisdem deuiantes.

Quinta expositio. 39 *Vltimò* alij exponunt per cælum, Ecclesiam triumphantem, quæ ex omnibus cœlicolis, Angelis, & hominibus constat; per terram Ecclesiam militantem, ex mortalibus hominibus coadunatam intelligentes. Et tunc sensus est, Sicut in cœlo incolæ illius regni Deo promptè, & perfectè in omnibus obediũt: ita & nos adiuuãte Dei gratia faciamus. Hæc absque dubio literalis explicatio est, de qua Chrysostomus homilia 20. in Matthæum: *Cum desiderium, inquit, imperauerit futurorum (nempè, adueniat regnum tuum) atque ad peregrinationem illam nos iusserit semper contendere; quãdiù tamen illuc non peregrimus, etiam hic degentes iubet conuersationem cum cœli habitatoribus habere communem; nam desiderare quidem cœlos conuenit, & ea quæ habentur in cœlis, tamen antequam superna illa præstetur habitatio, cælum quodammodo iussit facere terram, vt scilicet tales sint etiam dum in ea degunt in dictis & factis, quasi conuersentur in cœlo. Denique pro hoc etiam esse Dominum deprecandum: nihil est enim quod propter terrenarum rerum habitaculum ad supernarum virtutum perfectionem homines prohibeat peruenire. Est quippè possibile, vt in terrarum adhuc regione degens, quasi iam in cælo habitet, ita cuncta perficiat. Quod igitur dicit hoc tale est sicut omnia ita fiunt libere, & non in his quidem obtemperant Angeli, in alijs immorigeri sunt: sed voluntati cedunt diuinæ, & in omnibus obsequuntur: sic nos efficere dignos, qui non ex dimidio, sed potiùs ex integro ea quæ in voluntate sua sunt faciamus.* Hæc Chrysostomus, cuius vltima verba de Angelorum similitudine habet etiam Hieronymus *Matth.* 6. & August. *epistola* 121. *cap*.2.

Hierony. August. Ac denique hanc expositionem approbant omnes Patres Græci & Latini citati præter Tertulianum, & Cyprianum, qui illius non meminerunt. Demum nota ex Chrysostomo, hanc particulam, *Sicut in cælo & in terra*, esse modũ determinatiuum non solum tertiæ petitionis, verùm etiam & primæ & secundæ: vt sit sensus, *Sanctificetur nomen tuũ sicut in cælo, & in terra*, id est, nomẽ tuum ita sanctificetur ab hominibus in terra degentibus, sicut sanctificatur à cœlicolis. *Adueniat Regnum tuum: sicut in cælo & in terra*, id est sicut cœli ciuibus aduenit Regnum tuum, scilicet beatitudo: ita & post huius vitæ cursum adueniat his, qui morantur in terris. Item, *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra*, sensus est à nobis explicatus. Hanc eandem aduersionem lege apud Caietanum in Commentarijs huius articuli.

Circa hanc petitionem dubitatur, An congruè fiat?

40 ET videtur vera pars negatiua, quia volũtas Dei est, vt permittantur quotquot in mundo perpetrantur peccata, sed hoc non licet petere hominibus: ergo, &c. *Maior* nota est: quia si ipse absolutè vellet nullum esse peccatum, voluntas eius fieret: permittit tamen ea fieri ad ostensionem iustitiæ suæ. *Probatur minor*. Tum quia non licet hominibus optare, vt peccata permittantur: tùm maximè, quia aliquando peccata, quæ Deus permittit tenentur homines euitare, & non permittere, vt patet in prælatis, qui tenentur subditorum peccata pro virili vitare.

Secundò. Voluntate Dei concurrente producuntur peccata, quoad materiale: vt habet communis Theologorũ opinio, sed non licet hominibus petere, vt sint peccata, etiam quoad materiale; ergo non est petendum vniuersaliter, vt fiat Dei voluntas.

Tertiò. Interdum vult Deus mortem nostrorũ parentum, aut ægritudines, bella aduersus patriam, incendia, & pleraq; alia mala pœnæ: & esset contra pietatem nos petere à Deo, vt illa euenirent: ergo non debemus petere à Deo vniuersaliter, vt eius voluntas fiat. *Minor* patet: quia quod non licet optare non licet petere: optare autem prædicta mala peccatum esset, cõtra pietatem debitam parentibus, & patriæ.

Quartò In præfata petitione nil aliud postulamus, nisi nostram voluntatẽ conformari diuinæ, sed ad hoc non tenemur: imò quandoque talis conformatio esset peccatum; ergo non est honesta vndequaq; talis petitio. *Minor* patet ex argumentis præcedentibus, & ex communi sententia Thomistarum, *in* 1.2. *sancti Thomæ*, *q*.19. *art*.10.

Quintò arguitur contra illam particulam, *Sicut in cœlo, & in terra*. Beati in cœlo conformantur diuinæ volũtati in omnibus, tã in volito formali, quam in materiali, vt dicit D. Th. 1.2. *q*.19. *ar*.10. *ad primum*; sed hoc viatoribus sæpè non licet: ergo nec licet petere à Deo, vt voluntas eius impleatur à viatoribus sicut à cęli habitatoribus. *Minor probatur*, nam voluntas absoluta Dei est, vt qui in peccato mortali est, careat gratia: at viator sine peccato hoc non potest appetere. 41 *D. Thom.*

Cum in petitione hac postuletur fieri voluntatem Dei à nobis operantibus per intellectum & voluntatem, ac subinde nostram voluntatem diuinæ conformari, necessariò duæ dubitationes à nobis resoluendæ sunt. *Prima*. De qua volũtate Dei & de qua volũtate nostra hæc petitio intelligenda est. *Secũda*. Vtrũ teneamur viatores nostrã voluntatẽ diuinæ conformare in omnibus? Et pro intelligẽtia vtriusque dubitationis *præmittendum est:* voluntatem Dei esse suam essentiam simplicissimam, quæ in se nullam patitur diuisionem, sed in ordine ad nostram considerationem diuiditur habita consideratione ad diuersa volita, & modum diuersum tendendi in ipsa. Pari fermè modo loquendum est de voluntate humana; quæ vna cũ sit consideratur multipliciter: volũtas igitur diuina diuiditur à Theologis in voluntatem beneplaciti, & voluntatem signi, & accipimus voluntatem non pro potentia, sed pro actu. *Voluntas beneplaciti* est actus voluntatis diuinæ, quo vult aliquid fieri: *voluntas verò signi* non est actus voluntatis diuinæ, sed signum eius. 42 *An debeamus nostram voluntatem diuinæ conformare?*

Voluntas beneplaciti à quibusdam diuiditur in antecedentem, & consequentem, licet ab alijs voluntas antecedens non appelletur volun-

luntas

tas beneplaciti. *Voluntas antecedens est*, qua Deus vult aliquod secundum se bonum & absolutè bonum: vt omnes homines saluari, quæ non semper impletur, & quando non impletur dicitur velleitas, & voluntas conditionata, & secundum quid, non absoluta voluntas. At verò *voluntas consequens*, est qua Deus vult aliquid consideratis circunstantijs omnibus. Quod bonũ est, & quod hac volũtate volitũ est, absoluta voluntate dicitur Deus velle, & hæc est potissima voluntas beneplaciti. At verò voluntas signi quintuplex est, sicut nobis innotescit voluntas Dei quintuplici signo: hæc sunt: præceptum, prohibitio, cõsilium, operatio, & promissio. Hæc necessario supponenda sunt ex Doctoribus scholasticis in *primo sent. dist.* 46. 47. *&* 48. & ex D. Thom. 1. *p. q.* 19. *& eius interpretibus ibidem*.

D. Thom. 43 Rursus supponendum est ex doctrina D. Tho. nostram voluntatem diuidi in voluntatem sensualitatis, & voluntatem rationalem; voluntas sensualitatis est ipsemet appetitus sensitiuus, qui fertur in bonum sensibile; voluntas rationalis est potentia affectiua, quæ fertur in bonum rationes. Item voluntas rationalis consideratur dupliciter, vno modo, vt natura est, alio modo vt ratio est: de qua diuisione videndus est D. Thom. 1. *p. q.* 41. *art.* 2. *& q.* 79. *art.* 9. 1. 2. *q.* 10. *art.* 1. *q.* 74. *art.* 7. *&* 3. *p. q.* 18. *art.* 5. *&* 6. Item: Voluntas maximè rationalis diuiditur in voluntatem absolutam, & voluntatem conditionalem; voluntas absoluta est, quæ absolutè & sine vlla conditione ex parte eius, aut obiecti fertur in illud, & explicatur per verbum, *Volo*. Voluntas conditionata est, quæ fertur in obiectum sub conditione, & explicatur per verbum, *Vellem*. Prior est voluntas simpliciter, posterior secundùm quid: priorem vocant neoterici efficacem; quia absolutè conatur ad opus: secundum inefficacem, quia non conatur ad illud.

44 *Prima igitur dubitatio est*. An teneamur nostram voluntatem voluntati diuinæ conformare? & nõ loquimur de conformitate in esse naturæ, quatenus nostra voluntas similis est per participationem diuinæ voluntati, sed loquimur de conformitate, scilicet in genere moris in ordine ad operationem: & imprimis aduertendum est, ex Diu.

D. Thom. Thom. *in distinct.* 48. *& in* 1. 2. *q.* 19. *art.* 10. istam conformitatem excogitari posse fieri quadrupliciter, iuxta, quadruplex genus causarum. Primo modo quatenus voluntas nostra vult idem obiectum, quod diuina, & hic modo dicitur esse in genere causæ materialis; hoc est, ex parte materiæ circa quam, quod est obiectum volitum. *Secundò*, quatenus vult propter eundem finem, propter quem vult diuina; & hic est in genere causæ finalis. *Tertiò*: secundum genus causæ efficientis, quatenus volumus id, quod Deus vult nos velle. *Quartò*: quatenus volumus per eundem habitum vel formam, per quam Deus, & hic est in genere causæ formalis.

45 *Secundò notandum est*, absque controuersia esse, non esse necessarium, vt diuinæ voluntati conformemur isto quarto, & posteriori modo, quia non semper debemus operari ex habitu charitatis, ex qua Deus semper operatur; quamuis teneamur nil velle contrarium charitati: Deus enim omnia ex charitate propter semetipsum operari dicitur, nos verò ea, quæ facimus non semper obligamur actualiter in ipsum referre. Similiter certum est in doctrina D. Thom. nos debere cõformari diuinæ voluntati, secundo illo modo in genere causæ finalis. *Ratio est aperta*, quia omnia opera nostra debent esse virtutis opera, sed vt sint huiusmodi actu vel habitu, in Deum finem vltimum referri debent: ergo illo secundo modo debemus diuinæ voluntati conformari. Dixi, *in Doctrina Diui Thomæ*, qui tenet, nullum actum humanum posse esse in indiuiduo indifferentem, iuxta quod maior & minor huius rationis notæ sunt. Et hoc vocat D. Thom. 1. 2. *q.* 19. *art.* 10. voluntatem nostram conformari diuinæ, quasi in genere causæ formalis, eo quod ex fine sumitur quasi formalis ratio volendi id, quod ad finem: ordinatur: an verò teneamur in particulari conformari volendo id, quod Deus vult, & propter finem quem illud vult, infra dicemus. D. Thom.

Quod igitur in controuersiam trahitur est, an primo & tertio modo teneamur conformare voluntatem nostram diuinæ? id est, velle omne obiectum, quod Deus vult vel velle omne id, quod Deus vult, nos velle: quæ solet appellari cõformitas in ratione regulæ, seu in ipso actu; quia scilicet habet actum, quem Deus vult nostram voluntatem habere: ita loquitur Durandus *in* 3. *dist.* 17. *q.* 1. vbi Gabriel etiam addit conformitatem in modo actus; vt quando homo vult aliquid eo modo, quo Deus vult ipsum velle. Durand. Gabriel.

His positis. *Prima assertio* apud omnes indubitata sit. Nostra voluntas necessariò debet conformari diuinæ in genere causæ efficientis, volẽdo scilicet id, ꝙ Deus vult nos velle, & eo modo, quo Deus vult nos velle. *Patet*, quia dato opposito Dei voluntas non haberet omnimodam efficaciam, & mens humana careret debita perfectione; quæ consistit in hoc, quod reguletur à diuina voluntate, faciendo id, quod Deus vult nos velle, & hoc est conformari diuinæ voluntati in actu, id est, in eo quod vult nos velle. *Sed quid est* id quod Deus vult nos velle? *Respondetur*. Quod præcipit, aut prohibet. Præcepta autem affirmatiua aut negatiua innotescunt nobis vel ex rationis dictamine, vt præcepta iuris naturæ, vel ex sacra Scriptura, traditionibus, ex iussionibus superiorum. 46 Sententia Autoris.

Ex hoc infertur corollarium. Voluntas nostra absoluta ac efficax tenetur se conformare diuinæ voluntati antecedenti, quæ per præcepta & prohibitiones innotescit. Hoc est dicere, quòd tenetur se conformare voluntati signi, quæ est præceptum aut prohibitio. *Probatur corollarium, & conclusio simul*; quia ille actus sine quo homines non possunt vitam æternam adipisci necessariò à nobis habendus est; sed sine ista conformatione voluntatis ad diuinam, nequit obtineri beatitudo; ergo necessariò habenda est. *Maior nota est, probatur minor*, quia sine obseruatione mandatorum, & volitione eadem obseruandi nõ datur facultas obtinendi beatitudinem: iuxta illud: 47

Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Secùs philosophandum est de voluntate signi, quæ consilium dicitur Dei: nam sicut nullus obligatur consilia sequi, sic neque conformari diuinæ voluntati inducenti ad consilia.

Sed quid dicendum de alijs voluntatibus signi, nēpè operatione & promissione, tenebimur ne eisdem conformari? *Respondetur.* Cum his signis correspondeat voluntas consequens, seu beneplacitum absoluta, quando dicamus de conformatione ad voluntatē Dei absolutam, de cōformatione ad has signi voluntates dicetur.

48 Et ideò potissima difficultas est, an teneamur conformari diuinæ voluntati in genere causæ materialis, scilicet volendo id quod Deus vult voluntate consequenti, seu beneplaciti, quæ absoluta, & efficax dicitur? Nam si sit sermo de voluntate antecedenti, iam diximus solùm obligari ad volendum id, quod Deus præcipit, aut prohibet. *Et si quis obijciat* dubitationem esse subtilem, cum ignoremus quid factura sit Dei voluntas, aut volitura: iuxta illud Apost. ad Rom. 11. *Quis cognouit sensus Domini. Respondetur.* Vt in plurimum ita est respectu obiecti futuri, sed respectu politi præteriti, aut præsentis innotescit nobis per operationem, & promissionem. Cùm enim nihil in mundo fiat, nisi Deo permittente aut operante, hoc ipso quod videmus aliquid permitti, aut fieri, euidenter cognoscimus, Deum voluisse facere, aut permittere illud: ac denique voluntas Dei respectu præteritorum, præsentium, aut futurorum per reuelationem nobis innotescere potest, sicut nouerunt multa Prophetæ Deo reuelante. Procedit itaque dubitatio, supposito quod aliquo ex præfatis modis nobis innotescat quid Deus velit voluntate beneplaciti consequenti fieri: an teneamur illi conformari volendo id, quod Deus vult, aut voluit fieri?

Ad Rom. 11.

49 *Secunda assertio sit.* Non tenemur conformari diuinæ voluntati absolutæ, & consequenti per actum appetitus sensitiui, aut voluntatis, vt natura est: quin potius possumus licitè, & laudabiliter ab ea discrepare in volito materiali: verbi gratia, scio patrem meum moriturum, & consequenter Deum decreuisse mori; possum tristari & dolere de ei⁹ morte, potestque mors mihi displicere, si loquamur de actu voluntatis sensualitatis, aut voluntatis, vt natura est. Hæc conclusio est contra Gabrielem *lectione* 68. *sup. Canon. & in* 1. *dist.* 489. *& contra Ocham, & alios Nominales*, qui licèt admittant non esse injiciendos scrupulos his, qui tristantur, & quibus displicent mala pœnalia motu subito, tamen si attendant quod illius pœnalis euentus est causa diuina voluntas, tenentur supersedere à tali tristitia, & conformari diuinæ voluntati, volendo illud triste, aut pœnale. Et idem dicunt de quocunque malo nobis incommodo: probatur tamen assertum ratione desumpta, ex doctrina Diu. Thom. 3. *par. q.* 18. *art.* 5. *&* 6. Si propter aliquid teneremur non discordare à diuina voluntate, maximè ne voluntas nostra diuinæ aduersaretur, sed tristari de eo, quòd à Deo fit, vel illud odio habere propter aliquam rationem mali, quam in eo considera-

Gabriel. Ocham. D. Thom.

mus, non est aduersari diuinæ voluntati: ergo licet illud facere sine peccato. *Probatur minor*: quia vt duæ voluntates sint contrariæ non tantùm debent esse oppositæ circa idem, sed esse sub eadem ratione: nam si quædam res mihi placeat sub vna ratione, & alteri displiceat sub alia, non dicuntur voluntates contrariæ: quinimò in eodem homine possunt reperiri, potest enim contingere; vt filio placeat mors patris, quatenus sibi eam commotam considerat, & displiceat sub alia ratione, quatenus malum est genitoris sui. Non dissimiliter; quæ Deus ingerit mala pœnæ, placent ei propter rationem iustitiæ, vel propter alios fines, & huic voluntati non aduersatur voluntas nostra, qua nobis displicēt vt mala nobis.

Quod si his adiungas ipsum Deum autorem naturæ hanc inclinationem naturalem nobis indidisse, vt mala nostra nobis displiceant, & sibi placere, eamque inclinationem executioni mandari. Perspicuè agnosces, in hoc nos conformari diuinæ voluntati, vt acutè animaduertit D. Tho. 1.2. *loco citato*, tantum abest, vt discordando ab eius voluntate modo præfato illius voluntati aduersemur. Confirmatur exemplo Christi Domini, *Matth.* 26. *& Luc.* 22. qui quamuis benè agnoscebat voluntatem Dei efficacem & absolutam necessariò implendam esse, vt ipse moreretur propter generis humani redemptionem: tamen motu appetitus sensitiui, & voluntatis vt natura est, refugiebat mortem illique displicebat, & de ea tristabatur, & factus in agonia prolixius orabat pro ea vitanda.

D. Thom. Matt. 26. Luc. 26.

Ex qua probatione colligitur nostram assertionem verum habere, etiam si res volita à Deo cadat sub eiusdem præcepto. Nam Deus præceperat Christo, vt moreretur, & voluntate antecedenti & consequenti volebat eius mortem, & tamen Christus adhuc refugiebat mortem, quod attinet ad actum appetitus sensitiui, & voluntatis, vt natura est. *Aduertere* tamen non grauabor hos actus, quibus diximus nos posse à Dei voluntate in volito materiali discordare; si præueniant cognitionem voluntatis Dei circa suum volitum, esse absolutos, explicarique per verbum, *Volo, Cupio*, & similia: cæterum si præcedat cognitio voluntatis diuinæ circa volitum actus voluntatis, vt natura est: vt sit bonus, necessariò debet esse inefficax, & conditionatus, non quia vt est in volūtate conditionem includat, cùm sit simplex quædam affectio re ipsa adhærens voluntati simpliciter & absolutè: sed quia ex parte obiecti conditionem quandam includit, vel implicitè quatenus fertur in obiectum sub vna præcisa ratione consideratum, ac si esset separata ab illis cōditionibus, quę illius executionem impediunt, vel etiā aliquando per intellectum implicitè considerata, & apposita conditione ipsi obiecto, vt latiùs dicitur *in Prima Secunda*. Et ob id huiuscemodi actus explicantur per verbū, *Vellē*, quo significatur eorum inefficacitas, & conditionalitas, ac imperfectio. An aūt isti actus possint reperiri in voluntate, vt ratio est, subtilis est disputatio, quibusdā negātibus, & quibusdā asserentibus: à qua modo supersedeo. 50

Contra

51 Contra istam assertionem se offert quidam locus Scripturæ, 1. Reg. 16. vbi Dominus ad Samuel, *Vsque quo tu luges Saul cum ego proiecerim eum, ne regnet super Israel?* Ecce reprehenditur Samuel à Domino, eo quod Deo volente proijcere Saul à regno, Samueli displicebat talis repulsio, & tristabatur de ea. Respondet Caietanus super hunc locum, Deum non reprehendere Samuelem, eo quod non conformaretur diuinæ voluntati, sed monet ponendum esse terminum tristitiæ: quia repulsio Saulis à regno irreuocabiliter diffinita erat à Deo. *Secundò* respondet Lyra in eundem locum, & Abulensis *cap. 15. q. 36. & 45.* non tantum Samueli displicuisse reprobationem Saulis, sed etiam perseuerasse in oratione pro Saule: dubitabat enim an reuelatio esset absoluta, an verò comminatoria: quare illis verbis non reprehēdit Dominus Samuelem, sed ipsum admonuit, vt ab oratione cessaret reuelans ei sententiam latam contra Saulem, non comminatoriam, sed absolutam fuisse.

1. Regum. *Caieta.* *Lyran.* *Abulens.*

52 *Tertia assertio.* Sæpè non tenetur homo conformari voluntati diuinæ in volito materiali, siue fiat sermo ex parte hominis de voluntate vt natura est; siue vt ratio est; & etiam si loquamur ex parte Dei de voluntate antecedente, siue consequente: imò aliquando tenetur non se cōformare. Prima pars verificatur, quādo ignoratur, quæ sit voluntas Dei; contingit autem ea sæpe ignorare sine peccato, *Quis enim cognouit sensum Domini* ad Romanos 11. Probatur, quia velle aliquid, præsupponit cognoscere illud. Sed sine culpa potest quis ignorare Dei voluntatem; ergo & velle oppositum diuinæ voluntatis, & aliquando non sine magno merito, vt patet 2. *Regum* 7. & 3. *Regum.* 8. vbi narratur Dauidem voluisse ædificare domum Domino, contra Dei voluntatem, sed ipsi ignotam: videndus est circa hoc D. August. *in Enchirid. cap.* 101.

Ad Roma. 11. *2. Reg. 7.* *3. Reg. 8.* *D. August.*

Secunda pars probatur, quia stat, quod Deus pręcipiat alicui, vt vellit vitam sui patris, quem Deus vult mori, & filius hoc ignorat, tenetur tunc non se conformare diuinæ voluntati, quæ illi ignota est. Hæc conclusio clara est.

Sed *quid dicemus,* si nobis voluntas Dei innotescat? res est difficilis. Ad cuius resolutionem *præmittendum est,* volitum materiale oppositum volito materiali à Deo volito volūtate absoluta, & consequenti esse in duplici differentia, quoddam possibile est, quoddam impossibile. Rursus impossibile aliud est per se impossibile, aliud per accidens: impossibile per se est, quod de sua natura inducit contradictionem, vt creaturam esse æqualem Deo, hominem conuerti in auem, & alia id genus. Impossibile per accidens est, quod ex obiecto non inuoluit contradictionem esse, sed ex aliqua suppositione eam implicat, vt quod Adam non fuerit, quod aqua non inundauerit, & aliqua quæ præterita fuerunt.

53 Igitur sit *quarta assertio.* Quando oppositum eius, quod Deus vult, est impossibile per se, aut per accidens, siue id, quod Deus vult dependeat à libero arbitrio, siue non, non licet discordare à Dei voluntate consequenti, per actum voluntatis humanæ efficacem & absolutam, imo neque possumus etiam licitè discordare: v. g. Deus vult voluntate absoluta me non conuerti in auem, nec mihi licet velle oppositum efficaciter, nec possum. Item: Deus vult voluntate efficaci permisisse Petri peccatum, & de facto Petrus peccauit, neque ipse Petrus, aut alius homo potest velle efficaciter oppositum. Item: ingens pluuia præcessit, ac ex consequenti Deus voluit illam efficaciter: nullus licitè vult oppositum, imò neque potest. *Prima pars probatur,* quia stultum est, & amentiæ plenum, vt verbis vtar Philosophi *in loco citato,* eligere, aut velle efficaciter & absolutè id, quod impossibile est, & vt minimum talis actus otiosus esset: ergo quando oppositum eius, quod Deus vult, est impossibile, vanum esset & stultum, atque otiosum ad id conari voluntate efficaci.

Secunda pars probatur. Voluntas efficax & absoluta nequit esse circa obiectum impossibile, siue per se, siue per accidens sit impossibile; si ab intellectu iudicatur impossibile: ergo quando oppositum eius quod Deus vult est impossibile, etiam impossibile est voluntatem in illud ferri actu efficaci & absoluto, qui explicatur per verbum, *Volo.* Consequentia nota est, & antecedens neminem Thomistarum vidi qui illud neget, si sit sermo de voluntate efficaci, sed vt iacet existimo esse D. Thomæ sententiam, 1. 2. *q.* 13. *artic.* 5. quam desumpsit ex Aristotele 3. *Eth. capit.* 2. & sic interpretatur Capreolus *in* 2. *sent. dist.* 4. *quæstio. vnic. artic.* 3. *ad argumenta contra* 2 *concl.* & Dominicus à Soto *in* 4. *dist.* 14. *q.* 2. *artic.* 1. & *in dist.* 17. *q.* 2. *arti.* 1. *ad secundum.* Ex quo liquet, assertionem esse intelligendam de voluntate efficaci, & absoluta, quæ explicatur per verbum, *Volo,* nam si loquamur de voluntate inefficaci & conditionata, quæ explicatur per vocem, *Vellem,* sicut hæc voluntas potest esse impossibilium, sic & potest haberi de re opposita ei, quam Deus vult voluntate cōsequenti, vt latiùs explicui circa tertiam assertionem.

D. Thom. *Aristotel.* *Soto.*

An verò isti actus inefficaces procedant semper à voluntate, vt natura est? An verò aliquando possint procedere à voluntate, vt ratio est? non est adeò facile explanare: mihi videtur probabile aliquando posse esse à volūtate, vt ratio est: nam si ego vellē Petrum (quem scio esse damnandum occasione accepta ab abundantia diuitiarum) inopia premi, ne damnaretur, licita esset volūtas ista inefficax, & procederet à voluntate, vt ratio est, ad quam spectat velle aliquid in ordine ad aliud; nam hoc excedit limites voluntatis, vt natura est. Idem etiam manifestatur in hac conditionata voluntate, vellem non peccasse, quæ est actus pœnitentiæ, & consequenter à voluntate, vt ratio est. Ex hac conclusione infertur, nunquam licere discordare efficaciter à voluntate signi, quæ est operatio. Nam quotiescunque voluntas Dei nobis innotescit per operationem iam præterijt: at impossibile est, & vanum conari, vt res præterita non fuerit: ergo nūquam licet discordare efficaciter à voluntate signi, quæ est operatio, aut correspondet operationi. 54

Quinta assertio. Quando oppositum eius, quod Deus vult, est possibile, atque de illo peragendo, aut volendo est præceptum: tenemur voluntate efficaci discordare à Dei voluntate in volito materiali; etiam si sciamus decretum absolutũ diuinæ voluntatis: verbi gratia: reuelauit Deus Petro, *Ter me negabis*, ac ex consequenti Deum infallibiliter velle permissionem negationis illius; imò & materiale illius peccati tenebatur velle Petrus voluntate absoluta, quæ explicatur per verbum, *Volo*, & quantum est de se efficaci conari, & velle non negare. *Item*: si postquam Deus præcepit Abraham, vt immolaret filium suum, reuelaret illi, se decreuisse, vt non immolaretur; tenebatur tamen velle efficaciter, & conari ad oppositum diuinæ voluntatis absolutæ, sicut ante reuelationem tenebatur.

Probatur assertio. Oppositum eius, quod Deus vult est possibile, & in præcepto, sed reuelatio non tollit possibilitatem, aut præceptum: ergo sicut homo tenebatur velle oppositum eius, quod Deus vult ante reuelationem; sic tenetur post reuelationem: omnes præmissæ simul, & conclusio, & eius illatio non egent probatione. *Secundò.* Quia dato opposito nostræ conclusionis, sequeretur hominem, cui ex præcepto incumbit velle oppositum eius, quod Deus vult, esse perplexum, & quocunque se verteret: peccaret: etenim si conformat se Dei voluntati, frangit præceptum; si discordat, etiam peccat. *Explicatur* hoc in D. Petro, cui reuelatum est, *Ter me negabis*, si vult materiale illius negationis, quam Deus vult, peccat contra præceptum non negandi, sicut de facto peccauit: ergo licuit ei velle conari ad non negandum, ne transgrederetur præceptum, aliàs perplexus redderetur.

Quidam censent non esse possibilem talem reuelationẽ, ne reddatur homo perplexus. Ita D.
Bonauen. Bonauentura *in 3. dist. 48. in expositione textus Magistri*, &
Altisiodo. Altisiodorensis *in 3. tractatu 5. capite 6. qu.*
Arimino. 5. paulò ante finem, & Gregorius *Arim. in 1. dist. 48. in fin. vlt. quæst.* dubius manet: cæterum Diu.
D. Thom. Thom. *de veritate quæst. 23. articulo 8. ad secundum*, ait, eas non fieri de potentia Dei ordinaria; quod si aliquando fiant, intelligendas esse comminatoriè, sed certè non implicat eas fieri; & illis admissis procedit nostra assertio. Ex dictis in hac assertione, colligitur teneri homines non se conformare voluntati signi, quod est permissio.

56 *Sexta assertio.* Quando oppositum eius quod Deus vult est possibile, & de illo est Dei consiliũ, non præceptum, licitè possumus à Dei voluntate discordare, non tamen tenemur. *Probatur* eodem ferè argumento, quo probauimus præcedentem conclusionem, quia oppositum eius, quod Deus vult, est possibile, & in consilio; sed reuelatio nõ tollit possibilitatem, aut consilium: ergo sicut ante reuelationem homo poterat sequi consilium, sic & post reuelationem. *Secunda pars*, videlicet, quòd non teneamur discordare, clara est: nam consilia non tenemur sequi: ergo propter illa adimplenda non tenemur à Dei voluntate efficaci discordare. Ex hac conclusione patet, quomodo homo potest concordare voluntati antecedenti, quæ versatur circa consilia, relicta volũtate subsequenti circa oppositum.

Septima assertio. Quando oppositum eius, quod Deus vult voluntate absoluta, quæ semper impletur, est possibile, de quo non habetur præceptum, aut consilium, licet homo possit per actum efficacem & absolutum voluntatis à diuina voluntate discordare, non tamen licet siue res volita pendeat à libero arbitrio siue non pẽdeat; verbi gratia, Reuelat mihi Deus quod non sum consecuturus Cathedram; licèt possim voluntate efficaci quantum est ex me velle illam, & conari ad illius obtentionem; tamen id non licet. *Item.* Deus nobis reuelat ruituram domum, aut pluuiam futuram, possumus quidem habere voluntatem absolutam, & efficacem volendo, vt non sit ruina domus, aut pluuia; non tamen licet. *Prima pars assertionis probatur*, quia voluntate efficaci possumus velle omne possibile. *Secunda verò probatur*, quia velle efficaciter, & absolutè aliquid, quod neque tenemur velle, neque est consilium velle, neque est futurum, stultum est, otiosum, & absque vllo fructu; sed oppositum eius, quod Deus vult, quando neque est de illo præceptum, aut consilium, neque vnquam futurum est, non tenemur illud velle, neque est consilium velle, vt supponimus: ergo velle illud efficaciter actus otiosus est, vt minimum, ac ex consequenti non est licitus. Præmissæ, & consequentia notæ sunt, supposito Dei voluntatem absolutam semper impleri, & ideò non probantur. 57

Confirmatur, quia certè talis conatus, & voluntas efficax videtur Deo iniuriosa, eo quod quantum est de se intenderet in exercito actu diuinum decretum mutare: & sicut qui iurat falsum, peccat contra Religionem, quia ipso facto protestatur Deum, quem adduci in testem, esse mendacem; sic qui conaretur velle efficaciter oppositum eius, quod Deus decreuit, non impellente vllo præcepto, aut suadente vllo consilio, esset valdè irreligiosus ipso facto, & in exercitio, protestans diuinum decretum mutari posse, aut Deum esse mendacem in sua reuelatione. Hæc dicta sint loquendo de voluntate nostra efficaci, & absoluta: nam si sit sermo de voluntate nostra conditionata, & inefficaci sine vllo crimine licebit à Dei voluntate discordare, vt notauimus supra, circa tertiam, & quartam conclusionem.

Sed contra quintam, sextam, & primam partem septimæ conclusionis *arguitur.* Voluntas efficax, maximè electio non potest esse de re, quæ iudicatur impossibilis hic & nunc habenti actum electiuum, sed quotiescunque innotescit nobis sine hæsitatione, Deum voluntate absoluta, & cõsequenti aliquid velle, oppositũ eius quod Deus vult, necessariò iudicamus esse hic & nunc nobis impossibile; ergo nequimus discordare à Dei voluntate in casibus prædictarum conclusionum. *Maior est* commune axioma, tùm Aristotelis, tùm omnium Doctorum, in locis superius citatis. *Minor* etiam videtur nota. *Respondebit quispiã* negãdo minorem; aliud est enim rem nunquam futurã, aut infallibiliter non futurã; aliud est impossibilem 58

lem esse. Oppositum eius, quod Deus voluntate absoluta voluit, aut vult, nunquam futurum est, non est tamen semper impossibile non fore, neque vt tale verè iudicatur ab homine cui facta est reuelatio de Dei voluntate absoluta, licet iudicetur nunquam fore.

59 *Sed contra* hoc est secundum argumentum. Electio non est nisi alicuius, quod iudicatur ab eligente sibi conueniens aut alteri: sed id quod iudicatur nunquam futurum, non potest iudicari conueniens eligenti, aut alteri. Ergo de illo non potest esse electio: quæ est voluntas efficax. *Minor probatur*, quia conuenientia attenditur non penès possibilitatem absolutè, sed penès existentia à parte rei: quia sic iudicatur profutura. *Confirmatur*, quia electio, & quælibet voluntas efficax, & absoluta debet esse de re, quæ iudicatur esse medium ad consequendum aliquem finem: sed res, quæ iudicatur nunquam futura, non potest iudicari, vt medium ad alicuius finis consecutionem: ergo de illa non potest esse voluntas efficax.

Respondetur tamen ad hæc argumenta, omisso modo respondendi quorundam modernorum, qui censent infallibilitatem eorum, quæ Deus vult cooperante nostro libero arbitrio à nobis sumi, non à Deo. *Respondetur* inquam, sicut in primo argumento, reuelationem Dei, aut voluntatem Dei non facere rem impossibilem, sed infallibilem: quare oppositum potest homo velle efficaciter, & ad oppositum conari licitè, & absque piaculo. *Ad secundum respondetur*. Vt quis licitè, aut illicitè possit eligere, non est necesse, vt iudicetur res futura; sed satis est, si non iudicetur impossibilis: id est, implicans contradictionem in obiecto: at verò vt licitè possit eligere necessarium est, vt apprehendatur res vt futura. Et ideò nos diximus in conclusionibus, secluso præcepto, aut consilio non licere discordare à Dei voluntate: quia oppositum eius, quod Deus vult, non apprehenditur vt conueniens. Secus est quando de opposito est præceptum, aut consilium: quare negatur maior argumenti, si intelligatur de electione licita, aut illicita, conceditur vero si intelligatur de licita. Ad *confirmationem* negat. minor, quia res quæ existimatur nō futura potest cadere sub volitione efficaci in ordine ad adimplendum præceptum, aut exequendum consilium, vel aliquid huiusmodi.

90 Hucusque dictum est, quando liceat, aut non liceat discordare à voluntate Dei absoluta per actum efficacem refutantem volitum materiale, quod Deus vult. Sed quid dicendum de conformatione positiua? Tenemur ne conformari actu positiuo Dei voluntati in volito materiali? Gabriel *super Can. Missæ, lect.* 68. *prop.* 3 litera N. existimat, quod tenemur conformari voluntati absolutè in volito; non quidem actualiter, quia sic sæpè ignorantes, Dei voluntati difformamur licitè, sed habitualiter. Quid sit habitualiter conformari ipse explicat, sed subobscurè: existimo sensum esse; vnumquemque in communi dispositum esse debere, vt complaceat in eo, quod Deus voluerit absolutè: quod alijs verbis solet dici, vnusquisque in præparatione animi debet velle conformari omni volito à Deo, quando sibi innotuerit Deum velle illud. Gabriel.

Sed existimo Gabrielis sententiam esse falsam. *Probatur*. Nam etiamsi in particulari agnoscantur volita à Deo; sæpè licet à Dei voluntate discordare, vt probaui in præcedentibus conclusionibus: ergo in communi non tenetur quis habere talem animi præparationem, volo conformari, aut complacere de omnibus, quæ Deus voluerit; aliàs illa volitio in generali aduersaretur particularibus, vel è contra. *Fortasse interrogabit quisquam*, an saltem teneamur habere in vniuersali, & in præparatione animi istum actum, volo conformari diuinæ voluntati, volendo quod ipse vult me velle? *Respondetur*. Peccabit quis, si velit discordare refutando, & nollendo velle id, quod Deus vult nos velle; sed actu positiuo velle conformari in generali, non inuenio obligationem, aut præceptum peculiare habendi istum actum. Quod si quæ obligatio est ei; satis superque fit, per actum, quem quis habet, vel habuit obediendi Deo in omnibus, vel diligendi Deum super omnia.

Sed vt ista explicatius cognoscantur. *Dico primò*. Voluntati Dei antecedenti de re præcepta cognitæ in ordine ad praxim tenemur conformari voluntate efficaci, & absoluta, non solùm non discordando, verùm etiā actu positiuo volendo id, quod Deus vult nos velle. *Probatur*. Quia actu positiuo tenemur obedire mandatis, quando nobis innotescūt: ergo & velle obedire, quod est conformari actu positiuo voluntati Dei antecedenti de re præcepta. Dixi, si voluntas illa sit cognita in ordine ad praxim: quia si cognoscatur merè speculatiuè, & non instet tempus præcepti; licitè potest quis distrahi circa alia, aut actum suspendere. 61

Dico secundò. Quādo de voluntate Dei siue antecedente, siue subsequente non est præceptum, nunquam tenetur homo per actum positiuum se conformare diuinæ voluntati. *Probatur*. Omnis obligatio oritur ex aliquo præcepto: non extat tale præceptum, nec alicubi inuenitur: ergo, &c. Hoc dictum est contra Gabrielem, Okam, Gregorium de Arimino, & alios Nominales *in primo dist.* 48. sed tamen est commune cæteris Doctoribus asserentibus satis esse non obmurmurare de Dei voluntate & in aliquibus casibus, (de quibus in præfatis assertionibus,) non discordare à Dei voluntate conando ad oppositum. Quod verò etiam in his casibus debeamus positiuè complacere, & gaudere de Dei voluntate non admittunt ex obligatione, secùs ex consilio: de quo inferius.

Ex dictis satis superque colligitur quando teneamur conformari diuinæ voluntati in volito materiali: & sensus D. Thomæ id asserentis *in loco citato* simul cum omnibus eius discipulis verificatur in actibus inefficacibus, in quibus possumus à Dei voluntate, etiam antecedenti, quamuis sit præcepti, discordare. *Item* in actibus aliquibus efficacibus respectu voluntatis conse- 62 D. Thom.

DVBIVM. quentis: vt patet ex conclusionibus appositis.

An teneamur conformari in volito formali; Superest resoluendum, an teneamur conformari in volito formali? Sed ante resolutionem explicandus est titulus dubitationis. In actibus volūtatis duplex obiectum reperitur; materiale, & formale. Materiale est id, quod voluntas vult, formale est ratio volendi illud: quæ in actibus humanis sumitur ex fine: nam ratio volendi media, ex fine pensari debet. *Sensus igitur dubitationis est*: An voluntas nostra debeat velle idem, quod Deus vult, & propter eundem finem, propter quem Deus illud vult? Et videtur vera pars D. Thom. affirmatiua ex D. Thoma .1.2.q.19.*artic*.10.*expresse id asserente*.

63 *In oppositum est*. Nam Deus vult damnationem aliquorum, quos præuidit obituros in peccato mortali ad ostensionem iustitiæ suæ: similiter vult permittere plura peccata, & positiuè vult materiale cuiusque peccati propter eundem finem, sed quamuis Deus reuelet nobis hanc suam voluntatem non tenemur illi conformari volentes idem, quod Deus, & propter eundem finem: ergo non tenemur conformari voluntati diuinæ in volito formali. *Probatur minor*, quod attinet ad damnationem, quia durum esset obligare hominem, vt vellet suam damnationem sibi reuelatam à Deo; & quod attinet ad materiale peccati, durius esset, imò non esset licitum hominibus velle illud, & propter finem, propter quem Deus illud vult.

Pro decisione sit *primum assertum*. Voluntas humana tenetur in omni actu suo conformari diuinæ in volito formali; hoc est; quemadmodum Deus quidquid vult ad se vt in finem ordi-
Proue.16. nat, quia: *Omnia per semetipsum operatur*: Prouerbiorum 16. sic homo quidquid vult tenetur actu aut habitu ad Deum referre, vt ad finem vltimū.
D. Thom. Hæc assertio est D. Thomæ 1. 2. vbi supra. Et *probatur*, quia in eiusdem Doctoris Angelici doctrina, tenetur homo operari semper secundum virtutem, eo quòd nullus actus datur indifferēs, sed omnis actus studiosus refertur necessario actu, aut habitu in bonum commune diuinum: ergo tenetur cōformari diuinæ volūtati in volito formali: & sic intelligendus D. Thomas vbi supra.

64 *Secundum assertum*. Non tenetur homo se conformare diuinæ voluntati in volito formali, volendo actu positiuo id, quod vult Deus, & propter eundem finem peculiarem: & si illud quod Deus vult est aliquid quod nos tenemur vitare, vt peccatorum materialia, aut permissio peccatorum, neutiquam licet actu positiuo velle id, etiam propter finem, propter quem Deus illud vult. Hoc assertū potest intelligi in duplici sensu, & ambo sūt veri. *Primus est*, quod nō licet homini refutare, aut illi displicere rationē volēdi ea, quæ vult, etiāsi sit peculiaris ratio: verbi gratia, Deus vult damnationem Petri, ad ostensionē iustitiæ suæ, non potest Petro aut alteri displicere per actum voluntatis, vt ratio est ostensio iustitiæ diuinæ. Hoc est clarum, quia est contra rationem rectam dictantem Deum & eius perfectiones alicui displicere esse illicitum: ergo & displicere ostensionem iustitiæ Dei, vel eius prouidentiam. *Secundus sensus est*, quod non licet refutare, aut displicere materiale volitum quod Deus vult ea ratione formali, qua Deus illud vult: verbi gratia, Deus vult Petri damnationem, non licet, vt mihi displiceat damnatio, ea ratione, qua Deus ipsā vult. Et multò minus licet impatienter ferre, aut obmurmurare cōtra talem Dei voluntatem; quia hoc est detrahere Dei ordini, & sapientiæ; qui ostenditur, & exercetur infligendo hæc mala: imò, & permittendo multorum peccata propter sua iudicia occulta, quæ impedire posset. Vnde propter talem murmurationem grauiter puniti sunt filij Israel, Numerorum 14. & *Num*. 14.
Apostolus primæ ad Corinthios 10. *Neque murmurauerітis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore*. 1. *Ad Corin*. 10. Probatur, quia displicere, aut refutare isto pacto damnationem, est refutare aut displicere ostensionem iustitiæ diuinæ, aut eius prouidentiam, sub qua ratione aut fine Deus illam damnationem vult.

Confirmatur, quia in damnatione, aut quocunque malo pœnæ quod sit malum nostrum, est etiam quod exerceatur iustitia, aut diuina prouidentia. Sub priori oratione non vult Deus nobis infligere mala, quia nihil odit eorum, quæ fecit, *Sapientiæ* 21. At vult nobis eadem inflige- *Sapiē*. 21.
re ad exercendam suam iustitiam & prouidentiam, quod bonum est: ergo sub eadem ratione non debet nobis displicere, licèt sub priori consideratione nobis displiceat, sicut ipsi Deo; & hoc est quod dicit Diuus Thomas *Prima secundæ*, D. Thom.
loco citato, ad secundum, quòd Deus non vult damnationem alicuius sub ratione damnationis, nec mortem alicuius in quantum est mors, sed vult ista sub ratione iustitiæ. Vnde sufficit circa talia quod homo velit iustitiam Dei, & ordinem naturæ seruare, quod tantum vult, qui vult ista sub illa præcisa ratione, licèt sub alia displiceat. Vbi obiter nota modum loquendi Diui Thomæ: non enim est sensus, quod tenetur homo actu positiuo velle, sed quod licitè vult sub illa ratione formali, qua Deus vult: & si sit sermo de obligatione volendi, tantùm tenetur non discordare, iuxta ea, quæ diximus in tertio asserto. Ex his patet ad argumentum in oppositum, quatenus videtur militare contra hoc tertium assertum, & secundum.

Sed adhuc est argumentum contra hoc. Pœna, 65
quam patimur, quæcunque illa sit, placet Deo, quatenus habet rationem pœnæ; sed habet rationem pœnæ, quatenus malum nostrum est; ergo debet nobis placere, quatenus malum nostrum est, & non solùm quatenus ostenditur in ea diuina iustitia: vel saltem non debet nobis displicere, quatenus malum nostrum est: cuius contrarium asseruimus cum Diuo Thoma. *Respondetur*. Deus licèt habeat odio peccatores, vt peccatores sunt; non tamen odio habet personas. Vnde non vult illis aliquot mala, etiam pœnæ, vt sistat præcisè in afflictione personarum, sed propter aliquem alium bonum finem; videlicet prop-

propter correctionem hominum; & consequenter propter suam misericordiam, vel propter ostensionem iustitiæ suæ, aut prouidentiæ suæ. Habet enim se velut bonus pater in humanis, qui licet aliquando infligat flagella filio, non tamen sistit ibi, sed vlterius procedit, videlicet ordinando flagellum in bonum, & emendationem filij, vel in aliquod aliud bonum.

Hinc patet ad *argumentum in forma*, distinguendo maiorem: quatenus habet rationem pœnæ præcise; nego maiorem: sic enim vellet malum nostrum præcise, quatenus malum nostrum est, quod esset odio habere personas; hoc autem longè alienum est à Deo. At verò si *maior* intelligitur de pœna, vt afflictiua nostri est, sed ordinata vlterius in aliquem bonum finem, putà correctionis eius, cui infligitur pœna, vel ostensionis diuinæ iustitiæ, aut prouidentiæ; concedo maiorem, quia vt sic malum nostrum, bonum est. *Similiter & pari forma distinguitur consequens:* nam non placet nobis quatenus præcisè malum nostrum est; sic enim neque Deo placet; secùs vt malum nostrum est ordinatum ad correctionem nostram, aut verò ad ostensionem iustitiæ diuinæ, aut prouidentiæ, & hoc est conformari diuinæ voluntati in volito formali, ad quod tenemur, vt dictum est.

Et sic sunt intelligenda plura Sanctorum testimonia, qui videntur asserere nos debere omninò conformari voluntati diuinæ, volendo id, quod Deus vult, intelligendi sunt volendo id, quod Deus vult nos velle; aut verò de conformitate nuper explicata in volito formali. Signanter sic
D. August. explicandus est D. Augustin. super Psalmum 35. dicens, *Isti sunt recti corde, qui in hac vita sequuntur voluntatem Dei, voluntas Dei est, vt aliquando sanus sis, aliquando vt ægrotus. Si quando sanus es dulcis est tibi voluntas Dei, & quando ægrotas, amara est tibi; non es rectus corde, quia non vis voluntatem tuam dirigere ad Dei voluntatem, sed vis Dei voluntatem curuare ad tuam; illa recta est, tua curua, tua dirigenda est ad illam, vt ad regulam, non illa curuanda est ad tuam.* Hæc Augustinus. Quæ verba, & similia intelligenda sunt de voluntate Dei, qua vult nos velle id, quod ipse vult; aut verò de conformitate in volito formali ad sensum explicatum, & sensus Augustini est tunc nostram voluntatem esse amaram & curuam, quando displicet nobis diuinæ prouidentiæ ordo, in rebus quas
Augustin. vult sic explicat ipsemet Augustinus, in Psal. 63. circa finem; & in Psal. 93. circa illud: *Et iustitiam tuam, his qui recti sunt corde.*

Ex dictis non erit difficile decidere secundam dubitationem principalem, de qua scilicèt volũtate Dei intelligitur, quando in tertia petitione orationis Dominicæ dicimus, *Fiat voluntas tua?* Respondetur namque, potissimum intelligendũ esse de voluntate signi, quæ est præceptum, prohibitio, aut consilium, & de voluntate Dei antecedente, quæ his tribus correspondet; etenim velle, quæ ad has voluntates pertinent, bonum est & acceptum coram Deo, quod debemus à Deo petere. Ac denique loquendo de voluntate signi, quæ est operatio, aut permissio, cum hæ voluntates respondeant voluntati consequenti; eo modo, quo diximus teneri conformari voluntati consequenti, eodem debemus petere & non aliter, vt Dei voluntas fiat.

Quapropter *ad argumenta* facta in initio huius dubitationis *Respondetur.* Ad omnia simul, quod non petimus vniuersaliter fieri Dei voluntatem; quinimò vt ostẽdimus, aliquãdo contra Dei voluntatem licet, & debemus conari; sed petimus fieri Dei voluntatem, iuxta id, quod ipsemet vult nos velle. Quando autem, & quid vult nos velle, iam explicuimus in præcedentibus: & sigillatim ad singula argumenta respondetur.

Ad *primum Resp.* concedendo totum, quod argumentum infert, videlicet, non licere à Deo petere, vt peccata permittantur: tum qui quicũque nostrum tenetur propria vitare, & velle vitare, etiam si volũtas Dei in oppositũ firmata sit, vt latè diximus. Ergo non licet petere, vt permittãtur; tum quia continget aliquando, vt peccata aliena teneatur quis vitare, vt in argumento probatur, & tunc etiam tenetur conari, vt impediantur: ergo non poterit à Deo petere, vt permittantur. Quod si nosse vis discrimen inter nos & Deum quoad permissionem peccatorum, audi Hugonem libro primo de Sacramentis parte quarta dicentem, *Deus permittit mala, & malus non est, quia malum ad bonum, & decorem vniuersi nouit optimè reformare. Rex autem, & Prælatus malus censendus est, si sine periculo maioris mali, malum fieri non prohibet, & impedit, sed permittit.* Ex his colligitur, quod iam intulimus, non teneri nos conformare Dei voluntati, quæ est permissio, volendo scilicet facere ea peccata, quæ Deus in nobis permittit, aut verò permittendo in alijs multa, quæ possumus, & tenemur impedire.

Ad argumenta in oppositum R. 67

Sed dubitas, an liceat petere à Deo, vt permittat peccata propter fines, quos ipse habet in ijs permittendis? & videtur quod sic, quia iam supra diximus licitum esse conformari voluntati diuinæ in volito formali, & velle ea, quæ ipse vult sub ea præcisa ratione, qua ipse vult: ergo & petere eadẽ sub eadẽ ratione, qua Deus vult. *Respondetur* non licere id petere; quia licèt teneamur non refutare Dei ordinem circa omnia, sed tamen quia ad nos non incumbit talem ordinem exercere, imò tenemur quantum in nobis est vitare peccata, in quibus ordo iste exercetur, non possumus licitè petere à Deo, vt permittantur peccata: maximè in particulari propter ordinem diuinæ prouidentiæ exercendum, secùs est de malis pœnæ, de quibus inferius. Hinc patet ad secundum.

An liceat petere à Deo quod permittat peccata?

Circa solutionem tertij, vt distinguamus certiora à minus certis, *præmittendum est*, quando mala pœnæ reuelantur nobis, reuelationem esse accipiendam comminatoriè, ac subinde non esse ab oratione pro eorum vitatione cessandum, exemplo Niniuitarum. Quod si certi simus reuelationem absolutè fieri, non ob id ab oratione & conatu, vt non continuentur, cessandum est: 68

 verbi

Verbi gratia, Domus flagrat incendio, conandum est, vt ignis extinguatur ne totum flamma vorax absumat. Patria ab hostibus obsidetur; muniendus est locus, adhibenda est cura. Pater ægrotat, accersiendi sunt medici, pharmaca applicanda, & cętera remedia solicitè perquirenda; etiam si de his malis certò futuris Deus nos certos reddiderit, quia fortassè non reuelauit continuationem horum malorum, aut saltem eorum malorum inflictionem, & poterimus prorogare, & tenemur.

69 *Sed* quid si Deus reuelet successum: verbi gratia, ruinam domus mortem patris, erit ne licitū velle efficaciter oppositum? *Videtur quod non*; quia esset stultus conatus, & volito efficax insipiens. *Dices*, non erit, quia ad implendum præceptum de salute patris procuranda, aut defensione patriæ, aut domus, vel ad aliquid simile ordinatur præfata voluntas. *Contra* hoc arguitur, quia non est in tali casu præceptum de medijs adhibendis: ergo neque de fine mediorum. Cōsequentia nota est, & probatur antecedens. Nam si Deus mihi reuelet nunquam iturum Romam, vanè & otiose conarer exquerere, & parare necessária ad iter Romæ; eo quod finis nunquam futurus est, & ego illud certò scio: sed etiam in casu isto certò scio: ruituram domum, aut patriam expugnandam, aut patrem obiturum: ergo non erit præceptum de medijs ad finem consequendum: quod si non est præceptum de medijs, neque de fine.

In *oppositum est* argumentum tertium factum à principio. *Item*. Piè creditur Deum reuelasse Augustino tradendam ciuitatem Hypponensem in manus Barbarorum, & orabat non solùm pro dilatione ruinæ, sed etiā ne traderetur. Quo argumēto conuincimur, vt teneamus in casu argumenti tertij obligari, vt nō semper conformemur voluntati Dei in volito materiali: & ad argumētum paulò ante factum, bene ibi respondetur. *Ad replicam, negatur antecedens.* Ad probationem negatur antecedens & consequentia, eo quod non est præceptum de eundo Romā, at vero est præceptum de medicando patre, defendenda patria, &c. propter finem pietatis, aut iustitiæ, quamuis re vera non sequatur vita patris, aut defensio patriæ, &c. ad quartum patet ex dictis.

Igitur ad argumentum tertium respondetur. In petitione tertia orationis Dominicæ non petimus vniuersaliter fieri Dei voluntatem in omni volito materiali, quia hoc non licet semper: sed petimus fieri voluntatem quando ipse vult fieri, & in casu tertij argumenti potius ipsa vult à nobis peti & fieri oppositum suæ voluntatis.

70 *In quinto argumento* tangitur dubitatio non contemnenda, an sicut laudabile est in Beatis cōformare suam voluntatem diuinæ in omnibus, non solùm in volito formali, verùm etiam in materiali; itaque volunt voluntate efficaci & positiua quidquid Deus vult, & de illo complacent, & gaudent; ita idem laudabile sit in viatoribus actu positiuo velle, quia an liceat discordare Dei voluntate iam diximus.

An liceat viatoribus actu positiuo velle quidquid Deus vult?

Videtur vera pars affirmatiua, *primò*: quia regula nostræ voluntatis debet esse diuina voluntas, vt egregiè probat D. Thomas 1. 2. *quæst*. 19. *articu*.9. ergo huic regulæ conformare voluntatē nostram laudabile erit. *Secundò*. Quidquid Deus vult bonum est: ergo illius voluntati conformari, semper laudabile erit. *Tertiò*. Christus Dominus in oratione Dominica nos docet, in conformanda nostra voluntate diuinę, debere habere vt nostram conformationem, quam ad Dei voluntatē habent cœlicolæ, & id petere à Deo dicentes: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Sed Beati conformantur diuinæ voluntati in omnibus etiam in volito materiali volendo actu positiuo quidquid Deus vult: ergo laudabile erit viatoribus tale imitari exemplum. *Minor* habetur à D. Thoma 1.2.*q*. 19. *articulo* 10. ad primum. Et ratio est, quia ad statum illum fœlicissimum spectat, vt quidquid Beatus vult adimpleatur, sed hoc nequit esse, nisi Beati se conforment in omnibus Dei voluntati, quæ semper impletur. Ita D. Augustin. 13. de Trinitate, capite 7. inquit: *Nullus volet malè viuere in illa fœlicitate, aut volet, aliquid, quod deerit, aut deerit, quod voluerit, quidquid amabitur aderit, nec desiderabitur, quod non aderit: omne quod ibi erit, bonum erit, atque ad fruendum amantibus præsto erit.* Et in eodem libro, capite 5. in 6. definiens beatitudinem, ait, *Beatus est, qui habet quidquid vult, & nihil mali vult.*

D. Thom.

D. Thom.

D. August.

In oppositum est *argumentum quintum*, & alia quæ inferius formabimus. Hæc disputatio ferè expedita est ex præcedentibus, vbi egimus de obligatione ad conformandū nos diuinæ voluntati: modò non agimus de obligatione ad talem conformationē; sed dato quod nō semper tenemur conformari actu positiuo, an sit laudabilis talis conformatio? multa enim sunt ad quæ non tenemur, & tamen laudabile est ea exercere. 71

Prima assertio. Vituperabile est aliquando viatoribus, imò peccatum mortale si se conforment voluntati diuinæ in omnibus volitis ab ea. Hæc patet ex argumento quinto, & ex infra dicendis, & asseritur à diuo Bonauentura *in* 1. *dist*. 47. *quæst*. 2. *&* Marsilio *in eadem dist. art.* 2. *& Abulensi super caput secundum Iosue, quæst.* 38. *& super caput secundum Iudicum, quæstione* 3. & à Magistro Victoria docebatur, vt fertur. Eandem tenent ferè omnes diui Thomæ discipuli moderni, in Commentariis super primam secundæ, vbi supra. Sed oportet explicare fusius quando conformatio talis erit vituperabilis, quando laudabilis. Vnde.

D. Bonau.
Marsil.
Abulen.
Victoria.

Secunda assertio sit. Quotiescunque oppositum eius, quod à Deo est volitū, est in præcepto, peccatum est se conformare diuinæ voluntati in volito materiali, siue illud velimus absolutè, siue propter eos fines, propter quos Deus illos vult. Hæc assertio est contra Gabrielē Vazquez è Societate Iesu asserētē in *Cōmētarijs ad primam secundæ loco citato in fine*, semper esse laudabile velle quidquid Deus vult, sub ea ratione & fine propter quæ Deus illa vult. *Sed nostra assertio clara est*; quia nō est possibilis talis conformatio sine trāsgressione præcepti, quod ipse Deus sūmopere cupit à nobis obseruari: verbi gratia, Deus vult 72

Vazq[uez].

vult permittere peccata nostra, aut materiale nostrorum peccatorum. Peccatum erit se conformare diuinæ voluntati, quocunque fine nos cõformemus *Item.* Vult Deum Petrum carere gratia, aut dono perseuerantiæ, non est illud laudabile, vt se conformet actu positiuo, quia licèt non sit præceptum de immediatè habendo gratiam, aut virtutes, aut donum perseuerantiæ, est tamen mediatè & indirectè tale præceptũ; eo quòd tenetur Petrus ad obseruantiam mandatorum necessariam, vt non amittat gratiam: vel si non habeat gratiam, tenetur pœnitentiam habere, qua mediante obtinebit gratiam. Et ferè eodem modo loquendum est de virtutibus & dono perseuerantiæ: nam tenetur in custodia mandatorum perseuerare, quòd non poterit præstare sine dono perseuerantiæ: vnde sicut non est laudabile velle nõ perseuerare, ita neque carere dono perseuerantię. *Item si vult* Deus damnationem, & mihi reuelet, non est laudabile velle illam, & placere de ipsa, quia teneor vitare peccata, propter quæ incurritur damnationis pœna.

73 *Tertia assertio.* Quando id, quod Deus vult, pertinet ad præceptum, vel consilium, quocunque fine illud velis, siue absolutè, siue propter finem, quem Deus vult, laudabilis erit conformitas ista, & erit non solùm in volito formali, sed etiam in materiali. Hæc assertio non indiget probatione.

Quarta assertio. Quando res volita à Deo, non habet rationem mali, nec in ordine ad finem vniuersalem, neque particularem, laudabile est conformari diuinæ voluntati in volito materiali: verbi gratia: cum quis scribit, aut legit, hoc vult Deus voluntate absoluta, & huic conformari laudabile est.

Contra hoc assertum insurgit quidam modernus dicens. Aut conformatur homo quia Deus illud vult, & hoc laudabile est, sed non est conformari voluntati Dei in volito materiali, sed formali: Aut absolutè vult homo illud nullo habito respectu ad Dei voluntatem; & sic cùm obiectum sit indifferens, velle illud de se neque meretur laudem, neque vituperium. Respondetur dando primum membrum, & illud est conformari in volito materiali, non præcisè, sed vt stat sub formali, de qua conformitate instituta est disputatio. Omitto modo, quod illa volitio rei indifferentis alia via posset esse laudabilis, vt si apponeretur aliquis finis laudabilis præter intentum à Deo. Sed præcipua in hac re difficultas est, an quando nobis Deus vult mala pœnæ, ad quæ vitanda non obligamur ex præcepto, laudabile sit conformari voluntati diuinæ?

74 *Quinta assertio.* Quando id, quod Deus vult, est malum nostrum, aut alienum, non est laudabile conformari voluntati diuinæ in volito materiali præcisè sumpto. Aduertenter dixi in volito materiali præcisè sumpto, nam de volito formali statim dicemus. *Probatur*, quia velle malum alicui pertinet ad odium personæ: qua ratione D.Thom. motus D.Tho. 1.2. *quæst. & art. citatis ad secundum* dixit, neque Deum ipsum velle damnationem, aut mortẽ sub ratione damnationis aut mortis.

Sexta assertio. Probabile censeo esse laudabile conformari diuinæ voluntati in volito formali, quando volita à Deo non tenemur vitare: hoc est, laudabiliter viatores possunt velle, & complacere de omnibus, quæ Deus vult, sub ea ratione, qua Deus illa vult, si tamen non sit præceptũ de opposito, iuxta tenorem secundæ assertionis: verbi gratia, video ruisse domum, me ægrotare, patrem meum mortuum esse, vel reuelantur à Deo futura hæc, vel similia, verbi gratia, damnatio patris, aut amici, quæ omnia esse à Deo volita compertum est, possum laudabiliter conformari huic Dei voluntati, volendo actu positiuo ea, quæ Deus vult, & sub ea ratione qua vult.

Hæc assertio *probatur* argumentis factis in principio huius dubitationis: & *confirmatur*, nam hæc & similia vult Deus vt bona, Dei enim volitio nequit esse malorum: ergo nihil sanctius potest esse, quam eadem velle sub ea ratione qua Deus vult. *Probatur* consequentia, tum, quia hoc pertinet ad amicitiam, habere idem velle, & idẽ nolle: tum, quia quid laudabilius, quàm voluntatem nostram conformari primæ regulæ? *Secundò*, quia sæpè laudantur viri sancti, eo quòd afflictionibus pressi (quæ absque dubio à Deo sunt volitæ) non solùm patienter ferunt, verùm & gaudent, eo quod à Deo immittuntur, & quia amplectuntur mortem, ruinam, ægritudines propinquorum, eo quod à Deo sunt. *Tertiò*, quia bona pars fœlicitatis Beatorum in hoc consistit, vt omnia, quæ Deus vult, & ipsi velint sub ea ratione qua à Deo volita sunt: ergò idem laudabile erit in viatoribus. *Sed contra arguitur*: ergo licebit petere à Deo, & desiderare hæc malo, vt in eis infligendis exerceatur ordo diuinæ prouidẽtiæ. Negatur consequentia, quia hoc esset velle vt voluntas Dei nostræ conformaretur, non è contra: itidem quia non est notum nobis, quod exercebitur in inflictione istorum.

Septima assertio. Non sunt inducendi ad huiusmodi conformitatem quilibet de media plebe, 75
sed tantum viri perfecti. *Probatur primò.* Quia huiusmodi conformatio difficillima est, & vix eam permittit imbecillitas humana. Vt ergo homo velit, & complaceat in damnatione parentum, in ægritudine amicorum, etiã propter finẽ à Deo intentũ satis erit, si non obmurmuret, si patiẽter ferat, si nõ displiceat ordo diuinę prouidentiæ in his volẽdis. *Secũdò.* Quia periculosa conformatio est in imperfectis, eo quod facilis est transitus à volendo hæc sub ea ratione, qua Deus vult ad volendum simpliciter, quod pertinet ad odium.

Iuxta doctrinam huius asserti procedere debent consolatores aliorum, ne sint onerosi, prohibendo eiulatus, lacrymas, & similia: imitantes Diuum Paulum, qui ad Thessalonicenses capite quarto, non prohibet contristari, sed ponit modum luctui dicens: *Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini sicut & cæteri, qui spem non habent.* Ad Thessalon. 4. Quin potiùs aliquando laudabilius erit in huiusmodi affectiones prorumpere, vel ne detentio eorum, & compressio sit nociua saluti, (quod sæpè contingit) vel ad osten-

ostendenda misericordiæ visceræ, aut pietatis, exemplo Christi Domini, qui valde tristabatur de morte, quam habebat in præcepto, & sciebat certò subiturum, ad ostendendam veritatem naturæ humanæ: & ne cæteri homines putarent esse vituperabile mortem fugere appetitu naturali, atque de ea vehementer tristari.

Sexta assertio nostra videtur esse contra Magistrum Medinam, sed eius argumenta apud me nullius sunt roboris, vel quia probant quintam conclusionem, aut verò primam & secundam. Et omnia tacta sunt in ipsis nostris assertionibus, & earum probationibus, & ex nostra doctrina facile erit dissoluere: quare illa consulto omitto. Superest respondere ad argumenta facta in hac dubitatione, quatenus contēdunt probare semper esse laudabile conformari voluntati diuinæ in omnibus, quæ vult, quæ nos negabimus, in 1. 2. & 5. *conclusionibus*.

76 *Ad argumenta in oppositum R.* Ad *primum respondetur* sic esse intelligendam voluntatem diuinam esse regulam nostræ: id est quod teneamur, & laudabile sit velle in omnibus quidquid ipse vult nos velle, & aliquando vult ipse, vt discordemus ab eo, quod ipse vult, imò præcipit, vt latius explicuimus in superioribus. Ad *secundum negatur* consequentia: quia ad Deū, sicut ad autorem & prouisorem vniuersi spectat omnia positiua, etiam mala pœnæ, & materiale peccati producere, ad bonos fines dirigere, quorū multa nos ex Dei iussu tenemur vitare: itaque benè stat aliquid, vt egreditur ab vno esse bonū, vt ab alio esse malum: sicut mors Christi, vt erat à Iudæis, mala erat, & erat à Deo permissa propter salutem generis humani, & egregium opus, sub qua ratione licitum erat, & laudabile illam velle: sicut Christus re, vera illā voluit, & gaudebat de illa secūdum portionem superiorem. Vbi obiter nota Magistrum Bartholomæum à Medina, 1. 2. loco citato esse intelligendum bono modo, quando ait, *vt voluntas nostra bona, sit, non sat est, quod conformetur diuinæ in volito materiali, nisi adsit bona circunstantia: nam Iudas crucifigentes Christum conformabantur diuinæ voluntati in volito materiali: at voluntas eorum mala erat* (hucusque benè dicit) sed adiungit: *quia faciebant hoc ex mala intentione*. *Medina.*

Vbi duo videtur insinuare falsa. *Primum* est, quodcumque volitum à Deo, si illud velis bona intentione esse licitum. *Secundum est.* Si Iudæi crucifigerent Christum bona intentione, verbi gratia, propter redemptionem generis humani, licita esset talis crucifixio. Sed hoc nequaquam intendit sapientissimus Magister meus, sed tantum probat crucifixionem Christi esse piaculum Iudæorum, quia faciebant mala intentione: non autem negaret ipse esse peccatum, quocumque fine fieret à Iudæis.

77 Vt argumentum tertium dissoluat præfatus Magister, multa discrimina apponit inter viatores & beatos; quæ licèt vera sint, mihi videntur parum conducere ad argumenti solutionem: *primum discrimen est*, quod homines beati cognoscūt omnes fines particulares, quos Deus intendit in eo, quod vult, & visione beatifica diriguntur in suis operibus; secus contingit viatoribus. Hoc discrimen non videtur ad propositum: tùm quia & multa Dei opera, & eorum fines ignorant beati. vt patet *Daniel*. 10. de Angelis Persarū & Hebræorum, Vnde sicut viatores ex ignorantia aliquando laudabiliter discordant à Dei voluntate, ita & Beati: tùm quia nos loquimur supposita cognitione voluntatis diuinæ, quam poterunt habere viatores mediante operatione, aut reuelatione: & licet in hoc valdè excellant Beati viatores, vt docet D. Tho. *prima secunda locis citatis*, tamen cur non erit laudabile viatoribus velle in communi conformari diuinæ voluntati in omnibus quæ vult, & propter fines quos vult, sicut laudabile est beatis? *Daniel.* 10. *D. Thom.*

Rursus cur quando viatores agnoscunt Dei voluntatem in particulari, non erit laudabile viatoribus velle illa, quæ Deus vult, & propter finē, quem ipse vult, licet non cognoscant expresse finem in particulari? Sat enim erit viatoribus agnoscere Deum, quidquid operatur, propter bonum finem operari; imò agnoscunt omnia operari propter ordinē suæ prouidentiæ in administranda iustitia, aut misericordia, iuxta illud: *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas*.

Pergit prædictus Magister, & apponit secundum discrimen, nam motus voluntatis in viatore perturbatur ex motibus inferioribus, & ideò si Deus vult patrem meum damnare, sat est quod non contradicam, & patienter me habeam; Beati verò quoniam perfectum actum voluntatis habent, nec perturbantur ex inferioribus, conformantur diuinæ voluntati perfectè, etiā in volito materiali. Verum discrimen: sed non cōducit ad solutionem argumenti, contendentis non quidem probare esse in præcepto & obligatione conformari voluntati diuinæ omni eo, quo conformantur Beati, quod ostendit hoc discrimen, sed esse laudabile sine præcepto: & cur nō sit laudabile oportet explicare. Nec etiam tertium discrimē videtur ad propositū, scilicet, quod in viatore habet locum compassionis affectus cū quadam tristitia, in Beatis verò non itidem, & ideò perfectè Dei voluntati conformantur. Nam nos non contēdimus de obligatione, sed an sit laudabile conformari voluntati diuinæ, quæ conformatio benè potest reperiri cum aliqua tristitia de opposito, vt patet in Christo Domino, qui conformabat voluntatem suam diuinæ, dicens, *Non sicut ego volo, sed sicut tu*, & tamen tristabatur de morte imminente.

Nos verò negamus consequentiā, & ratio diuersitatis in viatoribus, & beatis sumitur, partim ex statu beatorū, partim ex impeccabilitate eorum, quod acutè tetigit Augustin. vbi supra dicens: *Beatus est, qui habet quidquid vult*, ecce fœlicitatē status beatifici: *& nihil mali vult*, ecce impeccabilitatē; ex statu namque beatifico prouenit, quia status vnitiuus est cum Deo, quod Beatus sic vniatur Deo, vt neque latum vnguem ab eo discedat, & velit quidquid ipse vult, & sub ea ratione, qua à Deo volitū est. Egregiè Anselm. lib. de similitudinibus. cap. 63. *In futura gloria* (dicit) *ita nostra & diuina voluntas erunt concordes, sicut sunt duo o-* 78 *August.* *Anselm.*

duo oculi eiusdem corporis, vt vnus non poßit in aliquam rem conuerti, quin alius simul conuertatur; & ob hanc rationem vna, & eadem res semper appareat, etiamsi à duobus oculis videatur. Sumitur & potissimè ratio diuersitatis impeccabilitate Beatorum; sunt enim certi, & securi, quod nunquam peccabunt, & ideò Deus nihil statuet circa ipsos, nec poterit de potentia ordinaria, quod teneantur aduersari tanquam peccatum: ex alia parte ex vi sui status ducuntur à Deo adhærendum in omnibus, vt declaratum est: ergo laudabile erit, vt se Deo conforment in omnibus; nec poterunt vel actũ suspendere, circa Dei volita: secus accidit in viatoribus, qui peccare poterunt; & de facto peccant circa ea, quæ Deus de ipsis statuit: verbi gratia, circa materiale peccati, & circa eiusdem permissionem, quæ tenentur vitare.

Ex quo infertur primò, quod si esset aliquis viator, qui ex Dei munere factus fuit impeccabilis, vt Beatissima Virgo, illi licitum esset & laudabile se conformare in omnibus Dei voluntati, volendo omnia, quæ Deus vult ratione qua Deus vult, loquendo de omni actu voluntatis, vt ratio est: nam aliquando laudabile illi esset, non velle, atque tristari de Dei voluntate: sicut credo fecisse circa filij sui mortem, sicut & fecit filius eius.

Secundò infertur, nostram sententiam in hoc consistere, vt semper sit laudabile conformari diuinæ voluntati in volito materiali, & simul formali, nisi quando oppositum voluntatis diuinæ est in præcepto viatori, aut verò in consilio, quia in primo non erit laudabile, in secundo verò casu laudabilius erit non se conformare.

79 Igitur ad argumentum quintum, cuius occasione disputatio proximè præcedens agitata est, respondent quidam *primò*, quod in illis verbis, *Sicut in cœlo & in terra*, postulamus perpetuitatem obtemperandi diuinis mandatis, sine intermissione scilicet, sicut id agunt cœli habitatores: sed hoc est postulare perseuerantiam, ne in peccata prolabamur, & vt infra videbimus ex Augustino, hoc pertinet ad sextam petitionem, *Sed libera nos à malo. Secundò* respondetur, verba illa pertinere potius ad explicandum modum perfectum obediendi Dei mandatis. Modus autem iste penes multa attenditur: nempè attentionẽ, promptitudinem, deuotionem, ac denique charitatẽ, August. vt ait Augustinus, sermone 35. de tempore, inquiens, *Hoc ergo oramus, vt & nos præceptum Dei Charitate faciamus.* Demum vox illa; *Sicut*, non æqualitatem, sed similitudinem significat, & imitationem. Quemadmodum in simili notat D. D. Thom. Tho. 1. *par. q.* 60. *artic.* 4.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

80 Petito Regno, & medijs necessarijs per se ad illius consecutionem postulantur in hac quarta petitione ea, quæ necessaria sunt ad sustentationem: & valdè mirum est, quam variè præfatam petitionem exponant moderni Theologi, iuxta varias panis acceptiones in sacra Scriptura. Pro pane materiali, quo corpus alitur, pro pane sacramentali, pro pane pœnitẽtiæ, & luctus, pro pane verbi Dei, & similibus. Nobis verò satis erit Patrum antiquorum expositiones referre. Prima est Athanasij, *libro de Christo incarnatione*, qui hunc panem interpretatur Spiritum sanctum, quem panem petimus nobis dari, cuius primitias accipimus nunc in hoc sæculo in Eucharistia, in qua caro Christi viuificans sumitur. *Prima expositio. Athanas.*

Secunda expositio aliorum, qui per panem intelligi volunt Christum, qui in Eucharistia sub speciebus panis accipitur: ipse enim de se dixit Ioannis 6. *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi:* ita exponunt Cyprianus, & Tertulianus *vbi supra*, Augustin. *epistola* 121. *capit.* 11. Tertia expositio est Chrysostomi, *homilia* 20. *in Matthæum, & Autoris operis imperfecti Matthæi* 6. qui censent Christum in hac petitione loqui de pane dumtaxat corporali, aduertendum tamen nomine panis debere intelligi omnia subsidia temporalia, quibus natura fragilis humana ad sui conseruationem & sanitatem indiget: vt sunt conueniens cibus, & potus, vestitus, habitatio, &c. Vnde Genes. 28. votum emisit Iacob dicens: *Si Dominus dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum, quo operiar, erit mihi Dominus in Deum, &c.* Vbi aduerte in multis sacræ Scripturæ locis nomine panis intelligi victum qualemcumque necessarium ad vitæ sustentationem. Genes. 3. *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo*, Exod. 2. *Vocate eum, vt comedat panem*, Marci. 3. *Ita vt non possent manducare panem:* & alibi sæpè; & aduertit Chrysostomus, ideò solius panis factam esse mentionem: tùm, quia cibus communissimus est, & quasi necessarius vitæ, & reliquorum fundamentum: tùm vt nos admoneremur parcitatis, & habentes alimonia qualiacumque, & quibus tegamur his contenti simus. 81 *Prima & secunda expositio. Ioan.* 6. *Cyprian. Tertul. Aug. Chrysost. Genes.* 28. *Genes.* 3. *Exod.* 2. *Marc.* 3. *Chrysost.*

Hanc interpretationem secuti sunt alij quam plurimi, Tertul. & Cyprianus, tractatu de oratione, Gregorius Nissen. similiter Basil. interrog. breui. respõsione 252. Hieronym. Matthæi 6. August. epistola 121. capit. 12. allegans illud Prouerbiorum 30. *Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, sed victui meo tantum tribue necessaria*, affirmatq; hoc idem peti, quando dicimus, *Panem nostrum da nobis*, Theophilactus, Euthymius, Beda, & alij communiter; quamuis omnes isti non aspernentur expositionem sequentem, aut præcedentes, excepto Chrysostomo, qui vult tantum intelligi de pane materiali. *Tertul. Cyprian. Nissen. Basil. Hieron. August. Theophil. Euthym. Beda.*

Vltima expositio est omnium nuper citatorum (excepto Chrysostomo) qui panem interpretantur, omnia alimenta in genere: id est, omnia subsidia necessaria ad vitam, tàm animæ, quàm corporis tuendam. Cæterum quoniam Sacramenta maximè Eucharistiæ, conciones, sacræ Scripturę lectiones, & alia id genus sunt excellentiora, & magis necessaria, quàm alia vitæ corporalis subsidia, ideò dicunt potissimè esse intelligendam hanc petitionem de pane spirituali, quam de corporali, & ille primariò petendus, hic verò secundario. 82 *Tertia expositio.*

Quæ istarum expositionum literalior sit, non facilè

facilè dixerim. *Puto* non esse assentiendum ijs, qui dicunt de solo pane corporali esse intelligendam petitionem, neque de solo spirituali. *Prima pars asserti patet. Primò.* Quia non esset oratio Dominica ita perfecta, vt à Sanctis proclamatur (maximè ab Augustino *epistola* 121.) si tam obnixè rogaretur Deus pro cibo corporali, nulla facta mentione cibi spiritualis. Videndus est D. Augu. *libro* 2. *de sermone Domini in monte, cap.* 12. vbi ostendit vim huius rationis. *Secunda pars asserti prob.* quia ad meritum necessarium medium est conseruatio vitæ corporalis, qua mediante, anima suas operationes exerceret meritorias; hæc autem conseruatio fit cibo, & potu ac alijs subsidijs, quibus fragilitas naturæ humanæ eget: ergo decuit vt in oratione Dominica hic panis corporalis peteretur, vt sæpè Sancti fecerunt in testimonijs citatis Prou. 30. *& Genes.* 28.

August. *August.*

Prou. 30. *Genes.* 28. *August.* Quod si obijcias D. August. qui in testimonio proximè citato contendit, nullo modo esse intelligendam petitionem de pane corporali. Respondetur. Diuus iste intelligendus est de primaria orationis intentione, quæ ferri debet ad postulandum spiritualem panem; non autem negat secundariam intentionem etiam ferri debere ad petendum corporalem, vt ex alijs locis, vbi de re hac tractat, colligitur, & præter citata videndus est in Enchirid. cap. 115. & alij sunt eodem modo interpretandi, nempe Ambros. *vbi sup.* Hierony. *Matth.* 6. *& in cap.* 2. *ad Titum.* Cyrill. *cathe. mystagogica supra.* Chrysolog. Cassian. collat. 9. *cap.* 21. *&* 24. Quid per panem intelligatur dictum est, superest vt circa reliquas particulas aliquid annotemus.

Ambros. Hieron. Cyril. Chrysol. Cassian.

Nostrum.

83 Panem *nostrum* petimus, vt quidam censent, vt non pro se solo quispiam petat; ad hoc satis esset dicere, panem da nobis, alij melius, *Panem nostrum* corporalem: id est iustè acquisitum non malis artibus: talis enim esset alienus, non noster. Ita Chrysost. & Nissen. Alij, *Panem nostrum*, id est Eucharisticum, qui non est panis alienorum, sed fidelium, ad quos pertinet hanc orationem fundere. Ita Cyprian.

Chrysost. Nissenus. Cyprian.

Quotidianum.

IN Textu D. Matthæi, ex quo desumpsit Ecclesia precationem Dominicam, qua vtitur, non habetur quotidianum, sed supersubstantialem. Sed quare hæc mutatio facta sit, & Ecclesia recurrit ad D. Lucæ textum, vbi quotidianum ponitur, inquirendum est, maximè, quia in Euangelio Græcè scripto, tam Matthæi, quàm Lucæ eadem dictio Græca habetur, *epiusion*, cuius varias interpretationes D. Hieronymus refert Matth. 6. *Primò* inquit, Septuaginta Interpretes, quod nos dicimus supersubstantialem verterunt *periusion.* Hoc enim nomine solent interpretari illud vocabulum Hebræum *segulah*, quod Vulgatus vertit peculium seu peculiare. Sic dicitur Exodi 19. *Eritis mihi in peculium de cunctis populis.* Deuteron. 14. *Vt sitis ei in populum peculiarem.* Septuaginta verterunt quodam vocabulo, quod idem significat quod opulentia, aut abundantia, refert etiam Hieron. idem Hebræum nomen à Symmacho aliquando verti peculiare, aliquando præcipuum, seu egregium. Ista lectio fauet secundæ interpretationi positæ de Christo contento in Eucharistia. *Secundò* loco Hieronymus refert aliam interpretationem, ex Euangelio Matthæi Hebræo, vbi habet *mahhar*, id est, crastinus, seu futurus: quam interpretationem secutus est Athanasius vbi supra, qui panem interpretatur Spiritum sanctum, quo pane in futurum frui speramus: & vocabulū Græcum etiam significat idem, quod crastinum. *Tertio loco* idem Hieronymus interpretatur ex propria opinione, *supersubstantialem*: vt panis hic dicatur supersubstantialis: quia super omnes substantias & creaturas sit, cùm sit Christus, seu Spiritus sanctus. Hæc ex Hieronymo habentur. *Quarto loco* Euthymius Matthæi 7. interpretatur, sicut Hieronymus, supersubstantialem: sed non in eodem sensu, quasi sit super omnes substantias: sed quod sit ad nostram substantiam, & vitā conseruandam necessarius. *Quinto loco* Chrysostomus homilia 20. in Matthæum interpretatur, *Quotidianum*: nam & Græca vox idem etiam significat: quam interpretationem vulgatus interpres secutus est apud Lucam; similiter Cyprianus, tractatu de Oratione, & Tertullianus eodē tractat. & Augustin. *epistola* 121. *cap.* 11. & quadrat expositioni tertiæ, quia quotidie pane & cibo corpus reficitur. *Sexto* loco D. Basilius *interrog. breui. respon.* 252. duas significationes complexus est, nempe quotidianum: & substantialem, quia panis ad vitæ & substantiæ sustentationem necessarius est.

Hieron. *Exod.* 19. *Deut.* 14. *Athanas.* *Euthym.* *Chrysost.* *Cyprian. Tertull. August.*

His positis ad dubitatiunculam propositam respondetur primo ex Francisco Luca Brugensi de varietate lectionis Bibliorum vndecim manu scripta exemplaria, quæ ipse testatur vidisse, etiā apud Matthæum habere: *Panem nostrum quotidianum*: & ante Hieronymum Latini *Quotidianum* legerunt, id quod ex D. Cypriano, Ambros. *lib.* 5. *de Sacramentis, cap.* 4. Augustino in *Enchirid. cap.* 115. & alibi licet colligere: sed certè in vulgata editione correcta à Sixto Quinto, & Clemente VIII. *supersubstantialem* ponitur apud Matthæum, sicut apud Lucam, *Quotidianum*: & in omnibus ferè Bibliorum codicibus, quare huic standum est. Ad dubitationem respondetur Ecclesiam vsurpare vocem, *Quotidianum*, quam non decuit mutare: eo quod à primis Ecclesiæ fidelibus continua successione parentes filios viua voce sic orare docuerint. 84

Brugensis *Cyprian. Ambros. August.*

Secundò respondetur ex prima dictis. Christus apud Lucam docuit rudem discipulum, apud Matthæum Apostolos precandi modum, vox autem, *Quotidianū*, ab omnibus percipitur, *supersubstantialem* à paucis & perfectis. Igitur Ecclesia, quæ vult docere omnes etiam rudes, vsurpauit vocem, *Quotidianum*, vtpote clariorem, non *supersubstantialem*, quæ obscurior est: maximè quia idem est sensus, siue petas panem quotidianum, siue supersubstantialem: nam & pane spirituali, qui specialiter supersubstantialis est assiduè, & quoti-

quotidie indigemus: licet non quotidie illo vtamur: & panis corporalis supersubstantialis dici potest: quia supra omnes cibos est, & substantiale atque vitæ conseruandæ aptissimus.

Cyprian. Chrysost. Denique circa eandem vocem nota ex Cypriano & Chrysostomo, ideò petere iubemur, *Panem quotidianum*, vt moneamur non esse quærenda alimenta delicata nimis, sed substantialia simplicia, & necessaria, sine quibus non possumus viuere conuenienter, qualia sunt, quibus quotidie vtimur. Rectè Syriaca translatio, vbi nos habemus *Quotidianum*, ipsa habet, *Panem indigentiæ, seu necessitatis nostræ*. De hac re eleganter Nissen. Chrysost. August. Nissenus, ac Chrysostomus. *Secundò*, petimus *Panem quotidianum*, iuxta Augustinum, epistola 182. ad differentiam panis ęterni; quo fruemur in cœlo ad saturitatem, vnde non erit necessarium quotidie illum accipere.

Hodie.

85 Cum apposuerit, *Quotidianum*, cur necesse fuit superaddere, *Hodie*, nam in voce *Quotidianum* includitur *Hodie*; si enim quotidianus petitur panis, hodiernus etiam postulatur? Respondet Alexander Alens. de Ales, *parte* 4. *qu.* 27. quod licet panis quotidianus comprehendat hodiernum, non tamen petendo nobis dari panem quotidianum petimus hodie nobis dari. *Hodie* enim tempus determinat dandi, hoc est, quando detur nobis: vocula verò *Quotidianum* hoc non exprimit, sed magis qualitatem, siue substantiam rei dandæ: vnde sensus est: Da nobis panem quotidianum, qui ad quotidianam sustentationem necessarius est.

Sed quale est hoc tempus, in quo petimus panem nobis dari? Nunquid pro solo die præsenti? August. Respondet Augustinus *ad Probam. cap.* 11. hoc aduerbium hodie, non pro die, sed pro tempore accipiendum esse, quasi dictum esset, hoc tempore, nempè huius sæculi: & idem dicit lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 12. Ad hunc mo- Ad Heb. 3. dum loquitur Apostolus ad Hebræos 3. *Adhortamini* Psal. 94. *vosmetipsos donec hodie cognominatur*. Et Psalm. 94. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda* Cyrill. *vestra*. Fauet huic expositioni Cyrillus, *cathechesi.* 5. *mystagogica*. Et iuxta hanc expositionem occurritur aliquibus obiectionibus: quomodo panem sacramentalem petimus quotidie, cum quotidie non communicemus; imò neque licet quotidie communicare; item quomodo panem corporalem petamus post cœnam, & quando non egemus cibo eo die?

86 Cæteri verò Patres contraria via pergunt, & *Hodie*, id est, pro die præsenti intelligunt; & rationem reddunt: etenim Gregorius Nissenus, *tra-* Nissen. Chrysost. *ctatu de oratione*, & Chrysostomus, *homilia* 20. *in Matthæum* addunt id dictum esse ad significandam vitæ huius incertitudinem; cuius nihil est D. Chrys. certum, nisi præsens. Adiungit Chrysostomus aliam huius rei causam, vt parati simus ad cœlestia quærenda, & de cibo nil aliud quæramus, quàm necessarium: hoc autem est pro præsenti. Cypri- Cypri. anus autem *tractatu de oratione* aduertit, Christũ noluisse in longum tempus petere cibum, sed pro præsenti die: & adducit causam suo ingenio dignam: nam cum petamus Regni cœlestis aduentum, non debemus cibos huius sæculi in longum desiderare, aut petere, sed pro tempore præsenti. Hieronymus verò, Cyprianus, & Tertullianus Hieron. aliam causam etiam assignant; nempè ad remo- Cyprian. uendam à Sanctis suis curam, & solicitudinem Tertull. futuri temporis: iuxta id, quod postea Dominus dixit: *Nolite soliciti esse in crastinum; crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi, sufficit diei malitia sua*; quæ sunt intelligenda de immoderata solicitudine: nã moderata solicitudo in posterum, pars prouidẽtiæ est. Ita notat D. Thomas, *prima secundæ, quæst.* D. Thom. 108 *artic.* 3. *ad quintum, & secunda secundæ, quæst.* 55. *artic.* 6. & 7. & Gabriel ad *Canonem missæ, lectione* Gabriel. 70. *Quod si obijciatur* contra hanc interpretationem, quòd sæpè post cœnam, & eo tempore, quo non egemus cibo, & potu, hanc orationem dicimus. *Respondetur* ex Gregorio Nisseno *vbi supra*, Nissen. vocem panis omnia vitæ subsidia significare, quæ omni temporis puncto à Deo postulare possumus, & à Deo accipere indigemus.

Et dimitte nobis debita nostra.

Postulato Regno quia potissimum obstaculum ad illum obtinendum sunt peccata, iubemur petere eorum remissionem dicentes: *Dimitte nobis debita nostra*. Sed videtur in hoc non seruari debitum ordinem. Etenim spiritualia prius petenda sunt, quàm temporalia: & quæ spectant ad animam prius, quàm quæ ad corpus pertinent: iuxta illud Luc. 12. *Pri-* 87 Luc. 12. *mum quærite Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*: ergo hæc petitio de dimissione peccatorum præponenda erat petitioni victus corporis. Respondetur. Christus Dominus in quatuor prioribus petitionibus loquitur de hominibus per baptismum constitutis in statu filiorum, & gratiæ, & pro ijs iubet peti necessaria, primò animæ nempè sanctificationem Dei, & Regnum, atque eius voluntati conformationẽ; secundò corpori panem quotidianum: at quia contingit, post hæc peccare, iubet petere ea, quæ tali statui conueniunt: sicut qui de sano homine loquitur, ea docet, quę statui sanitatis conueniũt; posteà verò, quæ ad infirmitatem, si à sanitate cadere contingat, sic fecit Christus Dominus in hac precatione Dominica.

Per *debita* in hac petitione interpretari pecca- 88 ta nullus ambigit: maximè, quia D. Lucas expresse ait: *Dimitte nobis peccata nostra*. Sed quare dicuntur debita? ab effectu, quia nos efficiunt debitores satisfaciendi Deo, & pro culpa, & pro reatu pœnæ: eo quod illi iniuriam irrogauimus. Quapropter nisi ipse misericorditer remittat, obnoxij semper erimus. Et quæ sunt ista peccata quorum dimissionem iubemur petere? omnia tàm mortalia, quàm venialia; imò & aliquando originalia, vt si cathecumenus oret ante Baptismum.

Hinc fit hanc petitionem generalem esse debere omnibus adultis, cùm nemo absque peccato viuat in hoc sæculo: quod sæpè probat D. Au-

August. D. Augustinus. Vnum tantum locum afferam, libro tertio de peccatorum meritis, & remissione, capite 13. sic ait: *Quisquis hanc orationem, dimitte nobis debita nostra, cuilibet homini sancto & Dei voluntatem facienti, præter vnum Sanctum Sanctorum, dicit in hac vita necessariam non fuisse multum errat; nec potest omnino illi ipsi placere, quem laudat; si autem se ipsum talem putat, ipse se decipit, & veritas in eo non est, primæ Ioannis 1. non ob aliud, nisi quia falsum putat.*
August. Hæc Augustinus.

Sed dubitas: etiam Beata Virgo vsa fuit hac oratione. Ita est, non quia vllum habuit actuale peccatum, vt definit Tridentina *Synod. sessione 5. in fine: & ipsemet Augustinus libro de natura & gratia, cap.36.* palam profitetur se cum de peccatis agit, nullum de Virgine matre, propter reuerentiam filij, se velle habere sermonem. Sed ipsa sanctissima Virgo creditur sæpè hac vsa oratione, non in hac parte pro se, sed pro corpore fidelium: petitiones enim istæ sunt communes vti verba declarant, in quibus generaliter pro omnibus fidelibus petimus, & pro se, si quis etiam indiget, cũ sit de corpore. Denique obseruandum est ex Au-
Aug. gustino *ser.10.* inter quinquaginta homilias more esse antiquum Christianorum, dum dicebant, *Dimitte nobis*, pectus tundere.

Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

89 HÆc particula coarctatio est proximæ præcedentis petitionis, non enim iubemur petere absolutè, & simpliciter peccatorum remissionem, sed cum limitatione, si nos dimittimus debitoribus nostris, & in ea mensura, qua nos remiserimus.

Occasione istius coarctationis, & pro eius maiori explicatione aliquot dubiola tractanda sunt. *Primum est*, an qui non remisit proximo suo iniurias, & orauerit pro suorum peccatorum remissione, obtinere poterit, an non? & videtur vera pars negatiua; quia non ob aliud apposita est quintæ petitioni illa limitatio: *Sicut & nos dimittimus*, nisi vt significaretur, esse necessarium vt nostra petitio veniæ esset efficax, & fructuosa, remittere nos prius offensas proximis: imò Christus Dominus statim post absolutam orationem Dominicam, vt explicaret illa verba coarctatiua, adiecit, *nisi enim dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis*, nempè petentibus, quia de his præcesserat immediatus sermo. Acutè D. Chry-
Chrysost. sostomus ait in imperfecto, homilia 14. in fine. *Nouit Deus ingenium hominis, qui si prius pro se obtineret veniam, quàm dimitteret fratri, lentius esset dimittendo, aut propositum mutaret.*

90 *Secundum*. Cum sint alia peccata grauiora, quã non dimittere proximis offensas, quare Christus Dominus iudicauerit hanc retentionem iniuriarum esse peius obstaculum ad impediendam impetrationem veniæ peccatorum, quàm alia peccata? quod autem hoc iudicauerit patet: quia ex
Matth 6. verbis allegatis *Matthæi sexto*, & ex ipsa forma quintæ petitionis, quæ versatur circa postulationem veniæ, quam noluit absolutè proferri, sed coarctatè dicentes, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Tertium ferè dubium est; an qui in peccato mortali existit, & postquam remisit iniurias proximis suis, à Deo postulat suorum peccatorum veniam, illam infallibiliter impertrabit, an non? & videtur vera pars affirmatiua, Lucæ sexto, *Luc.6.*
Dimittite, & dimittetur vobis, & Matthæi sexto: *Matth. 6.*
Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cælestis delicta vestra. Ecce promissionem Christi, quæ non potest deficere, nempè dimissio iniuriarum habet infallibiliter annexam condonationem omnium delictorum iniurias dimittentis.

Quartum dubium est. Nam ista precandi formula: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, videtur dedecere diuinam perfectionem; eo quod sic petentes volumus Deum esse nostri imitatorem: perinde enim videtur dicere: *Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus:* quasi diceremus imitare nos; fac sicut nos fecimus, dimisimus nos & tu dimitte: cum tamen è contrario res se deberet habere: Nos namque *Matth. 5.*
imitatores decet esse Dei: iuxta illud Matthæi 5. *Estote perfecti sicut & Pater vester perfectus est.* Confirmatur, quia nos agnoscentes nostram fragilitatem, & Dei liberalitatem potius debemus dicere, *Dimitte nobis debita nostra* melius & liberalius quàm nos dimittimus, & non secundum peccata nostra facias nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.

Pro responsione ad dubia proposita *præmittẽdum est*, Nos loqui modo de remissione iniuriarũ, 91
quæ fit proximis ex præcepto, non de ea, quæ est in consilio; quam remissionem ex præcepto, debitam extollunt valdè sacræ Scripturæ Litteræ & Sancti, vt conditionem valdè requisitam ad impetrandam à Deo veniam peccatorum.

Secundò notandum est, hanc iniuriarum remissionem considerari posse absolutè in ordine ad hoc, vt Deus nobis remittat peccata; & etiam in ordine ad petendam candem veniam à Deo. His suppositis

Prima assertio. Si non præcedat remissio iniuriarum ex corde, nulli peccata remittũtur. *Hæc prob.* quia si homo in peccato existens nolit remittere peccata, vult non implere præceptum de iniurijs remittendis: ergo quandiu in hac volitione manet non iustificabitur ab alijs peccatis: tum, quia impium est à Deo sperare dimittendam veniam: tum, quia cum actuali complacentia vnius peccati non est possibilis animæ iustificatio.

Secunda assertio sit. Remissio iniuriarum facta 92
proximis non infert infallibiliter remissionem omnium peccatorum. Hæc assertio est contra quosdam hæreticos, quos sine nomine refert D. August. *libro 21. de ciuitate Dei, capite 22. & 27.* as-
serentem solam remissionem iniuriarum sufficere *August.*
ad omnia abolenda peccata, adiungentes, per orationem Dominicam, qua petimus à Deo talem abolitionem, nobis quotidie concedi, sicut & oratio Dominica quotidie recitatur: si tamen ex corde dimiserimus proximis iniurias. Itaq; iuxta istorum errorem, quantumuis aliquis multis crimini-

criminibus sit irretitus, si dimittat proximo iniurias, & recitet orationem Dominicam, ab omnibus peccatis liberabitur. Contra quos inuehitur D. August. inter alia, dicens istos ex oratione Dominica, potius augere peccata, quàm remissionem eorum impetrare. *Probatur assertio. Primò,* quia fides est peccata non remitti sine sacramento ex opere operato dimittente peccata; aut verò sine contritione, quæ est actus pœnitentiæ, vt asseritur à Doctoribus in materia de pœnitentia; sed remissio iniuriarũ neque est sacramẽtũ, neque cõtritio: ergo non habet vim remittendi peccata.

Sed aduersus has assertiones opponitur primò
93 Matth. 6. Mat. sacer textus cap. 6. vbi habetur promissio facta à Christo Domino, *si remiseritis, &c.* cui aduersatur secunda conclusio. Secundò, quia pari verborum tenore promisit & testatus est Christus Dominus, *Si remiseritis,* &c. & *si non remiseritis,* &c. Ergo sicut dicimus ad retentionem iniuriarum sequi infallibiliter criminum non dimissionem: & ad dimissionem iniuriarum sequetur infallibiliter remissio criminũ eius, qui parcit proximo. Respondetur, negando rationis paritatem: & pro declaratione notanda est regula apprimè necessaria ad exponendas sacras Literas: ea est. Quando aliqua promissio affirmatiua reperitur in sacris Literis semper intelligenda est sub conditione implicita, si non deficiunt aliqua ex necessarijs ad rẽ promissam obtinendam, vel more Scholastico, nisi aliunde apponatur obex ad rem promissam consequendam. Sic explicabis illud: *Eleemosyna extinguit peccatum,* Ecclesiastici 29. & illud Ioannis: *Quidquid petieritis Patrẽ in nomine meo dabit vobis:* & similia. Secunda regula Chrysost. quando promissio, aut elocutio fit negatiuè, absolutè & sine vlla exceptione intelligenda est. Sicut illud Lucæ, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Vtriusque regulæ habetur illustre exemplum, Marc. vlti. vbi dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur.* Prior promissio, quia affirmatiua est, debet intelligi: si non defuerint alia necessaria ad salutem: certum est enim multos credentes & baptizatos condemnari. *Secunda verò pars,* quia negatiua est, absolutè & sine vlla conditione intelligi debet, ad hunc modum; quando dixit Christus, *Si non dimiseritis,* &c. absolutè & sine vlla conditione intelligendum est ad retentionem iniuriarum sequi retentionẽ criminum apud Deum: At quando dicit, *Si remiseritis* &c. debet intelligi, nisi aliunde apponatur obex, aut defecerint necessaria ad remissionẽ criminum: puta contritio peccatorum, aut sacramentum ritè susceptum saltem habita attritione. Sed *adhuc non quiescit animus*: nam pari loquendi modo posset pronuntiari de quocumque alio delicto, aut virtutis actu, & pari modo verificaretur; veluti si diceretur: nisi cessetis à fornicatione non dimittentur vestra delicta: & si cessetis à fornicatione, remittentur vobis peccata. Cui respondetur per sequentem conclusionem.

Regula pro sacra Scriptura intelligenda. *Eccles. 29.* *Chrysost.* *Luca.* *Marc. vlt.*

94 *Tertia assertio.* Non remittere fratribus iniurias secum affert peculiarem repugnantiam & speciale obstaculum ad impetrandum à Deo veniã delictorum: at remittere fratribus offensas includit specialem rationem & congruitatem ad mouendum diuinam Maiestatem, vt Deus nobis ignoscat, non quidem immediatè sine vllo alio motu ignoscendo, sed excitando in corde remittentis iniurias bonum contritionis motum. Conclusionis primam partem clamant sacræ Literæ, & sancti Patres; videndus est D. Cyprian. vbi sup. & D. August. sæpè: maximè in Enchirid. cap. 73. vbi sic ait: *Qui roganti peccati sui veniam, & petenti ex corde non dimittit, nullo modo existimet à Domino sua peccata dimitti; quoniam mentiri veritas non potest: ideò subdit Dominus, si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater dimittet vobis peccata vestra. Ad tam magnum tonitrum, qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est; & tamen mortuos suscitare potens est ille.* Hæc August. *Cyprian.* *Aug.*

Quæ est autem ista peculiaris repugnantia? Eam egregie notat Gregorius Nissenus in libro de oratione: *Si enim Deum clementem ac misericordem imploramus, vt nobis remittat peccata; omni profectò iure & nos debemus tales nos exhibere: qualis enim esset amentia & iniquitas, & qua fronte homo diceret Deo, dimitte mihi debenti, ego autem nolo dimittere meo debitori?* Quod eò maximè comprobatur: quia magna debita sunt, quæ nobis petimus condonari, paruissima autem sunt, quæ nobis debentur. Gregorius Nazian. in suis sententijs Tetrarchijs, sententia 4. hoc vtitur discursu: *Si tu (inquit) non affecisti iniuria Deum, nec tu remittas proximo: at quis est iste, qui non affecerit iniuria Deum, velitque remitti sibi.* Chrysostomus, homilia 62. in Matthæum, eadem ratione vtitur explicans parabolam eius, qui debebat decem millia talenta, cui totum debitum remissum est à Domino; ille verò postea noluit remittere centum. Leo etiam sermone de Martyribus in fine, eadem ratione vtitur dicens: *Sed dicet aliquis, tanta mala me inimicus meus compulit sustinere, vt eum nulla ratione possim diligere; attendis quid tibi fecerit homo, & non attendis, quid tu feceris Deo? Si conscientiam tuam diligenter discutis, & inquiris, sine vlla compensatione maiora tu commisisti in Deum peccata, quam in te commiserit homo: & qua fronte vis, vt tibi Deus dignetur dimittere multum, cùm tu non acquiescis dimittere parum?* Hæc ille: & ante omnes hos Sapiens Ecclesiasti. 28. hac eadem vsus ratione inquit: *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam. In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse dum caro sit reseruat iram, & propitiationem petit à Deo: quis exorabit pro delictis illius? memorare nouissimorum, & desine inimicari.* *Nissen.* *Nazian.* *Chrysost.* *Leo.* *Eccles. 28.*

Secunda verò pars eiusdem conclusionis *probatur*: quia omnis nostrorum desideriorum impetratio innititur diuinæ erga nos misericordiæ, potissimè criminum nostrorum remissio, quæ fundatur in maxima Dei misericordia: ergo qui ex Dei amore remittit offensas sibi ab alijs illatas, valdè flectet diuinãb enignitatẽ vt Deus illi remittat scelera sua, nõ enim diuina largitas & magnificẽtia patietur, vt ita loquar, se vinci in miserẽdo ab hominibus. Et hoc est, quod dixit Christus, Lucæ 6. *Dimittite & dimittemini,* & Sapiens, Ecc- 95 *Luca. 6.*

Ecclesi.28. Ecclesiast. 28. *Relinque proximo tuo, nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur.* Et ad modum istius assertiones sunt interpretandi Patres, quando plus iusto videntur deferre dimissioni iniuriarum.

Chrysost. Inter quos est Chrysostomus, homilia 33. in Ioannem, dicens: *Sicut in baptismate abluta peccata non amplius apparent, ita & dimittendo abluuntur, si pœnitere voluerimus: ea demum est pœnitentia, ne amplius peccemus.* Quæ verba, nisi explicentur modo præfato, manifestum continent errorem, quare primum eius dictum non debet intelligi sic; quasi dimissio iniuriarum remittat peccata ad modum sacramenti ex opere operato: sicut baptismus remittit, sed comparatio intelligenda est ad eũ modũ, quo dicimus eleemosynam esse quendam baptismum, & per eam remitti peccata, eo quòd faciliorem reddit remissionem, dum Deus clementem se exhibendo eis, qui in alios clementes sunt. præstat sæpè huiuscemodi remittentibus iniurias bonum motum contritionis, & conuersionis ad Deum.

Et ne aliquis offendat in secundo dicto Chrysostomi, aduertat, non sic debere intelligi, quasi dicat pœnitentiam non esse aliud, quam cessare à peccatis, (hoc enim dogma Lutheri est) sed vltra hoc necessarium est dolere de peccatis commissis: neminem enim pœnitet nisi doleat, eique displiceat peccasse: non enim est perfecta pœnitentia, nisi adsit propositum non amplius peccandi. Igitur Chrysostomus intelligendus est in primo dicto iuxta tenorem huius conclusionis.

Caiet. Pari modo est interpretandus Caietanus, qui circa sextum caput Matthæi, post approbatum nostrum modum dicendi, subiungit: *Crediderim tamen ego hominem, qui tanto Dei amore agitur, vt hominibus offendentibus ipsum remittat ex corde propter Deum, etiam si in fornicatione perseueret, tandem à Deo conuerti, ita quod Deus remittet ei peccata sua, conuertendo cor eius ad veram pœnitentiam, vnde Dominus non dicit: quod vobis remittentibus Deus remittit; sed dicit in futuro, remittet; ita quod hanc specialem prærogatiuam seu gratiam, significauit Dominus per hanc conditionalem, intelligendo literam, vt sonat: nouit enim solus Iesus, quàm acceptum gratumque sit Deo, remittere alijs offensas, & ideò ipse solus potuit reuelare hoc.* Hæc Caietanus, qui tritius loquitur, quam Chrysostomus, sed cum grano salis interpretandus est: videtur enim asserere remissionem iniuriarum, quæ fit hominibus, habere hanc prærogatiuam à Deo concessam, vt ad illam infallibiliter Deus conferat bonum motum peccatoris conuersiuum, & deletiuum peccatorum, quod nos putamus falsum. Est ergo intelligendus, quod ex natura rei remissio iniuriarum, quæ fit hominibus, reddit Deum faciliorem ad dimittendũ, & vt ad pœnitentiam conuertantur, sic remittentes auxilium à Deo ipso facilius obtinere propter rationes à me additas in secunda parte assertionis. Infallibilitatem verò remittendi peccata non inducit sola condonatio iniuriarum.

66 Ex dictis colligemus. Quare in alijs petitionibus orationis Dominicæ nulla sit apposita coarctatio, nisi in ista, in qua petimus peccatorũ remissionem. *Augetur difficultas:* quia multæ aliæ petitiones pertinent ad excellentiores virtutes, & in earum actibus fundantur. *Prima* pertinet ad Fidem, & Religionem, *secunda* ad Spem, *tertia* ad obedientiam, *quarta* ad prudentiam, ista autem petitio *quinta* pertinet ad misericordiam. Quare ergo apponitur illi tam rigida limitatio, videlicet, *Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus.* Respondetur, vt ostenderet Dominus, totam impetrandi rationem in orationibus sumendam esse ex misericordia Dei erga nos, ac subinde nisi nos erga proximos misericordiam impertiamur inuerecunde petimus fieri nobiscum misericordiam: maximè in condonandis nostris peccatis à Deo, quæ omnium misericordiarum diuinarum maxima est.

Secundò, & fortasse in idem reddit, quia retentio iniuriarum, quæ contra nos fiunt, magnopere opponitur remissioni peccatorum, qua Deus nobiscum clementissimè vtitur, vt declaratum est, & ideò dissertis verbis voluit nos de hac re edocere, vt conaremur accedentes ad orationem hoc obstaculum auferre, ne esset impedimento orationum nostrarum impetrationi: & conaremur etiam per iniuriarum cõdonationem Deũ reddere propitiũ & facilẽ nostris precationibus: ac demum sciens Dominus vix vitam transigi, sine proximorum offensione, vnde oriuntur querelæ vnius aduersus alterum, quę non solum dilectionem impediunt, sed etiam odia & inimicitias multiplicãt. Volẽs pacis amator occurrere huic malo. non solum iubet querelas has & odia deponere, & dimittere proximis, siquid in nos deliquerunt; vt habetur *ad Coloss.* 3. verum etiam in *Ad Col. 3.*
ipsa orandi forma voluit hoc ipsum intexere, ne à memoria excideret.

Omnia hæc luculenter complexus est Abbas Isaac Collat. 9. dicens: *O ineffabilis Dei clementia, qua non solum nobis orationis formam tradidit, & acceptabilem sibi in nobis morum nostrorum instituit disciplinam, ac per necessitatẽ tradita formulæ, qua se præcipit à nobis sẽper orari, iræ pariter & tristitiæ euellit radice, sed etiã occasionẽ rogãtibus tribuit, eisq́; reserat viã, qua clemẽs & piũ probet erga se Dei iudiciũ promulgari & prodire, & quodãmodo potestatẽ tribuit, qua iudicis nostri possimus sententiam tẽperare ad veniã delictorum nostrorum, exemplo enim nostræ remissionis coarctantes, dum dicimus, dimitte nobis sicut & nos dimittimus.*

Prædictis annexa est *dubitatio* alia, an sit licitum eis, qui nolunt suorum proximorum iniurias condonare, dicere orationem Dominicã: Ratio dubitandi est, quia grauiter mentiuntur, dicentes: *Dimitte nobis, sicut nos dimittimus*, & Lucas apposuit causalem, *siquidẽ & nos dimittimus.* Abulens. quæst. 116. super Matthæũ cap. 6. refert quosdã dicẽtes, peccare mortaliter eos, qui ita orant. *Alij* dicunt, eos debere prætermittere clausulã coarctatiuã, *Sicut & nos dimittimus*, & ita Cassianus *collatione* 9. *cap.* 22. aliquos sic facere consueuisse. *Tertij* censent, totam orationem esse subticendã, ne decurrẽt, & deformẽt precandi formã Christo traditam. Prioribus quidem ego assentirem, si pertinax in remittendo, sciẽs & vidẽs, quid & quomo-

67 An liceat non dimittentibus dicere orationem Dominicam. Abulens. Cassian.

quomodo postulat, suo nomine postularet, essetque eius peccatum irreligiositatis temerariæ, & inuerecundæ contra Dei reuerentiam: quale crimen esset dicere Regi, quem conatus es occidere ipso vidente, dona mihi munera, quia te fideliter à morte custodiui: & tunc satius dicerem prætermittere illam particulam, quam totam orationem, si abesset contemptus, & adesset voluntas impetrandi à Deo bonum motum pœnitentiæ ad resipiscendum, tum de peccato non condonandi iniurias, tum de alijs peccatis si essent: at verò non est, cur timeant peccatores etiã pertinaces in remittẽdo, totam & integram Dominicam orationem proferre: quia in persona Ecclesiæ proferunt, & postulant, & ideò non dicunt, *Dimitte mihi, sicut ego dimitto*: sed, *dimitte nobis sicut & nos dimittimus*.

68 Ex dictis *resp. ad primum dubium* in principio positũ: quod si quis nõ vult condonare iniurias sibi factas, quando tenetur (de quo infra dicetur) quandiu permanserit in proposito non dimittẽdi, frustra orat pro suorum peccatorum dimissione, & hoc est, quod Christus significauit statim post orationem Dominicam prolatã; quasi subiungens explicationem quintæ petitionis. *Nisi dimiseritis (inquit) hominibus, nec Pater vester dimittet vobis* (nempe petentibus) *peccata vestra*. Et quamuis ista vera sint, etiam verum est posse cõtingere, aliquem ira percitum aduersus fratrem iniuriosum sibi, & ob id in retentione iniuriarũ permanere volentem, petere à Deo dimissionẽ suorum criminum, non apponendo limitationẽ, quæ habetur in oratione Dominica: qui tamen vult ab illo, & ab alijs peccatis exire volitione quadam imperfecta, quæ videtur velleitas; & aliquando impetrabit à Deo misericorditer agente bonum motum conuersionis & contritionis: quare nunquam diffidẽdum est; sed semper pulsandæ sunt aures diuinæ. Iste tamen bonus motus non impetrabitur ex vi orationis Dominicæ, cum in ipsa non petatur remissio absolutè, sed cũ limitatione; cùm potius sic petens sentẽtiam cõtra se pronuntiet, vt notauit Cypr. vbi sup. (Cypri.) Quibus non obstantibus semper vera est sententia Domini, *nisi dimiseritis, non dimittetur vobis*, quia in sensu composito intelligenda est, id est, quamdiu permanseritis in non dimittendo.

69 *Ad secundum dubium resp.* ea quæ diximus in *prima conclus. & in resp. ad primum dubium*, habere verum, non solùm quando quis manet in proposito non remittendi iniurias, verùm etiam si permanserit in proposito permanendi in quocunque alio peccato. Hoc autem expressius dixit Christus Dominus de peccato, quod committitur in non remittendo iniurias proximorum, quia tale peccatum directius & formalius opponitur remissioni peccatorum, quàm alia peccata etiam grauiora: vt declaratum est circa tertiã conclusionẽ.

Ad *tertium dubium resp. ex secunda & tertia assertione*, & ibidem dictis: nempe qui dimisit iniurias proximo, si in proposito aliorum peccatorum manet, quamdiu permanserit in eo, non remittentur ei peccata: quod si in aliquali volũtate deserendi peccata petierit à Deo veniam, & permãserit in petendo, facilius flectet diuinam misericordiam, propterea quod ipse dimisit, vt largiatur bonum motum conuersionis & contritionis; sic enim intelligenda est Domini promissio: quod si petat fictè, & nullo modo cupit à peccatis exire, potius prouocat iram Dei, quam ad dimittendum exoret, vel ad largiendum bonum, quare talis oratio execrabilis erit, & nullo modo impetratoria. Scio D. Augustinum aliter interpretari præfatam promissionem, *si dimiseritis, &c.* (August.) ita vt tantum ibi sit sermo de eo, qui est, aut orat in statu filij, & cum veritate vocat Deum Patrem, id est, de eo qui est in gratia Dei, tali namque, si remisit ex corde proximo suo, remittuntur ei venialia.

Ad *quartum dubium*. Gregorius Nissenus vbi supra rapitur in Dei bonitatem laudandam, quæ (Nissen.) 70
vsque adeò compatitur fragilitati nostræ, vt quasi se imitatorem exhibeat nostri in parcendis delictis, iubendo vt dicamus, *dimitte sicut dimittimus*, ac si diceremus, fac sicut nos facimus. Hæc piè & deuotè: *sed melius respondetur*, nequaquam in quinta petitione nos petere, vt ad nostri imitationem Deus nobis remittat peccatum, quia peruersus ordo esset; tum, quia nimis periculosa esset nobis talis petitio, si in parcendis culpis nostris nos Deo regula essemus: maleque nobiscum ageretur: quod ex eo colligere licet, quia Deus nobis multò plura debita, & maiora, & minus nobis merentibus remittit, quam nos proximis, vt exprimitur in parabola decem millium talentorum nobis remissorum, & nollentibus remittere proximis, *Matth.* 18. vt notauit Chrysost. (Chrysost. Matth.) Et certè plus quam exaltantur cœli à terra, maiora sunt & plura quæ nos debemus Deo, quàm quæ proximi nobis debent.

Igitur quando dicimus edocti à Christo, *dimitte nobis sicut nos dimittimus*, illa vox, *sicut*, nõ dicit regulam, sed conditionem necessariã: & tũc sensus est, ô Pater scimus rem tibi gratissimam, & à te postulatam vt conditionem necessariam, vt oratio nostra impetret à te veniam peccatorum, dimittere proximis iniurias; ecce dimittimus, ideò obsecramus, vt & tu dimittas. Cui consonat id, quod dixit idem Christus, Marci 11. (Marc.) *Cum stabitis ad orandũ, dimittite si quid habetis aduersus alterũ, vt & pater vester dimittat vobis peccata vestra*. Deniq; circa limitationem prædictam notandum est, illam remissionem debitorum esse necessariam, vt homo obtineat suorum peccatorum condonationem, quæ est in præcepto, non quæ est in consilio; nam pro eo quod consilium non impletur, non apponeretur tam grauis comminatio, nisi dimiseritis hominibus non dimittemini. Quare non esset alienum à præsenti instituto disputare, quæ sint ista debita dimittenda: & quomodo, & quãdo? sed *in q.* 108. 2. 2. de iustitia vindicatiua commodius isthæc disseremus.

Et ne nos inducas in tentationem.

NOn sat est nobis esse dimissa peccata; 98
nisi à lapsu futuro præseruemur, à quo liberari petimus edocti à Christo dicen-

dicentes, *Et ne nos inducas in tentationem.* Sed ante-
quam aggrediamur huius petitionis explicatio-
D. Thom. nem, præmittendum est, ex doctrina Diui Tho.
1. part. quæst. 114. artic. 2. tentare nil aliud esse, quàm
experimentum de aliquo capere; quod experi-
mentum, si ad bonum finem ordinetur, homi-
1. Regum. nibus etiam iustis conuenit tentare. 1. Reg. 17.
17 dicitur de Dauid, *cœpit tentare*, id est, experimen-
3. Reg. 10. tum sumere, *si armatus posset incedere.* 3. Regum 10.
Venit Regina Sabba tentare Salomonem in ænigmati-
bus, id est, experientiam capere, quantæ sapientiæ
esset in ænigmatibus dissoluendis: quinimò ipse
Deus dicitur tentare isto pacto homines ad ipso-
Deut. 13. rum profectum. Deut. 13. *Tentat vos Dominus Deus*
vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non, id est,
vt à vobis sciatur, vtrum diligatis eum an non? &
Sap. 3. Sapien. 3. *Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se*,
id est, inueniri & cognosci fecit illos à se ipsis, &
ab alijs dignos se, iuxta phrasim satis vsitatã in sa-
cra Scriptura; vt ea dicatur Deus de nouo co-
gnoscere, quæ facit alijs innotescere, vt est illud
Gen. 22. Gen. 22. quod dicitur ad Abraham, *nunc cognoui*
quod timeas Dominum, id est, cognoscere te feci.
Ad hunc modum tentat Magister discipulum in
conspectu aliorum de eo, quod nouit discipulum
scire; vt sic eius scientia alijs innotescat. Ab hac
tentatione non petimus liberari in oratione
Dominica, sed potius dicere oportet cum Pro-
Psalm. pheta, *Proba me Domine, & tenta me*, Psa. 25. *Secūdo*
modo hoc experimentum, quod est tētatio, po-
test ordinari in malum finē, siue ab homine pra-
uo, siue à diabolo, qui tētat homines, vt seducat,
& perdat, & isto modo accipitur tentatio in præ-
senti, quando petimus à Deo, *ne nos in eam inducat.*

His suppositis mirabile est, in quam varias
expositiones abierint Patres antiqui & moderni
99 versantes hanc sextam petitionem. *Prima expositio*
1. Exposi- est Greg. Nis. in tractatu sæpè citato de oratione,
tio. qui per tentationem ipsum diabolum intelligit;
Nissen. & dicitur tētatio ab effectu, eò quod ipse est, qui
homines tentat, imò solus ipse tentat, vt dicit
1. Ad Tes. glossa primæ ad Thessal. 3. super illud, *ne fortè ten-*
3. *tet vos is, qui tentat*, id est diabolus. Hæc interpre-
tatio non vsque adeò placet. *Primò*, quia cæteri
Patres per tentationem non intelligunt ipsum
aduersarium tentantem, sed actionem, qua ad
malum inducit, & iure ita intelligunt, nam dia-
bolus potius dicitur tentare, quàm tentatio: res
ea, per quam tentat, aut actio ipsa propriè tenta-
tio dicitur. *Secundò*, quia non omnis tentatio est à
Diabolo suggerente, aliquæ sunt à mundo, & à
Iacob. 1. carne, Iacobi 1. *Omnis cum tentatur à propria concu-*
piscentia tentatur, quia verò diabolus per carnem,
& concupiscentiam, & mundum frequentissimè
nos tentat, ideò ipse præcipuè dicitur tentator: &
sic est intelligendus locus Pauli citatus. Aliam ex-
D. Thom. positionem vide in D. Tho. vbi supra. Fateor Cy-
Cyprian. prianum & Chrys. interpretari hunc locum de
Chrysost. tentatione à diabolo facta, fortasse quia fortius
Ad Ephes. tentat, iuxta illud ad Ephes. 6. *Non est nobis collu-*
6. *ctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus prin-*
cipes tenebrarum. Nihilominus de quacunque ten-
tatione arbitror esse intelligendum, cuius non
semper diabolus autor est.

Secunda expositio est Chrysostom. hom. 20. in 2. Exposit. Chrysost.
Matth. *Ne nos inducas in tentationem*, id est, ne pa-
tiaris nos à nobis ipsis induci in tentationem in- 100
siliendo in eam, & ipsam prouocando; tentatio-
ni enim, si ingeratur nobis fortiter resistendum
est, non tamen debemus immittere nos in eam:
& id ipsum confirmat, *hom. 13. in Matt. & serm. 30.*
in Epistolam ad Romanos, vbi interpretatur il-
lud, *ne intretis in tentationem*, id est, ne vos insiliatis
in tentationem, & eam aggrediamini. Et videtur
eadem esse expositio D. Basil. in moral. *Regula. 62* Basilius.
cap. 2. Et quidem doctrina tradita vera est: non ta-
men accommodatur verbis huius petitionis. *Pri-*
mò, quia huius petitionis verba potius inclinant
ad petendam liberationem à perpessione tenta-
tionum, quàm ab actione. *Secundò*, quia petitio
hæc continet postulationem liberationis à malo,
quod frequenter contingit; at rarissimè euenit, vt
nos aggrediamur, & prouocemus ipsas tentatio-
nes, frequentissimam autem nos pati tentationē,
& nobis eam inferri, potius quàm nos in eam
immittere nosmetipsos.

Tertia expositio D. Gregorij, li. 3. Moralium, ca. 3. Exposit.
3. nempe, *ne nos inducas in tentationem*, id est, ne per- D. Greg.
mittas nos tentari vltra id quod possimus, iuxta 101
illud Pauli, 1. ad Corinthios 10. *Fidelis Deus qui* 1. Ad Cor.
non patietur vos tentari, vltra id quod potestis. Verba
Gregorij sunt hæc: *Neque enim in tentationem Do-*
minus inducit, qui semper à tentatione subditos miseri-
corditer protegit, sed tamen in tentatione quasi eius in-
ducere est, à tentationis nos illecebra non munire, & tunc
nos in tentationis laqueos non inducit, cùm tentari nos
vltra quam possumus non permittit. Hæc Gregorius,
cuius expositio etiam fuit D. August. in lib. 2. de D. Aug.
peccatorum meritis, & remissione, cap. 4. tom.
7. dicentis: *Vt concupiscentijs & desiderijs carnis*
non consentiamus, deprecamur adiutorium, dicentes,
Et ne nos inducas in tentationem, non quod Deus tali ten-
tatione aliquem tentet, sed vt si fortè tentari cœperimus
à concupiscentia nostra adiutorio eius non deseramur, vt
in eo possimus vincere. Hæc August. & tale auxilium
subtrahere est permittere tentari vltra id, quod
possumus: quia sine illo non possumus vincere
tentationes.

Petitio hæc sic declarata nimis angusta est,
quamuis enim verum sit, Deum non permittere
nos tentari vltra id, quod possumus, id est, sem-
per nobis conferre ea, quæ necessaria sunt, vt tē-
tationes vincamus; & hoc beneficium sit petitio-
ne dignum: tamen plus est, quod postulamus hac
petitione, & plus est, quo indigemus, ne tentati-
oni succumbamus. *Probatur*, quia vt quis nō vin-
catur à tentatione non satis est habere auxilium
diuinum, vt possit resistere tentationi, sed nos in
prædicta petitione petimus à Deo ne succumba-
mus tentationi: ergo plus petimus à Deo, quàm
adiutorium, vt possimus resistere, & plus est, quo
egemus. *Minor nota est, maior prob.* quia multi repe-
riuntur, qui tentati infra id, quod possunt, & ha-
bentes Dei auxilium, vt possint non cadere, tēta-
tioni subduntur, vincunturque ab eo, quem vin-
cere possunt. Vix enim reperietur qui destituatur
auxilio diuino, quo posset tentationes superare,
multi tamen succumbunt tentationi: nā non oēs
agunt vel faciunt quod possent. Igi-

Igitur à Deo petendum est (si nostra petitio in hac parte perfecta est) vt non solum det auxilium, quo possimus vincere tentationem occurrétem, sed etiam id auxilium, quo de facto vincamus; longè enim distát posse vincere, & vincere: vt docet Theologi in materia de gratia, & est tritum exemplum, nam posse perseuerare omni in gratia existenti concessum est, at actu perseuerare non omnibus datur. Ad hác expositionem reducitur ea, quæ interpretatur sic. *Et ne nos inducas in tentationem*, hoc est, non permittas inimicos, aut tétatores fortes super nos inducere: quia hoc esset tentari vltra id, ꝙ possumus. Sed eisdem rationibus reijcitur, nempe plus petimus, & plus egemus. Cum multi etiamsi non habeant inimicos fortes, aut tentationes supra id, quod possunt, tentationibus succumbunt.

4. Expositio. *Quarta expositio* est D. Hyllarii, can. 32. in Matthæum, qui tam hanc petitioné, quàm illud Matthæi. 26. *Orate ne intretis in tentationem*, sic explicat, (Matt. 26.)
102 orandum esse ne tentemur, etenim fragilitatem nostram sciens Dominus præcipit orandum, ne tentatio veniat, vt præ infirmitate nostra non cadamus: eodem modo explicat D. Basilius, in Reg. breui. respon. 221. & in moralibus Reg. 62. capit. 2. Iterum dicit petendum esse à Deo ne incidamus in tentationem, & probat Lucæ 22. *Orate ne intretis in tentationem*, idest, vt non veniat vobis tentatio. Chrysostom. in imperfecto, homilia 14. Druthmacus Matthæi. 6. fere eodé modo loquitur, sed strictius, nempè orandum esse ne in tentationem incidamus, quæ nociua futura est corpori animæve. (D. Basil. Luc. 22. Chrysost. Druth.)

5. Expositio. 103 *Quinta & vltima expositio. Et ne nos inducas in tentationem*: id est, ne permittas nos succumbere tentationi, nec vinci ab ea, sed da victoriam contra insurgentes inimicos. Hæc est communis expositio Patrum; eam sequuntur Cyrillus *Catechesi quinta Mystagogica*, Tertulianus, Cyprianus, Nissenus in *libro de oratione*, Augustinus expressius de omni tentatione interpretatur, *Epistola. 121. capit. 11. & 12. & libro secundo de Sermone Domini in monte*, ambæ istæ expositiones probabiliores, & magis accommodatæ textui. Vtra autem istarum plus arrideat, in dubitatione sequenti dicemus. (Cyril. Tertull. Cyprian. Nissen. August.)

Sed prius à quadam dubitatiuncula nos expediemus. Ea est, Iacobi primo dicitur, *Deus intentator malorum est, ipse enim neminem tentat*. Et est sensus, quod quamuis Deus sit autor tentationum multarum exteriorum ordinatarum ad bonum nostrum, vt supra diximus, non tamen est autor tentationum interiorum, quæ ad malum prouocant, & vt ad malum prouocent: ergo colloquentes cum ipso, non benè oramus dicentes: *Ne nos inducas in tentationem*: quia significamus, ipsum esse autorem tentationis in malum, de qua diximus fieri sermonem in hac petitione sexta. *Respon.* Sensus est, ne permittas nos induci in tentationem, & illi succumbere: ita explicat Diuus Augustin. libro de bono perseuerantiæ secundo capite, 6. tomo. 7. ex mente Diui Cypriani, qui legit, *Ne patiaris nos induci in tentationem*. Phrasis est vsitata in sacro elloquio. Ad Roman. primo, *Tradidit illos Deus in reprobum sensum*, id est, permittit tradi: & Eccles. 23. *Concupiscentiam oculorum ne dederis mihi: & animo irreuerenti & infrunito ne tradas me*: id est permittas tradi. De qua re qui plura cupit legat Cantapetrensem *in suo Hypotyposeon lib. 10. Regula. 5.* An verò ista permissio Dei fiat actu positiuo aliquid operando, & quo modo, non est huius loci euoluere, sat sit nobis scire, quod ideò permittit, quia non dat auxilium non quo non possimus vincere, sed quo vincamus: siue id fiat positiuè siue negatiuè: de quo remitto auidum Lectorem ad Doctores Scholasticos, qui disputant, quomodo dicatur Deus indurare aut excæcare homines. (Iacob. 1. August. Ad Ro. 1. Eccle. 23. Cantapet.)

Præcipua dubitatio in hac parte est, *vtrũ sit licitũ petere à Deo ne incidamus in vllam tentationẽ*, id est, ne nobis accidat vlla tentatio? Videtur vera pars affirmatiua, *primò* ex dicto Chrysostomi, Matthæi. 29. & Luc. 22. *Orate ne intretis in tentationem.* Quem locum multi Sancti citati in expositione quarta sic explicant, esse orandum, ne tentemur; & eodem modo explicat hanc sextam petitionem orationis Dominicæ. 104 (Chrys.)

Secundò. Licitum est petere à Deo, vt à nobis amoueat id, quod nos ad malum prouocat: huiusmodi est omnis tentatio: ergo licitum est petere à Deo, vt nulla nobis accidat. *Maior nota* est, & minor probatur, quia tentatio, de qua loquimur in præsentia, nihil est aliud, quam actus vel motus inclinatiuus hominis ad aliquod malum vel illicitum, & sic eam definit Hugo de Sancto Victore. *Confirmat. primò*, quia qui postulat liberari à periculo ruinæ, sapiens est: sed tentatio omnis ad ruinã & lapsum tentati tendit, & eius finis hic est; imò vix, aut nunquam, homo tentatus immunis est à peccato, quo tentatur, maximè quádo tentatio est per motus carnis insurgentis: ergo licet petere ne vlla nobis eueniat tentatio. (Hugo de S. Victore)

Tertiò. Ad humilitatis virtutem spectat hominem cognoscere suã imbecillitatẽ in resistẽdo tẽtationibus, à quibus sępè vulneratus prodit: ergo qui hac cognitione fragilitatis suæ promotus, prorumpit in petitioné hanc coram Deo, ne permittas Domine me tentari, quia timeo succumbere tentationi, benè & piè orat.

Quartò. Magnum Dei beneficium est, vt elongẽt nos ab occasionibus peccãdi, sic adeò vt hoc beneficium sit vnum ex præcipuis effectibus prędestinationis cuiusquam: quod si deesset alicui prædestinatio, igne æterno cruciaretur: sed ista elongatio ab occasionibus peccandi fit per elongationem à tentationibus: ergo licet petere, ne vlla nos aggrediatur tentatio.

In oppositum est. Non est à Deo postulandum id, sine quo virtutum series, vitæ Christianæ perfectio, meritorum augmentum magna ex parte deficeret, sed sine tentationibus hæc omnia deficeret: ergo non est petendum à Deo, vt nulla nos vexet tentatio. *Minor probatur multipliciter*. Tum, quia si tribulationes & tentationes nõ essent, fortitudo, constantia, patientia, ac cæteræ virtutes, quæ sunt circa difficilia in nobis non generarentur, conseruarentur, & augerentur: etenim virtutes morales passiones, 105

tristitiæ & delectationes moderantur secundùm rectam rationem. Tolle passionum exercitium, quod fit per tentationes, & sublata est materia exercitij virtutum istarum. Tum ex multis eloquij diuini testimonijs. Tobiæ.12.ait Angelus ad Tobiam: *Quia acceptus eras coram Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Et Ecclesiastic. 34. *Qui non est tentatus, quid scit?* Ad Roman. 5. *Gloriamur in tribulationibus* (quæ sunt quædam tentationes) *sciens quod tribulatio patientiam operatur, &c.* Iacobi 1. *Omne gaudium existimate cùm in varias tentationes incideritis, &c. scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur.* Tum tertio ex testimonijs Sanctorum, quæ innumera sunt, accipite aliqua ex multis. D. Augustinus 14. de ciuitate Dei, capit. 11. *Dum huius vitæ infirmitatem gerimus, si tentationes & passiones nullas habemus, tunc potius non rectè viuimus*: & super Psalmum 60. ait, *Per tentationem profectus noster vti;, fit: non enim quisquam sibi innotescit, nisi tentatus: nec potest quisquam coronari, nisi vicerit, nec potest tentari, nisi inimicos & tentatores habuerit.* De vtilitatibus prouenientibus à tentatione, videndus est D. Gregorius *libro.23. Moral. capit.27.* Secundo licitum est petere & appetere tentationes: ergo non licet petere, vt omninò arceantur à nobis. *Antecedens patet primò*, quia id ex quo nobis bona multa proueniunt licet optare & petere, si peccatum non est; huiusmodi sunt tentationes, vt probauimus: ergo &c. *Secundò*, quia Christus Dominus cuius actio nostra instructio est, vt ait Gregorius *in homilia* 16. voluit tentari Matthæ.4. ergo & nos possumus, & debemus idem velle & appetere. Tertiò. D. Gregorius. 7. moralium, cap.10. *Electus quisque*, inquit, *sæpe tentari se præsentis vitæ aduersitatibus post virtutes desiderat, ne peius per virtutum confidentiam cadat, si enim seruari melius per tentationem non cognosceret, nequaquam Psalmista diceret, Proba me Domine, & tenta me.* Pro huius quæstionis decisione.

Tobiæ. 12. Ecclesi.34. Ad Rõ.5. Iacob.1. D. Augu. D. Greg. D. Greg.

106 *Dico primò*, quamuis sciamus nobis esse incutiendas tentationes ex eo, quod aliqua bona operemur, non ideò ab eis cessare tenemur. *Probatur*, quia aliàs ferè semper ignaui & trepidi quiesceremus, cum communis hostis Diabolus potius viros egregia operantes tentationibus prosequatur, vt passim docent Sancti, & Augustinus in regula religiosorum: *Superbia bonis operibus insidiatur vt pereant*, & Eccles.2. aperte hoc dicitur, *Fili accedens ad seruitutem, præpara animam tuam ad tentationem.* Et hinc est, quod iusti vaccent operibus bonis, quamuis sciat se persecutiones passuros: persecutio autẽ tentatio est. Itaque multa licet facere, quãuis inde præuideantur obstacula, & impedimenta nascitura, quæ tentationes sunt: neque hoc est se ingerere, aut immittere in tẽtationem.

Sententia autorũ. August. Ecclesiast.

107 *Secundo dicò.* Opera indifferentia, aut bona etiam parui meriti aliquando omittere debemus, eò quod inde prẹuidemus magnas nobis tẽtationes suscitandas: de qua re egregiè Origenes *tract. 11. in Matthæum*, vbi docet exemplo Christi & Apostoli Pauli, aliquãdo nos debere obuiã ire periculis & tẽtationibus, aliquãdo fugiendũ, in qua re Dei dono, & discretione spirituũ magnopere egemus. Probatur assertum, quia consilium est fugere magnũ malum, quod timetur, etiã neglecto profectu minimo; & dubio quod speramus.

Tertio dico. Cessandum est ab operibus malis & periculosis, si inde præuidetur ortum habitutas; tẽtationes. Probatur quia hoc esset se in tẽtationes ingerere. *Secũdò ex illo, qui amat periculũ peribit in illo:* opera periculosa voco nõ solũ quæ de se ad malũ prouocant, vt verba turpia, aspectus impudici, nimis conuersari inter impudicas fœminas, & alia id genus: sed etiam quædam opera, quæ licet de se indifferentia sint, tamen huic fragili, & experimentum sui casus habenti, occasionem ruinæ præbent: de his enim potissimè illud dictum Sapientis intelligitur.

Dico quarto. Nulla opera licèt facere eo animo, vt tentatio insurgat: & quidem loquendo de omni tentatione generaliter, probatur, quia talis animus præsumptiosus esset, & hoc esset se ingerere in tentationes. *Et si obycias* multos viros Sanctos Diabolum ad certamen prouocasse operibus & verbis. *Respondetur.* Sæpe legi, Sanctos Diabolum tentantem iniurijs lacessisse, cæterum non memini me legisse vocasse illum non tentantem, vt tentaret: cæterum estò ita esset, Sancti id fecerunt diuino instinctu, aut confisi experimento sæpè habito de victoria, & cum eo hoste, cum quo bellum declaratum gerunt, & imitati Christum Dominum, qui in desertum abijt, vt tentaretur à Diabolo; nos verò ferè omnes, qui non sumus tanta virtute prædit, non debemus hoc facere, satis nobis fuerit si tentationes oblatas superemus. 108

Quintò dico. Sæpè licet à Deo petere, vt aliquas tentationes à nobis auferat, aut ne proueniant concedat: verbi gratia, quando experimentum, habemus eis succumbere, aut dubitamus probabiliter de casu, quia graues sunt, & nostris humeris videntur impares, aut vexatio earum nos impedit à maioribus bonis. Hoc assertum apertè *confirmatur 1. ad Corinthios* 11. quando Apostolus Deum rogauit sibi auferri stimulum carnis: & iuxta huius asserti tenorem, quidam explicant sextam petitionem orationis Dominicæ, maxime Druthmachus, qui dicit ea nos petere, ne habeamus tentationes, quæ nocituræ sunt animæ, aut corpori.

1. ad Cor. 11. Druthmac.

Sextò dico. Valdè probabile est, licitè nos posse à Deo petere, ne in vllam tentationem incidamus, id est non eueniat nobis tentatio alia. Hoc assertum intelligendum est de grauibus tentationibus, quæ ad peccatum mortale inducunt, non de leuibus, sine quibus vita mortalium nequit reperiri. *Hæc probantur* testimonijs Sanctorum, quæ adduximus pro quarta expositione huius petitionis sextæ, & omnibus rationibus adductis in principio huius dubitationis pro parte affirmatiua. Certe non debet tribui formidini & pusillanimitati, quod homines suæ infirmitatis cõscij timeant à tentationibus vexari, maximè cum melius sit, qui de victoria dubitat, & se fragilem cognoscit, pugnam recusare, quam victoriam dubiam sperare. *Secundò* vrget illud testimonium Christi Domini Matthæi. 26. *Orate ne intretis in* 109

Matt. 26.

tenta-

tentationem. Cuius sensus genuinus videtur esse, petite ne incidatis, ne eueniat vobis tentatio. *Primò*, quia verba illa & sequentia sunt detrectātis pugnam, non iam immissam superantis, illud enim sequitur: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*; ac si dicat, licèt vester spiritus, id est, vestra volūtas sit prōpta ad pugnādū, caro autem infirma est: & ideò *orate ne intretis in tētationem*: id est, ne vobis eueniat tentatio. *Secūdò*, quia suo exemplo voluit eos docere, vt ipsi recusarent prælium cum Diabolo tentatore, sicut ipse cum morte.

Ex his infertur, quam probabilis sit expositio illa quarta huius petitionis sextæ in precatione Dominica.

110 *Dico septimò.* Probabilius iudico non licere generaliter petere, vt tentemur, neque vt non tentemur. *Prima pars huius assertionis probatur*, quia quod est inductiuum ad malum, nō est à Deo petēdum: huiusmodi est tentatio, de qua loquimur, nēpè Dœmonis, aut hominū prauorū, qui vt Diaboli ministri tentant, item carnis & mundi tentatio: ergo non est petenda. *Secundò*, quia in tētationibus est incerta victoria, fragilitas ad cadēdū magna, nos proniores ad malum, quàm ad bonum: ergo temerarium est, & præsumptuosū appetere tentationes, seu petere. *Tertiò.* Occasiones peccatorum, non sunt appetendæ, neque petendæ, nam qui amat periculum peribit in illo; sed tentationes in pluribus sunt occasiones ruinæ, & casus, quandoque ex intentione tentantis, & sæpius ex imbecillitate tentati: ergo non licet à Deo eas petere.

Secundam assertionis partem videtur stabilisse Origenem tractatu. 35. in Matthæum, vbi exponens illud Matthæi. 26. *Orate ne intretis in tentationem*, refert expositionem adductam in sexta assertione, & eam, quæ in hac conclusione, & sibi videtur plus placere. Verba ipsius sunt: *Orate ne intretis in tentationem, hoc secundum quod multi intelligunt, tale est ac si dicat, Orate vt non tentemini. Si autem placuerit Deo, acquiescite Deo, sicut me audistis orantem: considera autem, si possibile est magis intelligere, quoniam vita nostra ipsa tentatio est secundum Iob; intrare autem, aut venire in tentationem est cadere in tentationem, & vinci ab ea.* Hæc Origenes: ex cuius vltimis verbis formo argumentum ad probandam secundam nostræ assertionis partem: id tale est, vita nostra hæc mortalis inueniri nequit sine tentationibus, & grauibus, & in magno numero, sic adeò, vt dixit Iob, capit. 7. iuxta translationem septuaginta Interpretum: *tentatio est vita hominis super terram.* Ergo petere ne tentemur, est petere aliquod impossibile moraliter loquendo; quod non debet esse nostrarū petitionū obiectū. Itē, petere ne tentemur, est velle, vt priuemur opimis meritis, gloriosis victorijs, coronis debitis, quæ accrescunt Christi militibus ex tētationum congressu. Vnde Gl. super illud Gen. 22. *Nūc cognoui, quod timeas Dominū*, dicit, *Sicut vasa nō cognoscuntur esse integra aut plena, nisi fuerint percussa, vt sonus audiatur; nec cognoscūtur perfectè coacta, nisi imbribus exposita, si percussa nō clarū reddunt sonum, sed quassatum & obtusū, fracta perpenduntur, licèt fractura tactu aut visu non discernatur, sic & homines non perfectè cognoscuntur, donec pulsati terroribus, tribulationibus aut delectationibus expositi non superentur:* hos fructus à nobis expelleremus, si omninò non tentari peteremus. Et D. Basilius homil. 8. in diuites auaros: *Nauclerum*, inquit, *tempestas, & athletam studium, & ducem pugna, magnanimum calamitas, Christianum verò tentatio probat, & examinat.* Hector Pintus super caput 4. Ezechielis; *Vt frumentum in cellario, nisi palla & ventilabro versetur, & moueatur, gurgulione absumitur; & vestis in repositorio & apoditerio, nisi concutiatur, & exerceatur à tinea corroditur, sic homo nisi fuerit tentationibus agitatus facilè corrūpetur, & labefactabitur.* Igitur ne tot priuemur cōmodis, nō est à Deo petēdū vniuersaliter vt nō tētemur. Tertio, quia hoc petere est nimis meticulosū, & magnæ pusillanimitatis indicium, in loco, tempore & occasione pugnandi velle omnino à certamine cessare.

Origen. Matt. 26. — *Iob.* — *Genes.* — *D. Basil.* — *Hector Pintus.*

Vltimo dico. Quando in oratione Dominica iubemur dicere, *Et ne nos inducas in tentationem*, sensus est; ne patiaris Domine, nos ab inimico tentari, & ad peccandum prouocati consentire. 110
Itaq; non petimus, vt non tentemur, sed ne tētationi succūbamus: tentatione enim humiliamur, & ducimur in cognitionem propriæ infirmitatis; vnde cauti reddimur, purgamur, erudimur, ac victoriam reportamus: succumbentes autem tentationi, peccamus, ruimus, ac vincimur.

Circa quā expositionē aduerte ex D. Cypriano, ea nos de duobus admoneri. *Primum est*, de nostra infirmitate & imbecillitate, eo quod nostra virtute resistere tentationibus non valemus, nisi ope & diuino auxilio suffulti, quod propterea à Deo postulamus. *Secundò*, admonemur cōmunē aduersariū in nos nihil proficere posse, nisi Deo permittente, & suum auxilium subtrahente; & ideò poscimus ab eo, *Et ne nos inducas in tentationem.* Sicut enim, qui à naui tollit remum & gubernaculū, quo fluctus cōpescūtur, dicitur quodāmodo nauē in submersionem inducere; & qui frænū, quo equus regitur, ne inordinatè currat, dicitur quodāmodo ducere in præcipitiū; ita Deus si substrahat suū auxiliū, dicitur inducere nos in tentationem: & ideò oramus, *Et ne nos inducas in tentationē*, id est ne permittas per substractionē tui adiutorij nos succumbere tentationi. Ista cōclusio approbatur ab omnibus Patribus citatis pro quinta expositione, & à Tertuliano libro de Baptismo in fine, & à D. August. *vbi supra, & libro de natura & gratia contra Pelagian. cap.* 58. *& libro* 14. *contra duas Epistolas Pelagianorum, cap.* 9. *& lib.* 2. *de bono perseuerantiæ, cap.* 6. quamuis aliqui hunc locum in oppositum adducāt. Est etiam sententia D. Hieronymi *expressa super caput* 26. *Matthæ. &* Bedæ. Euthymij & Theophilacti *Matthæi* 26. *&* D. Th. *in opusculo, de oratione Dominica, & in hoc articul.* & omnium fere recentiorum, exceptis paucis.

Secundò. Nisi sic interpretemur sextam petitionē in oratione Dominica, non postulatur à Deo magnum perseuerātiæ donum: at hoc magnum incōueniens est: ergo sic est interpretāda. Minor patet, ex D. Augustino dicente: *Nihil petitione dignum*

Cyprianus. — *Tertul.* — *August.* — *Hierony.* — *Beda.* — *Euthymius.* — *Theophil.* — *D. Thom.* — *D. Augu.*

cuiusmodi sunt tentationes. Ad *secundam probationem resp.* illud dictum D. Gregorij non esse intelligendum, vt iacet: aliàs deberemus imitari Christum Dominum in suscitatione mortuorũ, in sanatione cæcorum, &c. *Sed sensus est*, nihil esse gestum à Domino Iesu Christo, à quo non possimus spiritualem & proficuam doctrinam eruere; ipse autem elegit tentari, quia de victoria certissimus erat, & in eo tentationum inductio ad malum cessabat, quod in nobis non contingit.

Fateor viros perfectos posse aliquando appetere tentationes propter bona, quæ inde sequũtur, sed hoc fit vel afflante diuino spiritu, qui certos reddit de victoria, vel quia iam experimentũ acceperunt, quod viriliter superabunt tentantes, sicut legimus multos Patres egisse, qui tamen propriè loquendo non appetebant tentationes propter victoriam, sed cum victoria. Imò posset dici, quod appetebant & petebant tentationes propter victoriam certam: secus agere cæteri homines, vt dictum est in *Conclusione* 7. Et hinc etiam patet ad tertiam probationem ex testimonio D. Gregorij. Loquitur namque, non de quibuscunque iustis, sed de viris perfectis; illa verò testimonia: *Proba me Domine, & tenta me*, & illud, *omne gaudium existimate cùm in varias tentationes incideritis*, intelligenda sunt de tentationibus à Deo immissis, qui per tribulationes nos examinat, & si ab eo immittuntur semper in nostrum bonum cedunt, non in nostram ruinam. Has verò cala-

Deut. 29. mitates appellari tentationes, patet *Deut.* 29. vbi

Psal. 16. plagæ Ægypti tentationes dicuntur, & Psal. 17. *Quoniam in te eripiar à tentatione*, & alibi sæpè. De his autem gaudendum, non quia à quocunque fragili sint petendæ, sed si immittantur, de eo ꝙ sunt nobis materia tolerantiæ, aut quia tolerauimus gaudendum, iuxta illud Actorum 5. *Ibant Apostoli gaudentes, &c.* *Actor.* 5.

Sed libera nos à malo

115 DVpliciter explicatur hæc petitio à Patribus. Primo modo, per malum intelligunt Diabolum. Ita Græci omnes, Nissenus, Cyrillus, Chrysostomus, Euthymius, & Theophila. in locis citatis. Ex latinis Chrysolog. Ambr. & Cassianus, & illis fauet Græca Lectio, vbi ponitur articulus quidam, ac si legeremus, *Libera nos ab illo malo, seu maligno*, id est, Diabolo, quia est omnium tentationum malignissimus; eo ꝙ in se malus est, & alios ad mala perpetranda excitat, ac Mundo & Carne contra nos vtitur, vt in peccatum contrahat: sed non videtur expositio germana textui eo quod liberari à Diabolo postulatur in sexta petitione: nãque qui non acquiescit tentationibus, à Diabolo liberatur: ergo superfluè adderetur petitio septima. Nissenus concederet consequentiã, eo quod putat, hanc petitionem non esse diuersam à præcedenti, & ob id omissam esse à D. Luca, sed re vera distincta petitio est: & quod adducitur de articulo in Græca Lectione apposito non concludit: nam in sacra Scriptura, eadem vox Græca cum suo articulo sæpè accipitur pro re mala, &

Nissen. Cyril. Chrysost. Euth. Theoph. Chrysol. Ambr. Cassian. Nissen.

Ad Ro. 12. non pro Diabolo ad Romanos 12. *Obedientes malum & adhærentes bono*: In Græco pro voce, *malum*, ponitur eadem, quę in hac petitione, & cum suo articulo: & Matt. 5. *Quod amplius est à malo est.* *Matth.* 5

Secundò alij per malum intelligunt res omnes malas, ita Cyprianus, Augustinus, *Epist.* 121. *capit.* 12. Beda: intelligendi tamen sunt non de malo culpæ, de quo in quinta & sexta petitionibus, sed de malis & calamitatibus, quibus premimur in hac vita post Adæ peccatum. Ita D. Thom. in *Opusculo*, & alij. *2. Exposit. Cyprian. August. Beda.*

Sed contra hanc expositionem, quæ magis placet, *arguitur*. Calamitates & ærumnæ quibus vita mortalis circundatur, tentationes quædam sunt: ergo si liberari à malo est ab his liberari, nihil aliud est petere à Deo, *Libera nos à malo*: quam petere, *Et ne nos inducas in tentationem*. Respondetur primò. In quinta petitione petitur liberatio à malis præteritis, id est, à peccatis, in sexta à malis futuris, quæ timentur oritura ex tentationibus, in septima à malis præsentibus quibuscunque. *Secũdò resp.* & melius. Calamitates & ærumnæ pręsentis vitæ, propriè loquendo non sunt tentationes, eo quod de se non inducunt ad malum: motus verò insurgẽtes propter carnis corruptionem, & mundi, sunt tentationes, quia de se in malum inducunt; de his fit sermo in sexta petitione, de illis verò in septima. 116 *D. Thom.*

Fateor, has easdem calamitates interdum assumi ab hominibus, & potissimè à Dæmone, vt instrumenta ad nos oppugnandos; & tunc ab extrinseco tentationes dicentur, & ab eis petimus liberari quando dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem*: At verò ipsæmet calamitates, quibus circundamur, tentationes non sunt absolutè loquẽdo, sed miseriæ & pœnalitates, quæ ortum habuêre à primorum parentum peccato, à quibus siue præsentaneæ nos molestent, siue in futuro timeãtur, vt afflicturæ petimus eripi, quando dicimus: *Libera nos à malo*. Denique notandum est, non esse sic intelligendam hanc petitionem, quasi per eã à Deo postulemus ab omnibus & singulis calamitatibus, quæ ferè infinitæ sunt totaliter eruamur: quia neque id naturæ nostræ conditio, & huius seculi status patitur, neque id esset nobis proficuum: sed petimus istarum miseriarum moderationem, ne ipsis pressi & fatigati nimis, in peccata aliquot declinemus.

Amen.

MVltæ sunt voces ab interprete sacræ Scripturæ Latino, in natiuo idiomate siue Hebraico, siue Græco sine interpretatione relictæ. Cuius rationẽ reddit Aug. lib. 2. de Doct. Christ. c. 11. *Hebræa, inquit, verba non interpretata sæpè inueniuntur in Scripturis, sicut Amen, Alleluia, Raccha, & Hosanna, & si quæ sunt alia, quorum partim propter sanctiorem autoritatem, quamuis interpretari potuissent seruata est antiquitas, sicut in Amen, & Alleluia, partim verò in aliam linguam non potuisse transferri dicuntur, sicut alia duo, quæ posuimus.* Hæc Aug. Alia fortasse poterit assignari causa, nempè cũ Ecclesia Romana ex Iudæis pariter ac Græcis conflata sit, decuit vt vtriusque gentis memoria apud Ecclesiam Latinam perpe- 117 *August. August.*

tuò

sunt rationales. *Probat.* quia oratio est rationis actus, per quem aliquis superiorem deprecatur: hic autem actus in sola creatura rationali inuenitur: ergo soli ipsi orare competit. *Ex quo infertur,* Deum nullo modo orare posse, quia non habet superiorem, neque vllam indigentiam, quæ etiam requiritur in orante. Quod autē dicit Christus Ioann.16. loquens de Spiritu sancto, *De meo accipiet*, intelligitur per naturam, nō per gratiam: quod requiritur vt aliquis possit dici orās. Similiter illud, quod de Spiritu sancto dicitur Rom.8. *Quod pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus*, intelligi debet, iuxta Diuum Ambrosium, *Epist.23.* Metaphoricè, de gemitu quodam inenarrabili: sed melius ferè omnes Patres nominatim Diuus Augustinus *ad Probam Epistola.121. cap.15. & ad eandem de orando Deo*, & in lib. *de Trinitate & vnitate Dei capite 6. & contra Sermonem Arrianorum capit. 25. & de anima & eius origine libro 4. capite 9.* Diuus Gregorius, *libro 9. Moral. capit. 26.* Diuus Thomas *tertia parte, quæstione 26. articulo primo ad secūdum.* Hi omnes & alij exponunt sic, Spiritus sanctus postulat, id est postulare nos facit, iuxta morem diuinæ paginæ attribuentis Deo sæpè id, quod in nobis facit. Vide Augustin. *super tertium Psalmum, & libr. 2. de dono perseuerantiæ, capite 23.* & *alibi sæpè.* Ex hoc corollario confutabitur delirium Mahumeti in Alcorano, *capite 43.* dicentis Deum, & Angelos pro se orare, & Iudæorum in Talmud. Secundò infertur, brutis animantibus non competere orare.

Ioan. 16. Rom.8. D. Ambr. August. D.Greg. D.Thom. August.

2 Et si obijcias illud Psalm.103. *Catuli Leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi*, & illud Psalmi 146. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum*, & illud Oseæ 2. *Cœli exaudient terram, terra exaudiet triticum.* Hæ & similes loquutiones per metaphoram intelligendæ sunt, nam Leonum rugitus, coruorum crocitatio expressio famis est, qua ipso facto protestantur Deum eorum curam gerere, & ad eius prouidentiam pertinere, prouidere illis: & sicut eadem animalia bruta dicuntur in sacris Literis Deo obedire, quia naturali instinctu à Deo mouentur: sic dicuntur Deum inuocare, quia eodem naturali instinctu desiderant consequi bonitatem diuinam, eo modo quo capacia sunt.

Psal. 103. & Ps.146 Oseæ 2.

Obiter tamen nota, curiose Lector, in his locis, *maximè Psalm.146.* valde commendari Dei prouidentiam & benignitatem certò affuturam erga homines: nam si Deus pullos coruorum deformes, odiosos propter suam rapacitatem, carniuoros, inamœnos crocitu, multo cibo indigentes propter natiui caloris vehementiam, & ob id expulsi longè à situ in quo educati sunt ne deficiat cibus pro genitoribus, vt testatur Plinius lib.10. naturalis Historiæ cap.12. & Arist. lib.6. de Hist. animal. *Corui, inquit, in locis arctioribus, & vbi non satis cibi pluribus sit, duo tantum incolunt, & suos pullos, cum iam potestas volandi est, primum nido eijciūt, deinde regione tota.* Si igitur coruos odiosos benignè pascit Deus, quanto magis homines, quos vnicè diligit, & ab eo valdè pendent.

Psal.146 Plinius Arist.

Sed dices, quare pullorum meminit? respondetur, propter præfatam causam, nempè propter exilium à parentibus indictum. Cui non dissonat Iob ca.39. dicens: *Quis praparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes, eo quod non habeant cibos.* Vel quia corui oderunt pullos suos innata crudelitate: sed Deus eos enutrit dū hiando & crocitando animalcula ex aere venantur in cibum. *Ita Chrysost.* Vel quia pulli coruorū quando nascuntur candidi sunt, siue quia implumes, siue quia plumas habent albicantes, parētes aūt his visis, quasi degeneres negligunt eos, clamantibus autem præ fame, Deus immittit muscas in eorum ora, vt sic alantur, donec nigris plumis vestiantur, vt à patribus acceptētur, ita Rabbini. Sunt qui dicant eos pasci aura quadam roscida: ita Euthym. Alij vermiculis per auram in os eorum immissis.

Iob 39. Iob 39. Chrysost. Euthym.

Hæc quæ de pullis coruorum narrantur quibusdam non placent, tum, quia Plin. solertissimus naturæ animalium indagator li.10. naturalis Historiæ agens de coruis, nullius talis meminit, nec alius scriptor naturæ animalium: tum, quoniam Iob *loco citato* non facit huius rei mentionē. Quare dico satis esse ad declarandam Dei prouidentiam erga coruos adnotare ea, quæ ex Plinio retulimus. Siue hoc, siue illo modo dicas, certè valdè commendatur Dei prouidentia, erga homines, cui tanta cura est de coruis, vt etiam habetur Luc.12. Vt igitur ad intentum reuertamur, animalia bruta non orant, sed metaphoricè dicūtur Deum orare. Sic intelligendum est illud Ioelis 1. *Suspiciunt in cœlum tanquam area sitiens imbrem.* Id verò, quod refert D.Hier. in vita D.Anton. monstruo apparente ei in solitudine & dicente, legatione fungor gregis mei, vt ores pro nobis ad Dominum, miraculosa locutio fuit, sicut asinæ Balaam, sicut etiam demissio Leonum ad pedes D.Antonij, quasi petētium eius orationes & benedictiones: quare metaphoricè accipiēdum est illud Os.2. *Cœli exaudient terram, & terra exaudiet triticum*, & similia, quæ per prosopopeyam, id est fictionem personæ intelligenda sunt. An verò omnibus creaturis rationalibus conueniat orare? in artic. sequenti.

Plin. Luc.12. Ioel.2. Hieron. Oseæ 2.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm Sancti, qui sunt in patria orent pro nobis?

Summa Articuli.

1 CONCLVSIO est affirmatiua. Probatur, quia ex charitate viuentium prouenit orare pro alijs: sed Sancti in Patria sunt feruentioris charitatis, sunt Deo coniunctiores, & consequenter eorum rationes magis efficaces: ergo orant pro nobis. Omnes Hæretici, quos retulimus *artic.4. disput.1.* debacchantes ad euertendam inuocationem Sanctorum, conantur etiam suadere, Sanctos in cœlo regnantes nō orare pro nobis, quia inde colligunt eos non esse inuocandos, cùm præcipuè eorum inuocatio ordinetur,

vt suis precibuss & intercessionibus, à Deo pro nobis auxilia & protectionem nobis impetrent. Eorum argumenta attulimus, & satis retudimus, modò tantum conclusionem Catholicã D. Thom. breuiter confirmabimus, dicentes. Sancti orant pro nobis: & quidem si conclusio intelligatur de oratione in genere manifestè habetur

Hierem.5. in sacra Scriptura Hieremiæ 15. *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea apud populum istum*: Ergo soliti erant isti stare intercedentes pro alijs. *Respondet Caluinus*, ex hoc loco colligi potius contrarium, quia neque orasse, nec stetisse dicitur: contra quem est argumentum: quia etsi in illo temporis puncto fortasse propter rem desperatam non orassent, de quo nihil certum habemus, tamen negari non potest ipsos sæpè orasse: aliàs inepta esse locutio Dei per os Hieremiæ: nã pari ratione posset dicere, si lapides steterint coram me. Quia iuxta errorem Caluini non magis orant Sancti, quàm lapides, quia neutri orant, & tamen inepta locutio esset, si lapides steterint coram me &c. Si Deus diceret, si starent, id est per impossibile, nunc viuerent, & orarẽt; fortasse obiectio haberet aliquid virium: at non sic dicit, sed, *si steterint*, significans ipsos stetisse, & orasse aliquando.

Et fauet nobis textus Græcus, & Hebraicus, qui (vt dicunt harum linguarum periti) sic sonat. *Si stabit Moyses, &c.* Secundò respondet Caluinus Moysem, & Samuelem poni gratia exempli, loco duorum insignium virorum, & tunc sensus est, quamuis orarent pro Populo duo insignes viri, quales fuerunt Moyses & Samuel, tamen nil impetrabunt. Sed sacram Scripturam loqui

Chrysost. de veris Moyse, & Samuele, testantur Chryso-
Hierony. stom. Homil. prima in Epistolam primam, ad
Greg. Thessal. Hieronym. super hunc locum, Gregor. *libr*.9. *Moralium capit*.12. *& alij multi.*

2.Mac.vl. 2 Secundus locus est secundi Machab. vltimo, vbi de Hieremia dicitur: *Hic est qui multum orat pro Populo.* Quod si hic Propheta nondum adeptus beatitudinem orabat pro Populo, quanto magis Beati cum Christo regnantes? *Respondet Caluinus*, illum librum non esse Canonicum. Sed abeat in malam rem ipse, & eius sequaces, qui quando vident se apertè confundi testimonio sacræ Scripturæ, pro libito reijciunt librum, vnde tale testimonium eruitur. Deinde probatur quod Sancti orent pro nobis non tantum in ge-

Tob.12. nerali, verùm etiam in particulari, Tobiæ. 12.
Zach.1. *Zach*.1. *Apocal*.8. *Daniel*. 10. *Psalm*. 90. *Matthæi* 18.
Apocal. 8. Angeli orant pro nobis: etiam in speciali: ergo
Dan. 10. multo magis faciũt homines sancti, qui cũ Chri-
Psal. 90. sto regnãt, quia nos vehemẽter diligunt, & vt di-
Matt. 28. citur *Lucæ*.20. sunt Angelis æquales, imò habẽt a-
Luc.20. liquid erga nos quod nõ habent Angeli, quia sũt membra Ecclesiæ nobis magis cõiuncta, quàm Angeli. Nec obstat solutio Caluini, Angelos nostri curam gerere nobisque præesse, non Sanctos. Vtrumque enim falsum est, vt videre est apud

Bellarm. Bellarm. *tomo*.1. *Controuersi*.7. *generali*, *capit*.18.

Secundò probatur ex articulo fidei, Sanctorum Communionem: & quæ rogo potest esse communio inter Ecclesiam militantẽ, & triumphantem: nisi quia sunt vnius Reipublicæ membra, sunt pro inuicem soliciti, & curam gerunt, potissimè qui securi sunt pro eis, qui in mari magno mundi procellis agitantur. Vnde August. lib. 1. med. cap. 23. eleganter ad Sanctos, *Qui securi estis de vobis, soliciti estote de nobis, &c.* Hæc autem solicitudo & cura specialibus orationibus ad Deum fusis fit. Vide August. *lib*.10. *de Ciuit*. *ca*.9. For- *Augustin.*
tassis Hæretici impudentes negabunt articulum fidei de communione Ecclesiæ triumphantis, & militantis, sed apertè colligitur ex sacra Scriptura: nam Apost. ad Heb. 12. ait. *Nos accessisse ad Ec-* *Ad Heb.*
clesiam primitiuorum qui sunt in cælis, id est eines il- *12.*
lorum esse, ad Ephes. 2. & ad Galat. 4. dicit: *Ma-* *Ad Eph*.2.
trem nostram esse Hierusalem quæ est in cælis. Et ad *Ad Gal*.4.
Colossen. 1. Ephe. 4. dicit: *Christum esse caput supra omnem Ecclesiam.*

Demum ratione probatur, quia si quid obstaret ne pro nobis orarent; maximè quia orationes nostras vel calamitates in particulari nõ cognoscunt: sed hoc esse falsum ostẽdimus latè circa articulum quartum. Deniq; nostris orationibus excitantur, & mouentur ad orandum pro nobis, quos impensè diligunt, vt latè tradit Aug. lib. 21. *Augustin.*
de Ciuit. c. 18. eleganter Hier. contra Vigil. *Si A-* *Hieron.*
postoli, inquit, & Martyres adhuc in corpore constituti, quando pro se adhuc debent esse soliciti, pro alijs orant, quantò magis post coronas, victorias, & triumphos.

I. DISPVTATIO.

An Sancti orent pro se ipsis?

VIDETVR vera pars negatiua quia Sanctis nihil deest, aliàs non essent Beati: ergo non est quid pro se desiderent, neq; quid pro se ipsis petant. Hãc du- 5
bitationem mouet D. Tho. *in* 1. *arg. huius articuli*, *D. Thom.*
& respondet; Beatos orare pro gloria corporis, quæ illis deest, & pro sola illa. Ex quo videtur colligi, Angelos non orare pro se ipsis, quia non sunt capaces corporum; & homines Beatos nihil posse sibi postulare, quod ad statum animæ separatæ pertineat. Alensis. 4. *par*. *q*.26. *memb*.3. *art*. 4. *Alens.*
§.2. *dicit*, Beatos etiam orare pro bono habito, vt continuetur: quod sine fundamento dicitur, & ideò ab eius impugnatione supersedeo, & dubitationi per sequentia respondeo, &

Dico primò. Beati non orant pro his, quæ perti- *Sententia*
nent ad suam beatitudinem essentialem, qui eam *autoris.*
iam habent, neq; pro augmento, quia id sciunt repugnare secundum ordinem diuinę prouidentiæ, neque pro continuitate suæ Beatitudinis, à qua non esse deturbandos certò sciunt.

Secundò dico. Homines Beati orant Deum per gloria suorum corporum: ita D. Tho. in hac so- *D. Thom.*
lution. ad primum, & colligitur aperte ex *Apocal.* *Apocalyp.*
cap.6. vbi dicitur, vidisse Ioannem sub altari Dei *6.*
animas interfectorum propter verbum Dei, clamantes ad Deum: *Vsquequo Domine non vindicas, & non iudicas sanguinem nostrum? &c.* Ex quo loco colligunt omnes, Sanctorum animas postulare à Deo gloriam suorum corporum.

Dico tertiò. Probabile est, Beatos tam Angelos, 4
quàm homines, posse orare pro augmento accidentalis

dentalis gloriæ; verbi gratia, D. Dominicus, vt sui ordinis professores egregiam erga virtutem nauent operam. *Item*, omnes Beati pro complemẽto illius numeri valde augebitur gloria accidentalis singulorum. Hoc assertum non est tam certum, sicut præcedentia. *Sed probatur*, quia gloriam accidentalem nondum habent. Item, quia Christus Dominus ad Patrem orauit dicẽs: *Clarifica filium tuum*; quæ clarificatio per notitiam credentium ad gloriam Christi accidentalem pertinebat: & verosimile est eandem orationem nunc emittere, & emissurum vsq; in iudicij diem, quando illa clarificatio cessabit. Ita ergo possunt alij Sancti orare pro accidentali aliqua gloria.

Quod si obijcias accidentale gloria sequi ex essẽtiali. *Resp primò*. Idem argum. potest fieri de gloria corporis, cuius emanatio à gloria essentiali non est tam intrinseca & naturalis quin contingat essentialem gloriam esse sine illa: & ideo nõdum habita potest postulari. *Secundò resp*. Non omnia dona ad accidẽtalẽ gloriã pertinẽtia emanãt necessario à gloria essẽtiali, & ideò petuntur, præcipuè quia Sancti sciũt ea habituros per media diuinæ dispositioni cõsẽtanea, inter quæ vnũ est orationes ad Deũ fundere. Dixi; hoc assertum nõ esse tã certum, sicut præcedẽtia, quia fortasse oppositũ est probabilius. Etenim reor, omne donũ gloriæ accidẽtalis necessaria consecutione sequi ad gloriã essentialẽ, nõ quidẽ ad hũc sensum, quod non possit esse gloria essentialis sine donis gloriæ accidentalis; sed quia obtenta gloria essẽtiali simul obtinuit Beatus, vt gauderet de omni bono creato, quouis modo ad eum pertinente; non statim, sed quando bonum illud in rerum natura extaret: & hoc sine vlla oratione necessaria. Quapropter inutilis esset petitio gloriæ accidentalis dimanaturæ ab essentiali; etiam semota omni petitione.

Ad illud verò, quod obijcitur de gloria corporum, pro qua orãt Sancti, quãuis à gloria essẽtiali dimanet. *Resp*. Sanctos non orare pro obtinẽda gloria corporis, sed pro acceleratione illius consequendæ: quod non obscurè insinuatur in loco Apocaly. allegato: & sic intelligenda est assertio nostra secunda, & Sancti illum locum interpretantes. *Ad illud quod obijcitur* de Christo Domino dicimus, tunc quando petijt claritatem sui nominis, personam egisse viatoris, non comprehensoris, licet etiam comprehensor esset; & negamus modo pro ea claritate obtinenda rogare: & hæc posterior sententia videtur magis ad mentem D. Thom. qui absolutè negauit, Beatos orare pro se ipsis, excipiens dumtaxat gloriam corporis, id est accelerationem eius, vt colligebamus ex loco Apocal. quod si excipienda esset gloria accidentalis, Doctor Sanctus exceptionem non omisisset.

DISPVTATIO II.

Circa solutionem ad secundum D. Thom.

An necesse sit, vt Beati pro nobis orent, quòd præanoscant euentum seu consecutionem rerum postulandarum?

RAtio dubitandi est, quia si id prænoscunt, non est cur illum euentum postulent: quia iam sciunt nostram orationem esse exauditam; aut Deum sine oratione tale beneficium collaturum: ergo frustra & inutiliter Deum pro eo obtinendo orabunt. *Secundò*. Si certo sciant, orationem non habituram effectum, certè non postulabũt, quia habent voluntatem suam diuinæ in omnibus conformem. *Tertiò*. Si ignorent quid Deus decreuerit fieri, etiam non orabunt: ne exponantur periculo non se conformandi cum diuina voluntate. 1

Pro decisione *dico primò*. Beati, siue Angeli siue homines non semper agnoscunt, quid circa suos clientulos agendum, aut quid simpliciter orandum pro eis: an expediat quod petitur, & quomodo implendum sit, & quando; an Deo placeat, & similia: sed Deus pro suo beneplacito quandoque reuelat, quandoque non. Hoc assertum mihi videtur manifestè probari ex Historia, quæ narratur *Daniel*. 10. de Angelis custodibus gentis Persarum, & Iudæorum, qui viginti & vno diebus ignorauerunt Dei volũtatem de liberanda à captiuitate vel non liberanda gente Iudæorum. Idem etiam affirmat *Caiet. in art. 4. ad 2.* Dan. 10. Caiet.

Dico secundo. Quando Beati siue Angeli siue homines præsciunt, suas orationes effectum non habituras, nequaquam orant pro eo effectu cõsequendo. Hæc assertio proba. argum. secundo, & quia frustra talem orationem funderent. Item quia ob id; non orant pro his, quos certò sciunt esse præscitos.

Dico tertiò. Si ignorent, an eorum orationes sortientur effectum nec ne, non orant neque pro se, neque pro alijs oratione absoluta. Probatur ex D. Gregorio lib. 17. moral. cap. 7. *Quorum tamen*, scilicet Angelorum Beatorum, *vna est victoria super se, creatoris voluntas, quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, nunquam volunt*. Ex quo testimonio infert D. Thom. *in 4. distinct. 45. question. 3. arti. 3. ad quintum*, sanctos Angelos non petere nisi ea, quæ in diuina voluntate conspiciunt, & idem dicit in corpore illius articuli, & Caietanus in *articulo. 4. huius quæstionis*, eandem sententiam tuetur: dicens, propterea Ecclesiam rogare Deũ; *Tribue quæsumus* (inquit) *Domine omnes Sanctos tuos iugiter orare pro nobis*: nam videntes Sancti orationes nostras, nesciunt si orãdus sit Deus simpliciter pro illa petitione: videlicet quia nesciũt, an sit cõformis Dei volũtati: & quousque illud sciant non orabunt, & ideò nos petendo à Deo, vt Sancti pro nobis orẽt, consequẽter oramus, vt illis reuelet an nostra petitio sit conformis suæ voluntati: nisi enim Beatis hoc cõstet, nõ accingẽtur ad orãdũ; & si illis cõstet, quæ sua est dilectio erga nos, sine dubio orabunt 2 D. Greg. D. Thom. Caiet.

rabunt pro nobis. *Secundò probatur ratione.* Sancti in omnibus etiam minimis nec latum vnguem discedunt à diuina voluntate, cui conformantur tam in formali, quam in materiali volito: ergo nisi sciant quid Deus decreuerit de implenda petitione pro alijs, non illam emittent. Et hoc est
D. Thom. quod Diu. Thom. ait articulo hoc ad secundum. *Sancti* (inquit:) *hoc petunt, quod existimant eorum precibus implendum secundum Dei voluntatem.* Confirmatur. Spiritus sanctus approbat petitiones Sanctorum: quod nimirum contingit, quando ipsemet Spiritus mouet Sanctos ad petendum ea, quæ sunt conformia diuinæ voluntati: ergo nisi illum sciant in particulari circa impetrationem rei petitæ, nequaquam talem petitionem emittent. Antecedens probatur, ad Roman. 8.
Ad Ro. 8. secundum expositionem D. Anselmi, & Diu.
D. Ansel. Thom. *Qui autem* (inquit Paulus) *scrutatur corda*
D. Thom. (nempe Deus) *scit,* id est approbat, *quod desideret spiritus:* id est quid desiderare, & petere nos faciat, hoc est petitiones nostras: *Quia secundum Deum postulat pro Sanctis:* id est, causa & ratio quare approbat petitiones Sanctorum est, quia ipse Spiritus sanctus instigat, mouet, & postulare facit Sanctos.

3 *Dico quartò.* Quando Beati sciunt euentus suarum orationum non esse conformes diuinæ voluntati, non orabunt pro eorum assecutione, neque oratione conditionata, nec quouis alio modo. Et idem dico, quando ignorant quid decreuerit Deus fieri circa effectus postulandos. Hæc assertio non est tam certa, sicut præcedentes, nec ita clarè ad mentem Diui Thomæ in locis citatis. Qui fortasse poterit glossari de oratione absoluta, non de conditionata, id est si Deo aliter facere non placuerit. *Probatur* tamen prima pars, quia frustra illa oratio funderetur etiam conditionata, cum supponamus certò scire Beatum eam conditionem non esse implendam. *Item,* quia pari ratione possent Beati orare pro his, quos certò sciunt esse reprobos, aut damnatos.

Secunda pars probatur, quia maior subiectio, & conformitas est ad diuinam voluntatem in Beatis, quàm in viatoribus: sed iusti viatores quandoque ignorant euentum suarum petitionum, & vtrum contrarietur diuinæ voluntati, an non? & nihilominus petunt subintelligentes hâc conditionem, nisi res petita sit diuinæ voluntati contraria: ergo Beati quando ignorant diuinam voluntatem circa euentum petitionis, vt maiorē ostendant conformitatem ad diuinam voluntatem, non audebunt petere aliquid, nisi in particulari illis reueletur, postulatam rem esse diuinæ voluntati conformem. Has assertiones veras esse puto, & ad mentem D. Thom. sed non ignoro contra eas multa obijci: ad quas obiectiones respondere conabor.

4 *Contra* primam assertionem *obijcitur* nam superius *articulo quarto, disput.* 4. docuimus, ad statum Beatorum pertinere, vt cognoscant orationes eis se commendantium: sed non minus spectat ad eundem Sanctorum statum cognoscere euentus earum, imò & omnium suorum clientulorum, pro quibus orare cupiunt, ergo prima assertio oppositum docens falsa est. *Secundò,* quia ea assertio præcipuè fundatur in loco *Daniel.* 10. Dani. 10.
sed ex eo non conuincitur, cùm multi, vt videbimus, illum locum interpretentur de Angelo bono, & malo. Tum, quia ibi nulla fit mentio de ignoratione boni Angeli circa futurum euentum. *Respondetur ad primam obiectionem,* negando eandem esse rationem de oratione & de euentibus: quia oratio directè pertinet ad personam ipsius Beati: est enim quasi quædam cum eo collocutio, & eius cognitio est per se necessaria ad statum ipsius: cognoscere autem euentus orationum, & dispositionem, ac executionem diuinæ prouidentiæ circa illos non ita spectat ad illius statum, sicut neque rimari diuini consilij profunditatem. Quare negatur minor obiectionis. *Ad secundam quidem respondent,* ex illo loco non conuinci nostram assertionem: nos verò conuincimur adiuncta communi explanatione Patrum, qui communiter inde colligunt, Angelos custodes illarum Prouinciarum ignorasse quid Deus disposuisset de liberatione populi Iudaici: vel saltem Angelum præpositum Iudæis hoc ignorasse, & ideò tanta cura restitisse Angelo præsidi Persiæ.

Contra tertiā assertionem obijcitur: nam ex *capite decimo Daniel* citato habetur, Angelos præsides 5 Dani. 10.
Persis & Israelitis pugnasse viginti & vno diebus: pugna autem erat, quia Angelus Persarum orabat, vt populus Israel maneret in Persia captiuus, & Angelus Israel orabat instanter, vt liberaretur. Ex quo testimonio inferuntur duo. *Primum* est. Beatos posse orationes ad Deum emittere, etiamsi ignorent, an Deus annuet postulatis. *Secundum est,* non semper exaudiri orationes Beatorum, cum quandoque contraria postulent *Secundò.* Quia Beati aliquando orant pro eo, de quo ignorant esse præscitum: aliàs vix pro viuis orare possunt; cum non pertineat ad cuiusque Beati statum scire numerum prædestinatorum.

Propter hæc & similia argumenta Martinus Mart. à
à Ledesma, *2. parte, quæst.* 16. *art.* 13. censet, nostrā Ledesm.
assertionem esse contra Fidem: præcipuè propter testimonium Danielis. Cui vt exactè responderemus multa essent euoluenda, modo breuiter, nō cōstare ex sacro textu vtrumque illum Angelum esse ex numero Beatorum; quinimò, vt refert D. Thom. *prima part. quæst.* 113. *art. octauo,*
secundum mentem Hieronymi super illum lo- D. Thom.
cum, Angelus Persarum dæmon erat. Item, non Hieron.
constare eam pugnam orationibus fieri. Vnde secundum Diu. Gregorium, *libro* 17. *moral. cap.* 7.
Theodoretum, D. Thom. & ferè omnes, vter- D. Greg.
que Angelus pugnans Angelus lucis erat, pugna Theodor.
autem non fuit inita orationibus; sed dumtaxat D. Thom.
coram Deo proposuerant causas & merita illorum populorum in ordine ad liberationē Israelitarum, aut detentionem in captiuitate: ad eum modū, quo solent causidici (vt ita loquar) merita suorum clientulorum coram iudice agere, nihil à iudice petētes: ita Angeli illi, quia ignorabāt Dei voluntatem, nihil ab eo petierunt, expectantes

Dei reuelationem: qua manifestata omnes vnanimiter in Dei voluntatem consenserunt. Ita explicat ex Greg. D. *Tho. 1. p. & in 4. locis citatis in solutione ad 3.*

D. Thom. Sotus. Ad secundam obiectionem Sotus *in 4. dist. 45. artic. vlt.* respondet, non esse necessarium ad statum beatificum, vt Beati in verbo numerum omnium prædestinatorum & reproborum videant. Et hoc censeo verum, sed subiungit, & ideò possunt petere etiam absoluta petitione salutem pro reprobo parente suo, aut filio, quousque Deus illis reuelet reprobationem. Hoc impugnatur ex dictis; estque contra D. Thom. in eodé loco: hoc intelligo de petitione pro Beatitudine obtinenda; nam alia, quibus reprobi sunt capaces, v. g. bonorum temporalium in bonum Reipublicæ, & Dei gloriam, nil vetat petere.

6 Quartam assertionem quidam moderni negant, putantes, oratione & petitione conditionata posse Beatos petere pro nobis; siue quando sciunt certò non consecuturos euentum postulatorum; siue quando quid euenturum sit, ignorant. Probatur. Quia *Matth. 26.* habetur, Christum Dominum postulasse in horto Patrem, vt à se transferret calicem passionis; cum certò sciret illud non fuisse à Patre concedendum. Quã petitionem fuisse conditionatam ipse sacer textus demonstrat: cum ait, *si possibile est transeat à me calix iste*: ergo idem dicendum est de Angelis & hominibus Beatis, posse ex quodam affectu simplici, & amore alicuius personæ, pro ea orare, etiam si sciant non successuras res postulatas: & multo magis quando euentum ignorant. Et iuuatur hæc sententia ex D. Thom. *in quarto, loco citato circa finem art.* dicente, sicut Deus voluntate antecedenti vult omnes homines saluos fieri; quæ non est voluntas absoluta sed conditionata; ita & Beatos: & consequenter orare possunt cõditionatè pro his, quos sciunt esse reprobos: aut de quibus ignorant, an sint reprobi.

Matt. 26.

D. Thom.

7 Ad obiectionem vt respondeatur, notandum est, ex Euangelica Historia, & Patrum interpretatione, Christum Dominum ad ostendendam veritatem humanæ naturæ, & propter alias rationes multos affectus induisse, multasq; actiones exercuisse, quæ infirmitatem naturæ humanę ostendebant. Similiter dicimus, in oratione, quã fudit in horto. personam puri viatoris repræsentasse, ac si non esset comprehensor: & sic orasse Patrem pro transferendo à se calice pasionis, ac si esset quiuis alius homo ignorans decretum diuinum de morte subeunda; cum tamen certò illud sciret. Hoc acutè declarauit Caietanus super hunc locum Matth. *si possibile est*, &c. *Modus conditionalis* (inquit Caietanus) *propter inferiorem rationem appositus est: non enim ideò dicit conditionaliter, quia ipse Iesus ignoret, si possibile est: ipse enim omnia nouit: sed quia ratio inferior in ipso nescit ordinem diffinitum à diuina sapientia. Itaq. sicut homo purè viator ignorans, quid de calice bibendo futurum esset, posset orare pro eo vitando: ita Christus Dominus orauit, ac si euentum illum ignoraret. Ex quo non sumitur argumentum, idem posse Beatos, qui ratione sui status tenentur omnino se conformare diuinæ voluntati: quam si nesciant, expectant eius manifestationem in signum magnæ subiectionis, & conformitatis.* Ad D. Thom. respondetur, cum ibi non dixisse, Beatos orare pro omnibus vt saluentur, neque absolutè, neque conditionatè: sed desiderare, vt omnes saluentur desiderio conditionato, quod velleitas quædam est. *Dices*, quod licet desiderare, & eo modo quo desideratur licet petere. *Negatur assumptum*, quia desiderium conditionatum, id est velleitas impossibilium potest esse: non verò petitio, quæ dicit ordinem ad assecutionem; & hæc non est impossibilium. Itaque licet habere velleitatem, vt omnes saluentur: at non licet petere, maximè Beatis, qui in omnibus voluntati Dei conformantur.

Caiet.

Ad argumenta posita in disputationis initio patet responsio ex traditis; præterquam ad primum, ad quod *negatur antecedens, & consequentia*: quia sæpè Deus decreuit, vt orationibus Sanctorum impleatur id, quod vident eum velle, aliàs non implendum, sicut Augustinus dixit libro de prædestinatione Sanctorum, orationes prædestinatorum prodesse: quia fortè prædestinatum est, vt orationibus intercedentium saluentur. Ita dissoluit argumentum D. Thom. *in quarto, loco citato ad quintum, & 3. p. quæst. 21. art. 1. ad 1.* simile argumentum factum de orationibus Christi dissoluit dicens, Christum petiuisse aliqua, quæ fienda sciebat per suam orationem, & ideo non inutiliter petijsse. Ex his assertionibus infertur corollarium pro dicendis inferius circa *articulum decimum quintum*, orationes omnium Beatorum, siue pro se, siue pro alijs, semper exaudiri, quia semper petunt ea, quæ sciunt Dei voluntati beneplaciti esse conformia.

Ad Argumenta in princip. R.

Aug.

D. Thom.

III. DISPVTATIO.

Quot modis, & quo modo Sancti in Patria existentes orent pro nobis?

PRo cuius declaratione præmittendum est ex D. Thom. *in quarto, distinct. 45. artic. tertio*, quod Sancti dupliciter dicuntur orare pro nobis. *Vno modo*, oratione expressa: dum aures diuinæ misericordiæ suis petitionibus pro nobis pulsant. *Secundo modo*, oratione interpretatiua: quando scilicet eorum merita nobis coram Deo quoquo modo auxiliantur. Quo modo possint orare oratione expressa, res clara est, nimirum suppliciter petendo à Deo, vt nobis bona largiatur: interdum etiam si nos illa non petamus: interdum nobis illa poscentibus. Quod miro artificio insinuauit Ioannes, Apocalyps. 5. cum ait, *Quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli cytharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, &c.* Ex his quæ in veteri lege fiebant visibiliter & corporaliter vult Apost. introducere ad cognoscendum ea, quæ San-

1 *D. Thom.*

Apocal. 5.

Sancti efficiunt, quando suis orationibus nobis auxiliantur: in veteri namque lege vt notat Hieronym. *Ezechiel.* 14. ponebantur coram altari phialæ plenæ odoramentorum, vt Deo odorem suauissimum exhiberent, illique rem gratam facerent; hæc odoramenta Ioannes ait in cœlo esse orationes Sanctorum viuentium: quas quatuor animalia & seniores, vel Beati seruant, vt Deo offerant: quod fit, quia Deum precantur, vt votis nostris, & pijs petitionibus annuat. Cætera verò, quæ in hac egregia metaphora adiunguntur dignitatem orationis extollunt. Comparatur namque oratio odoramentis, quoniam cœlestia quærit, sursum rapitur, & Deo suauissimi odoris est. Dicũtur esse in phialis aureis, quoniam non solùm gratæ, & suaues, sed etiam maximi pretij, (solent enim Principibus offerri in phialis aureis pretiosa quæque) aut verò, quia ex charitate (quæ in auro designatur) procedunt. Alij verò, vt Andreas Cesar, existimat, propterea orationes iustorum Dei asseruari in phialis aureis, quia procedunt ex mentibus puris; ac subinde magni valoris apud Deum esse.

Hieron.

And. Cæs.

2 Pari tenore explicandum est illud testimonium Apocalyps. 8. *Alius angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei: & ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.*

Apocal. 8.

In his, quæ dicuntur de altari aureo, de thuribulo incenso, &c. fit allusio ad ea, quæ in veteri legi fiebant. Et quamuis hæc Ioannes in visione imaginaria, corporalia & visibilia viderit; in Patria vero, vbi visio impletur, nequaquam erit altare aureum, thuribulum, aut incensum materialia; sed modo quodam excellentiori, ad quem nos vult Apostolus manu ducere ex his corporalibus: Et in summa vult docere, quod quemadmodum in altari aureo, quod erat ante oraculum atomata suauissimi odoris adolebantur, sic preces Sanctorum ante Dei conspectum, quod significatur per Sancta sanctorum, offerri ab Angelis, esseque ei gratissimas. Quod etiam ex alijs locis sacræ Scripturæ patet Tobiæ 12. Actor. 10. & Patres idem docent, Anasta. Nicenus, quæstione sexagesima prima, citat Nicephorum dicentem: *Scimus & credimus nostras in Deum glorificationes per Sanctos offerri Angelos, siquidem verum illud, Angeli eorum semper vident faciem Patris, quid agentes, aut operantes, nisi quod nostras petitiones ad aures Domini Sabbaoth animo adducentes, eum reddunt propitium propter ea, quæ gessimus.* Videndus est Augustinus, *sermone* 226. Rupertus, *libro nono de victoria Verbi, capite octauo*, Bernardus, *sermone septimo in Cantica, & tertio super missus est*; Molanus, capite duodecimo de picturis Angelorum, dicit: *Thuribula, quibus cum pinguntur, significant, quod orationes nostras Deo offerant & recitent.* Hebræi, Genes. 10. vt ait Zohar dicunt: *Esse firmamenti faciem, volucres, quæ Deo referant omnia:* figurata, scilicet oratione Angelos notant: sicuti & cum tradunt eorum, qui Deo orationes & sacrificia offerunt, Principem esse Sandalphon: vt notat Franciscus Georgius, *tomo sexto, problemate* 179. & 181. est autem Sandalphon quem Exodus, *capite quarto* Moysi occurrisse tradit in exodo Zohar, columna 102.

Tob. 12.
Actor. 10.
August.
Nicen.

Aug.
Rupert.
Bern.
Molan.

Zohar.

3 Sed pro explicatione horum testimoniorum & similium *nota*, aliquid amplius significari in hoc quod dicitur beatum offerre Deo orationes nostras; quàm in hoc quod est orare pro nobis. Nam illud prius supponit, orationem aliquam Sancto factam, & ipsum Deo offerre, id est, Deo enarrare postulata & postulationem, & insuper à Deo postulare, vt oratio illa exaudiatur. Hoc verò posterius potest fieri etiam nobis non orantibus, sed Angelis pro nobis interpellantibus; etiam si nos non oremus habemus igitur Beatos, tam Angelos, quàm homines pro nobis orare oratione expressa. Egregie D. Hylarius, Psalmo. 129. *Intercessione Angelorum non natura Dei indiget, sed infirmitas nostra: missi sunt enim propter eos, qui hæreditabunt salutem, Deo nihil ex his, quæ agimus ignorante, sed infirmitate nostra ad rogandum & promerendum spiritualis intercessionis ministerio indigente.* Orant itidem oratione interpretatiua.

Cuius primum genus est, quando Sancti non petunt expresè pro viuis, sed desiderant, quod Deus illis hæc, & illa largiatur: hoc autem desiderium quædam oratio pro viuis est. Reduco autem illud ad orationem interpretatiuam: quia vt superius docui, oratio strictè & propriè loquendo non consistit in desiderio, sed in expressione eiusdem. Quod si quis contendat, hoc desiderium Sanctorum, vt pote Deo manifestum, ac ex consequenti nulla indigens expressione, esse orationem expressam, vt ait D. Thom. *in quarto sentent. dist. 45. quæst. quarta*, non mordicus contradico. D. Thom.

Secundum genus orationis interpretatiuæ sunt ipsa merita præterita Beatorum, quæ viuis euxilio sunt ad impetrandum bona: eò quod Deus illis inclinatus nobis sua dona largitur. Et enim pro sua benignitate non solũ voluit, vt merita Sanctorum illis prodessent ad gloriam, sed etiam vt nobis essent auxilia, & suffragia. Dicuntur autem orationes ista merita, etiamsi Sancti ea non allegent, aut Deo proponant eò quod manent in Dei memoria & acceptatione, vt illis medijs Deus dona conferat viuis, qui aliqua habitudine coniuncti sunt Sanctis cum Christo regnantibus. Nec dissonat iste modus loquendi sacræ Scripturæ Phrasi: Genes. 4. dicitur, Sanguis Abel clamare coram Domino, quia est in Dei memoria, vt vindictam necis Abel exerceat: & ad Hebr. 12. Sanguis Christi effusus dicitur clamare ad Deum, quia est in Dei memoria & acceptatione, vt veniam hominibus præbeat: ergo pari ratione merita Sanctorũ dicentur clamare, & orare; quia sunt in memoria & acceptatione Dei, vt Deus nobis bona conferat: imo sicut ad Hebræ. 11. ipse Abel adhuc defunctus dicitur

Genes. 4.
Ad Hebr. 12.

dicitur loqui per fidem, id est per opera bona procedentia ex Fide: sic Beati quamuis nihil petant expressè pro nobis, dicuntur petere per opera sua, & merita. Et notandum, ista Sanctorum merita habere vicem orationis, & precum interdum pro viuis, nihil petentibus, aut cogitantibus petere, aliqua tamen habitudine coniunctis ad ipsos Sanctos qui cum Christo regnant: verbi gratia: premitur frater Dominicanus aliqua calamitate, Deus aliquando eum non implorantem D. Dominici auxilium liberat à periculo propter merita B. Dominici. Idem dico de filio propter merita Patris, ac denique multis alijs modis, iuxta Dei dispositionem. Sic

3.*Reg.* 15. habetur 3. Regum 15. *Propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Hierusalem, vt suscitaret filium eius post eum, eo quod fecisset David rectum in oculis Domini.*

4 Tertium genus orationis interpretatiuæ est, quando viui dirigunt orationes suas immediatè ad Deum, sed diffisi suis meritis, agnoscentesq; suam infirmitatem, & imbecillitatem, vt Dei misericordiam magis prouocent Sanctorum merita allegant. Vt quando quis orat dicens, propter merita sanctissimæ Virginis salua me, propter vulnera Christi Domini sanctifica me, &c. quod orandi genus ea parte, qua Deum rogamus, oratio est expressa: ea parte, qua merita Sanctorum allegamus, oratio est ad Sanctos interpretatiua.

Et aduertere licèt *primò*, in tali precandi modo, non solùm reperiri petentem, à quo petitio desideratur impleri; sed etiam reperitur ratio petendi, seu titulus, quo Deum inclinari nostris precibus credimus. *Secundò*, hoc orationis genus esse omnium optimum, eò quod in eo subiectionis & humilitatis ratio (valde necessaria ad orationem, vt cœlos penetret) exactius exercetur, non tantum, quia homo se subijcit Deo, petendo ab ipso, quod commune est in omni ratione; verum etiam, quia vsque adeò se dimittit, vt prorsus suis meritis diffisus recurrat ad aliena. Hæc orandi forma frequens est

Exod. 32. in sacris Literis legis veteris. Exod. 32. Moyses ita orat: *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum.* Quem locum explanans Theodo-

Theodor. tetus, quæstione sexagesima septima in Exod. dicit, Sanctum Moysem cum se non existimaret sufficientem ad placandum Deum, adhibuisse

Psal. 131. etiam patrocinium Patriarcharum, Psalm. 131. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis eius.* Et infra, *Propter David seruum tuum non auertas faciem Christi tui.* Quæ verba sunt Salomonis orantis Deum per merita Patris sui David iam de-

2.*Par.* 6. functi: vt constat secundi Paralip. capite 6. Dan.

Dan. 6. 6. *Ne auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, &*

August. *Israel sanctum tuum.* Et Beatus Augustinus, quæst. 149. in Exod. *Admonemur (inquit) cum merita nostra nos grauant, ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit.* Idem vi-

D. Chrys. dere licet apud Chrysostomum, homilia quadragesima secunda in Genesim, & vigesima septima in Matthæum.

DISPVTATIO IV.

Vtrum Beati mereantur viatoribus ea quæ à Deo petunt?

Et videtur vera pars affirmatiua. *Primò*, quia Ecclesia quando orat, non solum petit à Deo propter Sanctorum preces; sed etiam propter merita: vt videre licet in pluribus Ecclesiæ orationibus, vbi distinguūtur duplices rationes impetrandi, nempe preces & merita: ergo re vera Beati nobis merentur postulata. 1

Confirmatur nam D. Maximus in natali Nazarij & Celsi dicit, Sanctos mereri. D. Ambros. *de Abel & Cain, lib. 2. capite* 5. vtitur nomine meriti. Leo Papa, *sermone de D. Petro & Paulo*, Augustinus, *lib. 10. contra Faustum, capit. 21. & lib. 21. de ciuitate Dei, cap.* 27. *D. Maxi.* *D. Ambr.* *Leo.* *August.*

Secundò. Si Beati non merentur nobis suis precibus, maximè, quia sunt in termino, quæ est ratio collecta ex D. Thomæ doctrina. Sed hæc ratio tantum probat, quod sibi non mereantur his, qui non sunt in termino, nempe viatoribus. *Confirmatur.* Dato, quod puis perueniat ad summam Regis amicitiam, & non crescat amplius, benè stat per opera procedentia ex tali amicitia promereri multa bona apud Regem alijs, qui cupiunt proficere in Regis gratia: ergo pariter dicendum erit de Beatis in promerendo viatoribus multa bona, quibus egent.

In oppositum est. Vel Sancti merentur nobis, quæ nobis impetrant meritis recentibus, id est operibus, vel orationibus, quæ de nouo faciunt post adeptam beatitudinem; vel meritis præteritis; vel operibus actis dum erant in via. Non primum, quia existentes in via statum merendi excesserunt: non currunt in stadium, sed brabium acceperunt: cursum merendi consumauerunt, & fruuntur reposita sibi corona iustitiæ. Neque etiam secundum verum est, quia pro operibus bonis in hac vita gestis sufficienter præmiati sunt, etiam vltra condignum: ergo non denuò præmiabuntur. Nisi dicas, quod diuiditur illud præmium inter Beatos, & eos pro quibus orant. Quod videtur ridiculum. 2

Scotus in *quarto, distinct. 45. quæst.* 4. dicit, Beatos mereri per suas preces, & desideria, ac bona opera alia multa bona ijs, qui in hac mortali vita degimus. Idem tenet Gabriel super *Canonem Missæ, lection.* ·o. *circa finem.* Dicunt tamen, quod sibi non merentur Sancti aliqua, quia sunt in termino respectu sui. Et D. Thom. *in 4. dist. 45. quæst.* 3. *art. 3. ad* 4. non abhorret ab hac sententia, licèt oppositam magis approbet. *Scotus.* *Gabriel.* *D. Thom.*

Pro decisione *dico primò*. Existimo periculosum in Fide asserere, quod Sancti mereantur de condigno primam gratiam viatoribus per suas preces, aut per quæuis alia opera. *Probatur*, quia vel hæc impetratio gratiæ fit ex opere ope- 3 *Sententia autoris.*

operato, nullo requisito motu ex parte viatoris, sed hoc tantum, quod non apponat obicem: & hoc est contra sacras literas exigentes Fidem, Spem, & Pœnitentiam, vt aliquis iustificetur extra sacramentum: vel impetrant nobis Sancti, vt habeamus auxilia sufficientia & necessaria ad habendum motũ Fidei, & Pœnitentiæ, ad quos motus iustificatio sequitur: hoc autem etiam videtur impossibile, quia etiam supposita oratione Beatorum, adhuc manet peccator indifferens ad hoc, vt conuertatur, vel non conuertatur: ergo non meretur de condigno primam gratiam. *Confirmatur.* Concors Theologorum omnium sententia est, solum Christum mereri potuisse de lege alijs primam gratiam, imo & augmentũ gratiæ: ergo temerarium est vlli alteri, etiam eorum, qui cum ipso regnant, hoc tribuere. Videndi sunt Doctores interpretes D. Thom. 1.2. *quæst.*114. *articulo* 4.

4 *Secundò dico.* Nihil merentur Sancti de condigno viatoribus, etiam de ijs, quæ non pertinent ad gratiam. Hæc conclusio non est tam certa sicut præcedens, & D. Thom. *in quarto, dist.* 15. *quæst.* 4. *art.* 6. *quæst. secunda ad* 3. refert quorundam sententiam; Beatos posse alijs mereri: sed probatur conclusio ex ratione D. Thom. 1. 2. *vbi supra*: nam meritum de condigno debet esse ex motione, & inclinatione gratiæ & charitatis: sed gratia Beatorum, quæ est eiusdem rationis cum gratia eorundem, quando viatores erant, non inclinat ad aliorum dona promerenda, sicut neque ad aliorum gratiam: ergo non merentur de condigno præfata dona, etiamsi non sint gratia, aut pertinentia ad ordinem gratiæ.

D. Thom.

D. Thom.

Dico tertiò. Sancti suis precibus non merentur viatoribus quidquam: neque etiam merito de congruo. Hæc conclusio est contra citatos, Scotum, & sequaces: est tamen perpetua sententia D. Thom. *tùm in locis citatis in quarto, tum alibi*: vbi nullum agnoscit meritum in his, qui è vita hac excesserunt: neque de condigno, neque de cõgruo: propterea quod sunt omninò extra statum merendi. Fateor, me non inuenisse rationes efficaces ad probandum Sanctos, qui cũ Christo regnant, non posse sibi mereri præmia accidentalia, respectu quorum non sunt in termino. Et multo minus reperio rationes conuincentes, nõ posse viatoribus mereri de cõgruo omnia bonorũ charismata. Sed probabiliorem reputo D. Thomæ sententiam: quia omninò sunt in termino, siue in ordine ad se, siue in ordine ad alios, eò quod sunt omninò extra statum merendi.

Scot.
D. Thom.

5 *Dico quartò.* Sancti adiuuant viatores suis meritis præteritis, vt eorum orationes exaudiantur. *Explicatur conclusio.* Dei magnificentia acceptauit opera bona meritoria, quæ Sancti gessere, dum erant in vita mortali, non solum ad eorum gratiam, gloriã & cætera dona obtinenda: verum etiam ad multa bona in via, vel in patria alijs tribuenda. Itaque meritum non solum merenti, verum alijs ad ipsum recurrentibus proficiet. Hæc est sententia D. Thom. *in quarto, dist.* 45. *quæst.* 3. *art.* 3. *ad* 4. & est etiam Scoti, in tertio, distinctione decima octaua.

D. Thom.
Scot.

Quod si scire cupis, quo modo Sanctorum merita nobis applicentur, & iuuemur. Interdum fit, quia nos inuocamus eorum merita, & ob id nostræ orationes exaudiuntur: interdum ipsi Sancti applicant, orando pro nobis, & propter eorum merita preces nostræ exaudiuntur: interdum verò nobis nihil petentibus eorum meritis adiuuamur, vt declaraui quæstione præcedenti. Vnde bene Sotus in 4. *dist.* 45. *art.* ait; quod licet Sancti non mereantur post hanc vitam; tamen applicantur nobis merita, quæ in hac vita habuerunt; & ideo non solum precibus, sed etiam meritis Sanctorum multa nobis conceduntur. Ex hac conclusione patet, quid sit dicendum ad primum argumentum cum sua confirmatione.

Dico quinto. Licet Sancti cum Christo regnantes non mereantur nobis aliquot bona, suis tamẽ precibus nobis illa impetrant. Hæc conclusio est D. Thom. vbi supra: & communis in eius Schola. Pro cuius declaratione notandum est ex D. Tho *infra art.* 15. & 12. *quæst.* 114. *art.* 6. *ad* 2. discrimen inter meritum orationis, & impetrationem eiusdem: nam meritum de condigno innititur iustitiæ, qualis reperitur inter Deum, & homines: at impetratio innititur meræ Dei liberalitati: iuxta illud Daniel. 9. *Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.* De discrimine autem inter meritum de congruo, & impetrationem, *infra articulo* 15. 6

D. Thom.
D. Thom.
Daniel. 9.

Ex his patet, quid sit dicendum ad argumenta in principio: & ad illud factum in oppositum quatenus militat contra quartam assertionem respondetur facilè; Sanctos nos adiuuare meritis præteritis, quæ habuerunt, dum in mortali vita erant; non quia diuidantur merita, sed quia dum in hac vita erant, vt nobis sua merita prodessent; meruerunt.

V. DISPVTATIO.

An viris Sanctis iam defunctis conueniat orare?

ET vt titulum disputationis percipias, aduerte moueri propter Patres, qui in Limbo erant ante Christi mortem, & maximè propter animas modo existentes in Purgatorio. Et videtur vera pars affirmatiua. Primo, ex testimonijs sacræ Scripturæ Iob 5. *Voca si est qui tibi respondeat* (nempe ex viuis) *& ad aliquem Sanctorum conuertere,* (nempè ex mortuis) *vt te adiuuent suis orationibus.* Et certum est loqui de Sanctis, qui non erant Beati: nam ætate Iobi nulli iusti erant in cœlo Beati, sed omnes in Limbo Patrum, aut in Purgatorio: & 2. Machab. 15. dicitur de Hieremia defuncto, & in Limbo existente, *Hic est qui assidue orat pro populo Dei*, & Hierem. 15. & Ezechiel 14. inducuntur Moises, Samuel, & Daniel, qui tunc temporis erant in Limbo Patrum, vt soliti orare pro populo Dei. 1

Iob. 5.
2. Mac. 15.
Hierẽ. 15.
Ezec. 14.

Secundò. Si charitatem attendamus, si indigentiam, si

tiam, si Dei amicitiam, quæ solent esse motiua ad orandum, hæc omnia reperiuntur perfectius in iustis defunctis, etiamsi non fruantur diuina visione, quàm in viuis, vt patet specialiter in animabus existentibus in Purgatorio: ergo non est cur non orent pro se, & pro nobis. *Antecedens* patet, quia sunt certi de sua erga Deum charitate; quod sint Dei amici; patiuntur grauissimos cruciatus, à quibus liberari possunt, & debent à Deo petere. *Item*, valdè nos diligunt ex charitate, & compatiuntur nostris miserijs: cur ergo non orant pro se, & pro nobis.

Lucæ 6. *Tertiò*, Lucæ 6. inducitur diues epulo in inferno positus orare pro se, & pro suis fratribus: ergo potiori ratione animæ iustæ in Limbo, & Purgatorio; orabunt pro se, & pro nobis: cum habeant affectiones ordinatas per charitatem stabilem erga Deum & homines.

2 Pro decisione *dico primò*. Animas iustorum quando erant in Limbo petijsse frequenter filij Dei aduentum in carne aut accelerationem incarnationis. *Probatur*, quia præfati iusti, dum in terris viuebant, magnis clamoribus id postulabant: vt patet ex tota serie veteris testamenti: ergo in Limbo positi, vbi perfectior charitas, ardentius erat desiderium, res concupita magis differebatur, citra dubium petitiones eædem crebrius fundebantur. An verò alia pro se peterent? credo quod non, quia omnia alia præter Dei visionem, quæ danda erat medio aduentu Christi, illis ad votum successerant: & iam non erant in statu merendi ampliora bona.

Dico secundò. De fide est, animas in Limbo Patrum existentes orasse pro his, qui tunc erant superstites in terra, Probatur 2. Machab. vltimo. *Hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate, Hieremias Propheta Dei:* qui tamen tunc erat in Limbo, & alijs testimonijs citatis in argumento primo. Præterea sicut ex inclinatione charitatis prouenit alijs bona desiderare: ita & pro eis orare: sed Patres in Limbo habebant perfectam charitatem, erant Dei dilectissimi, & in statu valdè superiori statu viatorum: ergo orabant pro eis. Siquidem nec fauor, seu potestas ac volũtas deerant. Hac ratione vtitur D. Thom. ad probandum Sanctos pro nobis orare, quæ æqualiter procedit in Patribus existentibus in Limbo: & ideo agens de Beatis, miscuit sermonem de Patribus in Limbo in argumento, sed contra: & merito, quia vtrique sunt impeccabiles, & in charitate confirmati, & nulli pœnæ sensus subiecti: in hoc solo discrimen est, quod Patres in Limbo non fruebantur Dei visione, ac ex consequenti non videbant, aut de lege non videre poterant orationes ad se directas. *Sed obijciet* quispiam, quomodo ergo orabant pro viatoribus? petebant in generali pro populo Dei consecutionem bonorum, & malorum amotionem, & in particulari pro suis propinquis, aut notis.

2. Mac. vl.

D. Thom.

3 *Dico tertiò*. Animæ in Purgatorio existentes orant pro se. Hæc conclusio est certissima, eo quod animæ Purgatorij multis indigent, nempè gloria animæ, & corporis, subleuatione pœnarum, & cruciatuum terribilium, quos patiuntur: & egent insuper consolatione in suis doloribus, & tristitijs; & ex alia parte habent affectiones ordinatas, sciunt Deum esse, ad quem recurrendum est pro consequendis bonis, & amouendis malis: ergo ad ipsum recurrunt orando. *Confirm.* nam Beati *minus* indigentes, vt pote quibus tantum deest corporis gloria, pro ipsa orant: vt testatur D. Thom. in hoc articulo ad primum: ergo à fortiori orabunt pro se animæ existentes in Purgatorio, quia pluribus indigent. D. Thom.

Contra hanc assertionem *arguitur primò*. Animæ in Purgatorio existentes non subleuantur à pœnis debitis nisi pro eis satisfaciant per alios, aut per se satis patiantur: sed orationes quas pro se fundunt non sunt satisfactoriæ, sicut neq; meritoriæ: quia non sunt in statu merendi, aut satisfaciendi: quod benè agnoscunt ipsæ; nouerunt enim ibi non commutari pœnam ignis in aliquã propriam actionem ipsius animæ patientis, hoc namque est satisfacere pro reatu pœnarum: ergo nullius momenti sunt ad subleuandas pœnas, ac ex consequenti non orant pro se. Orationes animarum existentium in Purgatorio sunt impetratoriæ.

Contra secundò. Animæ existentes in Purgatorio conformantur diuinæ voluntati, etiam in volito materiali; id est non appetunt aliquid, nisi quod Deus vult fieri: sed eædem animæ sciunt, sibi certam pœnarum quantitatem esse taxatam à Deo, à qua non liberabũtur, nisi per aliorum satisfactionem, quia ipsæ nõ possunt satisfacere: ergo, non petunt à præfatis pœnis liberationem, ac ex consequenti, non pro his orant. 4

Tertiò. Oratio si vestiatur quatuor conditionibus, nempè, piè, pro se, perseueranter, & de necessarijs ad salutem, habet infallibilitatem impetrandi, quod petit, vt dicetur infra: sed orationes animarum Purgatorij habent has omnes conditiones: ergo erunt semper efficaces, atque ex consequenti non indigent animæ Purgatorij, vt liberentur à pœnis, suffragijs Ecclesiæ, orationibus viatorum, sed suis orationibus liberabuntur ab eis, sine eo quod satis patiantur: quod illatum plusquàm falsum videtur.

Duo priora argumenta soluuntur, si supponamus ex dicendis, propriũ effectũ orationis, vt oratio est, esse impetrationem petitorum: iste autẽ effectus non innititur iustitiæ, sed misericordiæ, quapropter licèt animæ Purgatorij pro se orent, tamen non inde sequitur continuò obtenturas rem petitam. *Quare ad primum respondetur*, distinguendo maiorem: per modum satisfactionis, concedo: per modum impetrationis, nego. *Tripliciter* enim possunt liberari à pœnis debitis, per satisfactionem aliorum; per satispassionem propriam; & impetrationem suarum orationum, vel alienarum: sed hoc non infallibiliter: quia non est infallibilis impetratio. Vbi obiter aduertere licet, plus iuuari animas existentes in Purgatorio suffragijs nostris, quàm suis orationibus. *Tum*, quia pluribus modis, nempè orationibus Ecclesiæ & particularium, & oblationibus, sacrificijs, 5

ficijs, &c. *Tum*, quia sacrificia ex opere operato, & infallabiliter prosunt. Idem est de indulgentijs. Cæterum orationes propriè impetratoriæ sunt, & consequenter non ex iustitia, aut infallibiliter.

Ad *secundum pariter respondetur*, animas Purgatorij non orare pro liberatione à pœnis volentes contraire diuinæ voluntati: quæ non est vt non liberentur à pœnis debitis ante satis passionem, sed ante satispassionem, aut satisfactionem, aut verò per impetrationem: iuxta illud Iocl.4. Iocl.4. *Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem*. Si non liberando à pœnis, saltem accelerando liberationem, siue condonando partem eorum propter Christum, siue excitando fideles, vt pro eis satisfaciant. Mitto modò, quod possunt orare pro gloria suorum corporum, vel pro consolatione in cruciatibus, & similibus. Ad tertium respondetur infra latius.

6 *Dico quartò*. Animæ existentes in Purgatorio, non orant pro nobis. Hæc conclusio communis est apud Doctores Scholasticos antiquiores, ex quibus nullus est (quod ego viderim) qui oppositum sentiat. Ita D. Tho. in quarto, distinctione 15. *quæstione*.4.*articulo* 5.*quæstiunc*. 1. corpore, & ad secundum, & omnes citati *in artic*. 4. *disputatio* 6. Sed isti ad probandam conclusionem diuersis vijs pergunt. *Quidam*, quia animæ in Purgatorio non sunt in statu merendi, aut accipiendi præmium ita Alexander vbi supra, & D. Thom. *in* 4. *Item*. Quia cùm pœnæ, quas patiuntur animæ præfatæ sint acerbiores, quàm quidquid pœnarum in hoc sæculo sentire, videre, aut cogitare quis poterit, vt dicit Augusti. super *Psalmum* 37. & Gregorius *super Psalmum* 3. *pœnitentialem*, illis adeò affliguntur, & præoccupantur, vt ad considerationem aliorum, nequaquam conuerti possint, suis cruciatibus solum intentæ: sicut videmus accidere in seculo ijs qui grauissimis pœnis affliguntur. Aliam rationem assignat D. Thom. *in hoc articulo* ad secundum: quia animæ Purgatorij licet sint bonis superiores propter impeccabilitatem, & gratiæ securitatem, sunt tamen inferiores quantum ad pœnas, quas patiuntur, & ideo non sunt in statu orandi, sed magis vt oretur pro eis.

D.Thom. Alexand. D.Thom. August. Gregor.

7 *Contra hanc conclusionem argumentor primò* argumentis factis in principio huius disputationis quæ pugnant contra eam. *Secundò*. Animæ quæ fruuntur Dei visione non sunt in statu merendi. Similiter, animæ, quæ erant in Limbo Patrum; & tamen orant vel orabant pro viatoribus, vt supra probatum est: ergo animabus existentibus in Purgatorio non obstar, quo minus orare pro nobis possint, eo quod non sunt in statu merendi.

Tertiò, contra secundām rationem. Sancti martyres positi in magnis cruciatibus ex feruore charitatis orabāt pro alijs, vt patet de D. Stephano, qui orabat pro suis tortoribus, & de alijs multis idem legitur: ergo idem erit de animabus Purgatorij: maximè quia hoc orandi negotium in instanti, & sine voce peragitur: & sicut acerbitas pœnarum incitat ad orandum pro se, etiā ad orandū pro alijs incitabit. Sicut legimus de diuite, *Luca* 16. Accedit ad hoc, quod fortasse sunt Luc.16. aliquot animæ, vt concedit Alexander vbi supra, Alexand. quæ non adeò fortiter affliguntur, vt illæ, de quibus Augustin. loquebatur.

Quartò contra tertiam rationem, quæ est potissima D. Thom. Nam ad orandum pro aliquo nō requiritur aliqua superioritas erga illum, vt patet: nam nos oramus pro Episcopis, pro Regibus, qui sunt nobis superiores: & fideles orabant pro D. Paulo, *ad Romanos* 15. *ad Colossen* 4 *& pro* AdRoma. D. Petro *Actorum* 12. & tamen qui orabant, erant 15. multo inferiores in sanctitate. *Item*. Supra do- Ad Colo. cuimus, existentes in peccato licite orare pro his, 4. qui in gratia Dei sunt: ergo hæc ratio deficiens Acto.12. est.

Medina Complutensis *Codice de oration. dubit.* Med. Cō- 11. & Gabriel *super Canonem lectione* 58. *circa* fi- pl. nem, existimant propter hæc & similia argumē- Gabriel. ta, animas existentes in Purgatorio orare pro 8 nobis. Eandem sententiam tuetur Bellarminus Bellarm. *tomo* 1. *suorum operum, controuersia* 6. *generali, lib*.2. *cap*.15. & Gregorius Valentia 1. 2. *dub*. 6. *quæst*. 2. Valent. *puncto*. 6. & *nouissime* Suarez, *tomo* 2. *de Religione* Suarez. *lib*.1. *capi*.11. Et si roges, quo modo orant pro nobis, qui non agnoscunt orationes ad ipsos emissas, vt supra diximus? *Respondent*. Aliquas cognoscunt relatione Angelorum, alias, quia aliquæ animæ nobiscum versantur purgantes sua crimina. *Item*. Quamuis omnes ignorent, sciunt tamē in quantis periculis versemur, quantis indigeamus diuinis auxilijs; & ideò orant saltem in generali pro populo Dei, pro suis amicis, cognatis, aut quocunque modo ad se pertinentibus, pro his, qui illis orationibus, & alijs suffragijs opitulantur.

Hæc sententia probabilis apparet in eo, quod 9 asserit animas Purgatorij orare pro nobis in generali ad modum explicatum; non tamen existimo probabilem, si sermo fiat de oratione fusa in particulari pro hac vel illa necessitate subleuanda. Quia hæc oratio non fit sine cognitione eorum, quæ geruntur in terris, qua illæ animæ carent; saltem secundum legem communem, iuxta quam dubitatio procedit.

Nihilominus opposita sententia, scilicet non orare pro nobis, neque in generali, neque in speciali, quæ circa dubium D. Thomæ est, & omnium Doctorum antiquorum probabilior R. ad ar- mihi apparet. Quare oportet respondere ad ar- gumenta gumenta contra eam. *Ad primum testimonium ex* contra *Iob*, quòd ibi loquitur Eliphaz de petitione in- quartam structionis, vel à viuis iustis. & Sanctis, vel ab ex- assertio- istentibus in Limbo, qui cognita petitione Iobi, nem. per mysterium Angelorum possent eum iuuare orationibus: aut verò, vt aliqui interpretantur, ibi fit sermo de sanctis Angelis, quia interest instruere homines, & illuminare. Reliqua testimonia probant secundam assertionem, & non amplius. *Ad secundum respondetur* negan. conseq. propter rationes assignatas à D. Thom. si sit sermo de animabus in Purgatorio.

Ad

10 *Ad tertium*, iam *supra circa articulum quartum aduerti*; non orare damnatos pro nobis, sed pro se, & similiter fecisse diuitem illum. *Secundò*, & melius respondetur, eas petitiones damnatorum nō mereri orationis nomen: quia neque ad cultum religiosum pertinent, neque ex pio affectu procedunt, & hoc modo nos de oratione loquimur. Ad *reliqua argumenta respondetur*, potissimam, & fundamentalem rationem esse illam, quæ à D. Thom. assignatur in hoc articulo, quæ non consistit in sola acerbitate pœnarum, licèt illa tanta sit, vt non possit eam æquare cruciatus martyrum omnium: nec consistit in inferioritate dignitatis, aut charitatis, aut gratiæ, aut eo quod sunt inferiores in pœnis: sed in inferioritate tali pœnarū, quæ constituunt animas Purgatorij in tali statu, vt magis oretur pro eis, quàm orent pro nobis. *Quod sic explico*. Ex vna parte animæ Purgatorij sic affliguntur, & cruciantur, vt Ecclesia oret, ne absorbeat eas Tartarus præ tristitia, & afflictione: satis ergo erit si ad sua attendant; & de alijs non curabunt.

Ex alia parte (quæ consideratio potissima est) continuè torquentur, propterea quod offenderunt diuinam misericordiam, & vt rei læsæ maiestatis diuinæ: quorsum ergo orabunt pro alijs? non decet reum, quando torquetur vt reus propter offensum Regem, rogare Regem pro alijs, potius audaciæ genus esset: satis contentus sit, orare pro remissione suæ offensæ. Impetrare pro alijs supponit in impetrante amicitiam apud eum, à quo fit impetratio, vel saltem non esse in statu rei, & vt talem puniri pro inimicitia exercita erga eum, à quo postulatur. Igitur animæ in Purgatorio existentes non sunt in statu orandi pro alijs; quia sunt in statu patiendi grauissimas pœnas propter inimicitias, & offensas gestas cōtra Deum: hoc est, sunt in statu reorum, & vt tales puniuntur. Et simile, quod adducit Medina de ijs, qui condemnati ad mortem, commendāt iudici suos filios, non conuincit: quia tum puniūtur actu, quando rogant. Simile autem esset adæquatum, si eo tempore, quo Rex ita percitus iuberet occidere hominem, qui ei iniuriam intulit, & iubet percutere; &c. ipse clamaret, date filijs meis redditus, dominia maioricat⁹, &c. Sine dubio audax petitio esset, non prudens. Animæ autem in Purgatorio existentes prudentissimę sunt: ex quo etiam conuincitur non orare pro his, qui se illis commendant, nam sciunt viros prudentes non clamare ad eas pro auxilio: tum propter rationem modò: tum quia sciunt, eas non exaudire orationes nostras.

Ad illud verò quod obijcitur de peccatoribus, qui pro nobis orant. *Respondetur*. Illi sunt in statu reorum, sed non actualiter puniuntur vt tales: & ideò nullum inconueniens apparet, quod pro alijs fundant preces confisi de diuina misericordia; eo quod tunc non considerantur, vt actualiter patientes tanquam rei, sed potius vt quidam intercessores implorantes diuinam clementiam pro alijs: secùs contingit in animabus Purgatorij, quæ quamdiu ibi sunt, & sunt rei læsæ maiestatis, & vt tales torquentur.

VLTIMA DISPVTATIO.

An damnatis competat orare?

ET videtur vera pars affirmatiua, nam *Luc.* 16. refertur diuitem Epulonem orasse pro se, & pro suis fratribus. *Confirmatur*. Nam etiam dæmones orauerunt Christū Dominum, vt mitteret eos in gregē porcorum, & obtinuerunt, vt habetur *Luc.* 8. *Lucæ.* I. *Lucæ.*

Secundò. Multa Deus liberaliter cōcedit damnatis; imò & dæmonibus: verbi gratia: quod puniantur citrà condignum, quod permittantur apparere viuis, & alia huiusmodi, quæ petere dānatos à Deo verosimile est. *Confirmatur*. Nam Iob 1. petijt Satan à Deo facultatem tentandi Iob. *Tertiò*. Damnati, & dæmones multas agnoscunt varietates naturæ, & gratiæ; Deum agnoscunt, & amant amore naturali illis à natura indito: ergo etiam nihil prohibet quin Deum deprecentur religione quadam naturali se ipsos indigentes agnoscendo, & Deum potentem suam indigentiam subleuare. *Consequentia* videtur nota ex paritate rationis. Etenim sicut coacti credunt, & cōtremiscunt, ita coacti à sua miseria, & à Dei potentia quasi inuitati, postulabunt sibi commoda multa præter liberationem omnimodam, quam sibi esse impossibilem certò agnoscunt.

Pro decisione *dico primò*. Nulla caret dubitatione quin damnati, & dæmones à Deo aliqua postulent, vt manifestum est ex testimonijs proximè allatis.

Dico secūdò. Istæ petitiones, & postulationes non sunt actus Religionis, neq; infusæ, neq; acquisitę, neq; supernaturalis, neq; naturalis. *Prob.* de Religione supernaturali, & infusa: quia hæc procedit ex fide, & spe supernaturali, ex humilitate, & subiectione ad Deum, quibus omnibus carent damnati, & dæmones. De Religionis verò acquisitæ aut naturalis actibus, probatur. Quia tales supponunt piam ad Deum affectionem, reuerentiam, & ad eundē subiectionē, quibus omninò carent damnati, & dæmones: quinimò odio abundant erga Deum, & superbia. Hinc patet ad tertium.

Ad primum respondetur probare nostrum primum dictum, & ad secundum eodem modo respondetur. De quo latius egimus supra, circa articulum octauum, in solutione vltimi argumenti pro cantrouersia illa, An liceat pro damnatis orare? Similiter ferè deciditur alia dubitatiuncula, An existentes in Limbo puerorum orent? Cum enim ipsi non habeant fiduciam obtinendi aliquid quo carent, non video quomodo in ipsis reperiantur postulationes, aut petitiones aliquæ, nedum orationes.

ARTI-

ARTICVLVS XII.

Vtrum oratio debeat esse vocalis?

Paraphrasis Articuli.

1 PRo tituli explicatione aduertendum D. Thomam vt non tam præsupponere famosam diuisionem orationis sumptam ex parte actus in mentalem & vocalem: mentalis est, quæ solo actu interno fit vocalis, cum ille interior actus mentis, quæ est petitio, voce atque verbis explicatur. Et vtriusque membri stant in sacris literis exempla. Mentalis. Psal. 26. *Tibi dixit cor meum: exquisiui te facies mea*: & 1. Reg. 1. de Ana: *Loquebatur in corde suo; tãtum labia mouebantur, & vox penitus non audiebatur.* Vocalis autem, Psal. 145. *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus sum.* Psal. 26. 1. Reg. 1. Psal. 141.

Secunda diuisio, & celebris orationis sumitur ex parte eius, qui orat; diuiditur namque oratio in communem, & singularem: seu priuatã. Cõmunis est, q̃ fit à ministris Ecclesiæ nomine totius populi fidelis: singularis verò, quæ fit ab vnoquoq; priuatim, siue pro se, siue pro alijs.

His suppositis est *prima conclusio*. D. Th. Oratio communis debet esse vocalis, vt sicut offertur nomine totius populi, ita innotescat toti populo; quod non posset fieri, si non esset vocalis. Ex eodem principio ortum habuit institutio Ecclesiæ, vt ministri eius huiuscemodi orationes alta voce pronũcient, vt ad notitiam omnium possint peruenire. Hinc colligit Caietanus duas conditiones orationis communis. *Prima*, quod sit vocalis: secunda, quod alta voce proferatur: prima conditio est simpliciter necessaria, eo quod necessarium est, vt populus fidelis agnoscat munera, quæ Deo offert, specialiter cultum orationum, quas Deo offert, per Ecclesiæ ministros. Aliàs cæcutiens, & ignoranter procederet, sed hæc agnitio nequit haberi, nisi ministri vocaliter pronuntient orationes nomine populi: ergo conditio necessaria est, vt oratio communis vocalis sit. *Probatur minor:* tum quia Ecclesia non iudicat de occultis; tum quia cum ipsa ex sensibilibus creaturis constet, ex sensibilibus vocibus agnoscere debet, quas Deo orationes offert. Posterior conditio est rationabilis, vt D. Thom. declarat.

2 *Secunda conclusio.* Non est necessarium orationem singularem seu priuatam esse vocalem; adiungitur tamen ei aliquando vox laudabiliter. *Prima pars clara est ex* præcedentibus. *Secunda*, explicatur à sancto Doctore, adhibendo triplicem causam, vnde oriri possit, quod laudabiliter oretur vocaliter ab his, qui priuatim orant. *Prima* ad exercitandam, vel conseruandam interiorem deuotionem, qua mens orantis eleuetur in Deum. Etenim per exteriora signa, siue vocum, siue factorum mouetur mens hominis secundùm apprehensionem, & per consequens, secundum affectionem. Et propterea in oratione priuata eatenus est vtendum vocibus, vel signis; quatenus proficiunt ad exercitandam interius mentem: si verò mens per hoc distrahatur, vel qualitercunq; impediatur, est à talibus cessandum: quod præcipuè contingit in his, quorum mens sine huiusmodi signis est ad deuotionem parata. Hinc infert Caietanus errare eos, qui præferunt numerum tot vocalium orationum priuatarum meditationibus, & mentalibus orationibus: relinquunt namque finem propter ea, quæ sunt ad finem.

Quod Caietani dictum licèt verum sit, intelligendum tamen cautè, ne labaris. Etenim si spectetur in oratione tantum eleuatio mentis in Deum: vocalitas in oratione arguit imperfectionem in subiecto, nempè carentiam attentionis, & deuotionis, ad quam excitandam vox adiungitur, aut aliud exterius: cæterùm illa vtuntur sæpissimè viri perfecti, vt ex eorum historijs colligitur, quia indigent hac excitatione, & deuotione, eo quod corpus aggrauat animam; at verò, si in oratione alia spectentur digna laude, præstantior poterit esse aliquando oratio vocalis, & eius vsus: videlicet, si fiat quasi ad redditionem debiti, vt scilicet homo Deo seruiat secundum illud totum, quod ex Deo habet, id est, non solum mente, sed etiam corpore: quod præcipuè conuenit orationi secundùm quod est satisfactoria.

Et hæc est secunda conditio assignata à D. Th. propter quam laudabiliter adiungitur vox orationi: & iuxta hoc interpretatur illud Oseę vltimo, *Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Tertia causa vocalis orationis promanat ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione, iuxta illud Psa. 15. *Lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea.* Et huiusmodi orationes vocales perfectorum sunt, & valdè spiritualium hominum: vnde Psalmo. 38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Sed quid inde sequitur? Oratio vocalis, nempè: *Loquutus sum in lingua mea, notum fac mihi Domine finem meum, &c.* Qui plura desiderat de vtilitate orationis vocalis, & quomodo vt plurimum fructuosior sit, quàm mentalis, quia ferè semper orantes non sunt vsque adeò perfecti, legat Abulensem *paradoxa* 4. *capite* 77. 78. 79. 80. & experimentum sui capiat, qua oratione magis proficiat mentali, an vocali, & ea vtatur. Osee vlti. 3 Psalm. 15. Psalm. 38. Abulens.

Hæc pro explicatione lit. D. Th. Sed est

DISPVTATIO VNICA.

An oratio vocalis sit in præcepto?

ET videtur vera pars affirmatiua ex quibusdam sacræ Scripturæ locis, vbi sub forma præceptiua commendatur oratio: Canticorum 5. *Fac me audire vocem tuam,* & ibidem, *Sonet vox tua in auribus meis*: Præterea Oseę vltimo, *Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonũ, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Ecce dicit, *Reddemus*, quod verbum obligationem importat præcepti. Cantic.

Respon-

Respondetur, quòd licet orare vocaliter semper laudabile sit, nunquam tamen per se loquendo est in præcepto naturali, aut diuino. Prior pars patet ex Psalmo.141. *Voce mea ad Dominum clamaui.* & Psalmo 50. *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam,* & ex alijs locis sacræ Scripturæ, & innumeris dictis, & factis Sanctorum se se exercentium in oratione vocali. Sufficere deberet ad commendationem orationis vocalis, exemplum Christi Domini, qui iam iam obiturus, clamauit voce magna, dicens, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum,* Matth.27. Marci 17. Lucæ 23. ad Hebræos 5. & in ipsa cruce pendens aliquos psalmos recitauit, & in suscitatione Lazari vsus est oratione vocali, licet hoc non habeatur expresse in textu Euangelico: ita Iohannes de Medina, codice de oratione.

Psal.141. Psal.50. Matt.27. Marc.17. Luc.23. AdHeb.5

5 *Secunda pars* etiam clara est, quia non extat tale præceptum, neque iure naturæ, cùm ad impetrationem, quæ est finis proprius orationis, non sit necesse vocaliter orare, satis superque sit oratio mentalis: ita sentiunt omnes Doctores scholastici, in 4. distinctione 15. Summistæ verbo, oratio. Item. Neque de oratione vocali est præceptum diuinum positiuum, quia in lege gratiæ non sunt alia præcepta moralia, præter ea, quæ sunt Iuris diuini, & naturalis, nisi præcepta fidei, & Sacramentorum: neque obstat illud Matthæi 6. *Sic vos orabitis, Pater noster, &c.* tum, quia Christus non dedit præceptum, sed formam orandi docuit; tum, quia esto esset præceptum, ei satisfieret orando mentaliter, vel vocaliter. Quod verò non sit præceptum Ecclesiæ orandi vocaliter in oratione priuata, patet, quia in toto iure non extat tale præceptum; quidquid dicant de obligatione recitandi *Pater noster*, Palacios *in 4. distinct.15. quæst.1. num.7.* Nauarr. *in Enchirid. de oratione, numero 20. & capite 20. numero 20.* Sed de hoc supra exponentes orationem Dominicam. Dixi, tantum per se loquendo, quia cum iam docuerimus *supra art.2 disput.2.* esse præceptum de oratione fundenda, si in aliquo casu esset necessarium ad orandum adiungere voces: verbi gratia ad attentionem suscitandam, aut vero ne aliquis scandalizaretur, non videns orare obligatos ad orandum, per accidens præceptum orandi obligaret ad vocaliter orandum. *Dixi* etiam non esse præceptum naturale, aut diuinum; quia in hac dubitatiuncula, imò in commentarijs super hunc articulum, non est animus disputandi de oratione communi; sed tantum de priuata.

Matth.6. Palac. Nauar.

Etsi rogas, est ne præceptum orandi mentaliter, vt distinguitur oratio mentalis à vocali, id est, vt est purè mentalis? Nequaquam, quia præcepto orandi satisfit orando, siue mentaliter, siue vocaliter, quo malueris modo. Quare quidam nimis temerè, & sine fundamento dixerunt, esse præceptum orandi mentaliter purè, id est, sine admixtione vocis, etenim præceptum (si quod est orādi aut cuiuscūque motus interni eliciendi) non violatur per hoc, quod motui interno vox adiungatur, vt de se patet: quod si reperiantur aliquādo verba aliqua Patrum, quorum occasione isti decepti sunt, intelligenda veniunt de motu interno mentis necessario vt oratio etiam vocalis ritè fiat; aut verò intelligenda sunt per exaggerationem dicta, ad commendationem orationis mentalis.

Ad testimonia Canticorum, & similia, respondetur ex omnium Doctorum sententia, non haberi præceptum, sed commendationem, & laudem orationum vocalium. Testimonium verò Osee multipliciter explicatur. Primò. Burgensis additione prima affert quandam glossam Hebraicam huiusmodi: *Reddemus confessionem labiorum nostrorum loco vitulorum.* Chaldæus: *Et sunt eloquia labiorum nostrorum penes te accepta, tanquam boues in beneplacitum super altari tuo.* Ex hoc colligunt Iudæi recentiores satis se facere pro hoc tempore legi Moysi, & sacrificijs præceptis; si loco vitulorum, & aliorum animalium sacrificandorum, labijs immolent, non re; sed in has & similes interpretationes futiles ceciderunt, quia adhuc velamen circumpositum est oculis eorum.

6 *Respondetur ad argumenta in principio facta. Burgens.*

Secunda explicatio fuit cuiusdam eruditi Iudæi, conuersi ad Christianismum, tempore Gregorij XIII. Papæ, vt refert Ribera super hunc locum Osee, nempè, *Reddemus tibi vitulos, quos vouimus cum essemus in angore, & calamitatibus constituti.* Et expositio hæc valde conformis est Phrasi sacræ Scripturæ, Psalmo 20. *Et voluntate labiorum eius non fraudasti eum,* id est, voluntate, quam labijs, hoc est verbis expressit. Iob 23. *A mandatu labiorum eius non recessi.* Ita ergo vitulos labiorum, id est, quos labijs expressimus, quos vouimus.

Ribera. Psal. 20. Iob.23.

Tertia, & communior expositio est, vt per *Vitulos labiorum,* intelligamus laudes Dei, gratiarum actiones, & similes orationes vocales. Ita diuus Hieronymus, Rufinus, Gregorius in caput primum primi Regum, D.Thomas hîc. Vituli autem dicuntur, quia communiter solebant vitulos immolare in sacrificijs, & adaptantur in sacrificijs laudis, & confessionis pro fructibus labiorum, id est, pro verbis orationis. Confirmat translatio Septuaginta, *Et reddemus fructum labiorum nostrorum,* & etiam Paulus ad Hebręos 13. *Per ipsam ergo offeramus hostiam laudis,* id est, fructum labiorum cō-fitentium nomini eius.

Hieron. Rufinus. Gregor. D.Thom. AdHeb.13

Igitur ad argumentum, quod nitebatur probare præceptum orationis vocalis, ex illo verbo, *Reddemus.* Respondetur cum Diu. Thoma hîc, quod sit sermo de oratione, vt satisfactoria est, sub qua ratione nihil vetat esse de ea præceptum. Secundò, quod redditio illa, est gratiarum actionis tantùm; & sensus est, sicut dedisti nobis labia, ecce vt grati eorum vsum in tuas laudes, & gratiarum actiones conuertimus: vnde non colligitur præceptum.

impetraret, cum perdurare in attentione, sine interruptione, vix fragilitati humanæ possibile sit.

Tertia. Si orationi omnino desit prima intentio, neque meritoria est, neque impetratoria: probatur ex D. Greg.

Quarta. Ad refectionem spiritualem, quæ actualiter sentitur in oratione, necessariò requiritur attentio: & existimo D. Thomam intelligere per totam orationem, vel non modicam eius partem. Nam si attentio tantum duret per instans, modica, aut nulla refectio spiritualis sentitur.

I. DISPVTATIO.

Circa omnes has conclusiones, ex quibus videtur colligi in omni ratione esse necessariam attentionem.

6 ET imprimis videtur Diuum Thomam fuisse diminutum; cum determinans attentionem esse necessariam orationi in ordine ad tres effectus eius, nuper commemoratos, non meminit orationis, quæ caret omnibus, & singulis prædictis effectibus: verbi gratia, quando quis orat, vt prosperetur in furto. *Item.* Quando quis petit quidem à Deo bona gratiæ, sed orationem principaliter dirigit ad laudem humanam, vel ad aliquod commodum temporale. Quod orationis genus, neque meritorium, neque impetratorium, neque refectiuũ mentis est, cum sit peccatum sacrilegij, vel irreuerentiæ: atque adeò non videtur, diuum Thomam determinasse, An in omni oratione sit necessaria attentio, quod exposcebat articuli titulus.

Secundò. Si quis initio diei proponat certis quibusdam horis orare, & postea instante hora signata oret voce dumtaxat, mente totaliter ad alia negotia distractus ex mentis infirmitate; iste re vera habet meritum orationis, & impetrabit à Deo petita, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, recordatus quia caro sumus; spiritus vadens, & non rediens: sed in huius orationis initio, medio, aut fine, nulla est attentio: ergo nõ est necessaria ad orationem. Maior colligitur, nã si quis initio diei, se & sua referat in Deum: largitio eleemosynæ, & ieiunium, & quidquid aliud boni operis, meritoria sunt, vt patet ex D. Tho.

D. Thom. 1.2.q.114. Minor etiam clara est de attentione formali: & de virtuali *prob.* quia non potest reperiri attẽtio virtualis, nisi præcesserit actualis, quæ non præcessit (vt suppono) propositum enim illud, neque eius attentio, non est attentio ad orandum, de qua loquimur.

Tertiò. Sæpè homines tenentur orare perseuerantèr, & tamen non tenentur in attentione perseuerare, quia hoc est impossibile humanæ fragilitati: ergo.

Quartò. Si quis quando incipit orare sit in Dei gratia, & postmodũ ex proposito diuertat, peccat; maximè si oratio esset in præcepto: ergo non sufficit vis primæ intentionis, vt oratio sit meritoria, aut impetratoria, vt asseritur in secũda cõclusione. Antecedens patet, & consequẽtia *prob.* quia oratio, quæ habet culpam adiunctam, neq; meritoria, neque impetratoria esse potest. 7

Quintò. Quãdo quis fũdit preces ad quas nõ tenetur, nõ eget attẽtione, nec quando incipit, nec quãdo orationẽ vocalẽ cõtinuat: ergo non sẽper necessaria est attentio ad orationem. *Antec. patet,* quia in eo casu non tenetur orare: ergo neque ad orationem attendere. *Dices,* non necessaria est attentio in oratione simpliciter, sed vt sit meritoria aut impetratoria. Saltem sequitur, nullum esse peccatum orare sine attentione in casu posito. *Confirmatur:* nam non apparet contra quod præceptum peccet, qui in oratione spontaneè orat sine attentione.

Pro decisione valde *dignum consideratione est,* intentionem orandi, sicut & attentionem, esse duplicem: quandam formalem, aliam virtualem; formalis, seu actualis, in actu, quo quis orare intendit, vel ad orationem attendit, consistit; virtualis non est actualis intentio, vel attentio, sed in virtute præcedentis actus nititur, vt cum quis attentè orare incipit, sed post mẽte distractus in oratione vocali, vlterius procedit. Quid autem sit hæc virtualis attentio, vel intentio, an actus, nec ne? in quo resideat? cõmunis disputatio est, & non solum orationi conueniens; à cuius longa disputatione supersedeo, satis modò sit scire esse exteriorem petitionem ab actu præterito accipiens efficaciam, siue physicam, siue moralem: quia relinquit potentias inclinatas ad orandum. *Rursus.* Intẽtio formalis orandi diuiditur in explicitam, & implicitam: explicita est, quando actualiter quis intendit orare, vel actualiter attẽdit ad orationem sub ratione orationis: implicita verò est illa siue intentio, siue attẽtio, quæ non terminatur expressè, & formaliter ad actum moralem, sub expressa ratione orationis, vel cultus diuini, sed sub aliquà ratione magis generali; quæ ex habitu vel consuetudine determinatur ad actum moralem: verbi gratia, intentio, quæ reperitur, quando quis accipit Breuiarium more solito, recitandi; vel si quis habeat intentionem satisfaciendi suæ obligationi, aut officio. Hæc fusius explicantur *in* 1.2.*q.*1. & in materia de merito, quare satis est tetigisse. Hoc supposito. 8

Dico primò. Non est possibile orationem esse alicuius valoris, imò nec consistere, nisi adsit attẽtio actualis, aut virtualis. *Prob.* Nullus actus humanus esse potest sine attẽtione actuali, aut virtuali: ergo neque oratio. Antecedens notum est: quia actus humanus procedit ex deliberatione, & electione, & cognitione circa suum obiectũ: ergo non poterit consistere sine attentione. *Confirm.* Oratio est ascensus mẽtis in Deum secundũ Damascenum, sed huiusmodi ascẽsus est impossibilis sine attentione: ergo. 9

Secundo dico. In omni oratione (si verè oratio est) necessaria est attentio actualis in principio oratio-

orationis. Assertio manifesta est, quia oratio est petitio, quæ est actus humanus: ergo nequit incipere, nisi adsit attentio, aut saltem intentio. Nã in initio ferè idem sunt. *Confirmatur*, quia hoc est commune omni actui humano: & intelligitur de actuali attẽtione explicita, aut saltem implicita.

Tertio dico. In progressu, & continuatione orationis non est necessaria actualis attentio, sed sat est virtualis, siue consideretur oratio, vt impetratoria, siue vt meritoria, vel quocunque alio modo. Ita Diuus Thomas expresè ad secundum, & tertium. Et de impetratione patet, quia (quæ est fragilitas humanæ mentis ad actualiter semper attendendum) vix aut nunquam reperiretur oratio continuata impetratoria, si non sufficeret virtualis attentio: & idem argumentum fit de orationis merito. *Confirmatur*, quia per orationem continuatam sine actuali attentione, per solam virtualem impletur præceptum orandi, imò impetratoria est, & meritoria, vt docet sanctus Doctor: ergo.

D. Thom.

10 *Circa quod nota*, orantem quandoque deficere ab intentione, quam cœpit habere in oratione, ex infirmitate naturæ, non valentis diu eidem cogitationi adhærere. *Altero modo* potest quis deficere ab attentione, ex proposito diuertendo ad alia, id est, volendo explicitè diuertere ad alia, aut se occupando in aliquo exteriori quod non est compatibile cum attentione orandi: verbi gratia, legendo, pingendo, aut aliquid huiusmodi agendo. *Tertio modo* ex negligentia, vt cum quis negligit attendere: quando enim negligentia voluntaria est, euagatio voluntaria reputatur, & priori modo deficiente intentione actuali, nulla culpa est, ab attentione deficere actuali; quia orans excusatur propter impotentiam, vt docuit Basilius sermone de orando Deum, & *libro de vita perfecta, cap. 2.* & Ambrosius *de fuga seculi, cap. 1.* eleganter. Et in tali casu adhuc perseuerat attentio, non quidem actualis, sed virtualis, quæ à nulla culpa interrupta est.

Basilius. Ambros.

In secundo vero casu interrumpitur intentio, nec manet formaliter, aut virtualiter, & sic euagari, peccatum mortale est, si fiat ex contemptu, aut si fiat in notabili parte orationis debitæ ex præcepto: nam tunc voluntarium est carere attentione. Si verò talis euagatio ex proposito volita exerceatur in oratione spontanea, quæ non est in præcepto, si euagatio accidat, circa minimam partem ex proposito, etiam tantum erit venialis culpa ex paruitate materiæ.

In tertio casu, quando negligentia crassa est, idẽ iudicium ferendum est, ac si ex industria, aut à proposito voluisset orans mente distrahi, & vagari, quia talis negligentia reddit actum in naturam suæ formæ.

Sed quid si negligentia non sit crassa? *Respondetur*. Si negligentia talis sit, vt non destruxerit propositum attendendi, etiam si oratio præcepta sit, est peccatum veniale dumtaxat mentis euagatio, vt egregiè hîc Caiet. *Ratio est*, quia tali negligentia stante non est interruptum propositũ attentionis, & consequenter saluatur bonitas essentialis actus moralis, quæ sumitur ex finis intentione, licet accidentaliter vitietur ex remissione voluntaria, quam orans vitare poterat: & huiuscemodi negligentiæ saluo orandi proposito, frequentes sunt in orantibus etiam deuotis, nec mirum, nam septies in die cadit iustus. Si oratio verò spontanea est, erit culpabilis venialiter talis negligentia, minus quàm si ex proposito euagaretur orans.

Ad primum vt respondeatur *notandum*, orationem peccaminosam esse multiplicem; quandam malam; quia res petita peccatum est; quandam; quia attentio culpabiliter interrupta est, & istæ non sunt, nec merentur nomen orationis: prior quia non est petitio decentium: quidquid dicat in oppositum Nauar. *in tract. de orat. ca. 2. n. 18. & 16.* posterius orationis genus nõ est oratio, quia caret substãtiali parte purâ attẽtione. Et de his peccaminosis orationibus non procedit argumentũ, quia orationes nõ sunt; sed de alijs, quæ peccata sunt propter extrinsecã circunstantiam; cuiusmodi sunt quæ propter vanã gloriam funduntur: quas esse veras orationes inde liquet, quia per eas satisfit præcepto orandi, vt docebimus agentes de horis Canonicis: quas dicto à D. Tho. comprehensas; quia quantum est ex parte obiecti, & quantum ad substantiam impetratoriæ & meritoriæ sunt; licet propter malas circunstantias extrinsecas non habeant de facto hos effectus. Vel dicito D. Thom. solùm egisse in hac quæstione de oratione, vt est actus elicitus à Religione vndequaque perfectus. 11

Ad arg. in oppositum respondetur.

Ad secundum resp. aliud esse orationem esse meritoriam, vel impetratoriam, aliud esse, orantem habere orationis meritum vel impetrationem, id est, ita mereri aut impetrare desiderata, ac si orasset. *Secundum* conceditur argumento, quia quando voluntas prompta est, pro facto reputatur: primum verò non probat argumentũ, quia non existẽte attentione actuali in orationis principio, illa vocum expressio, non est dicenda oratio, magis quam si à turdo vel papagallo illæ voces recitarentur, atque ex consequenti nec meritoria, nec impetratoria oratio. Est simile, si homo pauper haberet voluntatem promptam faciẽdi magnos sumptus, si suppeterent iuxta magnificentiæ virtutem, haberet meritum magnificẽtiæ, sed tamen non diceretur eius magnificentiã esse meritoriam, quia non extaret: ita in argumenti casu dicendum est. 12

Ad tertium resp. ex primo & secundo asserto, non esse necessarium ad continuationem orationis adesse attentionem actualem, sed sufficere virtualem ad modum explicatum.

Ad quartum resp. secundam conclusionem D. Tho. esse intelligendã, nisi vis primæ attentionis interrumpatur: tunc enim cõtinuatio orationis, cũ peccatum sit, nec meritoria nec impetratoria est: imò & meritũ primæ attẽtionis, per peccatũ, si sue rit lethale, mortificabitur: de quo alibi.

In quinto argumento tangitur quædam dubitatio, an in oratione spõtanea sit necessaria attentio? Dixi in spontanea, nã in oratione quæ est in præcepto diuino, communis omnium sententia est esse necessariam attentionem actualẽ aut 13

vir-

virtualem, vt supra docuimus. Respond. Communis & certissima sententia est apud oẽs Theo- Gabriel. logos, (excepto Gabriele *super Canon. Missæ lect. 62 & alijs paucis*) in oratione quacunque etiam spõtanea esse necessariam attentionem, non solum vt oratio fructuosa sit, verum etiam vt sine peccato fiat. Prob. primò ex dicto Prophetę allato à Matt. 15. Christo Domino Matt. 15. contra Iudæos dicentis, *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum lõgè est à me.* Quãuis enim illa verba in alio sensu di- Hier. cta sint, tamen vt Hieron. notat Esai. 29. *simul inde discere possumus quomodo aliquis appropinquet Deo:* & infra, *appropinquamus Deo corpore non mente,* sicut & de Moyse legitur, appropinquauit Moyses solus ad Deum, (cæteri autem non appropinquabant) orabat enim Deum in spiritu.

Secundò probatur, testimonijs Sanctorum. Cyprian. D. Cypri. in expositione orationis Dominicæ sic ait. *Quæ segnitia est alienari, & capi ineptis & prophanis cogitationibus, dum Deum deprecaris, quasi sit aliud, quod debeas magis cogitare, quam quod cum Deo loqueris: quomodo audiri à Deo postulas, cum te ipsum non audias? vis Deum esse memorem tui, dũ rogas, quando tu ipse memor tui nõ sis?* & adiũgit, *hoc est ab hoste in totũ non cauere, hoc est cũ oras Deũ, maiestatem Dei offendere.* Et D. Chrys. Homil. 1. super verba illa Esa. Chrysost. *Vidi Dominum, &c.* ostendit quanta sit culpa voluntariè in oratione distrahi: *Qui cum Rege (inquit) terreno loquitur de ijs tantum verba facit, de quibus voluerit eum audire, &c. Tu verò cum Rege regũ colloquens, cui cum horrore seruiunt Angeli; omisso cum illo sermone, de luto, de puluere, de telis aranearum loqueris: nihil enim aliud sunt huius vitæ negotia: & quomodo sustinebis istius contemptus pœnam? quis te liberabit ab hac vindicta:* Basil. D. Basil. ferè eisdem verbis vtitur de constitu. monast. *cap. 2. &* Cassian. *Cassian. collat. 23. cap. 7.* Hieron. Hieron. *ad Rusticum monachum*, & refertur, cap. *nunquam? de consecratione distinct.* 5. Omitto Gregor. plura de hac re Gregorij in moral. Isidori de *sum-* Bernard. *mo bono.* Bernard. *sermon. 46. super Cantica*, glossa *in Clementina vnica de reliquijs & vener. Sanct.* & recentiorum testimonia: & Hugo. Hugo de Sancto Vict. *Si cùm orationem fundimus, quodlibet aliud in corde versamus, etiamsi illud bonum sit, à culpa liberi non sumus.*

14 Tertiò idem probatur ratione sumpta ex pręfatis Sanctorum testimonijs: qui cum Rege terreno loqueretur facie distorta, aut quouis alio modo, aut gestu incomposito, etiamsi spontanea esset colloquutio. Regis potius iram mereretur, quàm benignitatem: ergo cum oratio sit cũ Deo miscere sermones, qui sine attentione oraret, potius Deum offenderet, quàm Dei misericordiam prouocaret.

Quartò. Actus etiam spontanei, maximè qui ad cultum pertinent, si non exerceantur debitis circunstãtijs peccata sunt; talis est oratio sine attẽtione: ergo nec fructuosè, nec sine piaculo exercebitur. *Minor* nota est ex secunda & tertia probationibus; maior liquidò constat in humanis & diuinis: nam recipere hospitem spontaneũ est, at si recipias indecenter, malè agis, quia quãuis non tenearis recipere, teneris tamen si recipis, honorare. *Item:* confiteri sæpè peccata venialia, communicare sæpè spontaneum est, at hæc facere sine debitis circunstantijs peccatum est: & de Dei cultu id exaggerat, Malach. 1. Dominus Malach. dicens: *Ad vos, ò sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis: in quo despeximus nomen tuum? Offertis super altare meum panem pollutum, &c. Si offeratis cæcũ ad immolandum, non ne malum est? & si offeratis claudum, & languidum, non ne malum est? Offer illud duci si placuerit ei, &c.* Ecce cultus voluntarius sine debita circunstantia displice Deo. Quod dictum 15
est de oratione vocali spontanea, etiam dicendum existimo de oratione mentali, etiam spontanea, quæ licèt non possit constare sine actuali attentione, potest tamen interrumpi propter defectum attentionis; quæ interruptio si fiat voluntariè sine causa rationabili in oratione mentali, quam orans decreuerat per certum tempus porrigere, peccatum veniale erit, propter irreuerentiam, quæ fit Deo, cessando ab eius colloquio iam decreto fieri.

Est tamen discrimen inter orantem vocaliter, & culpabiliter interrumpentem attentionem, & orantem mentaliter eamdem interrumpentẽ culpabiliter: nam hic culpabiliter recedit à colloquutione cum Deo, ille verò permanens in ea locutione ad alia se applicat.

Obijciet aliquis: hoc esset animas illaqueare, quæ non possunt semper attendere. *Resp.* Si carẽtia attentionis fiat ex infirmitate naturæ, nullum peccatum est; at si fiat à proposito, vel ex negligentia, vt supra diximus, peccatum est, & ideò orans debet se præparare ne mente distrahatur: ad quam præparationem multa conducunt, quę videnda sunt in deuoto opere de medit. & deuot. quod edidit fœliciter Hispano idiomate Fr. Ludouicus Granatensis, ex ordine Prædicatorum: interim tamen audi D. Basilium in Regulis bre- Basil. uioribus, interrogatione 201. ibi Sanctus interrogat, quomodo aliquis orando non distrahetur, & respondit: *Si certò credat se Deum ante oculos habere. Si enim Principem aliquem, aut præsidem alicuius intuens, & cum eo loquens, oculos ab eo dimouere non solet: quid non tandem credibilius est intentam mentem habiturum illum, qui Deo preces adhibeat, in eum, qui scrutatur corda & renes, & illud facturum, quod scriptum est, leuantes puras manus sine ira, & disceptione?* Hæc Basil. & benè: qui enim attentè & firmissima fide cogitat, quanta sit maiestas Dei, quanta vilitas nostra, quomodo fieri potest, vt non reuerenter, & ardenter ad colloquendum cum eo accedat? ô quàm deuotè Hieronym. qui Hieron. in dialogo aduersus Luciferianos assumens in se personas indeuotorum ait: *Ad orationem assisto, nõ orarem, si non crederem: sed si ore crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lachrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem, certo trunco crucis, nec prius amitterem, quàm misericordiam impetrarem, nũc verò crebertimè in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dicta erubescenda sunt gero. Vbi est fides? sic certè putamus orasse Ionam? sic tres pueros? sic*

Danielem inter Leones? sic certe Latronem in cruce?

Ad argumentum quintum, quod est Gabrielis negatur antecedens. Ad probationem negatur consequentia; multi enim sunt actus spontanei, quos si exerceas teneris vestire debitis circũstantijs, aliàs peccatum committes, vt supra ostẽdimus. Ad consequentiam respondetur, nõ cõmitti peccatũ contra orationis præceptum, quod in casu supponimus non extare; sed contra præceptum de non irreuerenter colendo Deum, ꝙ includitur in præcepto primæ Tabulæ de Deo colendo. Fateor: in oratione spontanea talis carentia attentionis erit tantum peccatum veniale propter exiguitatem materiæ, si absit contẽptus, aut fortasse pusillorum scãdalum. Igitur fundamentum sit D.Tho. & omnium ferè Theologorum, in omni oratione, siue sit in præcepto, siue spontanea, esse necessariam attentionem actualem, aut virtualem, ad modum explicatum supra circa vltimam conclusionem. D. Thom.

II. DISPVTATIO.

An illæ tres attentionum species, quas ex D. Thom. prænotauimus, videlicet ad verba tantũ, ad sensũ, & ad Deum, & rem postulatam, requirantur simul ad hoc quod oratio sit fructuosa, & sine peccato? an verò qualibet seorsum sufficiat.

PRius explanandæ sunt, vt sciamus quid dicere oporteat. Et quidem duæ priores explanatione non indigent: de tertia verò aliqualis difficultas est, quibusdã sic, quibusdam aliter sentientibus. D.Thom. ait, in hoc consistere, quod orans attendat ad finem orationis, scilicet ad Deum, & ad rem pro qua oratur, & vtrumque explicatur in diffinitione orationis, scilicet petitio decentium à Deo: sed ista attentio dupliciter potest haberi; *vno modo* simpliciter dumtaxat, & summariè attendendo ad rem petitã, & ad Deum, à quo petitur. *Secundo modo,* cogitando & considerando affectiuè multa, quæ de Deo considerari possunt: verbi gratia, eius excellentia, liberalitas, beneficentia, quod sit omnium bonorum autor, & multa alia pertinentia ad eius diuinitatem vel humanitatem, præcipuè quæ pariunt confidentiam obtinendi ab eo petita: item cogitandi res quæ postulantur, qualiter proficiant ad beatitudinem; ac denique ex nostra indigentia & Dei excellẽtia assurgendo ad Deum colendũm, quem valdè colimus per orationem. Hæc dicta sint gratia exẽpli, nam ad omnia ad meditationem pertinentia se extendere potest huiusmodi affectiua attẽtio. Istæ tres attentionum species ordine quodam se habent, nam prima & secunda medij rationem habent respectu tertiæ, & prima omnium infima, secunda laudabilior ea, tertia verò præstantior cæteris, præcipuè illa quam affectiuam & meditatiuã nuncupauimus. *Secundò notandum est,* hoc triplex genus attentionis posse haberi formaliter, seu actualiter, & virtualiter. His suppositis.

Dico primò. In initio orationis, vt oratio vera sit, & dicatur, imò vt fructuosa sit; & necesse est vnam illarum attentionum ab orante actualiter haberi, & sat est, quamlibet earum possideri. Hęc est expressa mens D.Tho. *in 4.d.15.q 4.art.2.q.5.* & probatur quia quæcunque illarum attentionũ est actus humanus, saltem implicitè, & verum signum cultus Dei, ac petitionis in terra Deo factæ: ergo nihil ei deficit, vt orationis essentiam habeat, & fructum. Dixi, *saltem implicitè*, quia in tertia attentione, ad quam cæteræ ordinantur, explicitè ista continentur. D. Thom.

Et si obijcias D. Tho. in hoc art. dicentem, tertiam attentionem esse maximè necessariam & communem, quam etiam possunt habere idiotę: ergo non quælibet istarum trium sufficit, sed tertia necessaria est. *Resp.* Doctorem Sanctum voluisse significare præstantiam istius tertiæ attentionis super reliquas duas, quæ ad ipsam sicut ad finem ordinantur, & accipere necessa: ium, non absolutè, sed ad melius esse, qualiter accipi necessarium in principio art. præmonuerat. D. Thom.

Dico secundò. Ad continuationem orationis vocalis, & vt fructuose fiat, satis est quælibet istarũ attentionum virtualis, post incœptam orationẽ, mediante aliqua actuali attentione quam malueris ex illis tribus, & si interrumpatur ea attentio inculpabiliter, fragilitate humana id patiente, adhuc permanebit fructus orationis; siue quantum ad meritum, siue quãtum ad impetrationem, & dicetur continuari mediante virtuali attentione, qua perseuerat. Hæc assertio habetur ex dictis in disput. proximè præced. & est expressa D.Thom. in 4. *loco cit. q.4.* D. Thom.

DISPVTATIO III.

Supposito quamlibet prædictarũ attentionum sufficere: an liceat quamcunq; eligere cum præcisione volũtaria melioris, id est, volo hanc, & aliam nolo?

CAietanus in commentarijs huius art. ait, quamcumque præfatarum attentionum sine præcisione melioris sufficere ad implendum pręceptum orationis: ex quo videtur inferri, Caiet. iudicasse, attentionem infimam cum præcisione melioris non sufficere. Nauarr. *etiam in Manuali, cap. 13. nu.23.* existimat esse peccatum saltẽ veniale retinere infimam attentionem, voluntariè impediẽdo, vel excludendo meliorem: quod *in nu.33.* magis declarat, & restringit, dicens: necessariũ esse ei, qui Caiet. Nauarr.

ei, qui primum vel secundum attentionis modum eligit; vt illum non eligat animo persistendi in eo, & non transeundi ad tertium: *Nam si proponit* (inquit) *non procurare tertium, nec meretur nec satisfacit, vt singulariter determinauit Caiet.* Certe iste autor nimis rigide loquitur, quod attinet ad obseruantiam præcepti.

Pro parte contraria facit, quia nemo tenetur orare meliori modo, quo potest: ergo nec tenetur non impedire perfectionem maiorẽ attentionis: ac ex consequenti adhibendo attentionem sufficientem minimam, licet præscindat vel excludat alias non peccabit. *Probatur antecedens*, tum, quia nullum præceptum obligat ad attendendũ cum maximo conatu, vel intensione: tùm, quia si oratio sit spontanea, multo magis perfectio eius voluntaria erit: si verò sit in præcepto, sub illo non cadit modus perfectior, sed substantialis. Item nullum præceptum obligat ad attendendum cũ maximo conatu, vel intensione: ergo nec ad attendẽdum cum perfectissima attentione. Prima consequen. probatur (nam cæteræ non egẽt probat.) Et enim si non teneor meliorem attentionem adhibere: ergo nec teneor illam non impedire: tum, quia nulla est maior ratio obligationis, tùm, quia si omissio potest sine culpa esse directè voluntaria: multo magis poterit esse indirectè voluntaria, ponendo impedimentum, dummodo aliàs turpe non sit.

Dico primò. Sola exclusio voluntaria melioris attentionis per se loquendo nullum arguit peccatum in excludente. *Probatur argumentum nuper factis*, explicatur & probatur assertio. Nam si exclusio, per quam illa carentia attentionis voluntaria est, rationabilis sit, & ex aliquo honesto titulo nihil obstabit, quominus oratio etiã honesta sit. Reperiri autẽ huiusmodi exclusionẽ rationabilẽ exemplis manifestatur: nã in vsu est piorũ recitare Psalmos, & alias orationes fundere, etiam præceptas, dũ se induunt: & in ordine Prædicatorum ex statutis maiorum iubẽtur religiosi officium paruum B. Virginis recitare, dum se vestiunt surgẽtes ad matutinas: & tamẽ certum est has actiones & similes licet admittant inferiorem attentionem ad verba, vel sensum, citra dubium impediunt perfectiorem. Condemnare autem hos sic orantes præcipuè integram Religionem, non caret reprehensibili audacia: *Item.* Si quis salutis non vsque adeò firmæ, ne fatiget caput, contentus sit inferiori attentione, non peccabit, & idem est in alijs similibus: ergo.

Secundò dico. Si voluntas impediens meliorem attentionem sit aliàs de actu turpi otioso, aut quouis alio modo inhonesto, exclusio melioris attentionis non sine peccato erit; & sic fortè intelligẽdus est Caie. & Nauar. *Probatur*, quia causa exclusionis mala est: ergo & exclusio melioris attẽtionis, quę ab illa causa mala procedit, mala erit & peccatum mortale, vel veniale iuxta qualitatẽ malitiæ à qua exclusio procedit. An verò illa exclusio orta à malo principio sit circũstãtia vitias orationẽ propter irreuerẽtiã Dei, ibi inclusã: an verò se habeant tanquã duo actus, bonus scilicet & malus concomitanter se habentes, modo non disputo, disputaturus fortasse inferius, agens ad præceptum recitandi officium diuinum per huiuscemodi orationes impleatur?

DISPVTATIO IIII.

An illa tertia attentio, quam vt nobiliorem commendauimus, possit esse tanta & tam excellẽs, vt impediat omninò veritatem & fructum orationis vocalis.

IN qua dubitatione quædam sunt certa, quædam discussione digna. *Primum certum est*: si mentis attentio ac meditatio tam vehemens, sit, vt etiam vsum vocis impediat: vt contingere potest in extasi vel raptu, tunc orationem vocalem cessare: quia hæc non est sine voce. Ex quo sequitur, quod si quis habens obligationem recitandi vocaliter, in initio aut medio orationis ita mente suspenderetur, vt os etiam taceret, non impleret præceptum orandi vocaliter, sed teneretur postea recitare: vel si non superesset tẽpus, & illud ab orante præuideretur, deberet impedire tantam animi suspensionem, quantum satis esset, ne ab oratione vocali tunc necessaria impediretur: nec posset aliter excusari à culpa, nisi tãto impetu Spiritus sancti raperetur, vt non esset in potestate illius eam suspensionẽ impedire. Nã tunc cessatio ab oratione vocali non esset voluntaria; quando autẽ volũtas relinquitur ita libera, vt possit illã actionẽ externã exercere, debet prę ceptum orationis propriæ deuotioni præferre: quod aduertant contemplatiui, circa operum quorumcunq; præcepta implenda.

Sed difficultas est, quando vox non cessat, tamen intellectus ita occupatur in meditatione diuinorum (quod pertinet ad tertiũ deuotionis genus) vt nullo modo attendat ad ipsam verbalem prolationẽ verborum. An oratio vocalis rectè & ritè fiat? partem negatiuam videtur tenere, *Gerson. 3. par. tract. de oration. Alpha. 78. littera G. & H.* qui docet in oratione vocali non licere admittere pias meditationes, non pertinentes ad verba, quæ proferuntur, nec in eis fundatas. Quod sequitur *Gabr. lection. 62. in Canon. litera M.* Idem credo dicerẽt de omni meditatione vel contemplatione, quæ omnẽ verborũ cogitationẽ impediret. Idem docet *Medin. tractatu de oratione, quæst. 14. in fine.* Et probatur hæc sentẽ. auctorit. D. Bernardi sermo. 47. super Cantica sic dicentis: *Nihil aliud dum psallitis, quàm quod psallitis cogitetis.* Idem videtur dicere Hugo *de Sanct. Vict. in lib. annotat. ad Psalm. cap. 17.*

Probatur hæc sentẽtia *primò*, quia illa prolatio verborũ sine vlla ad ipsam attẽtione nõ est actio humana: ergo nec oratio dicenda est. Confirmatur. Qui cum recitat somno occupatur, licèt cõ-

nuuqs

Gerson. *Gabr.* *Medin.* *Bernard.*

tinuet verba dormiens, non orat: ergo nec ille, qui meditatione absortus non attendit ad verba, quæ profert. Tam alienus enim videtur esse iste ab attentione verborum, sicut ille.

Secundò. Esto illa sit oratio vocalis quantum ad essentiam; tamen non videtur bene fieri, quia homo non potest regere linguam in tali oratione, nec iudicare, an integrè dicat vel ordinatè, quod si rectè dicit, fortuitò & casualiter id fit: ille autem modus operandi in actione virtutis non quadrat modo virtuoso operandi: ergo.

3 Oppositam sententiam videtur tenere D. Thom. *in 4. distinct. 15. artic. 2. quæst.* 5. vbi postquam dixerat quamlibet præfatarum attentionem ad orationum sufficere, subiungit, *Et quia anima non potest vehementer attenta esse ad diuersa, ideò prima attentio potest nocere vt sit minor orationis fructus, si secundam euertat, vel secunda si tertiam omninò tollat, sed non è contra.* En D. Thom. affirmat tertiam attentionem, quamuis cæteras tollat, non nocere nec minuere orationis fructum. Et super artic. enumeratis tribus attētionibus, quarum quælibet ad orationem sufficit, loquens de tertia attentione, addit: *Et quandoque in tantum abundat hæc intentio, qua mens fertur in Deum, vt etiam mens omnium aliorum obliuiscatur: sicut dicit Hugo de Sanct. Vict.* in lib. scilicet de modo orandi cap. 2. à medio to. 2. *Pura est* (inquit Hugo) *oratio, quando ex abundantia deuotionis, mens ita accenditur, vt cum se postulatura ad Deum conuertit, etiam suæ petitionis obliuiscatur.* Et Caiet. in commentar. huius artic. idem videtur sentire. Pro decisione.

D. Thom.

Hugo.

4 *Dico secundò.* Si quis ad orandum vocaliter accingatur, & ab habitu vel instinctu Spiritus sancti, aut ex virtute & excitatione verborum, quæ profert aut meditatur, rapiatur ad contemplationem seu meditationem adeò vehementem, vt non aduertat ad verba, quæ profert, non desinit tamen proferre, itaque ignorans illam animi suspensionem, vel nollens illam à cogitatione verborum distrahatur: oratio illa vocalis verè & rectè fit. In hoc asserto, vt credo nulla est opinionum dissensio. *Et probatur*, quia in huiusmodi orationibus manet attentio virtualis ad verba cū actuali attentione ad Deum: ergo verè & ritè oratur. *Probatur antecedens.* Prior intentio attendēdi ad verba, nunquam fuit voluntariè interrupta, sed quasi naturaliter ex vi alterius cogitationis piæ. *Confirmatur.* Distractio naturalis media cogitatione non bona non tollit attentionem virtualem, vt docuimus, disput. 1. ergo minus etiam tollet pia cogitatio vel meditatio quasi naturalis faciens eundem effectum.

5 *Dico tertiò.* Possibile est fundi veram & honestā orationem vocalem cum sola tertia attentione, qua volūtariè excludantur reliquæ attentiones, tā ad verba, quām ad verborū sensum: hæc ni fallor est mēs expressa D. Tho. *in quarto verbis iā citatis.* Verificatur assertio in orante, vocaliter, qui voluntariè applicat intellectū volendo non attēdere ad verba, sed sola contentus attentione tertia, vel indirectè, id est, in ea volendo priuari attentione actuali ad verba per meditationē excellentē, quæ se cū non compatitur attentionem ad verba, nihilominus voluntariè illa profert ad orandum, vel laudandum Deum. *Probatur*, quia illa verborum prolatio, vt pote voluntaria, est actio humana, cuius signum est, quia si tunc cum socio recitet, audit verba eius, & seruato debito ordine & modo loquitur: & tacet cum debet audire: est etiam cum ascensu mentis in Deum per meditationē: ergo est vera oratio, quia non est de ratione orationis, vt cogitet orans de ipsa locutione, nec de re significata per verba: ergo nec de verbis ipsis: ergo quamuis tunc eleuetur, & in ipsa mentis eleuatione non attēdat ad verba, erit vera oratio vocalis. Hoc assertū nō est ita certū, sicut præcedentia, & ideo contra illud obijcio.

D. Thom.

Attentio, sicut & intentio in oratione vocali debet esse eius directiua, vt oratio humano modo fiat: sed meditatio diuinorum, maximè eorū, 6
quæ verbis non significātur, nō est directiua vocū, in quibus oratio vocalis cōsistit, sed actuū interiorū, ex quibus integratur tertia attentio, seu excellens contemplatio (cui vacare supponimus orantē) ergo cessante omni attētione ad verba, cessat subinde directio orationis vocalis, sine qua directione nec oratio, nec alius actus humanus cōsistit. *Minor explicatur*, si verba ex quibus cōflatur vocalis oratio significēt pœnitudinē peccatorū, & meditatio seu tertia attentio versetur circa Dei liberalitatē, aut prouidentiā. In hoc casu, & similibus nō apparet, quomodo meditatio dirigat verba habentia sensum valdè diuersū ab his, circa quæ meditatio versatur. *Secundò.* Quando orans vocaliter nō vtitur præscripta verborum forma, sed verbis prout deuotio suggerit, is qui occupatur meditatione diuinorum, nisi attēdat ad verba, exponit se periculo proferendi verba inepta, & indigna, quæ auribus Dei inculcētur. Ferè idem periculum subit, qui sine attentione ad verba præscripta profert ea. Nā deficiente attentione ad verba, quædam inordinatè, quædam mala pronuntiatione, quædam omittet, quædam superaddet, quod sine peccato, & irreuerentia Dei nequit fieri. & vt significatur Ecclesiastic. 15. *Ne temerè quid loquaris, nec cor tuum sit velox ad proferendum sermonem, coram Deo, &c.* Eccles. 15.

Circa primam obiectionem *nota*, in casu tertij 7
asserti dupliciter posse reperiri meditationē circa diuina: vno modo fundatā in vocibus, quibus oratio cōstat, à quibus eruātur cogitationes piæ, & quibus mens accensa in Deum rapitur; & si isto pacto oratio fiat, vix potest intelligi fieri sine aliquali attentione ad verba, & ad sensum propter connexionem meditandorum cum verbis ipsis: & hic modus orandi pro mediocriter contemplatiuis securior est, & sine periculo errandi, & magis congruus pro ijs, qui diuinum officium ex obligatione recitant. Nec contra hunc orandi modum procedit obiectio. Secundo modo potest orans voluntariè rapi in meditationes, quæ non fundantur in vocibus orantis, sed in rebus diuinis longè diuersis à sensu verborum, ratione quarum meditationum non attendit ad verba, licèt illa proferat, & in hoc casu procedit obiectio, ad quam respondetur negando minorem, quia directio vocalis orationis non consistit in

sistit in vocum cogitatione, & attentione, quæ vt dixi necessaria non est, sed præsupposita orãdi intentione, in attentione circa finem orationis, qui est Deus, & diuina, quæ melius fit per pias meditationes, quàm per superficialem verborum cogitationem.

8 In secunda obiectione multa tanguntur: *& ideo dico*, quando orans fabricatur verba suæ orationis pro suo arbitratu, nisi attendat ad verba: (maximè quando oratio non est valde breuis) exponit se periculo ineptæ locutionis cum Deo: & tunc non erit consultum meditationibus ita occupari, vt ea attentione voluntariè careat; sed hoc per accidens est, non quia per se loquendo sit necessaria attentio ad verba, quod nos negare conamur. *Item dico*. Quando quis spontaneè orat iuxta præscriptam verborum formam, etiã si voluntariè non attendat ad verba, sed meditationi intentus distrahatur à meditatione verborum, verè orat, & sine periculo orat: verè quidẽ quia habet attentionem sufficientem ad orationem: sine periculo autem, quia inordinatio verborum, vel quid simile non imputatur, cùm oratio sit spontanea, & non debita. Si verò oratio sub certa forma fiat, & sit debita ex præcepto, vt horæ Canonicæ; videat orans quisque an se exponat periculo errandi, vel inordinatè proferendi: tunc enim vera oratio erit sine attentione ad verba, sed vitiabitur per accidens, vt modò dicebamus: si autem tali periculo non se exponat meditatione occupatus, (quod credimus posse vitari ab eo, qui memoria pollet firma, vel cum socio recitat, vel in libro legit officium) tũc oratio vndequaque legitima, & sine vitio, imò valdè commendabilis erit: vt pote quæ circa nobiliorem attentionem modo egregio versatur. Hinc patet solutio ad secundum argumentum principale in initio disputationis: & ad primũ negatur, illã actionem non esse humanam, est quidem, & egregia comitata attentione, vt docebamus.

Ad confirmationem negatur consequentia, quia dormiens non exercet actũ liberum & humanum; nec est ita dispositus vt sit in potestate eius suspendere vel continuare actum: & ita per somnum interrũpitur prior voluntas: non verò per illam meditationem, quatenus est voluntas humana orandi, quamuis interrumpatur voluntas attendendi superficialiter ad verba: quia hoc non est necessarium ad orationem vocalem. Videndi sunt Sotus 10. *de iustit. quæstion. 5. articulo. 3.* Nauarr. *dicto. cap. 3. numer. 30. 49. & c. & tractatu de oration. capit. 20. num. 28. Ad* Diuum Bernardum respondetur, ipsum loqui de ijs, qui dum orant occupati circa alias cogitationes, quæ non pertinent ad orationem, ad verba quæ proferunt voluntariè, non attendunt, vt circa Religionis negotia; circa conclusiones Theologicas speculatiuas, & id genus alia. Alia poterant hic disputari de attentione orationis, verbi gratia, an requiratur, & quæ attentio ad implendum præceptum orandi vocaliter: de quo infra agentes de horis Canonicis; An per attentionem virtualem augeatur meritum essentiale orationis: Sed hæc & similia concernunt omne meritum cuiusuis operis meritorij: ad materiam de merito lectorem remitto.

Sotus. Nauarr.

ARTICVLVS XIIII.

Vtrùm oratio debeat esse diuturna?

Summa Articuli.



Vpposito, quod desiderium charitatis est causa, à qua debeat procedere oratio fidelium, imò omnis operatio eorum, iuxta illud 1. ad Corint. 10. *Omnia in gloriam Dei facite. Prima conclusio est.* Oratio secundum suam causam debet esse cõtinua. Hoc est dicere; quod desiderium charitatis semper debet nobis inesse actu, vel virtute. Probatur testimonio August. *Epist. 121. ad Probam.* Et præterea, quia hoc desiderium, vt pote imperans omni virtutis actui, nequaquam debet in nobis interrumpi; cum omnia in Dei gloriam debeamus facere. 1

1. ad Cor. 10. *August.*

Secunda conclusio. Oratio secundum se considerata, non potest esse assidua, quia oportet alijs rebus occupari.

Tertia. Conueniens est, vt oratio tantum duret, quantum expedit ad excitandum feruorem, seu deuotionem desiderij interioris: at verò si ad hoc nõ conducit, ita quod sine tædio durare non possit, non est vlterius extendenda. *Prima pars probatur*, quia quantitas debet esse proportionata fini, sicut potio medicinalis sanitati, sed finis orationis est excitare interioris desiderij feruorẽ, vt colligitur ex Augustino in loco citato: ergo &c. *Secunda pars ex eadem* probatione colligitur, & ex Aug. vbi supra dicente, Patres in eremo solere fũdere orationes breuissimas; & raptim quodãmodo iaculatas, ne attẽtio hebetaretur, prolixitas tædium pareret: quo satis attendebat attẽtionẽ vigilantem, sicut non esse obruendam, si perdurare non potest, ita si perdurauerit non citò esse rumpendam.

August.

Vltima conclusio. Quæ dicta sunt in præfata cõclusione tertia per comparationem ad intentionem orantis, intelligenda sunt per comparationem ad populi deuotionẽ. Itaq; quando quis orat vt publicus minister eatenus debet extendere orationẽ, quatenus expedit ad populi deuotionem excitandam, quia si extẽsione orationis parit populo tædium, non debet orationes prolixas facere, quando duratio non est in præcepto.

DISPVTATIO VNICA

De veritate cõclusionis D. Tho.

De diuturnitate, & orationis continuitate per longum tempus, duo sunt cauendi extremi errores. Quidam namque orationes diu protractas abominantur: mouentur ex dicto Christi Domini Matthæ. 6. dicentis, *Orantes nolite multũ loqui.* præsertim si oratio vocalis sit: ergo orationes maximè vocales nequaquã debẽt protẽdi. Alter error è re- 2

Varij errores. *Matth. 6.*

è regione oppositus præcedenti fuit, nulli patere salutis additum, nisi perpetuò sit orans sine vlla cessatione. Iste error tribuitur Messalianis siue *August.* Psalianis; de quibus refert Augustinus, *libro de hæresibus, cap.*57. eos tandiu orare, vt eis, qui hoc de illis audiūt, incredibile videatur; quare Græcè appellantur Euchitæ, id est, orantes. Eundem errorem tribuit Gabriel Prateolus hæreticis en- *Prateolus.* thusiastis, & de infectis hoc errore refert multa *Theodor.* Theodoretus *libro 7. hist. Eccl. cap.*11. & in eodem errore versatos quosdam nostri temporis hære- *Lindanus.* ticos innuit Lindanus in *suo dubitantio*. Mouebātur isti hæretici occasione aliquorum testimoniorum sacræ Scripturæ. *Lucæ.* 18. Lucæ. 18. inquit Christus, *Oportet semper orare, & nunquam deficere* : & *Eccles.* 18. cap. 21. *vigilate itaque omni tempore orantes.* Ecclesi- *1. Ad Thes. vlti.* astici. 18. *Non impediaris orare semper*: 1. ad Thessalonicen. vltimo, *Sine intermissione orate.*

3 Pro præfatis erroribus confutandis, *dico primò*. Error est in fide orationes diu protensas aut *Vera sent.* prolixas damnare. Probatur. Nam de Christo Domino legimus, *quod erat pernoctans in oratione Dei*, & cap. 22. *quod factus in agonia prolixius orabat*: & quā plurimi Sancti laudantur, quia orationibus dies noctibus coniungebant. Item ex vsu Ecclesiæ à tempore Apostolorum, quæ in pressuris, in afflictionibus habuit in more prolixas ad Deum preces fundere, & psalmodiæ recitationem protrahere Deo rem gratissimam ducit.

Dico secundò. Error ineptus est asserere necessarium esse ad salutem, perpetuò & sine cessatione orare. Hoc dictum apertum est, etenim impossibile est orationi semper vacare, cum somno egeant homines, dormientes autem orare nequimus: comedere etiā, & bibere necessum est, & vt cibum & potū nobis adquiramus, & præparemus tempore & cura mediocri indigemus, cū quibus vix stare potest oratio, maxime vocalis; de qua suspicor loquebātur Messaliani. Insuper iste error è medio tollit opificia & artes ingenuas, vt pingere, scribere, legere, negotiari, à quibus esset omninò cessandū, si semper esset attēdēdū ad orationē. Denique à cura rei familiaris esset omninò abstinēdū cōtra D. Pauli præce- *1. Ad Ti.* 5. ptū 1. ad Tim. 5. *Si qua vidua filios, aut nepotes habet, discat primū regere domū suā, & mutuam vicē reddere parentibus, hoc enim acceptum est coram Deo*: & post pauca subiungit, *Si quis autem suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem non habet, & est infideli deterior*. At quis non videat multa huius curæ munera non posse simul stare cum oratione actuali.

4 Superest respondere ad argumenta contra ista *Respon. ad argumēt. in contrarium.* duo asserta. At illud testimonium ex *Matthæ. 6.* contra primum dictum, vbi prohiberi videtur multiloquium & prolixitas in oratione, respondetur, nequaquam ibi damnari orationis diuturnitatē, neque cōmendari breuitatem, etenim neq; hæc est laude digna, si alia necessaria desint, neque illa meretur vituperium, si cætera neces- *1. Exposit.* saria adsint. Sed illius testimonij est explicatio prima: nō ibi prohiberi multiplicitatem verborum, quæ interdum proficua est ad excitandum interioris affectus deuotionem, sed multitudinē petitorū; quia vnū est necessariū, & sufficit, nēpe vita æterna; quod si plura petuntur, quæ ad hunc finē nō ordinātur, tēporalia sunt, quæ nescimus an profutura nobis, an nocitura sint: & ob id Christus Dominus subiungit, *Scit enim Pater vester quid opus sit vobis antequam petatis*, ac si diceret, vnū tantū petite, scilicet vitā æternā, & quæ ad eā adipiscēdam ordinantur: cætera verò, quæ multa sunt, ne petatis, quia Pater cœlestis qui scit, quæ ex istis profutura sunt, dabit etiam non petentibus vobis. Hæc expositio non displicet A- *Abulen.* bulens. super caput 6. Matthæi, & illam videtur *Chrysost.* insinuare Chrysostomus, homi. 19. in Mat. dicēs. *Videtur Dominus prohibere longas orationes: longas verò dico, non tempore, sed multitudine, & prolixitate verborum*. Sed non videtur ita germana expositio textus. Tum, quia multum loqui orantes, non est multa petere: cum eandē rem multis verbis contingat petere: tum quia vix potest adaptari huic expositioni illa particula, *Putant enim Ethnici quod in multiloquio suo exaudiantur.*

Secunda expositio, pro qua intelligenda præ- 5
mittendum est, Ethnicos seu Gētiles in hoc versari errore, vt orantes putarēt esse in multiloquio *2. Exposit.* exaudiendos, quando ad suos Deos preces fundebant. *Primò*, quia existimabāt, Deos suos multis verbis arte compositis esse demulcēdos. Hoc est quod ait D. Augu. lib. 2 de Sermone Domini *D. Aug.* in monte capit. 7. *Multiloquium in Gentibus fuisse dicit Dominus: vt qui exercenda lingua, potius quàm mundando animo operam darent, vt hoc nugatorij studij genus, etiam ad precem fundendam transferre conarentur, arbitrantes Deum sicut hominem iudicē verbis adduci in sententiam*. Secundò, quia putabāt, Deos suos vocibus indigere, vt petitiones eis innotescerēt, & pluribus vocibus; imo & clamoribus ab vno loco in alium reducerētur, aut dormiētes excitarēt. *Et huic causa alludit Esaias*, inquit D. Tho- *D. Thom.* mas, in Matthæū, *cū Sacerdotes Baal sic adhortaretur. 3. Regum. 18. Clamate voce maiori: Deus enim vester* *4. Reg. 18* *est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut forte dormit, vt excitetur*. Quo etiam figmento Gregorius Nazian. oratione prima in *Nazian.* Iulianū Apostatā, notat Iouem ab Homero de- *Homer.* scribi *libro primo Iliadum*, vt qui peregre profectus non tam citò vota sacrificantium exaudierit, idem etiam de Neptuno effingens Odisseæ libro 1. dicit.

Nuper AEthyopas perrexerat ille remotos.
Taurorum celer occurrens, pecudumque hecatombis,
Atque hic occumbens carpebat gaudia mensis.

Hoc supposito, *secūda expositio* sit, in hoc Mat- 6
thæi loco non prohiberi simpliciter multiloquium in oratione, sed dumtaxat ea intentione & confidentia factum, qua ab Ethnicis fiebat, vt dictum est, non enim est Deus noster vt Dij eorum, vt pote qui vbique est. Egregiè Arnobius, *Arnob.* libro 6. aduersus Gentes. *Hoc enim est proprium Dei complere omnia vi sua, non partiliter vspiam, sed vbique esse totum: non adesse, non abesse, nō cenatum ad AEthyopas pergere, & post dies senos priuatum ad domicilium redire. Neque Mercurio illi opus* (vt ait Nazianzenus,) *qui vota nostra explicet; penetrat enim*

vsque

vsque ad intima cordis: & vt cecinit Orpheus, *Primum finem, mediumq́; tuetur*: & vt ait Paulus: *Omnia nuda apertaq́; sunt oculis eius*: & hoc est quod dicitur, *Nolite assimilari eis, scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* Item Deus nō demulcetur verbis arte compositis; sicut homines solent, & hoc est, quod ait, *Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur*, id est, propter multiloquium.

3. Senten. 7 *Tertia expositio est*, vt nomine multiloquij non intelligatur quæcunque verborum multiplicitas, aut eorum repetitio; sed multa verba inania, & inutilia, atque superfluo ornatu & repetitione excogitata. Huic expositioni fauet textus Græcus, vbi vice illius vocabuli *multiloquium* nō ponitur, *Polylogia*, id est, multus sermo, sed *battologia*, id est, vanus & inutiliter repetitus sermo: qui deriuatur à Batto quodam inepto Poeta, qui cum affectaret esse verbis copiosus, fastidiosa

Ouid. Poemata conscribebat. Hinc Ouidius *libr. 2. Metamorphos.* irridet quasi à Mercurio in saxum conuersum ad castigandam eius ineptam & nimiam loquacitatem, & inducit illum sic loquentē,

Sub illis

Montibus, inquit, erant, & erant sub montibus illis.

Nissenus. 8 Eidem expositioni fauet Gregorius Nissenus libro de oratione Battologia. *Est*, inquit, *quasi linguæ volubilitas, & vanus sermo*: & statim, *Hoc est quasi dicas mentis efferuentia atque effusio: hoc est, deliramenta, atq́; nugæ, ac si quod vocabulum huiusmodi significationis est, quod igitur nobis sermo consulitur, neidem committamus in tempore orationum, qualis in mente furiosorum, ac deliriorum absurda perturbatio conflatur, &c.* Quibus eleganti similitudine idem Nissenus explicationem prosequitur, quæ apud

Chrysost. ipsum videnda sunt, & ea quæ adducit Chrysostomus, ad idem propositum *Homilia. 19. in Matt.*

D. Aug. & D. Aug Epist. 121. capit. 10. tom. 2. *Multū loqui est in orando rem necessariam superfluis afferere verbis.*

Qui autem fuerint isti Ethnici; de quibus Matthæi. 6. mentio fit, aut cuius sectæ fuerint,

Matth. 6 incertum est, mihi valdè verosimile fuisse circūuicinos Iudææ. Etenim ex textu Euangelico colligitur dicendum voluisse suos cohibere in oratione à multiloquio Gentilium; igitur illi & eorū ritus in oratione fundenda, Apostolis noti erant; aliàs si ignoti essent sine causa eos admonuisset à cauendo eorum multiloquio. Puto tamen, tales Ethnicos fuisse ex reliquijs cultorum Baal, de quibus dixi in secunda expositione solitos fuisse multis vocibus, imò & clamoribus inuocare Baal, quasi suo multiloquio exaudiendos, aut fortasse, vt alij existimant, isti Ethnici erant Syrij, qui suam Deam circumferentes, quasi diuino quodam spiritu perciti essent, phanaticè multa iactabāt: cuius Deæ ritus meminit Apu-

Apuleius. leius libr. 8. de asino aureo prope finem, & Lu-

Lucretius. cretius rerum naturalium libro 2. & hoc multum congruit expositioni tertiæ.

9 Ad argumentum contra secundam assertionem desumptum ex quibusdam sacræ Scripturæ testimonijs, præcipuè ex illo Lucæ 18. *Oportet*

Luc. 18. *semper orare*, vbi videtur suaderi, imò & præcipi continuatio omnimoda orationis sine vlla intermissione. *Respondetur*, illorum testimoniorum & similium esse multas expositiones, quarum qualibet dissoluitur argumenti difficultas. *Prima* expositio est, semper esse orandum ex iussu Domini, id est semper benè operandum esse, satis enim benè orat, qui semper benè agit: quod sine *1. Exposi.* dubio præstat quicunque iustus, dormiens, aut vigilans: vt pote qui omnia in gloriam Dei refert actualiter aut virtualiter. Hæc explicatio tribuitur Origeni, & cuidam antiquæ glossæ. Nec debet censeri inepta, quia bona opera genus quod- *Origen.* dam orationis sunt Dei misericordiam prouocantia ad concedenda desiderata, sicut & mala opera dicuntur Dei iram & furorem excitare, vt nequaquam votis nostris annuat: sed puto hanc non esse legitimam illius testimonij explicationem, vt patet ex contextu & parabola subiuncta de vidua importunè efflagitante à iudice ius suum: ex qua parabola colligitur: *Oportet semper orare, &c.* Certò autem certius est, viduam non interpellasse iudicem benè operando, sed postulando: ergo de oratione propriè fit ibi sermo; non de oratione impropriè: & idem palàm fit in cæteris locis adductis ad idem in argumento.

Secunda explicatio est, vt continuitas orationis *2. Expositio.* iubeatur, aut suadeatur, non in se, sed in sua causa, nempè in desiderio charitatis, ex quo oratio 10 fidelium velut à causa procedit; & ideò qui continuat hoc desiderium, dicitur semper orare, (nomine causæ accepto pro effectu) continuat autem hoc desiderium quicunq; ex charitate actualiter vel virtualiter operatur. Hæc explicatio ferè coincidit cum prima, & eodem argumento impugnari potest, non est tamen contemnenda, cum sit D. Augustini *Epistol. 121. cap. 9. tom. 3.* & D. Basilij oratione in Iulitā vbi conatur persua- *D. Augu.* dere talem continuationē desiderij non esse im- *Basil.* possibilē, sicut enim qui amat aliquid vehementer, semper de re amata cogitat, siue comedens, siue bibēs; imò & dormiens somniat se esse cū re amata: sic qui amore Dei capitur, eiusque desiderio flagrat, sēper amat, sēperq; ei cōiūgi ardēter desiderat. Eadem expositio est D. Th. in hoc *D. Thom.* articulo ad quartū, vbi etiā subiungit, *Hoc D. Lucæ testimonium interpretari possumus de effectu, qui manet in orante, qui magis deuotus extat post orationem: vel in alio, qui prouocatur ad orandum ex beneficijs acceptis*: & in isto sensu orare est beneficia præstare his, qui pro nobis orent, iuxta illud Ecclesiastici. *Ecclesi. 29* 29. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Sed certè Christus Dominus non loquebatur de desiderio charitatis, sed de veris & importunis precibus, vt patet ex parabola viduæ, quæ nō interpellabat iudicē desiderijs, sed expressione desiderij, quæ fiebat importunò rogatu, neq; de oratione in suo effectu: vt manifestum est ex eadem ratione.

Tertia expositio est Gersonis *in 3 p. dicentis*, quan- *3. Expositio.* do quis cœpit rogare Deū, & volūtas eius nō est postea interrupta per oppositā volūtatē nō orā- 11 di, ille dicitur sēper orare. Hæc expositio prorsus *Gerson.* displicet: tum, quia non est ad propositū parabo- *tractatu* læ, tum, quia nō video, quomodo talis semper o- *de oratione* ret: maximè quia potest velle non continuare, ac *parte. 3.* ex cōsequēti nō orare, si cōtinuatio nō est in præcepto, & tunc absque dubio non semper orat.

Quarta

4. Exposi-tio Aug. Bed. Anselm. Aimon. 1. ad Thes. *Quarta expositio* est D. Aug. *libro de hæresibus c.* 57. & Bed. *super c.* 18. *Luc.* & Ansel. & Aim. *ac aliorum super c.* 5. 1. *ad Thessa.* qui dicunt, semper & continuò orare, qui statutis horis & diebus orat, & hanc continuationem orandi suaderi in præfatis restimonijs: egregium ad hoc explicandum est testimonium 2. *Reg.* 9. quando dixit Dauid ad Miphiboseth *tu comedes panẽ in mensa mea sẽper*, id est, certis horis quibus homines solent comedere, & in Psal. 1. de viro iusto, *& in lege eius meditabitur die ac nocte*, id est, certis horis, & Anna vidua *Luc.* 2. A templo non recedebat die ac nocte, id est, certis horis diei ac noctis, nam domum ibat, & redibat. Hæc expositio magis ad textum D. Lucæ accedit, quàm præcedentes, & illam etiam approbat D. Thomas vbi supra, & sequitur eam Lyranus.

2. Reg. Psalm. Luc. 2. D. Thom. Lyran.

5. Exposit. 12 *Quinta expositio* est, in hoc loco D. Lucæ, & alijs allatis non iuberi aut suaderi continuationem orationis sine vlla interruptione: quia hoc impossibile est, neq; certis & statutis horis, quia licèt id fiat sanctè, vt de Daniele, Dauide, & alijs refert sacra pagina, & Cyprianus in quodam Sermone; & refertur de consecratione, distinctione prima, capit. quando ait: *In veteri testamento orabant homines ter in die.* Et ad hoc sunt inducendi Christi cultores, vt luculenter suadet D. Basilius homilia in martyrem Iulitam, & D. Ambrosius *libro* 3. *de Virginibus circa principium.* Et similiter quamuis piè sanxerit Ecclesia Ecclesiasticos certis horis ad orandum concurrere; ad id tamen cæteri non necessariò adstringuntur: sed quod illis locis citatis suadetur, est perseuerantia in oratione, hoc est, non desperare à consecutione rei petitæ: non abijcere animum, si rem postulatam semel aut iterum non obtinuerimus, sed oportere pluries, & instanter id à Deo petere, quanta instantia & frequentia fieri possit. Quod clarius expressit D. Paulus loco citato, *Sine intermissione orate*, non quod nulli alij rei vacare debeamus, nisi orationi, quia hoc est impossibile, imò aliquando illicitum; sed quod non desperandum sit de rei petitæ obtentione, si nõ statim conceditur, sed magna constantia perseuerandum est, petendo, pulsando, interpellando. Quod alibi sæpè monet Apostolus dicens, *Oratione instate*: & hic sensus quadrat illi particulæ, quæ adiungitur verbis Lucæ. *Oportet semper orare*, inquit, *& non deficere.* Græcè est, non defatigari, hoc est, non despondere animo, si non annuatur votis nostris, & petitionibus, sed rursus maiori cum conamine, & quasi pertinacia insurgere ad petendum; exemplo viduæ, quæ ab iniquo iudice importunis precibus tandem obtinuit.

Cyprian. Basil. Amb.

Chryso. Theoph. Hanc expositionem sequitur Chrysostomus, & Theophilactus, & ferè omnes Neotherici, & videtur mihi magis germana textui: tum, quia quadrat magis parabolæ, vnde illud documentum semper orandi est erutum: tum, quia non recurrit ad impropriam acceptionem orationis, sed vtitur ea in significatione propria.

Scio & aliam expositionem non valdè alienam à proximè præcedenti, quæ non displicet: nempè ea quæ in testimonijs allatis habentur de continuatione seu frequentia orationis, esse intelligenda per exaggerationem, seu hyperbolem, ad edocendam perseuerantiam in oratione. Frequens est hyperboles vsus in Sacris Literis: aliquot exempla proferemus: Mat. 5. dicitur *Si oculus tuus, manus tua, aut pes scandalizat te erue eum, abscinde, &c. & proijce abs te.* Hyberbole est ad exaggerandum, quanta cura scandala vitanda sunt. Similiter Matthæi. 6. *Te faciente eleemosynam, nesciat, sinistra tua quid faciat dextera tua.* Hyperbole ad exaggerandum secretum in eleemosynarum largitione. Præterea *Lucæ* 10. neminem salutare in via iubentur Apostoli, quando mittuntur: exaggeratio est ad indicandam celeritatem itineris, qua qui vtuntur, vix possunt salutare obuios sibi: Hispanè prouerbialiter dicitur, *no seas oido, ni visto:* Non dissimiliter dicit Dominus Luc. 18. *Oportet semper orare*, & Apostolus, *Sine intermissione orate*, non quia sine vlla cessatione orandum sit, cùm hoc sit impossibile, sed vsus est figura hyperbolis ad exaggerandam & commendandam orationis frequentiam: cui satis fit, si frequenter aut perseueranter oremus. Et hæc dicta sint de diuturnitate orationis.

Matth. 5. Matth. 6. Luc. 10. Luc. 18.

ARTICVLVS XV.

Vtrum sit meritoria?

Summa Articuli.

PRIMA *conclusio.* Oratio habet vim merendi in quantum procedit à charitate tanquàm à radice, procedit autem à charitate mediante Religione, & concomitantibus alijs virtutibus, quæ requiruntur: nempè fide, humilitate & deuotione. *Prima pars* huius conclusionis probatur à D. Thom. quia commune est omni actui studioso habere efficaciam merendi à charitate. Secunda pars manifestatur, quia oratio actus est à Religione elicitus, ad quem necessaria est fides ex parte Dei, quem oramus, vt videlicet credamus ab eo nos posse obtinere, quod petimus: ex parte verò nostri necessaria est humilitas, vt nostram indigentiam agnoscamus: deuotio itidem necessaria est, quia est primus actus Religionis, ad quem cæteri consequuntur, vt in *quæstion.* 82. dictum est. Circa quam conclusionem obiter *aduerte*, non negare D. Thomã aliquando alias etiam virtutes concurrere ad orationem: concurrunt namq; sæpè ferè omnium virtutum chorus: sed loquitur de ijs, quæ necessariò requiruntur. 1 D. Thom.

Secunda conclusio. Oratio habet efficaciam impetrandi ex Dei gratia, qui nos ad orandum inducit. *Probatur* ex D. August. de verbis Domini *sermone* 5. & 29. August.

Tertia conclusio ad primum. Etiam oratio, quæ impetrat gratiam gratum facientem procedit ex aliqua gratia, quasi ex gratuito dono: quia ipsum

sum orare est quoddam donum Dei, vt dicit August. *in lib. de perseuerantia cap. 23. Quarta conclusio ad secundum.* Quatuor concurrentibus conditionibus semper aliquis impetrat quod petit, videlicet vt pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseueranter. August.

ARTICVLVS XVI.

Vtrùm peccatores orando impetrent aliquid à Deo?

Summa Articuli.

1 PRima Conclusio. Oratio peccatoris, vt peccator est, non exauditur ex misericordia, sed quandoque auditur ad vindictam. Oratio peccatoris vt peccator est, est illa, qua peccator petit à Deo aliquod peccatum, vel adiutorium ad peccãdum. Auditur verò ad vindictam; quia Deus permittendo & concedendo sibi nocitura, potius punit, quàm miseretur: iuxta illud Aug. tract. 73. in Ioan. *Metuendum est, ne Deus multa quæ posset dare propitius, det iratus.* Secũda cõclusio. Oratio peccatoris procedens ex bono desiderio naturæ exauditur à Deo, non quasi ex iustitia, quia illud peccator nõ meretur, sed ex misericordia, obseruatis tamen quatuor præmissis conditionibus in articulo præcedenti ad secundum. Horum duorum articulorum materia, in quibus de orationis efficacia agitur, grauissima est. August.

D. Thom. Pro cuius intelligentia *aduertendum ex* D. Th. Doctrina hîc, & *superius art. 13. & in quarto dist. 15. qu. 4. art. 7.* efficaciam seu vim orationis esse quadruplicẽ, sicut quadruplex est effectus quẽ causat: habet nãque oratio vim merẽdi, satisfaciẽdi, & impetrandi; ac denique aliquando reficiendi mentem, consolatione, & dulcedine spirituali: & quamuis isti effectus distincti sint, virtutes tamẽ ipsas, siue efficacitates in vnum & eundem actũ coniungi sæpè contingit, secundum diuersas rationes formaliter distinctas: v.g. oratio hominis in gratia existentis, & à Charitate in Deum relata habet vim merẽdi, vt à gratia & charitate procedit; & si cõsideretur vt opus pœnale est, habet virtutẽ satisfaciendi, non minus quam ieiuniũ & eleemosyna: quæ inter opera pœnalia & satisfactoria computantur: si verò consideretur vt petitio quædam est, legitimis vestita circũstantijs, habet virtutem impetrandi petita: ac demum si cõsideretur, vt aliquando solet præ feruore rapere mentem ad diuina, replet eam spirituali pinguedine, quam vulgus appellat deuotionem.

2 *Secundò notandum*, orationem non semper habere in vno & eodem actu illam quadruplicem virtutem, potest enim contingere, vt oratio quędam habeat vim merendi, & non impetrandi: v.g. illa oratio, qua à viro iusto postulatur aliquid, quod putatur esse conueniens, Deus tamẽ quia petitũ videt non congruere petenti, postulata non concedit; est quidem meritoria & satisfactoria, sed nõ est impetratoria. Talis fuit oratio D. Pauli 2. *ad Cor.* 12. petentis sibi auferri stimulũ carnis, quod quia non expediebat, non impetrauit: è cõtrario potest accidere, vt oratio sit impetratoria & non meritoria, quales sunt omnes orationes beatorũ, quibus pro nobis intercedũt, imò & multæ peccatorum orationes, quæ à Deo exaudiuntur, sed non sunt meritoriæ, eo quòd à gratia & charitate non proficiscuntur: at vero non reperitur oratio viatoris, quæ meritoria sit, & non satisfactoria, quia talis oratio procedit ex gratia, & charitate viatoris, & ex se actus pœnalis est: quæ duo sufficiũt ad rationẽ satisfactionis. 2. ad Cor.

Vtrùm aũt possit reperiri oratio, quæ sit satisfactoria, & non meritoria, controuersia est inter Scotistas, & Thomistas, istis negantibus posse reperiri opus satisfactorium sine gratia gratum faciente, illis verò affirmantibus. Nobis D. Thom. sententia certa videtur. Similiter dicẽdum est de virtute seu vi reficiendi spiritualiter mentem: q̃ reperiri potest in oratione peccatoris, quæ non exauditur, cuius tamen mentem Deus aliquando solet implere dulcedine orta à contemplatione diuinorum: interdum ad profectum, interdũ ad maiores futuros cruciatus ob beneficia diuina neglecta: de hac postrema vi orationis, non est modo differendum, quia non video in ea aliquid disputatione egens, licet subodorer multa amatu digna, quibus quia careo doleo: de vi aũt satisfaciendi non meminit in hoc loco D. Thom. non quia ignoraret, vt patet ex 4. *sent. dist. 15. qu. 4. art.* 7. sed quia reseruabat in materiã de satisfactione, ad quem locum nos etiam reijcimus ea, quæ de oratione, vt satisfactoria est, possent conuerti: præcipuè quia controuersiæ hæ omnes communes sunt orationi, & alijs operibus pœnalibus, nempe ieiunio & eleemosynæ. Modò dumtaxat agemus de oratione, vt meritoriam vim habet; quæ communis est illi cum omnibus alijs operibus à gratia, & à charitate procedentibus, & nihilominus eius meminit D. Tho. hîc, quia sæpè coincidit obiectum orationis vt meritoria est cũ obiecto eiusdem, vt impetratoria est; & nos multa supponentes disputata in materia de merito bonorum operum, pauca quædam tangemus: ex professo aũt nostra instituetur tractatio de oratione vt habet impetrandi vim, quæ est propria orationi, si loquamur propriè de impetratione, vt distinguitur à qualicunque consecutione rei. 3 D. Thom.

His suppositis est.

I. DISPVTATIO.

De orationis discrimine, vt impetratoria, & vt meritoria est.

ET præmittendum, nullum vnquam Orthodoxum dubitasse, quin oratio procedens à gratia & charitate meritoria sit, sicut & alij virtutum actus; sic neque etiã dubitare fas est, orationem esse impetratoriam, cum sacra Scriptura clamet mirabilia, quę media oratione impetrata sunt: sed quod magis manifestat præfatum discrimen ex obiecto pensandũ est: & 4

est: & ideò inquirendum, cuius rei oratio est impetratoria, & cuius meritoria?

Vnde sit prima assertio. Oratio natura sua est impetratoria cuiusuis boni, quod nobis à Deo donatur, hoc est dicere, nullum bonum est communicabile creaturæ, quod per orationem non sit impetrabile. Probatur primò, quia Deus, quẽ interpellamus in oratione, summè bonus & liberalis est, atque adeò summè cupidus sua bona communicandi, summè misericors est, ac proinde nostris indigentijs compatiens, summè potẽs, ac proinde eas valens subleuare, & quod nõ minoris faciendum est, ipse ad orandum nos inducit sæpissimè, vnde August. Serm. 5. & 26. de verbis Domini tomo 10. *Non nos hortaretur, vt peteremus, nisi dare velit.* Et Chrysost. dicit. *Nunquam orãti beneficia denegat, qui vt orantes non deficiant, sua pietate instigat:* Et orationes nostræ coram Deo suapte natura impetratoriæ sunt, & ad impetrandũ omnia bonorum genera. *Confirm.* quia omne genus bonorum à Deo petimus, vt docuimus in expositione orationis Dominicæ: ergo tale bonum obiectum est impetrationis orationis, aliàs frustra illud à Deo peteremus. *Confirmatur secundò* ex testimonio sanctorum Patrum, qui verbis magnificis docuêre efficaciam orationis, in impetrando à Deo omnia bona.

Secundò probatur, ex sacris Literis, & Sanctis,
5 qui passim enumerant magnalia, quæ à Deo impetrauit oratio, tempe propriam orantium iustificationem, vt in publicano, Luc. 18. aliorum
Luc. 8. primam gratiam, vt quando D. Stephanus obti-
Actor. 7. nuit Paulo gratiam, Act. 7. & Iac. 1. *Orate pro in-*
Iacob. 1. *vicem vt saluemini.* Salutem corporalem: Iac. 5. *In-*
Iacob. 5. *firmatur quis in vobis, &c. & oratio fidei saluabit infir-*
Esa. 38. *mum:* prorogationem vitæ, vt in Ezech. Esa. 38.
Obsecro inquit Domine, &c. & sequitur *audiui orationem tuam, ecce adijciam super dies tuos quindecim an-*
1. ad Tim. *nos.* Pacem. 1. ad Tim. 2. *primum omnium orationes*
2. *fieri pro omnibus, vt quietam, & tranquillam vitam habeamus. Audiui orationem tuam*, inquit Dominus
Esa. 38. Ezech. Esaiæ 38. *& de manu Regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam.* En ab hostibus libertas. *Cum*
Exod. 17. *Moyses leuaret manus,* Exod. 17. *vincebat Israel:* en victoria. *Multum valet oratio iusti assidua. Helias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit*, inquit
Iacob 5. Sanctus Iacob, cap. 5. *Vt non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex, & rursus orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.* En vbertas, & pluuia.

Quid multis, oratio peperit Salomoni prudentiam 3. *Reg.* 3. & sapientiam ac intellectum
3. Reg. 3. impetrat, *Iac.* 1. sterili vtero fœcunditatem largi-
Iacob. 1. tur, *Gene.* 15. eruit à probro & morte *Dan.* 13. pla-
Gen. 15. cat Deum iratum, *Exo.* 32. cœlum & Paradisum
Dan. 13. aperit *Luc.* 23. Dæmones abigit *Matt.* 17. Denique
Exod. 32. nihil ita tã arduum, nihil tam difficile, quod ora-
Luc. 23. tione impetratum non sit, aut certè impetrari
Matt. 17. non possit. Igitur hoc sit pro comperto habendum, obiectum orationis, vt impetratoria est, esse omnium bonorum genus, dummodo ordinatè diuinæ liberalitati subsit, sed quid de obiecto orationis vt meritoria est.

6 *Secunda assertio.* Obiectum orationis vt meritoria, est omne præmium, & illud solum, quod debetur cuiuis operi bono à gratia & charitate procedenti, de quo latè. 1. 2. *qu.* 114. modo verò summatim: nam si sit sermo de merito, quod appellatur de condigno, orans ex charitate meretur sibi gloriam & augmentũ gratiæ; insuper bona temporalia, si vtilia sunt ad beatitudinem orãtis, quasi pertinentia ad eius salutem, v.g. si homo iustus petat pro se sanitatem corporalem, & re vera melius negotiabitur suam salutẽ spiritualẽ liberatus à morbo, tunc meretur de condigno audiri & obtinere postulata, non solùm per orationem fusam, verùm etiã per quodcunque aliud opus à charitate procedens, vt testatur D. Tho. 1. 2. *qu.* 114. *art. vlt. &* expressius in *art.* 15. *huius quæst. ad secundum:* & ratio est, quia quodcunque opus procedens à charitate meretur augmentum gratiæ ac virtutum infusarum, ac deniq; vltimũ terminum, qui est beatitudo: ergo etiã omnia media ad illum. Cum ergo assecutio temporalium quandoque ex diuina ordinatione sit medium necessarium, aut vtile ad habẽdos actus virtutũ, quibus augeatur gratia, aut comparetur gloria: fit consequens, vt quodcumq; opus ex charitate procedens mereatur illa sub ea ratione, qua media sunt ad Beatitudinem habendam: & idem dicendum est de oratione. D. Thom.

Tertia assertio. Oratio hominis puri, vt meritoria est, de condigno non extenditur ad merendã gratiam primam, reparationem lapsus, perseuerantiæ donum, & si quæ sunt alia, quæ non cadũt sub merito. Hæc assertio patet, quia in ratione meriti omnia sunt cõmunia orationi, & cæteris bonis operibus, quæ à charitate proficiscuntur. 7

Ex præfatis assertionibus infertur. *Primò*, ad plura se extendit oratio vt impetratoria est. Etenim vt impetratoria extẽditur ad impetrandam primam gratiã, reparationem post lapsum, donũ perseuerantiæ, ad quæ non se extendit oratio vt meritoria est. *Secunda infertur*, sicut vnus & idem actus orandi potest esse meritorius & impetratorius: ita vnum & idem bonum aliquando potest habere rationem impetrari, & præmij. Itaq; oratio vt impetratoria & meritoria possunt coincidere in vno & eodem obiecto materiali: v.g. petit vir iustus beatitudinem, quã etiam obtinebit: tunc beatitudo est obiectũ orationis sub vtraque ratione, impetrationis scilicet; & meriti: at verò sæpè nõ coincidunt, quia obiectũ orationis, vt impetratoria, id quod postulatur est: obiectum verò eius, vt meritoria, est beatitudo, & res quæcũq; ad ipsã conducentes: cõtigit aũt multa exigi & impetrari, quæ non cadunt sub merito.

Quarta assertio. Multa discrimina reperiuntur inter orationẽ vt habet vim merendi, & vt habet vim impetrandi, quæ ad sequentia reducuntur. 8 *Primũ*, quod oratio vt meritoria est, habet pro obiecto beatitudinem & ad ipsam cõducentia: vt impetratoria verè habet pro obiecto rẽ postulatã: quod si aliquando cõtingat orationem vt meritoria est, respicere vt obiectum rem postulatam, id contingit accidentaliter, non per se, vt colligitur ex D. Th. art. 15. ad secundum. *Secundum discrimen*,

men. Oratio vt meritoria est innititur iustitiæ, meritum.n. opus iustitiæ est, vt dicitur in materia de merito: at verò vt impetratoria est, innititur misericordiæ & voluntati Dei volentis gratuitò condescendere petitionibus nostris. Hæc differétia cómuniter assignatur à Doctoribus, specialiter à D. Tho *art. 16 huius quæstionis in corpore, & ad secundum, & in quarto dist. 15. qu. 4. art. 7. q. 3. & dist. 4 qu. 2. art. 1. ql. 1 de potentia, qu. 6 art. 9. ad quintum.* D. Thom.

Hinc nascitur *tertium discrimen.* Obiectum orationis vt impetratoria est, habet rationem doni liberaliter à Deo dati: obiectum verò orationis, vt meritoria est, habet rationé mercedis & præmij ex iustitia debiti. Quare si contingat, vnũ & idem bonum esse obiectum orationis sub vtraq; ratione, adhuc in eo distinguenda est duplex formalis ratio, nam secũdum quod refertur ad orationé, vt impetratoria est, habet rationem doni gratuito dati; vt verò comparatur ad orationem secundum quod meritoria est, habet rationem præmij & mercedis ex iustitia debitæ.

Ex his etiam sequitur *quartum discrimen:* nam per orationem vt meritoria est, orans adquirit ius ad beatitudinem dandã, nisi postea aliquod apponatur impedimentum: sicut per quodlibet opus meritorium, quia ex iustitia illi tale præmiũ debetur: at per eam, vt impetratoria est, non adquiritur aliquod ius consequendi postulata, quia non innititur iustitiæ, sed Dei liberalitati, vnde nec semper efficax est ad impetranda petita.

Qintum discrimen. Efficacia orationis, vt meritoria est, principalius innititur charitati, à qua omnis ratio meriti sumitur, at efficacia orationis vt impetratoria est, sumitur principalius à fide, quia per fidem habet homo notitiã omnipotentiæ & misericordiæ diuinæ, ex quibus oratio habet impetrare q̃ petit: ita D. Th. art. 15. *ad tertium.*

II. DISPVTATIO.

Quid oratio mereatur de cõgruo?

1 Postquam visum est, quid sit illud quod oratio meretur de condigno, nõ erit abs re videre, quid mereatur de cõgruo. Et fortasse quis posset existimare, esse meritoriã cuiusuis boni, cuius est impetratoria: sed decipietur, quia latius patet, vt infra videbimus, modo verò breuiter sit secunda dubitatio, nam huius rei fusior disputatio pertinet ad 1. 2. q. 114.

Dico igitur primò. Oratio peccatorum siue fundatur pro se, siue pro alio, non est meritoria, etiã de cõgruo, alicuius boni supernaturalis & æterni. Prob. quia seclusa gratia in eo, qui meretur, nullum agnoscit meritum Schola D. Tho. vt videre *licet locis citatis.* Consulto dixi, nõ esse meritoriam alicuius supernaturalis & æterni, vt relinquerem locum opinandi Thomistis, an per opera moraliter bona mereatur quis de congruo bona temporalia secundùm se. quibusdam negãtibus: mihi fit verosimilius, orationem peccatoris non mereri ea, quia qui inuisus Deo est, nõ est dignus exaudiri ab eo: etenim prius respexit De' ad Abel quã ad munera eius. Ex hoc asserto clarè colligitur, latius se extendere orationis impetrationé, quàm meritũ de congruo: cum peccatores orationibus aliquando impetrét bona æterna, non verò mereantur, neque de congruo.

Dico secundò. Oratio cuiusque sicut non est meritoria de condigno suæ reparationis, aut suæ primæ gratiæ, sic nec de congruo, etiamsi pro ea impetranda fundatur. *Patet,* quia hæc supponuntur in oráte, vt principium totius meriti: ergo nõ cadunt sub eius merito. 3

Dico tertiò. Oratio iustorum fusa pro obtinenda aliorũ reparatione post lapsum à prima gratia vel eius augmento meretur exaudiri de congruo. Hoc dictum colligitur ex Doctrina D. Th. 1. 2. q. 114. ar. 6. De huius asserti declaratione videnda sunt quæ dicuntur dubitatione sequenti.

Dico quartò. Oratio iustorum fusa pro obtinéda gloria, aut gratiæ augmẽto aliorum, meretur de congruo hæc bona, imò & temporalia bona, vt conducunt ad salutem, & fortassis temporalia bona secundum se, si pro se petat aut pro alijs. Hoc assertum patet ex loco citato, vbi copiosius disputatur. *Aduertendum tamen,* ea quæ dicta sunt de orationis merito, intelligenda esse, nisi aliude adsit impedimentũ nam multa poterunt interuenire, ratione quorum euacuetur meritum: v. g. indignitas eius, pro quo oratur, vt si sit dãnatus, vel viator in peccato tenax, aut quid simile.

DISPVTATIO III.

An vnus homo alteri poßit immediatè impetrare primã gratiam, aut eius augmentum; aut verò eam illi promereri de congruo per orationem?

Dixi, de congruo, quia certum est nullũ, excepto Christo Domino, potuisse alijs mereri de lege ordinaria primam gratia, aut augmentum gratiæ de condigno. Et videtur vera pars affirm. Mat. 9. dicitur, quod videns ille fidem orantium pro Paralitico, dixit. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Vbi apertè videtur insinuari, dimissa illi fuisse peccata propter impetrationé illarum, siue propter meritum eorum: & quadrant Gregorij verba dicétis, *quantum valet apud Deum fides propria, apud quem tãtum valuit fides aliena:* Secundò, Iacob. 5. dicitur. *Infirmatur, quis in vobis, &c.* & sequitur. *Oratio fidei saluabit infirmum, & si in peccatis sit dimittentur ei.* Ecce ad preces presbyterorũ dimittuntur peccata, ac ex consequenti confertur prima gratia. 1 Matth. 9. Greg. Iacob.

Dico primò. Asserere aliquem mereri de congruo, aut verò impetrare primam gratiã immediatè alicui sine vlla dispositione, aut motu ipsius pro quo orãtur, quamuis non ponat obicé actualem, erroneum est. *Prob.* quia secundũ fidé nullus in peccato existens potest iustificari sine Fide, Spe, & Charitate, & Pœnitentia: ergo oratio aliorum non poterit illi prodesse ad vitam, nisi præcesserint huiusmodi boni motus. Antecedés 2

D. Thom. manifestum est, & docetur à D.Thom. 1.2. *quæst.* 113 *art.* 5.

Dico secundò. Asserere quod oratio vnius prodest alteri ad habendam gratiam & iustificationem, quando ille pro quo oratur habet quidem contritionem, sed adeò remissam vt non sufficiat ad introductionem gratiæ, est opinio Scotica & chimerica. Supponit enim reperiri aliquam contritionem, quæ propter sui remissionem non expellat peccatum, quod falsissimum esse demõstratur in materia de pœnitentia, cum gradualis intensio contritionis parum referat ad expellenda peccata, & satis superque sit minima; modo sit vera contritio: quod si talis sufficit, consequẽs est orationem alterius nõ valere, neque per modum meriti, neque per modum impetrationis ad gratiam immediatè alteri præstandam: quandoquidem gratia illa correspondet pœnitentiæ illi, seu propriæ dispositioni ipsius pœnitentis, & secundum eius indigentiam sibi donatur.

Dico tertiò. Asserere, quod vnius oratio taliter illi ad gratiam prosit, quod vltra illam
3 gratiam propriæ dispositioni correspondentem impetret illi, aut mereatur alium gradum gratiæ, falsissimum est. Hæc probatur fusius in materia de pœnitentia. Modò verò probatur, quia ex sacra Scriptura habemus vnumquemque præmiãdum prout in corpore gessit, non prout alius pro eo facit: at si oppositum esset verum, nulla talis proportio meriti ad præmium seruaretur: ergo id non est asserendum.

Quartò dico. Quando D.Tho. ait, per orationem ab vno fusam posse alteri impetrari primam gratiam & eius augmentum, aut pro eo mereri, intelligendus est, non immediatè, sed mediatè, hoc est, Deus ad orationem alterius confert bonos motus, & eas dispositiones, ad quas prima gratia aut augmentum gratiæ consequitur. Confert inquam non ex lege & iustitia, sed tantum de congruo.

Ad primum argum. de Paralytico resp. ex illo testimonio non colligi peccata fuisse illi remissa pro-
4 Resp. ad argum. pter solam fidem interpellantium pro eo: tum, quia Paralyticus, qui propter peccatum infirmitatem incurrerat, sine fide propria iustificari nõ potuit: tum etiam, quia Christus dixit ei, *Confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Quibus verbis satis indicatur ipsum Paralyticum fiduciam habuisse in Christum & alios bonos motus: & propterea remissionem peccatorum obtinuisse. Vnde benè aduerterunt quidam, quod quando dicitur: *Vidẽs Iesus fidem illorum*, illa vox, *illorum*, non solum refert fidem astantium, sed etiam ipsius Paralytici. *Ad secundum* ex testimonio D.Iacobi, resp. illud intelligi de Sacramẽto extremæ vnctionis, quod valet ex opere operato ad salutem suscipientis: & illa oratio fidei, de qua asserit D. Iacobus, quod *saluabit infirmum*, potest accipi pro forma Sacramenti, quam inungens dicit, *Per hanc sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, &c.* Quod si de oratione astantium & orantium pro infirmo intelligas, dic, quod talis oratio saluauit infirmum mediatè, scilicet mediante pœnitẽtia illi impetrata per orationẽ: nã quod oratio illa prosit infirmo existẽti in peccato mortali ad salutem animæ immediatè, hoc est, seclusa eius immediata dispositione, plus quam falsum esse ostendi.

IIII. DISPVTATIO.

An oratio sit impetratoria doni perseuerantiæ siue pro ipso orante, siue pro alijs?

DE qua re sit assertio. Nulli dubium esse potest, quin aliquando oratio siue pro se, siue pro alijs fusa ad consequẽdum donum perseuerantiæ, illud impetret. Assertum hoc expresse habetur ex D.Aug. *de correptione & gratia ca.* 6. & 7. & D.Fulg. *in Epist. ad Theod.* & D.Prosper *resp. ad dub.* 10. & D. Tho. 1.2. *q.* 114. *art.* 9. *ad secundum.* Secundò probatur, nam à Christo Domino monemur petere à Deo hoc donum iuxta interpretationem D Cyp. in illis verbis, *Sanctificetur nomen tuum*, iuxta interpretationem D. Aug. in illis, *Et ne nos inducas in tentationem*, & alibi *vigilate & orate ne intretis in tentationem*: ergo donum hoc impetrabile est per orationes, aliàs vanè iuberemur illud à Deo postulare. Videndus est D.Aug. *de bono perseuerantiæ c.* 6. 7. 16. 17. qui expressè, & doctè de hac re philosophatur, quare nõ assentior M.F.Barthol. à Medina, qui in loco citato renuit concedere, hominem iustum posse impetrare à Deo donum perseuerantiæ: fortasse loquitur de impetratione vt habet admixtum meritum de congruo, quod definire magis difficile est: & ideo sit

August. D. Fulg. D. Thom. D. Cyp. D. Aug. August. Medina.

V. DISPVTATIO.

Esto oratio impetratoria perseuerantiæ, an mereatur illam de congruo, siue pro orante, siue pro alijs?

ET pro parte affirmatiua arguitur primò. Viri & iusti impetrare possunt sibi, & alijs perseuerantiæ donum, vt modo probabamus: ergo & mereri de congruo idẽ donum. *Prob. conf.* quia in tali impetratione nihil deest ad meritum congrui, tum ex parte orantis, qui cum amicus Dei sit, congruum est ab eo exaudiri: tum, ex parte operis, nimirum orationis, quæ à gratia & charitate procedit & ijsdem informatur, ac subinde dignum opus est, cui Deus debeat ex congruitate amicabili attendere, vt annuat petentibus. *Secundo* idem probatur ex D.Aug. de bono perseuerantiæ, cap. 6. vbi id expresse videtur asserere, vt in sermone D. Laurentij inquit, *Martyres ita se deuinxerunt legibus Saluatoris, vt propter vitam actam mererentur ad martyrij palmam peruenire*: sed martyrium includit donum perseuerantiæ: ergo meruerunt illud.

Tertiò.

Tertiò. Antiquæ legis Patres meruerunt de cõgruo filij Dei incarnationem; vt habetur apud D.Tho.3.*p.q.*2.*art.*11. ergo potiori ratione mereri potuerunt donum perſeuerantiæ, quod minus eſt. *Quartò.* Viri iuſti alijs merentur primam gratiam de congruo, cur non perſeuerantiam? **D. Thom.**

2 In oppoſitum eſt. Nam D.Thom. qui egregiè nouit diſtinctionem meriti de condigno, & de congruo, abſolutè negat vbique donum perſeuerantiæ cadere ſub merito. *Secundò.* Perſeuerantia ſiue in merito condigni, ſiue de congruo, vel ſe habet vt principium meriti, vel ſaltem vt quid præſuppoſitum ad obtinendam rem emeritam: ergo non poteſt cadere ſub merito, etiam de congruo: aliàs principium meriti caderet ſub merito: quod inficiatur omnis Theologorum ſchola. *Tertiò.* Si iuſtus per orationes ſuas meretur de congruo donum perſeuerantiæ: ergo acquirit ius ſaltem amicitiæ, vt illud obtineat: ergo quicunque iuſtus petens à Deo donum perſeuerantiæ infallibiliter ſaluabitur. Quod videmus eſſe falſum, nam multi iuſti, petentes à Deo hoc donum damnabuntur. *Dices.* Ipſi fuerunt ſibi impedimento, quia ceciderunt. *Contra hoc arguitur.* Ipſum donum perſeuerantiæ hoc includit, vt nõ cadat, qui habet illud: ergo ſi vir iuſtus meruit illud, meruit etiam vt non caderet. *Confirm.* quia ſi iuſti merentur donum perſeuerantiæ: ergo in manu cuiuſuis eſt conſtituere ſe impeccabilem, quod nemo concedet. *Quod ſi quiſpiam dicat*, non per quaſcunque orationes, ſed per feruentiſſimas mereri iuſtos perſeuerantiam. Hoc certè gratis dicitur, tum, quia ſine vllo fundamento, aut promiſſione diuina; tum, quia ſæpè reperientur aliqui feruenter orantes pro obtinenda perſeuerantia, & tandem in peccata lapſi in fine vitæ dãnabuntur; & aliqui remiſsè orantes pro eodem dono adipiſcendo, aut non orantes ex Dei munere ſaluabuntur. **D. Thom.**

3 Pro deciſione *dico primò.* Valdè probabile eſt, viros iuſtos orando poſſe alijs mereri donum perſeuerantiæ de congruo. *Prob.* quia poſſunt alijs mereri primam gratiam: ergo & perſeuerantiam. *Præterea idem probatur argumentis*, quæ fecimus in princ. dubitat.

Dico ſecundò. Non eſt improbabile aſſerere, viros iuſtos poſſe ſibi mereri de congruo donum perſeuerantiæ, maximè ſi petant illud inſtanter à Deo. Hanc aſſertionem tribuimus argumentis factis in principio dubij pro parte affirmatiua.

Tertiò dico. Mihi veroſimilius eſt, & magis ad mentem D.Tho. donum perſeuerantiæ non cadere ſub merito de congruo cuiuſuis iuſti, excepto Chriſto Domino, qui de condigno, imò de rigore iuſtitiæ meruit nobis illud, ſicut & alia dona. Hæc aſſertio probatur argumentis factis in oppoſitum, quibus tamen quatenus militant *contra* 1. *&* 2. *aſſert. reſp.*

4 *Ad primum.* Quod D.Thom. quando inquit perſeuerantiam non cadere ſub merito, intelligit de condigno, quod non eſt meritum ſimpliciter, ſed non ideo negat meritum congrui reſpectu eiuſdem perſeuerantiæ, quod eſt meritũ ſecundum quid: maximè quia ipſe 1.2.*q.*114.*ar.*9. *ad* 1. expreſsè ait, perſeuerantiam poſſe eſſe materiam impetrationis: tam pro ſe, quàm pro alijs, ex quo nos inferimus probabiliter cadere ſub merito de congruo.

Ad ſecundum reſp. Sicut Patres antiquæ legis meruerunt de congruo incarnationem filij Dei; quamuis ea erat conditio requiſita ad meritum de congruo; ſic nos dicimus de perſeuerantia: eſto ſit conditio requiſita ad merendum, & obtinendam eandem; adhuc tamen poteſt cadere ſub merito de congruo: quare negat. conſeq.

Ad tertium, admiſſa priori conſequentia, negatur ſecunda in merito cõgrui, qualecunq; fuerit ius acquiſitum, quod propriè nullum inducit debitum, neque vllum infallibilem effectum, ſed aliquando euenientem, aliquando non euenientem, iuxta Dei placitum: & ſic patet ad confirm. Illud verò, quod obijciebatur de feruentibus orationibus, ſatis ibi impugnatum eſt.

Ad argum. in princ. facta, quatenus procedũt contra tertiam aſſert. reſp. *Ad primum negando conſeq.* quia plura requiruntur ad meritum de congruo, quàm ad impetrationem. *Primò.* Meritum de congruo requirit in eo qui meretur gratiam; impetratio non itidem. Sæpè enim peccatores impetrant poſtulata; quinimò Deus aliquando non exaudit viros ſibi dilectiſſimos; & exaudit peccatores eadem petentes: quia impetratio, vt ſic ſoli innititur Dei liberalitati; meritũ verò de congruo exigit ſaltem vt quid requiſitum gratiam in eo, qui meretur. *Secundò*, quia meritum de congruo includit debitum quoddam amicabile, quod non ſe extendit ad perſeuerantiæ donum, vt dicemus in ſolutione ad tertium argumentum. Impetratio verò nullum prorſus debitum reſpicit, neque illi innititur. 5

Ad ſecundum reſp. Sæpè D. Auguſt. vtitur vocabulo, *Meritum* in ſignificatione non vſque adeò propria. Et in locis citatis ipſam impetrationem appellat meritum, vt colligitur ex toto contextu Aug. ad quem lectorem remitto: & ex eo quod ait, *Suppliciter emereri*, illud verbum, *ſuppliciter* excludit omnem rationem meriti, & adſtruit impetrationem.

Ad tertium reſp. Fortaſſe probat primam aſſertionem non ſecundam: ſed melius reſpondetur. Meritum de congruo fundatur in debito amici ad amicum; non eſt autem debitum amicis Dei, neque hoc poſcit amicitia diuina, vt amici conſtituantur in ſtatu perſeuerantiæ; ſat eſt augeri gratiam, & alia dona conferri. Etenim quod homo habeat voluntatem determinatam ad bonum vſum gratiæ, potius eſt conditio exiſtentis in termino, quam in via; nam quamdiù liberum arbitrium hominis, non peruenit ad vltimum terminum, ſemper eſt in vtramque partem flexibile: quapropter meritum etiã de congruo nõ ſe extendit ad donum perſeuerantiæ, ſed tantum referendum eſt in Dei miſericordiam, & liberalitatem: cui ſoli nititur impetratio, atque adeò eſt obiectum impetrationis, non verò meriti: igitur ad argumenta neg. conſeq. **Ad** ***quartum*** facilis eſt ſolutio ex dictis. 6

DISPVTATIO VI.

An omnis oratio habeat in impetrando efficaciam?

1 ET videtur vera pars affirmatiua. *Primò:* nam oratio est petitio decentium à Deo, iuxta mentem Damasc. cur ergo non exaudiet nos petentes ab eo? cum sit summè misericors, ac proinde nostris indigentijs compatiens; summè bonus, atque adeò summè cupidus se communicandi creaturis; omnipotens, & ex hac parte potens omnia bona nobis conferre, & mala auferre; summè liberalis, ac propterea largitor bonorum omniũ, maximè petentibus se. *Secundò.* Omnis oratio, quæ à charitate proficiscitur habet efficaciam merendi: ergo omnis quæ à Religione elicitur, maximè si etiam à charitate proficiscatur, habebit efficaciam impetrãdi. *Prob.* conseq. tũ ex paritate rationis, tum quia non est minoris virtutis oratio, vt impetratoria est circa suum obiectum, quàm vt meritoria est.

2 In oppositum est. Vera, & legitima oratio potest à peccatoribus fundi, vtpotè procedés à virtute Religionis: & tamen oratio peccatorũ nullã habet efficaciam impetrãdi postulata: ergo. Minor prob. Ioa. 9. *Deus peccatores non exaudit:* & Pro-
Ioan. 9. uerb. 28. *Qui declinat aurem suam ne audiat legem, ora-*
Prou. 28. *tio eius fiet execrabilis:* & Psal. 65. *Iniquitatem si aspexi*
Psal 65. *in corde meo, non exaudiet Dominus:* Isa. 1. *Cum multi-*
Esaia. 1. *plicaueritis orationes non exaudiam, quia manus vestræ plenæ sanguine sunt.* Circa quæ verba D. Basi. in-
D. Basil. quit, *Veluti si quispiam filium alicuius vnicè dilectum neci tradiderit, isq; manus sanguine filij cruentas supplex porrigat ad patrem, an non responderemus filij sanguinẽ in manu filicidæ acrius exacerbare patrem tali iniuria affectum:* Quibus verbis alludit Basil. ad methodũ D. Pauli docẽtis, eum qui mortaliter peccat cru-
Chrysost. cifigere, quantum in ipso est, filium Dei. Chrys. hom. 52. in Mat. *Dic sodes si stercore, atq; cœno manus illotas haberes, auderes ne ita sordidus orare? minimè inquies: at, qui hoc tibi nullum damnum afferret, illud omni peste perniciosius est: quomodo igitur ea, quæ indifferẽtia sunt vereris, quæ autem certam perniciem habent ex desidia abijcis? Quid igitur, an nõ orandum est, inquies? Orandum quidem tibi est, sed non sordido neq; ita deturpato. Nam si quis pedes tuos, stercore sordidatis manibus supplicando tangeret, non modo non exaudires, verum etiam calcibus expelleres. Quomodo igitur audes tu hoc modo Deum orare? nam qui orat, quasi manu lingua vtitur, qua genu Dei supplicando attingit.* D. Ambros.
D. Ambr. serm. 22. Psal. 118. *Oratio peccatoris,* inquit, *grauescit, & longè fit à Deo.*

3 Tertiò idem probatur de oratione virorum iustorum, quæ sæpè non exaudiuntur, vt patet in oratione D. Pauli pro amouendo à se carnis stimulo, quod non impetrauit. *Secundò.* Multæ orationes reperiri possunt habitæ ex viribus naturalibus Deo non concurrente ad eas suo speciali auxilio, vt in homine Gentili orante Deum, vt est autor naturæ; vel in homine fideli orãte ex Religione acquisita: & tamẽ huiuscemodi orationes non sunt impetratoriæ, neque à Deo exaudiuntur: ergo non omnis oratio impetratoria est. *Maior probatur,* quia viribus naturæ solis potest quis orare idolum, iuxta illud Esa. 44. *Curuatur ante il-* Esai. 4.
lud, adorat, & obsecrat, &c. ergo multo melius Deũ vt autor naturæ est, ad cuius amorem homines naturaliter inclinantur, aut verò Deum vt autorem gratiæ, ex fide tamen adquisita, quæ est in fidelibus. *Minor verò probatur,* quia eas orationes Deus exaudit, ad quas emittendas ipse instigat, quæ supernaturaliter habentur ex Dei auxilio speciali; iuxta illud ad Gal. 4. *Misit Deus spiritum fi-* Ad Gal. 4
lij sui, in quo clamamus Abba pater: & ad Rom. 8. Ad Rom.
Quid oremus nescimus, ipse autem spiritus postulat pro 8.
nobis, id est, postulare nos facit, & Zach. 12. *Effun-* Zach. 12.
dam super domum Iuda, & super domũ Dauid spiritum gratiæ, & precum. Ecce Dei donum est orare, quod luculenter dicit D. Ambros. epist. 84. ad Metti. D. Ambr.

Prima assertio. Nulla, aut vix reperietur oratio, 4
quæ vndequaque ex viribus naturæ habeatur, quod si quæ habeatur, non video quare aliquando ex Dei misericordia exaudiri non possit. *Prima pars* huius assertionis fit verosimilis, quia in homine infideli ferè semper vitiatur oratio, vel ex relatione ad idolum, vel ex petitione rei iniustæ; & sic nõ erit propriæ oratio: fortassè illa fuit vera oratio à Religione acquisita, & cognitione Dei, vt est autor naturæ proficiscens, qua dicitur exclamasse Aristoteles è vita excessurus, *Causa causarũ* Ionæ 1.
miserere mei. An verò oratio idolatrarum, Ionæ 1. quæ petierunt, & obtinuerant libertatem à tẽpestate, processit ex fide acquisita, an verò ex infusa? non est facile definire: in homine verò fideli, esto ipse actus orandi aliquando habeatur ex viribus naturæ, dimanat tamen à fide infusa operante: ad cuius actus auxilium supernaturale requiritur, & sic totum orandi negotium non explebitur sine auxilio supernaturali, sicut quidam solent dicere de attritione. *Secunda verò pars* non video quare negetur, maximè, quia vt inferius dicemus, impetratio orationis in sola Dei misericordia fundatur, quæ ad naturalia, & supernaturalia extenditur.

Secunda assertio. Orationes peccatorum mul- 5
toties exaudiuntur à Deo. Hæc est expres- August.
sa D. August. sent. *tract.* 44. *in Ioan.* & colligit illam ex sacra Scriptura: nam si peccatores Deus non exaudiret, frustra Publicanus dixisset, *Deus propitius esto mihi peccatori:* non autem frustra sed valdè vtiliter orationem fudit, descendit nãque in domum suam iustificatus: & D. Chryso. *hom.* Chrysost.
18. *oper. imperf.* super illud, *Omnis qui petit accipit,* declarat, omnis qui petit, siue iustus, siue peccator sit: & D. Basil. *lib. de constit. monast. ca.* 2. docet no- Basil.
stram assertio. & probat ex illa parabola Luc. 11. Luc. 11.
Amen dico vobis, etiam si non dabit illi surgens eo quod amicus est, propter importunitatẽ surget, & dabit illi, &c. idem docet Aug. lib. 2. cõt. epist. Parmen. c. 8. August.

Tertia assertio. Oratio peccatorum, quæ est peti- 6
tio alicuius obiecti culpabilis, vel quod ordinatur à petente ad peccatũ nõ est impetratoria rei petitæ in bonũ petẽtis: bene tamẽ in punitionẽ, & irã: v.g. petit peccator à Deo pecunias alienas, aut vxorem, aut vires vel robur ad occidẽdũ priuata autori-

autoritate inimicũ, vel quid simile. Prob. ex D.
Iacob. 4. Iac. c. 4. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, vt in concupiscentiis vestris insumatis.* Deinde probatur ratione, quia huiusmodi orationes (quæ non proprie tale nomẽ merentur) nõ sũt religionis actus, sed potius sacrilegæ petitiones: ergo nõ exaudiuntur à Deo in bonũ petẽtiũ: & D. Th. in 1.
D. Thom. cõcl. ar. 16. est intelligẽdus iuxta tenorẽ huius cõclusi. & D. Aug. tract. 73. in Ioan. *Male vsurus eo, quod petit, Deo miserante non accipit: proinde si aliquid ab eo petitur, vnde homo lædatur, magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus.*
August.

Et obiter nota, orationem posse deprauari, & in sacrilegio verti multis modis. *Primò*, si postuletur aliquid intrinsecè malum. *Secundo.* si bonũ, sed ex fine vano, vt Matth. 6. dicitur de oratione hypocritarum, vt viderentur ab omnibus. *Tertiò* ex motiuo iniquo, vt Israelitæ orãtes pro coturnicũ carnibus ex affectu gulæ: *Num.* 11. Et petentes Regem ex tædio Dei regiminis, aut ex imitatione Gentilicum. 1. *Reg.* 8. Quinimò aliquando peccatores exaudiũtur, petẽtes tẽporalia bona in malũ petẽtiũ, etiã si tẽpore orationis nõ habeant intẽtionẽ male vtendi illis: de quibus D. August. *tract.* 73. *in Ioa. vbi su.* etiã intelligendus est. Quare qui hæc petentes cõsecũtur, nõ debẽt superbire, quia fortasse illis cedet in malũ; & qui non exaudiuntur non debent affligi, quia carentia eorum fortasse illis valdè proficua erit.
Matth. 6.
Nume. 11.
1. Reg. 8.
D. Augus.

7 *Quarta assertio.* Licẽt orationes iustorũ viatorum frequẽtius, & vbẽrius exaudiãtur à Deo, quã orationes peccatorũ, tamẽ quãdoq; exaudiũtur, & quãdoq; nõ. *Prima pars assert. prob. ex iis quæ diximus su. ar.* 4. vbi diximus multa testimonia sacræ Scripturæ ad probandũ, orationes iustorum esse exaudibiliores. *Secundò.* Quia orationes iustorũ & eorũ efficaciam nititur, tum merito, tum impetrationi. Merito quidem, quia pro se petentes beatitudinẽ aut cõducẽtia ad illam merentur de cõdigno exaudiri; pro alijs verò petentes, de cõgruo. Nituntur etiam impetrationi, quæ in Dei liberalitate, & misericordia fundatur; at verò orationes peccatorũ soli Dei misericordiæ nituntur. *Secunda pars assertionis nota est,* nã quãdoq; exaudiri certũ est; similiter nõ exaudiri experientia cõstat; & in oratione D. Paul. pro amouẽdo carnis stimulo id palã fit. In assertione tãtũ mẽtio facta est de orationibus iustorũ in vita mortali degẽtiũ: nã si sit sermo de orationibus Deo fruẽtiũ, credo omnes quotquot fũdũt exaudiri: & est expressa D. Th. *sent art.* 11. *ad* 2. vbi rationem huius adhibet, & nos inferius aliã reddemus. Hæc vtcũq; dicta sint sed operosius inquirẽdũ est, vnde sumatur efficacia orationibus in impetrãdo: cuius rei ignorãtia plurimã peperit in hac re confusionem, & è cõtra eius rei cognitio magnã affert lucem grauissimis disputationibus. Sit ergo.
D. Thom.

8 *Quinta assertio.* Oratio vt præcise impetratoria est, nõ habet in se vlla efficaciã impetrandi postulata, sed quãdo exauditur, ex sola Dei misericordia exauditur: quãdo verò nõ exauditur, nulla frustratur vi aut efficacia, quã in se habeat. *Hac assertio potiùs eget expositione, quam probatione*: nos tamen vtroq; vtemur, & ostendemus assertionem à sufficienti diuisione. Nam si oratio, vt impetratoria est, aliquam habet efficaciã, & vim impetrandi petita; vel illã habet ex gratia, & charitate orantis, à qua procedit, sicut eadẽ oratio in quantum meritoria in se habet virtutẽ, & efficaciam merendi, quatenus à gratia, quæ est semen gloriæ procedit, & à charitate refertur ad Deum, imprimente charitate ipsi orationi aliquã perfectionẽ physicã intrinsecã, vt quidã opinantur vel moralẽ, vt certius est: & hoc nõ reperitur in oratione vt præcise impetratoria est: tũ quia nõ omnis oratio impetratoria à gratia & charitate procedit, vt sup. docuimus: tũ, quia multæ orationes à gratia, & charitate prodeũtes, nõ sũt impetratoriæ, vt patet oratione D. Pau. tũ etiã, quia esto imprimatur orationi à charitate quædam perfectio in esse virtutis, & meriti, non tamen in ratione impetrãdi vlla efficacia imprimitur aliàs omnis oratio à gratia, & charitate procedens impetratoria esset.

Dicet quispiam, habere efficaciam ex fide imperante orationẽ, iuxta illud Iac. 1. *Postulet in fide nihil hæsitãs*: neq; hoc verũ est: tũ, quia nõ omnis oratio procedens ex fide impetratoria est: tũ, quia vt vidimus circa assertionẽ, non implicat esse orationẽ impetratoriã, quæ non procedat ex fide: tum etiam, quia nihil intrinsecũ imprimitur orationi, eo quod à fide imperetur: sed illud imperiũ est relatio quædã extrinseca. *Fortasse dices,* habere hanc efficaciã ex promissione Dei pollicentis se exauditurũ omnẽ orationẽ religiosã; ad eũ modũ quo quidã dicunt opera meritoria habere efficaciam merẽdi ab extrinseco ex promissione Dei, qui spopondit se daturũ pręmia pro meritis. *Contra hoc est,* nã si hoc esset verũ, omnis oratio eã efficaciã haberet, sicut omnis oratio meritoria habet vim merẽdi, & de facto meretur præmiũ: & de hac re instituetur peculiaris dubitatio.
Iacobi.

Ex dictis manifesta est nostra assertio, & ex eisdem colligitur aliud discrimẽ (præter superius positũ) inter orationem, vt meritoria est, & vt impetratoria. Nã oratio vt meritoria ex se ipsa, & semper habet vim, & efficaciã merendi, & vnde perueniat ad præmium, & certissimè perueniet, nisi obstet malitia subiecti, at orãtio vt impetratoria neque semper impetrat petita, neque ex se vllã habet efficaciam impetrandi, neque vnde impetret postulata. Quod si cupis scire, vnde habeat talem efficaciam, quando de facto impetrat.

Sexta assertio sit. Tota efficacia impetrandi, quę in orationibus reperitur, sumitur ex misericordia, & liberalitate Dei donantis, qui quasdam orationes liberaliter exaudit, quasdam verò etiam misericorditer reijcit, secũdũ quod magis cõgruit ordini suæ sapiẽtiæ. Hæc assertio habetur Dan. 9. *Neque enim in iustificationibus nostris sternimus preces, sed in miserationibus tuis multis: &c.* Et asseritur cõmuniter à Doctoribus, & à D. Th. in loc. *cita. in dub.* 1. *circa* 2. discrimen inter orationem, vt meritoria est, & impetratoria est. Ex hoc sequitur contra quosdam, orationẽ factam pro multis nõ minus impetrare pro singulis, quàm si pro singulis seorsum fieret: quia oratio, vt impetratoria est, non nititur in bonitate, merito, aut labore
9
Danie. 9.
D. Thom.

operantis,

pro alijs fundere preces, vt personæ priuatæ, petentes scilicet ea, quæ ad salutem pertinent, aut alia bona, qui si sint in actuali affectu peccandi, ferè nunquam exaudiuntur, sed potiùs inuerecunda fronte petentes à Deo, quem actualiter offedũt irã Dei excitant: & sic sunt intelligenda omnia testimonia sacræ Scripturæ citata, & quæ possent citari, tũ Sanctorũ; asserẽtia, Deũ nõ exaudire peccata eorũ. Nihilominus etiã istos aliquãdo, sed raro Deus exaudit, vtens quadã extra ordinaria benignitate, vt sic ostendat clementiã suam eleuari supra hominum clementiam; plus quàm exaltantur cœli à terra. Si verò peccatores orantes, sint quidem in peccato constituti habitualiter, non actuali voluntate perseuerandi in peccato, & petant à Deo pro se vel pro alijs moti ex bono desiderio naturæ; sæpè exaudiuntur à Deo, non tamen propterea eorum orationes inutiles prorsus censeri debent, licèt nec impetratoriæ, nec meritoriæ, nec satisfactoriæ sint, valent enim ad multa, sicut de alijs operibus bonis factis à peccatoribus solet dici.

Primò, talis oratio valet ad implendũ præceptum, aut votum de orando, si fortè orans ijs obligabatur. *Secundò*. Aliqualiter sed remotè disponitur orans, vt ei Deus præstet conuersionis, auxilium; quod quãdoque largitur benigne. *Tertiò*, ad obtinenda temporalia beneficia, sicut de Nabuchdonosor legitur, quod Deus dedit illi temporale regnũ eo quod diu cum exercitu suo seruierat. *Quartò*, ad aliquale exercitium virtutum, maximè Religionis, humilitatis, & fidei, quæ in oratione fundenda exercentur. *Quintò*, inclinat Sanctos, vt pro peccatoribus orent, maximè eos quibus se cõmendant. Igitur peccatores timẽtes inutilitatẽ suarum orationũ, nõ debẽt ab orãdo cessare: etenim secũ afferunt magnas vtilitates.

Ad secundũ in oppositum respondetur ex dictis in prima assertione: & testimonia illa adducta ad probationẽ minoris intelligẽda sunt de oratione fideliũ emissa, vt virum iustũ decet, quæ semper Dei donũ est de quo inferius. *Ad tertium in oppositũ patet* ex quarta assertione. Libet tamẽ diligentius inquirere, quare orationes iustorum
14 non semper exaudiantur à Deo, cum digni sint à Deo exaudiri, maximè dicente Domino ad illos,
Ioan. 14. Ioan. 14. *Si manseritis in sermone meo, & verba mea in vobis manserint, quodcunq; volueritis petetis, & fiet vobis*. Dissoluã argumẽtũ vno proposito paradoxo. Iusti semper exaudiũtur. & nõ semper exaudiuntur. Nõ exaudiũtur semper quia nõ semper concedũtur ipsis postulata: exaudiũtur semper, quia vtiliora donantur: quando petunt necessaria ad salutẽ, aut cõducẽtia, semper exaudiũtur, & assequeretur, nisi impetrationi carentia perseuerantiæ obstiterit: quãdo verò petunt indifferentia exaudiuntur, quãdo Deus videt consecutionẽ petitorum cessurã in salute, & Dei gloriã; sin autẽ non exaudiũtur, neq; cõsequẽtur postulata: & tũc etiã verum est, quod multo magis exaudiuntur: quod explicat D. Tho. egregiè in 4. d. 15. q. 4. ar. 7. q. 3.
D. Thom. ad 2. *Voluntas*, inquit D Thom. *magis est de fine, quam de illo, quod per finẽ petitur, & ideò quando Deus videt id, quod petitur non concordare cum fine pro quo adipiscendo piè orans creditur saltem virtualiter orare, tunc magis Deus audit desiderium orantis non annuens petitu, quàm si annueret*: v. g. petit quis pro se diuitias, vt ipse credit, ad pauperes alendos; Deus verò videns illarum occasione ruiturum, non concedit petita. Re vera magis exaudire dicitur negando, quam exaudire largiendo, quia carentia diuitiarum ei prodest ad salutem animæ, quæ finis orationis est; abundantia verò earum cõtraria eidem saluti est. Item, postulat vir iustus conuersionem peccatoris, & nõ exauditur, quia impænitens est, potius dicitur exaudiri, quia contra tra gloriam Dei (quæ est finis orantis pie) est quod impœnitens conuertatur.

Tritũ exẽplũ sed illustre habetur, 2. *ad Cor.* 12. *vbi* Apostolus narrat petijsse à Deo vt sibi auferret stimulum carnis, id est, morbũ iliacũ, vt quidam cẽsẽt, vel tẽtationẽ carnis vehemẽtẽ, vt alij, & tamẽ nõ est exauditus: quare? Quia Deus videbat illo stimulo Paulũ liberari à superbiæ periculo ei imminente ex magnitudine reuelationũ, & aliorũ excellẽtiũ donorũ sibi collatorum. Videns enim se vt fragilẽ vexari, corã Deo humiliabatur, suã imbecillitatẽ agnoscẽs; & Apostolus illius stimuli amotionẽ petebat, vt liberatus à tãta vexatione liberius vacaret bonis operibus; maximè prædicationi fidei: cui respondit Deus, *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*. Quorum verborum duplex est sensus. 2. ad Cor. 12.

Primus. O Paule tu petis amotionem stimuli carnis timẽs, ne tibi vertatur in ruinã, aut impatiẽtiã, vel aliquid simile; nescis quid petas, quia potius isto stimulo à superbia præseruaueris, & ad mala vitãda, quæ times, *sufficit tibi gratia mea*, quæ præsto est; quin potius ex ista infestatione stimuli magnũ capies incremẽtũ virtutis, *nã virtus in infirmitate perficitur*: nempe materialiter & occasionaliter: materialiter quidem, quia infirmitas est materia exercendæ virtutis; occasionaliter verò, quia est occasio perueniendi ad perfectam virtutem: etenim homo agnoscens se infirmum, magis ac magis se exacuit ad resistendum, ex qua resistentia efficitur exercitatior, & ex consequenti fortior.

Secũdus sensus est: Tu Paule petis à te auferri stimulum carnis propter gloriam meã, vt liberius vaces prædicationi, & sic plus nomẽ meũ manifestes; scito potius melius hoc fieri stimulo isto, & infirmitate tua durãte: nam virtus, & potentia mea plus declaratur, quanto per infirmiora instrumenta maiora efficit. Habemus ergo, viros iustos magis exaudiri, quando non exaudiuntur, id est, non exaudiuntur iuxta votum suum, sed exaudiuntur ad vtilitatem, & intentionem suam. Egregiè. D. Hieron. in epist. ad Paulinum, alias August. ad Paulinum, & Therasia, *Bonus*, inquit, *Dominus, qui sæpè non tribuit, quod volumus, vt tribuat, quod malemus*. Exemplum habemus 3. Reg. 2 Accessit Bersabee ad Salomonem petens Abisag sunamitidem dari in vxorem Adonię. existimans hoc vinculo pacis Regnum Salomonis magis roborari: at sapiens Salomon potius in pernitiem regni sui agnoscens id futurum esse, negauit petitionem, dicens, *Da ei Regnum*, ac si diceret, Mater mea hoc tu petis, vt me in

D. Hiero. 3. Reg. 2.

me in regno confirmes, sed falleris; quia hoc potiùs est petere regnum pro Adonia, quod tu valdè abhorres. Ita nobiscum Deus facit, quia sæpè putamus petere vtilia à Deo, & decipimur, Deus autē qui incapax est deceptionis non annuit petitionibus nostris: & tunc magis nos exaudire censendus est.

D. Augus. Id ipsum declarat D. Aug. duobus pulchris similibus. Medicus ille, qui exaudit clamātē infirmum, & parcit vulneri in periculū vitæ crudelis est: è contra verò misericors, qui non exaudit, & potius exaudire dicendus est: sic Deus medicus est, & potius misericors, & exaudire dicēdus est, quando secat quantū viderit expedire saluti hominis clamantis ne secetur, quā si votis annueret. *Secundum simile est.* Matres quando fricant in balneis pueros ad salutē, non ne paruuli clamant inter manus earum? illæ ergo crudeles sunt, vt non exaudiant lachrymas infantiū? absit: non ne potius plenæ sunt pietate? & tamen non exaudiunt pueros ad votum, sed exaudiunt ad vtilitatē. Sic Deus noster plenus est pietate paterna, quod si videtur nō exaudire aliquādo, hoc agit, vt sanet, & parcat in perpetuum; quin potius tunc magis exaudire dicendus est: vnde scribitur in Ps.33. *Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum eripuit eos:* etsi non corporaliter tamē spiritualiter. Certè delectabit lectorem videre eundem Aug. hæc loculen ter resonantem: videndus est præcipuè *tract.6. in 1. Cano. Ioan.* & D. Bernar. *sermon.5. in fer.4. Cinerum.* August. D.Bern.

Postquam iā vidimus orationes etiam iustorum, vt præcisè impetratoriæ sunt nullam in se habere efficaciam impetrandi postulata, superest inquirere, & sit.

VII. DISPVTATIO.

An aliquæ orationes sint, quæ ab extrinseco, videlicet ex promissione diuina, habeant efficaciā impetrandi infallibiliter postulata.

1 ET videtur, quod omnis oratio habeat hac vim ex promissione diuina: etenim Mat.7. & Luc.11. postquam iubemur petere, quærere, & pulsare, subditur diuina promissio: *Omnis qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur,* & expressius quasi iure iurando firmatur præfata promissio dum dicit Dominus Ioa.16. *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Matt.21. *Omnia quæcunq; petieritis in oratione credentes, accipietis,* & Ioa.15. *Quodcunq; volueritis petetis, & fiet vobis:* ecce vniuersalem promissionem de exaudienda omni oratione: quæ ergo inuidia est limitare Christi pollicitationē? *In oppositum est,* multas fusas fuisse orationes, etiam virorum sanctitate illustrium, quæ non impetrauerunt: qualis fuit illa sæpius commemorata D. Pauli, & Moysis Deuteron.3. deprecantis Dominum pro ingressu terræ promissæ & tamen non obtinuerunt. Matth.7. Luce. 11. Ioann.16. Matt. 21. Ioann.15. Deuter.3.

Pro decisione dubij sit *prima assertio.* Secundū fide certū est, esse aliquod orationis genus, quod impetrabit infallibiliter postulata ex promissione Dei, qui illud pollicitus est. Hæc assertio constat ex testimonijs allatis in argumento facto in principio in hac dubitatione. Quorū veritas non potest saluari, nisi affirmemus in illis cōtineri promissione diuinā de exaudiēdis infallibiliter quibusdā orationibus. Videdi sūt sacri expositores, præcipuè Chrys. *homilia 24. super caput 7. Matthæi.* Chrysost.

Secunda assertio. Non quæcūque oratio etiamsi religiosè fiat est infallibiliter impetratoria eius, quod per eam postulatur, sed illa solùm quæ fūditur cum debitis circunstantijs; quæ sunt quatuor. Videlicet, vt oratio fiat piè, de necessarijs ad salutem, pro se, & perseueranter. Et notare oportet, non esse mentis nostræ nec D. Thomæ, vt falso illi imponit Gabriel *super Can. lect. 73.* asserere, nusquā exaudire orationem nisi his quatuor conditionibus vestiatur, quia sæpe multis ex his deficientibus solet Deus postulata concedere, vt idem Doctor Angelicus asserit *in 4. dist. 15. art.7. glossa 3 ad primum.* Sed asserimus nos cū ipso; promissionē diuinā de exaudiendis orationibus infallibiliter dumtaxat cōprehendere orationum genus, quod quatuor præfatis cōditionibus vestitur. *Prima pars* huius assertionis satis probatur argumento facto in oppositum. *Secūda* verò cōmuniter asseritur ab vniuerso cœtu Doctorum scholasticorum, & fuit cōmunis consensus omnium Magistrorum etiam ante tempora Altisiod. omniū scholasticorū Doctorū antiquissimi, qui hoc affirmat. Doctores autem scholastici id desumpserūt ex Patribus, maximè ex D. August. *super Ioan.* & alibi locis citādis Applaudit etiam D. Basil. in serm. de orādo Deū relatus à D. Th. dicēs: *Ideo quandoque petis, & non accipis, quia perperam postulasti, id est, infideliter, vel leuiter, vel non conferentia tibi, vel destitisti.* Gabriel. D.Thom. Altisiod. August. Basil.

Sufficientiam harum conditionum & earum exactū numerū colligit D.Tho. in 4. *dist.15. q.3. art.7. glos.3. vbi ait,* quædam esse impedimenta, ne oratio habeat efficaciā impetrādi, quæ remouētur per quatuor præfatas cōditiones: potest namque impediri talis efficacia, vel ex parte orantis, si non oret vt decet: & ad hoc remouēdū exigitur quod oratio fiat piè; vel potest esse impedimētum ex parte eius quod petitur: quia quandoque non expedit: & ad hoc remouendum est necessaria secunda conditio; vt sit petitio de necessarijs ad salutem: vel tertiò ex parte eius pro quo petitur: & hoc dupliciter, nam vel impedimentum est tunc quando oratio fit, quod non potest fieri quando oratio fit ab aliquo pro se ipso si piè petat; & ideò apponitur tertia conditio, quod fiat pro se: vel potest esse impedimentum post inter medium inter orationem, & consecutionē petiti: & ad hoc tollendum ponitur quarta conditio, quod fiat, scilicèt, oratio perseueranter. 3

Eandem, & earundem conditionum sufficientiam colligunt quidem ex illo Ioan. 16 *Amen, amen dico vobis,* vbi expresè habetur Christi promissio Ioan. 16.

missio de exaudiendis orationibus: vbi asserunt includi quatuor præfatas conditiones. *Prima*, videlicet quod fiat piè, insinuatur illis verbis *Nomine meo*: quia qui petit in nomine Iesu piè petit, & religiose. *Secunda* de necessarijs ad salutem illa vocula *Quid* tāgitur. Sola enim, quæ ad salutem, quæ perennis est, pertinent, aliquid pleno ore dici possunt respectu eius, quod trāsitorium est, quod verius nihil, quā aliquid dici potest, vt adnotauit Aug. tract. 102. in Ioan. *Tertia* conditio, quod fiat perseueranter, insinuatur in illa voce, *Patrem*, eo quod patres filiorum perseuerantia in petendo necessaria non fatigātur, vel tædio afficiunt, iuxta illud Prophetæ Isai. 49. *Nunquid potest mulier obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui, & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Ac proinde orantes perseuerant in petendo scientes Deum patrem nostrum non defatigari nostrarum orationum pertinacia, quin potius eā amat, vt nostrā cōstātiā exerceat. *Quarta conditio*, quod fiat oratio pro se, exprimitur illis verbis, *Dabit vobis; vobis*, inquit, non alteri.

August.

Isai. 46.

Sed de his conditionibus sigillatim disputandum est: modò verò cum in hoc testimonium D. Ioannis incidetimus, libet illud curiosius explanare; tū, quia in eo habetur expressior promissio Christi de exaudiendis orationibus; tū, quia in eodem docemur nouum modum orandi peculiarem legi Gratiæ, ac nimis fructuosum: & quidem omnia plana sunt ex dictis, prætcr quam illa verba, *In nomine meo.*

4 Igitur scire oportet, quid sit petere Patrem in nomine Christi. D. Gregor. homilia 27. in Euangelia dicit, esse petere ea, quæ ad salutem spiritualem pertinēt, quod colligit ex nomine Christi, *Iesus*, id est, saluator. Ac proinde, qui petit, quæ sunt contra propriā salutē, non petit in nomine eius; qui verò, quæ ad salutem attinent petit, in nomine Christi, qui *Iesus* vocatur, petit. Hæc expositio non multum literalis videtur: nā quamuis verū sit, ea quæ petuntur non debere esse saluti contraria; id tamen non satis est, vt aliquis in nomine Christi petere dicatur, nam & Apostoli aliqua petierunt, quæ non erant saluti contraria; & tamen eis dicit Dominus: *Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo.* Et multi ante Christi aduentum ea quæ ad salutem pertinebant, petierant, non tamen in nomine Christi petijsse dicuntur. Augustin. *tractatu 22. in Ioannem* præter dicta alterum addit, vt in Fide recta Christi petatur: vnde colligit quod Arrius, Nestorius, Eutyches, non petebant in Christi nomine: quia de Christo non habebant rectam Fidem. Hæc interpretatio confutatur, sicut præcedens; quas ambas propter reuerentiam suorum autorum non reijcio.

D. Grego.

Aug.

5 Sed mihi magis placet tertia, quæ à D. Cyrillo non obscurè insinuatur, *lib. 11. in Ioannem, cap. 7. & libro 9. cap. 44. &* à D. Chrysostomo, *homilia 72.* videlicet, petere in nomine Christi esse rogare Patrem, & nō virtute propria niti, nec iustitiā propriam, vt impetrandi causam & titulum Deo proponere, sed virtutē, iustitiā, meritū & satisfactionem Christi vnigeniti filij sui: & hic titulus efficacissimus est ad impetrandum, propter quatuor maximè. *Primum* est nimia dilectio, qua Pater diligit Christum: solet enim apud homines multum valere amicorum dilectio; & quod propter ipsos etiam absentes & mortuos rogamur, libenter facimus. Quod si dilectio Abrahæ, Isaac, Iacob, Dauid iam defunctorum potens erat ratio impetrandi; & ideò illorum meritis inuocatis orabant Patres antiquæ legis, vt colligitur *Exod. 32. 2. Paralipom. 6. Daniel. 6.* multo magis efficax erit apud Deū summa dilectio, qua suū vnicū diligit filium. *Alterū est* iustitia ipsius Christi, ac merita, quæ allegamus petentes in Christi nomine; morte enim, & passione sua nos redemit, ac pro omniū culpis abundātissimè satisfecit, & omnium quæ à Patre impetrāda & petēda erant, soluit pretium. *Tertiū est*, quia ipso Christo iubēte hunc allegamus titulum. *Quartum*, quia si in nomine eius petamus, promittitur certa consecutio rei postulatæ. Quæ omnia Deum inclinatura, vt nostris precibus annuat, quis non videt? quapropter post Christum natum & passum, hæc precandi formula celebrior & efficacior ab Ecclesia reputata est, qua frequentissimè vtitur in omni oratione ad Patrem directa, allegando, vt rationem impetrādi petita, & titulum efficacissimum Christi vitam, actiones & merita, imponendo, finem precationibus his verbis, *Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.*

Cyrill.

Chrysost.

Exod. 32.

2. Paral. 6.

Daniel. 6.

6 Ex dictis poteris colligere excellentiorem statum nouæ legis: etenim antiquæ legis cultores orabant inuocatis meritis Abraham, Isaac, & Iacob: eratque oratio illorum grata Deo: at nos petimus & oramus propter vnigenitum filium Dei mediatorē nostrum, in cœlis regnantē; cuius promissionē firmatam habemus: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Videndus est Cyrillus vbi supra, dicens, hunc orandi modum legis tempore incognitum fuisse. Dicet aliquis, etiam tempore legis scriptæ proceres illius legis, Patriarchæ scilicet & Prophetæ habuerunt fidē explicitam Trinitatis; & Incarnationis filij Dei. Insuper agnouerunt, nihil ad salutem pertinens impetratum fuisse, nisi virtute Christi & propter iustitiam eius futuram olim concessam: virtus enim passionis eius, etiam antequam pateretur, operabatur in omnes priores: ergo & ipsi petebāt in nomine Christi; atque adeò hic petēdi modus non est peculiaris legis gratiæ.

Cyrill.

Dico primò. Quidquid à Deo concedebatur pertinens ad salutem in omni statu & lege, in nomine & virtute Christi concedebatur: hoc patet ex multis locis sacræ Scripturæ. *Secundò dico.* Modus petendi in nomine Christi nō fuit concessus communi plebi legis veteris, quia fidem Trinitatis explicitam non habebant: hæc enim Fides est Christianorum propria, vt dicit Basilius, *libro 2. contra Eunomium*, & Cyrillus *in Ioannem cap. 30.* ergo nō poterant petere in nomine filij Patrem, qui nōdum habebant notitiā Patris & Filij. Dico tertiò. Proceres illius legis, qui fidem distinctam incarnationis & Trinitatis habuerunt, non dubito Deum implorasse in nomine Christi venturi: hoc conceditur obiectioni, & forte iste est sensus

Basil.

Cyrill.

Psal. 113. sensus Psal. 113. *Propter David seruum tuum, non auertas faciem Christi tui*, id est, propter Messiam & Christum, cuius ego typus sum, auxiliare Salomoni, & custodi vnctum tuum & filiū meū. Et
Psal. 50. illud Ps. 50. *Misereri mei Deus secundū magnā misericordiam tuam*, hæc misericordia magna Christus est; *non dispergam ab eo*, id est, non priuabo semen tuum venturo Christo de carne tua.

Sicque satisfit obiectioni propositæ dicendo, apud paucos veteris legis cultores fuisse notum, & in vsu illum orandi modum, ac in lege gratiæ omnibus notus & vsitatus; quia omnes explicitè tenētur credere mysterium Trinitatis, & eorum quæ in humanitate Christi assumpta euenerunt: & sic manet explicatus locus D. Ioannis, cui præcipuè innititur fides de promissione, quam fecit Christus de orationibus exaudiendis.

8 Ad argumentum factum in principio dubitationis respondetur, adnotando celebrem regulam, pro intelligendis sacris literis. Ea est, promissio seu enuntiatio, quæ fit per verba affirmatiua, non est intelligēda vtcūque, sed seruatis circūstātijs, vt debitæ executioni mādetur, at verò ea promissio seu enuntiatio quæ fit per verba negatiua, simpliciter & sine vlla limitatione intelligenda. Huius rei exemplum superius adduximus
Matth. 6. ex Matth. 6. vbi ait Christus: *Si dimiseritis peccata hominibus, & Pater vester cœlestis dimittet vobis*. Intelligitur seruatis alijs necessarijs, puta contritione, amore, &c. at illud quod dicit, *Si non dimiseritis, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis*, absolutè sine
Marc. vlt. vlla limitatione intelligendū est. Similiter Marc. vltim. *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit*, intelligendum est, si alia necessaria seruentur: illud verò, *Qui non crediderit condemnabitur*, absolutè asserendum est ita in præsentia dico, promissionem contentam in præfatis testimonijs de exaudiendis infallibiliter orationibus intelligendam esse, si orationes debite fundantur, & cum debitis circunstantijs: cui consonat illud Iacobi
Iacob. 4. 4. *Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis*, non dicit, eo quod mala petatis: nam bona quandoque malè petuntur. Igitur promissio Dei de exaudiendis orationibus infallibiliter intelligenda venit, quando oratio benè & ordinatè fit, ac cum debitis circunstantijs.

Origen. Oecumen. Didym. Egregie hoc adnotarunt Oecumenius, & Didymus Alexandrin. in enarratione super cap. 4. Diui Iacobi, & ante eos Origenes libr. 7. in Luc. & hi omnes exēplo appositissimo. Sit homo (inquiūt) qui intra tempus certū pollicetur Grāmaticā docere, omnes ad se audiendū venitātes; si aliqui negligenter studio vacēt, nec Grāmatici euadant, & hi cōquerantur de magistro, quod nō didicerint Grāmaticā præfixo tēpore, & non seruauerint pactum, querela iniusta est, ipsi enim auditores sibi extiterunt causa, quod non didicerint; promissio etenim magistri debuit intelligi, si auditores seruassent debitas circunstantias; opera enim eorum necessaria erat. Ita fit in promissione, qua Christus pollicitus est se infallibiliter exauditurū nostras petitiones: intelligēda enim sēper fuit promissio, si nos debitè peteremus, & nostræ orationes debitis circūstātijs ornarētur.

Obijcies fortasse. Domini absolutè promisit, quare nos coarctamus promissionem? Respondetur. Ipse Christus Dominus, & Apostoli eius eas circunstantias postularunt, partim locis citatis, partim alijs in locis expresserunt: obseruatus autem mos in sacris literis, vt etiam si multa ad vnum effectum necessaria sint, non semper omnia necessaria in vno loco accumulet, sed indistinctis & diuersis locis & varijs occasionibus doceat; vt studium adhibeamus verbo Dei, & sparsa sedulo colligamus: verbi gratia, promittitur salus timenti Deum, & in alio loco credenti, & in alio loco speranti, in alio amanti; non quod singula seiuncta sufficiant, sed simul accumulanda sunt: ne turpiter erremus, sicut hæretici nostri tēporis, qui simili obiectione moti, opinati sunt sola nos fide iustificari: quia in sacra Scriptura iustificatio adscribitur Fidei, & non aduertunt idē promitti Timori, Spei, Pœnitentiæ, & alijs virtutibus, vt apertè ex sacris Literis constat: nō tamen propterea singulas seorsum iustificare dicimus. Igitur orationes vt infallibiliter exaudiantur iuxta Christi promissionem aliquot cōditionibus comitatæ debent effundi; illis scilicet quatuor præfatis, de quibus multa sunt à nobis disputanda, & prius singulæ se paratim discutiēdæ. 9

VIII. DISPVTATIO.

Qvam distribuo in quatuor membra, & circa vnumquodq; aliquot dubitatiunculas affixas disputabo. *Primum membrum sit quid*, sibi velit, & an necessaria sit circunstantia, *Piè*, quæ est vna de quatuor præfatis, quas diximus requiri, vt oratio infallibiliter exaudiatur.

Piè.

Pro expositione nota ex D. Thoma in 4. vbi supra, ad hanc conditionem reduci omnia, quæ necessaria sunt ex parte orantis in quantum orans est: itaque hæc conditio, *Piè*, includit omnes circūstātias virtutis, quibus actus ornatur ex parte agentis, istæ autē circūstātiæ in orāte multæ sunt. Prima circunstātia necessaria ex parte orantis, vt eius oratio fiat piè, fides est, ad Rom. 10. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Iacob. 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans*: & Marc. 11. *Quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis*: Matth. 21. *Omnia quæcumque petieritis in oratione credētes, accipietis.* Ecce ad orandum exigitur fides, nedum ad infallibiliter impetrandum. Ex dictis infertur, orationem quæ funditur, vt decet ad infallibiliter impetrandum debere esse donum Dei, & haberi ex motione & auxilio Dei supernaturali. Probatur. Talis oratio debet procedere à fide imperāte; sed fides nequit haberi nisi auxilio Dei & motione supernaturali: ergo neque oratio. *Secundò* Promissio Christi Domini in locis citatis de exaudienda oratione fit fidelibus: ergo supponitur debere procedere ex fide, atque adeò ex motione supernaturali. Cui consonat sacra Scriptura ad Roman. 8. *Quid oremus nescimus, ipse Spiritus postulat pro nobis*, id est, postulare nos facit: & ibidem. 1 D. Thom. Ad Ro. 10. Iacob. 1. Marc. 11. Matth. 21 Ad Rō. 8.

Misit

Misit Deus Spiritum filij sui, in quo clamamus Abba pater: & Zacharias 12. *Effundam super domum Iuda, & super domum Dauid spiritum precum.* Corollarium hoc egregiè confirmat Ambrosius, *epist.* 84. *ad Demetriadem*, & D. Thom. *artic.* 15. *huius quæstionis ad primum, ex* Augustino *de perseuerantia, cap.* 23. consonat Chrysost. citatus *in corpore*, videte Caietan. *Marc.* 11. Fateor, ipsum actum orandi in se posse haberi ex viribus naturæ: sed quia ortum habet ex fide supernaturali, dicetur etiam supernaturalis, & erit; ad eum modum quo quidam philosophantur de attritione, quæ dicetur supernaturale donum, eo quod à fide procedit.

Zachar. 12. Ambro. D. Thom. Chrysost. Caiet.

2 *Secunda conditio* requisita, vt oratio piè fiat, est spes & fiducia impetrandi: quam conditionem exigit Dominus à Paralytico, cui dixit Matth. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, & Apostolus ad Hebræ. 4. *Accedamus*, inquit, *cum fiducia ad thronum gratiæ eius*, & 1. ad Timoth. 5. *Quæ verè vidua est speret in Deo, & instet orationibus, & obsecrationibus nocte & die:* & eidem promittit Deus impetrationem Psal. 90. *Quoniam in me sperauit liberabo eum, inuocabit me, & ego exaudiam eum.*

Matth. 9. Ad Heb. 4. 1. ad Tim. 5. Psal. 90.

Dubitatur primo, quæ sit fides necessaria ad impetrãdum petita?

Circa has duas conditiones dubitatiuncula affixa erit, quæ sit ista fides & spes, quam esse necessariam ad impetranda petita infallibiliter docuimus?

Mouetur dubium propter impios Lutheranos, qui fidem cum fiducia confundunt, & non aliam fidem agnoscunt, nisi eam, qua quis certò credit se esse gratum Deo: consequenter asseuerabunt fidem requisitam ad piè orandum esse fiduciam, qua orans certò credat Deum facturum quidquid absolutè orans petierit: & hoc videtur haberi, Marc. 11. *Quidquid orans petitis credite quia accipietis, & euenient vobis*, & Iacob. 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans, qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circunfertur: non ergo existimet homo ille, quod accipiet aliquid à Domino:* & 2. Paralipom. 20. *Credite in Domino Deo vero, & securi eritis.* Ecce fides requisita ad orandum fiducia est; & non qualiscumque, sed certa, irrefragabilis, & quæ securitatem pariat impetrandi petita.

Marc. 11. Iacob. 1. 2. Par. 20

3 Non est animus indicendi bellum contra hos hæreticos qui in fide & fiducia constituẽdis turpiter errarunt. Cupidus lector poterit videre Bellarmin. *tom.* 3. *tertia contr. generali, contr.* 2. *principali, libr.* 1. *cap.* 11. sed dumtaxat attingã id, quod huius loci proprium est, quanta potuero breuitate: & ideo dico primo. Fides & fiducia requisita, vt oratio piè fiat & impetratoria sit, non sunt idem. Probatur primò. Quia fides est in intellectu, fiducia in voluntate; fides est virtus Theologica, fiducia est quidam modus spei, nempe robur eius, seu spes roborata, vt ait D. Thom. infra q. 129. artic. 6. fides parit fiduciam, & fiducia est fœtus spei, vt palam fit ex illo ad Ephes. 3. *In quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius.*

Bellarm. D. Thom. Ad Eph. 3.

Secundò dico. Vt oratio piè fiat, non requiritur, necessariò fides, qua credat orans se certò impetraturum quod postulat à Deo. Probatur contra Lutheranos quosdam: tum, quia Dauid piè orauit pro salute filij sui, 2. Regum. 12. & non certò credidit se obtenturum petita, & colligitur ex eius verbis, dicentis, *Quis scit si fortè donet eum mihi Dominus*: & D. Paulus piè orauit pro amouendo à se stimulo carnis, & tamen non certò credidit se assecuturum postulata; alioquin falsa fuisset eius fides. Denique Ecclesia piè petit pro omnibus conuersionem, quam tamen scit non omnes assecuturos.

2. Reg. 12.

4 *Fortasse obijciet quis.* Esto talis fides non sit necessaria, vt oratio piè fiat; erit tamen necessaria, vt impetret postulata: & hoc videntur sonare testimonia allata pro sententia Lutheranorum. *Respondetur.* Neque hoc verum est: tum, quia fide supernaturali & Theologica tantum tenemur credere ea, quæ ab Ecclesia proponuntur credẽda: sed orantem impetraturum petita non proponit Ecclesia credendum: ergo ille actus non pertinet ad fidem. *Dices fortaße.* Per fidem credit fidelis se habere fidem supernaturalem, quod tamen non proponitur ab Ecclesia credendum. *Respondetur primo*, negando antecedens: de quo 2. 2. *q.* 6. *artic.* 2. *dubit.* 2. Magister Bannes. Sed admisso antecedenti, est diuersa ratio: quia fidelis per reflectionem sui actus potest colligere infallibiliter se habere fidem, at non potest colligere infallibilem impetrationem suæ petitionis, quia pẽdet ex Dei voluntate. *Secundò contra* eosdem hæreticos. Talis actus elicitur à Fide quadam insigni, quæ est gratia gratis data; de qua dicitur 1. ad Corinth. 12. *Alteri fides in eodem spiritu*, & cap. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam*: non à Fide Theologica cuius actus requiritur ad impetrationem: tum, quia cum illa fides non sit communis omnibus fidelibus, nequirent impetrare singuli quique, quia non haberent illam fidem. *Dixi*, non esse communem omnibus fidelibus, quantum ad illum modum perfectionis, quia secundùm rem fortasse sunt idem fides quæ est virtus Theologica, & fides illa robusta, quæ miraculorum dicitur. *Denique* nostrum assertum comprobatur ex oratione Niniuitarum, Ionæ 3. quæ habuit omnia requisita ad impetrationem, & tamẽ non crediderunt, certò & infallibiliter se impetraturos postulata, quod satis testantur illa eorum verba, *quis scit si conuertatur & ignoscat Deus?* Iisdem argumentis probatur, non requiri ad orandum eam fiduciam, quæ ortum habet ex hac magna fide: non inficior, prudens lector, Sãctos sæpè orationes fudisse ortas ex quadam magna fide Theologica, & fiducia ingenti certò credẽtes se impetraturos, & sine vlla hæsitatione confidentes consecuturos postulata: maxime quando miracula patrabant: sed hoc Dei donum est, quod nemo nouit, nisi qui accipit; vt notat Caieta. in expositione epist. D. Iacobi. Sic intelligendus est Cassianus collatio. 9. cap. 32. quando inquit: *Signum certum impetrationis esse, cum quis in in oratione magnam fiduciam senserit*; Deus enim quãdo non exaudit, non infundit fiduciam; cum verò exaudire decernit, fiduciam & lætitiam ingentem in corde orantis infundit. Ego verò in præsentiarum loquor de requisitis secundum regulas communes orandi, & impetrandi: iuxta quas

Bannes. 1. ad Cor. 12. Iona. 3. Caiet. Cassian.

quas stabilitum est nostrum secundum assertum.

5 *Dico tertiò.* Fides quæ requiritur ad piè orandũ impetratoriè est virtus Theologica, qua orantes credimus certissimè Deum esse omnipotentem, summè sapientem ac misericordem, & fidelissimum; ac proinde posse omnia bona largiri, & auferre mala, scire, & etiam velle facere, quod petimus, si non sit ex parte nostra aliquod impedimentum: ac denique seruaturum promissa de nobis exaudiendis. Hoc assertum apertum est, & probatur ex dictis in præcedenti, & sufficienti diuisione, supposito fidem esse necessariam.

Dico quartò. Ea fiducia necessaria est ad piè orandum, qua confidimus Deum id, quod petimus pro sua benignitate facturum, si nos non obstiterimus; etiamsi non certò iudicemus nos impetraturos petita. Itaque existimo, nullum aliud iudicium requiri ex parte intellectus, nisi iudicium & assensus fidei enarratus in præcedenti asserto; & statim sequitur confidentia, seu fiducia, quam dicimus sufficere, & requiri. *Pro cuius ampliori expositione nota*, quod licet fides quandoque reperiatur sine fiducia, vt in his qui desperant: imò non eodem gradu, quo crescit fides, crescit fiducia: quia quãdoq; aliquis habet paruã fiduciã, & magnã fidẽ: tamẽ cõmuniter, maximè in his qui in gratia sunt, quo gradu crescit fides, crescit & fiducia, quæ ab illa ortum habet. Quo fit vt quando quis mouetur à Fide, quæ est gratia gratis data ad petendum à Deo aliquid: sicut eadem fide certò scit se impetraturum, ita & habet fiduciam impetrandi, & sine vlla hæsitatione obtinendi petita: & fortassè fidei Theologicæ perfectio, vsque adeò crescere potest; vt ipsa & fiducia ab ea nata eisdem gaudeat priuilegijs, quibus fides, quæ est gratia gratis data: vt in fide Chananææ, Matth. 15. cui dictum fuit: *O mulier magna est fides tua, fiat tibi, &c.* & in orationibus aliquibus Sanctorum videmus accidisse, sicut supra retuli, sed hoc præter regulas communes orandi ex Dei munere contigit, de quo non loquimur in præsentia: at verò fiducia, quæ ortum habet à Fide, quæ communiter habetur à fidelibus, non ponit omnimodam securitatem in orante, neque adstruit certum & infallibile iudicium in orante, quòd impetrabit petita; hæc fiducia sufficit ad piè orandum: & vt in summa dicamus, ad piè & impetratoriè orandum, neque ex parte fidei, neque ex parte fiduciæ requiritur infallibilis certitudo obtinendi postulata: sed satis est fiducia, qua confidamus Deum pro sua benignitate daturum, si per nos non steterit: alias si illa magna fides & fiducia, quæ certos reddit orãtes de impetratione requireretur, perpauci piè orarent: & vix reperiretur,

6 qui promissione diuina de impetrando infallibiliter frueretur.

Ad testimonia, quæ videntur impugnare nostrã doctrinam *respondetur*, omnes interpretes sacræ Scripturæ, quos ego viderim (vidi autem non paucos) interpretari illa testimonia non de fiducia; sed de fide, quæ virtus Theologica est; cuius actus necessarius ad impetrandum non est ille, quem Lutherani exigunt, nempè credere certò impetraturos; sed ille, quo credimus certo Dei omnipotentiam, misericordiam, benignitatem ac fidelitatem; quibus tota vis impetrandi innititur, & quoad hoc exigitur depellendam esse omnem dubitationem: non quoad certitudinem impetrandi: & hoc quadrat textui *Marc.* & *Luc.* dixerat enim Dominus, discipulos fide patraturos magna miracula; & ne putarent potestatem Christi non extendi ad tam difficiles res, subiungit, *si habueritis fidem, & non hæsitaueritis*, dicentes poterimus facilia, non verò difficilia, *dicetis monti huic tollere & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit fiat: fiet ei.* Et quod hæsitatio illa intelligatur de hæsitatione fidei patet ex textu Græco, vbi ponitur vox quæ significat, *Diiudicate*, tam in testimonio Euangelistarum, quam Apostoli Iacobi, quod ad intellectum pertinet, non ad voluntatem vbi fiducia est.

Igitur quando D. dicit, *credite quia accipietis*, loquitur de fide propria, non de fiducia; hoc est, ne dubiteris, nam si hoc feceritis dabit vobis; sed intelligitur sub conditione si benè petatis, & vestra petitio ornata sit debitis circunstantijs: & hoc credere ad fidem pertinet, vt supra probaui ex verbis Christi Domini. Similiter illud Iacob. *Postulet in fide nihil hæsitans*, excludit dubitationem fidei contrariam, & inuehitur aduersus eos, qui fluctuãt, an possit hoc Deus facere, vel illud. Amat enim Deus omnipotentiam suam sine vlla dubitatione credi: nam ideò Dominus, Matth. 9. rogabat cæcos: *creditis, quia hoc possum facere vobis?* & Gabriel Luc. 1. Zachariam puniuit, eo quod promittenti Deo filium obiecerit senectutem suam, & sterilitatem coniugis: & ibidem ad Virginem, *non erit impossibile omne verbum.* Marc. 9. Matt. 9. Luc. 11.

7 *Secundò respondetur.* & satis conformiter literæ, testimonium Marc. sicut & Matt. 21. esse intelligenda de orationibus, quæ ex Dei motione funduntur ad patranda miracula in confirmationẽ fidei: in quibus & fides & fiducia tam magnæ sint, vt certitudinem impetrandi secum ferant. Hanc expositionem insinuat Caie. *Matt.* 21. quod si quis adhuc contendat, sicut quidam Catholici, testimonium Iacobi esse intelligendum de fiducia ad impetrandum, quæ necessario debet esse sine hæsitatione: aduertat, illum in fiducia non hæsitare, qui non diffidit: nam sicut fiducia non est in intellectu, sed in voluntate; ita hæsitatio cum opponatur fiduciæ non est incertitudo intellectus, sed infirmitas, & instabilitas voluntatis opposita Spei Theologicæ: quare fiducia sine hæsitatione non requirit certitudinem intellectus de re impetranda, sed firmam adhæsionẽ voluntatis erga bonitatem Dei, à qua sperat homo se impetraturum quod postulat: quæ adhæsio quo maior fuerit, maior & perfectior erit fiducia, & multum conducet ad impetrandum postulata, quam existimo sæpius esse perfectiorẽ in simplicibus & idiotis, quàm in literatis: eò quod subtiles quæstiones, & aliquãdo impertinentes, quibus abundãt literati, & sunt occasio elationis, & diuertũt animũ ne se applicet ad solã Dei benignitatẽ & potẽtiã meditãdas, à quib' sumitur præcipuè fiducia, in simplicib' morigeratis deficiũt. Matt. 21. Matt. 21.

Quod si hæc vera sunt, orationes simplicium iustorum magis impetratoriæ erunt; cum impetratio

tratio innitatur fidei & fiduciæ, in quibus communiter excellũt simplices literatos: quod si literati suam scientiam Deo subdant, & vtantur moderatè inquisitione intellectus, maximè quãdo orationi assistũt, nõ est cur nõ magis abũdẽt fide & fiducia: vt potè qui perfectiora motiua agnoscẽdi & cognoscendi diuina intra se habent.

Dubitatur secũdò, an vt oratio sit infallibiliter impetratoria debeat ex charitate procedere. An verò vt oratio piè fiat, ita vt sit infallibiliter impetratoria, requiratur charitas & gratia in orante? res perdifficilis est, & secunda dubitatiuncula affixa. De qua re duas inuenio sententias è regione oppositas. *Prima est* affirmatiua, hæc videtur esse D. Thom. 3. *contra gentes, cap. 96. ratione* 4. vbi ait, ratione amicitiæ, Deus vota piorum exaudire: & infert, qui ab amicitia Dei declinat non esse dignum, vt eius oratio exaudiatur: tenet etiam eandem sententiam Gabriel super *Canonem. lect. 63. litera* D. Martinus de Ledesma *in 4. 2. 4. q. 16. art. 14. dubitatione* 2. Aragonius *in commentarijs super hos articulos,* Robertus Bellarm. *tom. 3. de bonis operibus, in particulari libro 1. c. 9.* circa tertiã conditionẽ. Probatur hæc sententia. *Primò* omnibus testimonijs quibus probabamus orationes peccatorum non exaudiri; nam si non exaudiuntur, neque infallibiliter impetrabunt. *Secundò.* In sacris Literis sæpè exigitur ad exauditionem amicitia diuina inter Deũ & orantem; imò redditur pro causa exauditionis amicitia præfata: ergo promissio de infallibiliter exaudiendis orationibus intelligenda est cum hac limitatione, si orans, oret piè, ex charitate & gratia. Consequentia nota est ex præcedenti dubitatione in solutione ad primũ. Antecedẽs probatur primo, ex illo Ioa. 15. *Si manseritis in me* (nẽpè per fidem) *& verba mea in vobis manserint,* per mandatorum executionem à Charitate prodeuntem. Ita interpretatur D. Cyril. libro 10. ca. 18. *Quodcunq; volueritis petetis, & fiet vobis:* ecce illos dicit esse exaudiẽdos, qui mãdata eius seruant, & verba illius audiunt, quod non fit sine charitate, & Ioannes in 1. Canonica, cap. 3. *Charissimi si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniã mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus:* & Psalm. 144. *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationes eorum exaudiet:* loquitur autem de timore filiali, qui sine charitate esse non potest.

D. Thom. Gabriel. Mart. Ledesm. Aragon. Bellarm. Ioan. 15. Cyrill. Ioan. 1. Canon. 3. Psal. 144

9 Secunda sententia est negatiua, affirmans orationes peccatorum quandoque posse fieri piè, & ex promissione diuina impetrare infallibiliter. Hæc sententia est D. Thom. *in 4. dist. 15. q. 4. art. 7. quæst. 3. ad primum, & in artic. 16. huius quæst. ad secũdum* expresſè dicit, in oratione peccatorum posse reperiri omnes quatuor conditiones requisitas ad efficaciter impetrandum. Alens. 4. *p. q.* 96. *ar.* 2. sequitur eum Caiet. *in commentarijs super eundem art.* Ferrar. *contra gentes, cap. 96.* Francisc à Tolet *Cardinal. super Ioan. cap. 16. art. 1.* Gregor. de Valentia *in comment. super hunc artic.*

D. Thom. Caiet. Ferrar. Tolet. Valent.

Hæc posterior sẽtẽtia mihi magis placet: pro cuius ampliori explicatione aliquot fundamenta præmittenda sunt. *Primum.* Non esse nobis animo disputare, an sit necessarium orantem esse in gratia & charitate, vt exaudiatur? Iam enim ostendimus sæpè Deum exaudire peccatores: sed præsens dubitatio est: an vt oratio infallibiliter exaudiatur sit necessarium orantem esse in gratia & charitate? hoc est quærere, an promissio diuina de infallibiliter exaudiendis orationibus extendatur etiam ad peccatores, an verò duntaxat ad iustos? *Secundum fundamentum est.* Iustos per orationes, imò per quæcunque bona opera à charitate & gratia prodeuntia mereri beatitudinem, augmentum gratiæ & virtutum, & etiã alia temporalia conducentia ad salutem, vel gloriam consequendam. *Tertium fundamentum.* Hæc omnia accipient infallibiliter iusti tẽpore congruo vt præmia meritorum, dum tamen non desit perseuerantia: cuius defectus impedimentum est impetrationi & consecutioni actuali præfatorum præmiorum. Hoc tertium & secundum fundamentum habetur expresſè à D. Tho. *in art. 15. huius quæstionis ad secundum.* & colligitur apertè ex his, quæ de merito asseruntur à Doctoribus, maximè à Diu. Thom. interpretibus 1. 2. *q.* 114. Ex his apertè infertur quartum documentum: si vir iustus petat à Deo necessaria ad salutem pro se, & piè, & perseueranter, sine vllo dubio, & infallibiliter impetrabit petita, & ex debito iustitiæ ac merito de condigno. Hoc etiam fundamentum habetur expresſè à D. Tho. *in loco proximè citato: & probatur.* Quod quis meretur de condigno indubitanter accipiet, si non obstet defectus perseuerantiæ, vt compertum fit in materia de merito; sed quando quis pro se petit, & piè necessaria ad salutem, & perseueranter, meretur de condigno petita, (imò per quodcunque aliud opus ex gratia procedens:) ergo infallibiliter ea obtinebit, & ista infallibilitas orationis proueniet ex merito orationis.

D. Thom. D. Thom.

10 ¶ His *suppositis prima assertio sit.* Promissio Christi Domini de exaudiendis infallibiliter orationibus, quæ vestiuntur præfatis circumstantijs etiam ad peccatores se extendit. *Probatur* ex locis citatis, vbi vniuersaliter ad omnes fideles alloquens Christus, ait: *Quidquid petieritis, &c. petite & accipietis: omnis qui petit accipit:* quæ ergo inuidia est restringere promissionem ad solos iustos? Chrysost. homil. 18. operis imperfecti parum ante medium. *Omnis qui petit accipit,* id est, siue iustus sit, siue peccator. *Chrysost.*

Præterea Christus Dominus Luc. 11. exprimens perseuerantiã esse necessariam, vt mandaretur executioni ipsius promissio de exaudiendis orationibus infallibiliter, subiungit parabolam de importuno postulatore: & ait, *Etsi non dabit illi eo quod amicus sit eius, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.* Quæ verba ponderat D. Basil. lib. de constitut. monast. cap. 2. ad probandum talem promissionem, etiam ad non amicos Dei extendi. *Luc. 11. Basil.*

Tertiò. Si hæc promissio non se extenderet ad eos, qui charitate carent; sequeretur in locis citatis non esse factam peculiarem & nouã promissionem orantibus, præter eam, quæ facta est benè operantibus ex charitate, & de reddendo præmio pro bonis operibus. Consequens est fal-

sum, ergò. *Minor patet* ex sacris interpretibus, qui ex ipso contextu magnifaciunt pollicitationem Christi Dñi factam peculiariter orantibus. *Prob. sequela,* quia benè operantibus ex charitate promissa est impetratio beatitudinis & conducentium ad salutem, si perseuerauerint: ecce in quolibet opere ex charitate procedenti, & verificatur promissio & verificantur quatuor conditiones: piè, scil. id est, ex charitate; de necessarijs ad salutem, nã hæc redduntur ex merito: pro se, quia de condigno tantum ista cadunt sub merito respectu merentis: perseueranter, nã sine perseuerantia non obtinemus præmium. Vt verò ista promissio noua & peculiaris sit orantibus, oportet eam extendere etiã ad peccatores.

11 *Secunda assertio.* Vt oratio sit infallibiliter impetratoria ex vi meriti requiruntur illæ quatuor conditiones, & vltra hoc orãtem esse in gratia & charitate: at verò vt sit infallibiliter impetratoria ex promissione diuina requiruntur illæ quatuor conditiones; sed non exigitur orantem esse in gratia & charitate. *Prima pars assertionis prob. ex* 2.3. & 4. fundamento. *Secunda pars* etiã est manifesta: quia nullum effectum meriti agnoscunt orthodoxi sine gratia & charitate. *Tertia pars* ab omnibus conceditur. *Quarta verò* prob. ex prima assertione: & præterea omnis oratio, quæ vestitur 4. prędictis circumstantijs, est infallibiliter impetratoria: sed in peccatore charitate carẽte possũt reperiri illæ quatuor conditiones: ergo sine charitate orantis potest esse oratio infallibiliter impetratoria. *Minor prob.* tum ex D.Thom. tum quia frustra extenderetur promissio Christi Domini ad peccatores, si ad impletionem promissionis requireretur in orante charitas.

12 *Tertia assertio.* Quando adsunt quatuor conditiones præfatæ, magis infallibiliter exaudiuntur orationes iustorum, quam peccatorũ. *Prob.* quia impetratio infallibilis iustorum, ortum habet ex merito orantiũ, & etiam ex promissione diuina: impetratio verò infallibilis peccatorum ex sola Dei promissione: ergo infallibilitas impetrationis iustorum habet plures causas suę infallibilitatis, quàm peccatorum impetratio; & consequenter infallibilior est, licet vtraque sit infallibilis. Confir. nam etiã impetrationẽ quatenus nititur in nuda promissione, nulla habita ratione ad meritum libentius concedit Deus amicis, quam inimicis: cùm promissiones gratius impleamus erga amicos, quam erga inimicos.

Et si roget quis, an requiratur in orante aliqualis dilectio, etiamsi non sit ex habitu charitatis. *Resp. affir.* tum, quia petitio à Deo si religiosè fiat, nequit consistere sine aliquali dilectione Dei, saltem habita ex viribus naturæ, qualis solet haberi etiam à peccatoribus: tum quia oratio peccatoris, vt sit infallibiliter impetratoria debet esse de necessarijs ad salutem: & si illa à Deo petit in affectu actuali peccandi, petit ore non affectu; & illa petitio tantum abest, vt piè fiat; q̃ potius ad iracundiã prouocat, & irrisio potius Dei, ac contemptus est, quam cultus. Si verò non fiat à peccatore habente actualem affectũ peccãdi, reputo impossibile peti necessaria ad salutem, puta cõuersionẽ ad Deũ, gratiã & similia sine aliquali dilectione Dei: vt.n. benè notat Cai. hic, potest peccator diligere Deũ in aliquo opere propter ipsũ, vt in impletione pręceptorum, & hoc maximè in operibus Religionis, quę ad Deum terminantur. *Caiet.*

13 *R. ad argumenta partis negatiua.* Ad argumenta pro parte cõtraria respõdetur primò ad D.Tho. testimonium ex contra gentes, ipsum loqui de infallibili impetratione ex merito: vt colligitur ex illis verbis: *Qui ab amicitia Dei declinat non est dignus, vt eius oratio exaudiatur,* id est, non meretur: & clarius art.15. qu. huius ad 2. vbi totã impetrationem iustorũ reducit ad meritum orantis, & dicit, eandẽ esse rationẽ de quocunq; alio opere à charitate procedente: at verò si impetratione orantium attendamus ex parte nudæ promissionis ipse non negaret impetrationẽ infallibilẽ orationibus peccatorũ, si debitis circũstantijs vestiantur: quinimò expressè id concedit *in art.16.* & sic possunt etiam cõciliari omnia loca Sanctorum, quæ interdũ exigunt charitatẽ in orationibus orantium; interdum dicunt non esse necessariam ad infallibilem impetrationem si cætera requisita adsint. Sed ad argumenta sigillatim oportet respondere.

14 Ad primum patet ex quæst. præced. Ad secundum resp. ad testimonium ex Euang. D.Ioann. in peccatore Deum manere per fide, sicut palmes aridus in vite, & in peccatore manent verba Dei, non quia habet charitatem, sed quia peccator, qui proponit Deo seruire, & ab eo petit necessaria ad salutem, non frangit præcepta; & est quodam modo in via, vt habeat charitatem. Hoc est dicere, non habet habitum charitatis actu, sed virtute: quia operatur opera referibilia in Deum à charitate, si haberet: sicut iudex, qui iudicat iustitiam & non habet habitum iustitiæ: ita philosophatur D.Tho. *art.16. huius qu. ad secundum.* *D.Thom.* Secundò, & melius, ac clarius respõdetur, illud testimonium esse intelligendum de impetratione ex merito orantis, quæ excellentior est, quam illa, q̃ innititur soli promissioni diuinæ: insinuat hoc D.Tho. super hunc locum Ioannis, & pariter respondetur ad testimonium ex prima Canonica Ioannis, & ad cætera similia testimonia. *D.Thom.*

15 Tertia cõditio, necessaria, vt oratio fiat piè est humilitas: iuxta illud Esa. 66. *Ad quẽ respiciam nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementẽ sermones meos,* & Ecclesi.35. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & non discedet donec Altissimus aspiciat,* Iacob.4. *Deus superbis resistit, humilibus aũt dat gratiã,* & Abraham oraturus Gen.18. *Loquar ad Dominũ meum, cum sim puluis & cinis.* *Esa. 66. Eccl.35. Iacob. 4. Gen. 18.* Et præterea probatur ratione, non enim religiosè & piè petit, qui non agnoscit se, re illa, quam petit indigere; & oppositum faciens, potius intumescens prouocat irã Dei, quam amicitiam conciliat: vt palam factum est in illo Pharisæo, qui orabat tumidus omnibus putans se bonis abundare, & ideò potius incurrit iram, quam propitiationẽ. Itaque si volumus piè orare, debemus nos reputare inopes & mẽdicos, pulsantes Dei misericordiam, vt subueniat nobis. Itaque vt piè quis oret, necesse est, vt suam indigentiam agnoscens, suisque viribus diffisus à Deo omnium Dño petat, vel auxilium imploret: non dico cum Caluino in *li. instit. ca 3. § vlt.* nullo modo esse meritis fidendum: sed cum Catholicis, *Caluin.*

tholicis, præcipuè Dei misericordiæ innitẽdum, & ad merita ex Dei auxilio habenda properandum; sed quia nihil boni sine Deo valemus infirmitatem agnoscentes nostram, à Deo auxiliũ, & omnia bona postulanda sunt: & in hoc sensu ait Bernard. in serm.5. de quadragesima: *Sit oratio in omni humilitate, præsumens de sola, vt dignum est, miseratione diuina.* *Bern.*

15 An verò requiratur deuotio ad piè orandum? dubitatiuncula tertia affixa inseritur. Et vera videtur pars affirmatiua. Primò. Nam inquocunq; bono opere, vt Deo gratum sit requiritur feruor, & intensio actus: ergo idem dicẽdum in oratione vt fiat piè. Antecedens patet Hier.48. *Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter,* Apoc.3. *Vtinã frigidus, aut calidus esses, sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo,* Mich.6. *Indicabo tibi, ô homo, quid Dominus requirat à te: vtiq; facere iudiciũ, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare coram Domino Deo tuo.* In oppositum est. Intensio non est necessaria in alijs actibus, vt in dilectione Dei, in Contritione, Fide, & Spe: ergo neque in oratione vt pie fiat: ergo neque deuotio, qui feruor quidam est, & orationis intensio.

Dubitatur tertiò, an requiratur deuotio ad piè orandum? Hier. 48. Apoc.3. Mich.6.

16 *Resp. & dico primò.* Intensio, aut feruor in oratione licet sit valde laudabilis; tamen nõ est quid necessariò requisitũ, vt piè fiat. *Prob.* argumẽto in oppositũ. *Præterea,* quia hac intensione sæpissimè carent orationes Sanctorũ, & perfectorum, qua abundant orationes incipientium; vt experientia patet, & docent vitæ spiritualis magistri: ergo vt oratio piè fiat non est necessaria intensio.

Secundò dico. Deuotio vt est modus quidam cuiusuis actus religiosi, seu potius, vt est actus Religionis cum illo modo, à quo actu oriuntur cæteri actus Religionis, est necessaria ad piè orandum. *Prob.* ex D. Tho. *in quarto, loco proximè citato, & ex art.15. huius qu.* vbi expressè asserit, non constare orationem, neque posse fieri piè, nisi procedat à deuotione; quanto autem fides fuerit robustior, tantò oratio deuotior atque ardentior: quia oritur ab illa sicut diximus de fiducia. *Ad argum.* positum in initio, conflatum ex testimonijs sacræ Scripturæ, nolo modo respondere, exactè interpretando testimonia illa. Satis sit nobis respõdere eisdẽ quatenus militant contra primum dictum, Dicoque duplicem esse tepiditatem seu remissionem orationis, sicut & aliorum actuum nostrorum: vna est quæ opponitur feruori & intenso conatui; & hanc non damnant sacræ Litteræ, aliàs vix reperiretur oratio laudabilis (quæ nostra est infirmitas.) Altera est, quæ dicit negligentiam quandam, id est, omissionem debitæ diligentiæ, vel operis, & hæc est quæ damnatur in quocunque opere, & in oratione potissimè: ex quo tamen non infertur requiri deuotionem, fidem, aut cætera requisita in graduali intensione. *D. Thom.*

17 In summa dicamus, quid sit orationem fieri, *piè,* quod tunc contingit, quando est apta elici à virtute Religionis: quæ vocabulo generali *Pietas* dicitur, quod fit, quando oratio proficiscitur à fide, spe, humilitate, ac deuotione, iuxta modum explicatum. *Dixi,* quando est apta elici à virtute Religionis, quia vt piè fiat, nõ est necesse semper informari habitu Religionis infusæ, de qua loquimur, quo carent peccatores, qui quandoque piè orant; sed sat est orationem talis naturæ esse, quod habeat omnia requisita, vt ab habitu Religionis eliceretur, si orans habitu illo polleret: ad eum modum, quo dicimus actum iudicis iniqui iusta iudicantis, esse actum iustitiæ, non quia habitu iustitiæ informetur, sed quia iusta iudicat.

Ex quo infertur, orationem, quæ quomodocunque vitiatur, non fieri piè, v.g. petit quis à Deo aliquid, quod peccatum est, aut adiuuãs ad illud, aut orat ob vanam gloriã, sicut hypocritæ, vel petit à Deo sapientiam, vt exaltetur, postulat diuitias, vt lautè viuat, vel quid simile: nõ sunt tales orationes piæ: similiter si quis fundat preces pro aliquo bono obtinendo, neglectis medijs alijs, quæ humanitus adhiberi solent & debẽt, nõ piè petit, vt si quis petat à Deo necessaria ad vitã transigendã, & negligat laborare pro his adquirendis: & si aliquis postulet à Deo scientiam, & nolit incumbere litteris: si petit vitam æternam, & cessat à benè operãdo, tales orationes nõ sunt piæ, sed potius illis Deus tentatur. Hac labe infecta extitit oratio filiorum Zebedæi, *Matt.20.* qui petierunt sublimitatem præmij, prius quam laborem operis meritorij. Quibus dictum est, *Nescitis quid petatis.* Pariter oratio potest vitiari ex defectu attentionis, & talis non fiet piè. Igitur oratio illa fit piè, quæ apta est elici à Religione, & vndequaque ordinatur ad exhibendum Deo debitum latriæ cultum, hoc enim secernitur hæc cõditio *piè* ab alijs supra requisitis conditionibus, quod aliæ personam pro qua, rem petitam & perseuerantiam significat, ista verò intentionem referentem ad Deum importat. *Mat.20.*

De necessarijs ad salutem.

Secundum membrum, in quo agitur de secunda conditione, nempe quod sit de necessarijs ad salutem. Hanc conditionẽ colligit D. Aug. tract.73.81. & 102. in Ioannẽ ex verbis illis, *In nomine meo,* quæ habentur Ioan. 14.15. & 16. nam cum nomen *Iesus,* saluatorem significet, non petit in nomine eius, qui non petit necessaria ad salutẽ: & idem dicit D. Greg. hom. 27. super Euangelia; sed non vsque adeò videtur germana textui hæc explicatio: de quo vide, quæ dixi superius in septima dubitatione principali. Alij colligunt est illo Mat.7. *Primum quærite regnũ Dei & iustitiã eius, & hæc omnia adijcientur vobis:* sẽsus est, petenda primo loco sunt regnum Dei, & secundo conducentia ad illud: sed efficacius colligitur ex testimonio Ioannis in 1. Canon. cap.5. *Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcũq; petierimus secundum voluntatem eius, audit nos.* Quæ autem sit ista Dei voluntas docet D. Paulus, 1. ad Thess. ca.4. dicens: *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Circa quem locum videndus est Caiet. qui egregiè tradit ea, quæ modo versamus. 18

August. D. Greg. Matt.7. 1. Canon. Ioan.5. 1. ad Thess. Caiet.

Pro expositione huius conditionis *aduertendum,* sicut necessarium dupliciter capitur, sit necessaria ad salutem sunt in duplici differentia: qua- 19

quædam absolutè & simpliciter, sine quibus salus nō potest consistere, vt gratia, virtutes & opera studiosa: *alia vero sunt necessaria ad salutem secundum quid*, id est, conducentia, & vtilia ad salutem, illa videlicet, quæ sunt materia virtutis exercendæ, vt tribulationes, ægritudines, paupertas, & similia, vel sunt occasio operandi virtuose, vt bona fortunæ, honor, salus, robur corporis, & similia, quæ quandoque conducunt ad salutem, quandoque sunt occasio ruinæ, quandoque præstant impedimentum ad altiora bona. Si petamus prioris generis bona, si cætera requisita adsint, sine dubio impetrabimus: si verò posteriora, si conducunt ad Dei gloriam, vel ad salutem nostram, etiam certò obtinebimus: quando autem expediant, Deus scit, qui vt pater benignissimus, quando viderit non expedire non dat, & in hoc melius agit nobiscum, quia vt ait Apostolus ad Roma.8. *Nos quid oremus nescimus, & ab ipso est, quod sciamus, qui postulat pro nobis*, id est, postulare nos facit: quod pulchra parabola patris erga suos filios expressit Christus, Matth.7. & Lucæ.11. *Quis ex vobis* inquit *patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ouum, nunquid porriget illi scorpionem? si ergo vos cum situ mali, nostis bona dare filijs vestris, quanto magis Pater vester Cœlestis de Cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?*

Ad Rō. 8. *Matth.7.* *Lucæ.11.*

Pro eiusus parabolæ explicatione (quæ obscura est) & nostræ doctrinæ præfatæ accommodatione, præmittendum ex Chrysostomo *hom. 24. in Matthæ.* scopum huius parabolæ & exemplorum in ea positorum eum esse, à Deo scilicet petenda esse, quæ decent, & vtilia sunt, Deumque, tanquam Patrem benignissimum, quando videtit nos decipi putantes petere necessaria aut vtilia, negare petita: quia talia non sunt sicut & patres apud nos solent negare filijs suis.

Chrysost.

20 *Secundò præmittendum*, quid denotent illa tria exempla in parabola posita, multi multa dicunt: quibus omissis, iuxta mentem Alberti Magni, Caietani, & aliorum circa hunc locum, dico. Quæ petimus, bona sunt, bonorum autem quædam honesta, quædam vtilia, quædam delectabilia sunt. Honesta pane significantur, sicut enim panis cibus est solidus ac quotidianus, sic honestis vti melioribus ac solidioribus animus noster pasci debet. Vtilia autem significantur pisce, qui cibus est, non ad victus necessitatem, sed ad quandam vtilitatem pertinens. Per ouum autem delectabilia indicantur, cibus enim delectabilis, & communis est præcipuè pauperibus. Christus enim exempla posuit eorum, quæ ad victum moderatum spectant, loquebatur enim ad Galilæos pauperes (qui fortasse oua in delitijs habebant) hæc tria bona petitione digna sunt, & tam in spiritualibus, quàm in temporalibus reperiuntur.

Albe. Magnus. *Caiet.*

Opposuit autem Dominus his tribus, pani, pisci, & ouo, lapidem, serpentem & scorpionem: non solùm quia his tribus significantur omnia mala opera inhonesta, inutilia, & noxia, sed etiam, quia istæ locutiones prouerbiales erāt apud Hebræos: & hoc cōiector, quia apud Latinos & Græcos sunt Prouerbia hæc, nempe: *Altera manu fert lapidem, altera panem ostentat.* Similiter illud, *pro perca scorpionem*, (est enim perca genus quoddam piscis.) Ita apud Hebræos fuere hæc tria, quæ Saluator proponit, quibus significat, filijs petētibus bona nō solere patres reddere mala & cōtraria his, quæ petūtur: vnde cōcludit Deū minus id facere cum ijs, qui eum petunt, vt oportet.

Itaq; sensus est, Deum non dare petētibus, quæ petunt, quando illi putant se bona petere, ac cōuenietia, sed re vera non sunt: sæpe enim viri iusti decipiūtur in hoc, Deus autem, qui non fallitur, nec potest, instar benignissimi Patris ea nō dat, quæ si sciuissent, qui peterent, ea nō peterēt. Hæc autem in triplici differentia sunt, *inutilia, nociua, & mala*, puta peccata, & illicita: quod explicat tribus exemplis positis, & facit argumentum per locū à minori. *Si vos cum situ mali nostis bona dare filijs vestris, quanto magis Pater vester cælestis de Cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* Hoc est, si vos cū sitis mali, id est, procliues ad alijs mala inferēdū, consueuistis dare filijs vestris munera bona, quāto magis Deus vester, qui vos impēse affectu paterno diligit, dabit à se postulantibus spiritū bonū? idest, Spiritū sanctū, vt testatur. Ambros. *lib. 1. de Spiritu sancto, cap.5.* qui dicitur dari ratione donorū & gratiarū, quæ sunt ipsius effectus: vel *spiritū bonū*, id est bona vera & spiritualia, quæ non sunt inutilia, noxia, aut mala, sed necessaria vtilissima, & salutifera, quæ Mathæus bona simpliciter vocauit. Quod si dat maiora dabit & minora quæ sunt temporalia, iuxta illud Matthæ.7. *Quærite primum regnum Dei, & iustitiā eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Ex qua etiam parabola sumitur efficax argumentum ad probandum orationes certò exaudibiles debere versari circa necessaria ad salutem: nam promissio est de largiēdo spiritū bonū petentibus, spiritus autem bonus non petitur, nisi petantur necessaria aut conducentia ad salutem: ergo necessaria ad salutē sūt obiectū impetrationis infallibilis per orationes.

Ambros. *Matth.5.*

Pro ipso orante.

Tertium membrum est de tertia conditione, nempe, quod oratio fiat pro ipso orante. Hæc colligitur ex sententia omniū Doctorū Scholasticorū, & nullū ex antiquis vidi, qui id non asserat, & collegerunt eam ex eo quod ferè quotiescunq; Christus Dominus promisit se exauditurum orationes, promissio dirigitur ad petentes quibus ipsis pollicetur concessurum petita: verbi gratia, Ioan. 16. *Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.* Quo loco id colligit S. Augus. tracta.102. in Ioā. *Sane, inquit, intelligendū est quod ait. dabit vobis, vt ea beneficia sane intelligātur his verbis, quæ ad eos, qui petūt propriè pertinēt. Exaudiūtur quippe omnes Sācti pro se ipsis, nō autē pro omnibus exaudiūtur, vel amicis vel inimicis suis, vel quibuslibet alijs: quia nō vtcūq; dictū est dabit, sed dabit vobis.* Sed iā his tēporib' alia excitata est sētētia cēsēs illā cōditionem, *Pro se*, nō esse necessariā vt orationes infallibiliter exaudiātur: sed si cæteræ conditiones adsint, scilicet, *piè, de necessarijs ad salutem, & perseueranter*, promissione di-

21 *Ioan.16.* *August.* 22

Toletus. Valentia. Bellarm. ne diuina certum est eas infallibiliter exaudiri: hanc tenet Cardinalis Franc. à Toleto super *c.16. Iohan.* idem etiam censet Gregorius à Val. 2. *2. q. 2. de oratione puncto. 4. ferè circa finem*, & Bellar. *tom. 3. tractat. de oratione cap. 9.* qui & hi postremi quamuis non videantur recedere à communi cœtu Scholasticorum, & ab August. re benè inspecta recedunt, putantes ex promissione diuina exaudiri infallibiliter orationes pro alijs fusas, si cæteræ conditiones non desint. Pro hac sententia.

Basil. 23 Argumentor primò ex D. Basilio, *in regulis breuior. reg. 161. vel 162.* vbi versans quare extãte promissione diuina de exaudiendis orationibus sæpè non exaudiãtur orationes etiam Sanctorum, respondet inter alia, propter indispositionem eius pro quo oratur, & adducit exemplum *Hier.* Hier. 15. 15. qui orans pro populo Israel, non est exauditus propter populi malitiam, & Samu. *1. Reg. 16.* 1. Reg. 16. propter malitiam Saul. Supponitur igitur Basil. hanc promissionem esse generalem, tam pro se, quàm pro alijs, redditque causam quare aliquãdo orans non exaudiatur.

Secundò ratione argumentor. Nam oratio pro alijs fusa perfectior est, ac maioris meriti, quam emissa pro ipso orante; vtpote quæ à maiore charitate procedit, maximè si pro inimicis fundatur: sed oratio pro se fusa si vestiatur alijs tribus relatis conditionibus infallibiliter exauditur: ergo etiam quæ pro alijs fit.

Tertiò Ratio iusti & æqui poscit vt amicus semper annuat petitionibus sui amici, si petat ea, quę rationabilia sunt: quia vt Tullius asseruit, vera amicitia est idem velle, & idem nolle: ergo cum Deus omnia agat secundum iustum & æquum, si viri iusti, qui amici Dei sunt pro alijs petãt piè & perseueranter necessaria ad salutem infallibiliter eos exaudier orantes etiam pro alijs. Cicero.

1. ad Tim. 2. Iacob. 5. *Quartò.* Præceptum est orandi pro alijs 1. ad Tim. 2. & Iacob. 5. de quo supra satis diximus: ergo promissio de exaudiendis orationibus à Deo facta, non est coarctanda ad eos, qui pro se petunt: tunc enim frustra impleremus præceptum orandi pro alijs.

34 *Dicet quis*, in locis vbi promissio facta est, non fieri promissionem, nisi tãtum pro se orantibus.

1. Cano. Ioan. 5. *Contra quintò* arguitur, nam Ioannes in prima Canonica c. 5. hanc promissionem explicans ait. *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcunq; petierimus secundum eius voluntatem, audit nos, &c.* & statim, *qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Hæc D. Ioannes: igitur ex promissione ista Ioannes securos nos reddit exaudiendos, si petamus pro fratribus: ergo nõ solum pro nobis orantibus.

Aug. *Sexto* D. Augustinus colligit, promissionem tantum spectare ad orantes pro se, quia inquit sacer Textus, *Dabit vobis*, hoc argumentum non est efficax, tum quia Ioan. 14. absolutè dictum est, *Quodcunq; petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam:* tum, quia quando aliquis pro altero orat, & exauditur, quamuis quod petit conferatur ei pro quo orat, tamen ipse, qui orat, est qui exaudiri dicitur, & qui impetrat, & cuius petitio fructuosa est. Idcircò dicitur, *Fiet vobis*, id est, quod vos petitis consequemini siue id sit pro vobis, siue pro alijs. Est exemplum Act. 27. dixit Ange. D. Paul. *Donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum*, dedit quidem alijs incolumitatem, sed quia ad preces Pauli, dicitur dari ei. Ioan. 14. Actor. 27.

Septimò, quia ratio, quæ solet assignari à Doctoribus Scholasticis pro stabilienda hac tertia conditione, ea est, quia continget orantem orare pro alio piè, ac petere necessaria ad salutem, & perseueranter, & ipsum, pro quo oratio funditur esse indispositum ad accipiendum petita: ac subinde non impetrabit: at si oret pro se est impossibile, quia non orabit piè: igitur necessariò fuit apponenda illa conditio pro se, vt infallibilis esset promissio. *Contra hoc est argumentum*, quia sicut benè asseritur, orationes semper exaudiri quãdo pro se orans petit, si adsint aliæ tres conditiones: sic benè asseritur exaudiri semper, siue oratio fiat pro se, siue pro alio, dum tamen semper subintelligatur, modo is pro quo petitur sit dispositus ad accipiendum petita. 25

Vltimo. Sanctorum in patria degentium orationes fusæ pro alijs semper exaudiuntur: ergo ad infallibilem impetrationem non est necesse orationem fieri pro ipso orante, neque in patria, neque in via: cum sint istæ orationes quoad hoc eiusdem rationis, maximè si à viris iustis emittantur. *Antecedens prob.* Sancti orantes & non impetrantes tristarentur. Item, quia ad beatificum statum spectat, vt omnia succedant ex voto, cum beatus sit, qui habet quidquid vult, & nihil mali vult: & hoc ipsum antecedens latè probatum est *supra circa art. 4. disp. 1.*

Pro decisione, præmittendum est, non institui hanc disputationem ad inquirẽdum, an orationes fusæ pro alijs exaudiantur? In quo multi decipiuntur diuertentes præter artem ab eo, quod disputatur; certum est enim & palam factum est in superioribus sæpissimè à Deo exaudiri: sed huius difficultatis scopus est diffinire, an promissio diuina iam sæpius commemorata de exaudiendis infallibiliter orationes se extendat ad orationes quæ pro alijs fiunt, an verò limitetur ad orationes, quas quisque pro se fundit? Hoc supposito. 26

Sit *prima assertio.* Vt oratio infallibiliter exaudiatur ex vi meriti eiusdẽ orationis necessariò exigitur præter alias tres conditiones vt pro ipso orãte fiat. Hæc assertio est expressa sententia D. Th. in art. 15. ad secundum. Apponã eius verba in lectoris gratiã. *Quia vero homo* (inquit,) *non potest alij mereri vitã æternã ex condigno, vt supra dictum est. Ideò nec per consequens ea, quæ ad vitã æternã pertinẽt, potest aliquando alteri aliquis ex condigno mereri, & propter hoc nõ semper auditur, qui pro alio orat, &c.* Loquitur expresse de exauditione infallibili ex merito orationis. Ex his verbis sumo argumentũ pro nostra assertione. Impetratio postulatorũ infallibilis, q̃ respõdet merito orationis, fundatur super meritum de condigno: in ordine ad alios, nisi in solo Christo Dño, nullũ est meritũ de cõdigno: ergo nulla est oratio impetratoria p alijs ab orãte ex vi D. Thom.

meriti

meriti de condigno, sed tantùm si pro ipso orante fundatur. Consequentia est nota,& minor certa in materia etiam de merito. Maior etiam probatur,quia in merito de congruo non est vlla infallibilitas impetrationis,vt aduertit sapientissimus Sotus,*in 4.dist.45.q.2.art.1.& Vega lib.5.in Concilium Trident.cap.4.& libro.8.cap.8.& de iustificatione,q.6.ad 5.*

Sotus. Vega.

27 *Secunda assertio.* Promissio Christi Domini de exaudiendis infallibiliter orationibus non se extendit ad orationes,quæ fundũtur pro alijs quãtumcunq; piè fiant. Hæc probatur ex D.August. vbi supra,& ex Doctoribus Scholasticis,qui colligunt hanc communem ex locis sacræ Scripturæ citatis. Confirmatur. Promissiones diuinæ. sicut neq; humanæ,nõ sunt extendendæ vltra id,quod sonant,ne innitamur vanè promissionibus, quæ non sunt:sed promissio Christi Domini expresse fit ipsis petentibus pro se, nam dicitur: *Fiet vobis,* & *dabitur vobis,* & alibi: *dabit spiritum bonum petentibus se*:ergo audaciter extendetur ad impetrationem aliorum:non audet August.& Doctores extendere,neque ego audebo. Aliquę quidem promissiones Christi Domini extant, quæ sunt extẽdendæ vltra id,quod cortice sonant , quia aliàs non constaret Ecclesia,verbi gratia: *Tibi dabo claues regni Cælorum & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in Cælis.* Matth.16. extendenda est promissio ad Petri successores & presbyteros: sed promissio de exaudiendis orationibus infallibiliter alterius rationis est,nec extendẽda vltra quod sonat.

D. August.

Matt. 16.

28 *Tertia assertio* responsiua ad dubitationẽ. Vt oratio infallibiliter exaudiatur vltra alias tres conditiones requiritur pro ipso orante fieri. Hæc sequitur ex prima & secunda assertionibus:nã ex vi meriti oratio non est impetratoria, si pro alio fũdatur:vt probatum est in prima assertione, neq; ex vi promissionis Christi Domini,vt in secunda: ergo vt sit infallibiliter impetratoria, debet pro ipso orante fieri. Nõ enim agnoscimus vnde posset infallibilitas impetrationis orationi prouenire,nisi ex vi meriti orantis,aut ex pollicitatione diuina.

Responde-tur ad argumenta in oppositum.

Ad primum in contrariũ resp. primò D.Basil. nos opponere D. Augusti. *Secundò resp.* D. Basil. non disputauit ex professo hanc dubitationem,sed agens de causis ob quas non exaudiuntur orationes piorum vnam assignauit, nẽpe eius pro quo oratur malitiam,nec fuit multum solicitus,an ad orationes pro alijs extendatur Christi promissio.

Ad secundum negatur maior,si sint cætera paria, vt patet, *2.2.q.26.& 27.* Secundo *respondetur* admisso antecedente negando consequentiã: quia infallibilitas impetrationis non attenditur penes maiorem perfectionem orationis,vt palam fit in oratione pijssima D.Pauli,quam dicimus non se extendere ad orationem pro alijs fusam,quantũtumcunq; perfecta extiterit.

Ad *tertium negatur* antecedens: Etenim non est tã arcta & rigorosa amicitiæ lex,vt obliget amicũ ad annuẽdũ omnibus,quæ amicus petit,siuè pro se, siue pro alijs:& idipsum de Dei amicitia dicẽdũ est,maximè,quia cum amicitia eius erga nos ex parte sua superexcellens sit, & vt expectamur eius liberalitatem nostra amicitia non coarctari, meritò sæpe poterit dicere: *An non licet de meo facere,quod volo? &c.*

Ad *quartum resp.* ex præiacto fundamento, tãtum enim probat,nisi sępè exaudiremur pro alijs orantes non debere præceptum orandi pro proximis imponi,non verò probat, promissionem de semper exaudiendò ad orationes pro alijs factas extendi. 29

Ad *quintum Resp.* in eo loco Diuum Ioannem non facere sermonem de promissione diuina infallibiliter exaudiendi orationes, sed de fiducia quam de Dei benignitate debemus concipere, quod nostras orationes exaudiet, siue fiant pro nobis, siue pro alijs: fiducia autem, vt superius diximus non præsupponit iudicium certum impetrandi petita, neque omnem tollit formidinẽ sed duntaxat certò credit, Deum pro sua benignitate largiturum , nisi aliter diuinæ eius prouidentiæ visum fuerit.

Ad *sextum resp.* Licèt id,quod donatur alijs in gratiam nostri, dicatur donari nobis: tamen id quod promittitur nobis , non dicitur promitti dari in alijs, quia promissiones rigorosæ intelligendæ sunt,vt sonant:in locis autem allegatis superius promissio fit tantum orantibus pro se:vnde ad orationes pro alijs non est extendenda,neque ausus est eam extendere D. Augustinus, neque Doctores. Locus autem ille *Ioannis.* 14. interpretandus est iuxta ea,quæ dicuntur. 16. *capit.* vbi Christus Dominus formalius expressit suam promissionem. August.

Ad 7. *respon.* rationem à priori quare Deus nõ exaudit infallibiliter orationes pro alijs factas, etiam si vestiantur illis præfatis conditionibus, exaudit autẽ certissimè fusas pro ipsis orationes esse:quia Christus voluit promissionem suam ad posteriores orationes extendere ; non verò ad prioris generis orationes. Quod si cupis scire cõgruam rationem, & causam huius promissionis, bona est ea,quæ in argumento. 7. assignatur , & habetur in D.Thom. in hac *quæst.artic.7.ad secundum & tertium*: & communiter assignatur à Doctoribus Scholasticis. 30

D.Thom.

Et ad argumentum factum contra illam, *resp. primò*: si aliquid probaret, subinde conuinceret satis esse dicere, omnem orationem infallibiliter exaudiri, si vna & hac conditione vestiretur, nẽpè si is pro quo petitur esset dispositus ; quia in hac includuntur omnes conditiones. *Sed melius resp.* illam rationem procedere congruenter,supposita promissione non se extendente ad orationes pro alijs fusas,quia communiter ignorat petens pro alio dispositionẽ eius, pro quo orat,quæ potest esse impedimentum impetrandi, nõ verò ignorat suam propriam dispositionem.

Ad *vltimum resp.* negando cõsequentiam. Ratio discriminis inter orationes viatorũ & Beatorũ est,quia Beati nunquam fundunt preces absolutas & sine conditione,nisi quando vident eas esse conformes diuinæ voluntati. & cum hanc impleri sit infallibile,etiam infallibiliter orationes Beatorum exaudiuntur etiam quando pro alijs

aliis orant: cęterum viatores sępè oramus petentes ea, quę Diuinę volũtati non sunt conformia, tum quia non semper tenemur conformari ei in velito materiali, tum & maximè, quia vt ait Paulus: *Quid oremus nescimus, nisi ipse Spiritus sanctus nos doceat, & ad petendum instiget.* Tota igitur infallibilitas in orationibus viatorum prouenit vel ex meritò de condigno impetrandi, vel ex promissione diuina: quorum neutrum se extendit ad alios distinctos ab orante, infallibilitas verò in orationibus Beatorum nascitur ex omnimoda conformitate ad diuinam voluntatem, quę non reperitur in viatoribus.

Perseueranter.

13 QVartum membrum de quarta conditione, videlicet, quod fiat oratio perseueranter. Hęc conditio vt necessaria ad infallibilẽ impetrationem exigitur expressè à Christo Domino, non solum nudis verbis, verum etiã adiectis parabolis, vt hinc

Luc.11. eius necessitas magis manifestetur. Lucę 11. parabolam narrauit illius, qui ob improbitatem seu importunitatem assiduè petendi, impetrauit quod cupiuit, & c. 18. ait: *Oportet semper orare & nunquam deficere*, & continuò adiecit parabolam viduę, quę sola perseuerantia precum à iudice quodam inhumano obtinuit sententiam pro se,

Luc.21. & Luc.21. *Vigilate*, inquit, *omni tempore orantes*, & passim ad impetrandum commendatur, tum in sacra Scriptura, tum in sanctis Patribus perseuerantia. Sed quę sit ista perseuerantia requisita ad impetrationem orationis, non ita perspicuũ est: nam quidam dicunt esse necessariè perseuerantiã in actu orandi & in habitu charitatis: ita Alex.

Alens. Alen. 4. *p.q.96 memb.2.ar.5.* §. 1. & videtur annue-

Caiet. re *Caiet. Luc.11. circa illa verba citata.*

Ad hoc *dico primò*, vt oratio audiatur infallibiliter iuxta promissionem Christi Domini, non est necessaria perseuerantia in charitate. *Prob.* nã promissio hęc extenditur etiam ad peccatores vt supra probaui: ergo non est necessaria perseuerantia in charitate, aliàs ad solos iustos extenderet. *Confirmatur*, quod aliquando per orationem impetratur est gratia & charitas, & fortassis perseuerantia in ipsis: ergo non pręsupponitur orantem esse vel perseuerare in eisdem: quia idem non debet pręsupponi, & simul adquiri. Hoc as-

Alens. sertum est contra Alexandrum vbi supra. Sed perseuerantia requisita vt oratio infallibiliter exaudiatur, est perseuerantia in orando: hoc est dicere, quarta conditio debet intelligi de perseuerantia orationis. Hoc manifestè colligitur ex textu euangelico in locis citatis.

Sed in quo consistit ista perseuerantia orandi? Non in continuitate orandi, nec in hoc quod singulo quoq; die aut certis horis oretur: vt probaui supra *artic.* 14. explicans illud testimonium

D.Luca. D.Lucę, *Oportet semper orare.* Hoc colligitur ex eodem capite, vbi perseuerantia orandi describitur à Christo Domino, exemplo viduę, quę petebat à iudice iniquo, vt iudiciũ pro se ferret, quę tamen nec noctu diuq; nec certis horis iudicem interpellabat, sed fortasse pluries in vno die, & in altero nunquam: & tamen quia quoties se offerebat occasio non cessabat à precibus, dicetur semper petiuisse, & perseuerasse in rogando. Igitur perseuerantia in orãdo (quę ad infallibilem impetrationem à Domino exigitur) est quędã sedulitas & instantia in orando, quę promanat vel à continuitate orationis, vel à repetitione, & iteratione eiusdem.

Et si roges, quanto tempore necesse erit durare orationem, vt infallibilis sit consecutio rei peti- 15

tę? *Respõdetur*; nec longitudo orationis sufficit, nec breuitas aufert. *Explico singula.* Non sat est per longum tempus perseuerare in oratione: constat enim multos petijsse per multos annos beatitudinem, quam tamen postea in peccatum lapsi non obtinuerunt. Nec est necessariũ petere toto vitę tempore: nam etiam exploratũ est, aliquos perseueranter petiuisse, & obtinuisse modico temporis interuallo: vt patet in Magdalena & Chananęa. Nihilominus salubre consilium est perseuerantiam orationis quanto possibile est extendere. Probatur ex Chrysostomo de *Chrysost.*

compunctione cordis dicentis: *Ab oratione non recedas donec accipias finem postulati, tunc cessa quando acceperis, imò magis nec tunc cesses, sed & tunc perseuera agens gratias pro eo quod accepisti, vt perseueret tibi, quod acceperis.* Dicet quispiam, Quando dabit Deus postulata? Quando illi videtur expedire secundum rationes prouidentię suę, nam homo de hoc nihil scire potest, nisi per reuelationem: etenim vt prędixi aliquando paruo tempore oratur perseueranter, aliquando verò oratio frequentatur per multos annos, & non conceduntur postulata: cuius rei rationem assignabimus inferius, & ista amplius explicabuntur per sequentes assertiones.

Prima sit. Vt promissio Christi de exaudiendis 16

infallibiliter orationibus impleatur, non est necesse orantem perseuerare in oratione quousque res petita obtineatur, sed satis erit in ea perseuerare, quousque nostra perseuerãtia iudicetur digna impetratione: hoc autem iudicare & agnoscere solius Dei est, nos verò solùm poterimus dicere maiorem aut minorem perseuerantiam requiri pro qualitate rerũ petitarũ, & petẽtiũ. *Prima pars huius asserti probat.* Benè stat aliquẽ orate piè pro obtinẽdo aliquo sibi necessario, aut conducente ad salutẽ spiritualem, & perseuerare per multos annos in suis precibus, nec tamẽ obtinet.

Dicet aliquis; debuit perseuerare quousque obtineret, & cùm ita non perseuerauerit, non mirũ est non obtinuisse. *Contra instatur.* Demus duos homines iustos orare ęquali intẽtione, & ęquali perseuerantia pro obtinenda liberatione à morbo, qui vtrique impedimẽtũ pręstat, ne augeantur in vita spirituali. *Tunc sic* Cõtingat vnũ statim exaudiri, & obtinere petita, alterũ verò non, sed post multos annos: & hoc non accidit defectu perseuerãtię, quia ita strenuè orauit, ac perseuerauit iste posterior, sicut & prior, imò aliquãdo magis feruidè ac perseueranter: ergo perseuerantia necessaria ad infallibiliter obtinẽdũ nõ debet necessariò durare quousq; res petita obtineatur.

Confirmatur, quia quod aliquis non obtineat postulata statim posthabitam orationem: perseue-

perseuerantem, non referunt Sancti, vt infra videbimus, in defectum perseuerantiæ, sed quia magis congruum est obtentui, vt ei differatur consecutio petitorum: ergo perseuerantia requisita ad impletionem promissionis Christi nõ necessariò debet durare vsq; ad consecutionem rei petitæ. *Confirmatur secundò.* Oratio D. Pauli pro amouendo à se stimulo carnis fuit satis perseuerans, & quantum est ex parte perseuerantiæ digna exaudiri, & in qua adimpleretur promissio diuina de exaudiendis orationibus infallibiliter: & tamen non durauit vsq; ad consecutionem rei petitæ, quia nõ obtinuit: ergo non est necessaria perseuerantia in orãdo quousque obtineatur res petita. *Maior conceditur ab* omnibus, & est D. Th. qui illud testimonium Pauli, *Ter Dominum rogaui,* sic explicat, id est, multoties, sed *Ter* expresse & instanter, vel *Ter*, id est, multoties, quia numerus ternarius perfectionem denotat. Item si perseuerantia necessaria debet durare vsq; ad consecutionẽ rei postulatæ, sequitur, quod si quis à Deo petat augmẽtum aut profectum in beatitudine, debeat perseuerare vt obtineat ex promissione in petitione toto vitæ suæ tẽpore, quousq; animã exhalet: imò toto tẽpore quo in Purgatorio moratur, quousque fruatur beatitudine, & quod si hoc non fecerit, non se extendat ad eum promissio Christi Domini de infallibiliter exaudiendis petitionibus. Cõsequens videtur absurdũ, & sequela manifesta si ponatur oppositum nostri as-
17 serti.

Secũdã verò partẽ huius primi asserti colligo à sufficiẽti diuisione. quia necessaria est perseuerãtia in petẽdo, & nõ est necesse durare per totã vitã, neq; vsq; ad obtinẽdã rẽ petitã, neque sat est longo tẽpore: ergo recurrẽdũ est ad Dei approbationem & iudiciũ, ipse namq; qui promisit orantibus perseueranter orare, sciet ad quas vsq; metas perseuerantia extendi debeat.

Secunda assertio. Effusa oratione cũ illis quatuor cõditionibus Deus infallibiliter dabit postulata, interdũ statim, interdũ multo post tempore: sed mora hæc nõ est referẽda in defectũ alicuius cõditionis ex illis quatuor vt supponimus, nec in defectũ veracitatis & promissionis diuinæ, quæ neutiquã deficere potest, sed quia sic expedit vel ad bonũ Ecclesiæ, vel ad bonũ orãtis: Hoc dictũ expresse asseritur à sanctis Patribus, qui & rationẽ reddũt, quare Deus aliquãdo nõ statim post o-
D. Hiero. rationẽ ritè fusã exaudiat orãtes. D. Hieron. cap. 10. in Danielẽ agẽs de oratione eius perseuerãte super illis verbis: *Ex die primo, quo posuisti cor tuũ ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui* (ecce perseuerantiam in orando) *exaudita sunt verba tua, & ego ingressus sum ad verba tua. Princeps autem regni persarum restitit mihi:* & Hieronymus super hunc locum, sic ait: *Quæritur, si statim exauditus est, cur non statim ad eum missus sit Angelus? Data est ei per moram occasio amplius Deum deprecandi, vt ex eo quod plus desiderat per laborem, plus audire mereatur:* & D. August. sermone. 5. de verbis Domini: *Qui nos hortatur, vt petamus, & cui displicet, si non petamus, sed cum aliquando tardius dat, commendat dona, non negat ea: diu desiderata dulcius obtinentur, data verò citò vilescunt. Pete, quære, insta, petendo & quærendo crescis, vt capias: seruat tibi Deus quod non vult cito dare, vt & tu discas magna magnè desiderare.*

Chrysost. homil. 30. in Genes. sic ait. *An non potest præstare Deus prius quàm petamus? verum propter hoc differt, & expectat, vt occasionem accipiat: quia iuste nos sua cura dignos faciat:* & infra: *Relinquendum hoc est omnium conditori, magis enim scit quid nobis prosit, quàm ipsi nos: ipse nouit quomodo salus nostra paranda: nostrum ergo sit opus continuè insistere precibus, & non ægre ferre si differatur quod petimus, sed longanimes esse, neque enim renuens preces nostras, differt, sed arte sedulos nos efficiens ad semetipsum attrahere vult.* Et Nilus lib. de oratione cap. 32. *Ne petas* (inquit) *à Deo imperiosè quod statim velis impetrare, vult enim te beneficio afficere in oratione perseuerantem: quid enim excellentius, quàm cum Deo colloqui? & eius vsu detineri:* En secundam congruentiam, quare Deus post emissam orationem perseuerantem adhuc aliquando differt consecutionem rei petitæ. Idem prosequitur luculenter Gregorius lib. 26. Moralium, c. 15. explicans illa verba Iob, c. 35. *Nec enim frustra audiet Deus, & omnipotens singulorum causas intuebitur.*

Tertia assertio. Antequam perseuerantia in o-
rando eas attigerit metas & ad eam peruenerit 18
perfectionem, vt digna censeatur exauditione, & in qua cõpleatur diuina promissio de orationibus exaudiendis, potest multis modis interrũpi. *Primò modo,* propter desitionẽ expressam propositi orandi, quæ nascitur interdum ex diffidẽtia impetrandi postulata; aliquando verò ex deficientia desiderij rerum postulatarum, vel ex aliquo simili. *Secundò modo,* propter teporem & remissionem perseuerantiæ. Iste modus approbatur à quibusdam, quos refert & sequitur Alex. Alẽ. 4. *par. q. 96. memb. 3. ar. 5.* (Ve-
ritas huiusmodi examinabitur dubitatiũcula se- Alens.
quenti) *Addunt insuper* præfati autores, perseuerantiam hanc interrũpi per peccata venialia frequenter iterata: quod existimo falsum, quia benè stat, quempiam abundare venialibus & perseuerare petendo à Deo. Dictum tamen horũ autorum tollerandũ est, si intelligant, perseuerãtiam in orando interrũpi per peccata venialia, quibus ipsamet oratio vitiosa redditur, eò quod sicut oratio vitiosa non est oratio, sic nec perseuerantia in illa meretur nomen perseuerãtiæ studiosæ. *Quarto modo* interrumpitur perseuerantia in orando per quodcunque peccatum mortale.

Et *si vrgeas*, nam continget, aliquem petere à Deo perseueranter toto vitæ tẽpore salutẽ corporalem, vel quid simile, & in medio aut fine vitæ peccare mortaliter: verbi gratia, peccato fornicationis: ergo nõ per quoduis peccatum mortale interrumpetur perseuerantia. *Respondetur.* Aliud est loqui de perseuerãtia in petendo absolute & in cõmuni: (quidquid sit id, quod petitur) aliud verò de perseuerantia in petendo necessaria ad salutem. Prior perseuerantia non interrũpitur per quodcunque peccatum mortale, vt argumentum probat: posterior verò interrumpitur.

Quòd vt penetres aduerte, esse incompossibi-

lia

lia, quod aliquis sit in affectu actuali peccandi, & quod petat piè necessaria ad salutē: nā est impossibile simul desiderare peccata, quæ sunt destructiua salutis, & desiderare ea, quæ sunt necessaria ad salutem: quod si petātur ab actualiter peccāte, petitio fit solis verbis, sed re potius irrisio est, & cōtēptus Dei ac necessariorum ad salutē. Quādo igitur nos dicimus, perseuerantiam in orādo interrumpi per quodcumque peccatum mortale, loquimur de ea, quæ versatur circa petenda necessaria ad salutem: hæc est enim necessaria ad impetrandum infallibiliter petita, vt colligitur apertè ex supra dictis. Ex his tamen noli inferre, hanc perseuerantiam ad infallibiliter obtinendum non reperiri in peccatoribus, neque promissionem Christi ad eos nō extendi: sed tantum infer, quod non reperitur in actualiter peccātibus: nam si peccator habitualiter vere desideret ad Deum conuerti, & ad illud aliqualiter conetur, poterit piè orare & perseuerare, imò & obtinere, vt inferius dicemus.

19 *Dico secundò.* Post rite fusam orationem, nempe illis quatuor conditionibus vestitam si non statim conceditur res petita, orans habet ius impetrandi eam, & illud ius nunquam amittetur, nisi per subsequens peccatum mortale. *Prior pars huius dicti probata est* superius: nam Christus Dominus promisit se exauditurum orationes, si illis quatuor conditionibus ornentur: ergo qui tales orationes emittunt habebunt ius ad impetrandū petita, fundatum in Christi veracitate & fidelitate. *Secunda pars probatur*, quia per peccatū mortale, & per solum illud orans indignus fit, cui seruetur pomissio. Quod palam fiet, similitudine ducta ex ijs, quæ inter homines contingunt: nam si Rex alicui ex proceribus promittat se daturum certam auri summam, & postea homo ille grauiter Regem lædat, indignus est, cui promissio seruetur: imò totum ius promissionis perdidit, maximè si crimē læsæ Maiestatis cōmisit: quod pariformiter de Deo intelligendum est. *Secundò probatur idem.* Nam consecutio rei promeritæ impeditur per quodcunq; peccatū mortale subsequēs, & per solum illud: ergo idem dicendum est de impetratione rei postulatæ, quæ promissa est oranti illis quatuor conditionibus adhibitis.

Magnum tamen discrimen est inter meritum & impetrationem: nam meritum per peccatum mortale mortificatur, & poterit reuiuiscere per pœnitentiam: vt dicitur in materia de pœnitentia: at verò ius impetrandi natum ex sola promissione diuina de exaudiendis orationibus totaliter extinguitur, & aboletur per peccatum mortale; sic adeò vt non reuiuiscat per pœnitentiam. Ratio discriminis est, nam ius meriti pertinet ad iustitiam, & est quasi nascens ex contractu, Do vt des, facio vt facias: quod impediri potest à cōsecutione per subsequens peccatum, non tamen aboleri: ius verò impetrandi nascitur ex promissione, quæ hoc ipso quod non obligat abolerur, & extinguitur ius ex illa. *Exemplo istud discrimen manifestabitur.* Promisit alicui Rex in laboris mercedem auri pondus, & ille offendit regem: licet impediri possit à consecutione mercedis, quia carens amicitia regia non est dignus cui soluatur merces; tamen si postea reconcilietur tollitur impedimentum solutionis mercedis debitæ: at verò si Rex gratiosè promisit idem auri pondus, & is, cui facta est promissio ante consecutionem læsit Regem, quantumuis postea redeat in regiam gratiam, non habet impetrandi ius; quia hoc ipso quod promissio non obligat aboletur ius ex illa ortum. Sed attentè considerandum est, non esse mentis meæ asserere, tale ius aboleri taliter, vt nunquam impetretur res petita, nam (quæ Dei benignitas est) sæpe talis orans Deo reconciliatus impetrabit: sed quod assero est, non impetraturum ex vi promissionis iam transactæ & abolitæ; at impetrabit rem meritam ex vi præcedentis meriti.

Dico tertiò. Vt oratio sit impetratoria infallibiliter & actualiter, necessarium est orantē perseuerare in non peccando quousq; res postulata obtineatur. Hoc dictum manifestè sequitur ex præcedenti, nam si per quoduis peccatum mortale deperditur ius impetrādi ortum ex promissione diuina: ergo necesse est perseuerare in non peccando quousq; obtineatur res petita: vbi nota, quod sicut gratia necessaria est, vt sit principiū meriti: & perseuerare in non peccando est quid remouens impedimentum actualis consecutionis rei promeritæ, sic perseuerantia in orando, & cæteræ tres requisitæ conditiones sunt intrinsecæ orationi, cui promisit Deus infallibilem exauditionem: at perseuerare in non peccando, est remouens impedimentum impetrationis actualis, quæ per solum peccatū mortale impediri potest: sicut etiam causæ naturales interdum deficiunt à suis effectibus propter superueniens impedimentū. Et iuxta doctrinam huius dicti intelligendi sunt, qui dicunt, ad infallibilem impetrationē requiri perseuerātiā in bono; & illud Gregorij in moralibus: *Virtutis pondus oratio non habet, quam nequaquam perseuerantia continui amoris tenet.* Perseuerantiam in non peccando appellat perseuerantiam continui amoris, vel loquebatur de orationibus iustorum: & D. Thomas in *quarto dist. 15. quæstio. 5 articul. 7. quæstiunc. 3. in corpore, & ad quartum* similiter est interpretandus. 20

Greg.

D. Thom.

Dubitatiuncula quarta.

21 An perseuerantia, quæ à Domino exigitur, vt necessaria conditio ad infallibiliter impetrandum, requirat in orāte perseuerāter aliquē intensionis ac feruoris gradū? an verò satis sit quæcunque in orando perseuerātia; etiā si remissa, & languida sit? Et videtur nō sufficere quācūque perseuerātiā, sed necessariā esse perseuerātiā feruidā ac solicitā valde. Primò quia vbicunq; Christus Dominus expressit hāc promissionē de exaudiendis orationibus, si perseuerāter fiāt, expostulauit feruidā perseuerātiā, ac nimis tenacē, Matth. 7. & Luc. 11. *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* Quæ verba pōderāda sūt, quia multiplicitate verborū exaggeratur, nō segnē esse debere perseuerātiā, sed feruidā & vehemētē, qualis est, non solū petentis, sed etiā pulsantis: & Chrysost. homilia 24. in Matth. explicans eadē verba ait: Nec

Dubitatur quartò, an perseuerātia ad orationem requirat certam intensionem?

Matth. 7.
Luc. 11.

Chrysost.

Nec tamē obiter postulare iussit, sed cum sedulitate multa, & magna intensione: hoc est enim quod ait, quærite, siquidem ille, qui quærit aliquid, cuncta profectò alia mente proijciens, vnum intendit illud, quod solum requirit, ac præsentium rerum nihil omninò considerat: norūt certè illud quotquot vel auro, vel seruis (vt plerunque contingit) amissis experti sunt hanc, quam dico diligentiam requirendi: ex eo quidem, quod ait quærite istud ostendit: ab eo quod dixit, Pulsate, vehementer accendi, & ardere prorsus mente præcipit. Et D. Basilius in regul. breuio. regula 261. sic ait. *Si non audiamur, intelligendum est opus esse perseuerantia, aut contentione maiori, sicut admonemur ex ea parabola Domini, per quam docemur semper oportere orare, & non defatigari: & quemadmodum alio in loco dictum est ab ipso eodem Domino, cum ait propter improbitatem eius tamen surget, & dabit quotquot habet necessaria.* Hæc ille, in quibus verbis docet, per parabolam hanc non solum perseuerantiam significari, sed etiam quadam contentione, & maiori feruore repetitam. Sicut homo ille in parabola, qui primò petijt verbo, non exauditus autem verbo, & pulsatione, institit. *Confirmatur* ex ipsa parabola affixa præfatis verbis Lucæ, in qua Dominus ait: *Et si ille perseuerauerit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.* (D. Basil.)

In qua parabola exigitur non qualiscumque perseuerantia, sed tam vehemens vt vocetur improbitas à nostro interprete, & à Græco scriptore impudentia, vt per hoc significetur assidua ac constans in oratione ac petitione perseuerantia, vt notarunt Euthymius, Titus Bostrennus. Quā quidam importunitatem vertunt, quæ est effectus impudentiæ: qui enim postposito pudore petit, solet esse importunus: Melius autem noster interpres appellauit, *improbitatem*, & ita legit Augusti. Sermone 29. de verbis Domini, & Sermone. 171. de tempore; qui enim vrget & non cessat dicitur improbus, vnde illud Poetæ, *Labor improbus omnia vincit.* Quæ improbitas non solum assiduitatem, sed quandam habet admixtam afflictionem, labor enim improbus est, qui assiduus est & affligens; ac improba petitio, quæ assidua, & quasi tædio afficit eum, à quo petimus: vt sic impellatur ad dandum: quæ improbitas est effectus impudentiæ, quæ non semper est vitium: vt enim pudor aliquando vitiosus, aliquando studiosus; sic & impudentia. Ecce exigitur perseuerantia non qualiscunque, sed intensa & tenax. Huius quasi impudentis perseuerantiæ illustre exemplum habemus, *Luc.* 7. in Magdalena orante obnixè pro delictorum venia multis fusis lacrymis, lotis Christi pedibus, ac crinibus tersis: de qua Gregor. homilia. 33. in Euangelia: *Super conuiuantes ingressa est, non iussa venit: inter epulas lacrymas obtulit. Discite quo dolore ardet, quæ flere inter epulas non erubescit.* Similiter in Chananæa Matthæi. 15. huius perseuerantiæ nobile specimen videre licet. Quod si aliud quis cupit huius quasi improbæ perseuerantiæ, exemplum insigne habemus in Moyse, Exod. 32. cuius oratio adeò importuna fuit, vt auderet Deo dicere, *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis dele me de libro vitæ:* vnde & obtinuit postulata: & hæc est vis Deo grata, de qua loquitur Tertul. in *Apologetico, capit.* 39. & indicat Hier. *Epist.* 57. ad Damasum. Demum hæc est instantia humilis orationis, quæ potens est apud Deum. De qua Concil. Lugdune. *in cap. vbi periculum, de electiōn. in* 6. Secundò perseuerātia in oratione, qualis decet esse ad obtinendum petita, debet esse ab Spiritu Sancto faciente nos postulare, non vtcunque, sed gemitibus inenarrabilibus, vt dicitur ad Rom. 8. per gemitus autē inenarrabiles significatur vehemens ac intensa nimis oratio.

(Euth. Tit. Bost.) (22 Aug.) (Luc. 7.) (Greg.) (Matth. 15)

23 His argumentis persuasus existimo probabile esse, quod ad obtinendum infallibiliter petita, iuxta promissionem Christi Domini, non sufficit qualiscunque perseuerantia, sed tenax ac vehemens, qualis describitur à Christo Domino in Euangelio, & à Sanctis & Patribus supra citatis. Et non mirum talem exegisse Christum, vt conditionem ad implendum tam magnificam pollicitationem de exaudiēdo nos infallibiliter in petitionibus nostris. Quod si quispiam roget, quis gradus intensionis sufficiat, vt perseuerantia hæc habeatur? Respondetur. Solus Deus scit, & tam perseuerentiam in orando, quàm eius intensio necessaria, ex Dei munere prouenit, vt inferius dicemus.

Nihilominus opposita sententia videtur probabilior, videlicet sufficere quamcunque perseuerantiam in orando, etiamsi non sit valdè intēsa. *Prob.* quia ad perseuerantiam in alijs actibus magis necessarijs ad salutem, vt qui sunt dilectio Dei, cōtritio de peccatis, non requiritur certa & gradualis intensio; vt asseritur cōmuniter à Doctoribus, maximè à D. Thom. discipulis contra Scotum in 4. *dist.* 14. *q.* 2. *art.* 2. ergo neque ad perseuerantiam in orando. Confirm. quia in nullo studioso opere poposcit Deus ex necessitate gradualem conatum, & intensionem: ergo neque in orandi perseuerantia. *Secundò,* quia ex opposita sententia sequitur ferè nunquam impleri præfatam Christi promissionē, atque adeò fuisse inanem, & esse promissionē verbis & superficie tenus, & non re: consequens non est admittendum: ergo. Probatur illatio, quia vix repetiūtur etiam Sanctissimi quique, qui continuent aut repetant frequenter orationem magis ac magis feruidam, sine eò quod interdum admisceatur aliquando orare remisse: maximè si perseuerātia deberet durare per plures annos. Confirmatur, quia Sancti sæpè conqueruntur de hac tepiditate in orando; vnde Dauid, *Cor meū dereliquit me.* Confirm. secundò, quia quomodocunque perseuerare in orando est admodum difficile: ergo perseuerare in orando semper in magno conatu & intensione vix hominibus possibile est. (Sent. aut.) (Scotus.)

24 Ad argumenta pro opposita sententia respōdetur primò, in testimonijs ex Euangelio citatis non esse certum illam verborum accumulationem, scilicet, *Petite, quærite, pulsate,* esse referendam ad intensionem perseuerantiæ in orando, nam Druthmarus Matth. 7. sic explicat, Petite animo, quærite verbis, pulsate operibus. Cai. Luc. 11. Petite orationib⁹, quærite factis pulsate perseuerando. (Resp. ad argum. opposit.) (Druthm.) (Caiet.)

rando in vtrisque. Eodem modo exponit interlinealis ibidem. Vel tertiò, Petite fide, quærite spe, pulsate charitate: ita interlinealis Matt. 7. & idē D. Augustin. *lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 33. & ibidem. Petite*, quasi dicat, infirmus pedibus, prius petat, vt sanetur: post quærat, vt inueniat viam, quæ ad propositum ducat: deinde cum illuc venerit, vt aperiatur pulset: sic prius est petitio sanitatis, vt vires dentur animo, quibus quod petit implere possit viribus acceptis; secunda est inquisitio viæ, quid enim sunt vires per deuia euntes? cum autem via ad destinatum perduxerit, tertia est, pulsatio, vt quod clausum est, possit aperiri, &c. Nihilominus ipsemet Augustinus se correxit in *lib. 1. retractat. capit. 19.* & putat illa tria idem significare, sed exaggeratur prius dictum accumulatione verborum, & ideò longè melius ad instantissimam petitionem omnia referuntur: hoc quippe ostenditur, vbi omnia eodem verbo conclusit dicens: *Quanto magis pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se*; non dixit petentibus, quærentibus, & pulsantibus. Quapropter relicta hac priore responsione *secūdò respondetur*, frequentissimum esse in sanctis Litteris & apud Sanctos Patres, quando ab hominibus exigunt aliquem virtutis actum insignem, vti verbis denotantibus vehementem conatum, & intensionem; non quia necesse sit talē actum ingenti intensione & conatu vestiri, sed vt exaggeratione verborum illū commendent; vel vt ad perfectiora inuitent. Sic intelligitur illud, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*: & illud, *Anima quæ incedit curua præ magnitudine mali dat tibi gloriam & honorem*: & illud, *conuertimini ad me in toto corde vestro, & in tota anima vestra, &c.* & similia: vbi non exigitur gradualis intensio doloris aut dilectionis, sed quæcunque contritio, aut dilectio Dei super omnia sufficere putatur. Idem dicimus de perseuerantia in orādo: quæcumq; si vera est, sufficit ad promissionem implendam de exaudiendis infallibiliter orationibus, licèt per exaggerationem, aut per prouocationem ad perfectiora insignis perseuerantia videatur postulari. Qui plura cupit videre de perseuerantia in orando, & de laudibus eius legat. D. Basilium *in constitutionibus Monachorum capit. 1. Chrysost. Homilia. 30. in Genesim. & Homilia. 49. in cap. 25. Genes. tomo 1.* Augustinum *tractatu 37. & 102. in Ioannem*, D. Bernardum *Sermone. 9. in Cantica*, Hieronymū *in Homilia super Euangelia Lucæ capit. 11. tomo. 6. & libr. 17. in cap. 62. Esa. tom. 4*

D. Aug. August. D. Basi. Chrysost. August. Bernard. Hierony.

25. *Dubitatur quintò an ad orationem ornatam quatuor cōdit. sequat. infallibiliter impetratio?*

Dubitatio quinta appendix ad duas proxime præcedētes est. *An sit infallibilis consequentia hac:* Aliquis fundit ad Deum preces seruatis prædictis quatuor conditionibus: ergo obtinebit postulata. *Et videtur vera pars negatiua.* Nam multi peccatores petierunt à Deo remissionem peccatorum, & secundam gratiam, & vsque ad finem vitæ petierunt, non interrumpentes perseuerantiam in orando per aliquod peccatum mortale, & non obtinuerunt, quia contritione carentes obiere: ergo non est infallibilis præfata consequentia. *Confirmatur*, quia etiam quis petat piè & perseueranter, ne ingrediatur Purgatorium, sed statim in cœlum euolet, non obtinebit: ergo, &c. Antecedens patet, si talis orans in fine vitæ dicat verbum otiosum, aut peccata multa venialia committat, quæ luere in Purgatorio necessarium est.

Secundò, si quis cum præfatis conditionibus à Deo postulet sanctitatem Beatissimæ Virginis, aut merita D. Pauli, aut ne peccet venialiter, vel quid simile; absque dubio non obtinebit; sicut de facto nullus obtinuit post illa tempora Ecclesiæ primitiuæ: ergo illa consequentia non est infallibilis.

Dicet quispiam, promissionem Christi esse intelligendam de ijs, quæ communiter & secundū communem gratiæ cursum conceduntur in vita hac mortali: non autem est consuetum, imò & Deus decreuit nullos, præter paucos quosdam, ad tantam euehere celsitudinem meritorum, qualis in argumento commemorata est. 26

Contrà arguitur tertiò. Quamuis omnes possint petere cum præfatis circumstantijs perfectionē & merita D. Dominici, aut D. Francisci, non tamen omnes obtinebunt, imò de ipsis, & alijs Diuis legitur instanter à Deo postulasse pro Christo subire martyrium, & non obtinuerunt. *Dices fortè*, propterea non obtinuisse quia ad Dei gloriam & Ecclesiæ profectum pluris intererat hos viuos permanere per multos annos, quàm subitò interire, aut verò vt humiliores euaderent videntes se non consequi postulata. Benè. Sed quid de petentibus sanctitatem virorum illustrium? *Respondetur*, videt Deus multos sic petentes celsitudine meritorum claros ruituros, sicut etiam videt multos flagitantes martyrium in tormentis non perstituros fortiter: quare cùm non petant sibi conducentia ad salutem, non mirum eos non consequi postulata.

Contrà arguitur quartò. Demus prædictos orātes, de quibus in argumento præcedenti, petere à Deo non solum illa egregia merita, sed & auxilia, quibus illi illustres viri in eam altitudinem meritorum sine ruina perstiterunt: nam hac hypothesi facta nulla conditionum deficit: & tamen non erit infallibilis consequentia de exauditione orationis. 27

Quintò. Si esset infallibilis dicta consequentia, esset ex iustitia debita oranti rei postulatæ impetratio. *Consequens est falsū*: quia tota ratio impetrationis innititur Dei misericordiæ, longè aliter quàm in merito contingit. *Probatur sequela*, quia infallibilitas quæcumque orta ex promissione, maxime acceptata ab eo; cui fit promissio secum affert debitum iustitiæ.

Sextò. In lege veteri non legimus istam infallibilitatem in exauditione orationum: ergo neq; in lege gratiæ constituenda est, quia secundùm communem cursum gratiæ, præterquam in Sacramētis & Autore ipsorum, parificādæ videntur istæ leges. Antecedens patet, quia nusquam in veteri testamento inuenitur talis infallibilitas expressa.

Septimò, tota hæc infallibilitas impetrationis ortum habet ex promissione Christi Domini: ergo

ergo conuenit orationi ex opere operato. Hoc autem inauditum dogma videtur, cum solis Sacramentis conueniat suos assequi effectus ex opere operato: maximè si de consecutione gratiæ sit sermo, quam impetrari infallibiliter per orationem ritè fusam, superius diximus. Prior illatio probatur, quia quidquid efficaciæ alicui rei aduenit ab extrinseco, putà ex Dei promissione aut institutione ex opere operato habet: sed oratio de se non habet infallibiliter impetrare, sed illi aduenit ex Christi promissione: ergo

28 ex opere operato illi conuenit. *In oppositum est* Doctrina tradita in præcedentibus dubitationibus, & præsens à me excitata est ad exactius examen eorum, quæ ibi dicta sunt. Modò verò tantum ad argumenta respondendum est.

Resp. ad argum. facta.

Ad primum, & eius confirmationem vt respondeatur, *prænotandum est*, hanc Christi promissionem de exaudiendis infallibiliter orationibus, cum ad communem gratiæ cursus pertineat, intelligendam esse seruatis legibus eiusdem gratiæ: lex gratiæ est, vt nemo obtineat gratiam nec peccatorum remissionem extra Sacramentorum vsum, nisi præcedente contritione peccatorum: lex item gratiæ est, vt nemo inquinatus vel venialibus cœlum euolet nisi purgatus per ignem, aut nisi satisfecerit pro se, vel suffragijs Ecclesiæ reueletur: vnde quando à Deo petuntur ea, quæ sub posita lege à nostris actibus pendent: tunc Deus petita concedit, quando auxilia dat, quibus possint homines operari ea opera, ad quæ postulata consequitur vt incolumes maneant Dei leges verbi gratia. Petit quis à Deo remissionem peccatorum, aut primam gratiam, non dat eam Deus immediatè, sed mediatè: quia dat auxilia, quibus homo possit conuerti, imò & quibus efficaciter conuertatur, & consequenter obtineat remissionem peccatorum, & primam gratiam. Petit itidem quis à Deo liberationem à Purgatorio; dat Deus occasionem satisfaciendi ante obitum; quod si in ipso obitu peccet venialiter, luet pœnas in Purgatorio.

Igitur ad argumentum in forma respondetur, negando casum antecedentis, qui enim piè & perseueranter petit pro se primam gratiam obtinebit: quia Deus illi dabit auxilia, quibus efficaciter conuertatur: sed sicut non omnes vtuntur auxilijs paratis, sic non omnes petunt cum conditionibus præfatis. *Ad confirmationem negatur consequentia*, quia in casu posito nequit concedi res petita, nisi violata lege communi, quæ non violabitur, vt impleatur promissio. *Secundò respondetur*, talem orationem includere virtualiter petitionem non peccandi venialiter, quod donum non cadit sub promissione, vt statim videbimus. *Ad secundum* & tertium benè responsum est inter arguendum.

29 *In quarto argumento mouetur quædam insignis dubitatio.* An scilicèt possint viatores per orationes vestitas illis quatuor circunstantijs impetrare infallibiliter perseuerantiæ donum? Et pro parte *affirmatiua arguitur primò.* Oratio qua ratione impetratoria est, extenditur ad omnia, quæ Deus donare potest: tale est perseuerantiæ donum: ergo impetrari potest infallibiliter. *Confirmatur ex his*, quæ supra attulimus dubitatione quarta ad probandum perseuerantiæ donum impetrari posse, & de facto impetrari, & ita asserit D. Thom. 1.2. *quæstion.* 114. *articul.* 9. *ad secundum*. Respondebit quispiam, negando consequentiam: alia enim ratio est impetrationis, alia infallibilis impetrationis: primum concessimus supra nempè quibusdam orantibus pro dono perseuerantiæ Deum votis annuisse Secundum verò non probatur.

Dubitatur 6. an possint viatores per orationẽ impetrare infallibiliter perseuerãtiam?

D. Thom.

Contrà arguitur secundò. Deus promisit, se daturum quidquid petierimus ab eo piè & perseueranter, si de necessarijs ad salutem sit: huiusmodi est perseuerantiæ donum, quod impetrabile est: ergo, &c. Confirmatur. Quidquid impetrabile est, potest esse obiectum diuinæ promissionis infallibilis, sed huiusmodi est perseuerantia: quæ ergo inuidia est ipsam excipere ab vniuersali promissione Christi dicentis: *Quidquid petieritis, &c. hoc faciam.*

Tertiò. Potest orans impetrare primam gratiam infallibiliter, si oratio vestiatur debitis circunstantijs: ergo & perseuerantiam.

Quartò. Possunt homines mereri de congruo perseuerantiam, vt diximus probabile esse supra: ergo & impetrare infallibiliter.

Propter hæc argumenta sunt quidam hanc partem tenentes, & aduertunt, orationem quæ perseuerantiam impetrat, infallibiliter debere esse super naturalem, vt habetur in *Epistola.6.* Beati Fulgentij; ad Theodorum & Prosper. *responsione.5. ad decimam dubitationem Genuensis*, & Concilio Arausi cañō Can.3. dicente. *Siquis per inuocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, vt inuocetur à nobis contra dicit Isaia Propheta, vel Apostolo idem dicenti: Inuẽtus sum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.* 30

D. Fulg.
D. Prosp.

In oppositũ pro parte negatiua *arguitur primò* quia quamplurimos præscitos vero simile est fudisse preces piè ac perseueranter (ac fortasse feruentiores, quàm prædestinatos) pro obtinendo perseuerantiæ dono: & non sunt consecuti. *Dicit quis* sua culpa amiserunt ius impetrandi per peccata subsequentia. *Contrà* nam donum perseuerantiæ includit, vt non labatur in peccatum, qui illud habet: ergo si infallibiliter impetrari potest, nullo modo per peccatũ potest deperdi. Dicere enim quod infallibiliter obtinebit donũ perseuerantiæ, & quod peccabit est aperta contradictio. *Secundò* perseuerantia non potest esse obiectum meriti: ergo neque impetrationis. *Antecedens* supponitur ex his, quæ dicũtur in materia de merito. *Consequentia probatur*, quia omnes rationes, quæ probant perseuerantiam non posse cadere sub merito, pari passu procedunt ad probandum, non posse esse obiectum impetrationis. *Confirmatur*, quia id, quod est principium operis impetratorij, nõ potest esse res impetrata. Sed perseuerantia est principiũ orationis, vt impetratoria sit, maxime si oratio fiat ex auxilio supernaturali Dei: ergo non potest esse obiectum 31

obiectum impetrationis, id est, res impetrata. *Maior probatur*, quia hac ratione non potest esse terminus meriti; quia est principium eius: ergo neque impetrationis. *Confirmatur secundò*, quia ex positione contraria sequitur, hominē secundum legem ordinariam & communem cursum gratiæ fieri impeccabilem peccato mortali in hac vita. *Consequens* est error Beguardorum, & Beguinarum, damnatus in clementina, ad nostrum, de Hæreticis, & multo ante à D.
D. Hiero. Hieronymo, aduersus Iouinianum, & refertur de pœnitentia distinction. 2. capit. si enim. *Probatur sequela*, si orantes piè infallibiliter obtinent perseuerantiam, cum hæc infallibilitas nequeat deficere, vt pote fundata in promissione Christi Domini, homo sic orans redderetur impeccabilis. Doctissimus Bartholomæus à Medina, & Magister meus obseruantissimus
Medina. disputat hanc quæstio. 1. 2. *quæstion.* 114. *articul.* 9.
23 *in solutione ad primum* D. Thomæ, & pro decisione dicit tria. *Primum* est, non posse hominem iustum impetrare donum perseuerantiæ ex lege infallibili. *Probatur primò*, quia alias homo iustus per orationē bonā constituet se confirmatū in gratia, quod esse falsū manifestum fit in viris egregiæ sanctitatis, qui à gratia ceciderunt. *Secundò*, quia homines Sancti dediti, qui semel orauêre perseueranter & serui efficientur vecordes ad opera virtutum, putantes se habere donum perseuerantiæ propter suas orationes: quo habito, non vltrà aliquod opus erit. *Dicit secundò*, si homo perseuerauerit in oratione, verè, & piè orans pro se infallibiliter saluabitur: & dicit hoc dictum esse de mente D. Thomæ in hoc articulo, cuius commentaria instruimus. *Dicit tertiò*, qui perseuerauerit in oratione petens piè & verè donum perseuerantiæ infallibiliter illud assequetur: hoc dictum colligit & bene ex secundo. Et ipsemet Medina obijcit sibi contrarietatem in primo & tertio dicto: & respondit, primum dictum intelligi de iustis in communi, quibus non est datum impetrare tale donum, alijs verò conceditur illud impetrare; quia illis donatum est tali modo orare perseuerando in oratione vsq; in finem, & hoc est speciale Dei donū, neque homo iustus potest illud consequi à Deo infallibili lege: sed sēper est donū ei speciale ex gratuita Dei beneuolētia prouenies.

33 Sed tamen existimo secundum, & tertium dictum falsa esse. *Primò*, quia sæpè experientia compertum est, iustos egregia sanctitate insignes, à meritorum fastigio cecidisse, iam in vltimo termino vitæ, quos fuisse preces pro dono perseuerantiæ crebrius, feruentius, ac perseuerantius, quam aliquos ex prædestinatis non dubito, vel saltem fundere potuerunt; at non formidabit concedere Magister optimus hos prædestinatos impetrasse donum perseuerantiæ lege infallibili: ergo idem dicendum esset de illis reprobis, qui in operibus studiosis ferè per totam vitam se exercuerunt. Quod si mordicus asserat non esse illis reprobis impartitum donum perseuerantiæ in orationibus pijs, alijs verò prædestinatis datum esse non lege infallibili per orationes, sed ex Dei liberalitate & dono.

Secundò arguitur contrà hoc. Non est minus impetrabile, nec minus comprehenditur in promissione Christi Domini hoc donum orandi perseueranter, quàm donum perseuerandi in amicitia Dei; sed illi, quos diximus à celsitudine meritorum cecidisse per feruentissimas crebras orationes non illud impetrauerunt: ergo neque alij quos posuimus esse prædestinatos. *Confirmatur.* Lex infallibilis est de impetrando donum perseuerantiæ: ergo eadem est de impetrando perseuerantiam in orando, quæ minoris fit.

Tertiò. Tota infallibilitas orationis, vt impetratoria est fundatur in Dei promissione de exaudiendis orationibus, si vestiantur debitis circumstantijs, vt supra docuimus: sed hæc promissio ad omnes generaliter se extendit: ergo non est cur eā coarctemus in consecutione perseuerantiæ ad quosdam.

Quartò: quia non fugit Magister doctissimus vim argumenti illius, quod secundùm legem communem aliqui redderentur impeccabiles in via, illi videlicet quibus conceditur donum perseuerandi in oratione, quia in illis adimpletur promissio ordinaria de impetrando quidquid à Deo petierint, etiam ipsum donum perseuerandi in Dei amicitia. *Confirmatur*, quia si illis prioribus tanta sanctitate pollentibus non est datum perseuerare in oratione: ergo nihil infallibiliter impetrarunt à Deo; quod absurdum censetur. *Probatur consequentia*, quia ad infallibilitatem impetrandi necessariò præsupponitur perseuerantia in orando. *Dices*, perseuerantiam in orando debere esse maiorem, vel minorem pro qualitate rei petitæ, & ideò perseuerantia in orando pro obtinenda perseuerantia in Dei amicitia debet durare vsque ad finem vitæ. *Contra hoc militant*, quæ supra docuimus: non exigi perseuerantiam in orando vsque ad consecutionem rei petitæ, sed posse contingere, vt multo ante tempore quis per orationem habeat ius impetrandi rem petitam, quæ tamen non dabitur statim. *Confirmatur secundò.* Perseuerantia in orando vsque ad finem vitæ pro necessarijs ad salutem includit & exigit perseuerantiam in Dei amicitia, maximè in homine iusto: ergo qui asserit esse necessariam perseuerantiam in orando vsque ad finem vitæ, vt obtineatur perseuerantia in Dei amicitia, nihil aliud asserit, nisi quod mediante perseuerantia in amicitia Dei, acquiritur ius ad impetrandam eandem perseuerantiam: & sic idem erit principium impetrandi, & res impetrata, quod est absurdum. *Antecedens* patet; nam vt supra docuimus per quodcunque peccatum mortale interrumpitur perseuerantia. Vnde necessum est homini iusto non peccare mortaliter, nisi velit perseuerantiam orandi pro necessarijs ad salutem interrumpere.

Pro huius rei explicatione, *præmittendum est*, de duplici perseuerantia posse institui præsentē dubitationem, de perseuerantia in orando, & de per-

de perseuerantia in Dei amicitia.

De vtraque perseuerantia sit *prima assertio*. Nulli debet esse dubium, quin impetrari possit à Deo & de facto impetretur sæpissime à petentibus illam. Hæc assertio à me multis probata est supra *quæstion*.4.

Secunda assertio. Perseuerantia in orando vsque ad finem vitæ, non est impetrabilis infallibiliter. *Probatur*. Ad talem infallibilem impetrationem exigitur ex Dei promissione perseuerans oratio, & ea præsupponitur: ergo non est impetrabilis: alias idem esset principium impetrandi, & res impetrata: idem præsupponeretur impetrationi, & impetraretur: quæ esse absurda, quis non videt? Idem dico, & propter eandem rationem, de perseuerantia in orando requisita ad hanc impetrationem, etiam si non duret vsque ad finem vitæ. Fateor nullum esse inconueniens, quod per hanc perseuerantem orationem impetretur infallibiliter perseuerantia orandi in alijs orationibus distinctis ab ea, quæ modo impetrat.

Tertia assertio. Magnum donum perseuerandi in amicitia Dei, vel in non peccando, non est impetrabile infallibiliter per orationes quantumcunque feruidas ac perseuerantes. Notanter dixi *infallibiliter*, vt non aduersarem primæ assertioni, vbi habetur, aliquando donari à Deo petentibus ipsum. Hæc assertio probatur argumentis factis in oppositum pro parte negatiua.

Quarta assertio. Nullam cerno implicationem contradictionis, quod de potentia Dei extraordinaria donum perseuerantiæ sit impetrabile infallibiliter; de facto tamen non impetretur infallibiliter. *prima pars huius assertionis probatur*, quia benè posset Deus statuere legem de largiendo donum perseuerantiæ orantibus hac vel illa ratione, his vel illis comitata conditionibus, sicut modo liberaliter idem donum largitur sine promissione: ergo &c. Antecedens manifestabitur in solutione argumentorum, quæ possunt contra hoc fieri. Secunda pars ex præcedenti assertione sequitur.

36 *Resp. ad argum. partis affirmatiuæ Medina.* Modo respondetur ad argumenta pro parte affirmatiua. *Ad primum* Magister Medina vbi supra respondet, promissionem illam de exaudiendis orationibus tantum se extendere ad ea largienda, quæ pertinent ad conditionem viatoris, at quod homo habeat voluntatem determinatam ad bonum vsum gratiæ, potius est conditio existentis in termino, quia quamdiu nostrum liberum arbitrium non peruenit ad vltimum terminum semper est in vtramque partem flexibile: ergo lex orationis non extenditur ad donum perseuerantiæ, sed illud tantum est referendum ad specialem Dei misericordiam. *Sed contra hanc solutionem arguitur*: nam æquiuocant de perseuerantia patriæ & viæ: prior non est conditio viatoris, posterior verò sic, cum ipsa gaudeant omnes viatores prædestinati. *Quare melius respondetur* promissionem esse intelligendam saluis legibus, & ijs, & quæ concernunt statum gratiæ, vt animaduerti in solutione ad secundum, concernit autem statum viatoris, qui est timoris status, iuxta illud Pauli primæ ad Corinth. *Qui stat videat ne cadat*, & illud ad Philipens. *Cum timore & tremore vestrã salutẽ operamini*: Vt donũ quod est vltima clausula perfectiua omnium donorum, solum spectetur à Dei liberalitate, non verò à merito iustitiæ, vel promissione infallibili: vt sic dicamus Deo: *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri*. Ps.122. Decet item statum timoris, nullum sit in homine opus etiam ex Dei dono, quod reddat hominem impeccabilem secundum communem cursum gratiæ: quod dixerim propter paucas exceptiones, nempè Beatæ Virginis & Apostolorum, & si qui sint alij, de quo non est modò disputandũ. *Ad Confirmationem* bene ibi responsum est iuxta tenorem primæ assertionis. *Ad Corin. Ad Phili. Psal.122.*

Ad secundum & eius confirmationem respondetur, ex his, quæ modo dicebamus in solutione primi, reddentes rationem, quare ab vniuersali illa promissione, *Quicquid petieritis, &c.* excipimus donum perseuerantiæ. 37.

Ad tertium respondetur negando consequentiam, eo quod impetratio infallibilis gratiæ non reddit hominem impeccabilem, sicut impetratio infallibilis perseuerantiæ: similiter coniecturalis cognitio gratiæ impetratæ, quæ haberi potest ex oratione pia ac perseueranti non reddit hominem securum de sua salute cum à gratia excidere queat: at si haberetur cognitio coniecturalis de consecutione perseuerantiæ, quæ haberi possit ex oratione pia, ac perseueranti, iuxta oppositam sententiam redderet homines, si non securos, saltem socordes & negligentes ad studiosè operandum. *Ad quartum* omisso antecedenti, negatur consequentia: quia meritum de congruo non importat infallibilem consecutionem, vt dicitur in materia de merito, & nos etiam superius docuimus.

Ad arg. partis negatiuæ quatenus militant contra 4. assertum respond. Ad argumenta etiam in oppositum pro parte negatiua quatenus militant contra quartam assertionem respondendum est.

Ad primum respondetur, procedere de facto, & non de potentia Dei absoluta.

Ad secundum admisso antecedenti etiam de potentia Dei negatur consequentia: discrimen est: nam perseuerantia principium est omnis meriti, & est implicatio, quod idem sit principium & terminus; at perseuerantia non est principium impetrationis infallibilis, sed Dei promissio, & posset eam promittere pro suo arbitratu cuilibet oranti. *Ad Confirmat. respond.* nequaquam perseuerantiam in Dei amicitia esse principium impetrationis infallibilis, sicut est meriti. Fateor, perseuerantiam in orando, esse quid requisitum ad impetrationem infallibilem: sed perseuerantia in orando, ea perseuerantia, quæ sufficit ad impetrandum non requirit per-

rit perseuerantiam in amicitia Dei per totam vitam: vnde benè poterit esse principium impetrationis infallibilis perseuerantiæ in bono: nec inde sequitur, idem esse principium & terminum, concedo tamen, quod si ad impetrandam perseuerantiam in bono, ponatur esse necessarium perseuerare in oratione vsque ad finem vitæ, vt asserit Magister Medina, contradictionem implicat perseuerantiam in bono infallibiliter impetrari per orationem vestitam illis quatuor conditionibus, vt manifestè probaui in confirmatione secunda tertij argumenti contra Medinam. *Ad secundam confir. respõdet.* non implicare contradictionem, quod sicut Deus ex priuilegio fecit quosdam impeccabiles peccato mortali, sic edita lege faceret omnes orantes hac vel illa conditione: de facto tamen id non fecit, idque damnatur in Clementina citata. Ex his perspicuum erit, quid sit respondendum ad quartum argumentum principale in initio dubitationis quintæ.

Dubitatur. 7. an oratio ornata quatuor cõdit. habeat vis iustitiæ ad petita?

In quinto argumento principali tangitur dubitatio. An qui orat quatuor præfatis conditionibus habeat ius iustitiæ impetrandi postulata? an verò tantùm sit ex misericordia & liberalitate Dei talis impetratio?

39 Ioannes de Medina, *codice de oratione quæst. 18. in fine* & Martinus à Ledesma. 2. 4. *quæst.* 16. *artic.* 8. *dubitatione* 2. *in fine*, dicunt orantem cum illis quatuor conditionibus habere ex iustitia ius ad impetranda postulata: mouentur argumento quinto principali, existimant enim omne ius natum ex promissione ad iustitiam pertinere. Confirmatur, quia meritum inducit confirmationẽ iustitiæ, & quod est debitum ex merito est debitũ ex iustitia: quia ex promissione diuina dimanat omne meritũ: sed Christus Dñs promisit se exauditurum qualescunq; orationes, si præfatis conditionibus vestiantur: ergo impetratio oranti sic debetur ex iustitia.

Medina. Martin. Ledesm.

Ego verò oppositam partem veriorem censeo. Pro cuius explicatione *præmitto*, id quod Deus largitur hominibus medijs orationibus, tripliciter considerari posse. *Vno modo*, vt donum Dei est merè liberaliter concessum sine vlla promissione, sed ex Dei benignitate, quæ se passa est exorari, etiamsi preces non sint effusæ cum illis quatuor conditionibus. Talis fortassè fuit oratio Publicani, & oratio multorum peccatorum, quæ in ipso temporis puncto, quo emissa est, obtinuit petita, siue pro se, siue pro alijs, etiam deficiente perseuerantia in orando. *Secundo modo*, id quod per orationem impetratur potest habere rationem mercedis & præmij: eo quòd oratio procedens à gratia & charitate meretur consecutionem rei petitæ, si res postulata possit præmij habere rationem: & res isto modo impetrata debita est orandi ex debito iustitiæ, sicut & præmium cuilibet operi meritorio. Tertio modo potest aliquid cõferri à Deo mediãte oratione illis quatuor conditionibus vestita, & tunc res impetrata non est debita oranti ex iustitia, sed ex Dei promissione; quæ tantùm pertinet ad Dei fidelitatem, & veracitatem. *Quo supposito respondetur* promissionem Christi Domini de exaudiendis orationibus, si adsint quatuor sæpè repetitæ conditiones, non conferre vllum iustitiæ ius oranti, quia tale ius non nascitur ex pacto, & conuentione, qua Deus exigit nostra obsequia, & pro illis pollicetur se daturum præmia: sicut contingit in merito, non autem in oratione vt impetratoria est ex Dei promissione: quæ promissio licèt semper impleatur, non extrahit tamen ius hoc à iure misericordiæ, quia non confert Deus id, quod petitur in cõpensationem & præmium orationis, cuius signum est: quia non dicitur talis oratio compensari aut præmiari, sed misericorditer audiri, & ipsa exauditio misericors interposita Dei promissione roborata. Est simile, si Rex promitteret se semper largiturum eleemosynam omnibus pauperibus quotiescunque à se peterent, is daret quidem semper ex promissione, sed non ex iustitia. Et per hæc patet ad quintum, & omnia argumenta Ioannis de Medina.

40 *In sexto argumento* mouetur disputatio à nemine (vt reor) huc vsque disputata. Videlicet, an promissio sæpe repetita de exaudiendis infallibiliter orationibus fidelium, extiterit in lege veteri, an verò tantum inceperit in lege gratiæ, Christo Domino eam instituente. Et videtur quod etiam in lege veteri fuerit huiuscemodi promissio, Psalmo. 49. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me*, & Psalm. 90. *Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, eripiam eum & glorificabo eum.* Ecce promissionem exaudiendi fideles veteris legis, & Esaiæ. 58. *Inuocabis & Dominus exaudiet te &c. Secundo.* Deus est infinitè bonus, liberalis, misericors: ergo semper exaudit petentes ab eo quæ rationabilia sunt. *Tertio.* Lex amicitiæ postulat vt amico recta postulãti amicus ãnuat, si ex cõcessione petitorum nullum incurrat detrimentum sed in lege veteri erant plures Dei amici: ergo concedebat postulata non minus quàm in lege noua.

Dubitatio 8. an lex exaudiẽdi orationes sit propria legis gratiæ? Psal. 49. & 90.

Pro decisione *dico primo*. Neque in lege veteri neque in noua infallibile est Deum exaudire pias orationes fidelium, etiam sibi dilectissimorum. Hoc dictum late versaui supra. *Secundò dico*. Huc usque non legi in veteris testamenti Literis Deum promisisse vniuersaliter se exauditurum preces fidelium. *Tertio dico*. Promissiones, quæ in veteri testamento fiunt à Deo de exaudiendis orationibus, vel limitatæ erant pro hoc vel illo obtinendo; vel si fortè vniuersaliores, tantum fiebant pro iustis in remunerationem obsequiorum præstitorum; ac ex consequenti erat promissio de meritis præmiandis, quæ communis fuit cultoribus vtriusque legis, hoc palam fiet in solutione primi argumenti.

41 *Quartò dico*. Promissio vniuersalis de exaudiendis infallibiliter orationibus ritè & legitimè fusis peculiare priuilegium fuit collatum solis cultoribus legis gratiæ, ex Christi liberalitate concessum. Patet dictum hoc ex locis sæpe cita-

Matth.7. Luc.11.& 18. Ioan.14. ex *Matth.7. Luca 11. & 18. Ioan.14. & 16.* Confirmatur ex sanctis Patribus, qui quoties loquuntur de infallibilitate impetrationis per orationes eam referunt in Christum promittentem: cuius promissio vt pote diuina, deficere non potest.

Ad argumenta cõtraria sẽtentia R. *Ad primum pro parte opposita respondetur* ad omnia illa testimonia. *Primo.* Non fiebat vniuersalis promissio, vt patebit ea testimonia attentè legenti. *Secundò* respondetur. Estò fieret vniuersalis promissio, fiebat in remunerationem obsequiorum, vt dicit expresè Interlinealis Glossa circa loca citata: & expresè colligitur ex verbis præcedentibus promissionem: maximè in Esaiæ testimonio, vbi præmiserat, *dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, &c.* & subditur, *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet*: nos verò non loquimur de promissione exaudiendi orationes propter merita, quia promissio præmiandi merita communis est vtrique legi, & frequens in veteri pagina; sed loquimur de promissione vniuersali exaudiendi orationes nulla habita ratione meritorum: sed tantùm pensata liberalitate diuina, quæ voluit promittere tàm pro iustis, quam pro peccatoribus; & quoties orarent ritè & legitimè consequerentur petita, & de facto filius Dei in humanitate assumpta hanc promissionem & effecit, & promulgauit.

Ad secundum, & tertium respondetur primò, procedere de infallibilitate impetrationis; nos verò loquimur in hac dubitatione de infallibilitate prouenienti ex promissione; & hanc dicimus esse priuilegium cultorum legis gratiæ. *Secundò respond. ad secundum.* Non est de ratione summè liberalis, vt semper largiatur quidquid potest, alias non posset esse liberalior quàm modo est. *Ad tertium resp.* satisfuerit amico vt opera exhibita in obsequium amici præmiet, quod & facit & fecit Deus in omni lege, quod verò ãnuat omnibus petitis non postulat amicitiæ lex, licèt congruitas magna interueniat, vt exaudiantur amici.

Pro solutione vltimi argumenti principalis,
42 *dico primò.* Non est nouum dogma asserere, aliquid præter sacramenta causare effectus spirituales & corporales ex opere operato: vt videre licet in sacramentalibus, iuxta doctiorum sententiam. Quinimò neque est nouum dogma affirmare aliquid præter sacramenta ex Dei speciali priuilegio causare gratiam primam ex opere operato, vt patet in martyrio, cui ex doctissimorum sententia, tale priuilegium concessum est.

Secundò dico. Nullo modo asserendum est, per orationem ornatam legitimis circumstantijs impetrari infallibiliter, & immediatè primam gratiam; quidquid sit de alijs effectibus impetratis. Hoc dictum latè probaui superius. Ex quo colligitur non impetrari per orationem primam gratiam ex opere operato: quia potius confertur, ex vi actum ipsius operantis, putà contritionis, & amoris Dei super omnia, quamuis auxilia ad hæc opera præstanda impetrauerit oratio.

Tertiò dico. Neque illos effectus, quos oratio præfata impetrat immediatè siue spirituales sint, siue corporales dicenda est causare ex opere operato. Probatur, quia licèt efficacia orationis, vt impetratoria est, nitatur Dei misericordiæ & liberalitati; tamen hæc vis naturalis est illi; eo quod suapte natura, oratio ad impetrandum petita ordinatur, & ad nihil aliud deseruit: ergo non est dicenda hanc habere ex opere operato. Antecedens notum lumine naturæ est, & consequentia probatur: quia efficacitas alicuius rei ex opere operato non debet esse connaturalis ipsi rei, sed aliunde proueniens, putà ex promissione Dei, aut institutione.

Sed vrget quis ex argumento posito. Infallibilitas impetrandi non est connaturalis orationi; sed 43
ex Dei promissione, & priuilegio: ergo saltem habebit efficaciam quantum ad istum modum infallibilitatis ex opere operato. *Respondetur primò* negando consequentiam: quia sicut ipsa res impetrata non habetur ex opere operato, sic neque modus ille infallibilitatis, etenim accessorium sequitur naturam principalis. *Secundò resp.* admittendo totum quod infertur, vel ex promissione Christi Domini, & priuilegio habere hanc efficaciam ex opere operato, in quo nullum reperio inconueniens; sed illatum necessario asserendum ab omnibus, qui putant, hoc priuilegium orationi accessisse ex promissione Christi Domini, quod asserunt ferè omnes Patres; inde tamen non infertur orationem esse sacramentum, imò neque sacramentale (licet aliquæ orationes inter sacramentalia computentur) imò neque etiam propterea asserendum est, esse Dei instrumentum physicum, aut morale ad infallibiliter impetrandum; quia impetrare ex natura sua habet instrumentum, aut solum ex Dei institutione: secundò: quia instrumentum Dei nisi impediatur statim consequitur suum effectum: oratio non itidem, eo quod vt probaui superius ex Augustino, sæpè oratio repetitur suis ornata legitimis circũstantijs; & non obtinet vsque in aliud, & interdum longum tempus.

Dubitatur nono. An sit aliqua oratio priuilegiata, hoc est, habens aliquam peculiarem efficacitatem, præter eam, quam ex communi lege, & promissione Christi, omnibus orationibus diximus conuenire? *Dubitatur nono, an aliqua oratio habeat specialem aliquam efficaciã*

Pro decisione huius dubitationis præmittendus est Canon, seu regula ad dignoscendum, quænam oratio habeat ex opere operato aliquẽ 44
effectum vltra illum, qui correspondet ipsi naturæ orationis, vt meritoria est, & vt subditur communi legi promissionis de exaudienda ea, quam collegimus supra ex promissione Christi Domini. Regula habet in hunc modum. Non est asserenda aliqua efficacia ex opere operato in orationibus, nisi ea quæ colligatur, ex promissione Dei, aut Christi institutione, vel Ecclesiæ ipsius. *Regula hæc* satis aperta est: quia oppositum eius videtur in temeritatem declinare, & sine ratione, & pro arbitratu procedere. *Secundò notandũ* est, effectus istos orationis ex opere operato, sicut & quoscumque orationis, esse in duplici differentia: quosdam pertinentes ad ordinem naturæ, vt bona fortunæ, & liberatio à malis naturæ: quosdam

quosdam pertinentes ad ordinem gratiæ: sicut acquisitio gratiæ habitualis, aut auxiliantis, remissio peccatorum, liberatio à pœnis peccato debitis, &c.

45 His suppositis *dico primò*. Nullas agnosco orationes, quæ vltra opus operantis, aut legem communem de ipsis exaudiendis, habeant aliquam efficaciam impetrandi ex opere operato beatitudinem, gratiam habitualem, eius augmentum, aut virtutes, vel virtutum actus. *Probatur*: quia non extat de hac re aliqua promissio diuina, aut institutio Christi, neque Ecclesiæ: imò nec Ecclesia hoc potest instituere, sicut non potest instituere sacramenta: quia alias esset autor gratiæ. *Dico secundo*. Non reperitur aliqua oratio, quæ sit efficax ex opere operato efficientia physica alicuius gratiæ auxiliantis: verbi gratia, boni motus gratiæ auxiliantis, aut excitantis. *Probatur* ex notabili præmisso, quia de hac re non extat aliqua Dei promissio, aut institutio, neque Ecclesiæ: imò censeo, non posse tale quid instituere Ecclesiam sine noua Dei facultate, quæ illi nō est concessa. Probatur, quia proprium Dei est dare gratiam auxiliantem & excitantem sicut habitualem: ergo sicut Deo soli conuenit instituisse signa effectiua gratiæ habitualis, sic & gratiæ auxiliantis, aut excitantis, quæ non est minus supernaturalis, quàm habitualis gratia: & idem existimo de efficientia morali ex promissione & lege, seclusa impetratione, dē qua statim.

Tertiò dico. Orationes, quæ in Ecclesia funduntur, sunt Deo gratiores & efficaciores ad impe-
46 trandum petita, quam quæ extra Ecclesiam fiunt: Hoc dictum si intelligatur ex opere operantis, nulli potest esse dubium, nisi impijs hæreticis Sagarelis impiè dicentibus, Ecclesiam consecratam non plus ad orandum valere, quã stabulum porcorum: ita refert Vualdensis, *tomo 5. de sacramentalibus, titulo. 17. cap. 143 & infra*, & ait, hunc errorem sequutum fuisse Vicleph, & alios hæreticos, quos refutabo inferius, nunc satis nobis sit locus 3. *Regum* 8. *& secund. Paralip. cap.* 6. vbi Salomon dicitur templum Hierosolymitanum extruxisse, vt ibi Deus gratiosius exaudiret orantes: & de maiore efficacitate in nostris templis, & an sit ex opere operato, an tantum ex opere operātis? Latius dicam infra *q.* 84. *ar.* 3.

Vualdens.

3. Reg. 8.

2. Par. 6.

Dico quarto. Recitanti orationem Dominicam remittūtur venialia. Hoc dictū habetur de pœnitētia, distinctione tertia, canone, de quotidianis, & Canone, tres sunt autem, eodem titulo, distinctio. prima. Sed vnde habeat oratio Dominica hanc efficaciam ex opere operato, an ex opere operantis, an ex Ecclesiæ institutione, mihi valdè dubium. Certè in ipsamet oratione Dominica, si ex corde proferatur, includitur quædam pœnitentiæ effigies, & dimissio offensarum, quæ in nos factæ sunt, cui remissionem venialium attribuit D. Augustinus, sic explicans illud Matthæi, & Lucæ sexto, *Si dimiseritis peccata proximis, dimittentur vobis & vestra.* Ita profert contra epistolam Parmeniani, capite decimo, & libro secundo de peccatorum meritis & remissione, capite quarto, & libro secūdo contra Cresconium Grammaticum, capite vigesimo octauo, & epistola 108. ad Seleucianam, ait: *Est enim pœnitentia humilium & bonorum fidelium pœna quotidiana; in qua pectora contundimus dicentes, Dimitte nobis debita nostra, &c.* Ex his verbis non expresse colligitur, habere hunc effectum ex opere operato, sed ex opere operantis propter bonum motum excitatum: sed mihi vtrumque probabile est propter varias doctorum de hac re sententias, quas discutere non est huius loci.

August.

Luc. 6.

Dico quintò. Nulli catholicorum dubitare licèt, posse summū Pontificē aliquas orationes priuilegio donare satisfaciēdi pro pœnis, tēporalib⁹, peccatis dimissis debitis vltra meritū, & satisfactionē propriam eius, qui orat: modus vatè hoc priuilegium concedendi est applicando ex thesauro Ecclesiæ aliquam satisfactionem vltra propriam orantis. Hic modus frequens est in Ecclesia, vt quando Pontifex ait Oranti sic, vel sic, tot vel tales orationes, concedo tot indulgentiæ annos, indulgentiam plenariam, vel quid simile. Totum hoc dictum constat ex his quę in materia de indulgentijs dicuntur. Et seclusa ista consideratione non inuenio orationem aliquam, cui ex opere operato debeatur remissio pœnæ temporalis pro peccatis dimissis debitæ. 47

Sextò dico. In ritualibus libris, quibus Romana Ecclesia vtitur, sunt orationes quædam, quæ 48
ex institutione Ecclesiæ habent maiorem efficaciam, quam aliæ non institutæ ab Ecclesia, ad consequendum quosdam effectus corporales: verbi gratia, ad sanitatem obtinendam, ad postulandam pluuiam fructuum, terræ conseruationē, ad tempestates repellēdas: sed huiusmodi effect⁹ in impetratione Ecclesiæ fundantur. De quibus videndus est Vualdens. *tom. 3. de sacram. cap. 163. & sequentibus.* Cæterum per accidens & remouendo prohibens etiam pertinet ad potestatem, quæ data est Ecclesiæ ad pellendos, vel fugandos dęmones. De quo nos disputabimus *infra q. 90.* vbi de his agit D. Tho. Ex dictis nō dubito damnabis titulos quosdā inanes quibusdā orationibus præfixos, qui dixerit hanc vel illas orationes non morietur subitaneè: qui verò illam, nō suffocabitur, nō peribit in p̄lio, vincet suos inimicos, insidias euadet, in fine vitæ apparebit ei Beata Virgo, nō obibit incōfessus, & similia; quæ sunt adinuentiones & nugæ impostorum. Vnde merito ab Inquisitoribus hæreticæ prauitatis isti tituli aboliti sunt, vt videre est in expurgatorio Inquisitorum numerante libros prohibitos.

Vuald.

D. Thom.

Vltimo dubitatur, an sint aliquot peculiares orationes ad fugādos & coercēdos dæmones, ne noceant hominibus, siue rebus quæ ad homines pertinent? & quidē si sermo sit de efficaciā orationum ex opere operantis & secundū legē Dei cōmunem nulli dubium deberet esse, quin vnum ex præstantissimis remedijs aduersus communem illum hostem oratio sit: hoc indicant verba Christi Domini ad discipulos, Matth. 49
17. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi oratione*

Dubitatur vltimò, an sint aliquæ orationes ad fugandos dæmones?

Matt. 17.

oratione & ieiunio, quod si genus dæmoniorum fugatu difficillimum oratione pellitur, cur non cæteri qui minores vires habent. Præterea, idem palam fit ex historijs Sanctorum, qui oratione profligarunt sæpè dæmones, Ioannes Diacon. in lib. 4. de vita Gregor. *Magni, cap.* 93. ait, suasu B. Gregor. Litanijs quoddam dæmonis spectrum quasi cornutum expulsum fuisse à quodam loco, in quo hominibus formidabile apparebat: & ibidem refertur, eundem diuum fugasse spiritum nequam, qui in forma cati Religioso valdè molestus erat: & *lib.* 1. *Dialogorum, cap.* 10. scribit D. Gregor. Fortunatum Episcopum oratione dæmonem ex hominum corporibus eijcere solitum: & Bernard. Boneual. in vita D. Bernar. eum continua vnius noctis oratione asserit dæmonem fugasse: & D. Hieron. in *vita Hylar.* ait, eum eripuisse à vexatione dæmonum media oratione, ducentos propemodum partim viros, partim mulieres: Hoc non dubitaret, qui legerit Sanctorum vitas. Quod nos modò cupimus scire, an sint aliquot orationes, quæ siue proferantur à iustis, siue ab iniustis, ex opere operato habeant dæmones abigere, aut coercere ne noceant? & existimo veram partem affirmatiuam in quibusdam orationibus, quæ inter exorcismos numerantur: reperiunturque in libris ritualibus Romanæ Ecclesiæ, sed de modo quo iste effectus fiat, non est admodum facilè definire: crediderim istam fugam per orationes non pertinere ad efficientiam physicam licet possibilis sit. Ratio, quæ me ad hanc negationem mouet, est primus canon præfixus huic dubitationi, non enim inuenio talem promissioné factam peculiaribus orationibus; modus autem facilis & apertus est, si reducamus istam efficaciam ad impetrationem Ecclesiæ, in cuius persona minister orat; iste autem effectus licèt non sit ex merito orantis, sed ex opere operato, quod aiunt, tamen non est infallibilis: sicut nec ipsa Ecclesiæ impetratio. An verò possit fundari in potestate Ecclesiæ data ad fugandos Dæmones in exorcismis, quibus immediate exorcistæ inuehuntur contra Dæmones dicemus inferius, q. 90.

Ioã. Diac.

D. Grego.

Boneual.

Hieron.

ARTICVLVS XVII.

Vtrùm conuenienter dicantur esse orationis partes obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones?

1 1. ad Tim. 2. Conclusio affirmatiua, probata ex verbis Apostoli 1. *ad Tim.* 2. Gabri. super *Canonem Missæ, lectio.* 61. *lit. K. dicit*, orationum species sola Spiritus sancti illuminatione comprehendi posse: appellat autem species orationis diuersas eiusdem considerationes. at D. Thom. *in hoc articulo* quatuor integrales partes orationis recenset, vt explicet insigne testimonium citatum ex D. Paulo, quod tot habet expositiones, quot ferè interpretes. Cassianus, *collatione* 9. *capite* 11. 12. & 13. *ait*, obsecrationem esse interpellationem pro peccatis, & orationem esse idem quod votum; postulationem orationem pro alijs; gratiarum actio quid sit, apertum est D. Ambrosius, *libro* 6. *de sacramentis, cap.* 5. *dicit*, Orationem esse Dei laudem, obsecrationem, supplicationem, vt exaudiat postulationem, petitionem rei desideratæ, gratiarum actionem, beneficiorum commemorationem: & subiungit, *Oratores isti sapientes hanc habent disciplinam, vt iudicem fautorem sibi præstent: incipiunt à laudibus eius, vt beneuolum sibi faciant cognitorem: deinde paulatim incipit rogare iudicem, vt patienter dignetur audire: audet & tertio postulationem suam depromere, quid petat exprimere quarto: quo modo cœpit à laudibus Dei, sic debet in Dei laude, id est, gratiarum actione desinere.* Hyllari. explicans illud Psalm. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Intelligendum est*, inquit, *quid sibi velit comparatio proposita incensi: & primum natura incensi est, vt se in altum de humilibus extollat, spirans optimè, & sese in sensum suaueolentia immittens: deinde ex quatuor odoratissimis generibus in maximam subtilitatem comminutis componitur, stacte, onyche, galbano, thure: quæ omnia hæc in forma orationum fideliũ constituta esse Beati Ioannis Apocalypsis ostendit caput quintum.* Quatuor autẽ genera orationum Apostolus esse significat 1. ad Timotheũ 2. *Obsecro primum omnium fieri precationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones.* Humilitatis nostræ est deprecari, magnificentiæ Dei est orari, Fidei est postulare, confessionis & laudis est gratulari.

Gabr.

D. Thom.

Cassian.

D. Ambr.

Hyllar.

Apoc. 5.

1. ad Tim. 2.

Et fortè quatuor illa genera odorum ad vnum thymiama ex partibus subtilissimis comparata, singulis quoque generibus poterunt consummandæ orationis aptari: at D. Thomas in *hoc articulo* & *in quarto sentent.* aliter explicat; videlicet vt per obsecrationem intelligatur petitio, qua aliquid à Deo postulatur proposita aliqua ratione ducta ex re sacra; quæ sit ratio impetrandi, vt quando dicimus, *Per passionem Christi libera me Domine.* Per orationem verò intelligit ipsum actum orandi, vt secum affert ascensum mentis in Deum, postulatio autem est idem actus; vt est petitio huius, vel illius boni; at gratiarum actio est quasi quædam oratio, quatenus tacitè petit qui agit gratias; eo quod qui agit gratias de beneficijs acceptis meretur accipere potiora, & pro hac declaratione citat D. Thom. Glos. super locum citatum Pauli: & congruit huic expositioni ea, quam tradit August. *epist.* 49. *ad Paulinum, q.* 5. circa quam obseruare oportet, ista quatuor non esse orationis species, sed quasi partes integrales vnius orationis; quæ re non distinguuntur, sed ratione: tum, inter sese: tum, ab ipsa oratione: excipio gratiarum actionem, quæ realiter ab oratione distin-

D. Thom. 2

D. Thom.

August.

distinguitur, & est quasi complementum & ornatus eius. D. Chrysostimus, homilia sexta in *epistolam primam ad Timotheum*, non adeo minutè ista vocabula interpretatur, sed tria priora videtur accipere pro eodem: quibus verbis Apostolus multiplicitate verborum vult cum exaggeratione commendare, orandum esse pro omnibus. Sed magis accommodata est expositio D. Thomæ & Augustini, quam modo ferè omnes, tùm interpretes sacræ Scripturæ, tùm Doctores sequuntur. Hæc dicta sint de hac q. 83.

DE HORIS CANONICIS TRACTATVS.

CIRCA aliquos ex præfatis articulis D. Thom. solent moueri quam plures quæstiones de Horis Canonicis (quod egregium orationis genus est): nos seorsum tractatum integrum polliciti sumus, quem in aliquot controuersias principales duximus distribuendum, affixis etiam multis alijs dubitationibus, disputationibus, & quæstiunculis. Et vt promissa impleamus, incipientes à definitione, quæ à Philosopho dicitur quid nominis, est.

CONTROVERSIA I.

Quid significet Canonica Hora? & vnde ortum habuerit eius significatio?

ET imprimis lectorem moneo abstinere à sententia quorundam Canonistarum, qui circa capitulum primum de celebratione Missarum, & Clementinam primam eodem titulo, indignas dictu quasdam diffinitiones proferunt. Ita Zenzelinus, Zabarela, Gullielmus, Ioannes de Lignano, Albertus de ferrarijs, & multi alij, qui affirmant Horas ab orando dici: quia orando & contemplando celebrari debent. Sed inepta deductio: cùm hora aspiratione, oratio verò sine illa notetur. Igitur hora apud Latinos, tùm sacros, tùm prophanos multipliciter accipitur. Aliquando pro tempore: primæ Ioannis secundo, *nouissima hora est*, Augustinus, libro primo expositionis epistolæ ad Galatas: & apud Terentium, *Hora abijt*, id est tempus. Aliquando horæ pro quatuor anni temporibus vsurpabantur: Plato in Cratillo, Macrobius, libro primo Saturnal. capite vigesimo primo, & Gregorius Nazianzenus, carmine de humana natura. Quandoque hora accipitur pro die; Cicero, actione tertia in Verrem. At iam vsus Latinorum obtinuit pro vigesima quarta diei naturalis parte vsurpari: nam totum Solis curriculum, quo dies & nox conficitur, in viginti quatuor partes diuidimus: quarum quamlibet vocamus horam.

1. Ioan. 2. *August.* *Plato.* *Macrob.* *Nazian.* *Cicero.*

Sed vnde hæc appellatio ortum habuerit, variant etymologiarum autores: Macrobius, *libro primo, capite vigesimo* primo, putat dictas esse horas à sole, qui ab Ægyptijs *horus* vocabatur; vnde etiam horæ ab Ouidio solis ministræ finguntur. Alij dicunt horas dici à nomine Græco *horas*, quod terminum seu finem significat: horis enim tamquam finibus distinguimus, ac terminamus diem naturalem. Nam desunt, qui horas à voce Græca *huron* dictas esse voluerint; quæ vox vrinam significat. Fingunt enim Hermetem Trismegistum horas primum obseruasse ex vrina cuiusdam animalis sacri apud Ægyptios, quod soli dicatum erat: hoc animal esse Cynocephalum putat Pierius, *libro sexto Hieroglyphicorum*: nam cum animaduerteret Trismegistus ab illo animali duodecies nocte, totiesque in die vrinam emitti, è qualibus semper interuallis, credidit diem noctemque in totidem æqualia curricula distingui; quæ horæ ab illius animalis vrina nuncuparentur: adducit Pierius Victorinum Rhetorem in eo loco, quo Marcus Tullius in Rhetoricis temporis finitionem quærit. Quidquid sit de etymologiæ deductione, horæ sunt viginti quatuor spatia temporis æqualia, in quæ diuiditur totus tractus diei ac noctis, siue incipias numerare naturalem diem Romano more, quem & sequuntur Hispani. & Galli, lege, more Romano, *ff. de fer.* scilicet, à media nocte, vsque ad mediam noctem, siue vt Hebræi, à vespere, vsque ad vesperam; siue vt Athenienses ab occasu solis, vsque ad alium occasum; siue vt Babylonij ab ortu Solis, vsque ad alium ortum, siue vt Arabes à meridie, vsque ad alium meridiem.

Macrob. *Pierius.*

Ex his poterimus agnoscere, quæ sint Horæ Canonicæ, id est illæ diei & noctis horæ; in quibus clerici diuina officia persoluunt, & celebrant; & dicuntur Canonicæ, vel quia per sacros Canones institutæ sunt; ita Glossa pragma. in titulo quomodo diuinum officium sit celebrandum, in voce *Canonica*. Rursus, Horæ Canonicæ, idest, regulares, hoc est à regula certi ordinis clericorum; scilicet certi temporis, & certæ formæ præscriptæ: *Canon* enim Græce, Latine, *regula*

Gratian. regula dicitur, ita Gratianus ex Isidoro Canone *regula*, distinctione 3. dicitur etiam Canonicæ, seu regulares, quia à sanctis Patribus communiter obseruatæ, ita Turrecremata, *tit. 73. in regulam sancti Benedicti*. Quidquid de Turrecr. hoc sit; horæ Canonicæ sunt horæ dicatæ diuinis officijs peragendis; officium autem diuinum est quædam res, & modus Deum precandi & laudandi ex Ecclesiæ instituto, nō enim quilibet pro suo arbitratu potest componere officium diuinum publice decantandum in Ecclesijs; vt traditur in Concilijs multis, *vt infra videbitur, quæstione 91.*

CONTROVERSIA II.

An dicere officium diuinum in his Horis ab Ecclesia signatis sit de iure diuino? an humano? & de harum horarum antiquitate.

1 FVêre aliquot hæretici exosam habentes istam orandi formam, quam obseruat Ecclesia distinguendo diuini officij partes per diei ac noctis certas horas. Ita August. Pelagiani, apud Diuū Augustinū de hæresibus, *capite 88.* VViclephus Anglus apud Thomā VValdensē, *tomo 3. capite. 21.* Thaboritæ, & nonnulli ex Vvald. Bohemis apud Eneam Syluiū, *lib. de Origine Bohemi, cap. 35.* Husitæ & Lutherus, *qui in lib. de* Sylu. *forma Missandi scripsit* horarum lectionem esse simulatum Dei cultum.

Prima assertio. Deum laudare, ac precibus interpellare certis horis diei ac noctis laudabile est; & frequentissimum in vtraque lege, videlicet veteri ac noua. Ex quo infertur corolarium. Multum conformis est iuri diuino, & antiquorum omnium vtriusque legis cultorum vsui modus iste, quem modò obseruat Ecclesia persoluendi diuinum officium certis horis diei Psal.55. ac noctis. Probatur Psalm. 55. *Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo*: Daniel tribus temporibus in die flectebat genua sua; & ado- Daniel.6. rabat, & confitebatur coram Deo, Daniel. 6. Vnde Hieronymus. *Tria tempora prima, quia flectenda sunt genua, tertiam horam, sextam, & nonam Ecclesiastica traditio intelliget.* Et Diuus Cyprianus Cyprian. in expositione orationis Dominicæ circa finem, *In orationibus celebrandis inuenimus obseruasse cum Daniele tres pueros in fide fortes horam tertiam, sextam, & nonam, &c.* Item Psalm. 118. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*: & ibidem, *Septies* Psal.108 *in die laudem dixi tibi*: & Psalm. 62. *In matutinis* & 87. & *Domine meditabor in te.* Psalm. 87. *Mane oratio mea* 140. *præueniet te.* Psalm. 140. *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* In lege noua Actorum. 2. Apostoli hora diei tertia orantes accipiunt Spiritum sanctum, Actorum 3. *Petrus & Ioannes a-* Act.2. *scendebant in templum ad horam orationis nonam.* Et & 3.

Philo Iudæus, lib. de vita contemplatiua depin- Philo. gens Christianorum primitiuæ Ecclesiæ mores. *Quotidie, inquit, bis precari solent; mane & sub vesperam; oriente sole petentes diem verè fœlicem, vtque mentes eorum cœlesti repleantur lumine: occidente verò, vt anima exonerata sensibus in totum moleque rerum sensibilium veritatem vestiget in consistorio domestico.* Et Tertulianus in Apologetico, capite 2. Tertul. *Vetustiores Christianos cœtus ante lucanos ad canendum Deo inire consueuisse.*

Secunda assertio. Iste modus orandi præscriptus ab Ecclesia certis & designatis horis; putà hora prima, tertia, nona, & non habetur institutus, aut præceptus ex iure diuino; & tamen adeò antiquus est, vt merito censeatur habuisse ortum ex traditione Apostolica. *Prima* pars assertionis patet, quia in sacris Literis non videtur iste modus expressus. *Secunda* pars probatur multis antiquissimorum Patrum testimonijs. *Primo extat constitutio* Apostolica de Horis sacris, & Canonicis apud Clementem, libro Clement. octauo constitutionum Apostolicarum, capite trigesimo quarto: *Precationes facite mane, tertia hora, ac sexta & noua, & vespere, atque ad galli cantum.* Eiusdem ritus meminit Cyprianus, vbi supra. Sanctus Athanasius *de virginitate, seu meditatione.* Basilius, *sermone primo de institutione* Athanas. *Monachorum, & in regulis fusius disputatis, interro-* Basilius. *gat.* 37. Gregorius Nazianzenus, *oratione decima* Nazian. *nona in laudem Patris*, Hieronymus, *epistola septi-* Hierony. *ma ad Letam, & epistola 22. ad Eustochium, capite 16. & epistola 27. de epitaphio Paulæ*, Augustin. *sermon. 14 de. verbis Domini, & sermone 56. de temp.* August. *& in regula 3. capit. 7. & sequentib.* Epiphanius *lib.* Epipha. *3. aduersus hæreses, hæresi.* 80. Damascen. *in vita SS.* Damasc. *Barlaam, & Iosaphat*: sunt & alia innumera Sanctorum testimonia, maximè minus antiquorum, vt Isidori, Bedæ. Hinc deprehenditur error Polidori Virgilij, & quorundam recentio- 3 rum, qui Horarum Canonicarum institutionem tribuunt vel sancto Hieronymo, vel Pelagio primo, cum iam ostenderimus ex sanctis Patribus ante Diuum Hieronymum in vsu fuisse. Neque obstat Canon. Eleutherius, distinct. 91. què alij Pelagio, alij Gelasio tribuunt. Textus enim ille loquitur tantū de quotidianis vigilijs præterea, etsi Pelagius, vel Gelasius ab Eleutherio cautionem exegisset, quotidie vigilias celebrandi in Ecclesia sua, non inde infertur vigilias tunc institutas fuisse; sed potius negligentia clericorum longè ante institutas inter Missas: ac demū addo, vel ex hoc potest colligi istiusmodi orandi antiquitas, & laudabilitas, quod Iulianus Apostata Christianis infensissimus, sic de hoc modo orandi Christianis inuidit, vt ipse inter idolorum cultores more nostro instituebat Sacerdotes, & Lectores; nec non certas certarum horarum & dierum preces: refert Sozomenus *lib. 5. cap. 15. tripart. libro 6. cap.* Sozom. 29. Nicephorus, *libro 10. capit. 21.* Niceph.

CON-

CONTROVERSIA III.

De numero Horarum Canonicarum.

1 IN qua re duas reperio opiniones. Prima asserit diuinum officium in octo horas diuidi, quatuor diurnas, & totidem nocturnas. Diurnæ sunt, Prima, Tertia, Sexta, & Nona: Nocturnæ, Vesperæ, Completorium, nocturni, & laudes. Hanc tenet Beda, *lib.3, in Esdram. capite 28.* Amalar. Fortunat. *libro 4. de officio. Eccle. cap.7.* Radulphus Tungriensis de *canonum obseruantia, propo.* 14. Archid. in *Canon. presbyter, distinct.91.* Anton. *2. p. capit. 12. §. primo,* Glosa pragma. *titulo qualiter Horæ Canonicæ sunt dicendæ extra Chorum, in verbo officium,* Nauarrus, *opus. de oratione, cap.3. numero.27. & 28.*

Beda. Amalar. Radulph. Archidi. Anton. Nauar.

Hæc sententia dicitur à Nauarro neruosis rationibus probari. *Prima fit.* Nam Christianorum Ecclesia ad imitationem Dauid orantis, & psallentis instituit diuinum officium dicendum certis horis: vt videre licet apud autores citatos in dubitatione præcedenti; Dauid autem, *Psalm.119.* ait septies in die laudem dixisse, & antea eodem Psalmo dixerat se media nocte surgere ad confitendum Deo, qua confessione completur octonaria laus: ergo pari tenore Ecclesia Christiana instituit eundem numerum Horarum Canonicarum seruare.

Psal. 118.

Secundò. Can. presbyter distinct.91. & *capit. primo de celebrat. Missæ,* præter.7. Horas, scilicet Matutinas, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, ac Completorium, fit mentio nocturnarum vigiliarum, laudaturque illud Dauidis, *Media nocte surgebam,* &c. Tertio arguit Nauarrus, nam Laudes diuersæ horæ sunt à nocturnis, quod vel ex eo patet, quia initio laudum dicimus, *Deus in adiutorum meum meum intende,* quo versu solent initiari Horæ Canonicæ. Item Laudes habent distinctos Hymnos: & præterea olim nocturni dicebantur tribus vigilijs noctis, vt statim palam fiet, Laudes verò paulò ante diluculum, ac denique in die Natiuitatis Domini separantur Nocturni à Laudibus: ergo disiunctis horis deputantur.

2 Secunda sententia asseuerat septem tantùm esse horas diuino officio deputatas: ita Beda *in libello de meditatione passionis Christi per septē diei horas.* Isidor. *lib.1. de offic. Ecclesiastic.* Rupert. *lib 5, de diuinis officijs,* Glossa & Doctores *in cap.1. de celebratione Missæ,* & apertè Concil. Cabilonense, *cap. 59.* idem insinuat *D. Basil. lib.1. de institut. Monach.* Ambrosi. *lib.7. in Luc. Hieron. sup. Psalm.* 118. & ferè omnes alij. Rationem huius numeri septenarij in Horis Canonicis, vide apud Dominicū à Soto, *lib.10. de iustitia & iure, q.5.* vide etiam Nauarrum *libello citato.*

Beda. Isidor. Rupert. Basi. Ambrosi. Hierony. Soto. Nauarr.

Mihi verò dubitatio hæc decisu facilis videtur, ex dicendis inferius, vbi apparebit; in principio nascentis Ecclesiæ nocturnos solitos esse recitari media nocte, separatim à Laudibus; imò & seorsum quilibet nocturnus, & tunc proculdubio octo horæ officio diuino deputabantur: posteaverò quam simul nocturni cum laudibus celebrari cœperunt, quod passim fere videmus, septem dumtaxat horæ officio toti diuino peragendo assignandæ sunt. Sed age, de singulis speciatim dicamus in quarta controuersia principali: & primo de horis nocturnis. 5

CONTROVERSIA IV.

De singulis Horis Canonicis.

Assertio prima. Laudabile, & antiquissimum fuit ad Deum interpellandum, eiusque laudes decantandas nocte surgere ad vigilias sacras. Probatur, nam Plinius secundus lib.10. epist.97. narrat eos solitos stato die ante lucem conuenire, carmen Christo secum dicere inuicem: hoc est in choros diuisos: huius epistolæ meminerunt Tertullianus in *Apologe. cap.2.* Euseb. *lib.3. hist. cap. 26.* Orosius *lib.7. cap. 12.* Nicephorus *lib.3. cape17.* earundem vigiliarum meminit Tertulianus, *lib. de corona militis cap. 3. & lib.2. ad vxorem, cap. 5.* & D. Cyprianus ad finem orationis Dominicæ sæpè meminit Basil. in *epist 63. ad clericos Ecclesiæ Neocesariensis.* 1

Plinius. Tertul. Euseb. Nicephor. Tertul. Cyprian.

Prima huius laudabilis consuetudinis ratio est, quia in nocte magis ac magis inuadunt homines spiritus nequam, & carnis motibus tunc magis vigentibus aduersus nos vtuntur. Vnde Hyllarius super illud Psalm. 118. *Memor fui nocte nominis tui Domine,* ait, *Scit Propheta nocturno tempore diuini esse à nobis nominis recordandum: scit tunc maximè custodiam Dei legis à nobis esse retinendam; cum subrepunt animo impuræ cupiditates, cum vitiorum stimuli per recens assumptum cibum exagitant: tunc Dei nomen recordandum est; tunc custodienda lex eius, pudicitiam, continentiam, timorem Dei statuens, &c.* Et Ambrosius super eiusdem Psalmi versiculum dicit ferè idem quod Hyllarius, & Hieronymus, *epist. 10. ad Furiam,* ardentes diaboli sagittæ ieiuniorum & vigiliarum rigore extinguendæ; & alibi sæpè harum vigiliarum meminit: & ad eas hortatur præ ceteris luculentius Chrysost. *homil. 42. ad popu. Anthio. & homil. 26. in Acta Apostolorum.* Vbi etiam alteram assignat rationem conuenientiæ sacrarum vigiliarum: nempè, quia anima tunc propter noctis silentium est purior & agilior ad diuina contemplanda, mentemquè ad Deum erigendam. 2

Hyllar. Ambrosi. Hieron. Chrysost.

Tertia

Tertia ratio sumi potest ex Christi Domini imitatione, qui erat pernoctans in oratione Dei, Lucæ 6. & Regius Psaltes Psalm. 21. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.* & Psalm. 76 *Meditatus sum nocte cū corde meo,* & Psalm. 118. *Memor fui nocte nominis tui Domine:* & ibid, *Media nocte surgebam ad confitendum, &c.* super quem Psalmum, Ambrosius: *Hoc nomen Iesu inuocetur diebus ac noctibus, nullum tempus precandi vacuum sinat sancta deuotio præterire: si studentes igitur doctrinis secularibus per parum somno indulgent; quanto magis qui Deum cupiunt agnoscere, non debent somno corporis impediri: nisi quantum naturæ satis est.* Dauid per singulas noctes lacrymis peccata diluebat: & Diuus Paulus, 2. ad Corinthios 6. *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, &c.* & paulo post, *in vigilijs multis,* & 1. ad Corinthios 5. *Quæ verè vidua est instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die:* innumera sunt Patrum testimonia laudantium sacras vigilias: *Inuenies,* ait Ioannes Turrecremata, *quod non sit verus Dei minister, qui refugit sacras vigilias.* Ex his manet confutatus error Vigilantij, qui sacras vigilias dānabat quem multis refellit Diuus Hieronymus, epist. ad Riparium 53. & aliorum hæreticorum errorem; qui non solum vanas esse sacras vigilias, verum & Deo iniuriosas, qui noctem somno & quieti fecit, asseuerabant; hinictages, idest somniculosi appellantur apud Diuum Isidorū, *libro primo de officio Eccle. cap. 22. & lib. 8. Etymol. cap. 1.* Rabanum, *lib. 2. de instit. cler. cap. 9.* & in Concilio Aquisgranensi, *capit. 130.* eundem errorem iam sepultum Vviclephistæ, ac nouissimè Hugonoti extumularunt, & renouarunt.

Ionæ 6. Psal. 21. & 76. — Ambro. — 2. ad Cor. 6. — 1. ad Cor. 5. — 3. — Hieron. — Isidor. — Raba.

Non licuit mihi rationes hæreticorum, quibus mouentur videre; sed ex ijs, quæ apud antiquiores reperi, conijcio ipsos suaderi, *primò*, quia censent graue & austerum ad sacras vigilias surgere, quod videtur derogare libertati Christianæ: quam ipsi semper in ore gestant. *Secundo,* quia Deus noctem quieti & somno dedit hominibus, quam indulgentiam contemnūt, qui noctem traducunt insomnem. *Tertiò* possunt adiuuari: quia ex huiusmodi vigilijs multa facinora patrata esse vbique, & audiuimus, & videmus: nempè stupra, libidines, scortationes: tū Religionis specie coopertæ: tum noctis vel o occultatæ. Vnde & prohibitæ sunt istæ in vigiliç Concilio Elibertino *can. 35. & in Conc.* Antisiodorens. *can. 5. & à* Beato Ambrosi. fuisse veritas narrat August. *sermo. 25. ad fratres in Eremo.* Et aliqui modo asserunt Bonifacium primum vigilias abrogasse nocturnas, & ieiunia loco vigiliarum retinuisse, mansisseque nomen vigiliarum, non rem.

D. Aug.

4. *Ad primum Resp.* graue quidem esse corpori, insuaue, & austerum surgere ad vigilias sacras; sed leue ac suaue nimis spiritui, ex quo expendenda est libertas Christiana, non ex carnis appetitu: maxime, quia Deo seruire regnare est, & lex Dei iugum quidem est, sed suaue, & onus leue; quod carnis amatores subire recusant. *Ad secundum resp.* Statuentes vigilias sacras nō tollimus somnū, & quietem, quantum sat est naturæ conseruandæ, sed quod superest esse impendendum in Dei laudibus; quis nisi impudens inficiabitur.

Circa materiam *tertij argumenti*, quod est etiam Catholicorum quorundam improbantium sacras vigilias hisce temporibus; non potest verti in dubium, quin sacræ vigilias officio nocturno deputatæ ab Ecclesiasticis sint maxima cum cura celebrandæ; vt testatur mos vniuersalis Ecclesiæ, neque vllo pacto clero vetandæ. Insuper existimo non debere prohiberi populum Christianum tam virorum, quam mulierum simpliciter, & pro omni tempore ne sacris vigilijs intersint, etiamsi inde aliquot sequantur interdum inconuenientia: alias nihil boni operis esset tutum in Ecclesia; cum homines nequam etiam ipso sacratissimo sacramento Eucharistiæ aliquando abutantur: & hoc est quod asserit D. Hieronymus *contra Vigilant. cap. 4.* errorem, & culpam iuuenum, vilissimarumque mulierum, qui per noctem sæpè deprehenditur, non esse Religiosis hominibus imputandum; *Qua* (addit Hieronymus) *& in vigilijs Paschæ, tale quid fieri plerumq; committitur, & tamen paucorum culpa non præiudicat Religioni; qui & absque vigilijs possunt errare:* & cætera, quæ videnda sunt apud ipsum.

Inconuenientibus occurendum est: egregia opera quales sunt vigiliæ sacræ peragenda. Dices. Vxor surgens ad sacras vigilias occasionem peccandi reperit. Audi Tertullianum *lib. 2. ad vxorem cap. 5.* huic incommodo occurrentem: *Quis vxorē nocturnis cōuocationibus, si ita oportuerit à latere suo eximi libenter non feret?* Dices: virgo detrimentum pudoris sustinet: ausculta Hieronymum huic inconuenienti obuiantem epist. 7. ad Lætām, de institutione filiæ, *Vigiliarum* (inquit) *dies, & solemnes pernoctationes, sic virguncula nostra celebraret, vt nec transuersum quidem vnguem à matre discedat.* Fateor, deuotione frigescente, ac malitia crescente, sacras vigilias, maximè vbi fœminarum, & virorum promiscua multitudo intersunt, in desuetudinem abijsse; sed aliquibus diebus, quando nostræ fidei potiora mysteria celebrantur, cupio instaurari morem illum sanctum, & antiquum, magna adhibita cautela, ne subrepant mala, vnde tantus profectus virtutis manere debet. 5. Tertul. Hieron.

Ad argumentum igitur *tertium Resp.* occurrendum esse inconuenientibus, & opera egregia exercenda. Ad illud vero, quod vigiliæ sacræ prohibitæ sunt. Respondetur, in aliquo casu, aut loco propter scandala exorta fortasse prohibere bonum est, & in tali euentu sunt intelligenda Concilia citata: non semper, & pro semper sunt à populo Christiano exterminandæ. Idem dico de Augustino, & Ambrosio. Omitto quod ille sermo citatus ex Augustino à quibusdam non agnoscitur vt D. August. certè D. August. *lib. 9. confess. cap. 7.* ait populum Mediolanensem vigilias sacras celebrare consueuisse, ipsiusque matrē vigiliarum primas partes tenuisse; neque etiam Bonifacius eas abrogauit, nisi fortè in casu, vt dictum est. 6.

Secunda assertio. Antiquitus in Ecclesia primitiua, & aliquanto post tempore officium nocturnum, 7

cturnum, & laudes matutinæ separatim per quatuor noctes vigilias diuidebantur, & celebrabātur: Hæc assertio testimonio Patrum, & rerum gestarum narratione probanda erit, pro quo aduertendum est, antiquum fuisse morem diuidendi noctem in quatuor vigilias, quarum singulæ ternas horas continebant: maximè æqui noctij tempore, & in stationibus militum. Huius consuetudinis frequens mentio est apud sacros, & prophanos Autores. Modestus in lib. de vocabulis rei militaris: *Et quia, inquit, impossibile videbatur in speculis vigilantes singulos permanere; ideò in quatuor partes ad Clepsydram sunt diuisæ vigiliæ, vt non amplius quàm tribus horis nocturnis necesse sit vigilare.* Eadem fermè ait Vegetius, *lib. 3. de re militari, cap. 8.* & Hieronymus *epist. 139. ad Cyprianum, & in cap. 35. Iob, & in Psal. 89. Matth. 14.* August. *sermo. 14. de verbis Domini,* Isidorus *lib. 1. de Eccl. offi. cap. 19.* Euthym. ad Psal. 129. *Custodias, ait, antiqui certas noctis partes appellabant; eo quod milites exercitibus noctem solent in quatuor partes diuidere, quibus alternatim vigilantes reliquum exercitum ab hostium insidijs custodiunt.* Harum vigiliarum mentio crebra est in diuinis literis *Thre. 2.* Primæ, *Luc. 12.* Secundæ, & Tertiæ: Quartæ, quæ & Matutina dicitur. *1. Reg. 11. Matt. 14. Mar. 6.* ac denique Christus Dominus alijs nominibus distinguit Marc. 13. *Nescitis, inquit, quando Dominus venit sero, an media nocte, an galli cantu, an manè:* quare inquit Arnobius in Psalmum 129. Prima custodia à vespere incipit, secunda ad medium noctis attingit, tertia paulum transit; quarta est vigilia matutina, quæ in hortum luminis adimpletur.

Modestus. Veget. Hieron. August. Isidor. Euthym. Thren. 2. 1. Reg. 11. Matt. 14. Marc. 6. & 13. Arnob.

8 Harum excubiarum instar, Ecclesia, vt castrorum acies ordinata, Cantic. 6. cui à Dæmonibus perpetuo parantur insidiæ, excubias clericis agendas constituit; idque nocte eo enim tempore, præsertim autore Hyllario ad Psal. 118. circa illum versum: *Memor fui nocte nominis tui Domine:* subrepunt animo impuræ cupiditates, & vitiorum stimuli, per recens assumptum cibum corpus exagitant, & corporis inquinamentis maximè occasio datur. *Multa illo tempore,* ait Ambrosius ad eundem Psal. *tentamenta proserpunt; tunc feruet carnis illecebra, tunc tentator illudit.* Iste autem excubiæ fiebant recitando singulis vigilijs noctis tres nocturnos diuini officij, & Laudes in vltima vigilia. vt ait Guillielmus Durantus *in rationali lib. 5. c. 3.* D. Th. *in cap. 14. prior. ad Cor.*

Cantic. 6. Hylla. Guilliel. D. Thom.

9 *Sed fortè dubitabis, an* omnes clerici aderant singulis nocturnis? an quidam ad primum, alteri ad secundum, alij ad tertium? mihi hoc incertum est, Dominicus verò de Soto *lib. 10. de iustitia & iure, q. vlti.* censet hoc postremum, subiungens omnes clericos simul ad laudes matutinas interfuisse, ad nocturnos verò separatim: & sic censeo; & hoc videtur consonum instituto militari, cuius argumento vsurpatæ sunt vigiliæ sacræ. Alij verò primum censent esse verum: tum quia omnes clerici tenebantur integrum officium recitare: tum, quia liberum erat cuique recitato vno nocturno se iterum somno atque quieti tradere, vsque ad proximam vigiliam.

Soto.

Demum obseruandum est has vigilias noctis non semper esse æqualis spatij, aut durationis. Nam licèt tempore æquinoctij, quælibet vigilia tres horas habere dicatur: tamen alijs anni temporibus aliquando longiores, aliquando breuiores erunt: tempore æstatis cum breuior est nox, breuiores erunt: tempore verò hyemis longiores; quia nox longior est. *Hinc colligitur,* quod ad designandas horas pro officio diuino peragendo, tam nocturno, quàm diurno, non sunt considerandæ horæ diei naturalis, sed artificialis, ab ortu scilicet vsque ad occasum; quarū horarum interstitia non semper erunt æqualia, sed augebuntur, aut diminuentur pro augmento, aut diminutione diei, ac noctis, secundum diuersa anni tempora.

Assertio tertia, iam nunc, & multo ante nostra tempora nocturni simul cum Laudibus recitari cœperunt in vna vigilia noctis. Idque permissu, & institutione summorum Pontificum indulgentium imbecillitati humanæ, quæ vix poterat conseruare illum intercallatum modum recitandi nocturnos, & Laudes separatim in singulis vigilijs noctis. Ita refert Amalarius *in apologo antiphonarum*, & ob id inquit Hugo de Sancto Victore, *lib. 2. de Eccl. officio, cap. 2* institutum est, vt nocturnum officium non concludatur oratione, sicut diurnum; eo quod simul cum Laudibus iam dici consueuit. Sed quando hæc constitutio, aut permissio inceperit incertum est. Cassianus *lib. de instit. Monach. c. 4.* ait iam suo sæculo matutinam (ea verò Laudes complectitur) quæ solebat in Galliæ monasterijs recitatis nocturnis paulò post celebrari, in suo monasterio cum quotidianis vigilijs perfici, & consummari. 16

Amal. Hugo. Cassi.

Sed dubitabit quispiam, postquam vsus obtinuit, vt nocturni simul cum Laudibus recitentur, qua noctis hora recitari debent? Duas de hac re inuenio sententias. *Prima* asserentium nocturnos, & Matutinum recitari debere in fine tertiæ vigiliæ noctis inter recessum tenebrarum, & auroræ aduentum. Ita diuus Antoninus *3. p. titu. 13. cap. 4. §. 4.* Albertus de Ferrarijs, & Nicolaus Ploue *in titulo de horis canonicis*, Gl. prag. *in titulo qualiter horæ sint dicendæ, in verbo, officium,* Robertus Bellarmi. *to. 3. de oratione.* Iuuatur hæc sententia ex regula sancti Benedicti, *cap. 8.* iubentis tempore hyemis surgendum esse ad vigilias octaua hora noctis, vt modicè amplius de media nocte pausetur. *Item* id vsu Romæ receptum esse testatur Amalarius in lib. de ordine antiphonarum, *ca. 4. Tertiò.* Christus Dominus non media nocte, sed in aurora surrexit: ergo tūc surgendū est ad vigilias sacras decātādas, vt ait Cyprianus *de oratione Dominica.* Antecedens asserunt multi Sancti speciatim D. Aug. *lib. 4. de Trinitate, c. 6.* D. Th. *3. p. q. 51. art. 4. & q. 52. art. 4. & alij.* Quartò idem colligitur ex Hymnis quos decantare solet Ecclesia in Laudibus Matutinis, qui non benè aptantur mediæ noctis tēpore: v. g. *Ecce iam noctis tenuatur vmbra, lucis aurora rutilans coruscat.* Quintò, quia 11

Anton. Alber. Bellarmi. Amala. Cyprian. Augustin.

rimis durum est, & nociuum saluti surgere à lecto media nocte, quando incipit fieri digestio cœnæ, & permolestum surgere, & ire cubitum bis qualibet nocte.

12 *Secunda sententia est* asserentium mediam noctis horam esse commodiorem, & in ea debere decantari nocturnos cum Laudibus. *Probatur ex* sanctis Patribus: *Dionys.* D. Dionysius, epist. ad Demophilum agens de B. Policarpo, ait, *Circa verò mediam noctem, quo tempore consueuerat ipse semper apud se ad diuinos euigilare Hymnos, expergiscitur quidem, & surgit*: eandem horam præ cæteris commendat Sextam. *Athanas.* Athanas. *li. de virginitate*, circa finem, *Basil.* Basil. *in reg. fusius disputat. interrog.* 37. ex Psalmista, & Apostolorum Actibus idem asserit, & Hylar. *Hyllar.* in Ps. 118. circa illum versiculum, *Media nocte surgebam, &c.* *D. Ambr.* satis luculenter, & Ambrosius ibidem, serm. 19. super versum eiusdem Psalmi, *Praueni in maturitate, & clamaui*, *Hieron.* Hiero. *epist. 8. ad Demetriad.* *Chrysost.* *cap. 8.* Chrysost. *hom. 42. ad pop. & 26. in Act. Apost.*

13 Hæc secunda sententia mihi verior videtur, & magis cõsona vsui Ecclesiæ primitiuæ: ac proinde eligenda. *Et prob.* præterea vsu omnium Religionum, in quibus viget Ecclesiastica disciplina. Imò & vsu insigniorum Ecclesiarum Cathedralium, ferè in tota Hispania. Et præterea ea hora illustrior cæteris noctis horis sine disceptatione asserenda est. Media nocte Angelus percussit Ægyptum, *Exod.* 11. Media nocte prudentes Virgines ducuntur ad Sponsum. *Exod. 11. Matt. 25.* *Matth.* 25. Media nocte Christum natum credit Ecclesia *ex* *Sap. 18.* *cap. 18. Sapient.* dum medium silentij, &c. Alias *Hieron.* mediæ noctis prærogatiuas lege apud Hier. ad Ps. 118. circa illa verba, *Media nocte surgebam, &c.*

Ad argumenta pro alia sententia respondetur, nos non damnare D. Benedicti institutum, neque aliquorum Canonicorum secularium consuetudinem recitandi nocturnos cum Laudibus initio vigiliæ quartæ noctis; sed approbare vt perfectiorem ad diuinas Laudes decantandas, & vt magis mysticam, mediæ noctis horam. Ad *secundum* Romæ, id esse receptum quoad Canonicos seculares, & Religiosos non vsque adeò reformatos. *Ad tertium.* Posset consequentia negari: quia fortassè vigiliæ sacræ non sunt institutæ ad celebrandam Christi resurrectionem. Secundò negatur antecedens ex sententia multorum Patrum Græcorum, ex Athanas. vbi sup. Gregorio Niss. oratione prima, & secunda de Resurrectione Domini, Cyrillo Alexandrino *lib. 2. in Ioan. ca.* *Nissen. Cyrill. Euthym.* 44. Euthym. *cap. 28. in Matth.* Nicephoro *lib. 1. ca.* 31. ex Latinis Ambros. *ad caput 14. D. Luc.* Hier. *epist. 150. ad Hedibiam, q. 4.* Grego. *hom. 21. in Euang.*

Nicephor. Amb. Hieron. D. Greg. *Ad quartum resp.* Hymnos illos esse compositos pro maiori parte clericorum, qui refugientes laborem vigiliarum circa mediam noctem absque dubio satisfaciunt recitantes circa auroræ tem-
14 pus. Nos verò de hora perfectiori, & spiritui cõmodiore locuti sumus. Secundò resp. Qui surgũt circa mediam noctem vt recitent officium diuinum, ferè vsque ad auroram occupantur. Ad quintum nos non negamus carnem molestè ferre surgere circa mediam noctem; sed dicimus esse aptiorem propter multa, quæ superius congessimus. Supponimus item, horã mediæ noctis esse commodiorem parcis, & ieiunantibus, quales decet esse Ecclesiasticos viros, non verò benè *Hieron.* cœnatis, & lautè potatis. Benè Hieron. ep. 22. ad Eusth. *Ad orationem tibi de nocte surgenti non indigestio ructum faciat, sed inanitas.*

CONTROVERSIA V.

De cæterarum horarum antiquitate, & quo diei tempore sunt celebrandæ?

PRima *assertio.* Omnes sunt horæ institutæ à 1
principio nascentis Ecclesiæ, vt patet ex citatis in dubitatione de numero horarũ Canonicarum. Verum est quosdam initium primæ horæ ad Cassianum referre, qui & *Cassian.* videtur hoc dicere *l. 3. c. 4.* sed multo ante primæ *Clemens.* horæ mentionem fecit Clem. coæuus Apost. *l. 8. const. Apost c. 40.* & non obscurè insinuarunt Basi. *in reg. fusius disputatu interr.* 37. Hier. *epist. 7. ad Lætã*: & de Completorio, fateor, non inuenio tam apertam institutionem apud Patres antiquiores; sunt tamen quædam quæ illud insinuant.

Secunda assertio complectitur id, quod proba- 2
bilius iudico de tempore, quo reliquæ horæ præter nocturnos, & Laudes celebrandæ sint. Nam prima hora celebrari debet oriente sole, vel paulò post. Moueor auctoritate Clementis vbi sup. *Diluculo* (inquit) *gratias agentes quoniam illuminauit nos Dominus, expulsa nocte, & inducto die.* Et Hier. e- *Hieron.* pist. 8. ad Demetri. c. 8. *Præter Psalmorum & orationis ordinem, quod tibi hora Tertia, Sexta, Nona, ad Vesperum, media nocte, & mane semper est exercendum.* Notate vocem, *mane*, quæ significat eã diei partẽ cùm oritur Sol. Benè scio non multos censere ante solis ortum in crepusculo matutino debere celebrari. Ita Hostien. Ioan. Andr. & alij *super cap. 1.* *Hostien.* *de celebratione Missarum*: sed non video quo fundamento firmo, aut probabili nitantur.

De horæ Tertiæ, Sextæ, & Nonæ antiquitate 3
nulla est apud scriptores controuersia, neque de tempore quo celebrari debeant: si in memoriã reducas id, quod superius adnotaui in dubit. 4. quomodo sint isthæc tẽpora accipienda habita ratione diei artificialis, quę interdum lõgior, interdum breuior est. Quo memorato etiam aduerte, quod vt prima hora semper celebratur in ortu solis, ita sexta finitur meridie, & vt septima incipit à meridie, ita decima secunda terminatur occasu solis. Hinc fit vt tertia in hyeme, quando dies est solum octo horarum incipit ab hora nona diei, & finitur decima, & nona hora Canonica incipit celebrari ante duas horas post meridiem, & finitur ante tres; hæc sunt intelligenda iuxta supputationem horarum diei apud Hispanos, & Gallos. Qui ista minutius contemplari velit, legat Durantum *in li. de riti. Eccl.* nobis non *Durant.* est animus ista minutula persequi.

Sed maior ratio dubitandi est de tempore diei, quo vesperæ deberent celebrari: videtur siquidem

quidem post Solis occasum vesperas recitandas. Primò, quia Vesperæ dicuntur à sidere, quod nũcupatur, *Vesper*, & decidente sole oritur. Ita Isido. *Eccle. offi. c. 22. & li. 6. Etym. c. vl.* Secundò. Quia vespertinum officium lucernatium appellatur à D. Hier. 2. *exposi. ad Psal* 118. Ex eo autem sic vocatur, quod tunc lucernæ accendi solebant. *Tertiò.* Quia Conc. Turon. 2. *can.* 4. asserit vesperas hora decima secunda celebrari; hora autem decima secunda non potest non esse in Solis occasu. Non dubito præfato tempore solitas esse celebrari vesperas antiquitus, modo verò quo plures adesse possent vesperarum celebrationi, à quibus celebritas solennitatum in Eccles. Roma. incipit, vsu receptum est, & institutum, Vesperas modicum quid post nonam decantari; retinuerunt tamen nomen antiquum. *Per quæ patet ad argum oppositum*, & pro coronide nota, iustis de causis Ecclesiã instituisse *can. solent. d. de consi. dist.* 1. in Quadragesima Vesperas esse decantandas ante cœnam, quod de publica recitatione in Ecclesia intelligendum reor. Nam priuatim post cœnam recitari nullum est inconueniens, vt ait Sylu. ver. *Hora, q. 9. Caiet. in sum. verb. Horarum.*

Isidor. / Hieron. / Syluest.

4 De Completorij antiquitate tanta quanta in cæteris canonicis horis inuenitur, non ita expressè constat, sicut de reliquis. Vnde Radul. Tungré. *de Cano. obser. pro par.* 14. affirmat Primam, & Cõpletorium post aliarum horarum institutionem addita. Quod falsum esse reor, vt cœpi dicere agens de antiquitate Primæ horæ: & de Completorio extat D. Basil. non ignobile testimonium in regulis fusius disputatis, interr. 37. *Tunc autem* (inquit) *primis se iam noctibus intendentibus tenebris sequetur petitio, vt quies, quam sumus capturi inoffensa, & ab omni perturbatione, ac vitio libera sit; qua etiam hora recitari debet Psalmus nonagesimus.*

Radulph. / Basil. / Isidor.

5 Sed rogat quispiam; qua diei parte debeat celebrari Completorium. Multi multa dicunt, existimo antiquitus Completorium ad initium primæ vigiliæ noctis ante quam iretur cubitum celebrari consueuisse. Sic insinuat Basilius modo citatus, & apertè asserit Isidorus *lib.* 1. *de officio Eccles. cap.* 21. & ex Isidoro Conc. Aquisgranense, *ca.* 118. idem colligitur ex omnibus, quæ recitantur in Completorij officiò, in Psalmis. Singulis namque, noctis fit mentio, in Hymni principio, *Te lucis ante terminũ*, & lucis vox autore Clithoueo in expositione eiusdẽ Hymni non accipitur pro luce corporis solaris, sed pro luce crepusculi, Antiphonæ similiter, *Salua nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes.* His accedit, quod Vesperæ solebãt recitari hora diei duodecima in fine diei, vt supra adnotaui; ergo Completorium iam nocte ingruente celebrabatur: at verò postea temporis successu ab hinc aliquot annis, Ecclesia sanctissimè, & prudentissimè instituit Completorium ante noctis inceptionem, & ad eum finem decantari; vt & plures ex laicis conueniant; & occurratur periculis multis, quæ noctu accidere solent; & in memoriam sepulturæ Christi Domini; nam ante solis occasum Christus sepultus est vt ait Clemens *libro* 5. *Constitut. Apostol. cap.* 16. & Diu. Ignatius *in Epist. ad Trallianos:* si plura cupis lege Doctores *cap.* 1. *de celebr. Missarum*, & potissimè Francolinum *de Hor. Can. cap.* 17. Et quidem beneuole lector, hæc hora Completorij apud viros sanctos celeberrima debet esse, & eidem interesse valde laudabile, & fructuosum: quod egregiè prosequitur Turrecremata ad regulam sancti Benedicti, *tit.* 117. & D. Ambros. *in Psal.* 118. citatus à Soto.

Clicho. / Franco. / Turrecr.

CONTROVERSIA VI.

An aliqui has horas teneantur recitare, & qui sint, quoque iure ad id teneantur?

Disputatio est de recitatione priuata, nam de publica postea dicemus. Quæ omnia negatiuè expediunt hæretici nostri temporis: Lutherus & sequaces, & ante illum VViclephus, vt videre licet apud VValdensem in initio quinti tomi, de Sacramentalibus: qui hæreticus docebat reijciendam talem orandi formam, ac deobligandos esse Ecclesiæ ministros à tam graui onere nullo sacræ Scripturæ fundamento fulcito: nobis tamen sit. 1

Prima assertio. Apprimè decorum, & per necessarium Ecclesiæ Christianæ ministros deputare, quibus ex officio incumbat Deum publicè laudare, ac Deum pro populo interpellare. *Probatur assertio.* Cultus diuinus in omni republica etiam barbarè instituta primum locum tenet præ cæteris officijs ac muneribus, vt supra docui in materia de Religione, & in cultu diuino potior, ac frequentior est oratio, ac Dei laus; ergo ad id muneris exercendi debent esse ministri deputati: tum quia homines è media plebe non pollent ea arte, & peritia, quæ necessaria est; vt cultus externus, de quo loquimur, scitè ac ordinatè exhibeatur: tum quia alijs negotijs occupati non possunt iugiter in hoc versari: ergo id præcipuè asserendum est in Ecclesia, quæ multo excellentius Deum colit, & agnoscit, ipsum esse omnium bonorum fontem, à quo speranda & petenda sunt iugiter omnia bona.

Et confirmatur, quia nulla est Respublica, quamuis barbara, quæ naturæ lumine dictante non habeat suos ministros deputatos singulis officijs, & functionibus, militiæ milites, litibus dirimendis iudices, & maximè ad cultum suorum Deorum fictorum, ad quos etiam interpellandos potissimos deputat ministros: ergo id non est negandum Ecclesiæ Dei, quæ & humanæ naturæ, & gratiæ illustratur & Spiritu sancti ductu gubernatur. Vnde Esaiæ. 62. Deus, ait, *super te Hierusalem ministros constitui custodes tota die, ac nocte in perpetuum non tacebunt:* Super quem locum Hier. docet Deum loqui ad Ecclesiam: custodes verò Sacerdotes Christianos interpretatur: & Bernar. ser. 76. in Cant. in illud: *Inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem*, vigiles intelligit Ecclesiasticos, qui in orationibus pernoctantes orant pro populo. Secundò. Etsi commune præ-

Esa. / Hieron. / Bernar.

ceptum sit toti populo Christiano, sine intermissione orare, & semper orare, ac non deficere: tamen publicis orationibus Deum colere, Psalmis & Hymnis Deum laudare certis personis fuit committendum; tum vt eorum curæ incumberet: tum quia non omnes ritè id tributi persoluerent, neque possent varijs negotijs implicati. Assertio præfata à lumine naturali docetur, vt patet ex adductis probationibus.

Sed obijciet quispiam, non inde colligi tales Ecclesiæ ministros teneri ad istarum horarum Canonicarum recitationem. *Respondetur*, id non esse de iure diuino, & naturali, sed eidem multum conforme, vt supra latè deduxi, valdeque decorum Ecclesiæ Christi; quæ determinauit tempora huius cultus; tum quia actibus publicis nisi designentur certa tempora, neque ordo esse potest, neque perpetuitas: tum quia cum ad isthæc populum interesse sit quasi necessarium, non minus erit statuere certa tempora, quibus possit conuenire: aliàs neque omnes simul concurrere esset possibile, neque etiam scire qua ratione negotia familiaria essent disponenda, ne officio diuino peragendo essent impedimento. Sed speciatim differendum est, qui sint, isti obligati ad horas Canonicas dicendas.

Sit *secunda assertio*. Tria hominum genera sunt, quibus hoc munus recitandi diuinum officium intelligatur posse incumbere, videlicet Clerici, Beneficiarij, ac Monachi. De singulis disserendum est. Et ideò sit huic controuersiæ generali annexa.

DISPVTATIO I.

An omnes Clerici maioribus ordinibus initiati, videlicet Presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi teneantur officium diuinum recitare?

1 Affirmatiua sententia communis est. Et probatur ex ca. *Presbyter* de celebratione Missarum, quod expressè tantum loquitur de presbyteris, & sub eiusdem verbis, & tit. refertur 91. d. Sed Innocentius in ca. *Dolentes*, minores etiam Clericos exprimit, nempè Diaconum, & Subdiaconum; & clarius in cap. fin. 92. d. Et facit pro hoc Canon *Eleutherius*, & Canon, *Clericus*, dist. 91 & Concilium Basiliense, sess. 21. Ac demum probatur, quia esto non exprimeretur in iure, vt aliqui contendunt, consuetudo Ecclesiæ id declarauit, vt aduertit Nauarr. *de oratione c. 7. num. 2.* Ratio, quæ mouit Ecclesiam ad hoc præceptum præfatis iniungendum, hæc est, quia istiusmodi sacris ordinibus initiati diuino cultui sunt deputati, hoc ipso quod sacris initiantur; sed Ecclesia decreuit ad diuinum cultum pertinere, & potissimè officium diuinum recitare, ergo sacris ordinibus insigniti ad illud tenentur; hac ratione vtitur D. Thom. *in quodlibeto 6. art. 8* D. Thom. quem sequuntur omnes Theologi, nemine dempto. Quæ ratio si bene expendatur, probat iure diuino præfatos ad id teneri: sed media determinatione Ecclesiæ præscientis modum colendi Deum publicè consistere in diuini officij recitatione, instar aliarum determinationum, quas fecit circa præcepta diuina, verbi gratia, communicandi, aut confitendi peccata. Maior rationis adductæ adiuuatur ex eo quod Apostoli, qui presbyteri erant, Actorum 6. profitentur se orationi, & verbo Dei instantes futuros; & Iacobus cap. 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, vt orent super eum*, quasi presbyterorum præcipuum munus sit orare pro alijs. Iuuat eandem maiorem propositionem dictum Archidiaconi in dicto Canone *Eleutherius*, quod ordini sacro annexum sit officium, certè non aliud nisi Deum colere orando; vnde in ordinatione Subdiaconorum secundùm vsum Romanum dicitur: *Videte cuius ministerium vobis traditur, & ideò si vsque nunc fuistis tardi ad Ecclesiam, modò debetis esse assidui, &c.* & in benedictione eorundem; *Vt eos in sacrario tuo sancto strenuos, solicitosque instituas cœlestis militiæ excubitores.* Ac denique hæc est communis sententia Canonistarum, & Theologorum. Ita Diu. Thom. Petrus de Palude. Gabriel. *ad quartum sentent. dist. 4.* Soto *lib. 10. de iustitia, & iure, quæst. 5. artic. 3.* Ioannes de Medina *Cod. de oratione*, & alij recentiores, & Summistæ in voce, *Canonica, & hora Canonica.* Item glossa, Innocen. Panormi. & cæteri ad caput, *Presbyter.* de celebratione Missarum, & in Clem. 2. eodem titulo.

Iacob. 5.

D. Thom. Palud. Gabriel. Soto. Medi.

2 De his verò, qui minoribus ordinibus sunt initiati maior est ratio dubitandi: etenim *glossa in Cano. finali, distinct. 92.* affirmatiuam partem tenet, & probat ex dicto Canone præcipiente non solùm presbyteris aut Diaconis, verum & cuicumque Clerico Ecclesiæ deputato officium diuinum recitare; eandem sententiam tenent Ioannes Andræas, & Panormitanus in capite primo de celebratione Missarum. *Et iuuatur secundò hæc sententia*; quia clerici minoribus ordinibus initiati deputantur diuino cultui, hoc ipso quod clericatu ornantur, quod vel ex ipso nomine apparet: *Cleros* enim Græcè, *sors* dicitur, & clerici, qui à cæteris occupationibus semoti in sortem Domini eliguntur, vt docet Vrbanus in epistola ad Episcopos, & Isidorus capite *Clericos*, 21. distinct. ergo tenentur ad colendum Deum forma, quam præscripsit Ecclesia pro Deo publicè colendo. Sed Panormitanum, & Glossam deserunt omnes Theologi, & Canonistæ, tenentes Clericos minorum ordinum, nisi sint Beneficiati, aut Monachi, neutiquè teneri ad persoluendum diuinum officium, aut quoduis aliud; ita Sotus vbi supra, & Nauarrus in opusculo de horis Canonicis, *cap. 7. num. 12. & probatur primò*, quia nulla extat lex eos ad aliquod recitandum obligans; non igitur sunt obligandi.

Andreas. Panorm.

Vrban. Isidor.

Soto. Nauarr.

3 Nauarrus tamen de his dicit primò, aliquando fuisse consuetudinem, vt Episcopi eis impo-

nerent

nerent quotidie, vel Psalm. Miserere, vel Canticum graduum, & viguisse consuetudinem recitandi, quo obligabantur, & obligabuntur, vbi fuerit talis consuetudo: benè asserit, si esset, non tamen extat, vt rectè aduertit Sotus. *Secundò dicit*, solere; & debere Episcopos ordinantes eis iniungere aliquot preces dicendas, iuxta mentem Paludani *in 4.d.5.q.15.in di. can. finali d. 92.* Paludan. Et tunc inquit Nauarrus si consenserint tenebuntur saltem ratione pacti; quinimo dico, malè faceret Episcopus eos grauans, vltra id quod tenentur: & ipsi non benè facerent consentientes, & si consenserint, iudicandum est de illo pacto sicut de alijs, quæ poterant facere cum alijs, qui non sunt Episcopi: & fortè neque illud pactum erit validum sine licentia Pontificis, quia in re graui, & quotidie onerosa. *Tertiò* dicit teneri eos ad maiores gratias agendas, quàm alij laici propter honorem clericatus susceptum: fortasse plures reperiuntur laici, qui ad maiores & plures gratias agendas tenentur propter maiora, & plura beneficia, quæ à Deo acceperunt: præterea nos tantum agimus de precibus ab Ecclesia institutis, ad quas ratione clericatus tenetur.

4 Ad *argumenta* pro Panormitano *respondetur*, illum textum, si consideretur, potiùs esse pro nobis: nam non loquitur de quibuscunque deputatis cultui diuino; sed tantum de ordine sacro insignitis, aut verò de his, qui alicui Ecclesiæ addicti sunt. *Et secundò:* quia non sunt isti totaliter, & plenè deputati cultui diuino, neque in sortem Domini electi: quod vel ex eo patere potest: quia possunt inire coniugia & renuntiare clericatui; neque fruuntur priuilegio clericali, nisi his vel illis conditionibus, vt dicitur in Concilio Trident. *seß.23.cap.de reform.* Item officium eorum consistit tantùm in præparando templa, vasa, & huiusmodi; nec habet eorum officium proximum ordinem ad Eucharistiæ Sacramentum, sicut officium Diaconi, & Subdiaconi, quo fit, vt neque Ecclesia recitandi aliquid obligationem imposuerit. Et per hæc patet ad secundum.

DISPVTATIO II.

De obligatione Religiosorum ad recitandum.

1 SEcundum hominum genus, de quibus controuerti potest, an teneantur recitare horas Canonicas, Monachi sunt; & omnes illi Religiosi, qui voto solemni Religionis adstringuntur, etiam si non sint sacris initiati, neque beneficium Ecclesiasticum habeant; dummodo sint professi Religionis, quæ choro vtitur. Consulto apposui præfatam limitationem, propter professos quarundam Religionum ordinatarũ ad quædam opera misericordiæ, vt Religio Hospitaliariorum: vel ad militiam vt Religio militaris: & propter Religiones, qui in sui initio voluerunt se ab hoc onere liberare, vt Societas Iesu. Professos harum, & similium non teneri recitare citra controuersiam est: quod si ex sua regula, aut constitutionibus ad certas quasdam preces obligentur; consulenda sunt eorum statuta; vtrum obligent ad culpam, vel duntaxat, sicut aliæ obseruantiæ, ad pœnam.

Et videtur vera pars negatiua. Primò. Quia si talis esset obligatio, ex voto solemni nasceretur, quod esse falsum inde colligitur, quia in voto solemni tantum sunt tria essentialia vota, in quorum nullo neque formaliter, neque virtualiter, præfata obligatio includitur. 2

Secundò. Hoc differt status Monachorum ab statu Canonicorum Regularium, quod istis per se competit, vt sint Clerici, atque adeò deputati Ecclesiasticis ministerijs; at verò status Monachorum per se ordinatur contemplationi, & operibus vitæ contemplatiuæ. Doctrina est Diui Tho. 2.2. *quæst.vlt.art.* 8. *ad secundum.* Et multum conformis Ius, quæ de Monachis dicunt sancti Patres, speciatim Diu. Hieronymus, & Diuus Augustinus, *relati 16. quæst.* 1. ergo Religiosi quamdiu clerici non fuerint, ex eo quod Monachi sunt non obligantur recitare officium diuinum. *Confirmatur*, & maximè; nam Monachi quos appellamus laicos (ius verò vocat conuersos) non tenentur recitare officium diuinum, vt omnes fatentur: at non sunt minus Religiosi, quàm cæteri: ergo status, aut professio Monachorum non inducit obligationem recitandi horas Canonicas. D.Thom. August. Hieron.

Tertiò. Si Monachi ex vi professionis, & voti tenerentur ad recitandum, non possent liberari ab hac obligatione, nisi ex Summi Pontificis dispensatione, sicut neque sacris initiati aut beneficiarij: consequens est falsum: nam si aliquis Religiosus, qui choro inseruit, conuersus efficiatur, quod sola voluntate Prælati fieri potest, non teneretur officium diuinum persoluere, sicut neque alij Religiosi laici: signum ergo est antea non teneri ex vi professionis suæ.

In hac dubitatione omnes tam Theologi, quàm Iurisperiti tenent partem affirmatiuam, 3 vno excepto Ioanne de Medina, qui in *Codice de oratione, quæstione*, Qualiter sit orandum in publica oratione, in negatiuam inclinat. Sed qui concorditer tenent affirmatiuam, varij sunt in assignando vnde ortum habeat huiuscemodi obligatio. Paludan. *in 4. sententiar. distinctione 15. quæstione 5. ait*, Monachos teneri ad recitandum officium diuium, qui viuunt ex eleemosynis, quæ à populo ipsis erogantur, vt pro eo orent, & vacent diuino cultui: & pari ratione etiam nouitios esse obligatos ait. Sed meo iudicio loquitur sine fundamento solido, & omnino voluntario. Tum, quia eleemosynæ non dantur pro Religiosis, vt diuino cultui vacent: hoc enim munus Clericorum proprium est; sed vt pauperes sustententur: tum, quia decimæ consignatæ sunt pro his, qui diuino cultui mancipantur, non quęcunque eleemosynæ. Quod si aliqua cœnobia sint, quæ ex decimis viuant perpauca sunt: imò neque decimæ semper dantur in mercedem pro cultu diuino, sed quandoque pro belli munere, Medina. Paludan.

vel pro inseruiendo pauperibus, vel pro aliquo simili.

Caieta. Caietanus *in Summa*, verbo, *Hora*, dicit esse standum consuetudini, sed ait se de consuetudine; nihil scire, ex vi autem suæ professionis non teneri: & quasi respondens Paludano ait, victum Religiosis deberi non propter diuinum cultum, sed ex eo quod totaliter Deo dicati sub Religio-

Antoni. nis obedientia sunt. D. Antoninus 3. *parte, titul.* 14. *capite*. 4. §. *primo*, ait teneri ex vi institutionis suæ; etenim Religiones approbat Ecclesia non solum, vt contemplationi vacent, sed etiam vt pro se ipsis, & pro Ecclesia vniuersali orent, tanquam fideles eius ministri: quamobrem debent cum Ecclesia sustentari: at orationes ministrorũ Ecclesiæ preces horariæ sunt: ergo Religiosi ex vi suæ institutionis ad horas Canonicas tenentur. Hæc diui Antonini ratio maximè probatur

Nauar. à Nauarro in *Enchiridio de oratione capite*. 7. *numero* 2. *& 5. & capite* 21. *numero*. 19. *& in Manuali capite*. 25. *numero*. 96.

Nihilominus non vsque adeò conuincit; etenim quamuis ad Rempublicam bene institutam spectet huiusmodi hominum genus egregium alere propter heroicum viuendi modum, quo Respublica Christiana decoratur, sicut ex his qui voluntariè seruiunt infirmis, tamen teneri eos alere vt ministros suos non probatur ita clarè, vt infra videbimus.

4 Sotus libro 10. *de iustitia & iure quæst.* 5. *art.* 3.

Sotus. potissimè roborare innititur partem affirmatiuã ex consuetudine immemoriali. Secundò ex eo quod Religiosi choro dicati ex sui ordinis institutione id habent, in quo accedit Diuo. Antonino, & Nauarro, probatque in hunc modum. Omnes Religiones antiquæ, quæ sub voto solemni Religionis militarũt, obligatæ fuerunt, & obligantur in communi choro officium diuinum persoluere: ergo omnes Religiosi, qui eidem muneri sunt addicti, quoties à choro abfuerint, tenentur idem officium recitare, quod in choro publico canerent. Antecedens, vt certum supponit, etenim cum Religiones instituantur, vt vacent diuinis laudibus, & hoc potissimè fiat in choro recitando Canonicas horas, Prælatus, qui id non obseruaret, & mortaliter peccaret, & meritò plectendus esset. Consequentiam verò probat: quia sicut clericus ratione ordinis tenetur recitare, ita & Religiosus ratione Religionis: sed quando abest Clericus à communi choro tenetur priuatim dicere officium diuinum: ergo & Religiosus.

5 Mihi non licet, neque placet discordare à tot, & tantorum virorum sententia, affirmantium, omnes Monachos choro inseruientes teneri ad persoluendum officium diuinum, etiam quando à choro absentes sunt. Moueor maximè ex consuetudine immemoriali huius obligationis: de qua nullus dubitat præter Medinam, & Caietanum. Sed ea consuetudo, in quo fundata sit non est facilè definire; legem scriptam in iure non memini me vidisse, aut audiuisse aliquem asseuerantem extare, præter aliquos, qui sine apparentia aiunt contineri in capite, *Licet*, de voto, vt patebit legenti. An verò habuerit ortũ ex institutione Ordinis Monachorum, vt placet Diuo Antonino, & conatur persuadere Sotus, non ita clarè perspicio; cuius occasione mihi annales peruetustos, & recentiores perscrutanti videntur dicenda, quæ sequuntur, distinguendo certa ab incertis, & magis certa à minus certis.

Primò dico: Monachos cœnobitas à principio suæ institutionis ni more habuisse horis statutis diei ac noctis diuinis laudibus vacare exploratum est. Probatur ex Sanctis Patribus, primò ex Hieronymo de scriptor. Ecclesiasti. in Philone post multa subiungit: *Ex quo apparet talem primo in Christo credentium fuisse Ecclesiam, qualis nunc monachi nituntur, vt nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper, orationi vacet, & Psalmis, &c.* Videndus necessariò est Eusebius, lib. 2. capit. 15. & 16. & 17. Gregorius Nazianzenus, oratione ad Iulianum Tribunum, sic de monachis ait: *Philosophorum cætum tibi commendo*: & post pauca: *Qui Cæsari nihil, Deo omnia habent, hymnos, preces, vigilias, lachrymas.* Vide Diuum Hieronymum ad Eustochi. Videnda sunt etiam Patrum testimonia citata superius, cùm de antiquitate Horarum Canonicarum ageremur. Sed ex hoc dicto non colligitur, monachos teneri ad recitandum, cum monachi ista desumpserint ex primitiuæ Ecclesiæ fidelibus, quos non teneri recitare certum est. Hierony. 6 Euseb. Nazian. Hierony.

Secundò dico. Partitionem monachorum cœnobitarum, id est in communi viuentium in monachos choro deputatos ad has diuinas laudes canendas, & in monachos ad ministeria laicalia cœnobitarum ortum habuisse simul cũ ipsa cœnobitarum institutione, certum esse existimo. Et probatur: quia Religiones illæ dicabantur vitæ cõtẽplatiuæ, & potissimè eius parti, quæ in diuinis Laudibus consistit, vt disserui in primo dicto: sed hæc occupatio nequibat perfectè constare, nisi essent aliqui, qui necessitatibus corporalibus, verbi gratia, victus & vestitus fratrum intenderent: ergo necessitate ducti in ipso statim initio Religionum facere compulsi sunt. Simile quid factum fuisse videmus, Actorum 6. quando Apostoli designarunt quosdam ex discipulis, qui ministerijs laicalibus deputarentur, dicentes: *Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis: considerate ergo fratres viros, &c. quos constituamus super hoc opus, nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus, &c.* Sed an in receptione nouitiorum quosdam deputassent choro, quosdam ministerijs corporalibus? an vero indifferenter nouitios reciperent siue pro his, siue pro illis ministerijs? mihi incertũ est: hoc postremum probabilius iudico factum fuisse in initio Religionũ. Probatur ex Canone, *sic viue*, causa 16. quæst. 1. *sic viue* (ait Hieronymus monacho) *vt clericus esse mereuris.* Huic nõ dissonat id quod scribit. Possidonius in vita Augustini, capit. 11. *Proficientes vero* (inquit de monachis) *doctrina diuina sub sancto & cum sancto Augustino in monasterio seruientes*, 7 Actor. 6. Posidon.

uientes, Ecclesia Hipponensis clerici ordinari cœperunt, &c. Sed Diu. Augustinus *lib. 1. de moribus Ecclesiæ capit. 33.* vbi enarrat ea , quæ ad cœnobitas tam viros, quàm fœminas pertinent, nihil huius rei meminit: signum ergo est etiam talem consuetudinem tunc non extare, quia rem tam notatu dignam non omisisset: ergo ex meritis perpendebatur quis esset dedicandus choro, non ex receptione, vt modò fit.

Tertiò dicò. Estò admittamus in primæua Religionum institutione quosdam deputari choro, non inde colligitur manifestè eos , quando absentes essent à choro teneri officium diuinum dicere. *Pro quo aduerte.* diuersam esse deputationē ad chorū respectu clericorū, & respectu nobitarū primi deputantur, vt ministri Ecclesiæ pro ministerijs Ecclesiasticis, inter quæ minorē locum vendicat insistere diuinis laudibus, & orare pro Ecclesia, iuxta normam ab ipsa institutam, quod munus exercere debent clerici, siue in choro adsint, siue absint.

Cæterùm cœnobitæ deputantur choro, vt exerceant se in diuinis laudibus, quod exercitium inter opera contemplatiuæ vitæ, cui addicti sunt, primas tenet, non verò deputantur vt ministri Ecclesiæ, pro eisdem laudibus fundendis: quare si in choro tenentur ad diuinas laudes iuxta normam Ecclesiæ, non inde inferri video eosdem teneri quando choro absunt: ergo consequentia argumenti facti à Magistro Soto non est vsque adeò euidens. Et ideo *partem affirmatiuam præfatam ego indubitanter teneo*: tum propter autoritatem ferè omnium Doctorum: tum propter immemorialem consuetudinem huius obligationis assertæ ab omnibus, quam induxisse obligationem in multis alijs videmus: nec enim omnis consuetudo obligans sui transgressores necessariò fundatur in aliqua lege.

8 *Hinc infero primò*, nouitios etiamsi sint choro deputati non teneri ad talem recitationem. Corollarium est contra Paludanum vbi supra, quem benè refutat Sotus *lib. 10. de Iust. quæst. 5. art. 3.* quia nullo nititur firmo fundamento: & præterea cum prædicti nouitij non habeant statum Religionis, sed tantùm sint in via ad illum, & similiter nec clericalem, nulla relinquitur causa cur possimus eos ad recitandum obligare, eandem docet Nauarrus esse communem *in Enchirid. de oratione, capit. 7. num. 23.* vbi fundamentum Paludan. dissoluit. Nimirum, quod præfati nouitij gaudent priuilegio Canonis, *Si quis suadente Diabolo* , quo excommunicantur percutientes clericos, & monachos: ad hoc enim facilè respondet ipse, clericum primæ tonsuræ eodem gaudere priuilegio , & tamen non teneri recitare diuinum officium.

Nauarr.

9 *Secundò infertur*, laicos professos (quos ius appellat conuersos) pari ratione non teneri, quidquid dixerit Augustinus de Anchona relatus à Diuo Antonino *3. part. titulo 13. capit. 4.* qui censuit, laicos siue conuersos teneri sub reatu peccati mortalis diuinum officium recitare , sed immeritò tam graue onus illis iniungitur , cum non sint ex professione sua diuino cultui dedicati. Tuetur hanc partem Nauarr. *loco citato:* citans pro eadem Caietanum, verbo *horarum*. Imò neque tenentur ad quasdam preces sibi assignatas magis, quàm ad alias obseruantias regulares, quæ in omnibus ferè Religionibus non obligant ad culpam, sed ad pœnam. Quod si aliqua Religio sit, in qua habetur præceptum aut votum de recitando, illud implere est necesse: hoc autem longè est à nostra disputatione, qui tantum controuertimus, an cœnobitæ ex vi suæ professionis aut ex præcepto iuris, vel alio quouis modo teneantur eo ipso quod monachi sunt.

Tertiò infertur cum Caietano in summa verbo, *horarum*, circa finem, Tertiarios Beati Francisci, aut Beati Dominici, & alios similes, longè ab hoc vinculo esse, quia vt benè notauit Nauarr. numero. 24. eorum regula, non est tam Religio, quàm modus quidam viuendi, quem Caietanus appellat religiositatem.

Ex his patet ad argumenta in principio posita. Illud verò tertium, quod Sotus magni fecit, pressius vrgendum est, maximè in eo quod asserit esse in Religionibus potestatem citra summi Pontificis autoritatem conuertendi monachum choristam in laicum. Non enim video talem facultatem concessam in constitutionibus monachorum, neque in priuilegijs, neque id fuisse factum vnquam audiui: sed illo admisso respondetur. Sicut qui beneficiarius est tenetur recitare officium diuinum , quod si renunciet beneficio, non tenetur; sic consuetudo est, vt religiosus choro deputatus teneatur recitare, quod si fiat laicus, iam non tenetur, quia desinit esse deputatus choro. 10

Resp. ad arg. in principio posita.

Argumentabitur quispiam Ergo à paritate rationis, si monachus deputatus ad chorum & nondum sacris initiatus dispensetur à Pontifice, vt in seculo viuat, iam non tenebitur officium recitare, quia extra chorum factus est: consequens est falsū: quia ille non liberatur ab alijs oneribus Religionis, quæ extra claustra potest implere. *Respondetur*, talem teneri ad recitandum, siue dispensetur in seculo viuere perpetuò, siue ad tempus , quia semper retinet statum religiosi deputati ad chorum, & ideò ad officium tenetur. Et idem dico à fortiori de monacho fugitiuo, & de eiecto per sententiam à Religione: ita Nauarrus, *cap. 7. num. 21.* & meritò: quidquid dicat Sotus *dicto art. 3.* Sed de hoc iterum redibit sermo.

Demum pro huius dubitationis coronide dico, Magistrum Aragonium in commentarijs ad 2. 2. Diui Thomæ, *quæ. 38 . articul. 12.* asserere monachos choro deputatos, si semel, aut iterum non recitarent totum officium diuinum non peccare mortaliter , si per magnum temporis spatium omittant, peccare mortaliter. *Sed hæc duo dicta mihi non cohærent.* Nam si probabile est Monachos non teneri , etiam probabile est eos non peccare non recitando , per longum tempus, imò semper. Si verò modo est certum, vel probabile eos teneri, satis superque notabilis mate-

materia est omissio officij diuini per duos dies, vt dicatur peccare mortaliter omittendo, vt patet in his, qui sacris sunt initiati: si namque per duos dies, aut per vnum integrum officium omittant, peccant mortaliter propter grauem partem omissam.

11 Maior verò dubitandi occasio se offert circa Moniales, an teneantur preces horarias recitare, quando choro abfuerint? Etenim, ratio, quæ mouit Paludanum ad asserendam obligationem in viris religiosis, in monialibus non procedit, vt pote, quæ vt plurimum non viuunt de eleemosynis populi, sed suas secum afferunt dotes, vt alantur. Ratio itidem Diui Antonini circa Religiosos, videlicet ex vi suæ professionis choro deputari quosdam, vt sint in hac re ministri Ecclesiæ, in monialibus non ita plenè quadrat, cùm fœminæ nunquam ab Ecclesia deputentur, vt ministræ Ecclesiasticorum ministeriorum, licèt quædam moniales recipiantur, vt choro deputentur, quædam verò minimè. De consuetudine verò non intercisa recitandi horas priuatè etiam quando moniales à choro absunt, audio viros doctos, & pios dicentes vigere & viguisse, alios verò dubitantes: sed ego non auderem eas ab hoc onere liberare: & hæc est communis sententia, eam tenet Cardinalis Turrecremata *distinct.* 91. §. 1. *art.* 10. Nauarrus & Sotus, *locis citatis*, & alij quamplures ex recentioribus. Quod intelligendum est de monialibus, quæ choro deputantur, non quæ alijs officijs corporalibus assignantur. Sed quid dicendum de tertiarijs, quas Hispanè vocamus *Beatas*? Respondetur. Si emittant tria vota essentialia, collegialiterque viuant conuenientes ad propriam Ecclesiam & chorum, idem censendum atque de alijs monialibus: secus dicendum de alijs tertiarijs, tam viris, quàm mulieribus, quorum institutum est quidam modus viuendi approbatus, & status, vt ait Caietanus citatus & Glossa communiter recepta in Clementina, cum ex eo, de sententia excommunicat.

Turrecre. Nauarr. Soto.

DISPVTATIO III.

De obligatione Beneficiatorum.

1 Citra dubium est. Omnes, qui Ecclesiasticum beneficium habent aut præbendam sub clericali titulo tenentur sub reatu peccati mortalis ad recitandum integrè diuinum officium. Quod dictum cum præcisione intelligendum est, ita quod sicut ordo sacer sine beneficio obligat, ita & solum beneficium absque ordine sacro. Expressum de hac obligatione præceptum non habetur in iure Canonico, colligunt tamen omnes, & benè ex capit. finali, distinctio. 91. vbi dicitur: *Si quis presbyter, aut diaconus, vel quilibet clericus Ecclesiæ deputatus*, Vbi per verba illa *Ecclesiæ deputatus*, intelligunt omnes quemcunque Ecclesiastico ministerio addictum. Item in capit. *Quod à te* & capit. *diuersis fallaciis*, De clericis coniugatis. Vbi clerici in minoribus constituti iubentur priuari suis beneficijs, si ducant vxorem, eo quod non possunt debitè vacare diuinis officijs, ergo supponitur eos ad ea obligari. Et in Concilio Lateranensi, sub Leone X. sessio. 9. capit. 9. *Statuimus* (inquit) *vt quilibet habens beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum fructus suos non faciat.* Quam constitutionem Pius V. innouauit, & ampliauit constitutione. 138. in magno Bullario Romæ. 12. Kalendas Octobris. 1571.

Probatur etiam ratione: nam beneficia clericalia dantur eisdem in mercedem propter diuinum officium recitãdum, ad nullum enim aliud obligantur beneficiati, vt sic ergo nisi exerceant suum officium, peccant, & indigni sunt beneficio. Hæc ratio habetur sæpe in iure, Canone. *Si quis sacerdotum*, Can. *eos qui*, distinct. 81. Can. finali, de rescriptis. Inde ait Glossa in §. *illud*, in verbo, *adimantur*, de militari testamento, clerico cessante ab Ecclesia cessare præbendam: & certè indiuidua ac inseparabilis est recitatio officij cum beneficio ecclesiastico, & è contra. *Dices.* Quando dicitur beneficium dari propter officium, sub nomine officij comprehendi quodlibet spirituale ministerium, sub quo multa alia includuntur, præter recitationem horarum Canonicarum, vt ministratio sacramentorum, regimen Ecclesiæ, & similia: ergo possunt dari beneficia propter alia officia præter horas Canonicas: ergo saltem in illis non habebit locum hæc obligatio. *Respondetur*, officium recitandi esse fundamentale, & annexum omni beneficio Ecclesiastico, non obstante obligatione ad aliud officium ex vi talis beneficij imposita: itaque licèt Episcopatus detur propter spirituale regimen, simul datur propter officium recitandi. 2

Idem est de beneficio parrochiali, & similibus: ita habetur communiter, & colligitur ex Concilio Lateranensi citato. Et legimus. 2. *Paralip. cap.* 31. Ezechiam constituisse turmas sacerdotales & Leuiticas per diuisiones suas, & vnumquemque in officio proprio, tam Sacerdotum, quàm Leuitarum vt ministrarent, & confiterentur, canerentque in portis castrorum Domini: præcepisse item populo, decimas dare Sacerdotibus & Leuitis, vt possent vacare legi Domini. Ecce beneficium propter officium. Huic consonat dictum Oseæ cap. 4. *Peccata populi mei comedent.* Quæ verba enarrans Anastasius Nissenus Episcopus, libr. quæstionum in Scripturam ait, *Hinc docemur, quod nos sacerdotes vescentes iis, quæ offeruntur à populo, & pro eis preces non diligenter offerentes Deo, pœnas dabimus.* Quæ desumpsit ad literam ex Theodoreto, quæstio. 10. in Leuiticum. Vnde D. Bernardus sermo de verbis Euangelij: *Væ tibi clerice mors in olla, quia populi constat esse peccata, quæ comedis sumptus Ecclesiasticos gratis habere reputas, &c.* Similia fermè dicit epistol. 2. ad Falconem. Ex hac ratione infertur cum Diuo Antonino. 3. *part. titul* 13. §. 4. *capit.* 1. *& cum Vlrico per eum citato*, & cum Turrecremata. §. 1. *distinctio.* 91. *artic.* 5. & cũ Caietano verbo *hora*, & cum alijs multis beneficiarios 3

2. Par. 31. Oseæ. 4. Anastas. Bernard. Antonin. Turrecre. Caieta.

ciarios ad preces Canonicas obligari, non solum præcepto Ecclesiæ, sed etiam ex iustitia commutatiua.

DISPVTATIO. IIII.

An beneficiatus, qui duo vel plura beneficia, vel plures præbendas possidet, teneatur recitare bis aut ter officiũ diuinum iuxta numerum præbendarum quas obtinet?

1 ET videtur vera pars affirmatiua. *Primò* nam onus respondere debet emolumento, vt ratio dictat, & habetur in Can. *charitatem*, 22. quæst. 2. sed qui habet duo beneficia duplex emolumentum percipit, nempe duplicatos fructus: ergo duplex onus subire debet, recitando bis officium diuinum. *Confirmatur.* Beneficium datur propter officium: ergo qui habet duo beneficia duplex officium persoluere debet.

Secundò. Beneficiarius debitor cõstituitur Ecclesiæ, in qua beneficiarius est ad persoluendum diuinum officium, vt habetur in capit. *Significasti*. de præbendis: ergo qui habet beneficia, vt se ab hac obligatione liberet, tenetur toties recitare preces Canonicas, quot sunt Ecclesiæ, quibus debitor est. *Confirmatur.* Si duobus conferrentur illa duo beneficia, quæ vnus possidet, bis diceretur horariæ preces ab eis, & ter si tria tribus, &c. ergo & si duo vni conferantur ille debet recitare integrum officium bis, & si tria ter, &c.

Tertiò. Si quis sacerdos esset addictus duobus sacellis ad dicendum quolibet die vnam Missam, non satisfaceret dicendo vnam tantùm, sed duas tenetur dicere: ergo beneficiarius, qui habet duo beneficia, quorum cuilibet est adiunctum onus recitandi integras preces Canonicas, non satisfacit dicendo semel, sed tenetur bis recitare.

Nauar. Propter hæc & similia doctissimus Nauarrus *tract. de oratione, capit. 22. miscella. 90.* affectuose nimis conatur persuadere hanc partem affirmatiuam, quam olim tenuerunt Guilliel. Parisiensis *in tracta. de collatione beneficiorum*, & Carthusianus *in opere, contra pluralitatem beneficiorum artic. 1.* *Guillel.* *Carthu.*

Opposita tamen negatiua, videlicet, sat esse semel recitare officium diuinum, communis opinio est, eam tenet D. Thomas *quodlibeto. 1. art. 13.* Petrus de Palude *ad 4. sent. dist inct. 15.* Henricus in capit. *Perniciosus*, de celebratione Missarum, Ioannes de Lignano *in titul. de horis Canonicis, quæst. 9. &* Turrecremata *in dicto Can. 1. dist 91. & glossa pragmat. in* §. 1. in verbo, teneantur, qualiter horæ sint dicendæ. Fundamentum horum omnium est, generali Ecclesiæ consuetudine receptum esse, vt qui plura beneficia obtinet, teneatur tantum semel diuinum officium recitare. *Confirmatur*, à simili. Quia licèt Ecclesia præceperit, vt qui habet ordinem sacrum, totum officium semel in die recitet, non ideò præcipit, vt qui habet plures ordines sacros, pluries dicat officium. Mihi autem sequentibus assertis huic dubitationi videtur satisfaciendum. *D. Thom.* *Palud.* *Henri.* *Lignan.* *Turrecr.*

Assertum primum. Beneficiarius, qui plura beneficia, aut plures præbendas obtinet licitè, videlicet ex dispensatione Summi Pontificis legitima, aut verò ex consuetudine iusta, quæ æquiualeat dispensationi, non tenetur pluries vno die recitare preces Canonicas, sat erit semel recitare. *Probatur.* Adinuentio horarum Canonicarum, insuper obligatio persoluendi, ortum habuit ex iure humano Pontificio; vt supra docuimus, sic adeò vt Papa posset ab hoc onere liberare beneficiarios: ergo qui plura habet beneficia ex dispensatione Summi Pontificis, poterit ex eadem dispensatione satisfacere, semel recitando diuinum officium. Hanc rationem & illatum nullus inficiabitur, vt reor: *sed Nauarrus ait*, Summum Pontificem dispensantem quandoque vt ab vno possideantur plura beneficia, non subinde dispensare, vt satisfaciat suæ obligationi, recitando semel officium diuinum. Cui *respondetur*, non dispensare formaliter & expresse, dispensare tamen interpretatiuè & virtualiter, & quod videns & sciens generali consuetudine esse introductum, vt tales beneficiarij nõ nisi semel recitent preces horarias, non reclamat, non contradicit, neque Episcopi, aut Ecclesiatũ Prælati renituntur: & meritò, quia hi qui legitimè dispensantur in possessione plurium beneficiorum, vt plurimum sunt benemeriti de Republica, & ob id dispensantur: huiusmodi autem viri occupantur frequenter in negotijs publicis, qui bus difficillimè, aut vix possent intendere, si bis aut ter recitaturi essent diuinum officium. Meritò igitur introducta est consuetudo, quæ æquipollet dispensationi, vt semel tantum recitando officium diuinum suo oneri satisfaciant. Hinc patet ad argumenta Nauarri. 3

Secunda assertio. Qui illicitè obtinet plura beneficia, id est sine dispensatione, aut consuetudine legitima, quæ æquiualeat dispensationi, tenetur quamdiu ea retinet, totiès recitare qualibet die diuinum officium, quotquot habet beneficia. Hoc assertum colligitur ex præcedenti. Nam si à dispensatione expressa, aut implicita prouenit, quod vnus beneficiarius habẽs plura beneficia, satisfaciat recitando preces horarias semel: ergo quando non obtinet ex dispensatione, tenebitur ad toties recitãdum quot sunt beneficia, quæ possidet: quia per se loquendo seclusa dispensatione tot debet subire onera, quot habet emolumenta. Hæc assertio probabilis est: quam tuetur Palud. & Maior vbi supra, Oppositum quidam tenent, quia esto obligaretur ad recitandum, vel vt vitet scandalum, vel vt Ecclesiæ in publico officio satisfaciat, tunc semel tantùm recitando satisfa- 4

tisfaciet, quia per se loquendo non tenetur recitare, etenim reuera non habet beneficium.

Guilliel. Et sic respondetur ad argumenta pro affirmatiua parte, quibus videtur adhæsisse Guillielmus Paris. *in tractat. de collatione beneficiorum*, & *in suo sacerd.*

V. DISPVTATIO.

An beneficiarius, qui ex beneficio nullos, aut perexiguos recipit fructus, teneatur recitare officium Canonicum?

1 RES hæc varietate opinionum est circũuoluta, quibus ne immergamur, *præmittendum est*, multis modis posse contingere præfatum beneficiatum non percipere fructus beneficij: de quibus singulis per sequentes assertiones dicendum est.

Prima. Qui habet titulum beneficij nullos habentis fructus, etiam si voluntarie illud susceperit, & videns se nullos habiturum fructus, non tenetur ad recitandum officium diuinum. Hæc assertio tenetur à Nauarro vbi supra, Caiet. in Summa verbo, *horæ*. Soto *de iustitia & iure libr*. 10. *quæstion*. 3. *artic*. 3. Palud. in 4. *dist*. 15. *quæst*. 5. Turrecremata *Can*. 1. *distinct*. 91. Et probatur. Quia beneficiarius, vt sic, eo solo tenetur ad recitandum officiũ diuinum, quia ratione illius oneris subeundi accipit ab Ecclesia stipendium: ergo si nihil accipit, & per ipsum non stat, quominus percipiat, non tenebitur recitare. *Secundò*. Iniustum est imponere alicui onus, cui omne commodum & merces denegatur, vt habetur de præbendis cap. *Cum secundum Apostolum*: & est regula iuris in 6. quæ sic habet: *Qui sentit onus, sentire debet & commodum*: ergo beneficiarius, qui nullum prorsus commodum sentit, non tenebitur ad aliquod onus.

(Nauarr. Caiet. Soto. Turre.)

Hinc infertur, eum qui iussu Sum. Pontif. assumeret titulum beneficij nullos habentis fructus, non teneri ad recitationem officij diuini.

2 *Secunda assertio*. Quando quis beneficiatus sine sua voluntate, aut culpa non recipit sui beneficij fructus, non tenetur ad diuinum officium persoluendum, dum modo careat spe recuperandi illos. Hæc assertio tenetur à Caietano, Nauarro, Soto. Ledesma, & Corduba, vbi supra, & *probatur* eisdem argumentis quibus præcedens. Quia respectu beneficiati perinde est beneficium non habere fructus, aut beneficiatum priuari spe recuperãdi illos. Et verificatur in beneficiatis, seu Episcopis designatis pro terris ab infidelibus occupatis. Apposita est illa limitatio, dum modo careat spe recuperandi fructus: nam si illam habeat saltem probabilem, tenetur: etenim quod differtur non aufertur, & in dubio probabili Ecclesiæ habenti ius ad id horarum pensum fauendum est. *Item verificatur hæc assertio* in eo, qui iussu summi Pontificis susciperet titulũ beneficij habetis fructus, sed alteri totaliter assignatos: quod vix credo à Pontifice fieri, semper enim beneficiario vel relinquuntur quotidianæ distributiones, vel ius ad petendum congruam sustentationem. *Præterea verificatur assertio in eo*, qui possidet beneficium, litigat autem de proprietate, aut possessione: quia fructus sequestrati sunt (vt dicitur) autoritate publica, illos nõ percipit, nec habet spem recipiendi: nam si certò scit illos percepturum, etiam si perceptio per multum temporis differatur, tenetur recitare, quia virtualiter habet fructus: nam, vt ait Nauarrus *vbi supra*, fructus post litis contestationem debentur actori, si vincat, etiamsi contra possessorem de proprietate litiget, tam in spiritualibus, quàm in profanis: si autem dubitet probabiliter de obtinenda lite, etiam tenetur si æqualis probabilitas est.

Tertia assertio. Habens beneficium, cuius fructus non percipit primo vel secundo anno ex præscripta & iusta consuetudine, tenetur illo tempore officium diuinum recitare. Ita Nauarrus *capit*. 7. *numero* 30. Et *probatur*, quia consuetudinem esse introductam & obseruatam licitè supponimus: & defectus fructuum in illis primis annis, per perceptionem in alijs annis sufficienter reficitur: ergo sicut alia munia beneficialia in eis annis tenetur exercere, ita & pensum horarium soluere. *Aduertenter dixi*, si illa priuatio fructuũ legitima consuetudine esset introducta, nam non est in animo examinandi iustitiam earum consuetudinum, ex quibus pleræque damnatæ sunt, & sæpius reprobatæ, quare vsui piorum standum est. 3

(Nauarr.)

Quarta assertio. Quando quis non recipit fructus sui beneficij sua voluntate, vel culpa, non propterea excusatur ab onere recitandi. *Probatur*. Quia non debet priuari Ecclesia suo seruitio propter voluntatem, aut malitiam ministrorum. *Verificatur assertio* in eo beneficiato, qui cedit fructibus suo nepoti, aut amico. *Item*, quando nisi seruiat Ecclesiæ, non dantur ei fructus, & non vult seruire. *Præterea*, quando beneficiatus est excommunicatus, vel suspensus à beneficio, & non facit fructus suos, nihilominus tenetur recitare officium. *Item*, in eo, qui propter defectum ætatis legitimæ, aut literaturæ, vel alicuius similis, non potest seruire, & ideò omnes fructus dat Vicario suo. *Verificatur* etiam in eo, qui voluntariè acceptat beneficium, & administrationem eius cum onere soluendi alteri omnes fructus, qui tenetur recitare officium, cùm volens & sciens alteri det omnes fructus, vnde onera beneficij debet subire. *Confirmatur*. Quia pensionarius postquam omninò reliquit beneficium, non tenetur recitare, vt docebimus: ergo qui accipit illud beneficium voluntariè, illam obligationem recitandi induit: alias diuinus cultus notabiliter minueretur, & Ecclesia debito seruitio priuaretur. 4

Quinta assertio. Qui habet beneficium tenue, id est, perexiguos ex eo recipiens reditus, qui non sufficiunt ad sustentationem beneficiarij, vel ad bonã sustentationis partẽ, non tenetur recitare 5

citare diuinum officium. Et intelligitur assertio siue de beneficio simplici, siue non simplici: licet ad iudicandum de tenuitate fructuum sit non mediocris differentia, cum tenuiores sufficiant pro beneficio simplici propter minora onera iniuncta. Hæc assertio tenetur à Soto, *libr.10. de iustitia. quæstio. 5. articul. 3.* Aragon 2. 2. *quæstio.83. artic. 12.* & multi alij doctissimi eam sequuntur. Et probatur primò. Quia in capite, *ne cui*, de præbendis, & cap. *si motu proprio*, eodem titu. decernitur quod quando alicui conceditur à summo Pontifice facultas conferẽdi beneficiũ alteri idoneo, non est idoneus ad accipiendum illud beneficium, is, qui iam obtinet beneficium sufficiens suæ sustentationi, potest tamen dare habenti aliud beneficium insufficiens: ergo insufficiens beneficium imputatur pro non beneficio, atque adeò ratione illius non tenetur beneficiarius recitare preces Canonicas.

Soto. August.

6 *Secundò*. Qui altario deseruit, de altario debet viuere ergo qui habet tam exiguum beneficium, vt illius fructus non sufficiat ad beneficiarium alendum etiam si miserè viuat, non tenetur ad horas. *Confirmatur*. Quia beneficiarius, vt sic non alio iure nisi ratione stipendij ad vitæ sustentationem, tenetur preces horarias recitare: ergo si stipendium sit tenuissimum, non est vnde obligetur.

Tertiò. In iure habetur, & in praxi comprobatum est, vt parum pro nihilo reputetur, licèt non semper, communiter tamen in hac materia: verbi gratia, buccella panis ad sustentationem pro nihilo reputatur: ergo quando redditus beneficiorum sunt perexigui pro nihilo reputantur, & censendum est de illis beneficijs nullos habere fructus: atque adeò sicut beneficiarius, qui nullos percipit fructus non tenetur recitare officiũ diuinum, sic neque qui perquam exiles percipit.

7 Sed admonitum esse velim Lectorem, ne ex nostra assertione occasionem errandi capiat, quod exiguitas fructuum in beneficijs non est expendenda penes dignitatem, aut necessitatem magnam beneficiarij: nam si quis habeat beneficium quinquaginta scutorum, quæ nõ sufficiũt ad alendum hominẽ nobilem, aut voracem, vel propter crebras infirmitates multis indigentem, non ideò excusabitur à recitatione officij diuini, dicens se habere exiguum beneficium, satis superque est ad sustentationem ministri pauperis, quod si non placet sibi, renunciet illud, non deerit qui acceptet illud, & recitet. Similiter, si quis habet beneficium, ex cuius redditibus non potest congruè sustentari sufficiunt tamen ad bonam partem suæ sustentationis, non ob id excusabitur à recitatione horarum.

Quæ autem sit ista bona pars necessaria congruæ sustentationi, & quod dicetur beneficium perexiguum, prudentiæ, & consilio sapientum & timoratæ conscientiæ relinquitur, iudicandum: Magister Sotus censebat eum, qui habebat beneficium, cuius prouentus excedunt summam octo ducatorum obligari ad recitandũ: ex quo colliges quanta cũ parcitate in hac re iudicandum sit. *Item ne fallaris aduertè*, si beneficium factum est tenue propter culpam, aut voluntatem beneficiati, vt si velit non residere. & ob id certam summam dat supplenti vices suas, qua summa dempta beneficium censetur tenue pro bona parte sustentationis beneficiati, tunc enim & in similibus casibus tenebitur beneficiatus recitare: quia per ipsum stat quo minus recipiat vberiores fructus in seruiendo suo beneficio per se ipsum.

Contra primam, secundam, & quintam assertionem tenent ferè omnes Canonistæ *in capit. 1. de celeb. Miss. & Clemen. prima, eodem titulo*, præter Nauarrum, qui in *tractatu de oratione, numero. 27. & 28 & cap. 21 num. 11.* media via incedit multum conformi nostris assertionibus, præterquam quintæ cui contradicit: & ex Theologis aliqui & etiam ex Summistis sententiam Canonistarum sequuntur. 8

Et pro hac sẽtẽtia *arguitur primò*, ratione fũdamentali, quæ præfatos induxit, videlicet. Quicunque titulum beneficij assumẽs voluntariè, addictus est officio & oneribus, quæ talem titulum consequuntur, inter quæ potissimum est diuinũ officium recitare: ergo tenetur ad illud siue percipiat fructus, siue non accipiat, quia videns & sciens beneficium tale acceptauit, vnde cõsequẽter onera debuit acceptare. *Secundò*, quia dato opposito aliquis efficeretur per titulum beneficialem minister alicuius Ecclesiæ, & non teneretur illi in vllo ministerio inseruire, cùm nõ sit maior ratio de alijs ministerijs, quàm de recitatione horarum: hoc autem esset ridiculum constitui ministrum, & non esse ministrum, estq; contra decretum in capit. citato, *Si clericus*, distinctio. 91. *Tertiò*. Si aliquis accipit beneficiũ habens fructus, & postea permittat, quod assignentur omnes alteri pro pensione, tenebitur recitare, quia voluntariè cessit fructibus: ergo qui in initio accepit titulum beneficialem sciens nullos fructus habere, etiam tenetur recitare, quia voluntariè acceptauit sine fructibus. *Quartò*. Pensionarius qui percipit fructus in pensionem, non tenetur ad recitandum, vt dicemus: ergò tenetur beneficiarius licèt solum habeat titulum beneficij: quia alias nullus teneretur ad officium diuinum recitandum in Ecclesia illa.

Contra quintam etiam assertionem tenent omnes citati, & Nauarrus in *dicto capitul. 7. numero. 27. & capit. 13. numero 11.* Couarrubias, *lib. 3. Variarum, capit. 13. numero, 8.* §. 12. qui alios refert, & multi alij. Probatur hæc sententia omnibus argumentis relatis contra primam & secundam assertiones, quæ à fortiori probant contra hanc quintam: Nam si habens solũ titulum beneficij sine vllis fructibus, tenetur recitare: ergo & habẽs beneficium cum fructibus quantumuis tenuissimis. *Præterea* specialibus argumentis persuadetur hæc sentẽtia. Primò beneficiũ exiguorũ fructuũ est verè beneficiũ, quod supponimus vt certum apud omnes: & ratio suffragatur, quia sufficiens est ad fruendum omnibus priuilegijs, quæ conceduntur clerico beneficiato: sed omne beneficium datur propter officium, maximè pro-

Nauarr. Couar. 9

mè propter officium recitandi Canonicas horas, vt colligitur ex dictis in præcedenti disputatione, & ex Concilio Lateranensi sub Leone X. citato: ergo qui huiusmodi beneficium habet, tenetur ad recitandum diuinum officium. Nec sat est dicere minorem assumptam debere intelligi, quando habet beneficium sufficientes redditus: quia hoc est reddere pro ratione assertionem nostram, quam argumentum conatur labefactare: qui defectus valdè assimilatur ei, quem vocauit Aristoteles petitionem principij. Et si dicat quis, omne beneficium dari propter officium, seruata tamen iustitiæ æquitate, quæ postulat, vt non exigatur graue officium, cui datur leue beneficium. Contrà arguitur.

10 *Secundò.* Ecclesiæ lex lata est vt nulli velit beneficium conferre, nisi vt obligetur ad munia beneficialia, inter quæ præcipuum locum tenet recitatio horarum Canonicarum: ergo si quis videns & sciens beneficium esse valdè tenue, nihilominus acceptat illud, consequenter se vult ad id onus obligare, & pactum virtuale inter beneficiatum & Ecclesiam validum erit, quia volenti & scienti non fit iniuria. *Confirmatur.* Nam qui sciens & volens acceptat vxorem pauperem, tam obligatus manet ad onera matrimonij ac si diuitem accepisset: & miles, qui declarata conditione acceptauit militiam cum stipendio exiguo, militare obligatur: ergo idem est in præsenti. *Confirmatur* secundo ex capite, *Clericus victum*, distin. 91. vbi de Clerico paupere dicitur, vt artificiolo vel agricultura victum & vestitum sibi paret absque officij sui detrimento: en supponitur teneri Clericum ad officium suum, etiamsi non possit ex beneficio victum & vestitum habere: quod beneficium in casu textus necesse est esse valdè exiguum. *Tertiò.* Quia quicunque beneficiarius quantumuis per exiguos percipiat redditus, habet multa alia emolumenta pretiosiora, quàm fructus, verbi gratia, gaudet priuilegio fori, & ante Synodum Tridentinam poterat ratione eius beneficij ordinari; item alij honores beneficiatis vt sic conceduntur: ergo ratione horum tenebitur onera beneficiarij subire. *Quartò.* Sequitur ex opposita sententia, quod [illegible] beneficium pingue postea successu temporis fiat tenue, vt sæpè contingit propter terræ sterilitatem, vel hostium vastationem, & similes casus accidentes, beneficiatus, qui illud acceptauit pingue, non teneatur recitare officium postea, quando factum est tenue: consequens videtur absurdum, vix enim reperiretur firma obligatio recitandi in beneficiatis, cùm sæpè beneficia extenuentur, imò & sterilicentur.

11 Non renuo, has sententias nostræ oppositas esse probabiles, nostram verò veriorem: quare respondetur ad argumenta posita contra eam. *Ad primum*, quatenus procedit contra nostras assertiones, respondeo solum titulum non plenè deputare beneficiatum officijs beneficialibus, nisi tantum inchoatiuè, deputatio autem plena fit ratione stipendij, quo si omninò careat, beneficium possessum non inducit onera beneficialia: rationem huius reddemus infra soluentes argumenta contra quintam assertionem. Ad *secundum similiter respondetur*, & insuper addo non esse rationabile conferre alicui titulum beneficiarij, si ex officio neque tempore acceptationis, neque vllo alio sperarentur aliqui prouentus: at si quis talem titulum acceptaret ab habente potestaté iubendi exercere illa officia, non propriè diceretur esse beneficiatus, imò neque haberet propriū titulū beneficiati, qui est ius ad exercēda munera beneficialia, & ad percipiendum propter illa aliquod stipendium. Vnde Religiosi, qui ex iussione Summi Pontificis, & potestate ab eo accepta pergunt ad infideles, vbi recens conuersos baptizant, & eis Sacramenta ministrant, quod est officium beneficiatorum, neque sunt beneficiarij, neque titulum beneficiatorum possident; quare ex vi illius potestatis, & stipendij sustentationis, quod à recens conuersis accipiūt, non tenentur recitare horas Canonicas, nisi aliunde teneantur.

Ad tertium negatur consequentia, quia in casu antecedentis per beneficiatium stat quominus percipiat fructus designatos pro beneficio: at in casu consequentis per ipsum non stat non recipere fructus; sed cum non sint, neque eos percipit, neque tenetur ad officia illa, quousque habeat. *Dices.* Quare voluntariè acceptat? Quia sperat, aliquando fructus percepturum, qui si non sperat non propriè beneficiū recipit, sed officiū, ad quod se potest obligare pro suo arbitratu.

Ad quartum negatur consequentia: quia talis beneficiatus sponte se abdicauit fructibus: quare si non recipit, sibi imputet, & manere debet obligatus ad recitandum.

Ad argumenta contra quintam assertionem respondetur. Ad *primum* concessa maiori, nego minorem: neque ob id committitur defectus ibi notatus, sed tantum necesse est reddere rationem illius interpretationis, seu exceptionis: ratio autē hæc est, quia Ecclesia hoc pensum recitandi Canonicum officium imposuit beneficiatis propter redditus beneficiorum recipiendos, non propter solum titulum, vt opinabantur multi ex præcitatis autoribus: & de eadem pia matre non est credendum voluisse imponere onera vltra naturalem æquitatem, & non considerata proportione inter mercedem & laborem. Igitur cùm onus recitandi sit tam graue & quotidianum, imò & singulis diei ac noctis horis incumbens, non est verosimile voluisse illud imponere suis alumnis pro tenuissimo stipendio; etiamsi reperiantur multi qui illud acceptant, maximè quia paupertate coacti illud subeunt, aliàs non subituri. 12

Ex hoc etiam patet ad *secundum argumentum*, concedendo antecedens sub limitatione posita, & negatur consequentia, quia pactum inter Ecclesiam & beneficiatum debet intelligi seruata æquitate naturali & proportione, quam valdè amat alma mater Ecclesia, erga suos alumnos, quę licet posset eos obligare sine stipendio ad recitandum, vt cum ordine sacro initiatis fecit, tamē cum beneficiatis eo rigore non esse vsam credendum est. Mitto modo, quod illud axioma, 13

volenti

volenti & scienti non fit iniuria, sæpè fallit vt statim dicemus. *Ad primam confirm. respondetur*, illud simile de matrimonio cum sponsa paupere non probare, quia obligatio alendi vxorem non nascitur ex dote, neque habet rationem stipendij, sed oritur ex natura coniugij. Ad illud verò de milite, respondetur, inhumanum esse obligare militem pro exiguo & tenuissimo stipendio: quod si acceptet, inuitus & coactus paupertate acceptat, imò quidam aiunt in hoc casu & similibus non teneri spondentem seruare pactum, sicut & faciunt accipientes beneficia tenuissima: & præterea hoc pactum exigere Ecclesiam non credo. Ad *secundam confirm. respondetur*, illum textum esse intelligendum de Clerico, qui ratione ordinationis sacræ tenetur officium dicere, etiam si nullam sustentationem ab Ecclesia habeat.

14 *Ad tertium respondetur*, ea emolumenta pertinere ad titulum beneficiati, qui honorificum quid est: at nos loquimur de redditibus, qui habent rationem mercedis pro labore, inter quæ licet non rigorosa computatio fieri debeat, tamen debet fieri ea, quæ non redoleat inhumanitatem, coactionem & inæquitatem: talis esset si pro perexiguis redditibus cogeretur beneficiatus onus graue, quale est horarum pensum, subire: alia verò onera non tam grauia & tam quotidiana, sicut est baptizare, prædicare, & similia, fortasse tenebitur beneficiarius suscipere, si illi ex officio incumbant, quamuis redditus tenues sint.

Ad quartum respondetur, concedendo illud quod pro absurdo infertur: non enim est tali dignum nomine, quando beneficiatus non est causa illius tenuitatis, vel per suam voluntatem, vel per suam culpam; quod si causa est, tenebitur nihilominus recitare: quia sterilitas seu tenuitas beneficij, illi debet imputari, nec sua malitia, aut voluntas debet illum liberare ab onere semel imposito: maximè propter culpam, aut malitiam eiusdem beneficiati, non debet Ecclesia obsequio sibi debito priuari.

15 *Et si roges*: an in priori casu quando excusatur à recitatione horarum, excusetur etiam ab alijs oneribus, putà prædicare, baptizare, &c. Obiectio non procedit, quando beneficium est simplex omni carens onere, præterquam officij diuini dicendi, si verò habeat alia onera adiuncta, putò non deobligari ab illis, etiamsi beneficium sit tenue: tum quia non sunt adeò grauia, sicut recitatio horarum: tum quia per talem excusationem Ecclesia valde damnificabitur in exteriori regimine: vnde quamdiu possidet beneficium etiam exile, tenebitur ad ea, non verò ad recitationem, ex cuius priuatione Ecclesia saltem in exteriori gubernatione non læditur.

DISPVTATIO VI.

An sint aliqui qui obligentur recitare diuinum officium ob solos redditus Ecclesiasticos perceptos sine titulo beneficij?

Dico primò. Quando aliquis recipit redditus Ecclesiasticos propter actiones aliquas corporales etiam in obsequium Ecclesiæ exhibitas, non tenetur ob id muneris, officium horarum persoluere. 1 Assertio est manifesta & communis, ac verificatur in eo, qui conducitur ab Ecclesia, vt pulset campanas, in thesaurario, in sacrista, imo & in eo, qui habet Canoniæ integros fructus ad docendum Theologiam, etiam si non est Canonicus: secus si beneficium recipiat cum onere legendi, iuxta *cap. 1. de Magistris*. Probatur, quia isti propriè non sunt beneficiarij, sed accipiunt stipendia pro suis laboribus, quod verò regulariter clerici sint, per accidens est. 2

Dico secundò. Pensionarij, vel qui ex indulto Summi Pontificis percipiunt portionem fructuum Ecclesiasticorum ex beneficijs Ecclesiasticis, non tenentur recitare officium horarium. Si assertio intelligatur de pensionibus purè laicalibus, quæ in pensionario nullum requirunt titulũ clericalem, sed indifferenter Laicis, & Clericis conferuntur, manifesta res est: quia nil spirituale in istis reperitur, ratione cuius teneantur recitare. De alijs verò pensionibus quæ exigunt in pensionarijs titulum Clericalem saltem primam tõsuram maior difficultas est, an inducant obligationem recitandi. Sed de his etiam communis sententia est non teneri ad illud: ita Medina, *quæstion. 7. de oratione*. Nauar. *cap. 7. de oration. num. 25.* Soto *lib. 10. de iustitia, q. 5. art. 3.* sed de vtrisque pẽsionarijs probatur nostra assertio. Quia eæ pensiones non habent beneficia Ecclesiastica: tum quia non dantur propter officium clericale, sed interdum ad iuuandos iuuenes in studijs literarum, interdum ad leuandam paupertatem, aliquando ad militiam Ecclesiæ necessariam, aliquando propter merita maiorum, & obsequia exhibita in fauorem Ecclesiæ, & similia: tum quia sunt portiones deductæ à redditibus beneficiorum Ecclesiasticorum. *Confirmatur*. Nam Pius V. citandus, imponendo pensionarijs nouum quoddam onus distinctum ab horis Canonicis apertè significauit ad pensum horarum non teneri.

Medina.
Nauar.
Sotus.

Rogas: Nonne ad aliquid recitandum tenentur? Respondeo, ante tempora Pij V. non tenebantur, modo verò idem Pontifex constitutionem edidit. 138. quam refert Nauarrus in *Manuali ca. 25. num. 122.* vbi præcipit omnibus pẽsionarijs Clericis, quando vt Clerici percipiunt pẽsiones, paruũ officiũ Deiparæ recitare, & aliter non faciant fructus suos iuxta proportionem inferius declarandam. Quod præceptum sine dubio obligat sub mortali: nec potest aliquis excusari dicens constitutionem illam non esse vsu receptam. Nam constitutio ipsa Pontificia citra dubium obligat, vt percipiatur, & solemniter 3

promulgata est Romæ,& inter cęteras constitutiones obligantes inserta,& per contrariam consuetudinem sciente & annuente Pontifice nõ est abrogata: quin potius à viris Doctis & timoratis seruata; & qui illam sunt transgressi, fructuũ compensationem à Pontifice postulare solent, nec sine competenti satisfactione conceditur: ergo manifestum signum est legem illam ex tacito consensu Pontificis non esse abrogatam.

Aduertendum tamen circa illam, primò, non omnes pensionarios sub illa lege comprehẽdi, sed solum eos, qui vt clerici pensionem accipiunt, vt in ea Bulla videre licet: dicuntur autem vt clerici accipere; non illi qui Clericale officium exercẽt, aliàs ad officium diuinum tenerentur, sed illi in quibus status Clericalis requiritur vt sint talis pensionis capaces, quare si pensio detur sine hac conditione, non inducit obligationem recitandi officium Virginis, etiam si detur personæ regulari Laicæ, vt militi Sancti Ioannis: etiam si aliquo modo ratione professionis persona sit Ecclesiastica,& licèt illi vt regulari detur, quia nihilominus non datur illi vt clerico.

4 *Secundò notandum est circa hoc præceptum*, pensionarios istos, qui vt clerici pensiones percipiunt, satisfacere huic obligationi, si velint officiũ diuinum recitare, quia intentio Pij. V. non fuit excludere officium diuinum, sed non imponere tam graue onus: quapropter si Clericus in sacris habeat pensionem satisfaciet dicendo horas Canonicas, licet non recitet officium Virginis, etenim si Sacerdos habens beneficium non obligatur ad maius onus, non est verosimile Pontificem pensionario Clerico maius onus imponere. Idẽ dicendum est de Clerico in minoribus habente simul beneficium & pensionem, quia Pius V. tulit eam legem propter illos Clericos, qui alio titulo ad diuinum officium non obligantur, & illis non interdixit quin possint officium Canonicum dicere,& illo satisfacere si velint, sed solum noluit eos ad hoc obligare, sed ad solum officium paruum Beatissimæ Virginis.

5 Merito dubitabit quispiam, an idem dicendum sit de præstimonia habentibus? Nam vidẽtur esse veræ pensiones, cum sint portiones quædam à reditibus beneficiorum separatæ, & (vt quidam aiunt) designatæ, vt per modum subuẽtionis vel adiutorij ad studia peragenda iuuenibus Clericis conferantur, vt commodè eruditi, Ecclesiæ postea inseruiant, ad quod seruitium non obligatur quis ex vi solius præstimonij, nisi vel detur ei beneficium, vel aliunde fuerit obligatus; ita sentit Medina *quæstion. 7. de oratione* Palacios *in 4. dist 15. quæstion. 9.* Gigas *quæstion. 28. de pens. num. 5.* Sylua *tract. de beneficijs parte. 1 quæst. 3. numer. 10.* Felino cap. *postulasti*, capite *ad audientiam. 2.* de rescrip. Cassialupus tract. *de pensio. quæst. 30.* Ij omnes negant præstimonia esse beneficia, sed pensiones; & si ita esset, præstimonia habentes tantum tenerentur ad officium paruum Beatissimæ Virginis. Nihilominus.

Medina. Palac. Gigas. Felin. Cassial.

6 *Dico tertiò*. Præstimonia habentes tenentur officium diuinum recitare. Ita Nauarrus, *capit. 27. de orat. numer. 9.* Soto *libr. 10. de iustitia*, & est sentẽtia modo communis. Probatur. Pręstimonia sunt beneficia Ecclesiastica: ergo inducunt obligationem recitandi officium diuinum. Antecedens in quo est difficultas probatur ex capit. vltimo de concessione præben. *in 6.* vbi præstimonium cum alijs beneficijs Ecclesiasticis numeratur,& in capit. *Conquerente*, de clericis non residentibus, id insinuatur. Præterea Panormitanus *in secundo volumine Consil. 47.* probat præstimonia esse beneficia, quia habent omnes proprietates beneficiorum, videlicet quod tantum personæ Ecclesiasticæ,& per prælatum Ecclesiasticum dari possunt purè,& sine pacto, & in perpetuum.& qui habeat aliquid spiritualitatis, cui annectatur, quæ omnia inquit reperiri in præstimonijs. Hæ probationes non multum vrgent, quia iura citata vel non clarè loquuntur, vel possunt interpetrari de beneficio sumpto latè & in significatione non multum propria. Sed vrgentius probatur ex constitutione citata Pij V. his verbis declarantis: *Præstimonia, præstimoniales, portiones,& qualiacunque alia beneficia, etiam nullum seruitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter comprehendi*: Ecce nostram assertionẽ Pontificia autoritate stabilitã, siue quia voluit Pontifex præstimonia annectere officio diuino recitãdo, siue (quod certius credo) quia semper erecta fuere ad id muneris; nec enim repugnat quod ad iuuandos iuuenes, & simul habuerint annexum onus recitandi.

Nauarr. Soto.

Sed quid dicendum sit de Capellanis, hoc est de illis, qui stipendia accipiunt pro dicendis Missis, vel in Ecclesia communi plebis, vel in aliquo speciali sacello.

Dico quartò cum communi sententia, Capellaniæ collatiuæ inducunt obligationem recitandi diuinum officiũ; non verò Capellaniæ nõ collatiuæ. *Explicatur assertio.* Capellaniæ quædam sunt, quæ eriguntur autoritate Episcopi, siue dotentur ex bonis laicorum,& ius præsentandi illis reseruetur, siue ex bonis Ecclesiasticis pro seruitio Ecclesiæ,& istæ collatiuæ dicuntur. Capellania non collatiua est, quæ dotatur ex bonis Ecclesiæ vel laicorum, quibus certa bona relinquuntur cũ hoc onere, vt qui ea susceperit tot Missas dicat, hæc vel illa faciat. Hoc supposito probatur prima pars assertionis. Quia ex capellaniæ sunt verum beneficium Ecclesiasticum, vt patet ex Panormitano, in assertione præcedenti: ergo inducunt obligationem recitandi diuinum officium. *Secunda pars patet ex opposito.* Quia non sunt illæ Capellaniæ beneficium Ecclesiasticum, eo quòd repugnat beneficiũ Ecclesiasticũ institui, vel cõferri. nisi à prælatis Ecclesiasticis, ad quos spectat constituere ac deputare in ministros Ecclesiæ. Hæc assertio communis est, eam tenent omnes Theologi,& Syluester, verbo hora, *quæst. 2. §. 2.* aduertens quod licèt is, qui habet Capellaniam collatiuã, non possit per se illi satisfacere in Missis, vel alijs oneribus subeundis, quia est puer vel impeditus,& ideo per aliũ seruit, nõ excusatur ab obligatione dicẽdi officiũ per se, quia ipse est verus beneficiar[9], & on[9] recitãdi personale est beneficiatis, vt dicitur Clementina. *1. de celebr. miss.* 7

Syluest.

Duo

Dico quintò. Is qui habet à legitimo beneficiario commendatam totam adminiſtrationem alicuius beneficij, vel à Prælato, etiamſi illa commendatio non ſit erecta in titulũ beneficij, neque in perpetuũ cõferatur, tenetur ad dicẽdũ officiũ diuinũ. Ita docent Medina. Ledeſma, & Nauarrus *ſupra numer.* 16. Patet. Quia inter pertinentia ad adminiſtrationem alicuius beneficij recitatio horarum computatur. Et ſi obijcias, hunc commendatarium non eſſe beneficiatum: ergo non eſt vnde obligetur ad diuinum officium. *Item,* quia legitimus beneficiatus manet cum illo onere recitandi, quia perſonale eſt vt dicebamus: ergo quando à commendatario exigitur cura totius adminiſtrationis beneficij intelligenda eſt exactio omnium officiorum, quæ beneficiarius poteſt in alterum transferre. ¿Ad quid enim ſi ipſe obligatus manet, petit ab altero fieri quod ipſe non poteſt delegare?

Medi. Ledeſm. Nauarr.

9 Ad *primam obiectionem reſpondetur* non obligari talem commendatarium ratione beneficij, ſed ratione pacti inter eum & illum, qui poteſt ei adminiſtrationem integram beneficij committere. *Dixi,* integram adminiſtrationem, quia ſi committatur cura exterioris regiminis vel alterius ſimilis, ad id tantum tenebitur quod illi commendabitur, non verò ad dicendum diuinum officium: verbi gratia, ſi beneficiatus abſuturus propter negotia commendet amico, aut mercenario, vt pro ſe toto illo tempore inſeruiat, non tenebitur ſubſtitutus ille ex vi illius oneris recitare, maximè, quia proprietarius tenetur ſemper ad illam obligationem recitandi. Et huiuſmodi videntur eſſe omnes commendæ factæ priuata autoritate beneficiatorum; nam quando fiunt authoritate Prælatorum, præcipue Summi Pontificis, diligenter examinandæ ſunt literæ, ſeu verba commendantium, vt ex eorum tenore iudicetur ad quid commendatarius teneatur.

Ad ſecundam obiectionem reſpondetur. Quando beneficiatus proprietarius potens eſt recitare, fiuſtra priuata horarum recitatio alteri commendaretur, ſaltem non videtur illi eſſe ponendum tantum grauamen: contingere autem poteſt beneficiarium non poſſe recitare, vel quia puer eſt, vel quia aliàs impotens ad recitandum, vel quia vacat Eccleſia Parrochialis, & in his & ſimilibus Vicario rectè demandatur cura totius oneris beneficiarij, ad quod pertinet horarum recitatio: & tunc teneatur ille Vicarius ratione pacti, vt dictum eſt, aliàs Eccleſia obſequio horario ſibi debito priuaretur.

10 *Dico ſextò.* Coadiutores beneficiatorum cum ſpe certa futuræ ſucceſſionis mortuis beneficiatis (quod maximè eſt in vſu noſtris temporibus, erga Canonias Eccleſiarum Cathedralium, & collegiatarum Hiſpanienſium) non tenentur recitare officium diuinum, niſi aliter diſponatur à Pontifice in Literis coadiutoriæ. Ita Medina *de oratione quæſt.* 7. & Nauarrus, *capit.* 2. *num.* 18. Probatur prima pars aſſertionis, quia illa coadiutoria non eſt beneficium Eccleſiaſticum: ergo non obligat habentes ad recitandum, non enim apparet vnde poſſet obligare, niſi ex hoc capite. Antecedens eſſe ex ſententia omnium docet Nauar. in cap. *Si quando,* de reſcriptis. *prælud.* 5. *num.* 10. Dicet quis. Habet ius ad beneficium mortuo priori poſſeſſore.

Medin. Nauarr.

Contrà ſecundò. Filius Regis habens certam ſpem Regni non eſt Rex, neque tenetur ad onera regalia: ergo neque coadiutor, qui ſperat eſſe Canonicus, eſt Canonicus, neque tenetur ad onera Canonicorum; quia non habet principium vnde talis obligatio naſcitur. Confirmatur. Nam Paulus V. in quodam breui dato anno. 1606. quod teſtatur ſe vidiſſe Franciſcus Suarez, ex Societate Ieſu, declarauit coadiutores Canonicorum non eſſe verè Canonicos, neque pro talibus habendos viuentibus coadiutis: idem ergo eſt de coadiutoribus in quibuſcunque alijs beneficijs. *Tertiò.* Obligatio recitandi ſemper manet apud proprietarium: ergo per ſe loquendo non obligat coadiutorem, nam ratione vnius beneficij non obligantur duo ad recitandum.

Secunda pars aſſertionis, quæ eſt exceptio prioris manifeſta eſt. Nam ſi in literis coadiutoriæ imponatur hoc onus coadiutori, ratione pacti impliciti contenti in receptione coadiutoriæ tenebitur. *Contra hanc aſſertionem arguitur.* Nam talis coadiutor ex vi coadiutoriæ habet vocem in capitulo, ſedem in choro, ſaltem in abſentia proprietarij: ergo inter Canonicos verè computatur, & vt talis tenebitur recitare. Confirmatur primò. Quia coadiutor datus Epiſcopo ex voluntate Summi Pontificis, eſt verè Epiſcopus, vt ait gloſ. per textum in capit. *non autem.* 7. quæſt. 1. verbo. vt non ſuccederet: ergo coadiutor datus Canonico autoritate Papæ, eſt verè Canonicus, ac conſequenter recitare tenetur. Confirmatur ſecundò Quia inſtitutus in Canonicum, ita vt habeat ſedem in choro, & vocem in capitulo, licèt ſit ita inſtitutus ſine præbenda, vt primam vacantem obtineat, tenetur ad horas recitandas: maximè ſi diſtributiones accipiat, vt docent Turrecrem. *diſt.* 19. *quæſt.* 14. & Palud in 4. *diſt.* 5. *quæſt.* 5. ergo à fortiori tenebitur coadiutor. 11

Gloſſ. Turrec. num. 5.

Secundò. Coadiutoria eſt ius ſpirituale ordinatum ad habendum rem ſpiritualem, videlicet beneficium, & propter illam Canonicus recipit congruam ſuſtentationem ex reditibus Eccleſiæ, vnde neque vendi poteſt hoc ius ſine vitio Simoniæ: ergo in vi huius iuris coadiutor coaptatur inter miniſtros Eccleſiæ, & ordinari ſolet hoc ſolo titulo atque ex conſequenti tenebitur officium diuinum recitare.

Ad *primam obiectionem reſp.* negando conſeq. illa enim enumerata in antecedenti ſunt priuilegia conceſſa coadiutoribus, & pleraque ad adiuuandum proprietarium, quæ non efficiunt verè Canonicũ, niſi tantũ in ſpe: ſicut neque filiatio regia non facit regẽ, niſi tantũ in ſpe: neq; habet coadiutor ius in re, id eſt in Canonia, ſed ad rẽ, in cuius ſignum poſt mortem proprietarij nouã poſſeſſionem accipere debet, & incipiet facere nouam reſidentiam, quam ſolent facere noui Canonici: vt habetur in dicto Breui. *Ad primam confirmationem* nego antecedens niſi Papa præter 12

solitum faciat duos Episcopos eiusdem Episcopatus, quod nunquam fecit, quod ego legerim. Ad *secundam confirmationem* negatur consequentia. Quia in casu antecedentis ille est verè institutus in Canonicum pro prima vacante, in casu verò consequentis nequaquam, sed tantùm datus est in coadiutorem. Ad *secundam obiectionem negatur consequentia*, etenim quamuis coadiutoria sit spiritualis, & pro illa accipiatur stipendium, vt in Capellanijs non collatiuis contingit; tamen per illud non plenè deputatur coadiutor cultui diuino, quousque obtineat beneficium: neque nos cognoscimus aliud principium, vnde nascatur obligatio recitandi diuinum officium, nisi ex sacro ordine, monachatu, & beneficio, quorum singulis supponimus carere coadiutorem: quod si aliquando viderimus iuxta Literas Pontificias coadiutori imponionus recitandi officiũ horariũ, iam præmonuimus, id prouenire ex pacto implicito, non ex vi coadiutoriæ, de qua est nostra disputatio.

CONTROVERSIA VII.

An hi, quos diximus ad recitandum Canonicas preces teneri, aliquãdo ab earum recitatione excusentur, & quas ob causas?

1 ET quidem plures esse causas, propter quas præfati ab hoc onere deobligentur, nullus ambigere debet. Prima est ægrotatio: ita habetur cap. *Ad audientiam.* De clerico non residente, & distinction. 91. in principio, & Can. *Clericus victum*, eadem distinctione: ægrotatio autem grauis esse debet, vt iustam excusationem inducat: nam si leuis est morbus, minimè excusaretur, arg. l. *quæsitum*, de re iudicata: ita Innocentius, & Panormitanus in cap. 1. de celebratione missarum, Turrecremata Can. *Eleutherius*, dist. 91. & cæteri omnes antiqui, & moderni. *Ratio* huius excusationis est, quia laborans graui morbo non posset recitare preces horarias sine detrimento suæ salutis; at pia mater Ecclesia non obligat suos alumnos ad hoc, eo quod moraliter censetur impossibile. An verò morbus sit grauis vel leuis, item an horarum recitatio noceat saluti ægrotantis, consulendi sunt medici modesti, non audaces, aut alij viri probi, & intelligẽtes, quorum arbitrio in hac parte standum esse perspicuum est. *Sed rogas*, consulendi sunt medici spirituales, puta prælati? Nauarrus in Enchirid. *de oratione cap.* 21. ait, non esse necessarium. Alij verò affirmant, ita Syluester *hora*, quæstion. 4. Soto de iustitia *loco superius citato* Nicol. Postnoniens. *in tract. de horis Canonicis.*

2 Puto autem esse distinguendum. Nam si medicus corporalis asserit morbum esse grauem, & non esse dubium, quin recitatio horarum nocebit ægroto, non est necesse recurrere ad Prælatũ, neque ad spiritualem medicum; quia impotentia ægroti ad recitandum clara est, & in hoc habet verum sententia Nauarri. *Cæterum* si medicus corporalis dubitat aliquantulum, in re dubia necessaria est licentia prælati dispensantis, vt colligitur ex D. Tho. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 4. Sed caue tũ, qui recitare teneris, ne ob leuiculum detrimentum te existimes excusatum; si namque febris non te vexat per totum diem, & ante vel post febris inuasionem commodè recitare potes teneris, vt notant Hostiensis *cap.* 1. *de celebratione Missarum*, & Nauarrus *vbi supra cap.* 11. *nu.* 4. & 5. denique in hac re sequere consilium medici probi. D. Tho. Hostien. Nauar.

Demum pro solatio scrupulosorum aduerte, quamuis ægrotus attendat ludis, comœdijs, aut similibus, non subinde infertur à recitatione nõ excusari: tum quia ista ludicra potius alleuiant infirmitatem, quàm aggrauent. Secus seriosa: tũ quia esto grauent, non subinde eneruatur ratio excusationis à recitando, sicut qui excusatur à ieiunio carnium propter infirmitatem, non obligatur ad illud si comedat nociuum cibum quadragesimalem; nec peccat contra legem ieiunij Ecclesiastici, vt aliqui ignoranter putant.

Sed circa hanc causam excusationis ab onere recitandi suboriuntur quædam dubitatiunculæ, quibus satisfaciendum est.

Prima est, an quando morbus talis est, qui impediat recitationem, non auditionem horarum, teneatur infirmus eas audire ab alio recitante, aut legente? Gerardus *tractat. de assiduitate orandi. quæstion.* 1. tenet partem affirmatiuam, & citat pro ea Hostiensem. Oppositam sententiam censeo veram cum Nauarro in *Enchiridi. cap.* 11. & *in Manuali cap.* 25. *num.* 100. nec oppositum sentit Hostiensis. Et *probatur nostra sententia*, quia non obligantur diuinis officijs deputati ad auditionem, sed ad recitationem; vt patebit discurrenti per iuris paginas; nec consuetudo est audiendi, sed recitandi: ergo qui excusatur à recitatione, nõ tenetur ad auditionem. Sed hoc dictum est restringendum ad eos, qui per se recitant: nam qui recitat cum socio tenetur ipsum audire suam partem sonantem, vt latius dicetur inferius. 3 Gerard. Nauar.

Secunda dubitatiuncula, an qui non potest dicere preces horarias solus, potest autem cum socio, teneatur quærere socium, cum quo recitet? Et *videtur vera pars affirmatiua. Primò* quia ille vt supponimus obligatur dicere officium diuinum, & apponere media congruentia, vt dicat, sed in casu medium conueniens & vsitatum valdè est recitare cum socio: ergo tenetur quærere, vt recitet. *Secundò*, quia multi sunt, qui cum non ægrotant, semper recitant cum socio: ergo quando infirmantur, tenebuntur isti hoc medio recitare. *Confirm.* quia dato opposito sequeretur Clericum prædiuitem, qui quando sanus semper vtebatur socio sibi familiari pro recitandis diuinis officijs, excusari ab hoc onere propter oculorum dolorem, vel quemuis morbiculum impedientem à lectione horarum, & inuentione dicendorum, quam poterat supplere per socium in infirmitate, sicut supplet in bona valetudine constitutus. Nauarr. loco citato tenet hanc partem adeò firmiter, vt cẽseat beneficiarios diuites teneri quærere 4 Nauar.

rere ſocios, etiam mercede conductos, vt recitent preces horarias ſi ſine ſocio non poſſint. Rigoroſa ſententia certè.

Mihi oppoſitum placet, quia nemo obligatur niſi ad recitandum officium diuinum appoſitis medijs neceſſarijs ad recitandum: quærere autem ſocium eſt medium cadens ſub conſilio, non ſub obligatione. Fateor ſi ſe offerret facilis commoditas ſocij, non excuſarem non recitantem, cæterùm non obligarem ad inquiſitionem diligentem ſocij.

5 *Ad primum* verò pro parte affirmatiua, *reſp.* tãtum obligari ad media, quæ ſuaptè natura neceſſaria ſunt ad recitationem; quale eſt Breuiarij emptio, tempus opportunũ quærere, & ſimilia: quærere vero ſocium erit medium laudabile, ſed non neceſſarium.

Ad *ſecundum reſp*. negando conſequentiam: quia illud medium quærere non eſt in præcepto, de cuius obligatione loquimur. Ad *confirm. reſp.* Ille de quo in caſu confirmationis tam præſtò habet ſocium, ſicut Breuiarium: vnde propriè non quærit ſocium: à qua ſolicitudine tantum nos liberamus eos, qui officio diuino incumbunt.

6 *Dubitatiuncula tertia*, an qui ob ægritudinem, aut ob aliam quamuis cauſam impotes redditur ad exoluendum totum diuinum officium, manet verò potens ad recitandum partem, excuſetur omninò à recitatione horarum? an verò teneatur partem recitare, ad quam potens eſt? *Et videtur*, quod iſte talis non recitare teneatur partẽ, quam poteſt, *Primò* quia ille, qui tenetur ad aliquid faciendum, ſi non poteſt facere totũ, quod iubetur, tenetur facere partem, vel totum eo modo quo poteſt. Exẽplũ aptiſſimũ eſt ſumptũ ex cap. *cum dilecti*, de dolo, & contumacia, vbi dicitur: *Si quis citatus eſt apparere coram iudice certo die; ſi illo die commodè id nequit præſtare, tenetur ad cõparẽdũ quãdo cõmodè potuerit.* Itẽ qui tenetur ieiunare aliquo certo die & conſequẽter abſtinere à carnibus, & nõ comedere bis illo die, ſi excuſatur à ſeruanda vnica tantum comeſtione, nõ ſubinde excuſatur à

Caiet. carnium abſtinentia, vt doctè tradit Cai. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 7 ergo pari ratione, qui tenetur recitare totum officium diuinum, ſi excuſatur ab eo recitando integre, vel propter ægritudinem, vel alia quauis de cauſa, non excuſabitur à parte aliqua recitanda, ſi ad eam potens eſt. *Confir.* quia præcepta Eccleſiæ ſi nõ poſſunt adimpleri in totum, pro ea parte qua adimpleri poſſint, addimplẽda ſũt: ergo præceptũ Eccleſię de integrè dicẽdo diuinum officium, ſi non poteſt adimpleri in totũ, in partem erga quam potentia eſt, adimplendũ eſt. *Antecedens* multis exemplis oſtenditur, qui nõ poteſt ieiunare totam Quadrageſimam, partem, quam poteſt ieiunare tenetur, vt omnes Theologi affirmant *in* 4. *d.* 16. Item qui vouit ſeruare caſtitatem, & contrahit matrimonium, licet non poſſit eam ſeruare omninò, quia tenetur reddere debitum coniugi petenti, tenetur tamen ſeruare qua parte poteſt, & non debet exigere. Itidem iuramẽtum quod non poteſt ſeruari in totum, ſeruandum eſt quoad partem. Nam ſequeretur eum, qui caret Breuiario, ſi memoria tenet magnam horarum partem alias verò particulas ignorat, non teneri recitare neq; vllum verbum. *Item*, ſi quis ſua culpa, vel ſine illa diſtulit horarũ omniũ recitationem vſq; ad horam vndecimam noctis, non tenebitur recitare partem, quia intra illas temporis anguſtias non poteſt omnes horas recitare, quæ omnia abſurda videntur.

¶ Pro alia parte non deſunt argu. *Primò*, quia omnes horæ diei vnica hora, & vnicum diuinum officiũ cenſetur: ergo qui excuſatur ab eo integrè recitãdo abſolutè à quauis parte recitanda excuſatur. *Confir.* qui fit impotens ad non ſeruandã vnicam comeſtionem, quæ ad ieiunium exigitur, non tenetur per totum diem amplius ieiunare, ſed poteſt refici ter aut quater pro ſuo arbitratu: ergo idem dicendum in noſtro caſu. Item qui tenetur adire Romam, ſi non poteſt perficere iter integrum, non tenetur dimidium abſoluere quod poteſt. 7

¶ *Secundò*. In officio diuino integra Eccleſia conatur repræſentare quæ Chriſto domino acciderunt in ſua paſſione, vt patet ex multis, qui de hoc accuratè ſcripſerunt: & nos aliqua retulimus ſuperius, cum de numero horarum Canonicarũ agebatur: ergo qui recitando totum officium nequit repræſentare omne Chriſti paſſione, nõ tenetur partẽ recitare, cui deeſt finis Eccleſiaſticæ inſtitutionis circa Canonicas horas. *Confirmatur*. Nam ſi quis vouiſſet quolibet die recitare primã horã, & non poſſet integrè recitare, non tenetur ad partem: ergo qui excuſatur à toto officio, excuſabitur etiam à parte.

Tertiò, quia vix aut nunquam reperiretur aliquis infirmus, qui omnino excuſaretur à recitãdis horis, cũ vix reperiatur vllus infirmus cæcus, aut aliter impeditus (maximè ſi diutius cõſueuit recitare) qui nõ poſſit ſaltem aliquam partem officij diuini perſoluere commode ſine vllo ſalutis detrimento: quos tamen ad hoc obligare durum videtur.

Argumenta hæc rem dubiam faciũt pro vtraq; parte probabilem, mihi tamen videtur incedendum media via ſecuriori: Nempè diſtinguendo, nam ſi ea pars officij diuini, ad quam recitandam eſt quis potens, non ſit minima, aut ſaltem nõ ſit minor pars officij diuini, quin potius maior, qui excuſatur ab officio diuino integrè recitando propter impotentiã, non excuſabitur ab ea parte recitanda, ſi tamen in ea parte cõſeruatur forma officij Eccleſiaſtici. *Dixi*, ſi in ea parte conſeruatur forma officij Eccleſiaſtici: quia ſi aliquis, v.g. cęcus aut Breuiario carens ſciat memoriter quatuor Pſalmos ex diei horis, & ſeptem ex nocturnis non ob id tenebitur eas recitare, quia licet hæc fortaſſe ſit maior pars totius Eccleſiaſtici officij, non tamen ſeruatur in eis vllo pacto forma officij, aut alicuius horæ. Ratio huius dicti eſt, quia maior pars horarum ſub officij Eccleſiaſtici forma totum officium, aut quaſi totum reputatur, à quo non excuſatur, qui potens eſt propter impotentiam. 8

Ex his infero primò. Qui propter impotentiam excuſatur

9 excusatur à matutinis dicendis, non subinde excusatur à reliquo diei officio: secus qui excusaretur à matutinis & horis antemeridianis: nam licet possit recitare vesperas & completorium nō teneretur:& sic de alijs iudicandum est ex consilio viri prudentis,& probi decernentis,quæ dicitur maior pars,& quæ dicatur habere formam officij Ecclesiastici.

Ad argumenta pro vtraque parte quatenus militant contra nostram sententiam facilè erit respondere, benè animaduerso fundamento eiusdem sententiæ;etenim in maiori parte officij diuini manet sub forma Ecclesiastici officij tota substantia,vel fermè officij Ecclesiastici, & eius significatio seruatur, non verò in qualicunque minori parte.

10 Secunda causa excusans à recitando est naturale impedimentum,aut si quid repentè & subitò accidit quod lectionem aut recitationem precum impediat,neque illud prætermitti possit sine peccato vel scandalo, vt si suborirentur tumultus Populi, quibus sedandis tota dies occupanda esset, aut si aliquis esset solemnis concionator,cui ad vitandum scandalum ornanda esset concio, cuius præparatio insumeret totum diem. Idem dico, si plurimum interesset vel rei publicæ vel priuatæ personæ habere prælectionem,vel conclusionum defensionem in concursu publico,vel si totus dies impendendus esset in obsequio infirmorū carentiū seruitore,vel quid quid simile.De hoc vidēdus est Hēr.de Gandau. *quodlib.*15.*q.*10.Ioan.Maioris.*ad quartum sent. d.* 12.*q.*6.Sylu.*in voce hora.q.finali.* Nauar. *de orat. c.*11.

Henr. *Maior.* *Syluest.* *Nauar.*

11 *Tertia causa* excusationis à precum Canonicarum oratione est carere Breuiario, sine quo soluere debitum horarum est impossibile ; nemo autem ad impossibile tenetur. Ista autem Breuiarij carentia accidere potest sine culpa recitaturi,vt si fortuitò perdat illud, & tunc nulli dubium,cum carens illo habeat legitimam excusationem non recitandi: si verò sua culpa careat, vel quia non emit, aut proiecit, vel quocunque modo alio culpabiliter non habeat, M.Sotus *vbi sup.* affirmat non excusari: ego verò cum Nauar. iam citato,& Palud. existimo, quod quamuis peccet recitaturus vel negligēdo emere, vel proijciendo,si tamen pœniteat, quamdiu non esset in eius potestate Breuiarium habere,excusabitur à precum recitatione.

Dubitabis fortè:caret quidem Breuiario, sed memoria tenet recitanda, vel maiorem partem, tenebiturne recitare? M. Sotus dubitat de hac obligatione, quia tenacitas illa memoriæ accidentaria est:idem dicit de cæco, aut oculis caligante,ita vt legere nequeat. Mihi verò & alijs videtur sine cunctatione resp.teneri, quia licet nemo teneatur memoriter discere, vt recitet, quia tantum obligatur dicere officium diuinum siue legendo,siue recitando: tamen quomodocunque fiat potens ad recitandum, siue ex libro, siue ex memoriæ tenacitate, tenebitur certè. Itaque memoriter scire accidentarium est obligationi, id est non est medium necessarium, ad quod quis teneatur; si tamen habeatur talis memoriæ tenacitas faciendo ministrum potentem ad recitandum, indirectè inducit obligationem:sicut si quis teneatur adire Romam,non tenetur equum emere,vt eat,quia pedester poterit pergere , & accidentarium est illi habere equum,quod si habeat , & fiat potens ad perficiendum iter debitum,tenebitur: aliàs excusabitur si carens equo non valet pedester iter Romā perficere.

Ad has causas potest reduci quarta, quam latè prosequitur Diu.Ant.2.*p.ti.*9.*c.*12.§.3. videlicet 12
excusari à recitatione quarundam partium officij propter occupationem necessariam, vt officium diuinum tam precum, quam Missæ celebriter fiat,v.g. si quis occupatur in quærendo Ps. vel dicenda in choro quando iam cœptum est officium,vel transferendo libros ab vno loco in alterum,vel in præparando prunas ad thurificādum,vel iussa maiorum, aut nuntia in choro intimando,vel quid simile. Hi omnes si propter præfatas occupationes aliquot particulas, non vsque adeò notabiles,non recitauerunt,aut non audierunt,recitare excusantur, nec tenentur iterum recitare. *Ratio est*, quia sicut qui cū socio recitat dimidium officij censetur integrum recitare propter communicationem , sic qui propter occupationes prędictas omittit quasdam horarum particulas,censetur eas dixisse chorum, qui existimatur supplere particulas illas pro eo,qui cum eodem communicat in supplendo necessaria ad celebritatem officij diuini. Idem dico de eo,qui, vt benè pronunciet lectionem in choro sibi iniunctam, occupatur, dum chorus canit, in ea prælegenda:excusatur namque ab auditione,aut recitatione eorum,quæ tunc à choro dicuntur.

Antonin.

¶ *Et si obijcias.* Iste, sicut & præfati tenebantur hæc præuenire, antequam officium diuinū inciperet celebrari. Resp. aliquando non, sed subito illi iniungitur:imò si negligens fuit in præparādo ea,quæ illi incūbebant pręparari,peccauit quidē peccato improuidentiæ; cæterum excusabitur à recitatione prædictarum particularū, nisi negligētia affectata esset,quæ reduceret actum:in naturam suæ formæ,sicut dixi de eo , qui culpabiliter perdidit Breuiarium. Idem & propter eandē rationem dicendum est de ijs, qui dicunt vnum versum in choro,& pro alio pulsatur in organis, quamuis à nemine proferatur,quod organa modulantur. Et addit *Sotus* se nescire, an ille qui in organis in choro respondet, teneatur postea officium soluere, quia in primitiua Ecclesia tātum erat vnus liber in choro : quod si sermo sit aliquibus particulis,non dubito;de toto verò officio dubito valdè, quia aliàs aliquis potens recitare persolueret debitum horarium sine vlla recitatione ,aut auditione aliqua. 13

¶ *Quinta causa* excusationis ab horarum recitatione est legitima dispensatio, quam quidam putant posse fieri ab Ep.& Ger.*vbi sup.* quem impugnat Nauar.in Ench.c.11.n.14. Alij dicunt neque à Summo Pontifice posse fieri talem dispensationem,quia recitatio horarum est de iure diuino. Ita Panorm.in dict. *c.* 1.*de celeb.Miss.* sed falso nititur 14

nititur fundamento: nam vt supra probaui, quãuis institutio septem Horarũ sit valdè conformis iuri diuino, absolutè tamen est de iure positiuo. Alij asserunt non posse Summum Pontificem liberare eos, qui alias tenentur recitare, à debito persoluendi, aliquid horarum loco; nec hoc verum est, nisi forte recitatio esset commissa ab aliquo, qui propterea suos reditus dedit, de quo non est modo disputatio: quare indubitanter tenendum est, solum Papam posse super hac recitatione dispensare. Ita tenẽt Doctores communiter, quia super positiuum ius Papa dispensare potest. Et quod solus ipse, & non Episcopi, aut Religiosorum Prælati, tenẽt Archidian. & Turrecr. *in d. can. Eleutherius*, d. 91. vbi in ea sentent. laudant M. Vmbertum quondam Generalem ordinis Prædicatorum iuris vtriusque peritissimum. Cæterum vix aut nunquam dispensant potẽtes recitare, neque studij causa vt notat Naua. in Man. *c. 25. n. 31. & 32.* Vidi ego quosdam, qui vtentes fauore Cardinalium conati sunt propter munus docendi talem dispensationem obtinere, sed non valuerunt: & merito, quia vt testantur experti, tempus, quod teritur in Horis dicendis, nunquam illis impedimento extitit ad studia prosequenda, sed Deo disponente magnum iuuamẽ attulit. De dispensatione verò Religiosorum per priuilegia nihil dico, quia vix legi priuilegium de non recitando, quod excederet limites iuris communis, vt notat. Nau. de *orat. 1. c. 13. n. 17.* P. Eman. Rodr. *tom. 1. q. 42 ar. 2.*

Archidi. *Turrecr.* *Nauar.* *Eman. Rodrig.*

Sed an Episcopi possint dispẽsare circa vsum, & formam recitandi Horas Canonicas, quæst. peruetusta est. Partem affirmantem tenent Glo. in *Can. 1. d. 91.* & Glo. pragmat. *titi. qualiter Horæ Cano. sint dicendæ.* Sed corrigẽda sententia est, iuxta ea quæ olim erant in vsu. Modò verò ex constitut. Pij V. quæ exarata legitur in princ. Breuiarij, non licet Episcopis formulam ibidem expressam immutare; fortassis vbi non est admissa cõstitutio Pij V. vt in Gallijs Episcopi antiquam retinere possent recitandi formam precum Canonicarum; & illorum ordinum Prælati, qui sub prædicta constitutione non sunt comprehensi: nam isti iuxta tenorem suorũ priuilegiorum, aut receptum vsum libere poterunt facere.

Gloss.

15 ¶ Sexta causa est, quando quis ob solum beneficium tenetur officium diuinum recitare, & nullos beneficij fructus capit, neque per se neque per alium; nec postea est accepturus; aut verò si aliquos fructus carpit pertenues sunt; vt patet per ea, quæ de hac re diximus controuersia proximè præcedenti.

16 ¶ Septima causa à quibusdam assignatur, cũ quis beneficiarius vt vacet literis, & studij causa non recitat constituto Vicario, qui beneficio deseruiat. Ita Gerardus de assiduitate orandi, q. 6. & ante ipsum *Abb. c. 1. de celeb. Miss.* Imo & asserit, qui ratione solius beneficij tenetur recitare, satisfacit deseruiendo per aliũ, si iusta ex causa absens sit, vt si peregrinetur ad vrbem relicto Vicario. Et huic sententiæ non parum videtur fauere ca. 1. de celebr. Missar. ibi: *Hora compleantur, aut à se, aut à scholaribus.* Nihilominus ex omnium consensu hæc sententia reijcitur, & meritò; nam onus recitandi personale est: iuxta Clẽ. ca. 1. de celebra. ibi, *Fructuum labiorum suorum*: ergo non est delegabile alteri; itaque studiosi iuris diuini aut humani, etsi Vicarium habeant in Ecclesia sua ad preces Canonicas obligantur, Glos. in Can. *Licet.* 8. q. 1. & Glos. pragma. in cap. *Qualiter horæ sint dicendæ: maledictum studium propter quod prætermittitur diuinum officium:* eiusdem sententiæ sunt Ioan. Imo. Clemen. 1. de magis. Archid. in d. Can. *Eleutherius.* D. Raym. in Sum. tit. de offic. Clericor. & omnes moderni.

Gerard. *Abbas.* *Imola.* *Raimun.*

Ad textum adductum pro Abb. responde. ex Glossa, illum esse intelligendum, quando publicè non possunt recitari à presbytero, recitentur in Ecclesia à scholaribus: non quod presbyter (nisi impotens reddatur) liberetur ab onere recitandi, quia recitant scholares: scholares autẽ clerici dicuntur, qui in adiutorium presbyteris dati sunt, & vt regant scholas: sic modo fit à sacristis in Ecclesijs villarum, & colligitur ex Conci. Nãnete. *ca. vt quisq. de vita, & honesta.* Cleri. vbi qui plebem regit, clericum habere iubetur, qui secum cantet, & Epistolam, ac lectionem legat, & qui possit tenere scholas. 17

Octaua causa alicui videri poterat sufficiens ad excusandum à recitatione, putà si ille qui tenetur recitare sit excommunicatus maiore excõmunicatione; aut verò sit irregularis, aut depositus, aut degradatus; sed re vera tales tenentur recitare: iuxta Glo. adiuncta doctrina Archid. & Cardin. in c. *Presbyterum.* 28. Ratio est, quia nemo ex improbitate sua debet leuamẽ reportare: est tamen discrimen inter excommunicatum ex vna parte, & irregularem depositũ, & degradatum ex alia. Nam hi postremi possunt cum alijs interesse choro, vt habe. c. *Presbyterum*, citato; at verò excommunicatus etiã non denuntiatus minimè, vt habetur in ca. *Illud*, de Clerico excommunicato ministrante. 18

Archid.

Demum antequam finem huic controuersiæ imponamus, dubito, An Monachus chorista nõ initiatus sacris degens extra monasterium, & ab eo non accipiens alimenta, aut eiectus à monasterio, maximè si sit spoliatus habitu, & traditus gubernationi extra ordinem, vt mos est fieri cum spoliatis habitu, excusetur à diuino officio recitando; etiam si nullum habeat beneficium Ecclesiasticum, quo alatur? Et *videtur vera pars affirmatiua*, quia beneficiarius nondum sacris initiatus quacunque causa illi adimatur beneficium, liberatur ab obligatione recitandi horas: ergo idem dicendum est de eiectis, qui non sunt sacris initiati. *Primò*, quia non apparet vnde sumatur hæc obligatio; non quia viuit ex eleemosynis, quæ dantur à populo Monachis vt pro eo orent, aut inseruiant Ecclesiæ in ministerijs Ecclesiasticis; non quia deputatus est choro, quia hoc ipso quod lata sententia exspoliatur habitu, liberatur ab hac deputatione, sicut à qualibet alia obseruãtia regulari: ergo excusatur ab hac obligatione per eiectionem ab ordine. *Secundò.* Si Prælatus Religionis aliquem choro deputatum mutet in 19

An accolitus eiectus à monasterio teneatur recitare diuinum officium?

Monachum laicum, seu conuersum, non tenebitur iste deinceps officium diuinum recitare, quia desijt esse deputatus choro, vt supra retulimus ex Magistro Soto: ergo Monachus eiectus, & spoliatus habitu ratione potiori excusabitur. Probatur consequentia; quia multo magis alienatus est iste posterior ab ordine, & consequenter magis excusatus à quibuscunque ordinis obseruantijs, & à deputatione chori. Isthæc argumenta maiorem vim habent, si asseramus (quod ego verum existimo) spoliatos habitu per sententiam iuridicam non teneri redire ad Religionem, à qua eiecti sunt; neque Religionis eiusdem Prælati possunt eos compellere, vt redeant, neque eorum defectus corrigere.

20 Nihilominus certum censeo, eiusmodi eiectos teneri ad recitandas Horas non minus quã existentes in Religione; & quidem si loquamur de eis, qui sua culpa extra ordinem commorantur, res certissima est: tum quia si non aluntur à monasterio sua culpa est: tum quia ea non debet eis patrocinari aut ab onere recitandi liberare: si verò de eo, qui eiectus est siue iustè, siue iniustè loquamur, probatur, quia iste talis per eiectionẽ non liberatur à Monachismo, neque ab eis quæ per se illi competunt: sed in initio suæ receptionis deputatus est choro: ergo semper manet cum onere huiusmodi deputationis. *Confir.* Quia si iste postea recipiatur ad ordinem, sicut crebro solet fieri, sine vlla sui mutatione choro deputatur, & tenetur recitare: ergo quando erat eiectus non desierat esse deputatus.

21 *Ad argumenta in oppositum R.* *Ad primum* in oppositum *resp.* Ille, de quo procedit dubitatio, desijt choro inseruire, à quo liberatur, non verò desijt esse deputatus choro, vt colligitur ex confirmatione allata pro nostra sẽtentia: neque isthæc deputatio debet computari inter obseruantias Regulares præcisè, sed inter ea, quæ Monachis cõueniunt ex sui institutione. Ad confirmationem neg. conseq. nam Beneficiarius si beneficio careat totaliter desinet esse deputatus cultui diuino, & nisi denuò idem beneficium, aut aliud obtineat non erit deputatus; secùs in Monacho eiecto, vt dictum est.

Ad secundum admisso antecedenti negatur cõsequentia, quia Monachus chorista eiectus nũquam desijt esse deputatus choro, quamuis relegatus ab illo, at qui mutatus est in laicum, desijt deputatus esse per deputationem laicalibus ministerijs, & intra eundem ordinem manens mutauit quasi statum, & acquisiuit nouam deputationem.

CONTROVERSIA VIII.

De his quæ exiguntur, vt satisfiat oneri recitandi diuinum officium?

1 Requisita autem hæc sumentur vel ex parte obiecti, vel ex parte modi, vel ex parte circumstantiarum, quæ extrinsecè concurrunt, vt præfata recitatio fiat: nempe ex parte temporis, loci, aut ordinis: de his sigillatim disserendum est; & prius de his, quæ recitanda sunt: quod antiquitus magnam excitauit disputationem, eo quotquot diœceses, tot ferè erant Breuiaria: & quamuis vnusquisque in officio diuino recitando teneretur sequi ritum suę metropolis, vt habe. in c. *De his*, &c. *Placuit*, 12. d. Tamen com. sent. erat non peccare mortaliter qui secùs facerent; nisi fortasse quilibet in sua Ecclesia præcepto rigoroso ad id astringeretur: modò verò lis illa ferè totaliter extincta est: quia in principio Breuiarij à Pio V. edito Bulla quædam affixa abolebit ferè omnia Breuiaria, & præcepit omnibus clericis & monachis, vt nullo alio Breuiario vterentur præter quam illo à se edito, exceptis his, quæ à sua prima institutione à sede Apost. approbata, vel consuetudine quæ vel ipsam editionem ducentos annos antecedat alijs certis Breuiarijs vsa fuisse constiterit; cuius præcepti verba adeò rigorosa sunt, vt existimem, eum qui crebrius, & sine causa non seruaret, vt si obligatus ad recitandum iuxta normam Breuiarij Romani, alio vteretur, peccare mortaliter: secùs qui semel aut iterum id faceret.

Igitur quilibet teneretur sequi normã sibi propriã recitãdi septẽ Canonicas horas; qui vtũtur Breuiario Romano iuxta præscripta ab illo, qui alterius instituti similiter: horas, inquam, septem integras: qui enim sciens prudensque vnam prætermittit peccat ad mortem: Anto. 3. *p. ti.* 13. *cap.* 4. §. 5. & idem dico si negligentia culpabili lethaliter preces Canonicæ, vel earum pars nõtabilis omittantur: quod si ignorantia, vel obliuione prætermittantur peccatum veniale vt plurimum admittitur; secùs si affectata sit: ita Anton. 3. *p. tit.* 18. *cap.* 4. §. 5. Angelus *de Clauasio in voce*, Horæ, §. 16. & 18. Syluester *voce*, Hora, *quæst.* 12. Nauarrus *de oratione. cap.* 10. Quæ autem dicatur pars notabilis vnius horæ non ex quantitate versuum, aut verborum pensanda est, quidquid scrupulosè dicat Nauarr *dicto c.* 7. *num.* 44. Sed ea dicetur pars notabilis quæ iudicio prudentum deturpat alicuius horæ fabricam, & constructionem: verbi gratia, in Matutino omissio vnius nocturni. Studiosè item & distinctè singula verba, pronuncianda sunt, qui enim vel deglutiẽdo, vel sincopando verba, vel syllabas prætereunt, agũt contra Conc. Roma. *ca. Dolentes de celebritate Missæ* & Conc. Vien. *Clem.* 2. *eodem tit.* & in Conc. Basil. *sess.* 21. & *sess.* 24. *c.* 12. 2 *Nauarr. Anton. Syluest. Angelus.*

3 *Quod si dubites*, an recitans partem Horarum vnius dici secundum formam vnius Breuiarij, partem verò secundùm formam alterius, satisfaciat præcepto recitandi? Respondetur si ista confusio officiorum non omnino tollat celebritatẽ, putà quia de eodẽ Sancto fit officiũ credo satisfacere. Et peccatum veniale graue erit tanta mutatio. Cæterum si medietas officij vnius breuiarij esset de feria, & medietas altera de Sancto, tãta deturpatio omnino officium tolleret, & ideò sic recitans non satisfaceret. Præter septẽ Horas Canonicas est de alijs dubitatio, an sint recitãdę lectiones

lectiones defunctorum, officium paruum B. Virginis. Respond. qui vtuntur Breuiario Romano nuper edito à Pio V. minimè nisi fortè in communitate, vbi viguit illa recitandi consuetudo. *Alij qui dicunt*, vtetes Breuiario Romano teneri priuatè recitate præter horas Canonicas officium defunctorum secūda die Nouembris. Item Litanias cum precibus annexis in die S. Marci, & tribus diebus ante Ascēsionē, quia sic notatum est in Breuiario Romano. Sed an hæc additio, vt obligatoria in priuata recitatione admissa sit dignum est examine: & quid consuetudo in hac re obtinuerit. Cæteri verò, qui eo Breuiario non vtuntur, consulant sua statuta, & consuetudines: in ordine quidem Prædicatorum, cuius indignus alumnus sum, semel in qualibet hebdomada defunctorum officium, & sæpè officium paruum B. Virginis recitatur. Litaniæ verò, & alia huiusmodi, quæ interdum in choro dicuntur, sub obligatione non cadunt.

4 *An sit præceptũ seruandi formã in Breuiarijs perscriptam?* Circa nuper dicta de vsu Breuiariorũ est dubitatio scitu digna. *An sit præceptum seruandi formã in Breuiarijs legitimis præscriptam?* v. g. An quando Breuiarium præscribit recitandum esse de Sancto, hoc vel illo liceat recitare de feria, vel è contra. Item. An in die S. Ioannis liceat recitare de S. Petro, vel quid simile.

Quidam absolutè negant hoc cadere sub præcepto etiam si scienter, & sine causa impellente id fiat imò etiam si fiat ex animi remissione vt facilius ac breuius officium persoluant. Ita Sylu. ver. *Hora*, q. 12. Maio. *in* 4. *d*. 12. *q*. 6. Caie. *in* Sum. *ver. Hora*. §. 3. Ratio pro hac sent. est, quia substātia huius præcepti est de recitandis septem horis Canonicis, quod verò sit hoc modo, vel illo, id est, de feria vel Sancto, &c. pertinet ad modum accidentalem; & ideò in illius mutatione non est transgressio præcepti saltem lethalis. *Syluest. Maior. Caieta.*

Nauar. Alij oppositum censent; ita Naua. *de orat. c*. 19. *n*. 211. *vsq. ad* 219. qui & alios refert probant contrario fundamento: quia præceptum de recitando non solum extenditur ad septem Horarũ recitationem, verum & ad modum recitandi ab Ecclesia designatum. Prob. 1. c. *De his*, &c. vlt. d. 12. absolutè præcipitur cōformitas in modo recitandi. Item quia dato opposito etiam si ille modus voluntariè omittere nullum esset peccatum, quod Autores 1. sentent. neq; concedunt, neque auderent concedere, dicunt enim esse veniale.

Hi citati Autores, vt reor solis verbis differūt. 5 Quare per sequentia *respondeo dicens primò*. Citrà dubium supposita institutione Ecclesię præscribentis quis sit seruandus ordo in recitando officio Canonico, peccatum est non seruare illum. Aperta est assertio ex argumento pro secunda sētētia, alioqui vnusquisq; pro suo arbitratu posset modum hunc, & formam in Breuiarijs præscriptam non seruare, vel ad summum esset opus consilij vel supererogationis, quod nullus credo admitteret.

Secundò dicò. Si quis recitet septem Canonicas horas nō seruata forma præscripta in Breuiario, quo legitimè vtitur, tantum peccat venialiter: nisi transgressio formæ redundet in transgressionē præcepti quoad substantiã illius. Explicatur assertio. Præceptũ recitandi horas Canonicas iuxta præscriptam formã in Breuiario continet substantiã, & modum: substantia est vt recitentur septem horæ integræ: modus est vt sub tali forma: asserimus ergo vtrumque cadere sub illo præcepto, sed diuersimodè: substantia recitationis sub peccato mortali; modus verò tantum sub veniali: itaq; si transgressio fit tantum erga modum cōmittitur peccatum duntaxat veniale; si autem erga substantiam fit mortale ex genere suo. Hoc supposito *prob. 1. pars*, quia transgressio solius modi versatur circa materiã leuem, modus enim ille, si seruetur substantia recitationis, materia leuis est: ergo tantum est peccatum veniale: quo fit vt recitās de Sancto, quando de feria recitandum esset tantum peccet venialiter. Item qui recitando non seruaret formam legitimam in vna aut altera re leui tantum peccaret venialiter, etiã si scienter faceret huiusmodi mutationem. Exceptio autem, & limitatio assertionis videlicet peccare mortaliter eum, qui sic mutaret formam recitandi, vt violatio modi redundaret in violationem substantiæ præcepti, aperta est: quia tunc transgressio modi non sisteret in modo, sed in transgressionem præcepti quantum ad substantiam transiret.

6 ¶ *Solum superest explicandum*, quando mutatio formæ præscriptæ in transgressionem præcepti quantum ad substantiam redundat. Hoc autem ex duplici capite sumēdū est, vel ab vtroq; simul ex parte quantitatis defraudatæ, & ex parte finis cultus in celebritatibus colēdis grauiter defraudati. Exemplū prioris sit: si quis in Dominica recitaret officiū fer. 3. vt citius pensū horariū persolueret peccaret mortaliter, quia ex modo isto recitandi sequitur defraudatio officij diuini in notabili quãtitate. Item, qui in omnibus ferijs diceret officium fer. 3. Secus dicendum de illo, qui quando recitandum est de feria recitaret de Sancto, quia defraudatio est, in parua quantitate. Item peccaret mortaliter, qui in die Natalis Domini recitaret de S. Ioanne Baptista, propter notabiliter defraudatum finē cultus Ecclesiastici in celebritatibus colendis. Etiam peccaret mortaliter propter vtranq; causam, scilicet defraudatæ quantitatis, & diuini cultus Ecclesiastici euersi, qui in Quadragesima recitaret de tēpore Paschali: & sic de alijs iudicato.

Existimo aūt huic nostræ assertioni nō aduersarētur Autores primæ sētēt. præcipuè Caiet. qui *in loco cit. non* dicit semper esse peccatum veniale huiusmodi mutationes facere, sed tantum ait hoc de mutatione in solo modo, & colligitur ex eius ratione: nempe quia substātia præcepti cōsistit in hoc, quod Canonicæ horæ dicantur, nō in qualitate, aut ordine. Nota illud verbū *Substantia præcepti*, per quod nō excluditur modus à præcepto, sed à substantia præcepti: neq; etiã negat, si quãdoque illa transgressio modi redundet in transgressionem substantiæ præceptæ, non inducere malitiã mortalem: sed duntaxat esse venialem, quando mutatio est in solo modo, quod accidit quando leuis est materia, & quando mutatio

non

non fit ex contemptu, neq; animo eam sæpè faciendi pro libito, sed ex aliqua occasione leui, minusque rationabili: vt aduertit Caie.& notandum quod quando mutatio hæc fit ex inaduertentia, quamuis sit culpabilis; non videtur culpa grauis, nec tenetur quis Matutinum repetere, vel quid simile. Atque hinc fit vlterius vt ex iusta causa possit interdum fieri hæc mutatio sine vlla culpa, putà si sit necesse iuuare alium, quando id exposcit charitas, vel si nunc non est copia alterius Breuiarij, & postea nimis grauabor recitando, vel impediar ab studio necessario, vel ab alio simili opere studioso pietatis, vel charitatis.

Sed rogas, potest Prælatus cum suis subditis dispensare, vt non vtantur formâ sibi & alijs communi etiam obligatoria? De Papa non est dubium. An verò licitè possit sine causa non est huius loci. De alijs verò Prælatis Papæ inferioribus dico non posse cum eo qui recitare tenetur iuxta Breuiarium Pij V. quia illa obligatio prouenit ex lege superioris, in qua Prælatus inferior non potest dispensare: fortasse ex causa iusta vna, aut altera vice poterit, non verò permanentem licentiam dare. Credo autem Prælatos subditorum qui non tenentur recitare iuxta ritum Pij V. habere ampliorem potestatem dispensandi cum suis subditis ex legitima causa: quia non est lex Pontificia id vetans rigorosè, qualis est illa Pij V. & ex alia parte sic oportet sæpe fieri pro conseruatione boni regiminis Prælatorum.

DISPVTATIO I.

Vtrùm in recitatione Horarum seruetur integritas alternando versus Psalmorũ, & Antiphonarum, & huiusmodi?

1 HOC est quærere, vtrùm obligationi recitandi horas Canonicas hinc inde alternando; recitantibus quibusdã, & alijs audientibus alternatim: siue ea alternatio fiat in choro canẽtiũ, siue extra chorũ, quando recitantur diuina officia cũ socio vt sæpè fit? Cuius dubitationis duplex est sensus: vnus, si satisfaciãt suæ obligationi hac versuũ alternatione, qui tenentur adesse choro, quando horæ publicè canuntur: & iuxta hunc sensum modo non dicemus, dicturi copiosè inferius. Secũdus sensus est, vtrũ per præfatam alternationem satisfaciant obligationi recitandi Horas priuatè ij, quos diximus teneri: & hoc sensu procedit modo disputatio.

Pro decisione *dico primò*. Mos vetustus Ecclesiæ est, vt laudes diuinæ alternatim à psallentibus dicantur quibusdam concinentibus, & alijs audientibus, & è conuerso canentibus qui audiebant, & audiẽtibus qui canebãt. Assertio ab omnibus orthodoxis recepta est: sed de antiquitate huius moris non conueniunt: nam quidam Autorem esse dicunt Flauianum Antiochenum: ita Theodor *lib.2. Historia cap.24.* & Sigibertus, & alij hunc modum psallendi tribuunt Chrysostomo: ita Nicephorus *lib.13. cap.8.* Alij Damaso: ita Platina in vita eius. Alij diuo Ignatio: aiunt enim audiuisse Angelos Hymnis in laudem Trinitatis alternatim decantantes, quem modum Ecclesiam Antiochenam docuit, & inde per Orientem propagatus est: vt meminit *Basilius in epistola 63.* Hanc originem ab Ignatio probarunt Rodulph. *propos.12.* Amal. *li.4.c.7. & alij addit.* *Isid. li.1. de Eccle. offic. c.7.* Alcuin. & alij modum hunc duxisse originem à Seraphinis, quos Esai. c. 6 vidit clamantes, *Sanctus, Sanctus, &c.* Nã Scriptura dicit, quòd clamabat alter ad alterum; id est, vno prius dicente, & altero respõdẽte: quidquid de hoc sit, de quo copiosius q.91 ar. 2. citra cõtrouersiã est hunc modum psallendi antiquissimum esse, & valde commendabilem propter multa. videndi sunt Cassianus *lib.3. de instit. cap.8.* Basil. vbi sup. & alij in loco citato adducendi.

Theodo. *Sigibert* *Niceph.* *Plati.* *Basil.* *Rodulph.* *Amalar.* *Isidor.* *Alcui.* *Cassian.* *Basil.*

Secundò dico. Ex isto more antiquo deriuatum est, vt recitationi septem Horarum Canonicarũ satisfiat per modum hunc laudabilem alternis versibus recitandi, siue in priuata recitatione, siue in publica, quæ fit in choro. Hæc assertio consuetudine, & vsu omnium orthodoxorum firmatur: & credo in principio institutionis Horarum Canonicarum recitandarum hunc modum fuisse approbatum ab vniuersa Ecclesia, cum non legamus institutionem modum istum præcessisse. 2

Tertiò dico. Ij qui tenentur recitare officium diuinum, si assistant choro canenti, & nec recitent summisse partem sibi correspondentem, nec illam canant, non satisfaciũt obligationi recitandi Horas Canonicas: quare si postea eas domi non recitent transgressores sunt præcepti recitandi officium diuinum. *Prob.* Præceptum Ecclesiasticum est de recitandis Horis Canonicis modo ab Ecclesia approbato, & recepto: sed isti de quibus in assertione non recitant, sed tantum audiunt: non enim recitant versus suos nec alios: ergo. An verò satisfaciant officio interessendi in choro, si fortè illud habeant dicetur inferius. 3

An summisse dicẽs in choro vniuersũ satisfaciat.

Sed maior difficultas est, an qui assistunt choro, dum Horæ cantantur, & partem ad se pertinentem summisse dicunt, & alterum chorum canentem suam partem audiunt, an hi satisfaciant obligationi priuatè recitandi officium diuinum? Et dubitatio procedit siue ij, qui assistunt teneantur choro interesse, vt beneficiati; siue non teneãtur, vt religiosi, & simplices sacerdotes, qui choro spontaneè intersunt, & modo illo relato cupiunt suæ obligationi satisfacere. De hac re duas reperio sententias.

Prima ait non satisfacere. Ita Cai. *to.1. opusc. tra. vl. resp. 8.* & in Sum. ver. *Hora*, in fi. & Armi. *n. 22.* Naua. *in Enchir. c.10. n.47. & c.11. n.42. & c.21. nu. 79.* Argume. Caiet. sunt hæc. *Primo*, quilibet obligatus ad officium diuinũ tenetur ad totũ officiũ dicendum, cap.1. de celebratio. Missa. ergo per se, vel per cõmunicationẽ cum alio; cum autem dicit

Caietan. *Armil.* *Nauar.*

dicit totum per se; tunc potest sibi summisse dicere, vt autem cum alio dicat, oportet vt illi cõmunicet orationem suam, quod non facit, quando sibi soli dicit. Etenim cum aliquis sic partem suam dicit non vt communem, sed vt propriam, non communicat in ea cum altero, igitur non communicat cum altera parte chori; ac proinde non satisfacit. *Confirm.* quia vt satisfaciat in choro: debet dicere partem suam non qualitercunque, sed vt communem, quod non dicit, qui summisse dicit: quia dicit vt propriam. *Confir.* 2. quia aliàs posset quis satisfacere præcepto, audiendo in choro vel ab alio legente dimidiam partem officij, & aliam dimidiam in cubiculo suo recitando, quod est ridiculum.

Altera sententia affirmat per dictam recitationem fieri satis obligationi priuatæ dicendi diuinum officium: quidquid sit de publica recitatione beneficiatorum, qui in choro recitare tenentur: de quo inferius.

4 Hæc opinio mihi probatur præcipuè propter vsum sapientum, & timoratorum, qui sine vllo scrupulo existentes in choro sæpè dicunt summissè partem ad suum chorum pertinentem, & audientes alterius chori canentis partem putant pensum horarium sufficienter persoluisse: nec ab hac sententia alienus est Caietan. in Sum. vt videbimus. *Confirm.* quia sæpè qui intersunt choro impediuntur à canendo propter leuiculam infirmitatem, vel propter raucedinem, aut verò lassitudinem; non tamen excusantur à recitandis horis Canonicis: ergo tunc sat erit summissè dicere suam partem, & alterius chori partem audire. Dices: Domi, aut in choro totum officium per se recitent. Certè domum abire ad recitandum post assistentiam chori onus duplex & pergraue est. Item in choro totum officium per se ipsum recitare non sine perturbatione totius communitatis fiet, vt dicemus. *Confirm.* 2. quia multi, vt beneficiati, tenentur choro assistere, & non valent cantare, multi etiam compelluntur assistere non suffragantibus leuibus impedimentis relatis vt Religiosi: ergo nimis rigorosum est eos obligare ad subeundum illud duplex onus assistentiæ in choro: & recitationis horarum: nam sic nimis exosus multis fieret chorus. *Secundò argum.* Sequitur ex opposita sent. Caiet. priuatè recitantem cum socio, qui ad dicendum officium non tenetur, non satisfacere suæ obligationi, si suos versus ita summissè dicat vt ab alio auditi nõ possit. Consequẽs est falsum: cum viri timorati sæpè ita recitent, vel vt minus fatigentur, vel quia ita magis ad deuotionem prouocantur. Tum etiam, quia ille verè dicit partem suam, & alteram audit; quod verò alter non audiat contra nullum præceptum est, cum supponamus illum non teneri ad recitandum. Demum inter soluendum argumenta Caietani hæc magis corroborabuntur.

5 Ad primum quidam, quos citat Caiet. tacito nomine respondent, quando in choro, vel cum socio recitatur, non teneri quemlibet recitantium totum officium recitare: sed sufficit partem suam recitare, & alteram audire: qui mos recitandi in initio institutionis horarum natus est, & postea temporis successu vsus diffusus, & approbatus est. Quæ responsio reijcitur à Caiet. nec est vsque adeò contemnenda, maximè addente eod. Caiet. in Sum. *Si tamen intelligerem, quod viri timorati consueuerunt sic facere, diceremque quod consuetudo bonorum est optima legum interpres & charitas, quæ omnia communia reddit, efficit, vt versus auditus sit communis omnibus audientibus tanto magis, quanto maiores in choro non debent cantare, sed meditari, quæ ab inferioribus cantantur.* Et ad illud ex Clem. debere totum integrum officium dici à quolibet recitante, intelligendum est in sensu, vt non mutiletur, neque aliqua ex horis omittatur: quod verò à quolibet omnes versus recitentur non intendit textus cum nolit damnare vsum laudabilem Ecclesiæ, quæ habet in more partem ab vno choro decantari, seu recitari, & alteram duntaxat audire, quod fit in nostro casu.] Sed vt rationibus metaphysicis Caiet. quas valdè commendant Nauarr. & Armil. satisfaciamus.

Ad primam obiectionem resp. secundò, in casu nostræ disputationis, eum qui summissè dicit partem ad se pertinentem, si tamen audiat alterum chorum canentem, dicere totum officium integrum: quia totam suam partem recitat per se, & aliam per communicatoinem, quia in ea communicat cum alijs audiendo eam, & vt partem quasi communicatam ab alijs recipiat, non est necessarium, vt illis communicet suam; non enim necesse est, vt hæc communicatio sit mutua præcipuè respectu singulorum, sat est quod sit mutua respectu totius cõmunitatis: vnde ad obiectiõnẽ Caiet. *in forma resp.* cõcedi antec. & primã cõsequentiam. *Ad probationẽ negand. minor.* quia vt per communicationem dicat partem alterius chori non est necesse, vt illi communicet partem suam; sed sat est, vt quasi communicatam ab alio accipiat eius partem, quod fit audiendo alterum chorum resonantem. Itaque totum officium dicit, partem suam per se, partem verò aliorum communicando non actiuè, sed quasi passiuè eam recipiendo, quæ receptio per auditionem fit. *Ad confirmationem* distinguitur antecedens: non dicit partem suam, vt partem publici, & solemnis officij, concedo, vt partem suæ integræ recitationis, nego; nam reuera illa est pars integræ recitationis saltem, priuatæ ad modũ explicatum. *Ad secundam confirmationem neg. seq.* quia is qui primam partem officij illo modo audit nullo modo eam recitat, neque Ecclesia talem modum communicandi approbauit; neque vsa est, sed solum alternando per versus Psal. quo vtitur ille, qui submisse dicit suos versus, & alios aliorum audit: cum hoc tamen stat quod aliquando maximè tempore interdicti in choro Religiosorum vnus aut duo recitent lectiones, & respõsoria, capitula & orationes cæteris audientibus: at versus Psalm. alternatim, & tunc benè satis fit diuini officij obligationi. An verò ille, qui ex officio tenetur choro assistere, satisfaciat dicendo submisse suã partẽ dicemus inferius. 6

Demum circa nostram sententiam aduerto; licet per hanc submissam recitationẽ obligationi dicẽdi 7

diuinum

diuinum officium satisfiat, tamen aliunde posse contingere culpam: tum quia non omnino huiusmodi summissa recitatio conformis est institutioni chori, vt omnes pariter decantent diuinas laudes, saltem alternatim canendo, & audiendo. Tum, quia id non fit sine aliqua perturbatione orantis, & circumstantium. Orantis quidem, quia alijs canentibus vix ipse potest commode recitare sũmisse, nec attendere; circũstantiũ vero: quia distrahũtur verbis & murmure orantis vel in illũ excandent, aut tædio afficiuntur, vel illum imitantur: quæ omnia latè prosequitur rigorosè Naua. *de orat. c.* 11. *n.* 5. *& seq.* sed puto esse tantum veniale peccatum; à quo excusabitur quis, quando recitatio fit summisse, ex aliqua causa, & necessitate, & cum prudenti circumspectione, ne alijs occasio distractionis præbeatur. *Nauar.*

DISPVTATIO II.

De tempore seruando in recitandis horis.

1 DE tempore seruando in recitandis horis variè loquuntur Doctores; nobis certũ sit eas statutis, & designatis horis diei dicendas esse, ita Conc. Vien. Clem. 1. de celebr. Miss. Conc. Basil. c. *Quando diuina officia celebrari debeant*, c. 2. de offi. custo. & longè ante in Conc. Agathen. 1. *de cele. Miss.* quod debet fieri etiamsi nullus extraneorum accedat ad Ecclesiam, auditurus preces publicas. Ita Innoc. Host. Ioan. Andr. in d. *c. 1. de celeb. Miss. & alij* doctissimi nostri tẽporis. Sed vt res innotescat, in speciali prẽmittendum est, tempus legitimum diuino officio deputatum, intra cuius limites necessariò soluẽdũ est sub reatu mortalis culpæ, est viginti & quatuor horarũ spatiũ; nẽpè à media nocte vnius diei, vsque ad mediã noctẽ alterius, quamuis & Matutinæ preces diei crastinæ dici possint hodie, occidente Sole, vt constat ex consuetudine, & D. Th. *in quodl* 5. *ar.* 8. Habẽt vltra hoc singulæ Canonicæ horæ sua peculiaria tempora designata, de quibus fuse dixi superius agens de singulis horis in speciali. Hoc fundamento præmisso. *Innocen. Andr. D. Thom.*

2 *Dico primò*: Cum officium dicitur in communi horæ dicendæ sunt horis statutis per Ecclesiam, de quibus supra, seruata tamen locorum consuetudine; & oppositum facere semper est peccatũ mortale, nisi aliqua vrgenti causa id fiet. Hoc dictum egregie stabilitur ex Conc. Vien. habetur *Clem. 1. de celebr. Missa.*

Secundò dico: neutiquam horæ ordinem inuertere licet, putà Tertiã ante Primam, vel Completorium ante Vesperas recitare: nisi iusta causa adsit. Ita Nauar. *tit. de oratio. c.* 3. *n.* 65. *& seqq.* Si quis autem non ordine, sed præpostere preces recitet, non mortali, sed veniali peccato fit obnoxius; quia substantia horarum incolumis perseuerat. Ita D. Anton. 3. *p. tit.* 33. *c.* 4. §. 4. Angel. & Sylue. in voce, *hora*. Dominicus de Soto de iusti. & iure, lib. 10. q. 5. art. 4. applaudit etiã Innocẽ. c. dolentes, de celebr. Miss. Vide si placet. Nauarr. *Nauar. Anton. Ange. Syluest.*

minutè multa prosequentem de ordine in horarum recitatione, tracta. *de oratio. c.* 3. *nu.* 69. *& seq.* Et aduertè grauius esse peccatum ordinem vnius horæ quoad suas partes peruertere, quàm singularum horarum inter se propter maiorem deformitatem; vt si Psalmorum ordinem inuertas, aut post Psalmos Primæ horæ Hymnus recitetur: quapropter tanta esse potest ordinis inuersio, vt scienter facta sit peccatum mortale. *Soto.*

Cæterum an *Sacerdos peccatum mortale admittat, si Missæ sacrum fecerit ante Matutinarum precum recitationem* celebre dubium est: de quo duas reperio sententias. *Prima est* communis Theologorum, & Canonistarum affirmantium: ita Veluacensis à Syluestro citatus, verbo, *Missa*, 1, §. 6. Gabr. i *sup. Can. Miss. lect.* 13. *Ange.* voc. *Miss.* Hostien. in *Summa de consecr. Eccl. vel altar. d.* 2. §. & qualiter. Albertus *de Ferra. titulo de horis Canonicis*. D. Anton: 3. *p. tit.* 13. *capite* 4. §. 1. Nauarrus de *oratione capite.* 21. *numero.* 30. dicit se sequi opinionem cõmunem, sed limitat illam, ne procedat quando aliqua causa iusta id fieret; puta si ex traditione aliquod scandalum, vel aliquod graue malum immineret. Nauarrum sequitur Marcellus Fran. Marcolinus *in tit. de tempore horarum canoni. ca.* 42. Probatur hæc sententia *primò*, & præcipuè ex consuetudine, Ecclesiæ vsu, & tot autorum numero comprobata, quæ vim legis habere certò certius est in alijs pluribus. *Confirmatur*. Consuetudo aliquid faciẽdi, si omittatur, & materia grauis est, inducit peccati mortalis noxam; sed consuetudo Sacerdotum proborum est, & matutinale officium recitare ante Missę celebrationem; & præterea huius consuetudinis violatio grauis materia est: ergo peccatum inducit: Min. quoad primam partem patet ex vsu, quoad secundam ex iudicio tot sapientum Autorum, & aliorum, qui poterant citari, iudicantium delinquere in hac re esse offensionem in materia graui. *Secundò* Ecclesia instituit, vt patebit legenti iura, matutinale officium diurnum: ergo inuertere hunc ordinem peccatum erit, & cum materia grauis sit peccatum lethale erit, *Tertiò*. Quia matutinale officium est quasi præparatio ad Missæ sacrum faciendum; vt colligitur ex Missali Romano annumerante intra defectus Missæ, si celebrans non dixit Matutinum cum laudibus; agebatur autẽ de defectibus non leuibus. Vltimo, quia opposita sententia præbet occasionẽ differendi officium Matutinum post Sextam, aut Nonam diei horam, & Sacerdotes pigros recitatores efficit. 3 4 *Albert. Angelus. Syluest. Hostien. Nauar. Marcel.*

Altera sententia est facere sacrum Missæ antequam recitentur preces Matutinæ, si id fiat sine causa legitima, esse peccatum duntaxat veniale, quod si adsit aliqua rationabilis causa hunc ordinem inuertendi nullum esse peccatum. Primus, qui audacter hanc tenuerit sententiã (quod legerim) sapientissimus Dominicus de Soto fuit lib. de *iustitia, & iure. q.* 5. *art.* 4. *& in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *artic.* 2. Syluester verò vbi supra dubitans non istud placitum omninò reijcit. Sotum verò sequuti sunt moderni doctissimi ferè omnes coacti vi rationum. Hæc sententia mihi magis arridet: pro cuius maiori claritate *præmitto distinct.* 5 *Sotus. Syluest.*

quam

quam audio conuenisse præmittere doctissimũ Melchiorẽ Canum cathedræ Primariæ Theologorum Salmanticensiũ olim præfectũ; ea est officij Matutinalis recitatio *altera est priuata*, q̃ priuatè fit à Sacerdote sacrum facturo; siue illud sacrũ sit etiã priuatũ; aut verò solẽne, quod Missam maiorẽ vocant. *Altera recitatio est solemnis & publica* quæ solet fieri in choro ante missam solemnem. Hac distinctione præmissa;

prima assertio nostra sit. Si sit sermo de recitatione priuata pcum canonicarũ, nullũ peccatũ, neq; mortale neq; veniale admittit sacerdos peragens Missæ sacrum, qui prius nõ recitauit pces matutinas; si tamen aliqua causa extitit, quare nõ pri⁹ matutinum officiũ recitauerit. In hoc asserto cõueniunt vtriusq; sentẽtiæ patroni; q̃uis prioris defensores forsan exigerent grauiorẽ causã ad præmittendã Missæ celebrationẽ recitationi officij Matutini. Secundæ verò sententiæ nõ vsq; adeò grauẽ, sed satis superq; esset, si instaret hora solita dicendi Missã, & popul⁹, vel aliqua persona grauis expectat, vel temp⁹ cõmodum celebrandi elabitur, vel aliquid simile. Probatur assertio, nam inuertere ordinẽ inter horas Canonicas ex causa excusatur ab omni culpa: ergo idem dicendum est in nostro proposito.

6 *Assertio secunda*. Esto admittam⁹ esse cõsuetudinẽ, imò & pceptũ & latũ iure, ne liceat Missæ celebrationẽ pmittere Matutinarũ pcum recitationi, nõ est peccatum mortale hunc ordinem inuertere, sed tantũ veniale. *prob.* loquendo de officio & sacrificio priuatim factis, ex quorũ ordinis inuersione p se nõ sequitur scandalũ, neq; aliud graue incõmodũ; quia ista inuersio materia leuis est, & pote q̃ neq; ad cultũ Dei magni refert, neq; ad reuerentiã sacri ministerij, neq; ad aliũ quẽpiã grauẽ finem, q ad Dei vel proximi charitatẽ pertineat: ergo *Confirm.* quia siquis recitaret vesperas ante Matutinum; imò ante omnes horas non peccaret mortaliter: ergo neq; q celebraret ante recitationem Matutinarum, cum inter horas sit clarior, & essentialior ordo præscriptus ab ipso iure quàm inter Matutinum & Missam.

7 *Assertio tertia*. Qui sine vlla causa, sed p suo arbitratu sacrũ Missæ faceret ante Matutini recitationẽ; nullũ admitteret peccatũ ex vi talis anticipationis, seu immutationis ordinis illi⁹: quẽ primæ sententiæ Authores fingunt esse seruãdum. *Dixi*, ex vi talis anticipationis, & ex hoc præcise capite; quia benè stat venialiter peccare videlicet quia sine rationabili causa nõ recitat pces Matutinas suo tẽpore, sed valde incõgruo. verbi gratia, post meridiẽ. *Probat. assertio*: quia nullum extat præceptũ diuinũ, aut iuris obligãs sacerdotes ad recitãdum pces matutinas, priusq̃ sacrũ Missæ faciant: ergo sine fundamẽto tale pceptũ esse fingit: dicit Nauar. adesse cõsuetudinẽ, q̃ habet vim pcepti; ꝙ falsum esse ostendem⁹ dissoluentes eius argumẽta. *Secũdo*: quia ex sui institutione matutinales pces, & sacrum Missæ nullã habent cõnexionem, neq; vllũ ordinẽ: ergo nõ est obseruãd⁹ ex pcepto; habent quidẽ sua singula distincta tẽpora, q̃ prætermittere peccatũ erit, ꝙ vero ad inuicẽ subordinẽtur sine ratione affirmatur: nam pces horariæ adinuẽtæ sunt, vt eis exhiberetur cult⁹ diuin⁹ Deo, supplẽdo p populo. Ministeriũ verò Eucharistiæ à Christo institutũ est, vt recoleretur memoria passionis ei⁹, in quo nullã cõnexionem video quare vnũ ad aliud requiratur. *Tertio*. Si quis excusatur à pcibus horarijs recitandis pter ægritudinẽ, aut pter aliquid aliud, sine vllo peccato poterit sacrũ Missæ facere, nihil horarũ recitando; in quo vt reor omnes debem⁹ conuenire: ergo nulla coordinatio nullaq; connexio reperitur inter preces matutinas, & Missæ sacrum.

§ *Ad argumẽta* p parte affirmatiua respõdetur. Ad primũ negãdo talẽ extitisse consuetudinẽ, & Sylu. verbo *Missa*. 1. q. 6. dicit se audiuisse multos doctissimos negãtes talẽ cõsuetudinẽ. Et aduertẽdũ est, id, ꝙ decepit tot autores ad asseuerãdam talẽ cõsuetudinẽ, illud esse; nãq; viderunt vsu pborũ esse receptũ, vt regulariter, & ferè semper matutinæ pces ante Missæ celebrationẽ recitarẽtur; ex quo tãtũ infertur diuersa esse designata tẽpora p matutinis, & p Missa; & tẽpus p matutinis, pcedere tẽpus p Missa dicenda; nõ verò infertur inde seruãdũ esse necessariò ordinẽ inter matutinas pces, & Missæ sacrũ: nisi fortè p accidẽs: quia ex hoc ꝙ illa dicantur suis vnũquodque tẽporib⁹, p accidẽs cõsequitur, vt matutinæ preces, vt plurimũ ante missã recitẽtur; & ex hac cõsuetudine nõ potest colligi ordinẽ esse pręceptũ, quia nõ fuit p se intẽtus à tali cõsuetudine: ꝙ manifestè intelligetur ex ipsa institutione matutinaliũ precũ, & Missæ, quæ nõ habẽt vllã inter se cõnexionẽ; neque ex vllo principio cõstare potest, cõsuetudinem illã recitãdi matutinas nocturno tẽpore, & Missã diurno, ob id esse introductã aut præceptã, vt ordo ille seruaretur p se inter matutinum, & Missã. sed p accidens fuit subsequutus. 8 *Syluest.*

§ *Sed arguis*. Consuetudo imo & præceptũ est de recitandis matutinis nocte, & de celebrando Missã die: ergo cõsuetudo & pceptũ est, vt prius recitẽtur matutinæ pces, quã celebretur Missa: ac pinde prioritas est seruanda eo præcepto inter matutinas & Missã *Negatur cõsequẽtia*, quia prioritas in antecedẽti & cõsequẽti refertur ad diuersa: in antecedenti refertur ad tempora designata p matutinis, & Missa dicẽdis: & sens⁹ est, ꝙ tẽp⁹ designatũ p matutinis cõmode recitandis prius est, quã temp⁹ designatũ pro Missa celebrãda; in cõsequenti verò prioritas refertur ad ordinẽ requisitũ, inter matutinas, & Missã, quẽ nullũ esse, nullãq; esse inter ista duo coordinationẽ asserim⁹. Itaq; in cõsequẽtia variatur appellatio prioritatis. *Esto exẽplũ*: si alicui imponeretur præceptũ de plegendo metaphysicã hora prima diei, & de docẽda Theologia hora nona: certũ est lectionẽ methaphysicę pcedere lectionẽ Theologicã quia pars diei anterior assignata est p lectione methaphysica: nõ tamẽ inde infertur has duas lectiones debere ex pcepto habere ordinẽ inter se: nã si pfatus Doctor prætermissa lectione methaphysica, vel quia nõ aderãt tũc auditores, vel quia culpabiliter neglecta est, doceat hora nona Theologiã, nõ peccat illã plegẽdo nõ lecta methaphysica: quia ordo ille non est à legislatore intentus, sed per accidens est. 9

Non dissimiliter dicendum est, matutinas preces esse recitandas antequã Missa facienda, non quia sit ordo & cõnexio necessaria inter ista duo, vel ex præcepto, vel ex cõsuetudine; sed quia tẽpora

pora statuta pro his antecedunt.

Ex quo infero: si sacerdos non recitauit matutinas preces hora cōuenienti ad faciendū Missæ sacrū, sine vllo peccato poterit facere, licet fortasse peccauerit nō dicendo matutinas suo tēpore, vel differēdo ad illā horā, qua dicit Missā: at verò nō peccabit, quia dicit eā matutinis non recitatis. Itaque agit cōtra præceptū de recitando matutinas tēpore illis assignato, & nō agit cōtra pceptū de ordine inter matutinas & Missā seruādo: quia nullū tale, neq; vlla cōsuetudo talis extat.

10 *Secūdò infertur*, & potiori ratione, nō peccare sacerdotē celebrantē nō recitata prima Hora Canonica: & de peccato mortali id asseuerant Sylu. Sotimo & Nauar. *cap. 25. n. 79.* quidquid in oppositum dicant quidā Sūmistæ: q verò nullū sit peccatū probant à fortiori rationes factæ p tertia assertione; & ea quæ diximus soluētes hoc argumentū primū. *Ad quod secūdo respōdetur* iuxta tenorē secūdæ assertionis admisso antecedēti, sed nego cōsequentiā esse peccatū mortale talē trāsgredi cōsuetudinē, quia materia leuis est, vt supra ostēdi: satis erit asserere esse veniale peccatū, si sine causa legitima illa ordinis inuersio fiat, similiter dicendū est ad confirmationē. Ad secundū vt constat ex dictis circa solutionem primi neganda est consequentia.

Nauar.

11 *Ad tertium* cui nimiū fidit Nauar. respondetur negādo matutinas preces esse præparationē necessariò requisitā ad Missæ celebrationē; & nescio vnde doctissimus Nauar. id hauserit; etenim illud, q ait, Ecclesiā, dū ad Missam attentionē & pparationē maiorē requirit, quā ad aliud Ecclesiasticū officium, per hoc satis significare, vt horę saltē nocturnæ sint quædā præparatio ad Missā, quia nullam aliā præparationē cōstituit Ecclesia faciendā: hoc inquā dictū nullius roboris est: quia licet isthæc matutinarū recitatio fortassis præstet alijs dispositionibus, quæ cōducunt ad deuotius celebrandum, tamen Ecclesia non præcipit id, quod maiorem deuotionem præstat, neq; hanc recitationem, vt præparationem designauit.

Ad illud, quod adducitur ex Missali Romano *respond.* ibi nullū esse verbū præceptiuū, & ex modo quo illa regula ponitur, cōstat nihil ibi nouū statui sed solū declarari, & proponi quod fieri solet, & expedit. Imo ibidem expressius admonētur sacerdotes, vt prius aliquātulū vacēt orationi, & tamē illud cōsiliū est, nō pceptum. Dices. Satis est vt pces matutinæ dicātur esse præparatio ad Missæ celebrationē, debere eam præcedere: negatur assumptum sicut neque, prima hora dicitur esse præparatio ad reliquas, licet illas præcedat.

Ad vltimū respond. Illa occasio accepta est ex malitia recitantiū, nō autē ex assertione nostra.

12 *Assertio vltima* sit in hoc dubio: culpā mortalem existimo Missam celebrare solennè (q̄ maiorem appellant) nō recitatis publice, seu cantatis matutinis, imò & prima hora canonica in choro, vbi hæc prædicta in solemni pompa per agi solēt. Quod siquis velit nos redarguere quasi nō loquētes cōsequenter: etenim rationes à nobis allatæ, si aliquid cōuincūt ex æquo probant nullū esse necessariū ordinē inter matutinale officiū, & Missam, siue sit sermo de recitatione publica, siue priuata, & siue Missa solemnis sit, & publica, siue nō solēnis & priuata. Respōdetur ita esse vt proponitur; quare nos non apponimus istā assertionem, pter violatū ordine inter Missam & matutinum: sed quia in officio publico precum, aut Missæ longè extrahere illud à definitis temporibus, vel nimiū anteponendo, vel nimiū postponendo grauis culpa est: tū qa cōtra cōsuetudinē ab Ecclesia receptā; & graue generaretur scandalū; & certè si Missa maior decantaretur publicè hora, v.g. duodecima, & matutinæ nō essent decantatæ, vbi solent suo tempore solēniter recitari, nō posset nō immutari notabiliter tempus dicendi matutinas solemniter; aut si celebraretur Missa solēnis in ipso initio auroræ matutinis nō decantatis, etiam notabiliter immutaretur tempus Missæ dicendæ solemniter: q reputo grauem indecentiam, ac pinde peccatū mortale. Ista tamen assertio intelligenda est vt in plurimū, & regulariter; posset enim accidere casus, quādo nulla admitteretur culpa; sed rarus & grauis, atq; p causa publica, & vitato scandalo, quod inde oriri posset timeri.

De loco vbi preces Canonicæ recitāda sunt nobis essent multa dicenda, nisi idē argumentū, & occasio rediret *in q. proximè sequenti. art. 3.* vbi D. Th. de loco adorationis agit, & nos de loco orationis pariter disseremus. De modo itidē recitandi horarias pces dicendū est, & primo de attentione, q̄ modus intrinsecus est orandi, vel potius ipsamet orationis sabstātia, & deinde de alijs modis extrinsecis orationi. Et q dem de attentione requisita ad orationē multa diximus circa art. 13. huius quęst. 83. quæ necessariò sunt ad memoriam reuocanda. Modo verò est.

III. DISPVTATIO.

An supra cōmemorati, quos diximus teneri ex Ecclesiæ precepto ad recitādas Horas Canonicas, teneātur easdē recitare cum attētione ex vi eiusdē præcepti?

Sanctus Antonin. *1. p. ti. 13. c. 4. §. 7. tenet* partē negatiuam, ita quod si recitent eas sine vlla attentione, si tamen proferāt verba satisfaciūt Ecclesiæ pcepto de precibus Canonicis dicendis: idem dicere videtur Panormit. cap. *dolētes.* de celebratione Missæ, & Adrian. in qlib. q. 8. Gersō in suis regulis moralibus. Huius sētētiæ fūdamētū est, quia Ecclesia nō potest obligare ad actus internos; at attētio actus interior est. 1

Anton.
Panor.
Adria.
Gerson.

Opinio hæc iure exploditur ab omnibus, qui tenent, omnes quotquot tenentur ex pcepto Ecclesiæ Horas Canonicas recitare, teneri ad habendā attentionem. Ita Palud. *in dist. 15. q. 5* Syluester in summa voce *hora* q. 11. Caiet. super *art. 13. quæst. 83. huius, 2. 2.* Probatur ex cap. *dolentes* de celebratione Missarum: vbi Innocentius prorūpit in hæc verba. *Districtè præcipimus* (nimirum obligatis diuino officio) *in virtute sanctæ obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus studiose celebrent pariter & deuote:*

Palud.
Sylu.
Caiet.

deuotè q sine attẽtione nõ posse fieri cõpertũ est.

Dicet quis, præceptum non ferri super modum illum internũ, sed super substantiam, idest vt integrè recitetur. *Cui Respondetur*, præceptum illud iam pridem latum erat sed quia in modo dicendi sine vlla scilicet attentione magnus aderat abusus (vt patet ex verbis Pontificis) ipse simul cum Concilio conatus est, abusum lato præcepto reformare: adiecit autem Concilium illa verba, *quantum Deus dederit*, non quia attentionis modus relictus fuerit orantis arbitrio, vt prima facie significari videtur, sed vt ostenderet neminem obligari summam adhibere attentionem; sed sufficere mediocrem nostra fragilitate attenta, ita vt per orantem non stet, quominus Deus deuotionem inflat: de quo latius dicendum est dubitatione sequenti: interim vide Caiet. in summa verb. *horæ*, §.3.

An verò in cap. illo *dolentes* contineantur duo præcepta vel vnicum, res est non multi momenti, mihi plus placet Caiet. dicens esse duo præcepta. Vnum de substantia & integritate recitationis, quod insinuatur in illo verbo *studiosè*. Alterũ de modo recitãdi, scilicet cũ attẽtione religiosa.

2 *Secundò probatur* idem, quia Ecclesiæ præceptũ de recitandis precibus horarijs debet esse de actu humano: imò & de actu religioso: & si recitatio prædicta fit sine attentione, non est actus humanus, & multo minus religiosus: ergo hoc ipso quod præcipitur, subinde debet habere attentionem. Ad fundamentum oppositæ opinionis, si exactè res discuteretur, multa essent inculcanda; modo breuiter dico, duas esse celebres sententias: an Ecclesia possit præcipere actus internos: prima affirmat; secunda negat, & est D. Thom. & sequacium 1. 2. *q.* 91 *art.* 4. vide Caiet. 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. & Bannes & Martin. à Ledesm. 2. 2. *q.* 16 *art.* 6 *dub.* 4.

D. Thom. Caiet. Bañes. Ledesm.

Et hac vt probabiliore supposita, respondetur, Ecclesiam non posse per se & immediatè actus interiores præcipere; mediatè tamen quatenus sunt, conditiones, vel modi requisiti, vt fiant congruè actus interiores, bene potest eos præcipere, vt Ecclesia, quæ præcepit audire Missam, mediatè præcipit voluntatem audiendi: similiter Ecclesia, quæ præcipit recitationem, quę est actus exterior, præcipit attentionem, sine qua non fiet recitatio debitè: huius doctrinæ multa vide in Aragon. *circa art.* 13. *dub.* 1.

Primò, qua attentio sit necessaria ad Horas recitandas?

Dubitatur primò. Ad horas dicẽdas quæ atentio sit necessaria? *Dico primò*. Quælibet attentio ex tribus, quas assignauimus iuxta mentem D. Th. in art. 13. huius quæstionis, sufficiens est ad implendum præceptum præfatum: nempè siue ad voces, siue ad significata, siue ad orationis finẽ: nempè ad diuina. Hoc dictum clare colligitur ex
3 loco citato D. Tho. Itaque qui mente rapitur ad diuina, non attendẽs ad verba, neque ad sensum, modo tamen recitet verba præcepta, implet oprima attentione præceptum Ecclesiæ de recitando. Hoc assertum limitandum & intelligendum est iuxta ea, quæ superius diximus *circa art.* 13. *dub.* 2. *circa* vltimam conclusionem.

Secundo dico. Attentio actualis non requiritur
4 per totam recitationem precum Canonicarum, sed sufficit in principio habere actualem, & in continuatione virtualem. Circa hoc assertum recolenda sunt, quæ dixim' circa secũdam & tertiam conclusiones, *art.* 13. quæ omninò explicant illud, neq; indiget vlteriori explicatione, aut probatione; sed pro quiete scrupulosorum in praxim ista deducemus: vt dico. Qui capit Breuiarium, vel pergit ad chorum, vel facit aliquem actum, de quo si interrogetur, quid facis? vel propter quid facis? respondebit, volo recitare, aut preces solitas effundere, vel meæ obligitioni satisfacere; iste sufficientem habet intentionem, quam diximus requiri in principio; post hanc intentionem habitam in principio, si eam non interrumpat satisfacit præcepto recitandi; sed eam non interrumpit, si ex fragilitate totaliter ab actuali attentione cesset mente euolante ad alia extranea à diuinis.

Sed quando interrumpitur? Quando aliquis ex 5
intentione formali, aut virtuali diuertit cogitatum à debita intentione; ex intentione quidem formali, vt si mutet propositum attendendi; ex intentione verò virtuali, vt si velit operari aliqua, quæ nõ possunt exerceri simul cum attentione necessaria ad precum recitationem, vt dictare, legere, pingere: secus si opera exercita sint compatibilia cum attentione debita, vt labari, deambulare, colligere hãc, vel illã herbam, prospicere viridaria: ad iudicandũ verò, q opus incõpatibile est cũ attentione debita Horis Canonicis, iudiciũ probi & sapiẽtis discernet; qui nõ tantũ expẽdet naturam operis exterioris, sed etiã modũ, & habilitatẽ agentis. Quibusdã enim incõpossibile erit cũ attentione Horarũ se induere, alijs verò neq; audire verba circũstãtiũ; quia ad multa simul agẽda cũ attẽtione capaces sunt, vt legitur de Iulio Cæsare, q scribere, & legere, simul dictare, & audire solitus erat. Nota tamen quod qui inaduertẽter se distrahit, licèt voluntariè, nõ erit dicend' ex proposito se distrahere: sed oportet aduertere, quod se distrahit, & ad hæc vlteri' in sua distractione procedere: quinimò etiãsi aduertat se distrahi, & tamen nõ ita facilè se potest corrigere cogitatione propẽsa in materiã distractionis, nõ censetur totaliter distractus, neq; obnoxius officij omissi; licet vt plurimum veniale peccatum erit, non se totaliter cohibere.

¶ *Secundò dubitatur*, an qui recitat Horas Canonicas, & simul audit Missam tẽpore, quoad vtrũque tenetur ex pcepto, satisfaciat vtriq; obligationi? De hac re sunt duæ sententiæ. Prima negatiua Syluestri, voce *Missa*. 2. § vlt. Ratio eius est quia vtriq; actioni sua debetur, & ppria attẽtio: & istæ attẽtiones simul impossibiles sunt. Secũda sentẽtia est affirmatiua: hãc tenet Caie. *in opusculo quod de hac re edidit*. Caie. sequũtur Domin. à Sot. 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 1. & ferè omnes moderni, quis Caiet. cum limitatione loquatur asserens; quod quãuis impleri possint illa duo pcepta eodẽ tẽpore, tamẽ peccat ea implendo, quia non debitè implet. Caiet. verò se explicat de peccato veniali: quia cũ substãtia vtriusq; cultus, & impletio vtriusq; pręcepti saluetur, modica irreuerẽtia erit, ac ex cõsequenti peccatũ veniale duntaxat. Pro decisione

6 *Secundò, an audiẽs Missam si recitet vtriq; obligationi satisfaciat? Syluest. Caiet. Sotus.*

¶ *Assertũ primũ* sit, qui tenetur audire Missam, 7

& recitare preces Canonicas, si simul vtrũq; faciat, satisfacit vtriq; præcepto. Hæc est Caiet. cõtra Syluest. & alios. Probatur: quia illi duo actus, nempè audire Missam, & recitare preces Canonicas sunt cõpossibiles in omni sua integritate, & perfectione essentiali: ergo qui simul illos exoluit, adimplet præceptũ vtrumq;: antecedens, in quo est difficultas, probatur, & declaratur: nam ex supra dictis patet, quid requiratur ad recitationem impletiuã præcepti, nimirũ proferre verba, & habere attentionẽ vnã ex illis trib⁹, quas cõmemorat D. Tho. in *art*. 13. *q*. 83. ad auditionem verò Missæ impletiuã præcepti de Missa audienda requiritur, vt obligatus assistat sacrificij celebrationi secundũ moralem, & corporalem præsentiam: ita vt quantum in se est, audire possit, vel videre, aut quoquo modo sentire sacerdotis ministerium.

Dicet quis. Etiam requiritur ad audiend' Missam sua propria attẽtio, quæ non est compossibilis cum attentione recitandi preces: fateor si ad implẽdũ pceptũ de audiẽda Missa esset necessariũ attẽdere ad verba sacerdotis, vel ad eorum sensũ, essent attẽtiones illæ incõpossibiles; cæterum nõ est hoc necessariũ, sed sat erit habere vnam ex illis trib⁹, quas cõmemorat D. Th. *loco citato*. Imò omniũ optima est ad diuina attẽdere, & ad implẽdas preces de audiẽda Missa, sat est quoquo modo attẽdere, q̃ nõ est incõpossibile cũ attẽtione precũ. *Cõfirm*. quia autores oppositæ sentẽtiæ admittũt, vt credo, satisfieri obligationi de audienda Missa, si audiẽs recitet aliquot orationes spõtaneas, quæ sub præcepto nõ cadunt: ergo etiamsi recitet debitas: ad incõpossibilitatẽ enim, vel cõpossibilitatẽ impertinens videtur, q̃ orationes, q̃ inter audiendam Missam dicũtur, sint debitæ, vel nõ debitæ. Ex his patet ad argumentũ Syluest.

8 *Secundũ assertũ*. Nullũ censeo peccatũ, eum, qui tenetur recitare, & audire Missam preces exsoluere, & simul audire Missam; nisi aliunde isti actus vitientur. Hoc dictum est contra Dñm Caietanum. & alios existimantes esse peccatũ veniale, simul vtrumq; præceptum implere: quia licet vtrumq; impleatur, tamen indebitè impletur. *Sed probatur* nostrũ assertum, quia ista incõgruitas impletionis prouenires ex eo, q̃ vnus act⁹ impedit, aut minuit pfectionem alteri⁹, si eodem tempore exerceantur: & hoc verũ nõ est: quia si quis occupet temp⁹ audiendæ Missæ in cõtemplando spõtaneas meditationes circa diuina, aut verò ea mysteria, quæ in precib⁹ Canonicis cõtinentur, satis egregiè & intense exercet vtrũq; cultũ, cũ ad vtrũq; exhibẽdũ habeat attẽtionẽ omniũ optimã; D. Thom. vt colligitur ex D. Th. *loco citato*: ergò vn⁹ actus nõ minuit, aut impedit pfectionẽ alteri⁹, sed poti⁹ adiuuat ministrãdo materiã attẽtionis optimæ. *Antecedens patet*, quia nõ tenetur audiens Missam attendere ad verba sacerdotis; alias surdi nõ implerent præceptum de audienda Missa: aut verò hæc incongruitas & indecentia nascitur, vt ait Caietan. quia per hos act⁹ exhibentur Deo dispares cult⁹: ergo vt suauiter & cõgruè exoluãtur, debent in diuersis tẽporib⁹ exhiberi: quia vnusquisq; eorum suum distinctum temp⁹ exposcit: neq; hoc destruit veritatem nostri asserti: negatur enim consequentia Caiet. quia ad istos dispares cult⁹ nõ exiguntur per se loquẽdo duo tempora; neq; duæ attentiones: neq; etiam vnũ tempus, & vna attentio, quod p se exigitur est temp⁹, vt cõmodè fiant, quod verò vno, aut plurib⁹ temporibus per accidens est: tum ad impletionem præceptorum: tùm ad debitam & congruentem, ac suauem impletionem. Hui⁹ rei sunt multa exempla: si instaret tempus cõfitẽdi fidem, & colendi Deũ, egregiè & sine vllo peccato quis vtrũq; præceptum impleret canendo in Choro symbolum Fidei. Si occurrat præceptũ eleemosynæ, & pietatis paternæ vno actu vtriq; præcepto satisfieret. sine vllo peccato: quando occurrunt duo ieiunia debita eodem die vtrumque: idem eti. dico de obseruatione festorũ: & alijs huiusmodi.

¶ Dicit Caiet. non est licitum priuata autoritate vnum publicum cultum alteri publico subordinare. Respondetur. Si argumentum aliquid probaret, cõuinceret subinde multas orationes spontaneas, non licere fundere inter audiendum Missam: Quare dico non reperitur in casu alia subordinatio, nisi quia precum Canonicarum recitatio præbet audiendi Missam materiam attentionis ad diuina; quæ satis superque est ad impletionẽ præcepti audiẽdi Missam: & ad cõgruè & suauiter exercendum illum actũ cult⁹ debiti. 9

Dixi autem in asserto, nullum cõmitti peccatum, nisi aliunde ista actuum cõiunctio vitietur: eo quod recitatio precum esset impedimentum sacerdoti, aut in scandalum audiẽtium Missam, alia consideratio est non pertinens ad præsentem disputationem.

10 *Tertiò, An in peccato mortali existẽs adimpleat præceptum recitandi?*

Inter modum recitandi horarias preces non immeritò numeratur bonitas vel malitia recitantium, & recitationis & ideò dubitat. 3.

An qui persoluit horarias preces in peccato mortali adimpleat præceptum Ecclesiæ de recitando horas? *item* qui per actum malum recitat: v.g. si quis recitet officium diuinum, ꝓpter inanem gloriam, aut cantat illud, vt seducat fœminã, an præceptũ Ecclesiç impleat de precib⁹ Canonicis persoluendis: & q̃dẽ nulli dubium debet esse, quin existentes in peccato mortali adimplẽt Ecclesiæ præcepta. Posterior verò pars quæsita magis dubia est ꝓpter varias sententias quorundam existimantium per actum malum, etiam ex circunstantia finis non impleri præcepta. Ita Dionys. Carthu. *in* 1. *dist*. 17. *q*. 1. Ioan. Maior *in* 4. *dist*. 15. *q*. 3. in prin. Aliorum verò affirmãtium impleri, ita D. Th. 1. 2. *q*. 100. *art*. 9. Durãd. & Palud. *in* 4. *in materia de confessione*, Martin. de Magistris *tract. de tempor. q*. 2 *de ieiunio*, Almain. *in* 3. *dist*. 37. *q*. 1. & est cõmunis sentẽtia, à qua recedere nõ licet, neq; libet, sed accurati⁹ disputare nõ est hui⁹ loci. *Carthu. Maior D. Thom. Durad. Palud. Almain.*

11 *Quartò, An horæ sint vocaliter recitandæ*

Quartum dubium. An preces horariæ necessariò vocaliter recitandæ sint? an verò sat sit mentaliter persoluere? *Respondetur* necessario vocaliter. *Probatur* Ecclesiæ præceptũ recitandi Horas Ecclesiasticum est, sed Ecclesia non præcipit actus purè interiores, de quibus non potest esse certa vtrum fiant nec ne: ergo dicto præcepto Ecclesiastico non satisfit per solos actus mentis.

Sed dubitas quintò. Quo genere vocis sunt recitandæ preces? cantu ne? an simplici pronuntiatione?

erit? *Respondetur.* Vtrumq; fieri potest: publicas verò preces maximè decet cantus, quidquid oblatrēt hæretici antiqui, & moderni: de qua re vide nostras annotationes *circa art.1.q.91.*

CONTROVERSIA IX.

De pœnis, siue de oneribus quibus fiunt obnoxii, qui tenētur recitare preces Canonicas, si tamen illas nō recitēt, aut malè recitēt.

1 ET quidem in hac controuersia non instituimus disputationem de omnium onerum maximo: nēpè de peccato, quod admittitur à non recitantibus, vel à malè recitantibus; iam enim diximus, quando peccatur lethaliter, quando verò venialiter: neque de pœna peccatis istis correspondente, sicut & alijs peccatorū generibus: culpæ namq; pœna debetur: neque de vllis alijs pœnis iure Canonico impositis his, qui non recitant preces, quia fortaßè non sunt illæ sic impositæ. Sed potissimè sermo fit de obligatione iterum recitandi, aut quoquo modo supplēdi, aut verò de restitutione fructuū perceptorum facienda. Et à priori incipientes.

2 *Primò dubit. An qui excusatur à recitando teneatur postea recitare? Syluest.*

Dubitatur. An quando aliquis excusatur à recitatione diuini officij, postea transacto tempore obligationis teneatur preces, quas prætermisit, recitare. Innocent. *in cap. 1.* de celebratione Missæ, & Panorm. in cap. *ex parte* de obseruantia ieiuniorum, censent, non teneri. Et probatur, quia is, qui non potest ieiunare in Quadragesima, nō tenetur alio tempore, *cap. 2. de obseruantia ieiuniorū* & Syluest. in summa in voce *ieiunium* §.8. & qui tenetur præstare operas certo tempore, si impediatur iusto impedimēto, nō tenetur postea eas præstare, l. *si non fortem*, §. *libertus*, ff. de cōdict. indebit. is etiam cui vsus fructus biēnij relictus est, si præpeditus erit eo biennio, vti non poterit alio biēnio legato frui, l. *si vsus fructus*, ff. de vsu fruct. leg. Hæc sententia vera est, & placet Nauar. *ti. de oratione, cap. 11. num. 19.* imò neq; aliquid aliud loco horarū omissarū tenetur dicere, aut facere; quidquid dicat Maior *in 4. dist 12. q. 9.* existimat enim loco horarum teneri prælatos mente Deū præcari, sed loquitur sine fundamento.

3 *Secundò An omittentes recitare Horas teneantur omissa recitare?*

Dubitatur secundò. Vtrū omittētes recitare pces horarias, aut earū partem, teneantur omissa recitare? cui respondetur, sine dubio esse veram partem affirmatiuam, si nondum elapsū est tempus præfixū ad implendum præceptū preces Canonicas recitandi. *Secūdo dico.* Elapso tempore pfixo adimplendū præceptū recitandi preces Canonicas, nulla ampli⁹ obligatio manet recitādi omissa. Pro vtriusq; tamē dicti explicatione, aduertendum primo, duplex assignatum esse tempus pro officio diuino persoluendo. Quoddā, quod appellare possumus æquitatis: aliud verò necessitatis. Tēpus æquitatis est illud quo æquū, & iustū est vnamquāq; horā recitari. Habēt enim singulæ horæ sua statuta, & designata tēpora, à quibus si recitātes deficiāt sine causa, venialiter peccāt: temp⁹ verò necessitatis voco designaū, vt intra eius limites pēsum horariū soluatur, à quo si deficiant recitātes, nō implent præceptum Ecclesiæ de recitādis Canonicis Horis. Hoc autē à vesperis diei præcedētis incipit: quoad matutinas pces attinet, & quoad omnes à media nocte; & ad mediam vsque noctē sequētis protrahitur, & de hoc tempore fit mentio in duob⁹ dictis proximè præcedentibus non de priori.

Hoc supposito primū dictū probatur. Tēpus præfixū horarū solutioni est, à vespera diei præcedētis, vsq; ad mediā noctē sequētis, vt fert cōmunis sentētia; maximè D.Th. quolib. 5. *art.* 8. *ergo* q nō persoluit horas suis statutis tēporib⁹ adhuc tenebitur persoluere quousq; præfatū tēpus elabatur: ex hoc dicto refutatur sentētia Cardi. Turrecr. & Alexand. c. *presbyter. 91. dist. hic num. 5. ille art. 5.* existimātiū, quod elapsa tanta parte diei postquā horæ matutinæ recitari nō solēt, nō est quis obligatus ad eas recitādas, magis quā si totus dies lapsus esset. D.Thom.

¶ secundū dictū: cōmunis sententia est, & habetur ex D.Th. *quolib. 6. 3. art. 29.* & pbatur quia recitatio horarum fit præcipuè ob Dei cultū, nō qualitercunq; sed iuxta Ecclesiæ præscriptū; quæ dedicat illum modo in honorē alicui⁹ Sancti, cui⁹ festus dies agitur, modo de tēpore q Ecclesia celebrat; ergo illo die, cui appropriat⁹ est cult⁹ trāsactio cessāt ratio cult⁹ illi⁹: ac proinde obligatio recitādi. *Cōfirmatur* ex D.Th. vbi supra: quia dato opposito aliquādo tēpore Resurrectionis recitaretur officiū Passionis, Natiuitatis, &c. q indecēriā præ se fert. *Secundò*, quia si quis tenetur ieiunare in vigilia S.Laurentij & nō ieiunauit, nō tenetur alio die ieiunare, quia ieiunium pceptum est in honorē illi⁹ martyris: ergo neq; recitare lapso die S.Laurentij; quia officium illi⁹ diei appriatum est illi diei festo. *Primū dictū* existimo limitādum quādo omissum est totum officium diuinū, aut pars eius notabilis: nā si aliquis ex neglīgēria, aut obliuione, aut inaduertētia, etiāsi peccet venialiter, aliq minimā partē omisit, aut paucu los versus, aut antiphonas, vel quid simile, censeo eū nō teneri ea repetere. *Ratio hui⁹ limitationis est*, quia ab hac omissione vix quispiam liberatur ppter fragilitatē humanā: ac proinde pia mater Ecclesia noluit obligare cū tāto rigore; ne recitātes reijceret in tantā anxietatē; n q; ferè semper in supplendis defectib⁹ horarū occuparētur; & etiā existimo nihil æquiualens parti omissæ esse necessariò recitand, quidquid scrupulosè dicat Nauar. *c. 10. de oratione, n. 60. limit.* 2. Aliqui limitāt etiā, ne intelligatur de omittentib⁹ aliquot pauca, propter aliquot ministeria in ipsomet officio diuino exhibēda; sed formaliter loquēdo isti nō dicūtur omittere, quare vide quæ dixim⁹ superi⁹ in *cōtrouersia 6. generali* in quarta causa excusationis ab horis recitandis.

5 *Tertiò, An qui recitat sine attentione, teneatur iterum recitare?*

Dubitatur tertiò. An qui recitauit preces Canonicas sine attentione, teneatur supplere, recitādo iterum easdem? & videtur vera pars negatiua, quia qui audit Missam ex fine malo vitiante auditionem talem, vel venialiter, vel mortaliter non tenetur Missam audire: ergo quamuis clerici recitantes sine attētione peccent mortaliter

taliter, vt superius diximus, non tamen tenebuntur iterum recitare. Nihilominus pars affirmatiua certa esse debet; is scilicet, qui sine attentione actuali, aut virtuali recitat Horarias preces, tenebitur easdem iterum persoluere. Probatur: quia non satisfacit præcepto recitandi, vt superius docuimus. Hæc pars habetur ex communi omnium sententia. Ita Paluda. *in 4. dist. 15. q. 5.* Gabri. super Can. *lect.* 62. Sot. lib. 10. *de iustitia, q.* 5 *art.* 5. Nauarr. de *orat.*

Palud. Gabriel. Sot. Nauar.

Sed vt apertius ista intelligantur notandum est, *tripliciter* posse contingere quod quis recitans careat attentione; vno modo quia quis ex proposito, & sciens non vult attendere, aut vult ad alia se diuertere: & talis sine dubio non implet recitandi præceptum. & consequenter tenetur repetere iterum. *Et si obijcias*: iam iste à principio peccauit mortaliter, quorsum ergo postea tenebitur repetere? *Respondetur*. Peccauit mortaliter à principio, sed deinceps cum vrgeat præcepti impletio, secundò peccauit, quia non implet; imò toties quoties recitat sine attentione intra tempus præfixum horis soluendis. *secundo modo* potest contingere, quod quis videat, atque aduertat officium à se non dici cum debita attentione; & suis cogitationibus vanis irretitus, proponit iterum recitare; & talis peccauit venialiter orans in oratione spontanea sine attentione: cæterum tenebitur iterum recitare preces debitas ex præcepto Ecclesiæ: & ratio est: quia cum nolit illa sua recitatione satisfacere præcepto, idem iudicium erit de illa oratione, atque de alijs orationibus spontaneis: si fundatur sine attentione peccatum veniale admittitur. *Tertio modo* potest contingere aliquem in recitatione se distrahere cum animo implendi Ecclesiæ præceptum per talem recitationem, nec iterum eam repetendi; & talis peccat mortaliter; & præterea tenetur repetere. Et peccare mortaliter, patet ex præcedentibus: quod autem teneatur iterum persoluere officium, probatur, quia per talem recitationem sine attentione non implet Ecclesiæ præceptum, vt superius docuimus; & tempus implendi supponimus non præterijsse: ergo adhuc tenetur recitare.

Sed quid dicendum, si incœpit recitare cum attentione debita, & postea distrahitur, vt sæpè contingit per obliuionem, aut negligentiā, aut incuriam? *Respond.* iste implet præceptum, quia non caret attentione virtuali, vt supra diximus, atque adeò non tenetur repetere, quamuis peccet venialiter, nisi negligentia, aut incuria affectentur, aut crassæ sint: quia tūc omissio volūtaria erit, vt docet *Caie. art.* 13. & Sot. vbi sup. An verò præfati teneantur recitare totum integrum officium inferius dicemus, agentes de obligatione eorum, qui interrumpunt recitationem officij diuini: modo verò sequitur.

Caiet. Sotus.

7 ¶ Dubitatio proximè præcedenti affinis. *An ille, qui recitauit preces Canonicas cum attentione debita animo tamen non satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, teneatur iterum easdem Horas recitare?* Partem affirmatiuam Medin. *cap. de oratione* tenet, & alij: & *probatur primo*, quia implere præcepta, actus obedientiæ est: sed sine voluntate obediendi est impossibile actum obedientiæ extare: ergo ille, de quo in nostra dubitatione, non implet præceptum, atque adeò tenebitur iterum recitare, nō propter defectum attentionis, sed intentionis. *Confirmatur*. Actus humanus vltra intentionem agentis, non extenditur. Ita habetur, l. *non omnis*, ff. si certum pet. l. *in agris*, ff. de acqui. rerum dominio: ergo qui non habet intentionem implendi præceptum Ecclesiæ, non implet illud: ac proinde tenebitur iterū recitare. *Secūdo*. Si ego debeo alicui decē, & do ei totidem animo non soluendi sed gratis largiendi, nō liberor à debito, vt cōstat. Item si sacerdos accipiat à Petro stipendiū, vt pro eo illa die Missam celebret: ipse autem nō pro stipendio, sed ex beneuolentia celebret pro eodem, nollens satisfacere obligationi, adhuc tenebitur pro Petro ratione stipendij missam dicere: ergo idem erit etiam dicendum in nostræ dubitationis casu. *Item tertio*. Si quis vouit daturum Ecclesiæ centum, & postea excludens animum implendi votum det talia centum gratis, adhuc manet obnoxius voti implendi: ergo idē dicendum in nostro proposito. Item qui in die festo audit Missam vnam, nollens per illam auditionem satisfacere præcepto de audienda Missa in die festo, tenetur aliam audire, alias reus erit præcepti omissio: ergo pariter dicendum est de recitante sine intentione implendi præceptum. Certè hæc argumenta videntur cōuincere per enarratam recitationem non impleri præceptum Ecclesiæ, atque adeò consequens esse, quod sic recitans tenebitur iterum recitare, ne sit reus præcepti.

Quartò An recitās cū attentione debita sine animo satisfaciendi teneatur iterū recitare?

¶ Pro decisione tamen *dico primò*: qui non habet intentionem seu animum recitandi Horas Canonicas, quantumcunque cætera adsint, non implet præceptum. *Probatur*, quia aliàs actus non est voluntarius carens intentione. *Secundo*: qui habet voluntatem formalem non adimplendi præceptum, per illum actum sic exercitum non implet præceptum Ecclesiæ: quia nullo modo obediret illi: hoc dictum probatur priori argumento facto pro parte negante, cum sua confirmatione, ex quo sequitur, quod si quis recitans Horas Canonicas attentè, & deuotè habeat hūc actum formalem, nolo hac recitatione implere præceptum, per illum actum vt sic revera non implet præceptum: quin imò si super adderet, neque volo amplius recitare toto hoc die, grauiter peccaret; propter actum posituū non implēdi præceptum. *Prior pars* corollarij manifesta est ex argumento primo in initio dubitationis posito. *Secunda pars* etiā quia constat habet animum transgrediendi Ecclesiæ præceptum.

Dico tertiò. Si non adsit volūtas contraria præcepto, sufficit ad illud implendum voluntas recitandi, etiamsi formaliter non sit sub intentione implendi præceptum. *Probatur*, quia in ea voluntate recitandi preces præceptas, hoc ipso quod non apponitur voluntas formalis non implendi præceptum, censetur virtualiter includi intentio implendi. Hoc dictum vt reor commune est apud omnes.

Dico

10 *Dico quarto.* Probabile est eum qui recitauerit Horas cum animo non implendi præceptum, quantumcunque pœniteat, & mutet animum, teneri iterum recitare toto tempore præfixo ad recitandum; at probabilius censeo, si mutat voluntatem tempore opportuno, id est intra tempus præcepti, & velit recitatione præcedenti satisfacere, non teneri. *Prior pars* huius dicti conceditur argumētis factis in principio dubitationis, eamque asserit etiam Nauar. *in simili. c. 16. de orat. n. 74. Secunda verò pars probatur,* & explicatur; quia prior actus recitationis voluntariæ factus vt humanus & moralis, habuit totum id, quod ad implendam substantiam præcepti sufficit; nec hoc potuit excludi per priorem intentionem agendi illum actum ex deuotione, & non ex obligatione solumque ibi defuit obedientia voluntatis: ergo si hæc postea adiungatur per subsequentem voluntatem, & moralem relationem ab illa prouenientem, hoc satis est ad implendū præceptum per priorem actum sic relatum. Et si vrgeas. Per priorem actum exercitum cum illa voluntate non implendi præceptum, non implet præceptum, vt in tertio dicto habetur: ergo tenetur iterum recitare, vt impleat. Negatur consequentia, quia per eundem actum postea relatum ad impletionem præcepti impletur, quia semper mansit capax illius relationis; & hoc benè nota pro similibus dubitationibus.

Nauar.

11 *Ad argumenta in principio dubitationis* posita, quatenus procedunt contra quarti dicti posteriorem partem, *respond. Ad primum* distinguendo consequens: probatur enim quod per illam recitationem, vt sic exercitam, id est, vt habet adiunctam voluntatem formalem non implendi præceptum, reuera non impletur. Vnde si talis recitans non resipiscat, & permaneat in eadem voluntate toto tempore præfixo ad recitationem; absque dubio tenebitur iterum recitare: at verò per eandemmet recitationem si recitans mutet voluntatem, & velit per præcedentem recitationē adimplere reuera adimplet præceptū, & cōsequenter nō tenetur iterum recitare. Pari ratione respondetur ad confirmationem.

Resp. ad argumenta in oppositum.

12 *Ad secundum argumentum negatur antecedens:* sed idem iudicandum est in omnibus casibus ibi adductis, præterquam in primo, in quo postquam quis gratis suo debitori donauit centum, in illum dominium vel ius habendi transtulit: atq; adeò donationem non poterit referre, vt sit solutio; secus in nostro casu, & alijs ibi adductis. Sed ne ex dictis occasionem errandi capias, aduerte, quod qui recitat diuinum officium non animo orandi, sed aut legendi, aut Psalmos addiscendi, aut propter aliud quodpiam; quantumuis volūtatē mutet tenetur illud iterare; siquidem prior actus non fuit actus orandi: nos verò in hac dubitatione loquimur de eo, qui re vera orauit, sed animo non satisfaciendi Ecclesiæ præcepto.

13 *Quintò dubitatur.* Vtrum ille, qui non omisit officium diuinum, sed partem, & tenetur repetere, iuxta ea quæ docuimus: an teneatur recitare totum officium diuinum? an satis sit partem omissam repetere? Quæ dubitatio nos inuitat ad fusiorem declarationem obligationis recitandi, quæ nascitur ex omissione alicuius partis officij diuini, & etiam de obligatione, quæ oritur ex interruptione eiusdem. Et pro decisione dico multa.

Quinto, An qui omisit partem teneatur recitare totū officium diuinum?

14 *Dicò primò.* Qui omisit partem notabilem alicuius horæ Canonicæ, si omissio talis est, vt quæ recitata sunt, non habeant formam & modū Canonicæ Horæ, tenetur totam Horam ex integro repetere: verbi gratia, si omisit in matutinis precibus primum nocturnum, aut duos Psalmos ex quolibet nocturnorum; aut in hora tertia Hymnum, & duos Psalmos. Et intelligitur assertum siue culpabilis sit omissio; vt si sciens & prudens omitat, vel ex ignorantia, aut negligentia crassa, aut affectata, vel etiam si non sit omissio culpabilis mortaliter; vt quando quis omisit partem notabilem per incuriam, obliuionem, aut ignorantiam culpabiles venialiter. Probatur: quia talis recitatio etiā exterior non habet formā aut effigiem officij diuini: ergo per illā non satisfacit præcepto recitandi illud. Quæ sit verò pars notabilis iudicio viri probi & prudentis relinquendum est, & quando seruetur forma horæ Canonicæ.

Secundo dico. Qui omisit partem notabilem alicuius Canonicæ horæ retento tamen modo & forma eiusdem horæ, quamuis mortaliter peccet, non tamen censeo teneri horam integram, sed satis erit recitare partem omissam: v.g. siquis in matutinis dominicalibus scienter omittat totum Psalmum, *Diligam te Domine.* Probatur, quia ista recitatio retinet sine illo Psalmo veram formam matutinalis officij: ergo sat erit partem omissam recitare, quia vnde ad aliud teneamur non video.

Tertio dico. Qui quomodocunque omisit partem alicuius horæ minimam etiam scienter, & ex contemptu, non tenetur illam partem minimam recitare. *Probatur:* quia ille adimpleuit præceptum recitandi: tum quia parum pro nihilo reputatur: tum ex indulgentia piæ matris Ecclesiæ, quæ non vult tam anxios reddere suos ministros: tum tertio, quia vix quiescerent animi recitantium, quos omnino integre recitare sine omissione alicuius particulæ minimæ ferè impossibile est. Hæc tria, quæ de omittente, & non recitante stabilita sunt, sunt etiam intelligenda de recitante sine attētione actuali, aut virtuali, quia pro omittente reputatur, cum det sine mente sonum. Consulto dico *sine attentione actuali, aut virtuali.* Ex quo infertur quod is qui recitauerit partem diuini officij sine actuali attentione mente distractus ad alia, non aduertendo se non aduertere, quamuis venialiter peccet, nihil tamen tenetur repetere, quia cum virtuali attentione recitauit, vt clare colligitur ex ijs, quæ de attentione virtuali docuimus *circa art. 13.*

15 De interrumpente diuinum officium *dico quarto.* Qui diuinum officium interrumpit ex causa legitima, neque peccat, neque tenetur recitare integrum diuinum officium, sed satis erit repetere ab ea parte, quæ omissa est propter interru-

terruptionem: causa autem legitima interrumpendi diuinũ officium expendenda erit iudicio viri prudentis, & probi. Possumus autem nos causas legitimas ad duo capita reducere vtcunque. *Primum* est, quando id cuius causa fit interruptio, spectat ad ipsummet officium, vel eius finem; ad ipsum officium, vt si quis non intelligat versum, Psalmum, & recurrit ad commentaria, vt ignorantiam depellat, quia fortasse postea obliuisceretur: ad finem verò officij, vt si quis in locũ incidens deuotum mente rapitur vt cogitet diuina. *Secundum caput est*, quando id cuius causa interrumpitur diuinum officium, conuenit saluti corporali, vel honori, vel rei familiari propriæ, vel proximi, & non patitur commodè dilationẽ, vt si interrumpatur diuinum officium, vt inseruias infirmo, aut excipias hospitem, aut defendas à pluuia res tuas, aut alienas, & sit periculum in mora. Si plura cupis lege Nauarrum *de orat. c. 16. à n. 66. vsq; ad numerum* 75. & intelligitur dictum quartum, siue interruptio durauerit parũ siue per magnum temporis spatium. Aliqui vt Nauarrus *loco citato n.* 73. limitant quartum dictũ modo adsit intentio continuandi cœpta cum dicendis post interpositionem: nam si quando fit interruptio, adsit animus denuo repetendi totum officium tenebitur ex integro repetere. Ego verò sine tali limitatione assero nostrum quartũ assertum iuxta doctrinam traditam in dub. 3. præcedenti. (Nauar.)

16 *Dico quintò* Quãdo id cuius causa interrumpitur diuinum officium breue consumit tempus, siue interruptio fiat sine peccato, vt in quarto dicto præcedenti, siue cum peccato mortali, aut veniali: interrumpens nõ tenetur totum diuinum officium ex integro repetere: vt si quis misceat risum dissolutum, sermonem inhonestum breui temporis spatio, satis est vt prosequatur iungendo dicta dicendis. *Proba.* quia parum pro nihilo reputatur, & modica interruptio in negotio morali non censetur discontinuare actionem, vt habetur in l. *Continuus*, ff. de verb. oblig.

17 *Dico sexto.* Qui sine causa legitima, siue fit peccatum veniale, siue mortale interrumpat diuinũ officium per longum tempus, tenetur ex integro repetere totum officium diuinum v.g. si quis inceperat recitare matutinas horas, & perueniens ad officij medietatem, interumpit illud, vt vacet ludo, aut vt scortetur. *Proba.* quia quælibet vnius horæ recitatio vna actio censetur, at tanta temporis interruptio discontinuat actionem illam: ergo nisi ex integro repetatur, non satis fit obligationi recitandi vnam horam, ac proinde tenebitur totam horam ex integro repetere. *Obycies* fortasse, ex huius asserti probatione colligi, etiam si causa interruptionis sit legitima, modò duret interruptio per longum tempus extare obligationem recitãdi officium integrum, & quia illa longa temporis interruptio discontinuat actionem, & videtur impertinens ad hoc, quod interruptio fiat ex legitima causa nec ne. *Resp. neg. cons.* Ratio discriminis est, quia qui ex causa legitima interrumpit, quæ est vacare diuinis, aut virtuti studere, quæ sufficiunt continuare moraliter actionem recitandi preces Canonicas adinuentas in bonum recitantium, & aliorum; maximè dicente Domino misericordiam volo & non sacrificium: at interruptio magna ex illicita causa nihil tale conseruat, vnde censeatur recitatio discontinuata: benè scio quosdam oppositum sentire huius dicti, sed sine fundamento, & nimis laxe, quare sequendi non sunt.

An verò ille, qui recitauit prauè horas Canonicas ob adiunctum prauum finem, vt si recitet ob vanam gloriam, aut propter alium finem lethalem teneatur repetere? Pars negatiua certa est. *Probatur.* Ille adimpleuit præceptum de recitando, vt probaui superius in controuersia septima ad finem quartæ dubitationis: ergo nihil tenetur repetere. Et habeto pro regula in hac materia: qui adimplet præceptum, non est vnde obligetur ad vllam repetitionem. 18

Dubitatur sexto, an qui elapso vnius diei spatio, quod diximus esse præfixum totius officij diuini recitationi, omiserunt diuinum officium, teneantur aliquid restituere? & potissimè loquimur de restitutione alicuius rei temporalis, putà stipendij percepti pro horis dicendis. Ex quo etiam liquet disputationem tantum institui de beneficiarijs: nam cæteri recitantes non beneficiarij, non accipiunt stipendium pro persoluendis precibus horarijs.

Et arg. pro parte negatiua, primo, quia non extat ius ad id obligans recitantes, neque naturale, neque diuinum, neque positiuum: ergo non sunt obligandi. *Secundò*, quia stipendium non datur beneficiarijs propter solam recitationem, imò neq; potissimè propter recitationem, sed pro alijs potioribus, & primarijs actibus, putà propter ministrationem sacramentorum, & consiliorũ, propter prædicationem verbi Dei. *Confi.* beneficium non datur sub conditione, sed sub modo, at etiam si modus non seruetur beneficiarius poterit retinere fructus, 19

Pro parte affirmatiua arg. primò. Beneficium, vt in communi proloquio est. datur propter officium. & habetur *de rescriptis c. fin. 6. ergo* sublato & omisso officio recitandi non sunt retinendi fructus beneficij. *Probatur conseq.* quia vbi aliquid datur ob causam, illa non sequuta, illud non potest repeti. ff. de conditionibus ob turpem causam. *Confi.* & explicatur vis huius argumenti. Iniustum est, & contra iustitiam commutatiuam eum, qui non laborat, mercedem percipere: sed stipendia dãtur beneficiarijs inter alia, vt recitẽt diuina officia, vt supra probaui: ergo si non recitant, tenentur ex iustitia commutatiua violata ad restitutionem.

¶ Ante Concil. Lat. sub Leone decimo hinc inde agitabatur dubitatio proposita. Calderinus, & alij tenebant partem affirmatiuam; Panorm. & magna caterua Canonistarum, quos refert & sequitur in verbo, *clericus.* 4. §. 23. tenebant negatiuam, eratque ferè communis: sed hanc litem dirimit præfatum Concilium in loco inferius citando adhærens parti affirmatiuæ. 20 (Panor.)

Sed adhuc superest decidendum, quo iure teneantur stipendia restituere: cui respond. per sequen-

sequentia dicta. *Primum* est beneficarij simplices sine vlla cura, vt Canonici & præstimonia habentes, si nõ recitent horas Canonicas, tenentur restituere stipendia illis collata ex iure naturali & diuino. *Probatur euidenter.* Istis datur stipendiũ propter recitationem horarum & solum propter illam: ergo si non recitent tenentur restituere ex iure iustitiæ commutatiuæ, quod naturale est & diuinũ: sicut q conducitur, vt colat vineam, si non colit, tenetur restituere stipendium acceptum. *Antecedens prob.* quia stipendia seu fructus collati præfatis beneficiarijs non est præmium tituli clericalis, neq; virtutis, sed laboris. Deu. 18.
Deut. *Filiis Israel dedi omnes decimas in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis.* Sacerdotibus quoque in lege noua præstantur pro labore, & ministerio. 1. ad Corin. 9. *Secundo proba.* idem antecedens, quia non apparet aliud mini-
2. Cho. 9. sterium Ecclesiasticum, propter quod illis dantur fructus, seu stipendia, nisi propter recitandũ officium diuinum. Quare miror Syluestrum, & alios ab eo citatos non aduertisse huius rationis efficaciam, saltẽ quoad beneficiarios simplices, quibus nullum aliud ministerium Ecclesiasticũ incũbit, nisi preces Canonicas recitare, ob quod dantur illis beneficiorum fructus, seu stipendia.

21 *Secundo dico.* Non est improbabile stando in solo iure naturali beneficiarios curatos, idest quibus animarum cura incumbit, non teneri ad restitutionem fructuum acceptorum, etiam si preces Canonicas non recitent, longè tamen probabilius est oppositum, *Prima pars probatur,* quia multa, & potiora sunt ministeria alia præter recitationem horarum, ob quæ dantur prædictis beneficiarijs decimæ & fructus, vt videre licet in secundo arg. pro parte negatiua: ergo quamuis omittatur recitatio precum, adhuc possunt pro alijs ministerijs fructus percipere: causa enim minus principalis, & secundaria omissa non inducit obligationem restituendi. *Secunda verò pars est contra* Aragon. August. & *probatur* quia be-
Aragon. neficiarij curati ex iustitia ratione stipendij recitare tenentur: ergo si omittat læditur iustitia commutatiua, ac proinde per restitutionem reparanda erit: Nec sufficit dicere, quod alia ministeria exercent, nam non contendimus præfatos beneficiatos curatos teneri restituere omnes fructus, sed teneri restituere ex iustitia, quid quid sit de quota, de quo postea dicemus. *Confir.* Qui accipit stipendium pro exercendis duobus ministerijs, si vnum tantum omittat fit reus violatæ iustitiæ: ergo idem dicendum est in nostro proposito. *Confirm. secundo* à Magistro Soto: Nam cum hoc præceptum restituendi impositum beneficiarijs omittentibus recitationem à Concilio prædicto, tam insigne, & graue sit, non tam repentè à Concilio imponeretur, nisi esset de iure naturali, & in antiquo vsu Ecclesiæ mandatum executioni.

22 *Tertio dico.* Stando in iure positiuo nulli dubium potest esse quin omnes beneficiarij teneantur restituere fructus suorum beneficiorum, si non recitauerint officium diuinum: & aduerte non fieri modo sermonem, quando aut quomodo, & in quanta quantitate debeat fieri hæc restitutio. Probatur dictum hoc ex Concilio Lateranensi sub Leone. 10. Session. 9. vbi sic habetur. *Statuimus & ordinamus, quod quilibet habens beneficium cum cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio, diuinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis, & officij, & temporis suos non faciat: sed eos tanquam iniustè perceptos in fabricas Ecclesiarum vel pauperum eleemosynas erogare teneatur: si verò vltra dictum tempus, in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente beneficio ipso priuetur, cum propter officium detur beneficium, &c.* Ad argumenta pro parte negatiua patet ex dictis.

Sed contra doctrinam traditam, maximè contra duo priora dicta est argumentum, qui 23
accepto stipendio locat operas suas ad colendum agrum, & non coluit die statuto, tenetur vel colere, vel restituere stipendium data illi optione ad eligendum ex his duobus id, quod maluerit: ergo beneficiarius, qui accepit stipendium pro horis Canonicis dicendis, si non dicat tempore præfixo, non tenetur necessario restituere stipendium, sed satis superque satisfecit suæ obligationi, si recitet officium omissum. *Confir.* Talis beneficiarius omittens peccat contra iustitiam, ob id præcipuè, quia priuat Ecclesiam, à qua stipendium accipit orationibus debitis, & damnificat eam in spiritualibus: ergo potissimus modus reparandi talem iustitiam læsam est orando rursus, iuxta debitum suum. *Confirm. secundò* Sacerdos qui accepit stipendium pro celebranda Missa hodierna die, quæ est sancto Martino dicata, si non celebret, satisfaciet suæ obligationi celebrando altera die, & non tenetur restituere stipendium acceptum: ergo idem dicendum est de beneficiario, qui omisit recitare horas Canonicas. Hæc pars defenditur à Pal. *in 4. distinct. 15. q. 5. artic. 2. concl. 5.* Maior. *q. 6.* Palud.
§. *in 6. c.* Anton. *3. p. tit. 6.* Adrian. *quodlib. 8. lit. II.* Maior.
Viguer. *titul. de horis* Ledesma. *2. p. q. 16. or. 6. dub.* Anton.
4. Respondetur. Beneficiarius, qui elapso tempore designato ad recitandas horas non recitauit, non sufficienter reparat iustitiam læsam 24
recitando omissa, sed tenetur restituere stipendium. Et quidem attento iure positiuo id patet ex Concilio citato, & absolute etiam probatur, quia causa principalis propter quam datur ab Ecclesia stipendium beneficiarijs recitantibus, non est, vt pro Ecclesia vel eius membris oretur, sed vt Deo exhibeatur cultus secundum formã ab Ecclesia perscriptam, modo in honorẽ huius Sancti, modo alterius: interdum ad celebritatem huic diei dicatam, interdum ad alterius diei solemnitatem: ergo transactis talibus diebus non satisfacient recitantes denuo quod omiserant, quia intentioni Ecclesiæ dantis stipendia non satisfaciunt. Est simile in ieiunio dicato alicui celebritati omisso. Item siquis accipiat stipendium pro cultu vineæ tempore veris, & non colat, si tempore æstatis velit colere, non reparat violatam iustitiam, quia tempus opportunum cultui vinearum transiuit, sed

sed tenetur restituere. Idem dico in nostro proposito, & hæc sententia tenetur communiter. Medin. Med. *C. de oratio tit. 6. q. 7. de oratione publi.* Nauar. Nauar. *de oratione. c. 10. n. 6.*

Ex dictis patet ad argumentum. Et ad priorem confirmationem negatur antecedens: etenim orare pro Ecclesia non est præcipua causa
25 recitandi horas Canonicas vt explicui. Ad secundam *Confirm. resp.* qui non dicit missam die designata pro qua accipit stipendium, si id sine causa agat, peccat venialiter. Cæterum si alio die dicat, satisfacit, quia id; quod potissimè exquiritur in sacrificio Missæ, est oblatio sacratissimi corporis Christi pro his, à quibus stipendium accipitur.

¶ *Septimo dubitatur* magis in speciali, attento
26 omni iure, in qua quãtitate, & quomodo, & quãdo, & cui facienda sit à beneficiarijs pdicta restitutio fructuum? In qua dubitatione Sot. *lib. 10. de iustitia. q. 5. art. 6.* quantum ex eius verbis potui colligere, tria insigniora dicit. Nam siquis incongrue diuinum officium proferat, aut versus aliquo: ex supina negligentia, & oscitantia interpollet (quod esse veniale docui) non tenetur aliquid restituere: & ratio eius est, quia hoc esset irretire conscientias, cum vix caduca labilisque hominum vita sine huiusmodi negligentijs transigi queat. *Dicit secundo*, quòd quamuis quis matutinale officium, aut aliam horam, seu ex culpabili obliuione, seu dedita opera prætermiserit, quod fortè semper est mortale; vel etiam si totum diẽ orare prętermittat, quod procuidubio est lethale, non ideò ad restitutionem fructuum ex rigore iuris obligatur: & ratio illius est. Nam quamuis beneficiario propter officium beneficium concedatur, non tamen adeò minutatim respondere debent stipendij portiunculæ singulis Canonicis horis, vt cuiusque prætermissio ad restitutionem illius portiunculę obliget: quoniam neque in ciuilibus familijs tã exactè requiritur seruitium, nec Spiritus sanctus, cuius nutu Ecclesia regitur tales voluit suis ministris scrupulos inijcere. Insuper addit, quod pro vno aut duobus diebus omissis, etiamsi peccatum mortale sit, non est tamen habendus scrupulus restitutionis vllius.

Tertio dicit. Beneficiarius, qui longiore tempo-
27 re, quàm per duos dies omittit diuinum officium, etiam in principio obtenti beneficij, tenetur ad restitutionem fructuum: & obijcit sibi Sotus verba citata ex Concil. Later. vbi tantum præcipitur beneficiarijs omittentibus restituere post sex menses ab obtento beneficio, vbi à contrario sensu colligi videtur, quod ante sex menses elapsos ab obtento beneficio, non tenentur eosdẽ fructus restituere: & dicit verba Concilij, vt iacent, non sunt satis intelligibilia. Habetur enim prius *quod qui post sex menses ab obtento beneficio non orauerit, pro rata restituat*, postea verò subditur, *si verò vltra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, &c.* Quæ quidem verba prioribus non gratè cohærent. Nam hæc postrema in simili negligentia apertè denotant negligentiam priorum sex mensium ad restituendum pro rata obligasse, quando quidẽ post illos rigor cogendi per comminationem priuationis beneficij adhibetur: quare subiungit. *Ego certe crediderim illud verbum Concilij post sex menses non esse post, sed per, idest, per sex menses.* Vt sit sensus: quod qui per sex menses ab obtento beneficio, vel quamlibet eorum partem, officium non dixerit, solum teneatur ad restitutionem pro rata. Elapso verò semestri, si post admonitionem in quindecim diebus, non bis orauerit beneficio priuetur. Itaque primum semestre non datur tanquam induciæ, vt clericus non orans nulli subiaceat pœnæ, esset enim omni ratione dissonum, sed vt non priuetur: & hoc pacto verba sunt intelligibilia, alioqui minimè. Hæc Sotus.

Huic lectioni quæ placet Soto applaudit Meno. *lib. 2. de arbit. centuria. 5. casu. 429. n. 11.* & adhuc vrgetur amplius in eius gratiam. Nam sensus verborum videtur imperfectus, nisi legamus vt Sot. legit, quia post verba citata ex Concil. vbi dicitur, *Quando non faciat beneficiatus fructus suos*, subdit Synodus, *qui autem vltra id tempus intra quindecim dies non recitauerit bis, beneficio priuetur.* Vt sit sensus, quod qui per sex menses non recitauerit, pro rata restituat, qui autem vltra id tempus non recitauerit bis intra quindecim dies, priuetur beneficio, sed si particula esset *post*, non deberet priuari beneficio, sed tantum pro rata soluere, qui officium non recitauerit bis intra quindecim dies, cum dicatur quod post sex menses pro rata soluat: ergo non particula *post*, sed *per* est in Synodo legenda, vt perfectus sit sensus Concilij, nec ijdem quindecim dies restitutiones fructuum & priuationis beneficij constituantur.

¶ Hanc Soti sententiam & pleraque eius dicta impugnant acriter multi, potissimè Nauar. *de oration. cap. 21. num. 61. & 62.* Petrus à Nauarra, *Tolet. 2. lib. de restitutione c. 2. num. 180. vsque ad num. 199.* Aragoni⁹ Augustinian⁹ *2. 2. q. 83. artic. 13.* eisdem verbis quibus prædictus Petrus à Nauarra, & alij multi: nos verò horum assertionibus & impugnationibus omissis, quid sentiamus per sequentia asserta aperiemus.

¶ *Primum est.* Siquis beneficiarius paruam officij diuini quantitatem omittat, etiam scienter, 28
nihil tenetur restituere. Hoc dictum est idem cum primo dicto Soti, & commune omnibus: cui addiderim, etiam si ex contemptu omittat. *Probatur*, quia per talem recitationem impletur præceptum, vt superius probaui: ergo non est cur teneantur aliquid restituere: & hanc consequentiam puto irrefragabilem in hac materia.

Secundum assertum. Beneficiarius, qui per vnum aut plures dies omisit officium diuinum culpabiliter lethali culpa, imo qui vnam tantum horam omisit, tenetur restituere fructus beneficij pro rata, saltem si omisit post sex menses ab obtento beneficio: Hoc dictum est omninò oppositum secundo dicto Soti, est tamen expressa mens Concil: Lateran. in verbis citatis: neque hic rigor nimium ius existimandum est, vt ait

vt ait Sotus, quin potius ius ipsum naturale hoc postulat, vt ostendi dubio præcedenti, quare Cōcilium iubens illud seruari non est censendum, vltra id quod par est rigorose procedere. Secundo. Beneficiarius sic omittens non implet
29 præceptum iustitiæ, quo obligatur ad recitandum, & peccat mortaliter contra iustitiam: ergo reparanda est ista læsio per restitutionem: antecedens concedit doctissimus Magister, & consequentia nota est, & ratio adducta ab eo, si efficax esset probaret subinde non peccare mortaliter sic omittentes, quod ipse non concedit, quia Ecclesia, quæ motu Spiritus sancti regitur multo minus iniiceret scrupulum peccandi aduersus sic omittentes, quam scrupulos restituendi, quia infinitè maius malum est peccatum, quam restitutio. *Tertio probatur* ex extrauaganti Pij V. inferius citanda, vbi expresse decernitur pro vnius horæ dimissione esse aliquid restituendum. Consulto dixi, saltem post sex menses ab obtento beneficio, ne admiscerem certa dubijs, nostrum autem assertum certissimum est, cui non potes dissentire, nisi Concilio graui & Summo Pontifici velis aduersari: cadit autem sub dubio an ante sex menses ab obtento beneficio teneantur beneficiarij aliquid restituere, de quo statim.

Assertum tertium. In §. præfato Conc. Later.
30 non est legendum, vt ait Sotus: *per sex menses*, sed, *post sex menses*. Hoc certissimum est. Et probatur, quia Pius V. in prædicta extrauaganti retulit verba concilij, quæ approbauit, & declarauit & tamen non retulit, *per sex menses*, sed *post sex*. Itē, quia sic habetur in omnibus Concilijs cuiuscunque impressionis sint: admittere autem errorem impressionis in Conciliorum & Pontificum decretis, sicut neque in sacra Scriptura non est tutum, nisi appareant erroris manifesta indicia aliàs non haberemus quid certum in Ecclesia: indicia autem & fundamenta Soti non sunt firma, quibus inferius respondemus.

Assertum quartum est. Omnes beneficiarios omittentes diuinum officium non teneri ad restitutionem vllam fructuum beneficialium faciendam ante sex menses elapsos ab obtento beneficio. Hoc assertum commune est, & certum apud ferè omnes modernos à Nauarro vsque ad eos qui modo extant: videndi sunt Hor. Luci. de priuilegijs Scholar. Priuilegio 100. Simon. Cas. de Catholica institut. c. 9. num. 208. & videtur probari manifestè ex tenore Conc. Later. nuper citati: nam inquit *Statuimus & declaramus, quod quilibet habens beneficium, si post sex menses ab obtento beneficio diuinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, &c.* Ergo argumentando à contrario sensu ante sex menses elapsos à consequutione beneficij non obligatur ad restitutionem fructuum, etiam si diuinum officium non dixerit. Et confirmatur ex verbis Pij V. ex dicta extrauaganti, qui refert verba Concilij, & salubria & pia esse dicit. Ad coniecturas autem Soti, quibus persuadet sibi non esse legendum in Concilio, *post*, sed *per*, respondetur, quod illa particula, *post*, denotat omnes dies sequentes totum numerum sex mensium, in quibus pro

Horat. Simon Cast.

rata restituere tenebitur, qui diuinum officium non recitauerit. I aque qui per octo dies vel decem post lapsum semestre, non recitauerit singulis illis diebus pro rata restituet, qui vero vltra præcedens vsque ad decimum quintum diem saltem bis non recitauerit, priuabitur beneficio. Et certè non est negandum Soto verba Concilij aliquid obscuritatis continere, non tamen proinde ab illo recedendum est, sed explicandum. Quare accipe clarius Concilij sensum: qui per quindecim dies sequentes post numerum sex mensium, nullum diem, vel vnum tantum recitauerit, priuabitur beneficio, qui autem bis, ter, aut quater tantum recitauerit, soluet pro rata, sed non priuabitur beneficio: neque id ego solum intelligo de primis quindecim diebus, sed quandocunque post illos menses reperit quis, intra duas hebdomadas non bis recitans, priuabitur beneficio. Id enim significant verba illa. *Vltra id autem tempus, si bis non recitauerit, priuetur: si vero bis aut pluries recitauerit, non priuabitur, sed solum restituet pro rata omissionis officij, sicut declaratum est.*

Assertum quintum. Probabile est beneficiarium quemcunque omittentem officium diuinum teneri ad restituendum fructus beneficiales statim ab obtento beneficio, etiam ante semestre elapsum. Hoc assertum est Soti, & sequacium, Couar. *lib. 3. var. cap. 13. num. 10.* vbi refert Decium & Ripam, & nouissimè idem tenet Dur. *in 3. lib. de ritibus Ecclesiasticis c. vlt. num. 7.* & alij. Et probatur. Talis beneficiarius peccat contra iustitiam commutatiuam in materia graui: ergo tenetur reparare per fructuum vel stipendiorum acceptorum restitutionem, sicut in alijs transgressionibus, quæ contra iustitiam admittuntur, contingit. Antecedens quod attinet ad peccati grauitatem expresse habetur à Pio V. in extrauaganti citata: Quod verò illud peccatum sit contra iustitiam commutatiuam, apertè colligit ex discrimine, quod versatur inter beneficiarium omittentem officium diuinum, & inter Clericum sacris initiatum, similiter omittentem. Nam ille peccat contra iustitiam, eo quod ratione stipendij se obligauit ad id recitandum: hic verò tantum contra Religionem, vtpote qui nullum accipit stipendium pro recitatione horarum. Secundo stando in iure naturali, iste beneficiarius sic omittens tenebatur restituere: ergo & modo tenetur. Antecedens supra probatum est: & conseq. probat. primò, quia ius naturale non potest ab Ecclesia immutari. *Secundo*, quia estò possit non est credendum tantam relaxationem tribuisse. Et quia hoc assertum probabile est, soluendæ sunt rationes pro quarto asserto adductæ, quatenus contra hoc militant.

32 (margin: Durant. Couar.)

33

Ad primam ex Conc. Lateran. respond. argum. illud à contrario sensu, post sex menses tenetur, ergo ante sex menses nō tenetur, nō est firmū, arg. legis *cum prætor*. ff. de indict. cap. de Apostolica, de his, quæ fiunt à prælatis; præsertim vbi sequeretur absurdus & absonus intellectus l. 2. C. de condict. incer. vbi glossa. l: *conuenticulam*, vbi DD.

C. de Episc. & cler. & si beneficiarij non tenerentur restituere ante sex menses ab obtento beneficio, quot essent, qui recitarent toto semestro? atque adeò tale decretum vergeret in perniciem diuini cultus; quod non est credendum voluisse sacram Synodum, neque Pontificem Pium in extraua. citata.

34 *Dices fortasse*, Concilium voluisse illos priores sex menses dare beneficiatis vice induciarum, vt possent edoceri, quomodo esset recitand, ad emendum Breuiarium, & alia necessaria præparanda. Contrà; nam intra pauciores dies hæ præparationes fiunt. Item quia si faciunt, quod in se est beneficiarij, quamdiu non sunt apti ad recitandum propter impotentiam excusantur: quorsum ergo Concilium credendum est dedisse tã largas inducias? Sed adhuc animus non quiescit quæritans, qua ratione motum, vel ad quem finem Concilium apposuit, *Si post sex menses?* non enim sine causa apposuit. Respond. quod voluit tradere iudicibus Ecclesiasticis modum, & normam puniendi beneficiatios omittentes officium diuinum: & decreuit, si post sex menses ab obtento beneficio inuenti essent non recitasse, puniendos esse amissione & restitutione fructuum. vtpote qui nullam apparentem excusationẽ suæ omissionis possent adducere: at si post semestre intra quindecim dies bis non recitassent, puniendos esse priuatione beneficiorum. Quoad reliqua verò in conscientiæ foro nihil voluit Conc. immutare, sed reliquit rem in sua natura, & intra leges iuris naturalis & diuini. Similiter respon. ad confirmationem.

35 Cæterum, quia quartum assertum mihi probabilissimum, & multis certum apparet, ita Nauar. *cap.* 7. *num.* 31 c. 10. *num.* 37. & dicit esse communẽ in c. 1. de celeb. Miss. ita ferè omnes Summistæ Syluest. verbo clericus. 4. *q.* 23. *num.* 16. respondere libet ad rationes pro quinto asserto factas, quatenus illi aduersantur. Ad primam concesso antecedenti distinguitur consequens, seclusa remissione & condonatione concilij, concedo totum: at stante condonatione Concilij in illo §. *statuimus*, nego.

Pro cuius solutionis declaratione aduertendum, ad Ecclesiam, & Concilia Vniuersalia, quæ eam repræsentãt, & ad Papam spectare dispẽsationẽ, & distributionem bonorũ Ecclesiasticorũ, qualia sunt fructus beneficiorum: ac proinde quãuis stando in iure naturali omnes beneficiarij non recitãtes diuinũ officium peccent cõtra iustitiã, & cõsequenter teneantur fructus ob id pceptos restituere, tamen Ecclesia potuit condonare talem restitutionem, & de facto condonauit his, qui nõ recitauerunt per primum semestre à beneficio obtento propter iustas causas ad id inducentes. Itaque non liberauit à peccato beneficiarios transgressores, potuit tamen liberare, & de facto liberauit à restitutione fructuum, quam tenebantur facere, nisi Ecclesia condonasset. Causæ autem, quæ mouere Synodum Later. ad dandas tam largas inducias, & liberandos transgressores à restitutione per totum primum semestre, hæ sunt.

Viderat Sydonus quosdam beneficiarios occasione opinantium eos non teneri restituere non recitare diuinum officium; viderat alios occasiones obtexere ad non recitandum, quia nesciebant modum recitandi statim ab obtento beneficio: & volens vtrique occasioni occurrere, quæ vergebant in perniciem diuini cultus, sustulit è medio opinionem affirmantem beneficiarios non teneri, declarans eos non facere fructus suos post sex menses priores, si non recitassent: dedit insuper largas inducias, vt præpararentur ad diuinum officium persoluendum, donans transgressoribus vltra illos sex menses remissionem fructuum, quos alias seclusa donatione tenebantur restituere. In primo auxit cultum diuinum, & eneruauit opinionem affirmantium non teneri, in secundo indulsit querimonijs beneficiariorum.

¶ Et hinc patet ad secundum nego conseq. Ad primam probat. resp. Concil. non immutasse ius naturale nec liberauit à peccato transgressores intra priores sex menses, vt apertè testantur Pius V. in sua extrauaganti, sed liberauit à restitutione alias facienda, si non extaret condonatio: quemadmodum si ego liberem à restitutione latronem, qui furto sustulit rem nostram, non muto ius naturale, quo fures adstringuntur restituere ablata. Hanc autem condonationem Ecclesia, quæ dispensatrix est bonorum Ecclesiasticorum potuit facere, cum causa. Imò addiderim, Ecclesiam habere dominium talium fructuum, postquam eos applicauit vsibus cameræ Apostolicæ; & ideò poterit sine vlla causa, sed pro suo libito condonare, vt reuera facit mediante Bulla compositionis, de quo fusius suo loco. *Ad secundam probationem respondetur*, indicias tam largas compensari, & temperari illo fructuoso & religioso decreto, quo è medio sustulit opinionem censentium beneficiarios non teneri restituere. 36

Sed rogabit quispiam, an beneficiarij, qui restitutioni sunt obnoxij, teneantur restituere ante iudicis condemnationem? an verò possint expectare vt condemnentur? Syluester, & alij, qui tenent nullos beneficiarios teneri restituere, dicent subinde ante iudicis sententiam non teneri. Sed iam opinio hæc è medio sublata est statuto Concilij Lateranensis: post quod statutum quidam recentiores, qui existimant beneficiarios curatos non teneri ad restitutionem naturali iure, sed statuto pœnali, cõsequẽter dicent nõ teneri restituere ante iudicis sententiam. Sed his nonobstantibus; 37

Assero sexto. Omnes beneficiarij siue curam habentes, siue non habentes: de quibus diximus teneri restituere fructus, tenentur eos restituere ante iudicis condemnationem. Probatur. Iure naturali tenentur restituere: ergo ante omnem iudicis sententiam. Antecedens patet ex prima dubitatione. Consequentia verò nota est in omni transgressione contra iustitiã commutatiuã. Secundo. Esto admittamus eos non teneri iure naturali, sed tantum positiuo Concil. Lateran. & Pij V. sed tamen ius 38

reddit

reddit eos inhabiles ad tales fructus percipiendos, vt patet ex verbis illis: *Non faciat fructus suos, & eos tanquam iniustè perceptos*: ergo ante iudicis sententiam tenentur restituere vigore legis reddentis inhabiles transgressores ad percipiendos fructus: secus iudicandum est de priuatione beneficij, ad quam expectanda est iudicis sententia, sub alio enim tenore merè pœnali dicitur, *Legitima monitione præcedenti ipso beneficio priuetur.*

Sed dubitas, an teneantur restituere pro rata omnes fructus, quos percipiūt? An verò satis sit aliquam partem tribuere? qua in re Concil. Later. ait teneri restituere pro rata omissionis officij, & temporis, & Pius V. amplius expressit in extrauaganti. 138, verba illius, *Pius &, &c.* ex proximo
39 Late. Conc. *Pia & salubris sanctio emanauit*: & post apposita verba Concilij iam à me superius relata subiungit Pontifex. *Verum tamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda. Nos huic rei euidentius, atq; expreßius prouidere volentes, statuimus, vt qui horas omnes Canonicas, vno vel pluribus diebus intermiserit omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur: qui verò matutinum tantum dimidiam: qui cæteras omnes horas aliam dimidiam: qui harum singulas sextam partem fructuum eiusdem diei amittat Choro addictus non recitans, omnibus horis Canonicis, cū alijs præsens adsit, fructusque & distributiones forte aliter asignatas, sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi lucrifecisse prætendat, is etiam præter fructuum & distributionum amißionem; item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit, graue peccatum intelligat admisiss.: declarantes præstimonia, præstimoniales portiones, & qualiacunque alia beneficia, etiam nullum omnino seruitium habentia obtinentes cum prædictis pariter contineri: at quicunque pensionem fructus, aut alias res Ecclesiasticas vt clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium paruum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amißioni obnoxium*: & hac extrauaganti non obstante Doctores multa dixere in explicationem Concilij, & extrauagantis. Quibus omissis

40 *Sit septimum assertum nostrum.* Si beneficium sit huiusmodi vt nullam aliam obligationem inducat, quàm recitandi officium diuinum, qualia sunt beneficia simplicia, & præstimonialia, qui officium diuinum non diceret, omnes fructus, quos percipit pro rata restituere tenetur. *Prob.* quia non haberet legitimum titulum ratione cuius posset retinere, cum beneficium detur propter officium. At si non recitans habet beneficiū obligās illū, nō solū ad diuinū officiū, sed etiā ad alia munera exercēda, propter quæ similiter reditus annuales conferūtur, vt si est parochus, cui ex officio incūbit regimē Ecclesię, & administratio sacramētorū, vel præficitur alicui sacello qui vltra horas Canonicas tenetur aliquas Missas celebrare, non erit compellendus cunctos fructus, quos ex tali beneficio percepit, restituere pro rata, sed partem tantum habita ratione ministerij exhibiti, & precū omissarū: Neq; si benè inspiciatur hoc est contra decretum Pij. V. qui voluit restitui fructus correspōdētes ministerijs omissis. Oppositū huius asserti tenent Nau. Cou. Duc. & alij qui non admittunt distinctionē præfatam, sed aiunt vniuersos beneficiatos, etiam habētes curam animarum, propter omissionem recitationis horarum teneri ad restituendos omnes fructus propter verba rigorosa Pij V. quæ dicunt aliter non posse intelligi, nobis tamen opposita sententia placet: quia ius & æquum poscit verba extrauagantis iuxta nostrum assertum esse interpretanda, quod tuentur Sot. Arag. & alij. Qui modos arbitrandi quo tam diuersos videre cupit legat Henricum Henriquez tom. 2. li. 13. de excommunicatione cap. 13. num. 2.

Sed cui est facienda isthæc restitutio sit *octauum assertum*: Restituendi sunt fructus, in fabricā ipsorū beneficiorū vel in pauperū etiā ad beneficia nō pertinētiū eleemosynas vt Pōtifex citatus expressè dicit: ex quo colligit Naua. *de orat. c. 7. n.* 32. se nō semel cōsolatū fuisse aliquos Scholasticos pauperes, qui propter præfatā omissionē tenebantur restituere, eosq; docuisse quod satisfaciant prædictæ obligationi capiendo saltē de consilio confessarij eos fructus sibi tanquam vni de pauperibus: qui enim ad erogandum aliquid pauperibus obligatur, potest illud sibi accipere tanquam vnus ex eis, si verè talis est, saltē de cōsilio cōfessarij, iuxta dicta à Bald. in l. *id quod pauperibus*, q. 22. Cod. de Episcop. & clericis, & à Calderino. *Cons. 19. de testamentis, & ab* Ancar. *in cons.* 84. Et hoc assertum intelligitur de fructibus beneficiorum: nam de distributionibus cotidianis infra dicetur.

Sed *rogas*, an sufficiat restituere in alios pios vsus, vt sunt sacrificia. Respondeo cum Nauarr. in *Manu. cap. 25. num.* 122. id posse fieri in solis duobus casibus: vnus est quando ex lege, statuto approbato, vel consuetudine, quod vnus non recitando amittit, alijs Canonicis vel clericis eiusdē Ecclesiæ accrescit: *arg. in c. 1. de cler. non resid. in 6.* alter casus, quando ex peculiari statuto fructus malè percepti applicati sūt ad aliquod opus piū.

Pro coronide dubitationis inuestigabit quispiam, 41
an hæc omnia asserta intelligantur etiam de his beneficiarijs, qui ore tenus recitant Canonicas horas, sine vlla attentione, neq; actuali, neq; virtuali, neq; ad sēsum, neq; ad verba, neq; ad diuina: de qua re duas inuenio sētētias oppositas. *Prima est* Cordubæ *lib. 4. q. 13.* qui docet beneficiarios omnes recitantes sine vlla attentione peccare mortaliter, nō tamē teneri ad aliquā restitutionē faciēdā, quia ita benigne acceptat Ecclesia: maximè inquit, quia Ecclesiæ deuotio supplet, cuius ministri sunt, sicut & voces organorum, & alias instrumentorum insensatas acceptat: & eandem opinionem adscribit Medinæ C. *de rest. q.* 20. & D. Ant. 3. *p. tit. 13. cap.* §. 7. Syluestro Castro, *& alijs.* *Cord.*

Secunda sententia est omninò opposita, quam tenet Nauarrus *tract. de oratione capit. 13. num. 17. & 19. & cap. 23. num. 7.* & hæc est communis, & vera: cuius probationes supra retulimus, cùm de attentione necessaria ad horas recitandas ageremus: modo verò breuiter probatur: qui non imRaphaelus de la Torre Tom. I. A a plet

plet præceptum Ecclesiæ recitando non facit fructus suos: sed isti non implent præceptum Ecclesiæ: ergo non faciunt fructus suos. *Maior nota est*, quia ob impletionem sui præcepti Ecclesia stipendia assignauit: ac proinde si non impleatur, non acceptat talem recitationem ad vllum effectum. Minor probatur, quia præceptum est de opere religioso, quod nō potest præstari sine attentione formali aut virtuali. Hinc colligo opinionem Cordubæ omninò esse reijciendam: quis enim sibi persuadeat recitantes, & ridentes, confabulantes, murmurantes, & ex proposito ad alia diu errentes implere Ecclesiæ præceptum, & lucrari stipendia assignata pro recitantibus.

CONTROVERSIA X.

De obligatione recitandi publicè in choro diuinum officium?

1 ET imprimis statuendum est, tam antiquum fuisse vsum canendi in choro diuinum officium, quam antiqua fuit diuini officij institutio: de quo nos latè agentes de antiquitate horarum Canonicarum. Rursus id munus præcipuè pertinuisse ad Ecclesiasticas personas ex vsu Ecclesiæ perspicuum est: iuxta quem locus separatus designatus est, qui chorus dicitur: in quo clerus, seu ministri diuinorum officiorum sint separati à reliqua plebe, in capit. 1. de vita & honest. clericorum ex Concil. Magunt. sic dicitur. *Pars illa, quæ cancellis ab altari diuidit tantum psallentibus pateat clericis.* Et idem acrioribus verbis præcipitur in Concilio Turonico. 2. *capit.* 4. & Clemens *lib* 2. *constit. cap.* 57. In hac re tamen standum est consuetudini, quæ introduxit, vt periti in arte psallendi, etiamsi non sint clerici, sed tamen conniuentibus clericis proficuè in choro admittuntur. His suppositis est.

I. DISPVTATIO.

An sint aliqui obligati ad dicendum in choro diuinum officiū, & non solum priuatè?

1 DIco primò. Clerici deputati & Ecclesiæ ministri tenentur ex præcepto dicere publicè diuinum officium in choro. Præceptum colligitur *distinct.* 92. *cap. vltim.* vbi presbyter, Diaconus, vel quilibet clericus Ecclesiæ deputatus, si existens in ciuitate non conuenerit ad Ecclesiam, vt dicat officium diuinum deponi iubetur. Idem colligitur *ex ca.* 1. *de celebr. Miss.* & obligantur ad hoc Ecclesiæ seculares Cathedrales & Collegiatæ in singulis diebus. In alijs verò Ecclesijs solùm diebus Dominicis & festis, nisi aliud habeat consuetudo. Ita Turrecre. *dist.* 92. *cap. vlt.* Sylu. ver. *hora*, qu. 10. & alij Summistæ: & quidem de Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesijs habetur expressè Clementina prima *de celeb. Miss.* & ex vsu Vniuersalis Ecclesiæ. *Turrec. Syluest.*

De obligatione verò aliarum Ecclesiarum limitata ad festa & dies Dominicos non habetur expressum ius, sed consuetudo approbata à dictis Autoribus, cui præcipuè attendendum est: Quapropter vbi fuerit consuetudo, vt in Ecclesijs etiam Parrochialibus omnes horæ Canonicæ dicantur, omninò seruanda est: quia multum conformis iuribus citatis; solent autem hæ esse ditiores Ecclesiæ: maximè quando habēt plura beneficia suo seruitio deputata, & copiosum vel nobilem Populum. At in Parrochialibus, vbi exiguus est Populus, & tenuis census cōmuniter obtinuit cōsuetudo, vt officium Canonicum non dicatur publicè, præter quam in diebus festis: & in his non solet dici totum officium. Imò addit Caiet. etiā in Collegiatis seruari posse, si sit consuetudo immemorialis, & reditus tenues; *quia derogatum ibi* (inquit) *esse censetur iuri commmuni ex rationabili Prælatorum tolerantia.* Et meritò ad hoc ratio debet vrgere, vt rationabilis iudicetur consuetudo: quoniam aliàs nō posset contra ius præualere, cum diminutione diuini cultus. Quod dicimus de Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, tenēdū est citra dubium de Ecclesijs regularibus. Sed vnde desumatur hæc obligatio incertum est, posset enim quis opinari ex Clementi. 1. de *celebrat. Miss.* desumi, eo quod cum Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis annumerantur regulares: sed in eo textu supponitur multo ante hac obligationem extitisse: quare ad consuetudinem, quæ habet vim legis recurrendum est: & ideò si in Ecclesijs regularibus, in quibus hæc viguit consuetudo, diuinum officiū publicè non recitaretur, scandalum non exiguū Plebi daretur. *Caiet.* 2

Secundo dico. Hæc obligatio publicè in choro recitandi præcipuè spectat ad Prælatos, Rectores, & superiores præfatarum Ecclesiarum respectiuè, secundario verò ad eos quibus ex officio incumbit. Prima pars nota est ex *Clementi* 1. *de celebr. Miss.* vbi verbis grauissimis hoc onus iniungitur prædictis Prælatis, Rectoribus & superioribus, vt diligentem nauent curam, quod in suis communitatibus hoc pēsum soluatur. Quapropter in his Rectoribus & Prælatis vix poterit in hac parte reperiri negligentia leuis: quia in ordine ad communitatem ferè semper quæcunq; grauis est. Secunda pars dicti nota est: quia nō potest consistere obligatio in communitate, nisi aliquo modo personas eiusdem communitatis tangat. 3

Sed age, de singulis dicito. Clerici seculares ex vi ordinis non tenentur, vt patet ex vsu & consuetudine Ecclesiarum nō obligantium clericos, quia clerici sunt, publicè in choro recitare: & si obijcias caput vltimum distincti. 92. ibi. *Si quis presbyter, aut diaconus, aut clericus Ecclesiæ deputatus*, glos. hoc textu conuincitur. *Sed oppositum* censeo verum & stabilitum consuetudine, quod tuētur Turrec. ibi dub. 1. Syluest. *vbi sup.* qui existimant solum presbyteratum, aut diaconatum, aut clericatum

ricatum sine deputatione ad Ecclesiã ad hoc pẽsum non teneri: & aiunt illam determinationem *Ecclesiæ deputatus*, coniungendam esse cum omnibus præcedentibus vocibus : quia proprissimè potest, & cum materia sit onerosa, est potius restringenda, quàm amplianda. *Sed rogas*, quid sit clericum esse deputatum alicui Ecclesiæ, ita vt inde oriatur hæc obligatio? *Respond.* nil aliud esse nisi habere in tali Ecclesia aliquod beneficium, propter quod tale obsequiũ canẽdi in choro detur. huiusmodi beneficia habẽt Canonici Ecclesiarum Cathedralium, aut collegiatarum, & aliqui beneficiati ad hoc specialiter deputati in Ecclesijs inferioribus. Aut esse, deputatum Ecclesiæ alicui, est habere annexam obligationem publicè recitandi, vt parochi, nisi ex consuetudine, vt dictum est, aliter obseruetur.

5 De Episcopis autem, an ratione sui officij vel beneficij teneantur choro interesse multi dubitant: existimo autem eos teneri, sed excusari ferè toto anni tempore propter grauiores occupationes regiminis, quibus impediuntur. *Prior pars tenetur.* à Syluestro verb. *hora*. q. 1. & ab Angelo. num. 26. & à Turrecremata in cap. vltim. de celebratione Miss. & Innocent. *capit. 1. eodem*: quatenus hi postremi de Prælatis aiunt posse ex causa legitima abesse à choro: supponunt ergo per se teneri. Priores vero autores de Episcopis expresse loquuntur. Prob. 1. ex cap. vltim. distinct. 92. citato, ibi, *aut clericus Ecclesiæ deputatus*, at Episcopus magis quàm cæteri deputatus est. Nec sufficit dicere ad alia grauiora esse deputatum: nã pari ratione exciperes parochũ, quẽ tamẽ nulli excipiunt. Itẽ ex cap. *Episcopus*, de consecrat. distinct. 3. vbi sic dicitur, *Episcopus si infirmitate non fuerit impeditus, Ecclesiæ cui proximus fuerit die Dominico deesse non debet.* Ecce obligationem saltem in diebus Dominicis, & excusationem infirmitatis per quã cæteræ legitimæ excusationes non tolluntur. Et in cap. *Episcopus*. 41. & cap. *peruenit*. 7. quæst. 1. dicitur Episcopos non debere habere hospitium longe ab Ecclesia, & in sua Ecclesia residere, nimirũ, vt cõmodè diuino officio interesse possint.

Syluest. Angel. Turrec. Innoc.

Secunda pars patet ex vsu, & approbatione piorum: qui non damnãt assiduam absentiam Episcoporum à choro: & meritò scandalizarentur, si in die natalis Domini, & similibus solemnitatibus saltẽ in quibusdam horis celebrioribus sine vrgentissima causa abessent: quod scãdalum pusillorum esset, nisi eos censerent ad id obligatos. Et *confirmatur* eadem pars ex D. Th. infra quæst. 91. artic. 2. ad 3. qui ex Gregorio hausit. *Prælatis, quibus competit per prædicationem, & doctrinam animos hominum prouocare in Deũ, nõ debent cantibus insistere, ne per hoc à maioribus retrahantur.* Notandũ est illud verbum *insistere*, quod significat assiduã assistentiam in choro, quæ licèt prima facie videatur esse magis exercenda ab Episcopis, quam ab alijs Prælatis: quia eis diuina magis incumbunt: tamẽ nõ est ita frequẽtius omittẽda, ne à maioribus retrahantur: quare inefficaciter hoc testimoniũ adducitur à quibusdam, vt probẽt Episcopos nullo modo obligari ad assistẽtiã in choro: quin potius ibi insinuatur obligatio & expresse, ab ea quotidiana excusantur propter grauiores causas, quibus occupantur.

D. Thom

6 De Religiosis verò, qui ex vi suorũ statutorum profitentur chorũ, maior ratio dubitandi est, an peccẽt: & existimò nõ teneri ex lege, aut præcepto generali, aut aliquo iure, quod certè ad Religiosos non dirigitur, tenebũtur autẽ ex vi præcepti, si quod reperitur in aliqua Religione, quod credo in nulla esse. Superest ergo, vt si aliqua obligatio sit, ea ortũ habeat ex obligatione seruãdi suas cõstitutiones: sed credo iã omnes, aut ferè omnes Religiones se ab hoc vinculo liberarũt, & in ordine Prædicatorum in Prologo dicitur: *Volumus vt nostræ constitutiones nõ obliget nos ad culpã, sed ad pænã*: & cõsuetudo, & iussio chori in Religione hac (& vt existimo etiã in alijs) in hoc sesu introducta est, vt omnes horæ in choro dicãtur, cui omnes adesse debent iuxta Regulam: & quod in hoc deficientes sine dispensatione Prælati, certis pœnis subiaceant: non verò quod grauiter peccent: imo neq; leuiter in ordine præfato Prædicatorum, secluso contemptu, & præcepto.

7 *Obijcies.* Ex obligatione ad chorũ, quã diximus esse in tota communitate, deriuabitur ad singula membra. Negatur consequentia, quia sat est residere apud Prælatos Religionũ obligatione procurãdi, vt chorus nõ deficiat: & quod ipse possit cogere subditos, vt choro non desint; & quod quãdo viderit chorum in præceps ire, quia multi deficiũt, imponat præceptum. Crediderim, si ipse Prælatus negligẽs esset, & propter eius negligentiam chori obseruantia in discrimen veniret, tunc singuli obligarentur ex iustitiæ legalis vi, ne bonum commune dissiparetur.

Ex hoc sequitur facilius excusari Religiosos à canẽdo in choro sine culpa etiã leui, quam clericus secularis excusetur à culpa mortali, quando alioqui ratione beneficij ad chorũ tenetur. *Ratio discriminis est*, quia Religiosus tantũ ex vi suæ Regulæ tenetur, quæ ordinariè non obligat sub reatu culpæ; sed tantum pœnæ: & ideò licet quando violetur sub culpa leui, tamen sine culpa potest violari, vt dictum est: & saltem leuicula causa sufficiet ad excusandum ab omni culpa in Religionibus, in quibus constitutiones suæ ad culpam obligant. At vero in clericis, qui in suis Ecclesijs ad chorũ tenentur diuersa ratio est quia hi tenẽtur per se loquendo hoc ministeriũ præstare Ecclesiæ sub peccato mortali ex suo genere: quia ex lege iustitiæ & ratione stipẽdij: & ideo nisi ex leuitate materiæ, aut ex graui causa legitimè excusentur, mortaliter peccãt suum debitũ nõ soluẽtes: quod nõ infimè colligitur ex graui pœna cõminata depositionis à clero *distinctio. 92. capit. vltimo*, qui textus nõ est extẽdendus ad Religiosos, sed de clericis loquitur beneficiatis. Ita Turrecr. ibi *quæst. 2. &* Innoc. *capit. 1. de celebratione*. Palud. *in 4. distinct. 15 artic. 1.* Syluester, Angelus & Graffis *supra cap. 52. num. 4. & 6.* qui confuse loquuntur.

Turrecre. Innocent. Palud. Syluest. Angelus. Graffis.

Obijciet quis verba Caiet. vbi supra. §. 5. dicentis : *Vbi tamen contemptus deest, & propter meam absentiam non notabiliter læditur diuini cultus officij, & Prælati dissimulant, parum de his, quæ Dei sunt curantes, non incurro mortale peccatum, ex hoc,*

hoc, quod desunt horis Canonicis in Ecclesia mea, quia contra praeceptum iuris positiui propriè non venio, nec notabile damnum infero diuino cultui: grauiter tamen pecco si sine rationabili causa me debitis horis subtraho: quia grauis est ratio diuini debiti. Hæc verba credo accommodari vix possunt clericis stipendiatis, quos posse sine contemptu & sine notabili iactura chori peccare mortaliter ex genere suo non dubito, vtpote transgredientes leges iustitiæ commutatiuæ, melius accommodabuntur Religiosis: & intelligẽdo postrema de graui culpa veniali, vbi constitutiones obligant ad culpam.

8 Sed quid de Prælatorum Religionũ obligatione assistendi choro per se ipsos? *Respondetur* peculiari obligatione tenentur habere curam, vt chorus sicut par est frequentetur, sed ad sui præsentiam personalem non tenentur præcepto id directè præcipiente, sed ob circumstantiam personæ, & propter aliorum exemplum intra obligationem regulæ, magis tenebuntur, quàm cæteri: quamuis ex alia parte propter plures & grauiores occupationes sæpius à sequela chori, etiã magis quàm cæteri excusabuntur.

DISPVTATIO II.

De officio diuino recitando in choro, & circumstantijs eius.

1 HVic disputationi facilè satisfiet animaduersis his, quæ diximus supra in controuersia de requisitis ad orationem priuatam circa horas Canonicas: quibus dictis nihil aut parum superaddendum est. Nam recitatio publica & priuata ferè eisdẽ requisitis constant. Hoc tamen *animaduertendum* censeo, sæpè contingere, vt defectus circa orationem priuatam, sit nullum aut veniale peccatum, circa recitationem verò publicam in choro esse mortale: verbi gratia, si recitetur priuatè de Sancto, quando iuxta normam Breuiarij esset recitandum de feria, peccatum veniale est, si absque causa fiat: at si hæc mutatio fiat in recitatione publica chori sine valde vrgenti causa, erit peccatum mortale: quia mutatio hæc nõ mediocriter lædit decorem cultus diuini circa recitationem publicam, in qua valdè necessaria est obseruantia & vniformitas.

Item defectus ordinis in dicendis horis Canonicis priuatè tam inter ipsas horas inter se, quàm inter partes vniuscuiusque horæ ferè semper est peccatum veniale, vt supra diximus: At in publica recitatione in choro ferè semper est peccatum mortale: nisi inaduertentia excuset, aut leuicula mutatio: tum quia in publica oratione magnam secum defert deformitatem, propter significationem talis ordinis defraudatam: tum propter scandalum populi, quod inde generaretur. Idem dico de interpollatione horarum & interruptionibus: de quibus defectibus satis supra diximus.

DISPVTATIO III.

An sint aliqui beneficiati de quibus diximus teneri choro assistere, quando horæ Canonicæ recitantur, qui obligentur restituere accepta stipendia, si defuerint ab ea assistentia?

DVbitatio mouetur specialius propter Canonicos Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegialium: & *pro decisione aduertendum*, stipendia, quæ Canonicis dantur, esse in duplici differentia. 1 *Quædam*, quæ Canonicis conferuntur, sine titulo Canonicatus, vt quidam putant, siue vt præcipuum stipendium suorum officiorum: quod propterea Hispani vocant, *la gruessa del beneficio*, vocatur autem fructus beneficij. *Alterum stipendium est*, quod datur Canonicis, hac sola ratione, vt intersint diuinis ministerijs suarum Ecclesiarum, quæ appellantur distributiones quotidianæ, & manualia seu manuaria beneficia, eo quod à præsenti manudentur, & victualia, seu diaria. Ita in iure passim locis citandis: quæ distributiones quotidianæ non veniunt intelligendæ in iure nomine fructuum beneficiorum, vt colligit Couar. *lib. 3. variarum cap. 13. num. 2.* Covar. Igitur nostra disputatio secanda erit in duas partes. *Primò agemus* de obligatione interessendi choro propter distributiones quotidianas, & an teneantur Canonici restituere, si non interfuerint? *Secundò agemus* de obligatione assistendi choro propter fructus perceptos, & si defecerint ab hac assistentia, an teneantur restituere fructus perceptos?

A priori igitur incipientes *dico primò*. Præfati Canonici, si non assistant choro, quando horæ 3 Canonicæ persoluuntur, etiamsi domi eas recitauerint, non possunt percipere distributiones quotidianas; quod si receperint, tenentur eas restituere. Hoc dictum expressè habetur *capit. 1. de clericis* non residentibus in 6. & cap. *licet*, de præbendis, & Concil. Trident. *Sess. 24. cap. 12.* & ratio est manifesta: nam isthæc manuaria beneficia instituta fuere in gratiam diuini cultus, vt habetur *in dicto cap. 1. de clericis non residentibus*. Cum enim in Ecclesijs Cathedralibus, aut Collegiatis passim negligeretur munus assistendi diuinis officijs visum fuit Patribus valdè conducere, Canonicos, cæterosque Ecclesiæ ministros his diarijs seu distributionibus, quasi quibusdam illecebris ad interessendum allicere, & inuitare: ergo qui non intersunt choro, quando horæ Canonicæ persoluuntur, non merentur, nec lucrãtur istas distributiones: ac proinde tenentur eas restituere. Probatur consequentia, quia cum beneficium detur propter officium, deficiente officio, debet etiam deesse beneficium.

Confirmatur ex dictis ab Iuone Carnotensi, Iuo Carn. Epist.

Epist. 75. dicente. *Cum in plurimis Canonicorum Carnotensium desueuisset disciplinæ regularis obseruantia, vt de negligentibus facerem diligentes, de somnolentis vigiles, de tardis assuetos ad frequentandas horas Canonicas, deliberaui apud me, vt darem eis dimidiam præposituram, vt inde fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi, vt ad quas eos panis interni dulcedo nihil mouebat, panis corporei refectio prouocaret, quamuis eorum annua præbenda eis ad hoc sufficiens esse deberet.* Ex quibus colligitur huiuscemodi distributiones quotidianas solitum fuisse in cibarijs conferri. Vnde etiam consimiles distributiones quotidianæ sportulæ appellantur, quæ lætitiæ causa, vel alio nomine singulis Decurionibus donabantur apud Dioné Suetoniū, & Plinium ad Troian. & in l. *mulier* ff. de donationibus inter virum & vxorem. l. *Spurij*. ff. de decurionibus.

4 *Secundo dico*. Aliquot sunt exceptiones seu excusationes in iure, ratione quarum excusantur Canonici, & alij ab assistentia horarum Canonicarum in choro, & sine onere restituendi distributiones.

Prima est quando Canonicus infirmatur. Ita habetur in dicto *cap. 1. de clericis* non residentibus, *Syluest.* & notat Syluester, *beneficium 5. q. 3.* Angelus & a- *Angelus.* lij contra Paludan. & intelligitur exceptio, siue infirmitas sit contracta sine culpa, siue cum cul- *Couarr.* pa incidentis in morbum. Ita Couarruuias superius citatus, sed idem dicit hanc exceptionem esse limitandam, quando scilicet ægritudo præstat impedimentum adeundi Ecclesiam, secus est leuicula non præstans tale impedimentum. *Item* quando ægritudo est causa absentiæ, quod contingit quando infirmus solitus erat tempore bonæ valetudinis diuinis officijs interesse, aliàs si non erat solitus adesse choro, non excusabitur propter infirmitatem; cum infirmitas non sit illi impedimento non interessendi, sed sua voluntas: ego verò existimo talem Canonicum infirmum, qui non consueuit interesse diuinis officijs tempore rectæ valetudinis, si pæniteat, & proponat, si sanus fiat, diuinis officijs interesse, poterit recipere distributiones quotidianas, sicut ille qui solebat quando sanus erat adesse choro. *Limitat etiam* præfatus autor eandem exceptionem, quando infirmus est præsens in loco, vbi est Ecclesia, secus si ab illo absit, & tempore quo accidit illi infirmitas, decreuerat abesse: tunc enim non lucraretur distributiones, quia infirmitas non est impedimētum in hoc casu quare Canonicus non intersit; vnde ratione infirmitatis non abest à choro, sed propter alia, quæ ad excusationem supponimus non conuenire.

Secunda exceptio habetur in eodem capite primo, de clericis non residentibus, quando scilicet vrgeret iusta & rationabilis corporis necessitas, vt si à choro abesset causa exonerandi aluum, vel propter quid simile.

5 *Tertia exceptio* in eodem cap. quæ sumitur ex euidenti Ecclesiæ suæ vtilitate, quando ob id ab Ecclesia sua Canonicus absens est. Contra hác tamen exceptionem arguitur ex c. *cum non deceat*, de electione, in 6. vbi habetur quod Canonici euntes ad curiam Romanam pro negotijs suarum Ecclesiarum non debent recipere distributiones quotidianas, esto possunt recipere fructus. *Respōdet* Doctor Ioannes Gutierrez *in suis Canonicis* *Gutierrez.* *quæst. lib. 1. cap. 1. num. 145.* Textum in oppositum allatum esse intelligendum, quando Canonici sunt absentes à loco suarum Ecclesiarum. Tunc enim etiam si deseruiant suarum Ecclesiarum vtilitatibus, non percipient distributiones: at verò dictum caput de cleri. non. intelligendū est quando Canonicus absens à choro propter Ecclesiæ suæ vtilitatem præsens est in eodé oppido, vbi Ecclesia sita est. Non inuenio alias exceptiones in iure: ex quo infertur cum Couarruuia citato, quod canonici absentes à suis Ecclesijs tempore pestis, aut detenti in carcere iustè, vel iniustè, vel alia quauis occasione præter recitatas ex iure, non lucrantur quotidianas distributiones.

IV. DISPVTATIO.

An aliqua consuetudine introduci posit quod distributiones dentur absentibus à choro?

1 COuarruuias citatus existimat nullo modo posse introduci, cum sit contra *Couarr.* naturam distributionum quotidianarum, vt dentur absentibus, vt patet ex his, quæ diximus de natura, & distinctione earum à fructibus beneficij: & probatur iuribus iā allegatis improbantibus, & reuocantibus tales consuetudines: maximè ex primo capite de clerico non resident. & Concilio Trid. vbi supra: & dicit per talia iura non solùm reuocari præteritas consetudines, verùm etiam prohiberi, ne in futurum admittantur: eo quod illas præteritas damnat: ac ex consequenti futuras non admittit: & infert præfatas distributiones non esse exhibendas Canonicis residentibus fictè, & interpretatiuè, quales sunt, qui iuris permissione, & concessione residentes censentur: vt qui est in seruitio Episcopi, vt scribitur in cap. *decet*, de clerico non residenti, & qui dant operam literis, vt habetur expresè in cap. *licet*, de præbendis & dignit. verum est quod in nu. 8. admittit, posse extare aliquam rationabilem consuetudinem dandi distributiones absentibus, quòd non video quomodo fundetur extantibus illæsis iuribus allegatis.

V. DISPVTATIO.

An posit fieri statutum ab Ecclesiarum Canonicis, vt distributiones quotidianæ absentibus dentur?

1 ET *videtur vera pars affirmatiua*, & argumenta procedunt etiam de consuetudine. *Primum* argu-

Primum argumentum sumitur ex capit. *olim*, de verborum significatione, vbi Summi Pontificis indulgentia præstantur absentibus manualia beneficia, quod diximus esse idem quod distributiones quotidianæ. *Secundò*. Statutum quo Canonici absentes lucrantur fructus beneficiorum efficax est: ergo etiam statutum de lucrandis distributionibus: antecedens habetur capite, *cum omnes*, de constitu. glossa in cap. *dudum*, secũdo. de electione. Panormita. in cap. *extirpanda*, §. *qui verò* de præbendis, glossa in cap. *gratia* in verbo *de iure* de rescriptis apud Bonifacium. Tertiò ex Cõcilio Tridentino sess. 24. cap. 12. quo vetitum est vltra tres menses ab Ecclesia abesse: ergo per tres mẽses licet, eoq; tẽpore fructus nõ amittũtur. — *Panormi.*

Propter hæc argumenta tenent quidam fieri posse consuetudine, vel statuto, vt distributiones quotidianæ dentur integræ his qui adsunt certis horis. Ita tenet glossa, Cardinalis Ioãnes Andreas, Immola in Clementina, *vt hi qui*. Sotus lib. 10. de iustitia & iure, quæst. 5. artic. 6. quinta conclusione, Rochus de Curte in cap. finali de consuetudinibus. — *Immola. Cardinal. Sotus. Glossa. Rochus.*

2 *Pars verò negatiua*, scilicet non posse fieri talia statuta, aut tales consuetudines introduci, tenetur à Guillielmo, & Gesil. in Clementina, vt hi qui: de ætate vel qualitate, glossa pragmaticarũ Gallicanarum in §. *tales in verbo*: eam quoque amplectitur Paludanus *ad 4. sent, dist. 15. quæst. 5.* quem sequitur Nauarrus, lib. de oratione cap. 5 *num. 20. & cap. 11. nu. 63.* Hæc pars probatur primò ex Conci. Basilien. *tit. quo tempore quisque debeat esse in choro.* §. *Tollente prorsus abusũ illũ, quo in vna dũtaxat hora presẽs totius diei distributiones vsurpat.* — *Guillielm. Palud. Nauar.*

Secundo. Talia statuta spectant ad diminutionem diuini cultus. Distributiones autem adinuentæ sunt ad amplificandum diuinum cultũ: ergo non sunt ferenda. *Confirmatur.* Statuta, quæ præbent occasionem delinquendi improbãtur. l. *conuenire*. ff. de pactis. c. *ex parte*, de consuetudinibus, huiuscemodi verò statuta occasionẽ præbent Canonicis vagandi, ac diuina officia negligendi: ergo non sunt admittenda. Captus ab hostibus miles etiam per iniquitatẽ capientiũ stipendia militiæ non consequitur. l. *prima. C. de re militari*: qua ergo fronte Canonicus, qui desidia & laboris fuga volens certis horis abest, debet consequi distributiones?

3 Accedat demum Synodus Tridentina sess. 24 cap. 12. idem apertè probans: ait enim: *Distributiones verò qui statutis horis interfuerint, recipiant, reliqui quauis collusione, aut remissione exclusa his careant, &c.* Expendenda sunt illa verba: *statutis horis*. Item expendendum est, qualiter Synodus renouat capitulum primum sæpè citatum, de clericis non residentibus, vbi improbantur omnia statuta, & consuetudines in contrarium, & consequẽter damnantur futuræ, vt perdoctè probat Couarruuias citatus. Hæc sententia mihi verior apparet, & eius argumenta validiora.

Quare præfatis Canonicis cõsulerem, vt suis istis statutis non adeò confiderent, nisi autoritate Apostolica firmarentur, ad quam spectat distribuere bona Ecclesiæ & dispensare in iuribus citatis, & credo id non factum sine vrgenti causa, ne omnino ruat natura distributionum, & earum inuentio, vt dictum est. Quod priuatim interest iuri publico officere non potest, idque expressum videtur in verbis citatis ex Concilio Trident. sess. 24. cap. 12. illis verbis Cõcilij: *Quauis collusione aut remissione exclusa.* Collusio enim propriè dicitur esse simulata cõcertatio inter duos, vt inter actorem & reum: quæ vox egregiè accommodatur à Concil. vt dãnet reciprocas donationes, quas faciunt præbendati, quando mutuò sibi inuicem mulctas remittunt. Nam per hanc simulationem, & legi Ecclesiasticæ, & cultui diuino derogant.

Vult ergo Synodus, vt non obstante hac collusione absentes non faciãt distributiones suas, etiam, si alij conniueant: quia verò Synodus sub disiunctione ait: *Quauis collusione, aut remissione exclusa*, an idem per illam significetur? vel aliquid per posteriorem vocem addatur? quod est quærere, vtrùm non solum, quando est propria collusio per mutuam condonationem, sed etiam quando est simplex remissio, & bona fide fit alicui personæ propter grauem occupationem, vel aliam putatam rationabilem causam, non sit valida remissio, nec possit ille, cui fit, distributionem tuta conscientia retinere, quando aliàs iure non excusatur absens, vt diximus supra. Nam videtur nimis rigorosum dicere, quod alij præbendati non possint id quod sibi accrescit liberaliter condonare etiam ex rationabili causa, & sine collusione, vel graui Ecclesiæ detrimento. Nihilominus disiunctio illa, & distinctio vocum diuersa in proprietate significantium cum illo distributiuo signo, *quauis remissione*, cogit nos, vt dicamus omnem remissionem inhibitam esse his verbis: extra casus in dicto *cap. de clericis non residentibus* expressos, vt in eodem Concil. subiungitur: *iuxta cõstitutionem Bonifacij. 8. &c.* Et hoc ita expressè declaratum est, in congregatione Romana. Quare iã post Cõciliũ Tridẽtinũ delenda est *glossa in dict. cap.* 1. clericis nõ residẽtibus, in voce *suas*, quæ asserit Canonicum nõ teneri ad restitutionẽ, modo illi, quorũ lucro cedũt distributiones, consentiant, quã ibi Archidiaconus iure & merito improbat, plene Nauar. de oratione. — *Nauarr.*

5 Ad *primum* pro parte affirmatiua respond. Capitulum *olim*, non loquitur de consuetudine, vel statuto, sed de concessione Summi Pontificis ex aliqua causa iusta: quare ille textus ad approbandum consuetudinem, vel statutum particularis Ecclesiæ trahendus non est. *Ad secundum resp.* negando consequentiam, quidquid sit de antecedenti, propter ea, quæ inferius dicemus.

Ad tertium resp. Synodum Tridentinam indulgere Canonicis abesse vsq; ad tres menses ex iusta causa, verũ nõ est ea mens Synodi, vt absẽs Canonicus horũ triũ mẽsium distributiones obtineat. His dubitationibus alia dubitatiuncula affinis est: cui nam sint restituendæ istæ distributiones propter non residentiam Canonicorum? Respõdetur sub distinctione. Nã vel in Ecclesijs est certa quædã portio assignata pro distributionibus cum iure accrescendi his, qui interfuerint, & tunc seclusis his, qui non interfuerint, pars quæ aliàs debebatur Canonico absẽti, si adesset, diuidenda — *Cui sint distributiones restituendæ.*

denda est inter eos, qui adfuerint: vel Ecclesiæ incumbit dare certam quantitatem omnibus, qui adfuerint sine vllo iure accrescendi: & tunc restitutio facienda est Ecclesiæ, vt latè deducit *Couar. citatus num. 7.*

DISPVTATIO. VI.

An Canonici, etiam si domi recitent officium diuinum, nihilominus ratione redituũ principaliũ (quos vocant la gruessa, *& diximus à distributionibus distingui) teneantur horis Canonicis in choro aßistere, sic adeò vt si non intersint, teneantur fructus restituere?*

1 ET pars affirmatiua nulli potest esse dubia nisi volenti cæcutire. Nam cum beneficium propter officium detur, vt ius naturale & positiuum clamat, officium aũt, propter quod fructus Canonicatuũ Canonicis dantur, nullum vix imaginari potest, nisi assistat solemni celebrationi diuinorum officiorũ: in quo discriminantur ab alijs clericis curam animarum gerentibus, quibus præter recitationem horarum, administratio sacrorum, & cura ouium incumbit: igitur tenentur illud munus implere, quod si non implent, stipendia pro eo munere percepta restituere Egregie Alexander Alensis. part. 1. qu. 39. *Sicut conductus agricola non laborans indignus mercede est, ita clericus, qui non deseruiunt merces non debet persolui.* Secundò, quia in ca. *clericos*, de clericis non residentibus, vt notat ibidem Hostiensis, quilibet beneficiatus tenetur assistere suæ Ecclesiæ ministerijs: ergo multo magis Canonici, qui ob nihil aliud, vel saltem potissimum, propter quod reditus accipiunt, est assistentia ad diuina.

Alens.

2 Dubitat. Sed quod in hac parte difficilius decisu est, *an consuetudine, aut statuto introduci poßit, vt Canonici absentes fructus principales suorum Canonicatuum lucrentur?* Partem affirmatiuam tenet glossa, *capit. cum omnes,* de constitutionibus, glossa in dict. cap. vnico, & item alia in capite vltimo verbo *fructibus* de rescriptis in 6. & in cap. *gratia*, eodem lib. & in capit. *dudum*, in 2. de electione. *Secundò probatur.* Nam distributiones extrahuntur, vel antiquitus extractæ sunt à prouentibus, & fructibus Canonicatuum, vt stipendia debita pro assistentia horarum: ergo Canonici, qui absunt à choro, satisfaciunt satis superque, si amittant distributiones, non verò fructus principales, qui non dantur in stipendia pro assistentia chori. *Tertiò*, ex omnium Doctorum consensu, & colligitur ex iure, maior assistentia requiritur ad lucrandas distributiones, quàm ad lucrandos beneficij fructus: & ita cap. *licet*, de præbendis. ratione studij absentes lucrantur fructus, non verò distributiones: ergo ad lucrandos fructus non verò distributiones: ergo ad lucrandos fructus non requiritur omnimoda assistentia, maximè consuetudine, aut statuto accedente: quæ sententia vsque adeò placuit Innocentio in capit. *ex tua*, de clericis non residentibus, versicul. *Item oportet*, vt existimet, consuetudinem excusare à residentia, & ministerio Ecclesiæ exhibendo, etiam per Vicarium: quod verum esse affirmat Couarruuias citatus in beneficijs simplicibus, quibus cura animarum non incumbit, modo Ecclesia non patiatur defectum ministerij. Tunc enim consuetudo ista esset reijcienda, quia esset Ecclesijs admodum grauis, & damnosa: quod damnũ expendendum est iuxta Ecclesiæ qualitatẽ, & dignitatem. Innoc.

Glossa.

3 *Secunda sententia est negatiua*, & probatur ferè eisdem rationibus, quibus de distributionibus probata est. Etenim cum beneficium propter officium detur, & Canonici fructus propter assistentiam, qua ratione poterit condi constitutio, quæ assignet fructus absentibus? certè iniquitate plena erit. Accedit ad hæc, quia non possunt Ecclesiæ non pati grauia damna in cultu diuino, & ministerijs Ecclesiasticis, si tales consuetudines seruentur, & talia statuta condantur: multa alia adducemus pro hac sententia in vltima dubitatione huius tractatus de horis Canonicis.

Demum efficaciter probatur ex Cõcilio Tridentino, sessio. 24. cap. 12. vers. *præterea obtinentibus*, vbi expresse in decreto derogatum est omnibus statutis, & consuetudinibus, quibus Canonicis liceret ab Ecclesia Cathedrali abesse vltra tres menses, & id certè non alia ratione, quàm vt teneãtur quolibet anno nouem mensibus residere, siue Ecclesia patiatur defectum in ministerio, siue non: exigit enim sancta Synodus hanc residentiam, vt omnes ministri cuilibet Ecclesiæ inseruiant in ministerio, ad quod electi sunt, aliàs periret Canonicatuum institutio.

4 Hæc sententia verior mihi videtur, & argumenta pro ea adducta efficaciora, quam explico sequentibus. *Primò dico.* Consuetudo vel statutum de dandis fructibus Canonicatuum absentibus pro suo arbitratu, iniqua sunt, nec seruanda. Patet. Contra naturæ ius est, vt detur stipendium militiæ non militanti: ergo etiã quod dentur fructus Canonicatuum, qui instituti sunt pro inseruiendo diuinis officijs, ijs, qui non inseruiũt.

Secundò dico. Consuetudo vel statutum de lucrandis fructibus Canonicatuum sola residentia paucorum dierum in choro iniqua sunt, & non seruanda: hoc dictum eodem modo sicut præcedens probatur: ex quo colligo consuetudinem, vel statutum de lucrandis fructibus principalibus Canonicatuum per solam assistentiam chori in die sancti Michealis, aut verò purificationis B. Virginis non esse ferenda, nec Canonicos illa vtentes esse in conscientia tutos, tenerique fructus restituere.

5 *Tertiò dico.* Consuetudo, vel statutum dandi licentiam Canonicis, vt pro causis iustis à iure cõmuni, vel aliàs Ecclesiæ proficuis possint abesse ab Ecclesijs suis sine restitutionis onere per

definitum tempus iusta sunt. Causæ communes à iure excusantes à residentia iam à nobis supra annumeratæ sunt, ex capit. 1. de clerico non residente, in 6. Latius enumerat Sylvester verbo, *residentia*. §. 7. Causæ aliæ iustæ & Ecclesiæ proficuę multæ possunt esse, verbi gratia, si Canonici alicuius Ecclesiæ sunt illiterati proficuum erit Ecclesiæ, vt vacent literis in aliqua Academia, & ob id potest dari illis facultas, vt absentes certo tempore lucrentur fructus Canonicatuum. Consultò dico; Certo tempore: Nam has perpetuas licētias etiā à Papa datas reuocat Bonifacius 8. c. *finali de rescriptis*. Subiungit tamen Couarruuias vbi supra non esse ferendam consuetudinem, vel statutum, vt possit liberè Capitulum Canonicorum talem præstare licentiam, quia vix vna, aut altera negabitur, nec quisquam vix audebit negare, ne sibi altero die petēti negetur. Rursus ait, si priuilegium obtinuerint, ad abusum pertinere eo vti: quia creditur Pontifex nō benè informatus dedisse, & propter importunitatem petentium, vt colligitur argumento cap. finalis in sexto.

Syluest. *Couarr.*

6 *Ad argumenta* pro alia parte respondetur, illud capitulum. *Cum omnes*, multas pati interpretationes, quas latius persequi non est huius loci: modò verò dico illam consuetudinem abrogatam per Canonicos Trecenses esse introductam iusta & rationabili causa, iuxta nostrum tertium dictum, & ideo iussit Pontifex seruari.

Responde-tur ad argumenta contraria sentent.

Ad *secundum*, quod quidam adducunt ad excusandas excusationes in peccatis, negatur antecedens cum Nauarro *de oratione cap. 5. num.* 10. etenim aliquādo non sunt extractæ distributiones quotidianæ ex fructibus Canonicatuum, vt vidimus ex Iuone, aliquando extractæ sunt non vt liberēt Canonicos ab assistentia chori, sed quasi incitatiuum, & calcar, vt Canonici libērius choro adsint. Obiectum enim præsēs fortius mouet. Dabantur autē distributiones antiquitus in ipsomet choro diuinis officijs finitis: & ob id vocantur manuaria beneficia, eo quod à præsēti manu præsenti dentur: manuarias molas appellat Iuris consultus in l. *dolia*. ff. de fundo instr. quod manu ductæ molant: *æs manuarium*, apud Aulum Geliū dicitur, quod manu fit ab alijs collatum. Ad tertiū fatemur minus distributiones deberi absentibus, quam fructus: quia pro sola assistentia chori dantur; cœterum fructus pro eadem & pro alijs, vnde ex causa poterunt obtinere fructus Canonici absentes, non verò distributiones, sed iuxta nostrum tertium dictum.

Nauar.

Sed rogas: cui nam facienda est ista restitutio fructuum, vel principalium redituum, quos vocant, *la gruessa*, propter solam non residentiam? Consultò dixi, propter solam non residentiam, eo quod sermo est de his, qui domi recitarunt, & à choro absentes extiterunt. Nam qui nec domi, neque in choro horas Canonicas non recitarūt, restituere debent iuxta normam traditam à Cōcilio Lateranensi, & Pio Quinto iam citatis. *Respondetur* igitur. Qui propter solā non residētiam, restituere tenentur fructus principales, per se loquendo Ecclesiæ, cuius choro tenebantur interesse, obligantur restituere. *Probatur*. Illa Ecclesia habet Canonicos quasi conductos operarios pro assistendo diuinis officijs: ergo si non intersunt eidem tenentur restituere. Dixi, *per se loquendo*, quia ipsamet Ecclesia, quæ domina est illius stipendij, potest statuta condere, sicut de facto fere omnes condiderunt, quod fructus, qui ab aliquibus absentibus perduntur, inter præsentes & interessentes diuidantur: & multo potiori iure potest Papa, qui est summus bonorum Ecclesiæ dispensator, eos cameræ Apostolicæ applicare, aut in quos voluerit vsus conuertere. Vnde eius applicationi potissimè standum est.

DISPVTATIO VII.

Quibus actibus, quave attētione teneantur implere præceptū de assistēdo horis Canonicis in choro illi, quibus diximus, incumbere? maximè Canonici, quibus specialius hoc munus iniunctum est?

IN qua dubitatione duo explicanda sunt. *Vnū* spectat ad actiones externas. *Alterum* ad attentionem requisitam ad huiusmodi assistentiam. Et à primo incipientes supponendum est vt certum, præsentiam corporalem solam non sufficere ad impletionem talis præcepti: quo fit vt si quis assistens choro, quando diuina peraguntur, dormiat, legat, aut scribat, vel aliquid simile faciat, non implet præceptum de assistendo diuinis. *Probatur*, quia Ecclesia præcipiens hanc assistentiam, & ob eam stipendia præbens, non propter solam corporalem præsentiam qualem habent sedilia in choro, aut statuæ; illam præcepit. *Confirmatur*, quia assistentia præcepta ob diuinum cultum religiosa debet esse, & hæc religiosè implenda, quin imò horarum assistentia propter orationem saltem apparentem exterius est. Quis autem ferat orationem religiosam iudicare, nec apparenter religiosam, qua Canonicus choro assidens occupatur confabulationibus, murmurationibus, aut alijs externis actibus. *Verum est*, quod si in his modicè se occupet, verbi gratia, consignando literas, loquendo vnum aut alterum verbum, non ob id tenebitur rata illius diei, imò neque illius horæ restituere. Ex his infertur esse necessariam quandam recollectionem, & compositionem externam, & ad munus quasi apparentem attentionem. 1

Quo supposito dubitatio grauis est valdè, sed annexa quæstioni principali, *an Canonici teneantur horis assistere canendo cum alijs*? ita quod etiam si domi eas recitauerint, si tamen cum alijs non recitent canendo teneantur restituere stipēdia accepta, siue distributiones sint, siue fructus principales? 2 *Dubitatio*

De hac re duas reperio sententias. *Vna est affirmatiua*, quàm tenet Magister Sotus in lib. 10. de iustitia, quæst. 5. artic. 4. ad medium, vbi sic dicit: *Sotus.* 1. *Sententia*

Stipen-

Stipendium non datur illis, vt assistant, & duntaxat sint numerus: sed reuera vt psallant. Probatur, quia beneficium datur propter officium: at Canonicorum officium est diuina facere in choro, non veluti mutos sedere: ex quo bene infertur, si non id adimpleant, teneri restituere. *Et confirmatur* hoc Soti argumentum: Nam iure naturali retineri non potest, quod datur ob causam aliquam, causa non subsequuta, vt patet *ex toto titul. ff. de conditionibus ob turpem causam.* Hæc sētētia maioribus argumētis, quam Sotus fecit, stabilienda est.

3 Et sit *secundum.* Nam institutio Canonicatuum est, non vt adsint tantum in choro, sed planè vt canendo assistant, & ob id eis datur stipendium: ergo si id non præstent, non poterunt stipendia retinere. Antecedens patet ex Concilio Tridentino, *Ses. 24. cap. 12.* dicēte: Omnes Canonici per se, & non per substitutos diuina compellantur obire officia, atque in choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis nomen Domini reuerenter distinctèque laudare. *Respondere* quidā ad hoc conantur, non fuisse illud præceptum impositum Canonicis, sed Prælatis iussisse, vt cōpellant Canonicos id facere, vt Ecclesia suo antiquo mori & nitori restituatur; quod si Prælati id neglexerint peccabunt: nō verò Canonici, si habeant consuetudinem præscriptam non psallendi in choro. Sed certè Synodus supponit præceptū primæua institutione Canonicatuum tale esse, vt patet ex illis verbis: *In choro ad psallendum instituto.* Et quamuis præceptum immediatè ad prælatos ad id compulsuros dirigatur, mediatè ad Canonicos ipsos dirigitur, frustra enim daretur Prælatis talis compellendi facultas, si ipsi Canonici se possent sua consuetudine defendere, & excusare.

Confirmatur ex Concilio Basiliensi, *Session. 21. §. 3.* dicente: Canonici cum psallendi gratia cōueniant, iuncta, aut clausa labia tenere non debent: sed omnes, præsertim qui maiore funguntur honore, Psalmis, Hymnis, & canticis Deo alacriter modulentur. Et in Concilio Aquisgranensi capit. 131. *Canonicis religiosissimè in choro standum & psallendum est.*

4 *Tertiò probatur* ex extrauaganti Pij Quinti iam citata, vbi postquam dixerat, non recitantes non facere fructus suos, nec distributiones, ita subdit: *Tametsi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis Canonicis cum alijs præsens adsit, fructusq; & distributiones aliter assignatas sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel aliàs sibi lucrifecisse prætendat:* sentit ergo Pontifex *quod is, qui est choro addictus, licèt sit præsens, non potest lucrifacere fructus, & distributiones, &c.* Hæc sententia Nauarri *de oratione cap. 11. numer. 41. & cap. 19. num. 47.* & videtur colligi ex Syluestrò verbo *hora.* quæstion. 6. & Armilla *eodem verbo quæstion. 21.* quatenus asserunt in Ecclesijs Collegiatis, & Cathedralibus & regularibus dicendas esse horas in Ecclesia: si ergo Canonici peccant tacendo in choro, eùm tale peccatum sit contra iustitiam ratione officij & beneficij, & naturæ fundationis, &c. sequitur obligationem restituendi oriri.

Nauar. Syluest. Armil.

5 *Ista sententia* limitanda est, nisi stet aliquod legitimum impedimentum non canendi in choro, etiam cum præsens est. Primum & potissimū est corporis infirmitas, tunc enim nec peccaret non canendo, neque illi restitutioni fieret obnoxius: vt planè habetur in capit. vnico de clericis non residentibus in 6. & nos docuimus supra cū Syluestro. *beneficium,* 5. quæstion. 3. Angelo, & alijs, & Soto & Couarruu. num. 8. contra Palud. & id de iure communi.

Syluest. Angel. Couar.

Secundum impedimentum præcedenti affine est ineptitudo vocis ad concinnè canendum, vel propter raucitatem, vel incongruum sonum, vel propter huiusmodi alia. *Ratio est.* Quia his ita se habentibus potius præstatur impedimentum decēti, & ornato cantui, potius decori diuini officij, potius offendiculum, & risum audientibus nascitur, quàm deuotio. Quod si aliqui hæc à natura habent impedimenta, non deberent admitti ad beneficia, quæ ex suo præcipuo munere exigunt cantare in choro: sed hoc alterius loci est.

Tertium impedimentum est, cùm diuina officia celebrātur cantu figurato, quem Hispani vocant, *Canto de organo,* tunc enim Canonici excusantur à canendo cum alijs: tum quia non decet eorum grauitatem eo genere cantus vti: tum quia communiter nesciunt, neque scire tenētur.

Secunda sententia supponit hæc impedimenta, & si quæ sunt alia legitima excusare Canonicos à canendo in choro, & etiam si nullum tale extet, asserit quod etsi attento iuris rigore, & antiquo more Ecclesiarum ac Canonicatuum fundatione tenebantur Canonici per se ipsos psallere in choro, quando diuina officia celebrabantur, tamen consuetudo à multis retro annis præscripta obtinuit oppositum, Summis Pontificibus, ac cæteris Prælatis videntibus, & consentientibus. Vnde sequitur, Canonicos in choro assistentes, quamuis non canant, nec peccare, nec ad vllam restitutionem teneri. *Limitatur* autem hæc sententia à suis autoribus. *Primo si* adsit quædam externa corporis compositio, & domi officium persoluant, Capellanos habeant & cantores, qui prout decet cuiusuis Ecclesiæ dignitatem officia diuina canendo persoluant; quod si non adsint tales Capellani Canonicorum interest horas psallere sub restitutionis onere, quia tūc neque per se, neque per alios officium implent, & Ecclesiam debito defraudant seruitio. 6 2 Sententia.

Ex his sententijs eligere difficile est. *Prima* cōformior fundationi Canonicatuum, ac iuribus Ecclesiasticis, maiorem sanctitatem præ se ferēs, vsui Sanctorum Patrum magis germana, & efficaciora pro se habet argumēta, & rationes ac patronos grauiores. *Secunda* laxior, & soli nitens vsui (vtinam non abusui) habet patronos paucos, & modernos: eam primus, quod ego sciam, tenuit Petrus à Nauarra Toletanus, *libr. 2. de restit. capit. 2. numer. 217.* & deinceps vsque ad finē dubitationis tertiæ, eum sequitur syllabatim transcribendo Petrus Aragonius *ad secundam secundæ, quæstion. 83. in vltimo dubio artic. 13.* & Bernardinus à Sandoval *in titul. de diuinis officijs, capit. 16.* & videtur applaudere huic sententiæ Caietanus in summa verbo *hora*: qui cum disputaret, an satisfa- 7

satisfaceret horis Canonicis, qui versum sui chori summisse dicit? respondet, Quod licet de iure non satisfaciat, si tamen intelligerem (inquit) esse in consuetudine, nō condemnarem, tanto magis, quanto maiores non tam cantare, quàm ea, quæ ab alijs cantantur, meditari oportet: & videtur colligi ex Couarruuia *vbi sup. num.* 3. Ex his igitur sententijs prima mihi verior apparet.

Secunda toleranda videtur, vt morem geramus desidiosis huius seculi, ne dum nimium emungimus, sanguinem eliciamus. Et ad omnia argumenta pro priori sententia respondemus, ea procedere attento iure antiquo, ac more, ac fundatione Canonicatuū, contra q̄ omnia obtinuit consuetudo præscripta, & admissa à Summis Pontificibus, & alijs Prælatis videntibus, & consentientibus: ad hæc neque antiqua consuetudo psallendi cessauit omninò: nam & Missas per hebdomadas psallēdo dicunt, & in horis Canonicis capitulum & orationem canunt, Episcopo celebranti assistunt, & alia munia implent. Solùm igitur quoad horas introductum est, vt per capellanos canentes ipsi assistant.

8 Et si quispiam vrgeat, huiusmodi consuetudinem esse abrogatam à Concilio Tridentino, *in verbis iam citatis*. Certe argumentum vrgens est; nihilominus respondetur, id præcepisse sanctam Synodum cupiens ad antiquum morem ista reducere, vbi collapsa erat antiqua disciplina, & nondum præscripta erat consuetudo non canendi: cæterum de consuetudine abroganda neque verbum fecit, quamuis circa multa alia in eodem capite apposuit: *non obstante quacunque cōsuetudine*: quare verosimile est consuetudines de hac re in suo vigore reliquisse.

Ad tertium speciatim, quod aliquos malè torquet, *respondetur*, sensum illorum verborum, si rectè expendantur, non esse eum qui inter arguendum affertur, sed iste: ille, qui non recitauerit horas, scilicet, neque in choro neque extra, quamuis in choro adsit prætendens sola præsentia lucrari, non lucrifaciet fructus, & distributiones. Itaque illa particula, *cum alijs*, non est iungenda illi participio, *non recitans*. ita vt sit sensus, quod cum alijs non recitans in choro, non lucrifaciat, id enim alienum est ab intentione Pontificis, quæ erat condemnare non recitantes vllo modo, quod & decretum erat in §. *statuimus*. Concilij Lateranensis: qui verò tueri voluerit primam sententiam, quæ vt dixi, mihi verior apparet, debet dicere talem consuetudinem potius ad abusum pertinere, cum euertat naturam & institutionem Canonicatuum, & esse sublatam à Tridentino Concilio, eo ipso quod præcipit oppositum seruari, tanquam antiquum ius.

DISPVTATIO. VIII.

An illi, qui assistentes choro excusantur à cantandis horis, siue propter legitimum impedimentum, iuxta priorem sententiam, siue propter consuetudinem, vt diximus in dubio præcedenti, teneantur ad recitandum summissè versus ad suum chorum attinentes?

ET videtur vera pars affirmatiua, quia isti tenentur choro assistere, non propter solam præsentiam corporalem, vt superius dixi, sed vt dicant Canonicas horas: ergo quamuis excusentur à canendo, non ideò excusabuntur à recitando, saltem summissa voce. *Dicet fortassè quispiam*, finem præcepti non cadere sub præcepto. *Contrà*, quia dicere horas non est finis talis assistentiæ præceptæ, quin imò ipsa assistentia dicendo horas est res præcepta. Pro decisione 1

2 *Dico primò*. Canonici assistentes choro si excusantur à canendis horis Canonicis propter aliquod legitimum impedimentum, non tenentur recitare versus ad suum chorum pertinentes, sed possunt licitè tacentes adstare, & supponimus tales Canonicos iam recitasse horas extra chorum. Probatur hoc assertum. Isti duntaxat tenentur dicere horas in choro communicando cum alijs in choro existentibus, vt omnes simul laudent & colant Deum, sed in casu sic non possunt communicare: ergo non tenentur ad aliquid aliud faciendum: maior nota est, & minor probatur, quia cæteri vel canunt cantu figurato, vel cantu simplici, quem Hispani vocant *Cantollano*. Et supponimus in neutro posse communicare.

3 *Secundò dico*, admissa posteriori sententia. Nunquam Canonici tenentur recitare versus sui chori cæteris canentibus. *Probatur*, quia consuetudine excusantur à canendo: ergo consequenter excusantur à recitando, quia non tenentur recitare, nisi communicando cum alijs in eodem genere recitationis, quo alij in choro vtuntur. *Item*, quia crediderim, non solum esse consuetudine introductum, vt Canonici non canant in choro, verùm etiam vt non recitent versus sui chori, quando aliàs extra chorum recitarunt horas Canonicas. *Confirmatur*, quia potius in turbationem verteretur, si alternantes chori hinc & inde canerent, & Canonici hinc & inde mussitarent summisè recitantes quæ totus chorus alta voce canit.

4 *Ad argumentum oppositum* distinguitur antecedens quoad secundam eius partem: non enim tenentur assistere, vt absolutè dicant horas Canonicas in choro, quas supponimus recitasse domi, sed vt dicant eas in choro cum alijs communicando ipsi choro: quam communicationem vel non possunt facere, vt si infirmitas impediat, vel non tenentur facere, consuetudine excusante, & tunc negatur consequentia.

DISPV-

DISPVTATIO IX.

An quãdo Canonici extra chorũ horas Canonicas recitarũt, & postea choro assistũt, vt impleant præceptum assistẽdi, quo diximus eos obligari. Dubitatur (in quã) an teneãtur habere aliquam attentionẽ interiorem, siue canant, aut recitẽt cũ alijs, siue assistant audientes diuina, quæ celebrantur?

1 ET videtur vera pars negatiua: quia iam recitauerunt domi horas Canonicas integre, ac cũ attentione debita: ergo choro assistentes sat est si externam compositionem seruent, quam eos teneri seruare in dubitatione superius præcedenti dixi. *Confirmatur*: quia Canonici deuoti ob id domi horas recitant, quia in choro multæ se offerunt occasiones impediẽtes attentionem, & ideò postea choro assistentes non attendunt, quia existimant se ab hac obligatione attendendi per recitationem extra chorum factam liberatos.

Secundò. Cantores vel clerici non initiati Sacris, qui non habẽt beneficium, sed nudam mercedem ad canendum in choro, quamuis distrahantur voluntariè, si tamen assistant choro, non peccant mortaliter per se loquendo, neq; tenentur restituere mercedem aut stipendium: ergo idem dicendum est de Canonicis, qui tenentur duntaxat assistere choro.

2 *Syluest.* Syluester verbo, *hora*, quæstion. 11. & verbo *Missa* 2. quæstione 6. dicit solam exteriorem attentionẽ, quam nos appellabamus cõpositionẽ externam, esse necessariã, fortasse, quia humanum præceptum nõ potest se extendere ad actus internos; sed hoc fundamentum, & illatum iam supra refutauimus, cùm de attentione requisita ad horas ageremus, & consequenter sententia Syluestri, & sequacium reijcitur.

Quare ad dubitationem *dico primò*. Quan-
3 tumuis Canonici, & alij obligati ad interessendum choro, quando diuinum officium persoluitur, recitauerint illud domi, tenẽtur postea choro assistentes attentionem interiorem habere, vt impleant præceptum assistendi horis, siue illud impleant canendo aut recitando in choro, siue diuina audiendo. *Probatur*, quia assistẽtia in choro quãdo dicũtur horæ, quæ ex præcepto exigũtur à præfatis, debet esse actus humanus sufficiẽs ad moralẽ præsẽtiã; sed sine attentione vlla non potest actus esse humanus, nec præsentia moralis: ergo, *Confirmatur*. Qui ibi dormiret, aut attẽtissime studeret legendo, aut scribendo, absque controuersia non haberet præsẽtiã necessariã, vt superius docui; sed perinde se habet qui nullo modo attendit, sed omnino mentis attentione voluntaria est in alijs rebus occupatus: ergo.

Secundò. Hæc assistentia non tantum præcipitur vt actus humanus, & moralis, sed etiam vt religiosus, & ad cultum Dei pertinens: ergo non quamcunque attentionem requirit, sed religiosam, & ad cultum Dei pertinentem: ita vt assistentes Deum orent, vel ei se summittant, eumve honorent, vel saltem attendant ad ea, quæ dicuntur tanquam ad res sacras.

Tertiò. Hæc assistentia horarum genus orationis est, vel ad orationem pertinens: non enim apparet ad quem actum Religionis pertineat, nisi ad orationem: maximè quando assistitur canendo, aut recitando: sed oratio nequit consistere sine attentione aliqua interiore: ergo præceptum de hac assistentia horis dicendis nequit impleri sine aliqua attentione interiori. *Confirmatur*. Præceptum de audienda Missa diebus festiuis non impletur sine aliqua interiori attentione, vt communiter asseritur: ergo hoc præceptum de assistendo horis, etiam si impleatur, vt quidam volunt, audiendo, & non recitando, necessariò implendum est media attentione interiore. Et hinc consonat quod ait Caietanus superius citatus, quod scilicet maiores in choro debent meditari, quæ ab inferioribus cantantur. 4

Sed rogas. Hæc attentio interior requisita, qualis debet esse? Vna è tribus à D. Tho. superius assignatis: nempè vel ad verba, vel ad verborum sensum, vel ad Deum, & diuina, & si impleatur præceptum de assistentia recitando vel canẽdo, res manifesta est, quia talis assistẽtia oratio quædã est; si verò impleatur audiendo, etiam certum est, sicut de Missæ auditione ab autoribus communiter dicitur: Non est autẽ necessarium eã attentionẽ toto tẽpore, quo horæ dicũtur, permanere actualiter, sat est virtualiter permanere. Permanebit autem, quamdiu ex proposito nõ se ad alia extranea diuertit. Cõsultò dixi, *extranea*, quia supposita sententia illa, quod impletur præceptũ hoc audiẽdo, fortassis nõ erit illicitum ad quasdã orationes, & meditationes diuinorũ diuertere, relictis illis, quæ in horis cõtinẽtur ipsis: licèt cõsultius esset, ea, quę ab alijs cãtãtur, meditari: maior enim videtur attentio necessaria, & magis alligata his, quæ cantantur in assistentia horarum, quàm in auditione Missæ in die festo. 5

Ex his infertur primò, quod non solum illi, qui assistentes choro confabulantur, aut exercẽt aliquas actiones præfatæ attentioni repugnãtes notabili parti horarũ, peccãt mortaliter non implẽdo præceptum de assistendo horis, & consequẽter tenentur restituere omnes distributiones, & fructus pro rata, verum etiam illi, qui assistentes ex proposito diuertunt mentẽ ad cogitãdũ de rebus bellicis, aut manualibus aut quęstionibus

nibus merè speculatiuis, peccant mortaliter, & non implent præceptum assistendi horis Canonicis: eo quod carent attentione debita, vt assistentia illa moralis sit, & religiosa. Vnde etiam fit, vt teneantur restituere omnes distributiones, quæ pro hac assistentia chori dantur, & etiam restituere fructus; iuxta superius à nobis tradita, cùm de obligatione restituendi fructus ageremus: & hæc omnia intelliguntur, etiam si extra chorum recitauerint horas.

Hanc sententiam tenet expresse Nauarrus *ca. 13. de oratione, num.* 17. cui ego magis assentio, quã quibusdam modernis oppositum sentientibus: Nauar. sed nostræ rationes sententiam Nauarri vrgentius probant.

6 *Vltimò dico.* Quando colloquia non sunt continua, & sunt breuia, quamuis sæpè misceantur, nunc colloquendo, nunc attendendo, prout cõmuniter fieri solet, vel certè quando confabulatio non est de re seria, nec nimis attenta, quæ nõ omninò impedit attentionẽ ad horas (si verũ est audiendo impleri præceptum) sed solum remittit illam, relinquit tamen sufficientem, vt actio illa humano modo fiat: non est cur damnemus sic assistentes, vt reos peccati mortalis transgressores præcepti, & consequenter non sunt obligandi ad restitutionem vllam. Hoc non aliter probatur, nisi quia in hac assistentia aliqualis attentio reperitur: & præterea ne modò condemnemus peccati mortalis multorũ consuetudinem, quamuis grauiter reprehendendam: Nam vt minimum committitur peccatum veniale graue, & facilè potest declinare in mortale, præsertim si confabulatio sit admodum continua, & maximè si potest generare scandalum, & impedire alios recitantes, vel cantantes. Fateor aliquando breuia colloquia posse fieri sine vllo peccato, vt si salutet hospitem venientem, mittat breue nuntium, vt aliquid pertinens ad officij celebrationem ritè fiat, vel quid simile.

Ad argumentum factum in principio dubitationis *respondetur*, præceptum de recitando, aut canendo horas Canonicas in choro, quamuis vnico actu possit impleri, esse tamen duo præcepta ad religiosum cultum pertinentia: quod ex eo patet, quia vnum sine altero impleri potest, vt contingit in casu nostræ dubitationis. Nam Canonicus recitans domi implet præceptum recitandi, & si absit à choro, vel in choro occupetur in scribendo, vel legendo alia extranea non implet præceptum de assistendo. Et è contra, si assistat audiendo horas, iuxta quorundam sententiam implet præceptum assistendi, & non illud de recitandis horis. Sicut igitur sunt duo distincta præcepta ad Religionem spectantia, & exigunt duas attentiones, quando non implentur eodem actu, sicut fit in casu nostri dubij: Quare negatur consequentia argumenti. Est simile appositum in eo, qui tenetur recitare, & vouet in Ecclesia recitare, si recitat domi attentè, tenetur iterum attentè recitare in Ecclesia. 7

Ad confirm: respondetur, aliquando esse salubre consilium Canonicas horas recitare domi, scilicet quando timentur futuras esse in choro occasiones turbationis, & inquietudinis; maximè si satisfiat præcepto assistendi per solam auditionem Horarum. Regulariter verò, & vt plurimũ melius est in choro recitare, vel canendo cum cæteris, vel recitando saltem summisse versum sui chori; propter quàmplures rationes, quas recenset Nauarrus, *de oratione cap.* 10. *num.* 45. & 46 asserens se olim errasse, sicut & errant illi, de quibus fit mentio in confirmatione argumenti. 8

Ad secundum respondetur negando consequentiam, quia relati in antecedenti, videlicet, cantores, &c. tantùm conducuntur ad artificiosè canendum siue orent, siue non orent, at canonicis, & beneficiatis dantur stipendia, vt minimũ propter assistẽtiam religiosam, quæ genus quoddam orationis est, quam consistere sine aliquali attentione est impossibile.

QVAESTIO LXXXIV.
DE ADORATIONE.

ARTICVLVS I.
Vtrùm adoratio sit actus Latriæ, seu Religionis?



1 CONCLVSIÒ est affirmatiua, quia adoratio ordinatur in reuerentiam adorati: sed ad Religionem spectat Deo reuerentiam exhibere: ergo adoratio, qua Deus colitur est actus Religionis. In commentarijs huius quæstionis adorationis naturam, eiusque diuisiones in communi duntaxat conabimur inuestigare, sequentes D. Thom. vestigia: at cætera quæ de oratione Verbi incarnati, Eucharistiæ, imaginum, & reliquiarum solent disputari in propriã sedem reijcimus: nẽpè in *tertiam D. Thom. partem qu.* 25. & in *tertium sent. dist.* 9. vbi Doctores Scholastici presse ista vrgẽt, admiscentes aliquid de adoratione & Religione in communi.

Igitur ab Etymologia seu notione nominis *Adoratio*, incipientes, notamus nomen *Adoratio*, non deriuari (vt senserũt Priscianus, & Nonius,) ab *Ador*, quod est frumenti genus sacrificijs destinatum, Adoratio namque diuersa est à sacrificio: sed potius à præpositione *Ad*, & *Oro*, id est, ore precor, vt existimauit Valla: cuius rationem licèt ipse non assignet, fortassis hæc est, quia præpositio *Ad*, in compositione coniunctionem, & annexionem significat, vt *Adiacere*, id est, coniunctim aut simul iacere, *Alloqui*, id est, simul cũ alio loqui. Adoratio autem externa, in qua adorationis na- Priscian. Nonius.

nis natura magis lucet, vt dicemus, vix reperitur
Tertul. sine oratione. Et colligere licet ex Tertuliano, in Apologetico cap. 30. dicente. *Illud* (nempè cœlum) *suspicientes Christiani, manibus expansis capite nudo precantes sumus.* Ecce adorationi adiungitur
Hierony. oratio, & Hier. in cap. 3. Epist. ad Ephes. libro 2. *Deum fixo poplite magis quod ab eo poscimus impetramus.* Ecce adorationi oratio coniungitur: dicitur ergo Adoratio, quasi simul fiat cum oratione semper, vel ferè semper.

Sed omissa nominis Etymologia, ad expli-
2 candam naturam adorationis accedentes, supponimus ex communi omnium consensu, Adorationem esse quendam actum, quo alterum honoramus, illi tanquam excellentiori nos submit-
D. August. tendo: ex quo colligit D. August. *lib. contra Sermonem Arrianorum cap. 23.* discrimen inter honorem & adorationem: omnis namque adoratio honos est, non verò omnis honor adoratio est, etenim honoramus æquales, iuxta illud Apostoli ad Rom. 12. *Honore inuicem præuenientes:* at non adoramus nisi nobis superiores, adoratioque cum summissione adorantis ad adoratum fit. Hoc supposito sequitur;

DISPVTATIO I.

An adoratio versetur tantùm circa Deum, an verò etiam ad creaturas extendatur?

3 D. Aug. Gen. 18. 3. Reg. 1. RESpondit D. Tho. *in solutione* ad *primum* huius primi articuli, ex mente Augustini. 10. *de ciuitate cap.* 4. Adorationem etiam solere exhiberi licitè quibusdam excellentibus creaturis. *Gen.* 18. Abraham adorauit Angelos: *tertij Regum* 1. Natham Propheta adorauit Dauid: & alibi sæpè fit mentio talis adorationis. Ex hoc colligit D. Thom. *in eadem solutione* diuisionem adorationis ex parte obiecti, id est, ex parte excellentiæ rei adoratæ, in adorationem, qua veneramur Deum, & pertinet ad Latriam, & adorationem, qua veneramur creaturas excellentes, & pertinet ad Duliam.

Circa quam diuisionem multa scitu digna se offerunt disputanda. *Primum est.* An liceat creaturas adorare & quomodo? Sed de hoc commodius disputabitur inferius.

Secundò. An istæ adorationes Dei & creaturarum pertineant ad eandem virtutem? an ad diuersas? & an sint actus diuersæ speciei? an vnius? De quo superius egi *in quæst.* 81. *art.* 3. *&* 4. eadem enim difficultas de quouis genere cultus procedit, & non solum de adoratione: & fortassè latius infra *quæst.* 110. *& sequentibus.*

4 *Tertiò* circa eandem diuisionem visum est mihi explicare hæc nomina Græca *Latria*, & *Dulia*, quia eorum passim fit mentio à Theologis, & à sanctis Patribus: à quibus *Latria* vsurpatur pro cultu, qui erga Deum versatur; *Dulia* verò pro eo, qui erga creaturas: quæ acceptio non admmititur à Caluino, & Laurentio Onfredo Hæreticis, neque à Valla & Ludouico Viues Grammaticis in caput primum *li.* 10. *de ciuit. Dei*, qui omnes irrident Doctores Scholasticos, & ignaros Linguę Græcæ, eo quod, inquiunt ipsi, Græco Sermone, *Latria* & *Dulia*, idem prorsus significant, nempè mercenariam seruitutem: probant primo ex Xe- Xenoph.
nophonte in tertio libro de Pœdia Cyri, vbi verbum *Latreuo*, ex quo *Latria* deriuatur, in ea vsurpatur significatione. Secundò ex sacra Scriptura, nam Leuit. 23. vbi nos legimus, *Omne opus seruile non facietis*, Leuit. 23. Græcè pro seruile habetur *Latreutom*, ab eodem verbo: & eodem capite vbi legimus, *De semine tuo non dabis seruire principi*, Græcè pro seruire est *Latreuin*.

His tamen respondemus, attenta primaria significatione parum aut nihil differre istarum vocum significationem. 5 At Doctores accommodarunt ista sic, vt *Latria* pro seruitute & cultu, qui Deo debetur accipiatur; *Dulia* verò pro ea, quæ excellentibus creaturis. Ratio huius accommodationis desumpta est, primò ex sacra Scriptura, in qua si attentè inspiciatur, vt ait Aug. 10. de ciu. August.
ca. 1. nomen *Latria*, aut semper, aut tam ferè semper, vt vix inueniatur pro alio, quàm Dei cultu, vsurpari: in nouo vero testamento nunquam. Quam accommodationem ne aliquis existimet esse inuentum Doctorum Scholasticorum, apud sanctos Patres eam inueniet; maximè in tota septima Synodo, & Augustino *vbi supra*, *& lib.* 1. *de Trinitate cap.* 6. *& lib.* 20. *contra Faustum cap.* 21. *& quæst.* 61. *in Genesim*, vbi aduertit propterea falsorum Deorum cultum fuisse vocatum idololatriam, quia *Latria* proprium cultum vero Deo debitum significat.

Quod verò *Dulia* accommodetur tantum cultui creaturarum ex eo colligere licet, quod sacra Scriptura frequentissimè, quando loquitur de seruiendo ijs, qui non sunt, neque æstimantur Dij, non vtitur verbo *Latreuo*, sed *Duleuo*: primū patet, nam Exod. 4. cum dicitur: *Dimitte populum meum, vt seruiat mihi*, & Exodi, 23. & Deuteron. Exod. 4.
6. *ac* 10. & 28. & Iosue. 22. & 24. & Iudicum. 9. in Exod. 25.
his inquam omnibus locis habetur *Latreuo*, pro Deut. 6.
seruire; at verò quando sermo est de seruiendo a- 10. & 28.
lijs, qui nec Dij sunt, nec æstimantur Dij sacra Iosu. 22. &
Scriptura non vtitur verbo *Latreuo*, sed verbo 24.
Duleuo, vel *Dulia*, vt constat *Gen.* 14. 15. 25. 27. 29. Iudic. 9.
30. 31. *Esaia* 14. Gen. 14.

Ex hac vocum Græcarum significatione seu Esa. 14.
6 accommodatione, colligere licet rationem & sensum præfatæ diuisionis: nā cum adoratio exhibetur propter increatam excellentiam Dei, dicitur *Latria*; quæ verò propter creatam, dicitur *Dulia*, præsertim quando excellentia illa est gloriæ vel sanctitatis creatæ: quod si sanctitas illa sit superexcellens, vt in Beatissima Virgine, adoratio illi respondens vocatur *Hyperdulia*.

Habemus igitur ex præfata diuisione nomen adorationis commune esse Deo & creaturis, vt colligitur ex locis sacræ Scripturæ citatis, & alijs innumeris, qui citari poterant: vnus verò pro multis satis sit. 1. Paral. 29. *Inclinauerunt se, & ado-* 1. Par. 29
rauerunt Deum, deinde Regem.

7 *Sed dubitabis*, an adoratio dicatur de vtraq; adoratione, vniuocè, an verè analogicè? *Et videtur*, Dubita.
non dici vniuocè ex mente Diu. Thomæ in *hoc* D. Thom.
arti-

articulo ad primum, dicentis, excellentiam Dei non communicari creaturæ ſecundum æqualitatem, ſed ſecundum quandam participationem: & ideo aliam venerationem tribuimus Deo, aliam verò excellentibus creaturis: & infra in qu. 24. in articulo ad ſecundum, non comparat Latriam cum Dulia, ſed cum idolatria, quas dicit conuenire in ratione cultus, qui per actum humanum exhibetur, quamuis in ratione virtutis, & Religionis idololatria æquiuocè dicatur Religio, ſeu Latria. *Secundò*, ratione ſic, quia excellentia vel Dei dominium & creaturarum non vniuocè, ſed analogicè conueniunt in ratione excellentiæ, vel dominij, vt probatur *prima parte qu. 13. art. 6.* Ergo cultus exhibiti propter has excellentias duntaxat analogicè poſſunt conuenire in ratione adorationis. *Confirmatur* ex Ariſtotel. lib. 2. magnorū moralium, dicente amicitiam propter iucundū, vel vtile, ſolùm analogicè eſſe amicitiam, ſi comparetur cum ea, quæ eſt propter honeſtum. Hanc ſententiam tenet D. Bonauen. in 3. *diſt. 9. art. 2. ad quartum*, & Petrus Bergomenſis, in concordantijs Tabulæ aureæ D. Thom. verbo *adoratio*, nu. 5.

Ariſtot. *D. Bona.* *Bergom.*

8 Nobis verò oppoſita ſententia videtur probabilior, & colligitur *ex quæſt. citata 94. art. 1. ad ſecundum:* vbi ſanctus Doctor dicit Latriam, & idolatriam in ratione actus humani ad cultum pertinentis vniuocè conuenire, ſicut ſolutio tributi vniuocè dicitur, ſiue tribuatur vero regi, ſiue falſo. *Et hinc ego infero:* ergo adoratio ſumpta ſub ratione communi actus humani ordinati ad honeſtum, & rationabilem cultum alterius vniuocè dicetur ſiue talis cultus ad Deum referatur, ſiue ad creaturam. *Id ipſum illuſtratur exemplis:* nam fides vniuocè dicitur de diuina, & humana, ſaltem in ratione actus humani, quamuis hæc autoritati creatæ, illa verò increatæ nitatur: amor etiam Dei & proximi vniuocè conueniunt in ratione amoris. Secundò: actus voluntatis, à quibus adoratio naſcitur, & habet eſſe humanū, ſeu morale adorationis, vniuocè cõueniūt in ratione actus humani, & liberi, & in ratione virtutis ſeu actus honeſti, & ſolū differūt ſpecificis differētijs, q̃ per ſe cõſtituunt illos in hac vel illa ſpecie virtutis: ergo ſolùm conueniunt vniuoce in genere, & differunt ſpecie: ergo idem dicendum eſt de adoratione ſecundum rationem ſuam genericam, & illius ſpeciebus.

Ad argumenta verò in oppoſitum. *Reſpondetur*, obiecta actuum vel habituum non conſtituere illos per ſe & intrinſece: ſed habitudo ad obiectū intrinſeca eſt huiuſmodi actibus, vel habitibus: quo fit, vt licet vnum obiectum increatum ſit, aliud verò creatum, ac proinde non conueniant vniuoce, nihilominus habitudines ad illa obiecta, quæ creata ſunt, & actus ac habitus, qui illas includunt poſſint vniuoce rationem aliquam participare: præſertim quia quandoque habitus vel potētia, quæ in ſe omnino vna eſt, poteſt obiectum reſpicere, quod ſecundum analogiam tātum vnum eſt, vt in intellectu & voluntate videre licet. Ariſtoteles autem citatus, & Sancti interdum, ſi quomodo videantur admittere aliqualem analogiam inter has adorationes, interpretandi ſunt de Analogia phyſica non de logica.

Quintò dubitari poterat, an diuerſa eſſet exhibenda Deo adoratio, diuerſa inquam ſecundum modum inter eandem ſpeciem propter diuerſa Dei attributa: ſed quia dubitatio hæc æquè procedit de quocunque Dei cultu videnda eſt ſuperius in quæſt. 81. art. 3. vbi id diſputauimus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm adoratio importet actū corporalem?



PRIMA concluſio. Duplex eſt adoratio, quam Deo offerimus: ſpiritualis, quæ conſiſtit in interiori mentis deuotione; & corporalis, quæ conſiſtit in corporis humiliatione. Probatur teſtimonio Damaſceni lib. 4. fidei Orthodox. cap. 13. 1

Secunda concluſio. Exterior adoratio fit propter interiorem. Probatur quia in omnibus actibus Latriæ id quod exterius eſt, refertur ad id, q̄ eſt interius tanquam ad principalius. Declaratur concluſio: nam per ſigna humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, intendimus excitare affectum noſtrū ad ſubijciendum ſe Deo, quia connaturale eſt nobis, vt per ſenſibilia ad intelligibilia procedamus.

Circa examinandam veritatem primæ concluſionis oportet recolere ea, quæ diximus ſuperius in *qu. 81. art. 7.* circa conſimilem diuiſionem actuum Religionis in actus internos & externos. quia eâdem vi & veritate procedunt in diuiſione adorationis in adorationem internam & externam. Quibus neceſſariò præmiſſis eſt

DISPVTATIO I.

Quid ſit adoratio interior?



QVidam aſſerunt, nihil aliud eſſe adorationem interiorem, niſi actus Fidei, Spei, & Charitatis. Ita Alexand. *Alenſ. 3. part. qu. 30. memb. 1. art. 2.* Albert. Magnus *in 3. diſt. 9. art. 1 ad quintum.* Richardus *art. 1. qu. 3. ad tertium*, Palud. *qu. 1. art. 2.* Thom. de Argentina *art. 1.* Gabriel. *qu. vnica. art. 3. & in Can. lect. 49. litera* F. & G. & expreſſius *lect. 50. litera* K. Corduba, *lib. 1. qu. 5. notat. 2.* Martinus de Ayala *de tradit. parte 3. conſideratione 7. cap. 5. §. 3.* Probant primò ex Auguſtino in Enchiridio. cap. 2. & 3. vbi dicit, *Theoſebiam*, quam dixerat eſſe virtutem, quæ cultum Deo tribuit, *in his virtutibus Theologalibus præcipue conſiſtere:* & 10. de ciu. cap. 9. de dilectione Dei ait: *Hic eſt Dei cultus, hæc eſt vera Religio.* Denique Athanaſius, *quæſt. 60 ad Antioch.* Chryſ. *hom. 32. in Ioannem.* Cyrillus *lib. 2. in Ioan. cap. 93.* Hyllarius *lib. 2. de Trinit.* explicantes quid ſit adorare in ſpiritu & veritate id tribuunt virtutibus Theologicis. 2

Alenſ. *Alb. Mag.* *Richard.* *Palud.* *Argent.* *Gabriel.* *Cordub.* *Athanaſ.* *Chryſoſt.* *Cyrill.* *Hyllar.*

Secundò. D. Thomas in hoc articulo ad ſecundum ait, interiorem adorationem in reuerentia Dei interiori conſiſtere: hęc autem interior reuerentia

rentia vix potest intelligi quid sit, nisi in Deũ credere, in Deũ sperare, atque illum diligere: ergo.

3 *Pro decisione* huius rei difficilis, tum propter vocum ambiguitatem, & eorum distinctam acceptionem, tum propter opinantium varietatem præmittenda sunt aliqua, quæ in loco superius citato partim tetigimus. *Primum* est ex D. Thomæ doctrina *in 3. distinct. 9. quæstion. 1. artic. 1. ad secundum*, quod quamuis virtus, quæ circa actiones moderandas versatur, habeat esse virtutem ex actu interiori voluntatis primæ ex electione obiecti virtutis, in generali tamen esse virtutem determinatè completè, ac perfectè habet ex actu exteriori. Actum exteriorem vocat D. Thomas actum, circa quem versatur talis electio, siue sit actus externus siue internus: qui ideò vocabitur exterior, quia ab illo non specificatur habitus, quamuis in illo, & per illum attingatur in exercitio obiectum habitus, à quo specificatur, vt ibidẽ ait sanctus Doctor. *Sit exẽplum* in iustitia, quæ habet quod sit talis virtus ex electione & voluntate reddendi cuique ius suum, cæterũ nõ est cõpleta perfectè quousque in exercitio determinetur ad dandum ius hoc in determinata materia, verbi gratia, emptionem, venditionem, &c.

D. Thom.

Sed magis ad rem conducet exemplum ponere in ipsa Religione, seu adoratione, quæ specificatur ex actu volendi cultum diuinum: completur verò, quando ab eodem voluntatis actu determinatur ad certam materiam cultus: putà ad genuflectendum, procumbendum, vel similes actus adorationis externæ, vel ad submittendum Deo suam mentem, vel adorationem, vel alium actum internum, qui vocantur externi comparati ad electionem præfatam, à qua quasi imperantur, quia exercitium dimanans à tali electione, in illis consistit non minus, quàm in alijs actibus adorationis externæ: vnde meritò vocantur materia circa quam Religionis seu adorationis: cæterùm ista determinatio ad certam materiam cultus seu adorationis dupliciter potest fieri, aut per merum imperium, ordinando actus aliarum virtutum ad Religionis siue adorationis finem, quod posse fieri superius docui, *quæstion.* 81. aut verò eliciendo ipsos actus, à quibus determinatur, & circa quos versatur præfata electio. His suppositis:

4 *Primum assertum sit.* Adoratio interior non cõsistit in electione, idest in actu illo volũtatis, quo quis vult Deũ adorare aut colere. *Probatur*, quia adoratio interior consistit in exhibitione cultus vt manifestum est: sed ille actus electionis nõ est exhibitio cultus: ergo non est adoratio interior. *Minor probatur*: tantum est propositum seu voluntas colẽdi, nõ verò ipse cultus. Fateor, illa electio seu voluntas colendi est causaliter adoratio & cultus: quia ab illa tãquã à radice & fonte dimanat omnis adoratio & cultus, & sine illa adoratio quæcunque potius fictio est, & irrisio, quam verus cultus: vnde non immeritò anima & spiritus adorationis nuncupabitur, & de illa dicitur, *Veri adoratores adorabunt spiritu & veritate.*

5 *Secundum assertum.* Adoratio interior non sunt actus Fidei, Spei, & charitatis. *Probatur*, quia adoratio interior Dei, si proprie loquamur de adoratione, est actus elicitus à Religione, & inter ipsos numeratus à D. Thom. sed actus virtutum Theologicarũ non sunt eliciti à Religione, sed à virtutibus Theologicis: ergo adoratio interior non consistit in illis actibus. *Confirmatur*, quia aliàs confunderemus virtutes Theologicas cum Religione, si actus ab istis elicitos tribuamus Religioni. Hoc assertum videtur esse contra citatos autores, qui tamen si bene inspiciantur, nõ dicunt actus virtutum Theologicarũ elici à Religione: quin imò aliqui ex citatis apertè dicũt adoratione interna versari circa actus Fidei, Spei, & Charitatis, sicut erga materiam circa quam, in qua exercetur & consummatur cultus, & quod illi actus non eliciuntur à Religione.

Et quidem si de imperio Religionis seu adorationis sermo sit, nos sentimus cum illis, censentes non solùm adorationem posse imperatiuè versari circa actus theologicarum virtutum, verum & circa omnium virtutũ actus: cuius amplimperij licet non expressè meminerint citati autores præter Albertum & Cordubam, credo tamen omnes teneri concedere propter eandẽ rationem, qua concedunt de actibus Fidei, Spei, & Charitatis. *Dissentimus tamen ab illis*, quia existimant tales actus elicitos à virtutibus Theologicis, esse adorationem Dei internam. Nos verò negamus, quia adoratio proprie actus elicitus est à Religione. Ita dixit D. Thomas in primo articulo; isti autem citati autores fatentur illos actus virtutum Theologicarum non esse elicitos à Religione: ergo consequenter debẽt concedere eos non esse adorationem internam.

Secundò: nam si actus virtutum Theologicarum, eo quod à Religione imperantur, dicuntur interior adoratio, actus omnium virtutum, qui possunt ab eadem virtute imperari, dicentur adoratio: quod esse falsum certò certius est, non enim quouis opere virtutis dicitur Deus adorari cultu religioso.

Tertium assertum. Probabile est omnes actus internos à Religione elicitos circa materiam determinatam cultus, esse adorationem. Dixi, circa determinatã materiã, quia in primo asserto, iam exclusi à ratione adorationis actũ illũ generalẽ, *volo colere, volo adorare*, qui à Religione elicitur, estque actus illi adæquatus, non tamen est adoratio. *Probatur*, quia adoratio interior consistit in omnibus illis actibus internis à Religione elicitis, qui determinant elicitiuè volũtatem adorandi Deum; sed huiusmodi sunt omnes actus interni à Religione eliciti: ergo in illis consistit adoratio Dei interna. *Minor nota est*, & probatur maior, quia adoratio consistit in exercitio summissionis ad Deum, vt colamus illum: sed omnis actus internus Religionis importat hãc summissionẽ, & in illo exercetur ista summissio, vt videre est apud D. Th. supra *quæst.* 81. *art.* 3. *ad* 2. ergo in omnibus illis cõsistit adoratio interna. *Confirmatur*. Omnis actus externus protestatiuus summissionis ad Deũ, pertinet ad adorationẽ externã: ergo omnis actus internus importãs eandem summissionem pertinet ad adorationẽ internã. 6

D. Thom.

Secundò. Adoratio interna, vt ait D. Thomas in hoc articulo, consistit in interiori mentis deuotione: sed deuotio interior completa, & determinata ad certam materiam extenditur ad oẽs actus Religionis internos, vt supra docui: ergo omnes illi actus Religionis interni, quasi imperati ab illa generali volũtate colendi, aut adorandi Deum erunt adoratio interna.

7 *Vltimum assertum probabilius.* Loquendo strictè de adoratione in pressa & propria significatione, non consistit adoratio interna in quouis opere Religionis interno, sed in aliquo: nempè in illo actu interno, quo expressè summittimus Deo nostræ mentis internas vires, tanquam supremo rerum omnium principio. *Prima pars probatur,* quia latius patet cultus Dei, quàm eiusdem adoratio, hæc consistit in actu speciali, ille verò in multis, qui erga cultum Dei latè versantur: ergo pari ratione cultus Dei internus latius vagatur per actus internos pertinentes ad Religionis habitum, quàm oratio interna, quæ nõ ita latè extenditur. Antecedens est D. Thomæ *in quæst.* 81. *articul.* 7. vbi adorationem ponit peculiarem actum Religionis ab alijs eiusdem virtutis distinctum, *Confirmatur,* quia dato opposito, adoratio tam interna, quàm externa conuerterentur cum cultu Dei, quod esse falsum manifestè patet, cum adoratio sit specialis Dei cultus. *Confirmatur secundò* ex eodem D. Tho. *in hoc artic.* dicente adorationem esse actum Latriæ, & se explicans ait idest, Religionis: vbi manifestè patet, quomodo adoratio non est idem, quod Latria: namque idem est apud ipsum, quod Religio, ac proinde omnes religiosos cultus comprehendit, etiam ipsã adorationẽ: cũ ergo dicitur adoratio Latriæ non significatur adoratio, quæ est idẽ quod Latria, sed actus quidã qui ad Religionẽ pertinet.

D. Thom.

Secundò. Oratio, votum, gratiarum actio, laudes, Dei, & alia huiusmodi si interius fiant, & ab electione colendi Deum quasi imperentur, non sunt adoratio: quis enim dicat per hæc Deum adorari? nec talis loquendi phrasis in sacra Scriptura reperitur: ergo non reperitur adoratio interna in quocũque actu interno Religionis, quãuis in illo Dei cultus exerceatur. Et confirmatur in oratione mẽtali, in qua reperiri rationẽ adorationis magis, quã in actib⁹ modò enumeratis posset quis suspicari; nam oratio vocalis non est adoratio exterior: ergo neque mentalis erit adoratio interior. *Probatur antec.* de se manifestum, cũ adoratio & oratio distincti sint actus Religionis: & satis apertè colligitur ex sacra Scriptura inter se istis duobus nominibus, vt diuersa, significatibus. 2. Regum. 14. *Adorauit & dixit, Serua me Rex.* Matthæi. 20. *Accessit mater filiorum zebedæi adorans, & petens aliquid ab eo.* Consequentia verò probatur, quia adoratio exterior, vt inferius videbimus, signum est adorationis internæ. *Confirmatur secundò.* Nam non quicunq; actus externus pertinens ad Dei cultum est adoratio externa: ergo non quicunq; actus internus pertinens ad eundẽ cultũ, erit adoratio interna. *Antecedens patet* ab hac quæst. per plures sequentes, vbi D. Tho. enumerat quamplures actus externos Religionis, putà sacrificia, oblationes, decimarum solutiones, & similia, qui licèt sint à Religione elicitiuè, distincti tamẽ actus sunt ab adoratione externa: cõsequẽtia probatur, nã adoratio interna & externa sibi inuicem correspondent, sicut signatum & signum.

2. Reg. 14.
Matt. 20.

8 *Secunda pars asserti probatur:* quia D. Thomas diffiniens adorationem externã asserit, eam esse, per quã aliquis suũ corpus ad Deum venerandũ exhibet: ergo interna erit, per quã aliquis suam mentem & eius vires ad Dei reuerentiam exhibet, itaq; quamuis in omni opere Religionis summissio ad Deum includatur, expressa tamen & de principali significato non in omnibus, verbi gratia in oratione id quod primo importatur est petitio ad Deum, summissio consequenter, & ideò nõ est proprie adoratio: D. autem Thomas quando ait adorationem internam consistere in deuotione interiori loquitur de deuotione, quæ primò & per se importat summissionem.

9 *Ad argumenta* eorum autorum, quos in principio dubitationis citaui iam supra respondi, qualiter sãctorum Patrum testimonia intelligantur, quando dicunt cultum Dei in actibus virtutum Theologicarum consistere, videlicet, quia cultus Dei ab ipsis potissimè excitatur per imperium: ita D. Th. *qu.* 81. *ar.* 5. *ad primum,* & Durandus *in* 3. *dist.* 9. *qu.* 1. *num.* 8. & Marsil. *qu.* 8, *art.* 1. *in* 3. *dubio.* Secundo respondetur cum D. Bonauentura *in arti.* 2. *quæst.* 2. *ad* 1. Dei scilicet cultum tribui actibus virtutũ Theologicarum, loquendo de actu generali quadam ratione & impropria, qua omnis actus, qui erga Deũ versatur dicitur cultus: charitas verò ab Augustino appellatur vera Religio, quia plus quã omnis cultus religiosus Deo placet, in quo sensu idem Augustinus, capite illo 6. opera misericordiæ vera sacrificia nũcupauit, quod Deo plus placeant, quàm sacrificia & holocausta, iuxta illud Oseæ. 6, & Matt. 9. *Misericordiam volo, & non sacrificium,* cum tamen opera misericordiæ nõ sint propriè sacrificia, imò neq; opera Religionis: & phrasis vsitata est, id quod alteri cõparatũ plus placet vocare veriorẽ virtutis actũ. Iacobi 1. *Vera religio, & immaculata visitare pupillos,* at nimirũ, quia in casu necessitatis opera Religionis posthabẽda sũt operib⁹ misericordię.

D. Thom.
Durand.
Marsil.
Bonauen.
August.
Oseæ. 6.
Matth. 9.
Iacobi 1.

10 *Ad secundum resp.* ex vltimo & penultimo asserto. Sed ista nostra asserta maioribus argumentis concutienda sunt, & arguitur contra primum dictum. Adoratio interna consistit in deuotione interiori: ita D. Thomas in hoc artic. sed deuotio dicit voluntatem exequendi diuinum cultũ, vt patet ex eodem Doctore sancto, quæst. 81: art. 1. ergo adoratio interna consistit in voluntate, seu electione adorandi, seu colendi Deum, quod negatur in primo asserto. *Respõdetur.* In adoratione interna licet triplicem actum considerare: nã imprimis ratio recta dictat hic & nunc Deũ esse adorãdũ, deinde volũtas se cõfirmat huic dictamini, & eligit seu vult Deũ adorare.

Tertiò. Mediante eodem actu voluntatis se determinat, vt eliciat actum adorationis internæ in determinata materia: primus actus pertinet ad prudentiam, secundus ad Religionem, tertius etiam

etiam est elicitiue ab eadem Religione, sed mediante actu illo secundo, qui etiam est elicitiuè à Religione, & ex actu illo secundo & tertio veluti componitur vnus actus moralis tanquam ex actu interno & externo, dicitur vnus actus componi, qui totus potest dici quodammodo integra adoratio moralis: tamen eos ab inuicem distinguendo, prior est quasi internus, alter est quasi externus: prior est propriè elicitus & immediatè à voluntate, alius in ordine ad priorē quasi imperatus mediante priore; prior denique est quasi desiderium siue affectus adorationis, alius quasi effectus, seu potius adoratio ipsa: nos igitur asserimus illum secūdū actū pertinere ad virtutē Religionis elicitiuè, nō tamē esse adorationē, sed propositū adorationis, tertiū verò actum esse ipsā adorationē propter rationem allatā in primo asserto. *Et ad argumētū resp.* adorationem interiorem consistere in deuotione, nō quomodocunque, sed determinata ad specialem cultū internum, in quo speciali cultu vt procedit à secundo illo actu, formaliter consistit adoratio, causaliter vero in priore, ex quibus ambobus integratur vna moralis adoratio, vt explicatum est.

11 *Contra secundum* assertum & eius probationē *arguitur.* Nam vnus & idem numero actus pertinere potest elicitiue ad diuersas virtutes, vt omnes fatentur, & ego docui *superius artic.1.quæ.81.* ergo bene stat actus fidei, spei, & charitatis elici à virtutibus Theologicis & simul à Religione; & sub hac posteriote ratione pertinebunt ad internam adorationem. *Secu[illegible]* Quouis virtutis opere potest Deus coli [illegible]ligioso, & elicito à Religionis virtute: putà [illegible]e homo adstringat ad efficiendū aliq virt[illegible]s: ergo quouis virtutis opere poterit Deu[illegible]i elicitiuè, si illud opus homo faciat ex ac[illegible]nis affectu.

Vt his respondeamus valdè notanda est doctrina D. Thomæ, *in 4.dist.14.q.1.art.1.quæstiunc.3.ad 2.* quod dupliciter aliqua virtus habet pro materia actus aliarum virtutum: vno modo per solum imperium, & relationem extrinsecam ad suū finē, & isto pacto nullū incōueniēs censemus actus charitatis à Religione imperari, imò & omniū virtutū actus. *Secundò* modo potest virtus habere pro materia actus aliarum virtutum elicitiuè, sed hoc modo indiscriminatim, ita quod vna virtus nō possit actus quoscunque studiosos elicere, sed dūtaxat illos actus, in quibus reperitur aliqua specialis ratio studiosa pertinēs ad illam virtutē: verbi gratia, Religio potest quidē imperatiuè versari circa actū tēperantiæ, non verò elicitiue: quia in eo actu nō reperitur quidpiam pertinens ad rationē formale Religionis: è cōtrario Magnanimitas virtus specialis potest versari elicitiuè circa actus omniū virtutū, quia ratio magni, q̄ est ratio formalis Magnanimitatis reperitur in omni virtutis actu, vt tradit *Arist. 3.Eth.* Similiter pœnitentia versatur elicitiue circa actus omniū virtutū, quia detestatur peccata opposita cuique virtuti, quę etiā ipsæ virtutes singula singulis referendo detestantur: & ratio est, quia in omni actu virtutis reperit suā rationē, nēpe detestationem peccati: est tamen specialis virtus, quia illa detestatur sub speciali ratione, nempe vt recompenset Deo pro iniuria illata. Idem dico de virtute charitatis, quæ potest elicitiue versari circa omniū virtutū actus; quia in eis reperitur aliqua ratio boni, quā Deo concupiscat per charitatē: & idē cōcedit D. Th. infra *qu. 104. artic.2. ad* 1. de virtute obedientiæ, quæ potest versari circa omnium virtutum actus, quia in eis reperitur ratio præcepti, ad quod parendum inclinat obedientia.

Ex hac D. Th. doctrina infertur primo, earum virtutum actus, qui neque in recto, neque in obliquo versantur erga Deum, non posse elici à virtute Religionis, neque esse eius materiam elicitiuè, eo quòd in illis non potest fundari, aut reperiri ratio cultus nati ex summissione ad Deum, & in ipsa originati, quæ est ratio constituens adorationem.

Infertur secundò, actus earum virtutū, quæ circa Deum versantur, posse esse materiā circa quā exerceatur ratio formalis adorationis, si ex volūtate adorādi procedāt, & sint apti ad indicādū, profitēdā, vel quouis modo exercendam animi summissionem ad Deum: verbi gratia, actus fidei est cognoscere diuinam excellentiam, & Deum vt supremum Dominum, & tamen si quis ex voluntate colendi Deū in prædictum actum erumpat, & eam cognitionem Deo offerat in cultum & adorationem se tantæ excellentiæ summittendo, ea recognitio adoratio interna est à Religione elicitiuè proficiscens. *Probatur*, quia hic actus internus est honestus & sanctus: ergo ab aliqua virtute elicitur, nō nisi à Religione, cū immediatè oriatur à voluntate colendi Deū, neque intra sphæram Religionis aliud esse potest quā adoratio, cū formaliter non sit oratio, aut deuotio, &c. Fortasse non ita apte poterunt actus charitatis fundare hāc animi summissionē, quia charitas est amor amicitiæ, qui nō exigit expresā summissionē, sed quandā quasi æqualitatē, qualis inter Deū & homines reperiri potest fundatam in bonorū diuinorum communicatione. Et idem videtur dicēdum de spei actibus. Quod si quis in harum virtutum actibus sciat adinuenire fundamentum summissionis ad Deum, ac subinde materiam orationis, non contradico. Sed tunc acrius vrget argumentum positum, videlicet adorationem internam esse actus Fidei, Spei, & Charitatis.

Ad quod resp. Actus harum virtutum quandoque præcedere cultum Dei, vt motiua ad illum, 13. saltem actus fidei, scientiæ, aut alterius doni, necessario debet præcedere quemcunque Dei cultum, ex quo nō sequitur actus illos elicitiuè pertinere ad Religionē vel adorationē. Rursus quādoque imperantur à Religione, & neque tunc à virtute Religionis elici dicentur; at verò interdū illi actus Theologicarum virtutum ex voluntate adorandi Deū nascuntur, vt pote in quibus ratio summissionis ad Deū apertè exercetur, & tūc ad Religionē spectāt elicitiuè, & adoratio interna dicuntur, non quidem præcise considerati sub ea ratione, qua ad virtutes Thologicas pertinent, sed sub ratione summissionis ad Deum, quæ fundatur, & quasi superadditur illis Theologicarū virtu-

definitum tempus iusta sunt. Causæ communes à iure excusantes à residentia iam à nobis supra annumeratæ sunt, ex capit.1. de clerico non residente, in 6. Latius enumerat Syluester verbo, *re-* *Syluest.* *sidentia*. §.7. Causæ aliæ iustæ & Ecclesiæ proficuę multæ possunt esse, verbi gratia, si Canonici alicuius Ecclesiæ sunt illiterati proficuum erit Ecclesiæ, vt vacent literis in aliqua Academia, & ob id potest dari illis facultas, vt absentes certo tempore lucrentur fructus Canonicatuum. Consultò dico; Certo tempore: Nam has perpetuas licẽtias etiã à Papa datas reuocat Bonifacius 8. c. *Couarr.* *finali de rescriptis*. Subiungit tamen Couarruuias vbi supra non esse ferendam consuetudinem, vel statutum, vt possit liberè Capitulum Canonicorum talem præstare licentiam, quia vix vna, aut altera negabitur, nec quisquam vix audebit negare, ne sibi altero die petẽti negetur. Rursus ait, si priuilegium obtinuerint, ad abusum pertinere eo vti: quia creditur Pontifex nõ benè informatus dedisse, & propter importunitatem petentium, vt colligitur argumento cap. finalis in sexto.

6 *Ad argumenta* pro alia parte respondetur, illud *Responde-* capitulum. *Cum omnes*, multas pati interpretatio- *tur ad ar-* nes, quas latius persequi non est huius loci: modò *gumenta* verò dico illam consuetudinem abrogatam per *contraria* Canonicos Trecenses esse introductam iusta & *senten.* rationabili causa, iuxta nostrum tertium dictum, & ideo iussit Pontifex seruari.

Ad *secundum*, quod quidam adducunt ad excusandas excusationes in peccatis, negatur ante- *Nauar.* cedens cum Nauarro *de oratione cap.5. num.* 10. etenim aliquãdo non sunt extractæ distributiones quotidianæ ex fructibus Canonicatuum, vt vidimus ex Iuone, aliquando extractæ sunt non vt liberẽt Canonicos ab assistentia chori, sed quasi incitatiuum, & calcar, vt Canonici libẽtius choro adsint. Obiectum enim præsẽs fortius mouet. Dabantur autẽ distributiones antiquitus in ipsomet choro diuinis officijs finitis: & ob id vocantur manuaria beneficia, eo quod à præsẽti manu præsenti dentur: manuarias molas appellat Iuris consultus in l. *dolia*. ff. de fundo instr. quod manu ductæ molant: *æs manuarium*, apud Aulum Geliũ dicitur, quod manu fit ab alijs collatum. Ad tertiũ fatemur minus distributiones deberi absentibus, quam fructus: quia pro sola assistentia chori dantur; cœterum fructus pro eadem & pro alijs, vnde ex causa poterunt obtinere fructus Canonici absentes, non verò distributiones, sed iuxta nostrum tertium dictum.

Sed rogas: cui nam facienda est ista restitutio fructuum, vel principalium redituum, quos vocant, *la gruessa*, propter solam non residentiam? Consultò dixi, propter solam non residentiam, eo quod sermo est de his, qui domi recitarunt, & à choro absentes extiterunt. Nam qui nec domi, neque in choro horas Canonicas non recitarũt, restituere debent iuxta normam traditam à Cõcilio Lateranensi, & Pio Quinto iam citatis. *Respondetur* igitur. Qui propter solã non residẽtiam, restituere tenentur fructus principales, per se loquendo Ecclesiæ, cuius choro tenebantur interesse, obligantur restituere. *Probatur*. Illa Ecclesia habet Canonicos quasi conductos operarios pro assistendo diuinis officijs: ergo si non intersunt eidem tenentur restituere. Dixi, *per se loquendo*, quia ipsamet Ecclesia, quæ domina est illius stipendij, potest statuta condere, sicut de facto fere omnes condiderunt, quod fructus, qui ab aliquibus absentibus perduntur, inter præsentes & interessentes diuidantur: & multo potiori iure potest Papa, qui est summus bonorum Ecclesiæ dispensator, eos cameræ Apostolicæ applicare, aut in quos voluerit vsus conuertere. Vnde eius applicationi potissimè standum est.

DISPVTATIO VII.

Quibus actibus, quave attẽtione teneantur implere præceptũ de assistẽdo horis Canonicis in choro illi, quibus diximus, incumbere? maximè Canonici, quibus specialius hoc munus iniunctum est?

IN qua dubitatione duo explicanda sunt. *Vnũ* spectat ad actiones externas. *Alterum* ad attentionem requisitam ad huiusmodi assistentiam. Et à primo incipientes supponendum est vt certum, præsentiam corporalem solam non sufficere ad impletionem talis præcepti: quo fit vt si quis assistens choro, quando diuina peraguntur, dormiat, legat, aut scribat, vel aliquid simile faciat, non implet præceptum de assistendo diuinis. *Probatur*, quia Ecclesia præcipiens hanc assistentiam, & ob eam stipendia præbens, non propter solam corporalem præsentiam qualem habent sedilia in choro, aut statuæ; illam præcepit. *Confirmatur*, quia assistentia præcepta ob diuinum cultum religiosa debet esse, & hæc religiosè implenda, quin imò horarum assistentia propter orationem saltem apparentem exterius est. Quis autem ferat orationem religiosam iudicare, nec apparenter religiosam, qua Canonicus choro assidens occupatur confabulationibus, murmurationibus, aut alijs externis actibus. *Verum est*, quod si in his modicè se occupet, verbi gratia, consignando literas, loquendo vnum aut alterum verbum, non ob id tenebitur rata illius diei, imò neque illius horæ restituere. Ex his infertur esse necessariam quandam recollectionem, & compositionem externam, & ad munus quasi apparentem attentionem. 1

Quo supposito dubitatio grauis est valdè, sed annexa quæstioni principali, *an Canonici teneantur* 2 *horis assistere canendo cum alijs*? ita quod etiam si *Dubitatio* domi eas recitauerint, si tamen cum alijs non recitent canendo teneantur restituere stipẽdia accepta, siue distributiones sint, siue fructus principales?

De hac re duas reperio sententias. *Vna est affir-* *Sotus.* *matiua*, quam tenet Magister Sotus in lib. 10. de iustitia, quæst.5. artic. 4. ad medium, vbi sic dicit: 1. *Sententia*

Stipen-

Stipendium non datur illis, vt assistant, & duntaxat sint numerus: sed reuera vt psallant. Probatur, quia beneficium datur propter officium: at Canonicorum officium est diuina facere in choro, non veluti mutos sedere: ex quo bene infertur, si non id adimpleant, teneri restituere. *Et confirmatur* hoc Soti argumentum: Nam iure naturali retineri non potest, quod datur ob causam aliquam, causa non subsequuta, vt patet *ex toto titul. ff. de conditionibus ob turpem causam.* Hæc sētētia maioribus argumētis, quam Sotus fecit, stabilienda est.

3 Et sit *secundum.* Nam institutio Canonicatuum est, non vt adsint tantum in choro, sed planè vt canendo assistant, & ob id eis datur stipendium: ergo si id non præstent, non poterunt stipendia retinere. Antecedens patet ex Concilio Tridentino, *Ses. 24. cap. 12.* dicēte: Omnes Canonici per se, & non per substitutos diuina compellantur obire officia, atque in choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis nomen Domini reuerenter distinctèque laudare. *Respondere* quidā ad hoc conantur, non fuisse illud præceptum impositum Canonicis, sed Prælatis iussisse, vt cōpellant Canonicos id facere, vt Ecclesia suo antiquo mori & nitori restituatur; quod si Prælati id neglexerint peccabunt: nō verò Canonici, si habeant consuetudinem præscriptam non psallendi in choro. Sed certè Synodus supponit præceptū primæua institutione Canonicatuum tale esse, vt patet ex illis verbis: *In choro ad psallendum instituto.* Et quamuis præceptum immediate ad prælatos ad id compulsuros dirigatur, mediate ad Canonicos ipsos dirigitur, frustra enim daretur Prælatis talis compellendi facultas, si ipsi Canonici se possent sua consuetudine defendere, & excusare.

Confirmatur ex Concilio Basiliensi, *Session. 21. §. 3.* dicente: Canonici cum psallendi gratia conueniant, iuncta, aut clausa labia tenere non debent: sed omnes, præsertim qui maiore funguntur honore, Psalmis, Hymnis, & canticis Deo alacriter modulentur. Et in Concilio Aquisgranensi capit. 131. *Canonicis religiosissimè in choro standum & psallendum est.*

4 *Tertiò probatur* ex extrauaganti Pij Quinti iam citata, vbi postquam dixerat, non recitantes non facere fructus suos, nec distributiones, ita subdit: *Tametsi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis Canonicis cum aliis præsens adsit, fructusq; & distributiones aliter assignatas sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel aliàs sibi lucrifecisse prætendat: sentit ergo Pontifex quod is, qui est choro addictus, licèt sit præsens, non potest lucrifacere fructus, & distributiones, &c.* Hæc sententia Nauarri *de oratione cap. 11. numer. 41. & cap. 19. num.* 47. & videtur colligi ex Syluestro verbo *hora.* quæstion. 6. & Armilla *eodem verbo quæstion. 21.* quatenus asserunt in Ecclesijs Collegiatis, & Cathedralibus & regularibus dicendas esse horas in Ecclesia: si ergo Canonici peccant tacendo in choro, cùm tale peccatum sit contra iustitiam ratione officij & beneficij, & naturæ fundationis, &c. sequitur obligationem restituendi oriri.

Nauar. Syluest. Armil.

5 *Ista sententia* limitanda est, nisi stet aliquod legitimum impedimentum non canendi in choro, etiam cum præsens est. Primum & potissimū est corporis infirmitas, tunc enim nec peccaret non canendo, neque illi restitutioni fieret obnoxius: vt planè habetur in capit. vnico de clericis non residentibus in 6. & nos docuimus supra cū Syluestro. *beneficium,* 5. quæstion. 3. Angelo, & alijs, & Soto & Couarruu. num. 8. contra Palud. & id de iure communi.

Syluest. Angel. Couar.

Secundum impedimentum præcedenti affine est ineptitudo vocis ad concinnè canendum, vel propter raucitatem, vel incongruum sonum, vel propter huiusmodi alia. *Ratio est.* Quia his ita se habentibus potius præstatur impedimentum decēti, & ornato cantui, potius decori diuini officij, potius offendiculum, & risum audientibus nascitur, quàm deuotio. Quod si aliqui hæc à natura habent impedimenta, non deberent admitti ad beneficia, quæ ex suo præcipuo munere exigunt cantare in choro: sed hoc alterius loci est.

Tertium impedimentum est, cùm diuina officia celebrātur cantu figurato, quem Hispani vocant, *Canto de organo,* tunc enim Canonici excusantur à canendo cum alijs: tum quia non decet eorum grauitatem eo genere cantus vti: tum quia communiter nesciunt, neque scire tenētur.

Secunda sententia supponit hæc impedimenta, 6
& si quæ sunt alia legitima excusare Canonicos à canendo in choro, & etiam si nullum tale extet, asserit quod etsi attento iuris rigore, & antiquo more Ecclesiarum ac Canonicatuum fundatione tenebantur Canonici per se ipsos psallere in choro, quando diuina officia celebrabantur, tamen consuetudo à multis retro annis præscripta obtinuit oppositum, Summis Pontificibus, ac cæteris Prælatis videntibus, & consentientibus. Vnde sequitur, Canonicos in choro assistentes, quamuis non canant, nec peccare, nec ad vllam restitutionem teneri. *Limitatur* autem hæc sententia à suis autoribus. *Primo si* adsit quædam externa corporis compositio, & domi officium persoluant, Capellanos habeant & cantores, qui prout decet cuiusuis Ecclesiæ dignitatem officia diuina canendo persoluant; quod si non adsint tales Capellani Canonicorum interest horas psallere sub restitutionis onere, quia tūc neque per se, neque per alios officium implent, & Ecclesiam debito defraudant seruitio.

2 Sententia.

Ex his sententijs eligere difficile est. *Prima* cōformior fundationi Canonicatuum, ac iuribus Ecclesiasticis, maiorem sanctitatem præ se ferēs, vsui Sanctorum Patrum magis germana, & efficaciora pro se habet argumēta, & rationes ac patronos grauiores. *Secunda* laxior, & soli nitens vsui (vtinam non abusui) habet patronos paucos, & modernos: eam primus, quod ego sciam, tenuit Petrus à Nauarra Toletanus, *libr. 2. de restit. capit. 2. numer. 217.* & deinceps vsque ad finē dubitationis tertiæ, eum sequitur syllabatim transcribendo Petrus Aragonius *ad secundam secundæ, quæstion. 83. in vltimo dubio artic. 13.* & Bernardinus à Sandoual *in titul. de diuinis officijs, capit. 16.* & videtur applaudere huic sententiæ Caietanus in summa verbo *hora*: qui cum disputaret, an 7

satisfa-

satisfaceret horis Canonicis, qui versum sui chori summisse dicit? respondet, Quod licet de iure non satisfaciat, si tamen intelligerem (inquit) esse in consuetudine, nõ condemnarem, tanto magis, quanto maiores non tam cantare, quàm ea, quæ ab alijs cantantur, meditari oportet: & videtur colligi ex Couarruuia *vbi sup. num.* 3. Ex his igitur sententijs prima mihi verior apparet.

Secunda toleranda videtur, vt morem geramus desidiosis huius seculi, ne dum nimium emungimus, sanguinem eliciamus. Et ad omnia argumenta pro priori sententia respondemus, ea procedere attento iure antiquo, ac more, ac fundatione Canonicatuũ, contra q̃ omnia obtinuit consuetudo præscripta, & admissa à Summis Pontificibus, & alijs Prælatis videntibus, & consentientibus: ad hæc neque antiqua consuetudo psallendi cessauit omninò: nam & Missas per hebdomadas psallẽdo dicunt, & in horis Canonicis capitulum & orationem canunt, Episcopo celebranti assistunt, & alia munia implent. Solùm igitur quoad horas introductum est, vt per capellanos canentes ipsi assistant.

8 Et si quispiam vrgeat, huiusmodi consuetudinem esse abrogatam à Concilio Tridentino, *in verbis iam citatis*. Certe argumentum vrgens est; nihilominus respondetur, id præcepisse sanctam Synodum cupiens ad antiquum morem ista reducere, vbi collapsa erat antiqua disciplina, & nondum præscripta erat consuetudo non canendi: cæterum de consuetudine abroganda neque verbum fecit, quamuis circa multa alia in eodem capite apposuit: *non obstante quacunque cõsuetudine*: quare verosimile est consuetudines de hac re in suo vigore reliquisse.

Ad tertium speciatim, quod aliquos malè torquet, *respondetur*, sensum illorum verborum, si rectè expendantur, non esse eum qui inter arguendum affertur, sed iste: ille, qui non recitauerit horas, scilicet, neque in choro neque extra, quamuis in choro adsit prætendens sola præsentia lucrari, non lucrifaciet fructus, & distributiones. Itaque illa particula, *cum alijs*, non est iungenda illi participio, *non recitans*. ita vt sit sensus, quod cum alijs non recitans in choro, non lucrifaciat, id enim alienum est ab intentione Pontificis, quæ erat condemnare non recitantes vllo modo, quod & decretum erat in §. *statuimus*. Concilij Lateranensis: qui verò tueri voluerit primam sententiam, quæ vt dixi, mihi verior apparet, debet dicere talem consuetudinem potius ad abusum pertinere, cum euertat naturam & institutionem Canonicatuum, & esse sublatam à Tridentino Concilio, eo ipso quod præcipit oppositum seruari, tanquam antiquum ius.

DISPVTATIO. VIII.

An illi, qui assistentes choro excusantur à cantandis horis, siue propter legitimum impedimentum, iuxta priorem sententiam, siue propter consuetudinem, vt diximus in dubio præcedenti, teneantur ad recitandum summissè versus ad suum chorum attinentes?

Et videtur vera pars affirmatiua, quia isti tenentur choro assistere, non propter solam præsentiam corporalem, vt superius dixi, sed vt dicant Canonicas horas: ergo quamuis excusentur à canendo, non ideò excusabuntur à recitando, saltem summissa voce. *Dicet fortaßè quispiam*, finem præcepti non cadere sub præcepto. *Contrà*, quia dicere horas non est finis talis assistentiæ præceptæ, quin imò ipsa assistentia dicendo horas est res præcepta. Pro decisione 1

Dico primò. Canonici assistentes choro si excusantur à canendis horis Canonicis propter aliquod legitimum impedimentum, non tenentur recitare versus ad suum chorum pertinentes, sed possunt licitè tacentes adstare, & supponimus tales Canonicos iam recitasse horas extra chorum. Probatur hoc assertum. Isti duntaxat tenentur dicere horas in choro communicando cum alijs in choro existentibus, vt omnes simul laudent & colant Deum, sed in casu sic non possunt communicare: ergo non tenentur ad aliquid aliud faciendum: maior nota est, & minor probatur, quia cæteri vel canunt cantu figurato, vel cantu simplici, quem Hispani vocant *Cantollano*. Et supponimus in neutro posse communicare. 2

Secundò dico, admissa posteriori sententia. Nunquam Canonici tenentur recitare versus sui chori cæteris canentibus. *Probatur*, quia consuetudine excusantur à canendo: ergo consequenter excusantur à recitando, quia non tenentur recitare, nisi communicando cum alijs in eodem genere recitationis; quo alij in choro vtuntur. *Item*, quia crediderim, non solum esse consuetudine introductum, vt Canonici non canant in choro, verùm etiam vt non recitent versus sui chori, quando aliàs extra chorum recitarunt horas Canonicas. *Confirmatur*, quia potius in turbationem verteretur, si alternantes chori hinc & inde canerent, & Canonici hinc & inde mussitarent summisè recitantes quæ totus chorus alta voce canit. 3

Ad argumentum oppositum distinguitur antecedens quoad secundam eius partem: non enim tenentur assistere, vt absolutè dicant horas Canonicas in choro, quas supponimus recitasse domi, sed vt dicant eas in choro cum alijs communicando ipsi choro: quam communicationem vel non possunt facere, vt si infirmitas impediat, vel non tenentur facere, consuetudine excusante, & tunc negatur consequentia. 4

DISPVTATIO IX.

An quādo Canonici extra chorū horas Canonicas recitarūt, & postea choro assistūt, vt impleant praeceptum assistēdi, quo diximus eos obligari. Dubitatur (in quā) an teneātur habere aliquam attentionē interiorem, siue canant, aut recitēt cū alijs, siue assistant audientes diuina, quae celebrantur?

1 ET videtur vera pars negatiua: quia iam recitauerunt domi horas Canonicas integre, ac cū attentione debita: ergo choro assistentes sat est si externam compositionem seruent, quam eos teneri seruare in dubitatione superius praecedenti dixi. *Confirmatur*: quia Canonici deuoti ob id domi horas recitant, quia in choro multae se offerunt occasiones impediētes attentionem, & ideò postea choro assistentes non attendunt, quia existimant se ab hac obligatione attendendi per recitationem extra chorum factam liberatos.

Secundò. Cantores vel clerici non initiati Sacris, qui non habēt beneficium, sed nudam mercedem ad canendum in choro, quamuis distrahantur voluntariè, si tamen assistant choro, non peccant mortaliter per se loquendo, neq; tenentur restituere mercedem aut stipendium: ergo idem dicendum est de Canonicis, qui tenentur duntaxat assistere choro.

2 *Syluest.* Syluester verbo, *hora*, quaestion. 11. & verbo *Missa* 2. quaestione 6. dicit solam exteriorem attentionē, quam nos appellabamus cōpositionē externam, esse necessariā, fortasse, quia humanum praeceptum nō potest se extendere ad actus internos; sed hoc fundamentum, & illatum iam supra refutauimus, cùm de attentione requisita ad horas ageremus, & consequenter sententia Syluestri, & sequacium reijcitur.

3 Quare ad dubitationem *dico primò*. Quantumuis Canonici, & alij obligati ad interessendum choro, quando diuinum officium persoluitur, recitauerint illud domi, tenētur postea choro assistentes attentionem interiorem habere, vt impleant praeceptum assistendi horis, siue illud impleant canendo aut recitando in choro, siue diuina audiendo. *Probatur*, quia assistētia in choro quādo dicūtur horae, quae ex praecepto exigūtur à praefatis, debet esse actus humanus sufficiēs ad moralē praesētiā; sed sine attentione vlla non potest actus esse humanus, nec praesentia moralis: ergo. *Confirmatur*. Qui ibi dormiret, aut attētissime studeret legendo, aut scribendo, absque controuersia non haberet praesētiā necessariā, vt superius docui; sed perinde se habet qui nullo modo attendit, sed omnino mentis attentione voluntaria est in alijs rebus occupatus: ergo.

Secundò. Haec assistentia non tantum praecipitur vt actus humanus, & moralis, sed etiam vt religiosus, & ad cultum Dei pertinens: ergo non quamcunque attentionem requirit, sed religiosam, & ad cultum Dei pertinentem: ita vt assistentes Deum orent, vel ei se summittant, eumve honorent, vel saltem attendant ad ea, quae dicuntur tanquam ad res sacras.

Tertiò. Haec assistentia horarum genus orationis est, vel ad orationem pertinens: non enim apparet ad quem actum Religionis pertineat, nisi ad orationem: maximè quando assistitur canendo, aut recitando: sed oratio nequit consistere sine attentione aliqua interiore: ergo praeceptum de hac assistentia horis dicendis nequit impleri sine aliqua attentione interiori. *Confirmatur*. Praeceptum de audienda Missa diebus festiuis non impletur sine aliqua interiori attentione, vt communiter asseritur: ergo hoc praeceptum de assistendo horis, etiam si impleatur, vt quidam volunt, audiendo, & non recitando, necessariò implendum est media attentione interiore. Et hinc consonat quod ait Caietanus superius citatus, quod scilicet maiores in choro debent meditari, quae ab inferioribus cantantur. 4

Sed rogas. Haec attentio interior requisita, qualis debet esse? Vna è tribus à D. Tho. superius assignatis: nempè vel ad verba, vel ad verborum sensum, vel ad Deum, & diuina, & si impleatur praeceptum de assistentia recitando vel canēdo, res manifesta est, quia talis assistētia oratio quaedā est; si verò impleatur audiendo, etiam certum est, sicut de Missae auditione ab autoribus communiter dicitur: Non est autē necessarium eā attentionē toto tēpore, quo horae dicūtur, permanere actualiter, sat est virtualiter permanere. Permanebit autem, quamdiu ex proposito nō se ad alia extranea diuertit. Cōsultò dixi, *extranea*, quia supposita sententia illa, quod impletur praeceptū hoc audiēdo, fortassis nō erit illicitum ad quasdā orationes, & meditationes diuinorū diuertere, relictis illis, quae in horis cōtinētur ipsis: licèt cōsultius esset, ea. quę ab alijs cātātur, meditari: maior enim videtur attentio necessaria, & magis alligata his, quae cantantur in assistentia horarum, quàm in auditione Missae in die festo. 5

Ex his infertur primò, quod non solum illi, qui assistentes choro confabulantur, aut exercēt aliquas actiones praefatae attentioni repugnātes notabili parti horarū, peccāt mortaliter non implēdo praeceptum de assistendo horis, & consequēter tenentur restituere omnes distributiones, & fructus pro rata, verum etiam illi, qui assistentes ex proposito diuertunt mentē ad cogitādū de rebus bellicis, aut manualibus aut quęstionibus

nibus merè speculatiuis, peccant mortaliter, & non implent præceptum assistendi horis Canonicis: eo quod carent attentione debita, vt assistentia illa moralis sit, & religiosa. Vnde etiam fit, vt teneantur restituere omnes distributiones, quæ pro hac assistentia chori dantur, & etiam restituere fructus; iuxta superius à nobis tradita, cùm de obligatione restituendi fructus ageremus: & hæc omnia intelliguntur, etiam si extra chorum recitauerint horas.

Hanc sententiam tenet expresse Nauarrus *ca.* 13.*de oratione, num.*17. cui ego magis assentio, quã quibusdam modernis oppositum sentientibus: sed nostræ rationes sententiam Nauarri vrgentius probant. *Nauar.*

6 *Vltimò dico*. Quando colloquia non sunt continua, & sunt breuia, quamuis sæpè misceantur, nunc colloquendo, nunc attendendo, prout cõmuniter fieri solet, vel certè quando confabulatio non est de re seria, nec nimis attenta, quæ nõ omninò impedit attentioné ad horas (si verũ est audiendo impleri præceptum) sed solum remittit illam, relinquit tamen sufficientem, vt actio illa humano modo fiat: non est cur damnemus sic assistentes, vt reos peccati mortalis transgressores præcepti, & consequenter non sunt obligandi ad restitutionem vllam. Hoc non aliter probatur, nisi quia in hac assistentia aliqualis attentio reperitur: & præterea ne modò condemnemus peccati mortalis multorũ consuetudinem, quamuis grauiter reprehendendam: Nam vt minimum committitur peccatum veniale graue, & facilè potest declinare in mortale, præsertim si confabulatio sit admodum continua, & maximè si potest generare scandalum, & impedire alios recitantes, vel cantantes. Fateor aliquando breuia colloquia posse fieri sine vllo peccato, vt si salutet hospitem venientem, mittat breue nuntium, vt aliquid pertinens ad officij celebrationem ritè fiat, vel quid simile.

Ad argumentum factum in principio dubitationis *respondetur*, præceptum de recitando, aut canendo horas Canonicas in choro, quamuis vnico actu possit impleri, esse tamen duo præcepta ad religiosum cultum pertinentia: quod ex eo patet, quia vnum sine altero impleri potest, vt contingit in casu nostræ dubitationis. Nam Canonicus recitans domi implet præceptum recitandi, & si absit à choro, vel in choro occupetur in scribendo, vel legendo alia extranea non implet præceptum de assistendo. Et è contra, si assistat audiendo horas, iuxta quorundam sententiam implet præceptum assistendi, & non illud de recitandis horis. Sicut igitur sunt duo distincta præcepta ad Religionem spectantia, & exigunt duas attentiones, quando non implentur eodem actu, sicut fit in casu nostri dubij: Quare negatur consequentia argumenti. Est simile appositum in eo, qui tenetur recitare, & vouet in Ecclesia recitare, si recitat domi attentè, tenetur iterum attentè recitare in Ecclesia. 7

Ad confirm: respondetur, aliquando esse salubre consilium Canonicas horas recitare domi, scilicet quando timentur futuras esse in choro occasiones turbationis, & inquietudinis; maximè si satisfiat præcepto assistendi per solam auditionem Horarum. Regulariter verò, & vt plurimũ melius est in choro recitare, vel canendo cum cæteris, vel recitando saltem summisse versum sui chori, propter quàmplures rationes, quas recenset Nauarrus, de *oratione cap.*10.*num.*45. & 46 asserens se olim errasse, sicut & errant illi, de quibus fit mentio in confirmatione argumenti. 8

Ad secundum respondetur negando consequentiam, quia relati in antecedenti, videlicet, cantores, &c. tantùm conducuntur ad artificiosè canendum siue orent, siue non orent, at canonicis, & beneficiatis dantur stipendia, vt minimũ propter assistẽtiam religiosam, quæ genus quoddam orationis est, quam consistere sine aliquali attentione est impossibile.

QVAESTIO LXXXIV.
DE ADORATIONE.

ARTICVLVS I.
Vtrùm adoratio sit actus Latriæ, seu Religionis?



1 CONCLVSIO est affirmatiua, quia adoratio ordinatur in reuerentiam adorati: sed ad Religionem spectat Deo reuerentiam exhibere: ergo adoratio, qua Deus colitur est actus Religionis. In commentarijs huius quæstionis adorationis naturam, eiusque diuisiones in communi duntaxat conabimur inuestigare, sequentes D. Thom. vestigia: at cætera quæ de oratione Verbi incarnati, Eucharistiæ, imaginum, & reliquiarum solent disputari in propriã sedem reijcimus: népè in *tertiam D. Thom. partem qu.* 25. & in *tertium sent. dist.*9. vbi Doctores Scholastici presse ista vrgẽt, admiscentes aliquid de adoratione & Religione in communi.

Igitur ab Etymologia seu notione nominis *Adoratio*, incipientes, notamus nomen *Adoratio*, non deriuari (vt senserũt Priscianus, & Nonius,) ab *Ador*, quod est frumenti genus sacrificijs destinatum, Adoratio namque diuersa est à sacrificio: sed potius à præpositione *Ad*, & *Oro*, id est, ore precor, vt existimauit Valla: cuius rationem licèt ipse non assignet, fortassis hæc est, quia præpositio *Ad*, in compositione coniunctionem, & annexionem significat, vt *Adiacere*, id est, coniunctim aut simul iacere, *Alloqui*, id est, simul cũ alio loqui. Adoratio autem externa, in qua adorationis na- *Priscian. Nonius.*

nis natura magis lucet, vt dicemus, vix reperitur ſine oratione. Et colligere licet ex Tertuliano, in Apologetico cap. 30. dicente. *Illud* (nempè cœlum) *ſuſpicientes Chriſtiani, manibus expanſis capite nudo precantes ſumus.* Ecce adorationi adiungitur oratio, & Hier. in cap. 3. Epiſt. ad Epheſ. libro 2. *Deum fixo poplite magis quod ab eo poſcimus impetramus.* Ecce adorationi oratio coniungitur: dicitur ergo Adoratio, quaſi ſimul fiat cum oratione ſemper, vel ferè ſemper. Tertul. Hierony.

2 Sed omiſſa nominis Etymologia, ad explicandam naturam adorationis accedentes, ſupponimus ex communi omnium conſenſu, Adorationem eſſe quendam actum, quo alterum honoramus, illi tanquam excellentiori nos ſubmittendo: ex quo colligit D. Auguſt. *lib. contra Sermonem Arrianorum cap. 23.* diſcrimen inter honorem & adorationem: omnis namque adoratio honos eſt, non verò omnis honor adoratio eſt, etenim honoramus æquales, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 12. *Honore inuicem præuenientes:* at non adoramus niſi nobis ſuperiores, adoratioque cum ſummiſſione adorantis ad adoratum fit. Hoc ſuppoſito ſequitur; D. Auguſt.

DISPVTATIO I.

An adoratio verſetur tantùm circa Deum, an verò etiam ad creaturas extendatur?

3 Reſpondit D. Tho. *in ſolutione* ad *primum* huius primi articuli, ex mente Auguſtini. 10. *de ciuitate cap.* 4. Adorationem etiam ſolere exhiberi licitè quibuſdam excellentibus creaturis. *Gen.* 18. Abraham adorauit Angelos: *tertij Regum* 1. Natham Propheta adorauit Dauid: & alibi ſæpè fit mentio talis adorationis. Ex hoc colligit D. Thom. *in eadem ſolutione* diuiſionem adorationis ex parte obiecti, id eſt, ex parte excellentiæ rei adoratæ, in adorationem, qua veneramur Deum, & pertinet ad Latriam, & adorationem, qua veneramur creaturas excellentes, & pertinet ad Duliam. D. Aug. Gen. 18. 3. Reg. 1.

Circa quam diuiſionem multa ſcitu digna ſe offerunt diſputanda. *Primum eſt.* An liceat creaturas adorare & quomodo? Sed de hoc commodius diſputabitur inferius.

Secundò. An iſtæ adorationes Dei & creaturarum pertineant ad eandem virtutem? an ad diuerſas? & an ſint actus diuerſæ ſpeciei? an vnius? De quo ſuperius egi *in quæſt. 81. art. 3. & 4.* eadem enim difficultas de quouis genere cultus procedit, & non ſolum de adoratione: & forraſſe latius infra *quæſt. 110. & ſequentibus.*

4 *Tertiò* circa eandem diuiſionem viſum eſt mihi explicare hæc nomina Græca *Latria*, & *Dulia*, quia eorum paſſim fit mentio à Theologis, & à ſanctis Patribus: à quibus *Latria* vſurpatur pro cultu, qui erga Deum verſatur; *Dulia* verò pro eo, qui erga creaturas: quæ acceptio non admmititur à Caluino, & Laurentio Onfredo Hæreticis, neque à Valla & Ludouico Viues Grammaticis in caput primum *li. 10. de ciuit. Dei*, qui omnes irrident Doctores Scholaſticos, & ignaros Linguę Græcæ, eo quod, inquiunt ipſi, Græco Sermone, *Latria* & *Dulia*, idem prorſus ſignificant, nempè mercenariam ſeruitutem: probant primo ex Xenophonte in tertio libro de Pœdia Cyri, vbi verbum *Latreuo*, ex quo *Latria* deriuatur, in ea vſurpatur ſignificatione. Secundò ex ſacra Scriptura, nam Leuit. 23. vbi nos legimus, *Omne opus ſeruile non facietis*, Græcè pro ſeruile habetur *Latreuton*, ab eodem verbo: & eodem capite vbi legimus, *De ſemine tuo non dabis ſeruire principi*, Græcè pro *ſeruire* eſt *Latreuin*. Xenoph. Leuit. 23.

His tamen reſpondemus, attenta primaria ſignificatione parum aut nihil differre iſtarum vocum ſignificationem. At Doctores accommodarunt iſta ſic, vt *Latria* pro ſeruitute & cultu, qui Deo debetur accipiatur; *Dulia* vero pro ea, quæ excellentibus creaturis. Ratio huius accommodationis deſumpta eſt, primò ex ſacra Scriptura, in qua ſi attentè inſpiciatur, vt ait Aug. 10. de ciu. ca. 1. nomen *Latria*, aut ſemper, aut tam ferè ſemper, vt vix inueniatur pro alio quàm Dei cultu, vſurpari: in nouo verò teſtamento nunquam. Quam accommodationem ne aliquis exiſtimet eſſe inuentum Doctorum Scholaſticorum, apud ſanctos Patres eam inueniet; maximè in tota ſeptima Synodo, & Auguſtino *vbi ſupra*, *& lib. 1. de Trinitate cap. 6. & lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. & quæſt. 61. in Geneſim*, vbi aduertit propterea falſorum Deorum cultum fuiſſe vocatum idololatriam, quia *Latria* proprium cultum vero Deo debitum ſignificat. 5 Auguſt.

Quod verò *Dulia* accommodetur tantum cultui creaturarum ex eo colligere licet, quod ſacra Scriptura frequentiſſimè, quando loquitur de ſeruiendo ijs, qui non ſunt, neque æſtimantur Dij, non vtitur verbo *Latreuo*, ſed *Duleuo*: primū paret, nam Exod. 4. cum dicitur: *Dimitte populum meum, vt ſeruiat mihi*, & Exodi, 23. & Deuteron. 6. ac 10. & 28. & Ioſue. 22. & 24. & Iudicum. 9. in his inquam omnibus locis habetur *Latreuo*, pro *ſeruire*; at verò quando ſermo eſt de ſeruiendo alijs, qui nec Dij ſunt, nec æſtimantur Dij ſacra Scriptura non vtitur verbo *Latreuo*, ſed verbo *Duleuo*, vel *Dulia*, vt conſtat *Gen.* 14. 15. 25. 27. 29. 30. 31. *Eſaia* 14. Exod. 4. Exod. 25. Deut. 6. 10. & 28. Ioſ. 22. & 24. Iudic. 9. Gen. 14. Eſa. 14.

6 Ex hac vocum Græcarum ſignificatione ſeu accommodatione, colligere licet rationem & ſenſum præfatæ diuiſionis: nā cum adoratio exhibetur propter increatam excellentiam Dei, dicitur *Latria*; quæ verò propter creatam, dicitur *Dulia*, præſertim quando excellentia illa eſt glorię vel ſanctitatis creatæ: quod ſi ſanctitas illa ſit ſuperexcellens, vt in Beatiſſima Virgine, adoratio illi reſpondens vocatur *Hyperdulia*.

Habemus igitur ex præfata diuiſione nomen adorationis commune eſſe Deo & creaturis, vt colligitur ex locis ſacræ Scripturæ citatis, & alijs innumeris, qui citari poterant: vnus verò pro multis ſatis ſit. 1. Paral. 29. *Inclinauerunt ſe, & adorauerunt Deum, deinde Regem.* 1. Par. 29

Sed dubitabis, an adoratio dicatur de vtraq; adoratione, vniuocè, an verè analogicè? *Et videtur*, non dici vniuocè ex mente Diu. Thomæ in *hoc* arti- 7 Dubita. D. Thom.

articulo ad primum, dicentis, excellentiam Dei non communicari creaturæ secundum æqualitatem, sed secundum quandam participationem: & ideo aliam venerationem tribuimus Deo, aliam verò excellentibus creaturis: & infra in qu. 24. in articulo ad secundum, non comparat Latriam cum Dulia, sed cum idolatria, quas dicit conuenire in ratione cultus, qui per actum humanum exhibetur, quamuis in ratione virtutis, & Religionis idololatria æquiuocè dicatur Religio, seu Latria. *Secundò*, ratione sic, quia excellentia vel Dei dominium & creaturarum non vniuocè, sed analogicè conueniunt in ratione excellentiæ, vel dominij, vt probatur *prima parte qu. 13. art. 6.* Ergo cultus exhibiti propter has excellentias duntaxat analogicè possunt conuenire in ratione adorationis. *Confirmatur* ex Aristotel. lib. 2. magnorū moralium, dicente amicitiam propter iucundū, vel vtile, solùm analogicè esse amicitiam, si comparetur cum ea, quæ est propter honestum. Hanc sententiam tenet D. Bonauen. in 3. *dist. 9. art. 2. ad quartum*, & Petrus Bergomensis, in concordantijs Tabulæ aureæ D. Thom. verbo *adoratio*, nu. 3.

Aristot. *D. Bona.* *Bergom.*

8 Nobis verò opposita sententia videtur probabilior, & colligitur *ex quæst. citata. 94. art. 1. ad secundum:* vbi sanctus Doctor dicit Latriam, & idolatriam in ratione actus humani ad cultum pertinentis vniuocè conuenire, sicut solutio tributi vniuocè dicitur, siue tribuatur vero regi, siue falso. *Et hinc ego infero:* ergo adoratio sumpta sub ratione communi actus humani ordinati ad honestum, & rationabilem cultum alterius vniuocè dicetur siue talis cultus ad Deum referatur, siue ad creaturam. *Id ipsum illustratur exemplis:* nam fides vniuocè dicitur de diuina, & humana, saltem in ratione actus humani, quamuis hæc autoritati creatæ, illa verò increatæ nitatur: amor etiam Dei & proximi vniuocè conueniunt in ratione amoris. Secundò: actus voluntatis, à quibus adoratio nascitur, & habet esse humanū, seu morale adorationis, vniuocè cōueniūt in ratione actus humani, & liberi, & in ratione virtutis seu actus honesti, & solū differūt specificis differetijs, q̄ per se cōstituunt illos in hac vel illa specie virtutis: ergo solùm conueniunt vniuoce in genere, & differunt specie: ergo idem dicendum est de adoratione secundum rationem suam genericam, & illius speciebus.

Ad argumenta verò in oppositum. *Respondetur*, obiecta actuum vel habituum non constituere illos per se & intrinsece: sed habitudo ad obiectū intrinseca est huiusmodi actibus, vel habitibus: quo fit, vt licet vnum obiectum increatum sit, aliud verò creatum, ac proinde non conueniant vniuoce, nihilominus habitudines ad illa obiecta, quæ creata sunt, & actus ac habitus, qui illas includunt possint vniuoce rationem aliquam participare: præsertim quia quandoque habitus vel potētia, quæ in se omnino vna est, potest obiectum respicere, quod secundum analogiam tātum vnum est, vt in intellectu & voluntate videre licet. Aristoteles autem citatus, & Sancti interdum, si quomodo videantur admittere aliqualem analogiam inter has adorationes, interpretandi sunt de Analogia physica non de logica.

Quintò dubitari poterat, an diuersa esset exhibenda Deo adoratio, diuersa inquam secundum modum inter eandem speciem propter diuersa Dei attributa: sed quia dubitatio hæc æquè procedit de quocunque Dei cultu videnda est superius in quæst. 81. art. 3. vbi id disputauimus.

ARTICVLVS II.
Vtrùm adoratio importet actū corporalem?



PRIMA conclusio. Duplex est adoratio, quam Deo offerimus: spiritualis, quæ consistit in interiori mentis deuotione; & corporalis, quæ consistit in corporis humiliatione. Probatur testimonio Damasceni lib. 4. fidei Orthodox. cap. 13. 1

Secunda conclusio. Exterior adoratio fit propter interiorem. Probatur quia in omnibus actibus Latriæ id quod exterius est, refertur ad id, q̄ est interius tanquam ad principalius. Declaratur conclusio: nam per signa humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, intendimus excitare affectum nostrū ad subijciendum se Deo, quia connaturale est nobis, vt per sensibilia ad intelligibilia procedamus.

Circa examinandam veritatem primæ conclusionis oportet recolere ea, quæ diximus superius in *qu. 81. art. 7.* circa consimilem diuisionem actuum Religionis in actus internos & externos. quia eâdem vi & veritate procedunt in diuisione adorationis in adorationem internam & externam. Quibus necessariò præmissis est

DISPVTATIO I.
Quid sit adoratio interior?

QVidam asserunt, nihil aliud esse adorationem interiorem, nisi actus Fidei, Spei, & Charitatis. Ita Alexand. *Alens.* 3. *part. qu. 30. memb. 1. art. 2.* Albert. Magnus *in 3. dist. 9. art. 1. ad quintum.* Richardus *art. 1. qu. 3. ad tertium*, Palud. *qu. 1. art. 2.* Thom. de Argentina *art. 1.* Gabriel. *qu. vnica. art. 3. & in Can. lect. 49. litera F. & G.* & expressius *lect. 50. litera K.* Corduba, *lib. 1. qu. 5. notat. 2.* Martinus de Ayala *de tradit. parte 3. consideratione. 7. cap. 5. §. 3.* Probant primò ex Augustino in Enchiridio. cap. 2. & 3. vbi dicit, *Theosebiam*, quam dixerat esse virtutem, quæ cultum Deo tribuit, *in his virtutibus Theologalibus præcipuè consistere:* & 10. de ciu. cap. 9. de dilectione Dei ait: *Hic est Dei cultus, hæc est vera Religio.* Denique Athanasius, *quæst. 60. ad Antioch.* Chrys. *hom. 32. in Ioannem.* Cyrillus *lib. 2. in Ioan. cap. 93.* Hyllarius *lib. 2. de Trinit.* explicantes quid sit adorare in spiritu & veritate id tribuunt virtutibus Theologicis. 2

Alens. *Alb. Mag.* *Richard.* *Palud.* *Argentin.* *Gabriel.* *de Corduba.* *Athanas.* *Chrysost.* *Cyrill.* *Hyllar.*

Secundò. D. Thomas in hoc articulo ad secundum ait, interiorem adorationem in reuerentia Dei interiori consistere: hęc autem interior reuerentia

rentia vix potest intelligi quid sit, nisi in Deũ credere, in Deũ sperare, atque illum diligere: ergo.

3 *Pro decisione* huius rei difficilis, tum propter vocum ambiguitatem, & eorum distinctam acceptionem, tum propter opinantium varietatem præmittenda sunt aliqua, quæ in loco superius ci-

D. Thom. tato partim tetigimus. *Primum est ex D. Thomæ doctrina in 3. distinct. 9. quæstion. 1. artic. 1. ad secundum*, quod quamuis virtus, quæ circa actiones moderandas versatur, habeat esse virtutem ex actu interiori voluntatis primæ ex electione obiecti virtutis, in generali tamen esse virtutem determinatè complete, ac perfectè habet ex actu exteriori. Actum exteriorem vocat D. Thomas actum, circa quem versatur talis electio, siue sit actus externus siue internus: qui ideò vocabitur exterior, quia ab illo non specificatur habitus, quamuis in illo, & per illum attingatur in exercitio obiectum habitus, à quo specificatur, vt ibidẽ ait sanctus Doctor. *Sit exẽplum* in iustitia, quæ habet quod sit talis virtus ex electione & voluntate reddendi cuique ius suum, cæterũ nõ est cõpleta perfectè quousque in exercitio determinetur ad dandum ius hoc in determinata materia, verbi gratia, emptionem, venditionem, &c.

Sed magis ad rem conducet exemplum ponere in ipsa Religione, seu adoratione, quæ specificatur ex actu volendi cultum diuinum: completur verò, quando ab eodem voluntatis actu determinatur ad certam materiam cultus: putà ad genuflectendum, procumbendum, vel similes actus adorationis externæ, vel ad submittendum Deo suam mentem, vel adorationem, vel alium actum internum, qui vocantur externi comparati ad electionem præfatam, à qua quasi imperantur, quia exercitium dimanans à tali electione, in illis consistit non minus, quàm in alijs actibus adorationis externæ: vnde meritò vocantur materia circa quam Religionis seu adorationis: cæterùm ista determinatio ad certam materiam cultus seu adorationis dupliciter potest fieri, aut per merum imperium, ordinando actus aliarum virtutum ad Religionis siue adorationis finem, quod posse fieri superius docui, *quæstion.* 81. aut verò eliciendo ipsos actus, à quibus determinatur, & circa quos versatur præfata electio. His suppositis:

4 *Primum assertum sit.* Adoratio interior non cõsistit in electione, idest in actu illo volũtatis, quo quis vult Deũ adorare aut colere. *Probatur*, quia adoratio interior consistit in exhibitione cultus vt manifestum est: sed ille actus electionis nõ est exhibitio cultus: ergo non est adoratio interior. *Minor probatur*: tantum est propositum seu voluntas colẽdi, nõ verò ipse cultus. Fateor, illa electio seu voluntas colendi est causaliter adoratio & cultus: quia ab illa tãquã à radice & fonte dimanat omnis adoratio & cultus, & sine illa adoratio quæcunque potius fictio est, & irrisio, quam verus cultus: vnde non immeritò anima & spiritus adorationis nuncupabitur, & de illa dicitur, *Veri adoratores adorabunt spiritu & veritate.*

5 *Secundum assertum.* Adoratio interior non sunt actus Fidei, Spei, & charitatis. *Probatur*, quia adoratio interior Dei, si proprie loquamur de adoratione, est actus elicitus à Religione, & inter ipsos numeratus à D. Thom. sed actus virtutum Theologicarũ non sunt eliciti à Religione, sed à virtutibus Theologicis: ergo adoratio interior non consistit in illis actibus. *Confirmatur*, quia aliàs confunderemus virtutes Theologicas cum Religione, si actus ab istis elicitos tribuamus Religioni. Hoc assertum videtur esse contra citatos autores, qui tamen si bene inspiciantur, nõ dicunt actus virtutum Theologicarũ elici à Religione: quin imò aliqui ex citatis apertè dicũt adorationẽ internã versari circa actus Fidei, Spei, & Charitatis, sicut erga materiam circa quam, in qua exercetur & consummatur cultus, & quod illi actus non eliciuntur à Religione.

Et quidem si de imperio Religionis seu adorationis sermo sit, nos sentimus cum illis, censentes non solùm adorationem posse imperatiuè versari circa actus theologicarum virtutum, verum & circa omnium virtutũ actus: cuius amplimperij licet non expressè meminerint citati autores præter Albertum & Cordubam, credo tamen omnes teneri concedere propter eandẽ rationem, qua concedunt de actibus Fidei, Spei, & Charitatis. *Dissentimus tamen ab illis*, quia existimant tales actus elicitos à virtutibus Theologicis, esse adorationem Dei internam. Nos verò negamus, quia adoratio propriè actus elicitus est à Religione. Ita dixit D. Thomas in primo articulo; isti autem citati autores fatentur illos actus virtutum Theologicarum non esse elicitos à Religione: ergo consequenter debẽt concedere eos non esse adorationem internam.

Secundò: nam si actus virtutum Theologicarum, eo quod à Religione imperantur, dicuntur interior adoratio, actus omnium virtutum, qui possunt ab eadem virtute imperari, dicentur adoratio: quod esse falsum certò certius est, non enim quouis opere virtutis dicitur Deus adorari cultu religioso.

Tertium assertum. Probabile est omnes actus internos à Religione elicitos circa materiam determinatam cultus, esse adorationem. Dixi, circa determinatã materiã, quia in primo asserto, iam exclusi à ratione adorationis actũ illũ generalẽ, *volo colere, volo adorare*, qui à Religione elicitur, estque actus illi adæquatus, non tamen est adoratio. *Probatur*, quia adoratio interior consistit in omnibus illis actibus internis à Religione elicitis, qui determinant elicitiuè volũtatem adorandi Deum; sed huiusmodi sunt omnes actus interni à Religione eliciti: ergo in illis consistit adoratio Dei interna. *Minor nota est*, & probatur maior, quia adoratio consistit in exercitio summissionis ad Deum, vt colamus illum: sed omnis actus internus Religionis importat hãc summissionẽ, & in illo exercetur ista summissio, vt videre est apud D. Th. supra *quæst.* 81. *art.* 3. *ad* 2. ergo in omnibus illis cõsistit adoratio interna. D. Thom. *Confirmatur*. Omnis actus externus protestatiuus summissionis ad Deũ, pertinet ad adorationẽ externã: ergo omnis actus internus importãs eandem summissionem pertinet ad adorationẽ internã.

6

Secundò. Adoratio interna, vt ait D. Thomas in hoc articulo, consistit in interiori mentis deuotione: sed deuotio interior completa, & determinata ad certam materiam extenditur ad oēs actus Religionis internos, vt supra docui: ergo omnes illi actus Religionis interni, quasi imperati ab illa generali volūtate colendi, aut adorandi Deum erunt adoratio interna.

7 *Vltimum assertum probabilius*. Loquendo strictè de adoratione in pressā & propria significatione, non consistit adoratio interna in quouis opere Religionis interno, sed in aliquo: nempè in illo actu interno, quo expressè summittimus Deo nostræ mentis internas vires, tanquam supremo rerum omnium principio. *Prima pars probatur*, quia latius patet cultus Dei, quàm eiusdem adoratio, hæc consistit in actu speciali, ille verò in multis, qui erga cultum Dei latè versantur: ergo pari ratione cultus Dei internus latius vagatur per actus internos pertinentes ad Religionis habitum, quàm oratio interna, quæ nō ita latè extenditur. Antecedens est D. Thomæ *in quæst.* 81. *articul.* 7. vbi adorationem ponit peculiarem actum Religionis ab alijs eiusdem virtutis distinctum, *Confirmatur*, quia dato opposito, adoratio tam interna, quàm externa conuerterentur cum cultu Dei, quod esse falsum manifestè patet, cum adoratio sit specialis Dei cultus. *Confirmatur secundò* ex eodem D. Tho. *in hoc artic.* dicente adorationem esse actum Latriæ, & se explicans ait idest, Religionis: vbi manifestè patet, quomodo adoratio non est idem, quod Latria: namque idem est apud ipsum, quod Religio, ac proinde omnes religiosos cultus comprehendit, etiam ipsā adorationē: cū ergo dicitur adoratio Latriæ non significatur adoratio, quæ est idē quod Latria, sed actus quidā qui ad Religionē pertinet. D. Thom.

Secundò. Oratio, votum, gratiarum actio, laudes, Dei, & alia huiusmodi si interius fiant, & ab electione colendi Deum quasi imperentur, non sunt adoratio: quis enim dicat per hæc Deum adorari? nec talis loquendi phrasis in sacra Scriptura reperitur: ergo non reperitur adoratio interna in quocūque actu interno Religionis, quāuis in illo Dei cultus exerceatur. Et confirmatur in oratione mētali, in qua reperiri rationē adorationis magis, quā in actib⁹ modò enumeratis posset quis suspicari; nam oratio vocalis non est adoratio exterior: ergo neque mentalis erit adoratio interior. *Probatur antec.* de se manifestum, cū adoratio & oratio distincti sint actus Religionis: & satis apertè colligitur ex sacra Scriptura inter se istis duobus nominibus vt diuersa significātibus. 2. Regum. 14. *Adorauit & dixit, Serua me Rex.* Matthæi. 20. *Accessit mater filiorum zebedai adorans, & petens aliquid ab eo.* Consequentia verò probatur, quia adoratio exterior, vt inferius videbimus, signum est adorationis internæ. *Confirmatur secundò.* Nam non quicunq; actus externus pertinens ad Dei cultum est adoratio externa: ergo non quicunq; actus internus pertinens ad eundē cultū, erit adoratio interna. *Antecedens patet* ab hac quæst. per plures sequentes, vbi D. Tho. enumerat quamplures actus externos Religionis, putà sacrificia, oblationes, decimarum solutiones, & similia, qui licèt sint à Religione elicitiuè, distincti tamē actus sunt ab adoratione externa: cōsequētia probatur, nā adoratio interna & externa sibi inuicem correspondent, sicut signatum & signum. 2. Reg. 14. Matt. 20.

Secunda pars asserti probatur: quia D. Thomas diffiniens adorationem externā asserit, eam esse, per quā aliquis suū corpus ad Deum venerandū exhibet: ergo interna erit, per quā aliquis suam mentem & eius vires ad Dei reuerentiam exhibet, itaq; quamuis in omni opere Religionis summissio ad Deum includatur, expressa tamen & de principali significato non in omnibus, verbi gratia in oratione id quod primo importatur est petitio ad Deum, summissio consequenter, & ideò nō est propriè adoratio: D. autem Thomas quando ait adorationem internam consistere in deuotione interiori loquitur de deuotione, quæ primò & per se importat summissionem. 8

9 *Ad argumenta* eorum autorum, quos in principio dubitationis citaui iam supra respondi, qualiter sāctorum Patrum testimonia intelligantur, quando dicunt cultum Dei in actibus virtutum Theologicarum consistere, videlicet, quia cultus Dei ab ipsis potissimè excitatur per imperium: ita D. Th. *qu.* 81. *ar.* 5. *ad primum*, & Durandus *in* 3. *dist.* 9. *qu.* 1. *num.* 8. & Marsil. *qu.* 8. *art.* 1. *in* 3. *dubio.* D. Thom. Durand.

Secundò respondetur cum D. Bonauentura *in arti.* 2. *quæst.* 2. *ad* 1. Dei scilicet cultum tribui actibus virtutū Theologicarum, loquendo de actu generali quadam ratione & impropria, qua omnis actus, qui erga Deū versatur dicitur cultus: charitas verò ab Augustino appellatur vera Religio, quia plus quā omnis cultus religiosus Deo placet, in quo sensu idem Augustinus, capite illo 6. opera misericordiæ vera sacrificia nūcupauit, quod Deo plus placeant, quàm sacrificia & holocausta, iuxta illud Oseæ. 6, & Matt. 9. *Misericordiam volo, & non sacrificium*, cum tamen opera misericordiæ nō sint propriè sacrificia, imò neq; opera Religionis: & phrasis vsitata est, id quod alteri cōparatū plus placet vocare veriorē virtutis actū. Iacobi 1. *Vera religio, & immaculata visitare pupillos*, at nimirū, quia in casu necessitatis opera Religionis posthabēda sūt operib⁹ misericordię. Marsil. Bonauen. August. Oseæ. 6. Matth. 9. Iacobi 1.

Ad secundum resp. ex vltimo & penultimo asserto. Sed ista nostra asserta maioribus argumentis concutienda sunt, & arguitur contra primum dictum. Adoratio interna consistit in deuotione interiori: ita D. Thomas in hoc artic. sed deuotio dicit voluntatem exequendi diuinum cultū, vt patet ex eodem Doctore sancto, quæst. 81. art. 1. ergo adoratio interna consistit in voluntate, seu electione adorandi, seu colendi Deum, quod negatur in primo asserto. *Respōdetur*. In adoratione interna licet triplicem actum considerare: nā imprimis ratio recta dictat hic & nunc Deū esse adorādū, deinde volūtas se cōfirmat huic dictamini, & eligit seu vult Deū adorare. 10

Tertiò. Mediante eodem actu voluntatis se determinat, vt eliciat actum adorationis internæ in determinata materia: primus actus pertinet ad prudentiam, secundus ad Religionem, tertius etiam

etiam est elicitiue ab eadem Religione, sed mediante actu illo secundo, qui etiam est elicitiuè à Religione, & ex actu illo secundo & tertio, veluti componitur vnus actus moralis tanquam ex actu interno & externo, dicitur vnus actus componi, qui totus potest dici quodammodo integra adoratio moralis: tamen eos ab inuicem distinguendo, prior est quasi internus, alter est quasi externus: prior est propriè elicitus & immediatè à voluntate, alius in ordine ad priorẽ quasi imperatus mediante priore; prior denique est quasi desiderium siue affectus adorationis, alius quasi effectus, seu potius adoratio ipsa: nos igitur asserimus illum secũdũ actũ pertinere ad virtutẽ Religionis elicitiuè, nõ tamẽ esse adorationẽ, sed propositũ adorationis, tertiũ verò actum esse ipsã adorationẽ propter rationem allatã in primo asserto. *Et ad argumẽtũ resp.* adorationem interiorem consistere in deuotione, nõ quomodocunque, sed determinata ad specialem cultũ internum, in quo speciali cultu vt procedit à secundo illo actu, formaliter consistit adoratio, causaliter vero in priore, ex quibus ambobus integratur vna moralis adoratio, vt explicatum est.

11 *Contra secundum* assertum & eius probationẽ *arguitur.* Nam vnus & idem numero actus pertinere potest elicitiue ad diuersas virtutes, vt omnes fatentur, & ego docui *superius artic.1.quæ.*81. ergo bene stat actus fidei, spei, & charitatis elici à virtutibus Theologicis & simul à Religione; & sub hac posteriore ratione pertinebunt ad internam adorationem. *Secu*[illegible] Quouis virtutis opere potest Deus coli [illegible]ligioso, & elicito à Religionis virtute: putà [illegible]e homo adstringat ad efficiendũ aliq virt[illegible]s: ergo quouis virtutis opere poterit Deu[illegible]i elicitiuè, si illud opus homo faciat ex ac[illegible]nis affectu.

Vt his respondeamus valdè notanda est doctrina D. Thomæ, *in 4.dist.14.q.1.art.1.quæstiunc.* D.Thom. 3.*ad* 2. quod dupliciter aliqua virtus habet pro materia actus aliarum virtutum: vno modo per solum imperium, & relationem extrinsecam ad suũ finẽ, & isto pacto nullũ incõueniẽs censemus actus charitatis à Religione imperari, imò & omniũ virtutũ actus. *Secundò* modo potest virtus habere pro materia actus aliarum virtutum elicitiuè, sed hoc modo indiscriminatim, ita quod vna virtus nõ possit actus quoscunque studiosos elicere, sed dũtaxat illos actus, in quibus reperitur aliqua specialis ratio studiosa pertinẽs ad illam virtutẽ: verbi gratia, Religio potest quidẽ imperatiuè versari circa actũ tẽperantiæ, non verò elicitiuè: quia in eo actu nõ reperitur quidpiam pertinens ad rationẽ formale Religionis: è cõtrario Magnanimitas virtus specialis potest versari elicitiuè circa actus omniũ virtutũ, quia ratio magni, q̃ est ratio formalis Magnanimitatis reperitur in omni virtutis actu, vt tradit *Arist.* 3. *Eth.* Similiter pœnitentia versatur elicitiue circa actus omniũ virtutũ, quia detestatur peccata opposita cuique virtuti, quę etiã ipsæ virtutes singula singulis referendo detestantur: & ratio est, quia in omni actu virtutis reperit suã rationẽ, nẽpe detestationem peccati: est tamen specialis virtus, quia illa detestatur sub speciali ratione, nempe vt recompenset Deo pro iniuria illata. Idem dico de virtute charitatis, quæ potest elicitiue versari circa omniũ virtutũ actus; quia in eis reperitur aliqua ratio boni, quã Deo concupiscat per charitatẽ: & idẽ cõcedit D.Th. infra *qu.* 104. *artic.2.ad* 1. de virtute obedientiæ, quæ potest versari circa omnium virtutum actus, quia in eis reperitur ratio præcepti, ad quod parendum inclinat obedientia.

Ex hac D.Th. doctrina infertur primo, earum virtutum actus, qui neque in recto, neque in obliquo versantur, erga Deum, non posse elici à virtute Religionis, neque esse eius materiam elicitiuè, eo quòd in illis non potest fundari, aut reperiri ratio cultus nati ex summissione ad Deum, & in ipsa originati, quæ est ratio constituens adorationem.

Infertur secundò, actus earum virtutũ, quæ circa Deum versantur, posse esse materiã circa quã exerceatur ratio formalis adorationis, si ex volũtate adorãdi procedãt, & sint apti ad indicãdũ, profitẽdã, vel quouis modo exercendam animi summissionem ad Deum: verbi gratia, actus fidei est cognoscere diuinam excellentiam, & Deum vt supremum Dominum, & tamen si quis ex voluntate colendi Deũ in prædictum actum erumpat, & eam cognitionem Deo offerat in cultum & adorationem se tantæ excellentiæ summittendo, ea recognitio adoratio interna est à Religione elicitiuè proficiscens. *Probatur*, quia hic actus internus est honestus & sanctus: ergo ab aliqua virtute elicitur, nõ nisi à Religione, cũ immediatè oriatur à voluntate colendi Deũ, neque intra sphæram Religionis aliud esse potest quã adoratio, cũ formaliter non sit oratio, aut deuotio, &c. Fortasse non ita apte poterunt actus charitatis fundare hãc animi summissionẽ, quia charitas est amor amicitiæ, qui nõ exigit expressã summissionẽ, sed quandã quasi æqualitatẽ, qualis inter Deũ & homines reperiri potest fundatam in bonorũ diuinorum communicatione. Et idem videtur dicẽdum de spei actibus. Quod si quis in harum virtutum actibus sciat adinuenire fundamentum summissionis ad Deum, ac subinde materiam orationis, non contradico. Sed tunc acrius vrget argumentum positum, videlicet adorationem internam esse actus Fidei, Spei, & Charitatis.

Ad quod resp. Actus harum virtutum quandoque præcedere cultum Dei, vt motiua ad illum, 12. saltem actus fidei, scientiæ, aut alterius doni, necessario debet præcedere quemcunque Dei cultum, ex quo nõ sequitur actus illos elicitiuè pertinere ad Religionẽ vel adorationẽ. Rursus quãdoque imperantur à Religione, & neque tunc à virtute Religionis elici dicentur; at verò interdũ illi actus Theologicarum virtutum ex voluntate adorandi Deũ nascuntur, vt pote in quibus ratio summissionis ad Deũ apertè exercetur, & tũc ad Religionẽ spectãt elicitiuè, & adoratio interna dicuntur, non quidem præcise considerati sub ea ratione, qua ad virtutes Thologicas pertinent, sed sub ratione summissionis ad Deum, quæ fundatur, & quasi superadditur illis Theologicarũ virtu-

definitum tempus iusta sunt. Causæ communes à iure excusantes à residentia iam à nobis supra annumeratæ sunt, ex capit. 1. de clerico non residente, in 6. Latius enumerat Syluester verbo, *residentia*. §. 7. Causæ aliæ iustæ & Ecclesiæ proficuę multæ possunt esse, verbi gratia, si Canonici alicuius Ecclesiæ sunt illiterati proficuum erit Ecclesiæ, vt vacent literis in aliqua Academia, & ob id potest dari illis facultas, vt absentes certo tempore lucrentur fructus Canonicatuum. Consultò dico; Certo tempore: Nam has perpetuas licẽtias etiã à Papa datas reuocat Bonifacius 8. c. *finali de rescriptis*. Subiungit tamen Couarruuias vbi supra non esse ferendam consuetudinem, vel statutum, vt possit liberè Capitulum Canonicorum talem præstare licentiam, quia vix vna, aut altera negabitur, nec quisquam vix audebit negare, ne sibi altero die petẽti negetur. Rursus ait, si priuilegium obtinuerint, ad abusum pertinere eo vti: quia creditur Pontifex nõ benè informatus dedisse, & propter importunitatem petentium, vt colligitur argumento cap. finalis in sexto.

Syluest.

Couarr.

6 *Ad argumenta* pro alia parte respondetur, illud capitulum. *Cum omnes*, multas pati interpretationes, quas latius persequi non est huius loci: modò verò dico illam consuetudinem abrogatam per Canonicos Trecenses esse introductam iusta & rationabili causa, iuxta nostrum tertium dictum, & ideo iussit Pontifex seruari.

Respondetur ad argumenta contraria senten.

Ad *secundum*, quod quidam adducunt ad excusandas excusationes in peccatis, negatur antecedens cum Nauarro *de oratione cap. 5. num.* 10. etenim aliquãdo non sunt extractæ distributiones quotidianæ ex fructibus Canonicatuum, vt vid第 demus ex Iuone, aliquando extractæ sunt non vt liberẽt Canonicos ab assistentia chori, sed quasi incitatiuum, & calcar, vt Canonici libẽtius choro adsint. Obiectum enim præsẽs fortius mouet. Dabantur autẽ distributiones antiquitus in ipsomet choro diuinis officijs finitis: & ob id vocantur manuaria beneficia, eo quod à præsẽti manu præsenti dentur: manuarias molas appellat Iuris consultus in l. *dolia*. ff. de fundo instr. quod manu ductæ molant: *æs manuarium*, apud Aulum Geliũ dicitur, quod manu fit ab alijs collatum. Ad tertiũ fatemur minus distributiones deberi absentibus, quam fructus: quia pro sola assistentia chori dantur; cœterum fructus pro eadem & pro alijs, vnde ex causa poterunt obtinere fructus Canonici absentes, non verò distributiones, sed iuxta nostrum tertium dictum.

Nauar.

Sed rogas: cui nam facienda est ista restitutio fructuum, vel principalium redituum, quos vocant, *la grueffa*, propter solam non residentiam? Consultò dixi, propter solam non residentiam, eo quod sermo est de his, qui domi recitarunt, & à choro absentes extiterunt. Nam qui nec domi, neque in choro horas Canonicas non recitarũt, restituere debent iuxta normam traditam à Cõcilio Lateranensi, & Pio Quinto iam citatis. *Respondetur* igitur. Qui propter solã non residẽtiam, restituere tenentur fructus principales, per se loquendo Ecclesiæ, cuius choro tenebantur interesse, obligantur restituere. *Probatur*. Illa Ecclesia habet Canonicos quasi conductos operarios pro assistendo diuinis officijs: ergo si non intersunt eidem tenentur restituere. Dixi, *per se loquendo*, quia ipsamet Ecclesia, quæ domina est illius stipendij, potest statuta condere, sicut de facto fere omnes condiderunt, quod fructus, qui ab aliquibus absentibus perduntur, inter præsentes & interessentes diuidantur: & multo potiori iure potest Papa, qui est summus bonorum Ecclesiæ dispensator, eos cameræ Apostolicæ applicare, aut in quos voluerit vsus conuertere. Vnde eius applicationi potissimè standum est.

DISPVTATIO VII.

Quibus actibus, quave attẽtione teneantur implere præceptũ de assistẽdo horis Canonicis in choro illi, quibus diximus, incumbere? maximè Canonici, quibus specialius hoc munus iniunctum est?

IN qua dubitatione duo explicanda sunt. *Vnũ* spectat ad actiones externas. *Alterum* ad attentionem requisitam ad huiusmodi assistentiam. Et à primo incipientes supponendum est vt certum, præsentiam corporalem solam non sufficere ad impletionem talis præcepti: quo fit vt si quis assistens choro, quando diuina peraguntur, dormiat, legat, aut scribat, vel aliquid simile faciat, non implet præceptum de assistendo diuinis. *Probatur*, quia Ecclesia præcipiens hanc assistentiam, & ob eam stipendia præbens, non propter solam corporalem præsentiam qualem habent sedilia in choro, aut statuæ; illam præcepit. *Confirmatur*, quia assistentia præcepta ob diuinum cultum religiosa debet esse, & hæc religiosè implenda, quin imò horarum assistentia propter orationem saltem apparentem exterius est. Quis autem ferat orationem religiosam iudicare, nec apparenter religiosam, qua Canonicus choro assidens occupatur confabulationibus, murmurationibus, aut alijs externis actibus. *Verum est*, quod si in his modicè se occupet, verbi gratia, consignando literas, loquendo vnum aut alterum verbum, non ob id tenebitur rata illius diei, imò neque illius horæ restituere. Ex his infertur esse necessariam quandam recollectionem, & compositionem externam, & ad munus quasi apparentem attentionem. 1

Quo supposito dubitatio grauis est valdè, sed annexa quæstioni principali, *an Canonici teneantur horis assistere canendo cum alijs*? ita quod etiam si domi eas recitauerint, si tamen cum alijs non recitent canendo teneantur restituere stipẽdia accepta, siue distributiones sint, siue fructus principales? 2 *Dubitatur*

De hac re duas reperio sententias. *Vna est affirmatiua*, quam tenet Magister Sotus in lib. 10. de iustitia, quæst. 5. artic. 4. ad medium, vbi sic dicit: *Sotus.* *1. Sẽtẽtia*

Stipen-

Stipendium non datur illis, vt assistant, & duntaxat sint numerus: sed reuera vt psallant. Probatur, quia beneficium datur propter officium: at Canonicorum officium est diuina facere in choro, non veluti mutos sedere: ex quo bene infertur, si non id adimpleant, teneri restituere. *Et confirmatur* hoc Soti argumentum: Nam iure naturali retineri non potest, quod datur ob causam aliquam, causa non subsequuta, vt patet *ex toto titul. ff. de conditionibus ob turpem causam.* Hæc sētētia maioribus argumētis, quam Sotus fecit, stabilienda est.

3 Et sit *secundum.* Nam institutio Canonicatuum est, non vt adsint tantum in choro, sed planè vt canendo assistant, & ob id eis datur stipendium: ergo si id non præstent, non poterunt stipendia retinere. Antecedens patet ex Concilio Tridentino, *Ses.24.cap.12.* dicēte: Omnes Canonici per se, & non per substitutos diuina compellantur obire officia, atque in choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis nomen Domini reuerenter distinctèque laudare. *Respondere* quidā ad hoc conantur, non fuisse illud præceptum impositum Canonicis, sed Prælatis iussisse, vt cōpellant Canonicos id facere, vt Ecclesia suo antiquo mori & nitori restituatur; quod si Prælati id neglexerint peccabunt: nō verò Canonici, si habeant consuetudinem præscriptam non psallendi in choro. Sed certè Synodus supponit præceptū primæua institutione Canonicatuum tale esse, vt patet ex illis verbis: *In choro ad psallendum instituto.* Et quamuis præceptum immediate ad prælatos ad id compulsuros dirigatur, mediatè ad Canonicos ipsos dirigitur, frustra enim daretur Prælatis talis compellendi facultas, si ipsi Canonici se possent sua consuetudine defendere, & excusare.

Confirmatur ex Concilio Basiliensi, *Session.21.§.3.* dicente: Canonici cum psallendi gratia cōueniant, iuncta, aut clausa labia tenere non debent: sed omnes, præsertim qui maiore funguntur honore, Psalmis, Hymnis, & canticis Deo alacriter modulentur. Et in Concilio Aquisgranensi capit.131. *Canonicis religiosissimè in choro standum & psallendum est.*

4 *Tertiò probatur* ex extrauaganti Pij Quinti iam citata, vbi postquam dixerat, non recitantes non facere fructus suos, nec distributiones, ita subdit: *Tametsi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis Canonicis cum alijs præsens adsit, fructusq; & distributiones aliter assignatas sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel aliàs sibi lucrifecisse prætendat: sentit ergo Pontifex quod is, qui est choro addictus, licèt sit præsens, non potest lucrifacere fructus, &*

Nauar. *distributiones, &c.* Hæc sententia Nauarri *de oratione cap.11.numer.41.& cap.19.num.* 47. & videtur

Syluest. colligi ex Syluestro verbo *hora.* quæstion.6. &

Armil. Armilla *eodem verbo quæstion.21.* quatenus asserunt in Ecclesijs Collegiatis, & Cathedralibus & regularibus dicendas esse horas in Ecclesia: si ergo Canonici peccant tacendo in choro, cùm tale peccatum sit contra iustitiam ratione officij & beneficij, & naturæ fundationis, &c. sequitur obligationem restituendi oriri.

5 *Ista sententia* limitanda est, nisi stet aliquod legitimum impedimentum non canendi in choro, etiam cum præsens est. Primum & potissimū est corporis infirmitas, tunc enim nec peccaret non canendo, neque illi restitutioni fieret obnoxius: vt planè habetur in capit. vnico de clericis non residentibus in 6. & nos docuimus supra cū Syluestro. *beneficium,* 5. quæstion. 3. Angelo, & Syluest. alijs, & Soto & Couarruu.num.8. contra Palud. Angel. & id de iure communi. Couar.

Secundum impedimentum præcedenti affine est ineptitudo vocis ad concinnè canendum, vel propter raucitatem, vel incongruum sonum, vel propter huiusmodi alia. *Ratio est.* Quia his ita se habentibus potius præstatur impedimentum decēti, & ornato cantui, potius decori diuini officij, potius offendiculum, & risum audientibus nascitur, quàm deuotio. Quod si aliqui hæc à natura habent impedimenta, non deberent admitti ad beneficia, quæ ex suo præcipuo munere exigunt cantare in choro: sed hoc alterius loci est.

Tertium impedimentum est, cùm diuina officia celebrātur cantu figurato, quem Hispani vocant, *Canto de organo,* tunc enim Canonici excusantur à canendo cum alijs: tum quia non decet eorum grauitatem eo genere cantus vti: tum quia communiter nesciunt, neque scire tenētur.

Secunda sententia supponit hæc impedimenta, 6
& si quæ sunt alia legitima excusare Canonicos à 2 Sententia.
canendo in choro, & etiam si nullum tale extet, asserit quod etsi attento iuris rigore, & antiquo more Ecclesiarum ac Canonicatuum fundatione tenebantur Canonici per se ipsos psallere in choro, quando diuina officia celebrabantur, tamen consuetudo à multis retro annis præscripta obtinuit oppositum, Summis Pontificibus, ac cæteris Prælatis videntibus, & consentientibus. Vnde sequitur, Canonicos in choro assistentes, quamuis non canant, nec peccare, nec ad vllam restitutionem teneri. *Limitatur* autem hæc sententia à suis autoribus. *Primo si* adsit quædam externa corporis compositio, & domi officium persoluant, Capellanos habeant & cantores, qui prout decet cuiusuis Ecclesiæ dignitatem officia diuina canendo persoluant; quod si non adsint tales Capellani Canonicorum interest horas psallere sub restitutionis onere, quia tūc neque per se, neque per alios officium implent, & Ecclesiam debito defraudant seruitio.

Ex his sententijs eligere difficile est. *Prima* cō- 7
formior fundationi Canonicatuum, ac iuribus Ecclesiasticis, maiorem sanctitatem præ se ferés, vsui Sanctorum Patrum magis germana, & efficaciora pro se habet argumēta, & rationes ac patronos grauiores. *Secunda* laxior, & soli nitens vsui (vtinam non abusui) habet patronos paucos, & modernos: eam primus, quod ego sciam, tenuit Petrus à Nauarra Toleranus, *libr. 2. de restit. capit.2.numer.217.* & deinceps vsque ad finē dubitationis tertiæ, eum sequitur syllabatim transcribendo Petrus Aragonius *ad secundam secundæ, quæstion.83. in vltimo dubio artic.13.* & Bernardinus à Sandoval *in titul. de diuinis officijs, capit.16.* & videtur applaudere huic sententiæ Caietanus in summa verbo *hora*: qui cum disputaret, an satisfa-

satisfaceret horis Canonicis, qui versum sui chori summisse dicit? respondet, Quod licet de iure non satisfaciat, si tamen intelligerem (inquit) esse in consuetudine, nō condemnarem, tanto magis, quanto maiores non tam cantare, quàm ea, quæ ab alijs cantantur, meditari oportet: & videtur colligi ex Couarruuia *vbi sup. num.* 3. Ex his igitur sententijs prima mihi verior apparet.

Secunda toleranda videtur, vt morem geramus desidiosis huius seculi, ne dum nimium emungimus, sanguinem eliciamus. Et ad omnia argumenta pro priori sententia respondemus, ea procedere attento iure antiquo, ac more, ac fundatione Canonicatuū, contra q̄ omnia obtinuit consuetudo præscripta, & admissa à Summis Pontificibus, & alijs Prælatis videntibus, & consentientibus: ad hæc neque antiqua consuetudo psallendi cessauit omninò: nam & Missas per hebdomadas psallēdo dicunt, & in horis Canonicis capitulum & orationem canunt, Episcopo celebranti assistunt, & alia munia implent. Solùm igitur quoad horas introductum est, vt per capellanos canentes ipsi assistant.

8 Et si quispiam vrgeat, huiusmodi consuetudinem esse abrogatam à Concilio Tridentino, *in verbis iam citatis*. Certe argumentum vrgens est; nihilominus respondetur, id præcepisse sanctam Synodum cupiens ad antiquum morem ista reducere, vbi collapsa erat antiqua disciplina, & nondum præscripta erat consuetudo non canendi: cæterum de consuetudine abroganda neque verbum fecit, quamuis circa multa alia in eodem capite apposuit: *non obstante quacunque cōsuetudine*: quare verosimile est consuetudines de hac re in suo vigore reliquisse.

Ad tertium speciatim, quod aliquos malè torquet, *respondetur*, sensum illorum verborum, si rectè expendantur, non esse eum qui inter arguendum affertur, sed iste: ille, qui non recitauerit horas, scilicet, neque in choro neque extra, quamuis in choro adsit prætendens sola præsentia lucrari, non lucrifaciet fructus, & distributiones. Itaque illa particula, *cum alijs*, non est iungenda illi participio, *non recitans*. ita vt sit sensus, quod cum alijs non recitans in choro, non lucrifaciat, id enim alienum est ab intentione Pontificis, quæ erat condemnare non recitantes vllo modo, quod & decretum erat in §. *statuimus*. Concilij Lateranensis: qui verò tueri voluerit primam sententiam, quæ vt dixi, mihi verior apparet, debet dicere talem consuetudinem potius ad abusum pertinere, cum euertat naturam & institutionem Canonicatuum, & esse sublatam à Tridentino Concilio, eo ipso quod præcipit oppositum seruari, tanquam antiquum ius.

DISPVTATIO. VIII.

An illi, qui aßistentes choro excusantur à cantandis horis, siue propter legitimum impedimentum, iuxta priorem sententiam, siue propter consuetudinem, vt diximus in dubio præcedenti, teneantur ad recitandum summißè versus ad suum chorum attinentes?

ET videtur vera pars affirmatiua, quia isti tenentur choro assistere, non propter solam præsentiam corporalem, vt superius dixi, sed vt dicant Canonicas horas: ergo quamuis excusentur à canendo, non ideò excusabuntur à recitando, saltem summissa voce. *Dicet fortaßè quispiam*, finem præcepti non cadere sub præcepto. *Contrà*, quia dicere horas non est finis talis assistentiæ præceptæ, quin imò ipsa assistentia dicendo horas est res præcepta. Pro decisione 1

Dico primò. Canonici assistentes choro si excusantur à canendis horis Canonicis propter aliquod legitimum impedimentum, non tenentur recitare versus ad suum chorum pertinentes, sed possunt licitè tacentes adstare, & supponimus tales Canonicos iam recitasse horas extra chorum. Probatur hoc assertum. Isti duntaxat tenentur dicere horas in choro communicando cum alijs in choro existentibus, vt omnes simul laudent & colant Deum, sed in casu sic non possunt communicare: ergo non tenentur ad aliquid aliud faciendum: maior nota est, & minor probatur, quia cæteri vel canunt cantu figurato, vel cantu simplici, quem Hispani vocant *Cantollano*. Et supponimus in neutro posse communicare. 2

Secundò dico, admissa posteriori sententia. Nunquam Canonici tenentur recitare versus sui chori cæteris canentibus. *Probatur*, quia consuetudine excusantur à canendo: ergo consequenter excusantur à recitando, quia non tenentur recitare, nisi communicando cum alijs in eodem genere recitationis; quo alij in choro vtuntur. *Item*, quia crediderim, non solum esse consuetudine introductum, vt Canonici non canant in choro, verùm etiam vt non recitent versus sui chori, quando aliàs extra chorum recitarunt horas Canonicas. *Confirmatur*, quia potius in turbationem verteretur, si alternantes chori hinc & inde canerent, & Canonici hinc & inde mussitarent summisè recitantes quæ totus chorus alta voce canit. 3

Ad argumentum oppositum distinguitur antecedens quoad secundam eius partem: non enim tenentur assistere, vt absolutè dicant horas Canonicas in choro, quas supponimus recitasse domi, sed vt dicant eas in choro cum alijs communicando ipsi choro: quam communicationem vel non possunt facere, vt si infirmitas impediat, vel non tenentur facere, consuetudine excusante, & tunc negatur consequentia. 4

DISPV-

DISPVTATIO IX.

An quãdo Canonici extra chorũ horas Canonicas recitarũt, & postea choro assistũt, vt impleant praeceptum assistẽdi, quo diximus eos obligari. Dubitatur (in quã) an teneãtur habere aliquam attentionẽ interiorem, siue canant, aut recitẽt cũ alijs, siue assistant audientes diuina, quae celebrantur?

1 ET videtur vera pars negatiua: quia iam recitauerunt domi horas Canonicas integre, ac cũ attentione debita: ergo choro assistentes sat est si externam compositionem seruent, quam eos teneri seruare in dubitatione superius praecedenti dixi. *Confirmatur*: quia Canonici deuoti ob id domi horas recitant, quia in choro multae se offerunt occasiones impediẽtes attentionem, & ideò postea choro assistentes non attendunt, quia existimant se ab hac obligatione attendendi per recitationem extra chorum factam liberatos.

Secundò. Cantores vel clerici non initiati Sacris, qui non habẽt beneficium, sed nudam mercedem ad canendum in choro, quamuis distrahantur voluntariè, si tamen assistant choro, non peccant mortaliter per se loquendo, neq; tenentur restituere mercedem aut stipendium: ergo idem dicendum est de Canonicis, qui tenentur duntaxat assistere choro.

2 *Syluest.* Syluester verbo, *hora*, quaestion. 11. & verbo *Missa* 2. quaestione 6. dicit solam exteriorem attentionẽ, quam nos appellabamus cõpositionẽ externam, esse necessariã, fortasse, quia humanum praeceptum nõ potest se extendere ad actus internos; sed hoc fundamentum, & illatum iam supra refutauimus, cùm de attentione requisita ad horas ageremus, & consequenter sententia Syluestri, & sequacium reijcitur.

3 Quare ad dubitationem *dico primò*. Quantumuis Canonici, & alij obligati ad interessendum choro, quando diuinum officium persoluitur, recitauerint illud domi, tenẽtur postea choro assistentes attentionem interiorem habere, vt impleant praeceptum assistendi horis, siue illud impleant canendo aut recitando in choro, siue diuina audiendo. *Probatur*, quia assistẽtia in choro quãdo dicũtur horae, quae ex praecepto exigũtur à praefatis, debet esse actus humanus sufficiẽs ad moralẽ praesẽtiã; sed sine attentione vlla non potest actus esse humanus, nec praesentia moralis: ergo. *Confirmatur*. Qui ibi dormiret, aut attẽtissime studeret legendo, aut scribendo, absque controuersia non haberet praesẽtiã necessariã, vt superius docui; sed perinde se habet qui nullo modo attendit, sed omnino mentis attentione voluntaria est in alijs rebus occupatus: ergo.

Secundò. Haec assistentia non tantum praecipitur vt actus humanus, & moralis, sed etiam vt religiosus, & ad cultum Dei pertinens: ergo non quamcunque attentionem requirit, sed religiosam, & ad cultum Dei pertinentem: ita vt assistentes Deum orent, vel ei se summittant, eumve honorent, vel saltem attendant ad ea, quae dicuntur tanquam ad res sacras.

Tertiò. Haec assistentia horarum genus orationis est, vel ad orationem pertinens: non enim apparet ad quem actum Religionis pertineat, nisi ad orationem: maximè quando assistitur canendo, aut recitando: sed oratio nequit consistere sine attentione aliqua interiore: ergo praeceptum de hac assistentia horis dicendis nequit impleri sine aliqua attentione interiori. *Confirmatur*. Praeceptum de audienda Missà diebus festiuis non impletur sine aliqua interiori attentione, vt communiter asseritur: ergo hoc praeceptum de assistendo horis, etiam si impleatur, vt quidam volunt, audiendo, & non recitando, necessariò implendum est media attentione interiore. Et hinc consonat quod ait Caietanus superius citatus, quod scilicet maiores in choro debent meditari, quae ab inferioribus cantantur. 4

Sed rogas. Haec attentio interior requisita, qualis debet esse? Vna è tribus à D. Tho. superius assignatis: nempè vel ad verba, vel ad verborum sensum, vel ad Deum, & diuina, & si impleatur praeceptum de assistentia recitando vel canẽdo, res manifesta est, quia talis assistẽtia oratio quaedã est; si verò impleatur audiendo, etiam certum est, sicut de Missae auditione ab autoribus communiter dicitur: Non est autẽ necessarium eã attentionẽ toto tẽpore, quo horae dicũtur, permanere actualiter, sat est virtualiter permanere. Permanebit autem, quamdiu ex proposito nõ se ad alia extranea diuertit. Cõsultò dixi, *extranea*, quia supposita sententia illa, quod impletur praeceptũ hoc audiẽdo, fortassis nõ erit illicitum ad quasdã orationes, & meditationes diuinorũ diuertere, relictis illis, quae in horis cõtinẽtur ipsis: licèt cõsultius esset, ea, quę ab alijs cãtãtur, meditari: maior enim videtur attentio necessaria, & magis alligata his, quae cantantur in assistentia horarum, quàm in auditione Missae in die festo. 5

Ex his infertur primò, quod non solum illi, qui assistentes choro confabulantur, aut exercẽt aliquas actiones praefatae attentioni repugnãtes notabili parti horarũ, peccãt mortaliter non implẽdo praeceptum de assistendo horis, & consequẽter tenentur restituere omnes distributiones, & fructus pro rata, verum etiam illi, qui assistentes ex proposito diuertunt mentẽ ad cogitãdũ de rebus bellicis, aut manualibus aut quęstionibus

nibus merè speculatiuis, peccant mortaliter, & non implent præceptum assistendi horis Canonicis: eo quod carent attentione debita, vt assistentia illa moralis sit, & religiosa. Vnde etiam fit, vt teneantur restituere omnes distributiones, quæ pro hac assistentia chori dantur, & etiam restituere fructus; iuxta superius à nobis tradita, cùm de obligatione restituendi fructus ageremus: & hæc omnia intelliguntur, etiam si extra chorum recitauerint horas.

Hanc sententiam tenet expresse Nauarrus *ca.* 13. *de oratione, num.* 17. cui ego magis assentio, quã quibusdam modernis oppositum sentientibus: *Nauar.* sed nostræ rationes sententiam Nauarri vrgentius probant.

Vltimò dico. Quando colloquia non sunt con- 6 tinua, & sunt breuia, quamuis sæpè misceantur, nunc colloquendo, nunc attendendo, prout cõmuniter fieri solet, vel certè quando confabulatio non est de re seria, nec nimis attenta, quæ nõ omninò impedit attentionẽ ad horas (si verũ est audiendo impleri præceptum) sed solum remittit illam, relinquit tamen sufficientem, vt actio illa humano modo fiat: non est cur damnemus sic assistentes, vt reos peccati mortalis transgressores præcepti, & consequenter non sunt obligandi ad restitutionem vllam. Hoc non aliter probatur, nisi quia in hac assistentia aliqualis attentio reperitur: & præterea ne modò condemnemus peccati mortalis multorũ consuetudinem, quamuis grauiter reprehendendam: Nam vt minimum committitur peccatum veniale graue, & facilè potest declinare in mortale, præsertim si confabulatio sit admodum continua, & maximè si potest generare scandalum, & impedire alios recitantes, vel cantantes. Fateor aliquando breuia colloquia posse fieri sine vllo peccato, vt si salutet hospitem venientem, mittat breue nuntium, vt aliquid pertinens ad officij celebrationem ritè fiat, vel quid simile.

Ad argumentum factum in principio dubitationis *respondetur*, præceptum de recitando, aut 7 canendo horas Canonicas in choro, quamuis vnico actu possit impleri, esse tamen duo præcepta ad religiosum cultum pertinentia: quod ex eo patet, quia vnum sine altero impleri potest, vt contingit in casu nostræ dubitationis. Nam Canonicus recitans domi implet præceptum recitandi, & si absit à choro, vel in choro occupetur in scribendo, vel legendo alia extranea non implet præceptum de assistendo. Et è contra, si assistat audiendo horas, iuxta quorundam sententiam implet præceptum assistendi, & non illud de recitandis horis. Sicut igitur sunt duo distincta præcepta ad Religionem spectantia, & exigunt duas attentiones, quando non implentur eodem actu, sicut fit in casu nostri dubij: Quare negatur consequentia argumenti. Est simile appositum in eo, qui tenetur recitare, & vouet in Ecclesia recitare, si recitat domi attentè, tenetur iterum attentè recitare in Ecclesia.

Ad confirm: respondetur, aliquando esse salubre 8 consilium Canonicas horas recitare domi, scilicet quando timentur futuras esse in choro occasiones turbationis, & inquietudinis; maximè si satisfiat præcepto assistendi per solam auditionem Horarum. Regulariter verò, & vt plurimũ melius est in choro recitare, vel canendo cum cæteris, vel recitando saltem summisse versum sui chori, propter quàmplures rationes, quas recenset Nauarrus, *de oratione cap.* 10. *num.* 45. & 46 asserens se olim errasse, sicut & errant illi, de quibus fit mentio in confirmatione argumenti.

Ad secundum respondetur negando consequentiam, quia relati in antecedenti, videlicet, cantores, &c. tantùm conducuntur ad artificiosè canendum siue orent, siue non orent, at canonicis, & beneficiatis dantur stipendia, vt minimũ propter assistẽtiam religiosam, quæ genus quoddam orationis est, quam consistere sine aliquali attentione est impossibile.

QVAESTIO LXXXIV.
DE ADORATIONE.

ARTICVLVS I.
Vtrùm adoratio sit actus Latriæ, seu Religionis?



1 CONCLVSIO est affirmatiua, quia adoratio ordinatur in reuerentiam adorati: sed ad Religionem spectat Deo reuerentiam exhibere: ergo adoratio, qua Deus colitur est actus Religionis. In commentarijs huius quæstionis adorationis naturam, eiusque diuisiones in communi duntaxat conabimur inuestigare, sequentes D. Thom. vestigia: at cætera quæ de oratione Verbi incarnati, Eucharistiæ, imaginum, & reliquiarum solent disputari in propriã sedem reijcimus: nẽpè in *tertiam D. Thom. partem qu.* 25. & in *tertium sent. dist.* 9. vbi Doctores Scholastici presse ista vrgẽt, admiscentes aliquid de adoratione & Religione in communi.

Igitur ab Etymologia seu notione nominis *Adoratio*, incipientes, notamus nomen *Adoratio*, non deriuari (vt senserũt Priscianus, & Nonius,) *Priscian. Nonius.* ab *Ador*, quod est frumenti genus sacrificijs destinatum, Adoratio namque diuersa est à sacrificio: sed potius à præpositione *Ad*, & *Oro*, id est, ore precor, vt existimauit Valla: cuius rationem licèt ipse non assignet, fortassis hæc est, quia præpositio *Ad*, in compositione coniunctionem, & annexionem significat, vt *Adiacere*, id est, coniunctim aut simul iacere, *Alloqui*, id est, simul cũ alio loqui. Adoratio autem externa, in qua adorationis na-

nis natura magis lucet, vt dicemus, vix reperitur
Tertul. ſine oratione. Et colligere licet ex Tertuliano, in Apologetico cap.30. dicente. *Illud* (nempè cœlum) *ſuſpicientes Chriſtiani, manibus expanſis capite nudo precantes ſumus.* Ecce adorationi adiungitur
Hierony. oratio, & Hier. in cap.3. Epiſt. ad Epheſ. libro 2. *Deum fixo poplite magis quod ab eo poſcimus impetramus.* Ecce adorationi oratio coniungitur: dicitur ergo Adoratio, quaſi ſimul fiat cum oratione ſemper, vel ferè ſemper.

2 Sed omiſſa nominis Etymologia, ad explicandam naturam adorationis accedentes, ſupponimus ex communi omnium conſenſu, Adorationem eſſe quendam actum, quo alterum honoramus, illi tanquam excellentiori nos ſubmit-
D. Auguſt. tendo: ex quo colligit D. Auguſt. *lib. contra Sermonem Arrianorum cap.23.* diſcrimen inter honorem & adorationem: omnis namque adoratio honos eſt, non verò omnis honor adoratio eſt, etenim honoramus æquales, iuxta illud Apoſtoli ad Rom.12. *Honore inuicem præuenientes:* at non adoramus niſi nobis ſuperiores, adoratioque cum ſummiſſione adorantis ad adoratum fit. Hoc ſuppoſito ſequitur;

DISPVTATIO I.

An adoratio verſetur tantùm circa Deum, an verò etiam ad creaturas extendatur?

3 D. Aug. Gen.18. 3. Reg.1. RESpondit D. Tho. *in ſolutione ad primum* huius primi articuli, ex mente Auguſtini. 10. *de ciuitate cap.*4. Adorationem etiam ſolere exhiberi licitè quibuſdam excellentibus creaturis. *Gen.*18. Abraham adorauit Angelos: *tertij Regum* 1. Natham Propheta adorauit Dauid: & alibi ſæpè fit mentio talis adorationis. Ex hoc colligit D. Thom. *in eadem ſolutione* diuiſionem adorationis ex parte obiecti, id eſt, ex parte excellentiæ rei adoratæ, in adorationem, qua veneramur Deum, & pertinet ad Latriam, & adorationem, qua veneramur creaturas excellentes, & pertinet ad Duliam.

Circa quam diuiſionem multa ſcitu digna ſe offerunt diſputanda. *Primum eſt.* An liceat creaturas adorare & quomodo? Sed de hoc commodius diſputabitur inferius.

Secundo. An iſtæ adorationes Dei & creaturarum pertineant ad eandem virtutem? an ad diuerſas? & an ſint actus diuerſæ ſpeciei? an vnius? De quo ſuperius egi *in quæſt.*81. *art.*3. *&* 4. eadem enim difficultas de quouis genere cultus procedit, & non ſolum de adoratione: & fortaſſe latius infra *quæſt.*110. *& ſequentibus.*

4 *Tertiò* circa eandem diuiſionem viſum eſt mihi explicare hæc nomina Græca *Latria*, & *Dulia*, quia eorum paſſim fit mentio à Theologis, & à ſanctis Patribus: à quibus *Latria* vſurpatur pro cultu, qui erga Deum verſatur; *Dulia* verò pro eo, qui erga creaturas: quæ acceptio non admmititur à Caluino, & Laurentio Onfredo Hæreticis, neque à Valla & Ludouico Viues Grammaticis in caput primum *li.*10. *de ciuit. Dei*, qui omnes irrident Doctores Scholaſticos, & ignaros Linguę Græcæ, eo quod, inquiunt ipſi, Græco Sermone, *Latria* & *Dulia*, idem prorſus ſignificant, nempè mercenariam ſeruitutem: probant primo ex Xe- Xenoph.
nophonte in tertio libro de Pœdia Cyri, vbi verbum *Latreuo*, ex quo *Latria* deriuatur, in ea vſurpatur ſignificatione. Secundò ex ſacra Scriptura,
nam Leuit.23. vbi nos legimus, *Omne opus ſeruile* Leuit.23.
non facietis, Græcè pro ſeruile habetur *Latreutom*, ab eodem verbo: & eodem capite vbi legimus, *De ſemine tuo non dabis ſeruire principi*, Græcè pro *ſeruire* eſt *Latreuin.*

His tamen reſpondemus, attenta primaria ſi- 5
gnificatione parum aut nihil differre iſtarum vocum ſignificationem. At Doctores accommodarunt iſta ſic, vt *Latria* pro ſeruitute & cultu, qui Deo debetur accipiatur; *Dulia* vero pro ea, quæ excellentibus creaturis. Ratio huius accommodationis deſumpta eſt, primò ex ſacra Scriptura,
in qua ſi attentè inſpiciatur, vt ait Aug.10. de ciu. Auguſt.
ca.1. nomen *Latria*, aut ſemper, aut tam ferè ſemper, vt vix inueniatur pro alio quàm Dei cultu, vſurpari: in nouo vero teſtamento nunquam. Quam accommodationem ne aliquis exiſtimet eſſe inuentum Doctorum Scholaſticorum, apud ſanctos Patres eam inueniet; maximè in tota ſeptima Synodo, & Auguſtino *vbi ſupra*, *& lib.* 1. *de Trinitate cap.* 6. *& lib.* 20. *contra Fauſtum cap.*21. *& quæſt.*61. *in Geneſim*, vbi aduertit propterea falſorum Deorum cultum fuiſſe vocatum idololatriam, quia *Latria* proprium cultum vero Deo debitum ſignificat.

Quod verò *Dulia* accommodetur tantum cultui creaturarum ex eo colligere licet, quod ſacra Scriptura frequentiſſimè quando loquitur de ſeruiendo ijs, qui non ſunt, neque æſtimantur Dij, non vtitur verbo *Latreuo*, ſed *Duleuo*: primũ patet, nam Exod.4. cum dicitur: *Dimitte populum*
meum, vt ſeruiat mihi, & Exodi, 23. & Deuteron. Exod.4.
6. *ac* 10. & 28. & Ioſue.22 & 24. & Iudicum.9. in Exod.25.
his inquam omnibus locis habetur *Latreuo*, pro Deut.6.
ſeruire; at verò quando ſermo eſt de ſeruiendo a- 10.&28.
lijs, qui nec Dij ſunt, nec æſtimantur Dij ſacra Ioſ.22.&
Scriptura non vtitur verbo *Latreuo*, ſed verbo 24.
Duleuo, vel *Dulia*, vt conſtat *Gen.* 14.15.25.27.29. Iudic.9.
30.31. *Eſaia* 14. Gen.14.

Ex hac vocum Græcarum ſignificatione ſeu Eſa.14.
accommodatione, colligere licet rationem & 6
ſenſum præfatæ diuiſionis: nã cum adoratio exhibetur propter increatam excellentiam Dei, dicitur *Latria*; quæ verò propter creatam, dicitur *Dulia*, præſertum quando excellentia illa eſt glorię vel ſanctitatis creatæ: quod ſi ſanctitas illa ſit ſuperexcellens, vt in Beatiſſima Virgine, adoratio illi reſpondens vocatur *Hyperdulia.*

Habemus igitur ex præfata diuiſione nomen adorationis commune eſſe Deo & creaturis, vt colligitur ex locis ſacræ Scripturæ citatis, & alijs innumeris, qui citari poterant: vnus verò pro
multis ſatis ſit. 1. Paral.29. *Inclinauerunt ſe, & ado-* 1. Par.29
rauerunt Deum, deinde Regem.

Sed dubitabis, an adoratio dicatur de vtraq; ado- 7
ratione, vniuocè, an verè analogicè? *Et videtur*, Dubita.
non dici vniuocè ex mente Diu. Thomæ *in hoc* D. Thom.
arti-

articulo ad primum, dicentis, excellentiam Dei non communicari creaturæ secundum æqualitatem, sed secundum quandam participationem: & ideo aliam venerationem tribuimus Deo, aliam verò excellentibus creaturis:& infra in qu. 24. in articulo ad secundum, non comparat Latriam cum Dulia, sed cum idolatria, quas dicit conuenire in ratione cultus, qui per actum humanum exhibetur, quamuis in ratione virtutis, & Religionis idololatria æquiuocè dicatur Religio, seu Latria. *Secundò*, ratione sic, quia excellentia vel Dei dominium & creaturarum non vniuocè, sed analogicè conueniunt in ratione excellentiæ, vel dominij, vt probatur *prima parte qu.13.art6*. Ergo cultus exhibiti propter has excellentias duntaxat analogicè possunt conuenire in ratione adorationis. *Confirmatur* ex Aristotel.lib. 2. magnorũ moralium, dicente amicitiam propter iucundũ, vel vtile, solùm analogicè esse amicitiam, si comparetur cum ea, quæ est propter honestum. Hanc sententiam tenet D.Bonauen.in 3.*dist. 9.art. 2. ad quartum*, & Petrus Bergomensis, in concordantijs Tabulæ aureæ D.Thom. verbo *adoratio*, nu 3.

Aristot. *D.Bona.* *Bergom.*

8 Nobis verò opposita sententia videtur probabilior, & colligitur *ex quæst. citata.94.art.1. ad secundum:* vbi sanctus Doctor dicit Latriam, & idolatriam in ratione actus humani ad cultum pertinentis vniuocè conuenire, sicut solutio tributi vniuocè dicitur, siue tribuatur vero regi, siue falso. *Et hinc ego infero:* ergo adoratio sumpta sub ratione communis actus humani ordinati ad honestum, & rationabilem cultum alterius vniuocè dicetur siue talis cultus ad Deum referatur, siue ad creaturam. *Id ipsum illustratur exemplis:* nam fides vniuocè dicitur de diuina, & humana, saltem in ratione actus humani, quamuis hæc autoritati creatæ, illa verò increatæ nitatur: amor etiam Dei & proximi vniuocè conueniunt in ratione amoris. Secundò: actus voluntatis, à quibus adoratio nascitur, & habet esse humanũ, seu morale adorationis, vniuocè cõueniũt in ratione actus humani, & liberi, & in ratione virtutis, seu actus honesti, & solũ differũt specificis differẽtijs, q̃ per se cõstituunt illos in hac vel illa specie virtutis: ergo solùm conueniunt vniuoce in genere, & differunt specie: ergo idem dicendum est de adoratione secundum rationem suam genericam, & illius speciebus.

Ad argumenta verò in oppositum. *Respondetur*, obiecta actuum vel habituum non constituere illos per se & intrinsece: sed habitudo ad obiectũ intrinseca est huiusmodi actibus, vel habitibus: quo fit, vt licet vnum obiectum increatum sit, aliud verò creatum, ac proinde non conueniant vniuoce, nihilominus habitudines ad illa obiecta, quæ creata sunt, & actus ac habitus, qui illas includunt possint vniuoce rationem aliquam participare: præsertim quia quandoque habitus vel potẽtia, quæ in se omnino vna est, potest obiectum respicere, quod secundum analogiam tãtum vnum est, vt in intellectu & voluntate videre licet. Aristoteles autem citatus, & Sancti interdum, si quomodo videantur admittere aliqualem analogiam inter has adorationes, interpretandi sunt de Analogia physica non de logica.

Quintò dubitari poterat, an diuersa esset exhibenda Deo adoratio, diuersa inquam secundum modum inter eandem speciem propter diuersa Dei attributa: sed quia dubitatio hæc æquè procedit de quocunque Dei cultu videnda est superius in quæst.81.art.3. vbi id disputauimus.

ARTICVLVS II.
Vtrùm adoratio importet actũ corporalem?



PRIMA conclusio. Duplex est adoratio, quam Deo offerimus: spiritualis, quæ consistit in interiori mentis deuotione; & corporalis, quæ consistit in corporis humiliatione. Probatur testimonio Damasceni lib. 4. fidei Orthodox cap.13. 1

Secunda conclusio. Exterior adoratio fit propter interiorem. Probatur quia in omnibus actibus Latriæ id quod exterius est, refertur ad id, quod est interius tanquam ad principalius. Declaratur conclusio: nam per signa humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, intendimus excitare affectum nostrũ ad subijciendum se Deo, quia connaturale est nobis, vt per sensibilia ad intelligibilia procedamus.

Circa examinandam veritatem primæ conclusionis oportet recolere ea, quæ diximus superius in *qu.81.art.7.* circa consimilem diuisionem actuum Religionis in actus internos & externos. quia eadem vi & veritate procedunt in diuisione adorationis in adorationem internam & externam. Quibus necessariò præmissis est

DISPVTATIO I.
Quid sit adoratio interior?

QVidam asserunt, nihil aliud esse adorationem interiorem, nisi actus Fidei, Spei, & Charitatis. Ita Alexand. *Alens.* 3.*part.qu.30.memb.1.art.2.* Albert.Magnus *in 3 dist.9.art.1 ad quintum.* Richardus *art. 1. qu.3. ad tertium*, Palud. *qu.1.art. 2.* Thom. de Argentina *art.1.* Gabriel. *qu. vnica. art. 3. & in Can. lect.49. litera F. & G.* & expressius *lect.50. litera K.* Corduba, *lib.1.qu.5 notat.2.* Martinus de Ayala *de tradit. parte 3. consideratione.7. cap.5. §. 3.* Probant primò ex Augustino in Enchiridio.cap.2.& 3. vbi dicit, *Theosebiam*, quam dixerat esse virtutem, quæ cultum Deo tribuit, *in his virtutibus Theologalibus præcipuè consistere:* & 10.de ciu.cap. 9. de dilectione Dei ait: *Hic est Dei cultus, hæc est vera Religio.* Denique Athanasius, *quæst.60 ad Antioch.* Chrys. *hom.32. in Ioannem.* Cyrillus *lib.2. in Ioan.cap. 93.* Hyllarius *lib.2. de Trinit.* explicantes quid sit adorare in spiritu & veritate id tribuunt virtutibus Theologicis. 2

Alens. *Alb.Mag.* *Richard.* *Palud.* *Argentin.* *Gabriel.* *Corduba.* *Athanas.* *Chrysost.* *Cyrill.* *Hyllar.*

Secundò. D.Thomas in hoc articulo ad secundum ait, interiorem adorationem in reuerentia Dei interiori consistere: hæc autem interior reuerentia

rentia vix potest intelligi quid sit, nisi in Deũ credere, in Deũ sperare, atque illum diligere: ergo.

3 *Pro decisione* huius rei difficilis, tum propter vocum ambiguitatem, & eorum distinctam acceptionem, tum propter opinantium varietatem præmittenda sunt aliqua, quæ in loco superius citato partim tetigimus. *Primum* est ex D. Thomæ doctrina *in 3. distinct. 9. quæstion. 1. artic. 1. ad secundum*, quod quamuis virtus, quæ circa actiones moderandas versatur, habeat esse virtutem ex actu interiori voluntatis primæ ex electione obiecti virtutis, in generali tamen esse virtutem determinatè completè, ac perfectè habet ex actu exteriori. Actum exteriorem vocat D. Thomas actum, circa quem versatur talis electio, siue sit actus externus siue internus: qui ideò vocabitur exterior, quia ab illo non specificatur habitus, quamuis in illo, & per illum attingatur in exercitio obiectum habitus, à quo specificatur, vt ibidẽ ait sanctus Doctor. *Sit exẽplum* in iustitia, quæ habet quod sit talis virtus ex electione & voluntate reddendi cuique ius suum, cæterũ nõ est cõpleta perfectè quousque in exercitio determinetur ad dandum ius hoc in determinata materia, verbi gratia, emptionem, venditionem, &c. D. Thom.

Sed magis ad rem conducet exemplum ponere in ipsa Religione, seu adoratione, quæ specificatur ex actu volendi cultum diuinum: completur verò, quando ab eodem voluntatis actu determinatur ad certam materiam cultus: putà ad genuflectendum, procumbendum, vel similes actus adorationis externæ, vel ad submittendum Deo suam mentem, vel adorationem, vel alium actum internum, qui vocantur externi comparati ad electionem præfatam, à qua quasi imperantur, quia exercitium dimanans à tali electione, in illis consistit non minus, quàm in alijs actibus adorationis externæ: vnde meritò vocantur materia circa quam Religionis seu adorationis: cæterùm ista determinatio ad certam materiam cultus seu adorationis dupliciter potest fieri, aut per merum imperium, ordinando actus aliarum virtutum ad Religionis siue adorationis finem, quod posse fieri superius docui, *quæstion.* 81. aut verò eliciendo ipsos actus, à quibus determinatur, & circa quos versatur præfata electio. His suppositis:

4 *Primum assertum sit.* Adoratio interior non cõsistit in electione, idest in actu illo volũtatis, quo quis vult Deũ adorare aut colere. *Probatur*, quia adoratio interior consistit in exhibitione cultus vt manifestum est: sed ille actus electionis nõ est exhibitio cultus: ergo non est adoratio interior. *Minor probatur*: tantum est propositum seu voluntas colẽdi, nõ verò ipse cultus. Fateor, illa electio seu voluntas colendi est causaliter adoratio & cultus: quia ab illa tãquã à radice & fonte dimanat omnis adoratio & cultus, & sine illa adoratio quæcunque potius fictio est, & irrisio, quam verus cultus: vnde non immeritò anima & spiritus adorationis nuncupabitur, & de illa dicitur, *Veri adoratores adorabunt spiritu & veritate.*

5 *Secundum assertum.* Adoratio interior non sunt actus Fidei, Spei, & charitatis. *Probatur*, quia adoratio interior Dei, si proprie loquamur de adoratione, est actus elicitus à Religione, & inter ipsos numeratus à D. Thom. sed actus virtutum Theologicarũ non sunt eliciti à Religione, sed à virtutibus Theologicis: ergo adoratio interior non consistit in illis actibus. *Confirmatur*, quia aliàs confunderemus virtutes Theologicas cum Religione, si actus ab istis elicitos tribuamus Religioni. Hoc assertum videtur esse contra citatos autores, qui tamen si bene inspiciantur, nõ dicunt actus virtutum Theologicarũ elici à Religione: quin imò aliqui ex citatis apertè dicũt adorationẽ internã versari circa actus Fidei, Spei, & Charitatis, sicut erga materiam circa quam, in qua exercetur & consummatur cultus, & quod illi actus non eliciuntur à Religione.

Et quidem si de imperio Religionis seu adorationis sermo sit, nos sentimus cum illis, censentes non solùm adorationem posse imperatiuè versari circa actus theologicarum virtutum, verum & circa omnium virtutũ actus: cuius ampli imperij licet non expressè meminerint citati autores præter Albertum & Cordubam, credo tamen omnes tenentur concedere propter eandẽ rationem, qua concedunt de actibus Fidei, Spei, & Charitatis. *Dissentimus tamen ab illis*, quia existimant tales actus elicitos à virtutibus Theologicis, esse adorationem Dei internam. Nos verò negamus, quia adoratio proprie actus elicitus est à Religione. Ita dixit D. Thomas in primo articulo; isti autem citati autores fatentur illos actus virtutum Theologicarum non esse elicitos à Religione: ergo consequenter debẽt concedere eos non esse adorationem internam.

Secundò: nam si actus virtutum Theologicarum, eo quod à Religione imperantur, dicuntur interior adoratio, actus omnium virtutum, qui possunt ab eadem virtute imperari, dicentur adoratio: quod esse falsum certò certius est, non enim quouis opere virtutis dicitur Deus adorari cultu religioso.

Tertium assertum. Probabile est omnes actus internos à Religione elicitos circa materiam determinatam cultus, esse adorationem. Dixi, circa determinatã materiã, quia in primo asserto, iam exclusi à ratione adorationis actũ illũ generalẽ, *volo colere, volo adorare*, qui à Religione elicitur, estque actus illi adæquatus, non tamen est adoratio. *Probatur*, quia adoratio interior consistit in omnibus illis actibus internis à Religione elicitis, qui determinant eliciti uè volũtatem adorandi Deum; sed huiusmodi sunt omnes actus interni à Religione eliciti: ergo in illis consistit adoratio Dei interna. *Minor nota est*, & probatur maior, quia adoratio consistit in exercitio summissionis ad Deum, vt colamus illum: sed omnis actus internus Religionis importat hãc summissionẽ, & in illo exercetur ista summissio, vt videre est apud D. Th. supra *quæst.* 81. *art.* 3. *ad* 2. ergo in omnibus illis cõsistit adoratio interna. *Confirmatur.* Omnis actus externus protestatiuus summissionis ad Deũ, pertinet ad adorationẽ externã: ergo omnis actus internus importãs eandem summissionem pertinet ad adorationẽ internã. 6 D. Thom.

etiam est elicitiue ab eadem Religione, sed mediante actu illo secundo, qui etiam est elicitiuè à Religione, & ex actu illo secundo & tertio, veluti componitur vnus actus moralis tanquam ex actu interno & externo, dicitur vnus actus componi, qui totus potest dici quodammodo integra adoratio moralis: tamen eos ab inuicem distinguendo, prior est quasi internus, alter est quasi externus: prior est propriè elicitus & immediate à voluntate, alius in ordine ad priorẽ quasi imperatus mediante priore; prior denique est quasi desiderium siue affectus adorationis, alius quasi effectus, seu potius adoratio ipsa: nos igitur asserimus illum secũdũ actũ pertinere ad virtutẽ Religionis elicitiuè, nõ tamẽ esse adorationẽ, sed propositũ adorationis, tertiũ verò actum esse ipsã adorationẽ propter rationem allatã in primo asserto. *Et ad argumẽtũ resp.* adorationem interiorem consistere in deuotione, nõ quomodocunque, sed determinata ad specialem cultũ internum, in quo speciali cultu vt procedit à secundo illo actu, formaliter consistit adoratio, causaliter vero in priore, ex quibus ambobus integratur vna moralis adoratio, vt explicatum est.

11 *Contra secundum* assertum & eius probationẽ *arguitur*. Nam vnus & idem numero actus pertinere potest elicitiue ad diuersas virtutes, vt omnes fatentur, & ego docui *superius artic.1.quæ.81.* ergo bene stat actus fidei, spei, & charitatis elici à virtutibus Theologicis & simul à Religione; & sub hac posteriore ratione pertinebunt ad internam adorationem. *Secundò*. Quouis virtutis opere potest Deus coli cultu religioso, & elicito à Religionis virtute: putà si voto se homo adstringat ad efficiendũ aliq; virtutis opus: ergo quouis virtutis opere poterit Deus adorari elicitiuè, si illud opus homo faciat ex adorationis affectu.

Vt his respondeamus valdè notanda est doctrina D. Thomæ, *in 4.dist.14.q.1.art.1.quæstiunc.3.ad 2.* quod dupliciter aliqua virtus habet pro materia actus aliarum virtutum: vno modo per solum imperium, & relationem extrinsecam ad suũ finẽ, & isto pacto nullũ incõueniẽs censemus actus charitatis à Religione imperari, imò & omniũ virtutũ actus. *Secundò* modo potest virtus habere pro materia actus aliarum virtutum elicitiuè, sed hoc modo indiscriminatim, ita quod vna virtus nõ possit actus quoscunque studiosos elicere, sed dũtaxat illos actus, in quibus reperitur aliqua specialis ratio studiosa pertinẽs ad illam virtutẽ: verbi gratia, Religio potest quidẽ imperatiuè versari circa actũ tẽperantiæ, non verò elicitiue: quia in eo actu nõ reperitur quidpiam pertinens ad rationẽ formale Religionis: è cõtrario Magnanimitas virtus specialis potest versari elicitiuè circa actus omniũ virtutũ, quia ratio magni, q; est ratio formalis Magnanimitatis reperitur in omni virtutis actu, vt tradit *Arist. 3. Eth.* Similiter pœnitentia versatur elicitiue circa actus omniũ virtutũ, quia detestatur peccata opposita cuique virtuti, quę etiã ipsæ virtutes singula singulis referendo detestantur: & ratio est, quia in omni actu virtutis reperit suã rationẽ, nẽpe detestationem peccati: est tamen specialis virtus, quia illa detestatur sub speciali ratione, nempe vt recompenset Deo pro iniuria illata. Idem dico de virtute charitatis, quæ potest elicitiue versari circa omniũ virtutũ actus; quia in eis reperitur aliqua ratio boni, quã Deo concupiscat per charitatẽ: & idẽ cõcedit D. Th. infra *qu.104. artic.2. ad* 1. de virtute obedientiæ, quæ potest versari circa omnium virtutum actus, quia in eis reperitur ratio præcepti, ad quod parendum inclinat obedientia.

Ex hac D. Th. doctrina infertur primo, earum virtutum actus, qui neque in recto, neque in obliquo versantur erga Deum, non posse elici à virtute Religionis, neque esse eius materiam elicitiuè, eo quòd in illis non potest fundari, aut reperiri ratio cultus nati ex summissione ad Deum, & in ipsa originati, quæ est ratio constituens adorationem.

Infertur secundò, actus earum virtutũ, quæ circa Deum versantur, posse esse materiã circa quã exerceatur ratio formalis adorationis, si ex volũtate adorãdi procedãt, & sint apti ad indicãdũ, profitẽdũ, vel quouis modo exercendam animi summissionem ad Deum: verbi gratia, actus fidei est cognoscere diuinam excellentiam, & Deum vt supremum Dominum, & tamen si quis ex voluntate colendi Deũ in prædictum actum erumpat, & eam cognitionem Deo offerat in cultum & adorationem se tantæ excellentiæ summittendo, ea recognitio adoratio interna est à Religione elicitiuè proficiscens. *Probatur*, quia hic actus internus est honestus & sanctus: ergo ab aliqua virtute elicitur, nõ nisi à Religione, cũ immediate oriatur à voluntate colendi Deũ, neque intra sphæram Religionis aliud esse potest quã adoratio, cũ formaliter non sit oratio, aut deuotio, &c. Fortasse non ita apte poterunt actus charitatis fundare hãc animi summissionẽ, quia charitas est amor amicitiæ, qui nõ exigit expresã summissionẽ, sed quandã quasi æqualitatẽ, qualis inter Deũ & homines reperiri potest fundatam in bonorũ diuinorum communicatione. Et idem videtur dicẽdum de spei actibus. Quod si quis in harum virtutum actibus sciat adinuenire fundamentum summissionis ad Deum, ac subinde materiam orationis, non contradico. Sed tunc acrius vrget argumentum positum, videlicet adorationem internam esse actus Fidei, Spei, & Charitatis.

Ad quod resp. Actus harum virtutum quandoque præcedere cultum Dei, vt motiua ad illum, saltem actus fidei, scientiæ, aut alterius doni, necessario debet præcedere quemcunque Dei cultum, ex quo nõ sequitur actus illos elicitiuè pertinere ad Religionẽ vel adorationẽ. Rursus quãdoque imperantur à Religione, & neque tunc à virtute Religionis elici dicentur; at verò interdũ illi actus Theologicarum virtutum ex voluntate adorandi Deũ nascuntur, vt pote in quibus ratio summissionis ad Deũ apertè exercetur, & tũc ad Religionẽ spectãt elicitiuè, & adoratio interna dicuntur, non quidem præcise considerati sub ea ratione, qua ad virtutes Thologicas pertinent, sed sub ratione summissionis ad Deum, quæ fundatur, & quasi superadditur illis Theologicarũ virtu- 13.

virtutum actibus. Itaque negamus, actus virtutum Theologicarum pertinere elicitiue ad Religionem, vel ad internam adorationem Dei. Asserimus verò fundare rationem religiosi cultus adoratiui, sub alia tamen ratione, quæ ad virtutes Theologicas non spectat, sed ad Religionem: & pari ratione de alijs actibus philosophare, verbi gratia, de actu timoris Dei, reuerentiæ, admirationis, & huiusmodi.

14 Ad secundum *resp.* negando consequentiam. *Tum* quia latius patet ratio cultus, quàm adorationis, vt dictum est: nos verò in præsentiarum loquimur de adoratione. *Tum*, quia quoduis virtutis opus potest esse obiectum promissionis factæ Deo, quæ ad Religionem spectat, vt suo loco dicemus, non vero potest esse obiectum adorationis, quæ versatur circa summissionem expressam ad Deum. Circa secundum diuisionis membrum est;

DISPVTATIO II.

An sit, & quid sit Dei adoratio externa?

1 Ioan. 4. Videtur non extare talem adorationé, eo quod Ioann. 4. docet Christus adorationem veram in spiritu consistere non externe in corpore: *Veri adoratores*, ait, *adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Nec videtur huic testimonio sufficienter occurri cum D. Thoma dicente ad primum, adorationem etiam externam in spiritu fieri, in quantum ex spirituali deuotione procedit, & ad ipsam ordinatur: etenim adoratio in spiritu contraponitur adorationi Iudæorum, quæ à Christo relegatur in illo loco: at ea erat externa, & procedebat etiam in spiritu, aliàs non esset tempore legis Deo accepta & religiosa, quod sine dubio falsum est. In oppositum sunt innumera sacræ Scripturæ testimonia de adoratione externa necessariò explicanda.

2 Esse Dei adorationem externam nullus vnquam dubitauit, præter hæreticos nostri temporis, qui omnem cultum externum abominantur, vt alienum à lege gratiæ, quæ vt ipsi aiunt in solo spiritu cõsummari debet: & potissimè ducuntur testimonio *citato Ioan.* 4. Sed ratio D. Thom. in (Ioan. 4.) in corpore adiuncta solutione ad secundum, dilucidè adorationis externæ munus declarat, vt videlicet per signa humilitatis: quæ exterius exhibemus noster excitetur affectus ad subijciendum se Deo: egregiè D. August. *lib. de cura pro mortuis agenda, cap.* 5. inferius citandus, *& super caput secundum, prima ad Tim.* Geniculatio & alij humiles gestus, licèt per se non placeant Deo, at illis velut stimulis humilitatis & abiectionis homo interius se humiliat. Hæc autem adoratio externa diffinitur à Damasceno oratione prima de imaginibus propè ab initio: *Est summißionis, & humiliationis nota:* & oratione 3. *Est*, inquit, *animi cedentis summißi atq; hu[illegible]is significatio:* & Anastasius Episcopus Theopoleos citatus in septima Synodo actione 4. *Quid enim aliud est*, inquit, *quàm honoris alicui exhibiti veluti emphasis, id est, symbolum, adoratio.* Quæ definitiones licèt quodammodo adaptari possent etiam adorationi internæ, magis tamen cõgruunt externæ, quæ propriè signũ, nota, atque emphasis est, & hæc componitur ex actu interno voluntatis, qui versatur circa hæc signa externa, tum vt illis affectus noster erga Dei summissionem & reuerentiã excitetur: tum vt sit signum animi summissi erga Deum, vt ait Damascenus, citatus à D. Thom. Definitur; est actus per quem Deo corpus nostrum offerimus, nimirum in exercitio, dum eius membra nunc hoc gestu, nunc illo Deo subijcimus in seruitutis & reuerentiæ signum. Ad argumentum ex testimonio D. Ioannis benè responsum est ex verbis D. Thomæ, nam plenior eius loci tractatio commodius affigetur in articulo sequenti.

(Margin: D. August. — D. Dam. — Anasta.)

DISPVTATIO III.

An vtraque adoratio, interna & externa propriè sit dicenda & simpliciter adoratio? & quæ istarum perfectior sit?

ET quidem non cadit sub dubio, ad adoratio externa (quæ vt sit actus moralis constare debet ex actu volũtatis, qui versatur circa aliquem corporis gestum significatiuũ summissionis, & reuerẽtiç erga Deũ) sit simpliciter, & propriè adoratio? in hac enim significatione semper aut ferè semper, vsurpatur in sacris Litteris & profanis. 1

Sed de interna dubitari potest, an propriè adoratio sit? *Primò*, quia in sacra Scriptura nunquã fit mentio huius adorationis internæ. *Secundò*, quia D. Thom. in *quæst.* 81. *art.* 7. *& in hac quæst.* adorationem retulit inter actus Religionis externos: ergo adoratio interna non censetur à D. Thoma simpliciter & propriè adoratio. *Tertiò*, quia adoratio computatur à D. Tho. inter actus Religionis internos, non ob aliud, nisi quia interius propriè consummatur, quamuis possit in actum prodire externum: ergo si adoratio interna quam diximus interius consummari, est propriè adoratio, inter actus internos computari debet, non inter externos quod aduersatur D. Tho. vt patet ex eius litera. D. Thom.

Gabriel Vazquez Complutensis ex societate Iesu *libro de adoratione primo cap.* 4. censet adorationem omnem versari circa externos tantum actus, vt circa materiam. Oppositum tamen mihi placet ex sententia Damasceni & D. Thomæ *in hoc artic.* qui adorationem internam pleno ore appellat adorationem, imò ait principaliorem esse quàm externam. *Et probatur*, quia propria adoratio cõsistit in reuerẽtia Dei ex sũmissione erga ipsum nata. Sed hæc propriè reperitur in adoratione interna, pręcipuè de qua locuti sumus in vlt. asserto dubitationis primæ huius articuli: ergo vera & propriè adoratio est. *Secũdò*. Adoratio externa dicitur adoratio simpliciter & pro- 2 Vazquez

propriè, quia Deo summittit proprium corpus: ergo adoratio interna, quæ summittit animi omnes vires, non minus propriè adoratio dicenda est.

3 *Ad argamentum primum contra* hanc sententiam nostram. *Resp.* Fateor, frequentiorem esse visum in sacris Literis adorationis externæ, quia cum ex sensibilibus desumatur, à quibus & nostra cognitio ortum habet notior nobis est: cæterum aliquando etiam dē interna

Ad Heb. 1. fit mentio ad Hebræos.1. *& adorent eum omnes An-*
Ioãnis. 4. *geli eius*, & Christus Dominus Ioannis.4. in spiritu iubet adorare, quod non ineptè de interna adoratione intelligi potest.

Ad secundum respondetur, D.Thomam non negasse adorationem internam, sed potius stabilit eam ex sentētia Damasceni in hoc articul. sed quia adorationis nomen desumptum è præpositione, *Ad*, & *oro*, id est, ore precor magis cōgruit externæ, & quia adoratio interna est ipsissimus deuotionis actus exercitio mandatus, secus externa, quæ in corporis gestibus perficitur, ideò D.Thomas adorationem retulit inter actus externos, quia loquebatur de externa, quæ sibi vendicauit nomen adorationis plus quā interna.

4 *Ad tertium Resp.* Oratio per se, nempè talis est, & per se mente consūmatur, per accidens verò fit vocalis: at adoratio interior per se consummatur interius, & per se etiam adoratio externa exterius cōsummatur, & non per accidens. *Quod vt intelligas nota*, Orationem mentalem & vocalē esse petitionem eiusdem obiecti, sed tantum differunt in materia, qua exercentur, nempè mente aut voce: & cū petitio orationis fiat Deo, qui inspector est cordium, mentalis sufficienter explet omnia orationis munia, quod verò hæc petitio in vocē prorūpat per accidens se habet in ordine ad petitionis necessitatē, fit tamen laudabiliter propter tradita à D.Thoma supra *quæst.* 83.*ar.*12. at verò adoratio interna & externa non solū differūt in materia, in qua exercētur, nēpe mēte, aut corpore, sed etiā ex parte obiecti circa quod. Nā adoratio interna, in exercitio saltem offert Deo mentem, externa verò corpus adorantis, quo fit vt vnaquæque per se, necessaria sit ad implenda munia adorationis. Vnde ad argumentū negatur consequentia, propter disparitatem rationis: etenim D. Thomas annumerauit inter Religionis actus internos orationē: quia per accidēs est, quod vocaliter fiat: secus est de adoratione. Et si obijcias, quod non est cur magis referatur adoratio ad actus internos Religionis quam ad externos, iam responsum est ad hoc in solutione secundi.

5 *Ex dictis non est difficile diffinire*, quænam istarū adorationū præstātior est, nimirum interna præstantior est, quanto spiritus corpori præstat, & quia ad eam externa ordinatur, vt ait D.Thomas *in secunda conclusione*: qui intelligēdus est de adoratione in ratione entis, nam fortasse in ratione signi proprius dicitur de adoratione externa, sicut signum proprius de sensibili quam de intelligibili.

Quod si quispiam roget, cuius potentiæ actus sit adoratio? *Respondere* necesse est sub distinctione: nam actus à quo immediatè dimanat adorationis cultus, putà, adorare volo, voluntatis est supponens actum fidei de Deo, censens esse dignū adoratione, sed hæc volūtas nō est adoratio, vt dictū est, sed radix ipsi⁹: si verò loquamur de ipso cultu adoratiuo (vt ita loquar) à diuersis potentijs elici potest, sicut & ipsi actus circa quos versatur adoratio, nam interdū sunt actus volūtatis, & fortasse etiam aliquando intellectus, vt in adoratione interna; aliquando sunt actus alterius facultatis corporeæ, vt in adoratione externa, qui quasi imperantur ab actu voluntatis, exercentur autem exterius à potentia externa, putà virtute motiua, vel alia simili.

Isthæc autem adoratio externa, quæ sensibilior est, & cui fortasse impositum est nomen adorationis, diu di potest materialiter in tot adorationes, quot sunt gestus externi ad Deum externè adorandum accōmodati, quos certo numero comprehendi difficile est, Aristoteles primo rhetoricorum, cap.5. varias partes externi cultus enumerat. *Honoris*, inquit, *partes sunt sacra, memorationes, decantationes carminū, aut soluta orationis, ad laudem recitatio, præmia, delubra, idest, prima consensus, sepulchra, imagines, publici ritus, ad hæc etiam barbara, vt inclinari, loco cedere, munera quo que, &c.* Sed non hæc omnia pertinent ad adorationem, licèt pertineant ad externum cultum, qui latius patet quam adoratio externa. Antonius à Corduba Franciscanus, *lib.*1.*quæst.*5.*dubio.*6. asserit nouem esse exteriores adorationis actus cultui Dei deputatos, videlicet sacrificiū, martyrium, collationem, & susceptionem sacramentorum, petitionem veniæ, petitionem gratiæ, percussionem pectoris, templorum constructionem, institutionem festorum, vota, & iuramenta: quem autorem in duobus deficere non dubito. 6 Aristot. Corduba.

Primò, quod ista nouem relata ad adorationē externam referat, cùm sola pectoris tūsio ad externam adorationem pertineat; omnia quidem ad cultum externum spectant, præter martyriū, qui est actus fortitudinis, sed non omnia ad adorationem: nam petitio veniæ & gratiæ orationes sunt, non adorationes, sacrificium, & ob id templorum constructio proprij actus religionis sunt distincti ab adoratione, institutio etiam festorum, & collatio ac receptio sacramentorum, ac votorum & iuramentorum emissio, quare non sunt confundendi cum adoratione externa. *Secundò* deficit in hoc quod existimat aliquam esse adorationem externam, quæ iure gentium accommodata sit soli Deo, quod esse falsum statim patebit. Quare sit

---

DISPVTATIO IIII.

An sit aliqua adoratio externa suapte natura soli Deo appropriata? atque adeò, quam nefas sit creaturæ impartiri?

De genuflexione.

2 Genuflexio apud omnes nationes signũ fuit humilitatis, summissionis, ac reuerentiæ, erga eum, coram quo genu flectitur, & adeò antiquum vt existimem cum ipsa natura hominis quasi natum esse: cuius antiquitatis testimonium perhibent sacri scriptores, & profani. De sacris statim videbimus, de profanis sufficiat illud apud Horatium.

Ius imperium q; Phraotes,
Cæsaris accepit genibus minor.

Et apud Pierium Elephantus, eo quod non flectat genua, symbolum est Regum, & eorum qui nolunt humiliari, & alijs summitti. Quare autem, aut vnde hic mos inoleuit magis quam digitos complicare, aut quid simile facere, mihi ignotum est: fortasse sicut manus dimittere signum subiectionis est, eò quòd organum potestatis, quæ manus sunt, ab operatione cohibetur, quasi protestando nolle aliquid operari aduersus alium, sic poplites flectere, & in terrã figere, signum humiliationis est, eò quod iste situs fugã recusat, quasi ingentem seruitutem protestando. Igitur genuflexio signum est humilitatis & subiectionis ad eum, coram quo genuflectitur, vt colligitur *Gen.* 41. satisque vsitatum à fidelibus in omni legis statu, quando coram Deo preces
Esai.45. funduntur sic esse agendum habetur, *Esa.* 45. *ad*
Rom. 14. *Rom.* 14 *ad Phil.* 2. & huius genuflexionis frequẽtẽ
Phil.2. & vetustum vsum colliges ex multis sacræ Scri-
3.Reg.3. pturæ locis. 3. *Reg.* 8. *Act.* 21. *Luc.* 22. & D. Hiero. de
Actor. 21. viris illustribus in Iacobo sic ait. *Sanctus Iacobus co-*
Luc.22. *gnomento iustus, pro populo flexis genibus assidue depre-*
Hieron. *cabatur, adeo vt in Camelorum duritiẽ eius genua trã-*
siisse crederentur. Idem accidisse Asellæ præ orandi
Marul. frequentia, testatur idem Hier. *Epist.* 15. *ad Marcell.* & Marulus *l.* 2. *c.* 1. refert D. Bartholomæũ & D. Martham in oratione centies in die, & centies in nocte solitos fuisse genuflectere:

Tertul. Tertulianus, ad Scapulam, huius cæremoniæ in orando meminit dicens Christianos suis geniculationibus exercitui Romano aquam ad sedãdam sitim, qua ad interitum vsque premebantur
Hieron. obtinuisse. Idem Tertul. cõtra *Marc. c.* 81. quando in rebus attonitis magis vtique genibus positis, &c. *B. Antonius* (inquit Athanasius,) *fixis genibus ante Dei vultũ, prouolutus orabat.* D. Hier. c. 45. Esa. *Moris Ecclesiastici est Christo genu flectere*, & li. 2. commentariorum, in c. tertium ad Ephes. *Hæc autem spiritualiter exponentes non statim iuxta literam orandi consuetudinem tollimus, qua Deum genu posito suppliciter adoramus, & fixo in terram poplite magis, quod ab eo poscimus impetramus; legimus enim & Paulum sic in litore orasse, & geniculationes in oratione præceptas.* Ex dictis repudiata manet Hæresis quorundam Hæreticorum, qui dicti sunt Agnoclytæ, qui cõtendebant nunquam esse orandum flexis genibus, sed semper stando, vt Damascenus refert Hæresi. 91.

3 Circa quem laudabilem orandi vsum, vnum est obseruatu dignum, hanc genuflexionem prohibitam esse in principio nascentis Ecclesiæ, & multa post tempora à die Paschæ vsque ad Pentecosten, & etiam diebus Dominicis. Tertulianus, de Corona militis c. 3. *Ex antiqua enim Ecclesiæ traditione*, inquit ille, *die Dominico ieiunium nefas duximus, vel de geniculis adorare eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten vsque gaudeamus.* Hæc ille. Videndus est D. *Amb. serm.* 61. de Pentecoste, vbi eadem dicit, D. Hier. *in Dialogo aduersus Luciferianos*, & in proœmio *Epi. ad Eph.* & Conc. Nic. Can. 20. aut 19. & Can. *Quoniam de consec. dist.* 3. & in Conc. *Carth.* 6. *c.* 20. Huius consuetudinis rationes plures reddit Cardinalis Turrec. *in dict.* Can. *Quoniam*, sed ante ipsum apud Iustinum, *q.* 115. huius institutionis causam & rationem affert autor, vbi quærit; si genuum inclinatio in precationibus magis peccatores Deo commendat, quàm si stantes orent, magisq; ea res diuinam promouet misericordiam, quapropter diebus Dominicis & à Paschate ferijs ad Pentecostes vsque precantes genua non flectunt?
Tertul.
Amb.
Hieron.
Turrec.

Vnde autem talis etiam in Ecclesia consuetudo? *Resp.* quia vtriusque mos oportuit jugem obtinere memoriam, & ipsius per peccatum lapsus nostri & gratia Christi nostri, per quam à lapsu resurreximus, ea propter genuum per sex dies inclinatio symbolum & nota est lapsus per peccata nostra. Quod verò die Dominico genua non flectimus, signum est & designatio resurrectionis, per quam gratia Christi & à peccatis & à morte, quæ ab illo interfecta est liberati sumus. A temporibus autem Apostolorum talis consuetudo genuflectendi in oratione accepit initium, vt ait B. Iren. mart. & Episc. Lugd. qui fuit Policarpi Ioannis Euangelistæ discipuli auditor in libro de Paschate, vbi meminit etiam Pentecostes. *In quo genua non flectimus: quoniam pari est cum die Dominico potestate, iuxta eã, quæ de illa est dicta, causam.* Iren.
Hæc apud Iustinum: qui plura cupit de genibus flectendis in oratione legat Cæsarem Arelatensem *hom.* 30. Arelaten.

Et aduertendum his nostris temporibus vsui & consuetudini, quæ habet vim legis, standum esse, nam etiam Paschatis tempore genuflectimus, ingredientes Ecclesiam, ad *Homo factus est*, in decantatione symboli. ad *Te ergo quæsumus tuis famulis subueni, quos pretioso sanguine redemisti*: in cantico *Te Deum laudamus*: & ad alia multa. Qua ratione motus Nauarrus de *orat. cap.* 4. *num.* 7. *vsque ad* 11. restringit hanc prohibitionem geniculationis ad Collectas, quæ in Missa pronuntiantur, sed vt prædixi consuetudini standum est. Nauar.

De prostratione.

Pari fermè modò loquendum est de altero loquendi ritu: nempe de *Prostratione*, seu humili pro cubitu, quem esse antiquissimũ signũ humilitatis & summissionis, sacræ & profanæ literæ testantur, ꝙ vsurpauit Ecclesia in oratione fundenda, quãdo se vidit aliqua sæua calamitate aut mœrore pressam, ad imitationem Christi Domini, qui vt narrant Euangelistæ, iã iã moriturus in horto Gethsemani, procidẽs in terra orauit Patrem pro vitanda morte. Præclarum huius ritus exemplum dedit Christianorũ legio, 4

quæ

quæ sub Marco Aurelio Antonino humi toto corpore procumbens Deum deprecata est, & obtinuit hostibus interitum, & Romanis militibus vltimo discrimine laborantibus salutem, vt eiusdem Imperatoris ad Senatum Romanum e-
Iustini. pistola scripta significat, vt habetur apud Iustinū martyrem post orationem ad Antoninum.

De manuum eleuatione.

5 *1. ad Ti. 2.* ALius est orandi ritus, quem accepit Ecclesia ex Apostolica traditione, & institutione, videlicet in cœlum manus leuare, Paulus 1. ad Tim. 2. *Volo*, inquit, *viros orare in omni loco leuantes puras manus.* Qui locus licet ab aliquibus exponatur de operum deuotione, literarior tamen sensus est de manuum exteriorum eleuatione ad excitandum
D. Thom. mentis eleuationem: ita D. Tho. super hunc lo-
Tertul. cum, & Tertul. de eodem ritu loquens in opusculo de oratione in cap. 11. & 12. ait. *At qui cum modestia & humilitate adorantes magis commendamus preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed temperatè & probè elatis, ne vultu quidem in audaciam erecto, &c.* sedendo autem orare extra disci-
Athan. plinam esse testatur: & D. Ath. *ideò*, ait, *datas esse hominibus manus, vt ad rerum necessariarum vsus inseruiant, & ad preces Deo porrigendas attollantur.*

6 *Et si roges* de antiquitate & significatione huius ritus, existimo cum ipsa natura hominis natū fuisse, in signū animi suppliciter petentis à Deo, qui in cœlis habitat adiutorium. Quod colligo, *primò* ex ipsismet animalibus rationis expertibus, quæ angustia pressa ad cœlos oculos leuant, & aliqua etiā anteriores pedes quasi naturali quodam instinctu à Deo postulantes auxilium. Ioel. 1. *Suspiciunt in cœlum, sicut area sicciens imbrem suspexerunt ad te.* Et de Cynocephalo apud Numidas
Pierius. animali passim obuio, refert Pierius, *lib.* 6. adeò pendere à Lunæ lumine, vt ea lumine carente & ipsum cæcutiat, ipsaque lucente & id genus animal visum recipiat; quapropter quodam naturali instinctu ad Lunæ ortum conuersus super solos posteriores pedes stans, & anteriores eleuans eo gestu, quasi suæ benefactrici gratias agit. Quare apud Ægyptios adorationis Hieroglyphicum e-
7 rat. *Secundò idem colligo*, eo quod hic modus orandi apud oēs nationes & omni tēpore secli hunc modum orandi obseruatum leges apud sacros
Exod. 17. autores, & profanos. *Exod.* 17. extat huius ritus præclarissimum exemplum, vbi narratur Moyse orante, & manus in cœlum eleuante populum Hebræum insigni victoria de Amalec potitum
Psal. 140 esse, & Ps. 140. *Eleuatio manuum mearum sacrificiū*
Threnor. *vespertinum*: eiusdem fit mentio Threnorum. 5. & Horatius in Odis.

Cælo supinas si tuleris manus,
Nascente Luna rustica Phylre,
Si thure placaris, & horna
Fruge lares, auidaq; porca.

8 Item Virgilius libro Aeneidos de Anchise dicit.

Oculos ad sydera latus
Extulit, & cælo palmas cum voce tetendit,

Iarbas apud Maronem dicitur,

Multa Iouem manibus supplex orasse supinis.

Liuius. Liuius li. 6. de Bello Punico. *Vndiq; matronæ in publicum effusæ circa Deum delubra discurrunt crinibus passis aras verrentes, nixæ genibus, supinas manus ad cælum ac Deos tendentes.* Salomon Trecensis. *Sacer-* *Trecens.* *dotes*, inquit, *eum sanctum benedictum pronuntiāt, nomen inquam id sanctum duodecimum literarum, extendunt manus suas.*

Ista autem eleuatio manuum dupliciter in adoratione vsurpatur, *vno modo* eleuando versus cęlum iunctis palmis: *altero modo* expandendo ferè in modum crucis. Hic posterior modus proprius est Christianorum, prior verò communis fidelibus & infidelibus: de posteriore Tertul. de ora- *Tertul.*
tione cap. 11. & 12. ait. *Nos verò non attollimus tantum, sed etiam expandimus, & Dominica passione modulantes & orantes confitemur Christo, qui dixit: Tota die expandi manus meas.* Iuxta vtrumque modum exponitur locus citatus. *Exod.* 17. nam quidam *Exod. 17.*
dicunt Moysem orantem eleuasse manus expandendo eas in modum crucis: sic exponit interlinealis: & hic sensus fit mihi satis verosimilis, vix enim reperietur ratio quare Moyse eleuante manus vincebat Israel, & demittente easdem vincebatur, cum semper creditur orasse siue manibus eleuatis, siue demissis, nisi quia Deus propter significationem Christi eleuati in cruce voluit cōcedere victoriam: vnde præfata glossa, *Leuabat manus in speciem crucis, qua triumphantur inimici.* Alij dicunt Moysem eleuasse manus versus cœlum iunctis manuum volis, qui modus supplicandi frequens est: ita interpretatur Caiet. & colligit *Caiet.*
gestum Moysi in orando talem fuisse, eo quod in textu dicitur, quod Moyses habebat virgam in manu, igitur rationabiliter creditur, quod manus habebat eleuatas sic, quod inter vtramque volam virgam teneret extensis manibus versus cœlum.

Non minus vsitatus est, ac communis omnibus nationibus alius orandi ritus, nempè eleuā- 9
do ad cœlum oculos à diuinis numinibus auxiliū petentes, & quidem apud Ethnicos esse orandi modum ex quibusdam testimonijs allatis id manifestum est, & multo plura possent adduci. Apud fideles vero esse vsitatum nemo ambigit: sic Christum orasse narrat. *Ioan.* 6. *c.* sic solitum fuis- *Ioan. 6.*
se orare D. Martinum testis est D. Bern. *in serm. de* *Bernar.*
D. Martini festo, vbi narrat D. Martinum in more habere oculos ad cœlum dirigere, sic adeò vt quidam Bricius eius emulus homini quærenti Martinum, dixisse fertur: *Quem hominem delirum videris, oculos fixos in cælum habere, ipse est Martinus.*

De capitis detectione.

INter laudabiles orandi ritus non infimum 10
tenet locum, aperto capite orare viros, fœminas verò cooperto: cuius rei præscriptū habemus ex D. Paulo 1. *ad Cor.* 11. & quidem *1. ad Cor. 11.*
quoad fœminas attinet ferè apud oēs nationes ante D. Paulum, in vsu erat fęminas velato capite vbique incedere honestatis conseruandæ causa. De Iudæis fœminis, Tertul. de corona mi- *Tertul.*
litis cap. 4. id asseuerat, dicens: *Apud Iudæos tam solemne est fœminis eorum velamen capitis, vt inde noscantur.* De gentilibus, sat sit Homeri dictum ci- *Clemens*
tatum à Clemente Alexandrino, in pædagogo *Alexand.*
lib. 3.

lib. 3. dicentis. *Creusam Æneæ vxorē propter insignē, qua ornabatur honestatem, nec cum Troia caperetur perterritam se velamine detexisse, sed etiam dum ab incendio fugeret mansisse velo tectam.*

Valerius. De Romanis mulieribus Valerius lib. 6. cap. 3. de Seuero. 13. idem dicit. *Horridum Caij quoque Sulpicij Galli maritale supplicium: nam, vxorem dimisit, quod eam capite aperto foris versatam cognouerat.* Tacitus. Tacitus etiam libr. 14. de Pompeia Sabina. *Hac rari in publicum gressus idq́, velata parte oris, ne satiaret aspectum*, vel quia sic decebat. De Græcis fœminis, Apuleius. Apuleius, de asino aureo libro. 11. *Mulieres candido splendentes amicimine.* De Arabibus Tertul. Tertulianus, de velandis virginibus, cap. 17. *Iudicabunt nos Arabiæ fœminæ, Ethnicæq, non caput tantum sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato contentæ sint dimidia frui luce, quam totam faciem prostituere.* Et ab Arabibus, quibus abundauit Hispania, credo in Hispanas fœminas hanc consuetudinem, etiam nunc extantem, promanasse, & interdum tanto & tam impudico abusu, vt id agnoscere necessarium sit, nihil tam sanctum, quod à mente impudica non inquinetur. Sic se Canticorum. velasse sponsam Canticorum. 4. quidam interpretantur, quando dixit. *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, &c.*

11 Quod si huius consuetudinis de oppertione capitis fœminarum causam scire cupis, aduertè, fœminas naturali inclinatione ferri ad capillos nutriendos, dicente Apostolo vbi supra. *Ipsa natura docet vos, quod mulier, si comam nutriat, gloria est illi*: eo quod vt existimo naturaliter affectant fœminæ formosæ apparere, non est autem minima pulchritudinis portio capillos densos, longos, boni coloris, comptos, compositos habere: ex quorum conspectu viri fragiles non minus ad amorem impudicum alliciuntur, quā visa facie, oculis, naso, aut fronte formosis, & ob id monentur fœminæ ferè apud omnes nationes comam tegere, ne offendiculum impudicitiæ præstent. At quoniam apud Græcos Corint. fœminæ patria lege atq; consuetudine cultui Veneris erant addictissimæ, ac proinde omnium impudicissimæ, vt ait Strabo li. 8. dicens. Strabo. *Fanum Veneris Corinthi ita fuit locuples, vt plures quā mille habuerit sacrorum famulas meretrices, quas Deo viri mulieresq; dedicarunt. Ob hac igitur & magna hominum multitudo in ea vrbe, & diuitiæ fuerunt, Nauclerii enim sua facilè prodigebant, cum mulieribus scilicet, vnde adagio locus: non est Corinthum adire cuiuis integrum.* Hæc Strabo. Ob id, inquam, mihi fit verosimile fœminas Corinthias, præ cæteris Græcis inter alias impudici cultus illecebras nudo capite incedere, vt suorum capillorum compositorum aspectu viros ad impudicos amores prouocarent, quarum plures cùm Apostolus ad fidem & vitam rectam conuertisset, quod præsens eas docuerat de sobrio cultu & de velando capite, ne scandalum præberent videntibus, absens etiam per epistolam commendat: nempe vt mulier honesto incedens habitu capite velato procederet, maximè quādo in Ecclesia cōueniret adorandum cum cæteris. Et præter alias huiusmodi causas, vna est, propter Angelos (vt dicit Paulus) id est propter sacerdotes in Ecclesia cōmorantes, qui Angeli dicuntur Malachiæ. 2. & à Tertuliano sic nuncupantur *lib. ad vxorem cap. 9.* Malac. 2. Tertul.

12 Hicq; mos orandi fœminarū operto capite non tantum apud Corinthum seruatus est, sed & in cæteris Christianorum Ecclesijs, quas Apostoli erexerunt, & patres eorum successores tempore antiqui Christianismi, vt docuit Tertulianus *de velandis virginibus cap. 2. & ibidem. c. 17.* reprehendit valdè eas fœminas, quæ neq; tectæ neq; nudæ incederent. *Mitris, inquit, & lanis non velant caput, sed con ligant à fronte quidem protecta, qua propriè autem caput est nude, alia modice linteolis, credo ne caput premant, nec ad aures vsq; demissis cerebro tenus operiuntur: misereor si tam infirmo auditu sunt, vt per tegmen audire non possint:* & inferius, *quantam autem merebuntur castigationem etiam illæ, quæ inter Psalmos, vel in quacunque Dei mentione retecta perseuerant, &c.* Et nota quod Clem. Alexandrinus in Pædagogo *lib. 2. c. 10.* præceptum Apostoli de velandis mulieribus sic interpretatur, vt Alexand. non tantum velamine capita operirent, sed eodem in frontem vsq; demisso vultum obumbrarent, redarguit: & ibidem veli genus illud, quod velut aranea tela contextum, vel purpureo colore reuelaret, potius quam velaret pulchritudinē, irritamētumq; magis esse libidinis, quàm tegumentum pudoris, gentilium potius fœminarum vsu, quàm Christo credentium comparatū. Hæc dicta sint ad declarandū quàm rationabile fuerit præceptum Apostoli, erga mulieres de orando operto capite, nam de earum superfluo ornatu latius, Deo dante, dicemus de virtute temperantiæ agentes.

13 Quod verò ad viros attinet, iubet Apostolus eos orare aperto capite, cuius rationem & discrimē inter viros, & fœminas multis verbis edisserit, quæ particulatim explicare non est præsētis instituti: cōmentatorē namq; D. Thom. ago, nō interpretē sacræ paginæ, licèt aliquādo transcursim, & obiter in studiosorum gratia, aliquot loca sacræ Scripturæ breuiter explicare decreuerim. *Prima ratio* causæ & discriminis est, quia vir imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est immediatè: gloria autem Dei non est occultanda, sed reuelanda, gloria autem hominis est occultanda iuxta illud Psalmi: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriā. Secunda ratio*, quia velamen capitis, imò quodcunq; indumenti genus capitis superpositum designat potestatē alterius erga eū, cuius capiti indumentū superponitur, & seruitutem eius, qui velamine operitur, iuxta illud, *Imposuisti homines super capita nostra*, id est, fecisti nos illis subiectos: & ideò vir sub Deo immediatè existēs nulliq; naturaliter subiectus, nisi Deo, non debet habere capitis tegumentū, vt significetur eius libertas, & nulli nisi Deo subesse: mulier autem debet velamen habere, vt ostendatur eam alteri præter Deum, nempè viro esse subditam. *Tertia ratio*, & fortasse est explicatiua præcedentium, vt ipso ritu orandi in exercitio fiat protestatio, quod vir subditus est Christo, qui eius caput est, & mulier etiam est subdita Christo, sed mediante viro, qui mulieris caput est, & hoc est quod paulo ante Apostolus

stolus præmiserat. *Volo vos scire, quod omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput autem Christi Deus.*

14 ¶ De antiquitate verò huius ritus in ordine ad viros non immeritò dubitatur, an scilicet, ante Christi Domini, & D. Pauli tempora esset in vsu viros orare aperto capite? an verò primus eius autor fuerit D. Paulus? Primum verosimile apparet ex eo, quod Christiani ferè cæteros ritus mutuati sunt à Iudæis, vt vidimus, ac proinde & hunc. Contra verò facit, nam modus orandi apud Iud. & Rom. non operto capite, sed cooperto vsitatus fuit, apud Rom. quidem talem extitisse morem ex lib. 3. Æneidos colligitur.

Et capite ante aras Phrygio velatus amictu.

Viues. Et idem colligit Ludouicus Viues in cōmētarijs *super.* 15. *cap.* 2. *lib.* Augustini de ciuitate, & narrat *Plutarch.* expressè Plutarchus *in Problematicis quæst. Rom.* 10. 11. & 12. excipit tamen quando Saturno, & Honori Dijs falsis eorū sacrificabatur, cuius exceptionis rationem videat cupidus Lector ibidem, nos omittimus, vt à præsenti instituto alienam. *Abulens.* Apud Iudæos verò asserit Abulensis *super cap.* 13. *Leuitici, quæst.* 10. morē fuisse ferè semper opertos capite procedere, maximè quando à sacerdotibus preces fundebantur, aut sacrificia fiebant: promanauit autem ista consuetudo, vt di- *Exod.* 3. cunt Hebræi ex facto Moysis Exodi. 3. quando videns Deum in Rubo ardenti abscondit faciem suam, & non audebat respicere.

15 Quæ autem essent ista tegumenta capitis sa- *Exo.* 28. cerdotum, quādo sacra faciebāt, habetur Exodi: *29.* 28. & 29. & Leuitici: 8. Cidaris nempè, mitra & *Leuit.* 8. thiara, de quibus & eorum vsu nō est modo disserendum, sat sit nobis scire Iudæorum sacerdotes non nisi opertos capite solere fundere preces, & vsque hodie à modernis Iudæis conseruatur. Ex quo vt probabilius colligo ritum orandi viros Christianos aperto capite, saltem in publicis precibus non esse antiquiorem D. Paulo, & fortasse deriuatum à Christo Domino, simul & ab alijs Apostolis propter rationes allatas: quo ritu non vtebantur Iudæi, sed Christiani: quia tegumentum capitis seruitutis signum est, sicut apertio libertatis: cum ergo lex vetus seruitutis esset, & lex gratiæ lex libertatis, decuit vt veteris legis professores tecti capite orarent, vt serui: legis vero gratiæ cultores Christiani aperto capite, vt liberi.

Fortasse quis sentiet D. Paulum ad Corinth. (qui populi Græci sunt) scribentem, ritui Græcorum se accomodasse, qui vt colligitur ex eo- *Lil. Gir.* dem Plutarcho, Lilio Giraldo referente. *Syntagmate.* 17. aperto capite orabant & immolabant. Ab hoc ritu inter orandum vsque nunc valde obseruato originem credo traxisse morem ferè apud omnes nationes politicè viuentes vsitatū, vt occurrentes se inuicem salutent detegendo caput. Et similiter assuetum est coram Magistratibus, Principibus, & Regibus detecto capite stare. Quæ consuetudo in principio nascentis Ecclesiæ pietatis ergo in ordine ad Deum exercebatur, vt retulimus ex D. Paulo: iam verò hisce temporibus amicitiæ causa, aut ad protestandum obsequium erga eum, coram quo aperitur caput vsu recepta est: etenim qui coram altero caput aperit, re ipsa protestatur, se illi offerre & eius obsequio velle mancipare caput, quod præcipuum & illustrius membrum sui est, & consequenter se totum: ac si diceret, ecce paratus sum in tuum obsequium me impendere, in cuius signum aperio caput, in quò sensus vigent. Huic simile est, quod affert Alex. ab Alexand. *lib.* 2. *c.* 19. *Alexan.* ex quo etiam posset desumi alia ratio pro ritu virorum Christianorum in orando aperto capite, etenim se offerunt Dei obsequio, dum offerunt capita sua, ea Deo præsentando: & idem facerēt fœminæ, nisi obstaret pudicitiæ lex, ne videlicet offendiculum ponant ostendendo comam arte compositam.

De osculo sancto.

EST etiam in Ecclesia Christi alius adorādi modus, frequētior tamen ac vsitatior temporibus antiquis; osculatio nempe rerum sacrarum, imò & fidelium adinuicem, nō solum in signum amicitiæ, verum etiam reuerentiæ & honoris, quam cœremoniam in Missarum solemnijs modo video obseruari, dum sacerdos ter altare osculatur, in initio, medio, ac fine. De quo Innoc. 3. lib. 2. mysteriorum Missæ, *Innocen.* c. 15. ait. *Rursus cum osculum fit ne dum amoris signum, sed & reuerentiæ.* Vnde Esther Regina venerationis ergo osculabatur apicem virgæ Assueri Regis. Caueat Sacerdos accedens ad osculandū altare, ne odio aliquo atq; dissidio à proximo dissideat, ne cum tanta animi impudentia appropinquās ad Dominū. & osculans altare, audiat cū Iuda vocē illā: *Osculo filiū hominis tradis? Vade recōciliari fratri tuo.* Sanctorū itidē ossa, vestes, reliquias, calices, cruces, ac quidquid sacrum est, solet fidelis populus piè & deuotè osculis venerari. 16

Sed vt hunc orandi ritum agnoscamus, altius eius antiquitatē ac vsum inuestigare oportet, adnotantes oscula duplicis significati fuisse symbola, videlicet amoris ac reuerentiæ, seu summissionis, ac proinde duplicis generis oscula distinguere oportet. *Primum* amoris, amicitiæ ac beneuolentiæ conciliandæ causa inuentum. *Secundum* verò reuerentiæ, ac summissionis signum. Inter q̄ multa repetiūtur discrimina: etenim prioris generis osculū, ad amicitiā pertinet, posterioris verò ad adorationem, q̄ est actus Religionis: prioris generis osculum ferè semper inter æquales versatur, posterioris verò est inferioris ad superiorem. Prius in facie exercetur, posterius in alijs membris, putà pedibus, manibus, & interdum vestibus, aut alijs extrinsecis. 17

De horum antiquitate & vsu disserendū. Sed prius de amoris osculo, quod cū ipsa natura natū esse reor, cū videā etiā in auibus marē ac fœminā rostris inuicē osculari, amoris, ac se ad coitū præparādi causa: similiter & in hominibus fieri ab initio mūdi existimo: itaq; naturæ inuētū est non gētis alicuius institutum, aut inuētio. Sed cupiet quispiā huius rei scire causā. Luisius Legionensis Augustinianus in primum caput Cantici Canticorum his verbis reddit: *Amantium animi, non* 18

tam

tam secum, quàm cum his, quos amant, versantur, quoque longius ab illis absunt, eo magis à se & à suis corporibus discedunt, minusq; vim suam illis impertiuntur, ex quo corpora ipsa macie attenuantur, pallentq; ac viribus animi destituta languent; qui langor corporis quoniam ex absentia, & aberratione, vt ita dicam, animi totus oritur, ideò corpora ipsa natura tacito sensu, suoque nutu reuocare ad se animum suum cupiunt. Is autem cũ eo quem amat versatur, & apud illum habitat, auent igitur eodem natura inductu amicos videre arcteq; complecti, & id animi sui quod intra illos est haurire quoquo modo possint, & ad se transferre, quod quoniam iungendis osculis, animaq; legenda videtur maximè posse effici, ex eo fit vt in amore tanta sit osculandi vel cupiditas, vel voluptas. Hæc Luisius poeticè, & lubricè magis, quàm verè. Nam asserere naturam ob id oscula inuenisse, vt amantes suam recuperent animam, & ab aliorum cordibus per os vires ac animum hauriant, ac si de recuperatione pecuniæ, aut haustæ aquæ è puteo profundo loquatur, quis non immerito, putabis?

19 Vera igitur causa est, quia sicut natura adinuenit risum, qui in oculis apparet ad significandá animi lætitiam, & suspiria in ore ad denotandam tristitiam, & similes motus ad alias significationes pandendas; sic etiam adinuenit natura oscula, quibus amoris, amicitiæ & reconciliationis affectus significarentur. Hæc autẽ amicitiæ & amoris oscula fuisse frequentata antiquitus ab omni natione, maximè ab Hebræis testantur sacræ Litteræ ac profanæ. *Genesis.* 27. & 29. 31. & 45. *Exod.* 4. & 18. 1. *Regum.* 12. & 20. *secundi Regum.* 14. *Tobiæ.* 7. *Matthæi.* 26. *Marci.* 14. *Luc.* 15. & alibi sæpè: & ferè ad nostra vsque tempora perdurauit, specialiter apud Gallos de quibus fertur frequentem esse osculorum vsum, vt honorificum putent, quod aduenienshospes vxorem, sorores, filias osculo adhibito salutauerit, ac amplexatus fuerit, & in gremium sibi assidere iusserit. Et apud Lacedęmonios oscula non modo concessa, sed etiam proposita esse præmia ijs, qui seniores lepidius oscularentur: & apud Romanos siue viros siue fœminas mos iste salutandi se osculis vsque adeò inualuit, vt Tiberius referente Suetonio de Tiberio c. 34. lege sãcita iam consuetudinem vt valde molestam & frequentibus occursionibus fastidium afferentem tollendam curauerit, sed nequiuit aduersus vsum prævalere. Vnde Martialis qui vixit tempore Domitiani, hæc ad Linum.

(Gene. 27. Exod. 4. 1. Reg. 15 — Sueton. — Martial.)

Bruma est, & riget frigidus December,
Audes tu tamen osculo niuali,
Omnes obuius hinc & hinc tenere,
Et totam Line basiare Romam.

20 Ex his colligere licet Numidarum è regione oppositã rusticitatẽ, auorum tanta fuit seueritas, vt nec filios suos oscularẽtur, res longe ab humanitate aliena: erat enim à principio istiusmodi osculi vsus amicitiæ & salutationis gratia simplex, omniq; libidine carens, & temporibus nascentis Ecclesiæ frequens valde, & ob id ab Apostolis suasus. vt videre licet ad Rom. 16. 1. ad Corin. 16. 2. ad Corint. 13. 1. ad Tim. *Salutate*, inquit, *inuicem in osculo sancto.* Quibus in locis duo insinuantur, vnum est Apostolum bene præuidisse, imò expertum fuisse in osculis amicitiæ, ac beneuolentiæ sæpè admisceri libidinem, & obscœnas cupiditates, & propterea non quæcunque oscula, ad quæ inuitat, etiam sine mixtione libidinis sancta vocari, sed illa duntaxat, quibus ex pręscripto Apostolico Christiani in sacris conuentibus vtebantur, adiuncta salutatione hac, *Pax tecum:* mos enim erat apud fideles ab Apostolis acceptus, vt tradit Florus *in expositione Missa*, finita cõsecratione Eucharistiæ ante communionem osculum singulos fideles inter sese iungere in signũ pacis & amoris mutui inter fratres seruãdi, Florus.

(Rom. 16. 1. ad Co. 16. 1. ad Tim.)

Huius osculi, & eius significati meminit expressè Dionysius Areopagita de *Ecclesiast. Hierarchia, cap. de communione.* & Iustinus martyr in oratione ad Antoninũ imperatorẽ sic ait: *Precib' finitis mutui nos inuicem osculo salutamus.* Et post osculũ sequi administrationem Eucharist. tradit fusius Tert. *lib. de oratione*, vbi appellat huiusmodi osculum signaculũ orationis: & postea. *Quæ oratio cum diuortio sancti osculi integra, quem Domino officium facientem impetret pax?* Cyrillus Hierosolymitan' Catechesi Mystagogica. 5. sic dicit loquẽs de hoc osculo: *Nec hoc ita accipias, quasi osculum illud sit huiusmodi, quasi in foro inter omnes amicos esse consueuit, neque enim tale est. Hoc igitur osculum animos mutuò conciliat, & omnem malorum obliuionem illis spondet. Signum igitur est hoc osculum reconciliationis animorum, vniuersaque iniuriarum memoria deleta.* Et post aliqua: *Igitur osculum hoc, quo in sacris vtimur, reconciliatio est, atque idcirco sanctum, de quo & Paulus dicit: Salutate vos inuicem in osculo sancto, & Petrus inquit, in osculo dilectionis.* Hæc Cyrillus. Eiusdem osculi meminit Chrysost. *lib. 1. de compũctione cordis, & homilia de proditione Iudæ ad finem, & homilia. 51. ad pop. Antioch.* & August. sermone. 83. de diuers. *Post orationem*, inquit, *Dominicam, quã accepistis, & reddidistis dicitur, Pax vobiscum, & osculãtur se inuicem Christiani, in osculo sancto, quod est signũ pacis (si quod ostendunt labia fiat in conscientia) idest, quomodo labia tua ad labia fratris tui accedunt; sic cor tuum à corde illius non recedat.* Hucusque Augustin', cui cõcordat Isidorus *de diuinis officijs cap. 15.* ne autẽ quis existimet istas exosculationes pmiscuè fieri esse solitas, vt viri fœminas, fœminę viros, si indistinctè se mutuò infixo osculo salutarẽt.

(Dionys. Iustin. Tertul. Cyrill. Chrysost. August. Isidorus)

21 At vtente & fruente Ecclesia hoc tam insigni symbolo pacis, verè columbino, nõ ficto, nõ subdolo, sine malitia vlla, aut fraude, vt nihil sanctũ reperiatur, quod Diaboli versutia, & hominum iniquitas nõ temerauerit, fraus, dolus aut aliqualis libido obrepere cœpit inter osculantes viros, aut fœminas, etiam temporib' illis antiquis, q Origenes insinuauit super Epistolã ad Roman. capit. 16. in hæc verba: *Mos in Ecclesia traditus est, vt post orationes osculo se inuicem suscipiant fratres, hoc autem osculum sanctum appellat Apostolus, quo nomine illud docet. Primum vt casta sint oscula, quæ in Ecclesijs dantur; deinde vt simulata non sint, sicut fuerunt Iudæ. Osculum verò fidele primò castum sit, deinde pacem in se, simplicitatemque habeat in charitate non ficta:* & Athenagoras in oratione ad Christianos. *Tam accuratè temperare osculum, seu potius adorationem salutationis*

(Origenes. Athenag.)

tationis oportet, ne si quomodo pauxillum mens polluta fuerit, ab aeterna vos vita proscribat verbum. Clemens Alexandrinus lib. 3. pedagogi post execratum quendam prauum vsum sic ait: *Dilectio autem non in osculo censetur, sed in beneuolentia, illi autem nihil aliud osculo, quàm Ecclesias conturbant, cum ipsam intus non habeant amicitiam, etenim in hoc turpem mouit suspicionem & maledicentiam, quod impudenter osculo vterentur, quod esse oportebat mysticum; id sanctum vocauit Apostolus, regno digne gustato, ore modesto & clauso beneuolentiam animi ostendamus, per quod maximè se exerit mansuetudo morum; est aliud quoque osculum incestum veneno plenum, sanctitatem simulans. An nescitis quod etiam phalangia si ore tantum tangant graues dolores hominibus afferunt?* Haec ille.

Ex quibus apertè colligitur, iam illis temporibus osculum aliàs sanctum in suspicionem malitiae incoepisse venire: qua malitia crescente, & numero Christianorum, ne osculi sancti occasione fastidium generaretur, & scandalum; sublatus est omninò huiuscemodi osculi vsus, & loco illius in plurimis Ecclesijs alter laudabiliter subrogatus est, osculandi scilicet tabellam Christi imaginé, aut sanctorum reliquias continentem; quam exosculandam à fidelibus per totam Ecclesiam ministri discurrentes porrigunt, simul distribuentes panem benedictum singulis diebus Dominicis, vt existimo, in memoriam frequentis sumptionis Eucharistiae, quae ob teporem deuotionis modo frigescentis raro fit. Huius panis benedicti antiquitas & causa eius porrectionis antiquissima est, vt patet ex Patribus Historiographis, & sacris Canonibus, quae diligenter colligit Durantius *lib. 2. de ritibus Ecclesiae cap. vlti.* Quare non deberent parochi ab hac tã antiqua & laudabili consuetudine cessare, & eius vtilitates ac motiua exponere, vt ad deuotionem excitarentur. Haec satis sint de amicitiae & pacis osculo.

Durant.

22 ¶ Superest, vt de reuerentiae & adorationis osculo, quod praesentis instituti est, nonihil dicamus, aduertẽtes osculis ab antiquissimis temporibus solere significari affectum & recognitioné summissionis, reuerentiae aut gratitudinis: quod ad adorationé externam pertinere ex definitione à nobis allata de adoratione clarũ est: fuisseque in vsu vetustissimo, & ferè cum ipsa natura ortum huiuscemodi adorãdi modũ testantur sacri autores, & ꝓfani. Cicero in oratione 5. cõtra Verrem ait: *Agrigenti quod oppidum est in Sicilia aeneum fuisse Herculis simulacrum, quod os atq; mentum detrita haberet, propter frequentiam, scilicet eorum, qui eò venerationis gratia osculaturi accederent.* Et Prudentius cum cultus & adorationis rationem describeret, quo àntiqui Solem prosequebantur, inter caetera dixit, *Eos equis quoq; qui Solis currum traherent, pedes fuisse osculatos.* Et de manuum osculatione multa statim. Hunc autem adorandi modum per oscula frequentiorem fuisse apud Hebraeos patet ex multis sacrae Scripturae locis. Esther. 5. Regina osculando summitatem sceptri Regis Assueri Regem adorauit. Et Sunamitis similiter apprehendit pedes Elisei, nimirum eos osculatura in reuerentiae signum, quarti *Regum* 4. & Rex Nabuchodonosor perterritus sapientia Danielis recidit in faciem suam, osculaturus, nẽpe eius pedes. *Danielis.2.* Eandem adorationem praestitisse Alexandrum Magnum, Iaddo Sacerdoti Magno Hebraeorum, narrat Ioseph.⁹ *lib.11.c.18.* & *Luc.7.* de Magdalena, & *8. de Iairo, Actorum, 10. de Cornelio.*

Cicero.

Esther. 5.
4. Reg. 4.
Daniel. 2.
Ioseph.
Actor. 1[illegible]

Denique oscula ad Religionem & adorationem maximè apud Hebraeos pertinere vel ex eo colligere licet, quod verbum osculandi Hebrẽũ, *Nasak* ad adorationem refertur saepissimè: Psal. 2: vbi vulgata habet, *Apprehendite disciplinam*; ponitur verbum praefatũ *Nasak*, quo ꝓmiscuè vtuntur Hebraei pro osculari & adorare, Hieronym⁹ vertit, *Adorate pure*, quam versionem defendit in Apologia contra Rufinum. Septuaginta & alij, *osculamini filium*, in quo fit allusio ad veterem adorandi modum per oscula, vt Hieronymus adnotauit. Et Oseae 13. vbi nos legimus, *Vitulos adorant*, Pagninus, Regia, Tigurina, legunt, *Osculãtur vitulos*. Et Hieronymus ait; sic vertisse Aquilam. & Genesis. 41. illud quod Pharao de Iosepho dixit, *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet*, legit Regia, *Super os tuum osculabitur omnes populus*, & Vatablus, *Os tuum osculabitur omnis populus.* Hoc nempè signo, te illorum esse Dominum ostẽdentes. Ecce nõ solum apud Hebraeos, verum apud Aegyptios, qui se omnium antiquissimos iactabant, mos erat osculis summissionem, ac reuerentiam erga aliquem profiteri, quod ad adorationem pertinere certo certius est.

Osea.
Genes. 4[illegible]

Praecipuè autem huiuscemodi adorationis modus in osculo manuum exercebatur, vt patet *tertij Regum. 19. Iob. 31.* & Apuleo Apologia. 1. & *lib. 4. de asino aureo*, Minutio *in Octauio*, & ex Plinio centadis. Et vt reor in osculo manuum non qualiscunque summissionis, aut reuerentiae affectus ostẽdebatur, sed omnis qui haberi solet erga benefactores: osculatio namque summissionem & reuerentiam significat, & cum manus instrumentum & symbolum sit beneficiorum collatorum, osculari alicuius manum est se illi summittere, ipsum reuereri, atque adeò adorare vt benefactorem, à quo plura accepimus beneficia, & ideò consuetudo veterum fuit Imperatorum ac Regum osculari manus. Vnde apud Hispanos maximè haec loquendi forma ad gratias agẽdas frequẽtior plus nimio est, & inde ad Italos quoque dimanauit, & Autor est Pierius Valerianus *lib. 35.* Aduersus hanc Hispanorum formam loquendi, quidam habens eos exosos versibus latinis lusit, quorum aliquot referam.

23
3. Reg. 1[illegible]
Iob. 31.
Apuleio
Minutiu[illegible]
Pierius.

24

Quod cupis, & rogitas te noscere, Beso las manos,
Quid sit velle quidem, qua sit reuerentia verbo,
Tanta, & quàm varium cunctos ducatur in vsum
Hispanos inter, quibus hoc in tempore seruit,
Ad quaecunq; volunt, dum inter versantur amicos?
Accipe, sum paucis tibi respondere paratus.
Omnia nam, quaecunque velis, aut plurima saltem,
Vel quae testantur mentem gratam, atq; benignam,
Officiumq; animi promptum simul esse memento.

Ex hac adoratione per oscula manus Regum, ac illustrium personarum dimanauit alia adorandi

randi ratio non multum dissimilis à modo relata. Obtinuit vsus, vt ipsi adoratores sui ipsorum osculantes manum, Deos aut excellentes homines adorarēt, cuius rei Profani scriptores meminêre, & Plin. inquit, lib. 18. c. 2. *Inter adorandū, dexteram ad osculum referimus, & totū corpus circumagimus, nam eminus stantes manum versus eum, quem adorabant, porrigebant, eamq; statim reuerenter referebāt ad osculum.* Tacit. li. 16. de Ner. *Postremò, genu flexus, & cœtum illum manu veneratus, &c.* Suetoni⁹ in Claudio. *Eosdē spectacula edentes, surgens, & ipse cū cætera turba voce ac manu veneratus est.* Et vsque ad nostra tempora hic vsus salutationis & adorationis perseuerat, dum salutantes alios, nostras osculamur manus. Iste etiā adorandi modus, erga Deos aut sacra vsitatissimus fuit. Minutius in Octauio sic ait: *Cecilius Serapidis simulachro viso, vt vulgus superstitiosum solet, manum ori admouens osculum labijs impressit.*

Plinius. *Tacitus.* *Sueton.*

Et hoc est, quod sanctus Iob. c. 31. Soli ac Lunæ se fecisse negat sicut adorabāt Gentiles Idolatræ, & tertij Regum. 19. ait Dominus: *Relinquā mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua nō sunt incuruata ante Baal, & omne os, quod non adorauit eum osculans manum* (explicat modum adorādi Baal) & Psal. 124. *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extēdant iusti ad iniquitatem manus suas.* Explicat Caietanus, *Non requiescet dominatus idolatrarum super filios Israel, vt iusti non se dedant idolatriæ, quod fiebat per extensionem manuum erga idola, deinde contrahentes & osculātes:* & Tertulianus fideles de oriente Sole reprehendit dicens: *Plerique vestrum affectione adorandi ad ortum solis labia vibratis:* & Hieronymus in Apologia in Rufinum eiusdem vsus meminit, q & perseuerauit ad nostra vsq; tempora apud Indos Occidētales ab Hispanis debellatos, qui Solem & Stellas, ac cæteros deos falsos, & eorum idola adorabant, aperientes manus, & labijs certum edendo sonitum ad modum osculantum. Ita refert Ioseph⁹ Acosta in historia Indorum, lib. 5. cap. 4. quinimo vt autor est Lucianus in encomijs antiquitus pauperes, quibus victimarum nō erat copia, per oscula manuum coram idolis sacrificijs putabantur satisfecisse:

Iob. 31. *3. Reg. 19.* *Tertul.* *Hierony.* *Acosta.* *Lucian.*

25 *Sed rogabit quispiam*, Esto osculatio manuum eorum, qui adorantur, adoratio sit, tamē cum adoratio ad altum sit, non apparet, quare osculari manum ppriam ipsiusmet adorantis ad adorationem pertineat? Hortibonus in Laertij notis hāc exosculationem ppriæ manus ad quandā silentij venerationem, qua De⁹ colitur, refert, iuxta illud. *Te decet hymnus Deus in Sion*, alia lectio habet, *ibi silentiū laus.* Sed nō videtur satisfacere dubitationi: etenim nō per manus ppriæ osculationē, indicebatur silentium, sed p admotionē duorum digitorum ad cōprimenda labia, iuxta illud, *Digito cōpesce labellum:* quare aliter respondendum cēseo, scilicet sæpè cōtingere res adorādas esse absētes, aut emin⁹ stare sicut Solem & Lunam, atq; adeò esse impossibile istarum rerum aliquid osculari, aliquando verò etiam si res adorandæ ppè sint, tamen adoratores reuerentia ducti verebantur eorum vestes, nedum manus osculari, ideò vt ostenderent animum pròptū adorandi, simul & tremorē tangendi, pfanè Deos vel principes suas ipsorum man⁹ deosculantur, vice earū adorationum & osculationum, quas vel nequeunt facere propter distantiam eorum, vel non audent propter reuerentiam.

Hortibo.

Ex his ni fallor explanabis locum *Ezechielis c.* 8. vbi inter alias idolatrias refert quandā exerceri à Iudæis applicando ramos ad nares suas, nō enim apparet pertinere ad idolatriā adorare ramos benè olentes. *Respondetur* tamen omissis alijs expositionibus. Offerre dijs fasciculos ramorum bene olentium ad idolatriam pertinet, Iudæi autem illi de quib⁹ loquebatur Propheta dediti adorationi Solis, cum pter distantiam nō poterāt ramos aut flores suaue olētes Soli admouere, aut ad nares simulacri eius p reuerentia nō auderent applicare, ipsi adorabant ramos vice Solis, & ideò non minus idolatrare censebantur, quàm si ramusculis illis ipsos Deos falsos, aut eorum simulacrorum nares tangerent. *Ezech. 8.*

Ex omnibus dictis in hoc discursu colligimus, osculari quēpiam ad adoratione pertinere: similiter esse adorandi genus osculari sanctorum ossa, ac reliquias, vestes sacras, calices, Sacerdotū manus, Summi Pontificis pedes, & ad adorationē religiosam pertinuisse olim, & modo etiam in Ecclesia Christi obseruari. Qui plura cupit de adorationis osculo videre, legat Celium Rodigium de diuersis adorandi generibus, ac ritibus sparsim in multis locis & Claudium de Sancteis, *repetitione. 9, de Eucharistia, cap. 7.* Iacobum Durantium *de ritibus Ecclesiæ lib. 1. c. 3.* De prisco autē osculandi vsu videndus est Iustus Lipsius *2. electorū c. 6.* Muretus *lib. 10. variarum, c. 10.* Pitheus. 10. *aduersariorum, cap. 7.* 26

Rodigi. *Claudius. Sanct.* *Durant.* *Lipsius.* *Muretus.* *Pitheus.*

De pectoris tunsione.

PEctoris tunsio ritus est satis celebris apud Christianos, & animi supplicis & petentis veniam à Deo non ignobile indicium: vnde à Christianis fuit in vsu frequētissimo, præcipuè quotiescunque vox, *confiteor*, proferretur, pectus tundere, vt animaduertit Agustinus sermone. 8: de verbis Domini apud Matthæum, & quoties in oratione Dominica dicitur: *Dimitte nobis debita nostra*, vt autor est idem Augustinus *sermone 10. in 50. homilias.* Originem huius ritus non inuenio apud Ethnicos nec mirum, nam signum est animi agnoscentis peccata, & credentis, ac petentis remissionem peccatorum per cordis contritionem, quæ agnitio & fides Ethnicis defuit. Nec huic obstat Plutarchus, qui in vita Antonij narrat Cleopatram post victum à Cæsare Antonium validis ictibus pectus tutudisse, egit non vt petens, aut sperans veniam peccatorum, sed vt desperans de vita & fortunis ad eum modum, quo huiusmodi solent caput suum parietibus illidere. 27

August. *Plutarch.*

Fuit ergo pectoris tunsio cæremonia Iudæorum, vt constat Lucæ 18. de Publicano percutiente pectus suum, & dicente: *Deus propitius esto mihi peccatori*, & Lucæ 23. aliqui qui astiterunt Cruci Christi in die Parasceues, reuertebantur per- 28

Luca. 18. & 23.

percutientes pectora sua. Et exemplo publicani à Christo laudati, postea Christiani hoc ritu in suis precationibus vsi sunt, cuius meminit Tertul. lib. 7. aduersus Marcionem cap. 18. Cy- *Tertulia.* prianus de oratione Dominica, de Publicano, *Cypria.* inquit, *Percutiebat pectus, & peccata intus inclusa, quasi ea exclusurus.* Gregor. Nazia. oratione 15. in plagam grandinis, & D. Hieronymus in vita Hyla- *Nazian.* rionis ait: pectus pugnis percutiebat, quasi cogi- *Hierony.* tationes cæde manus posset excludere: & idem Hieronymus grandi silice solebat ferire pectus. D. Augustinus, enarratione secunda in Psalm. 31. & super Psalm. 146. *Tu dirige cor tuum: non potes: tu frange, ille dirigat: quomodo tamen franges? quomodo tamen conteres? confitendo, puniendo peccata tua: quid aliud significat pectorum tunsio, nisi forte putamus ossa nostra peccasse aliquid cum cadimus, & tundimus pectus? sed significamus nos cor conterere, vt a Domino dirigatur.* Maximus Taurinensis Episcopus, homil. *Taurin.* 13. de Quadragesima: *recte contundes manibus pectus, si omnem inde furorem malignæ voluntatis excusseris.* Nicolaus primus in responsis ad consulta *Nicolaus.* Bulgarorum, cap. 54. *hinc etiam pectus percutimus, signantes videlicet quod nequiter egimus displicere nobis, ac ideò antequam Deus feriat, id nos in nobis ipsis ferire, & antequam vltio extrema veniat.* Et hæc satis sint de diuersis adorandi generibus famosioribus, nam plura persequi minutatim non libet.

Cæteræ dubitationes ad adorationem respectiuam imaginum spectantes, in tertia parte loco citato commodius differuntur, & inferius quæstione 122. articulo tertio disputabitur de adorationis præcepto.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm adoratio requirat determinatum locum?

Conclusio.

DETERMINATIO loci non requiritur ad adorationem principaliter, quasi sit de necessitate ipsius, sed secundum quandam decentiam, sicut & alia corporalia signa. *Prima pars prob.* quia id quod est in oratione principalius, interior deuotio mentis est, vt superius articulo præcedenti dictũ est. Sed mens interius apprehendit Deum, quasi non comprehensum loco: ergo neque adoratio quantum ad id quod principale est, requirit determinatum locum. *Secunda pars probatur*, quia corporalia signa necesse est quod in determinato loco & situ fiant: ergo vt decentius fiant requiritur determinatus locus.

Circa D. Thomæ literam *aduertendum*, cum videri sermonem facere de adoratione externa, quæ veluti componitur ex actu deuotionis, idest electionis voluntatis volentis Deum colere externè, & ex ipso exteriori signo adorationis, verbi gratia, genuflexione, aut pectoris percussione, vel quopiam simili: & ait ad primum, quod principalius est, nullo modo requiri determinatum locum; & ad secundum dicit, quod minus principale est absolutè non requiri, & cum seipsum citet in præcedenti articulo, fortasse nomine adorationis internæ intellexit hic atque illic electionem illam cultus externi, quam diximus esse omnis cultus fontem: & quidam sic interpretantur D. Thomam. Cæterum quidquid sit de D. Thomæ interpretatione circa adorationem internam, hæc conclusio etiam intelligenda & adaptanda est adorationi internæ, & externæ, quas diximus posse seorsum comperi, & consummari. Itaque adoratio interna nullo modo requirit determinatum locum: externa verò tantum quoad decentiam, idest, quod decentius in aliquo loco determinato fit. Quis sit autem iste locus statim dicemus.

DISPVTATIO I.

An conclusio D. Thom. sit vera?

HVius articuli dubitatio iampridem à muliere Samaritana Christo Domino proposita est, *Ioannis* 4. Cui quia Dominus aliquantulum subobscurè *Ioan. 4.* respondit, nos claritatis gratia respondebimus per sequentes assertiones: præmissa tamen distinctione orationis, & adorationis (nã quoad hoc pari passu procedunt) in priuatam & publicam. *Priuata est*, quæ internè vel externè fit ab orante vel adorante proprio nomine, vt persona peculiaris est. *Publica* autem, quæ exteriori signo fit à ministro Ecclesiæ totius populi fidelis nomine: & hæc subdiuiditur in solemnem ex necessitate, quales sũt orationes & ritus, qui ex Ecclesiæ præscripto sacrificijs maximè Eucharistiæ adiungũtur: & in eam, quæ non necessario solemniter exercetur vt recitatio horarum Canonicarum, quæ aliquando in Ecclesia, aliquando in priuatis domibus recitantur. Hoc supposito

Dico primo. oratio & adoratio priuata siue interi⁹ siue exteri⁹ pficiatur, nõ necessario requirit determinatum locum. Probatur ex illo primæ ad Timot. 2. *Volo viros orare in omni loco leuantes* *1. Ad. Ti.* *puras manus ad Deum, similiter & mulieres.* Primum pertinet ad orationem. Secundum ad externam adorationem, vbi glossa: *In omni loco vbicunque* *Gloss.* *sunt, & non solum in Ecclesia*, & Ecclesia in Missæ præfatione, *Vere dignum & iustum est nos tibi semper & vbiq. gratias agere.* D. Bernar. in meditatione *vbicunque fueris intra temetipsum ora. si longe fueris ab* *Bernard.* *oratorio, nõ quæras locum, quoniam ipse locus es.* Ratio est, quia Deus vbicunq; est, & vbiq; eius præsidio indigemus: ergo vbiq; eius auxilium implorandum est, quod consulunt vitæ spiritualis magistri, maximè si sit sermo de orationibus breuioribus, quas ipsi iaculatas, seu iaculatorias vocant, quæ in omni loco salubriter fundũtur, in domo, in foro, in mensa, in lecto, in latrina, in palatio: sic Hieremiam in cœno, Danielem in lacu, Iob in sterquilinio iacentem, Ionam in ventre ceti, latronem in Cruce pendentem, Ezechiam in lectulo decumbentem, Paulum in carcere Deum deprecatos, & ab eo legimus exauditos. Nec aliquis

quis locus quātumuis fœdus orantibus denegatur, tū quia Deus, qui adoratur, aut oratur, nulla locorū turpitudine fœdari potest: ficut neq; Sol immūdorū locorū pſentia: tum, quia adorantibus, aut orantibus ſi ſapiunt opera naturæ, non debent videri turpia. Vnde de ſancto Gregorio legitur, vt refert Alexander de Ales, quod cū purgaret ventrem & Pſalmum diceret, apparuit ei Diabolus, quærens quid faceret, & reſpondit, *Ventrem meum purgo, & Deum meum laudo*: igitur adorationibus & orationibus priuatis omnis locus decens eſt, etiam infernus ipſe, ſi in eo reperirentur qui orandi affectum haberent.

4 *Dico ſecundo*. Orationes & adorationes quæ ex Eccleſiæ præſcripto peraguntur erga ſacræ Euchariſtiæ ſacrificium, vel alia ſacrificia (ſi quæ ſunt) poſtulant ex neceſſitate determinatum locum: nempè Eccleſiam, vel quod ſuppleat locū Eccleſiæ, videlicet aram. Itaque tales orationes aut adorationes peragere in locis profanis peccatum lethale eſt. *Probatur*, quia ſacrificium exigit locum ſpecialem vſibus tantum ſacris deſtinatum, vt ſequenti quæſtione conſtabit: ergo & orationes & adorationes, quæ ex Eccleſiæ inſtituto ipſum ſacrificium circumſtāt, & concomitantur, eundem locum ſibi neceſſario poſtulant.

5 *Tertio Dico*. Reliquæ orationes & adorationes publicæ, quando in ſolemni pompa peraguntur, aut verò in conuentu & fidelium multorum cōgregatione, non requirunt determinatum locū, ſed vbique fieri poſſunt: niſi loca immunda ſint, & turpia, vt lupanaria, aut latrinæ. *Prima pars patet*, quia proceſſiones vbique locorum celebrantur, Terra, marique, in quibus clerus populuſq; fidelis crebras orationes & litanias fundit, deuotas orationes Deo exhibet. Tales proceſſiones talibuſque ornatas cæremonijs, & precibus inſtituiſſe Gregorium Magnum graſſante Epidimiæ morbo in populo Romano in eius vita legitur. *Secunda pars probatur primò* ex D. Baſilio libro 2. de Baptiſmo, vbi dicit, illud D. Pauli teſtimonium, *Volo viros orare in omni loco*, eſſe intelligendum de locis mundis, & de decentibus: & videtur explicatio Baſilij congrua, & noſtro huic tertio dicto accomodanda: & D. Ambroſius ſuper locum Pauli intelligit, dummodo locus non ſit importunus, aut obſcœnus: & Auguſtinus in libro de aſſiduitate orandi quod ex ijs, quæ ſubdit, *Mulieres ſimiliter in habitu ornato*. Igitur loquebatur Apoſtolus de orationibus, quæ in congregationibus fidelium fundebantur, ad quas mulieres in habitu ornato deberent pergere, nam ad alias, quæ paſſim in domorum ſuarū angulis emittebant, quid opus erat in habitu ornato eas effundere? *Secundo*. Huiuſcemodi orationes, & adorationes, de quibus in hoc dicto vt plurimū à clero & miniſtris Eccleſiæ peraguntur, non ſolū ad Dei miſericordiam implorandam, verum etiam vt illis ſignis externis excitent deuotionem aliquorum de vulgo: ergo vt reuera excitent, & ne deſpectui habeantur ritus illi, oportet vt in locis mundis & decentibus fiant, eò præcipuè, quia vulg⁹ his maximè permouetur. *Tertio*, quia iſti ritus fiunt, & iſtæ orationes fundūtur nomine Eccleſiæ, quæ mundiſſima eſt: ergo in locis fœdis ac turpibus non decet eas peragi.

D. Baſil.

Ambroſi.

Dico quarto. Horæ Canonicæ quando priuatè dicuntur, poſſunt recitari in omni loco, præterquam in locis obſcœnis, ac inhoneſtis, putà in Lupanari, aut latrinis. *Prima pars patet*, qui nullo humano aut diuino iure peculiaris locus prædictæ recitationi deſignatus eſt. Conſultoque dixi quando priuate dicuntur: nam non facimus ſermonē de ijs, qui ex pacto, vel ex ſtipendio vel ratione officij tenentur recitare, aut quomodolibet orare in Eccleſijs: iſtorum namq; orationes vendicant ſibi certū locum, extra quē ſi recitentur peccato obnoxij ſunt, de quò ſuperius latè agētes de obligatione dicendi in choro officiū diuinum. *Secunda pars dicti* probabilis eſt, videlicet recitare horas canonicas in loco turpi, aut obſcœno peccatū eſſe, ſed duntaxat veniale, ſecluſis contemptu aut ſcandalo, quibus admiſſis poterit eſſe mortale. *Et probatur: primò*, ex Ambroſio, Baſilio, Auguſtino citatis. *Secundò*, nam illæ orationes horariæ etiamſi priuatè recitentur, nomine Eccleſiæ recitantur, & à miniſtro Eccleſiæ: ergo ad repræſentandū eiuſdē Eccleſiæ munditiā & candorē, in loco mundo & decēti recitari debēt, alias nōnulla irreuerentia erit, à qua vel leuicula cauſa congruitatis facilè excuſabit: v.g. quia quietius in ſtabulo, quā in diuerſorio pleno tumultibus recitari poteſt, aut quia recitans carcere fœtido detinetur inuitus, aut in locis pedore & nidore plenis demoratur, vt ſæpè captiuis clericis accidere ſolet: & deniq; multæ ſimiles excuſationes afferri poſſunt: maximè, quia pars hæc non eſt omninò certa, cū præfati Sancti poſsint interpretari de orationibus, quæ fiūt à multis fidelib⁹ ad adorandū congregatis, de quorum orationibus Apoſtolū fuiſſe locutum, ſupra cenſuimus. Ex hoc infertur Gerardum Carthuſianum immodicè fuiſſe ſcandalizatum, quando narrat vt facinus horrendum ſe audiuiſſe quendam ſacerdotem recitantem Veſperas in latrina.

6

Gerard.

DISPVTATIO II.

An omnes orationes & adorationes congruentius & fructuoſius fiāt in Eccleſiis, quā in aliis locis?

MAgna caterua Hæreticorum negatiuam partem tenent, omninò reijcientes & execrātes templorum vſum. Primus autor huius hæreſis fuit Euſtachius quidā relatus in Epiſtola Synodali Cōcilij Cangrenſis, ſecuti ſunt eū Meſaliani, qui abominabantur tēpla & altaria, vt refert Dam. *lib. de centū hæreſibus. Hæreſi.* 80. Manichæi obijciebāt Catholicis quod haberent tēpla & Eccleſias iuxta ritū Gentiū, ita Auguſt. *libro* 20. *cōtra Fauſtum cap.* 3. *&* 4. Petrobuſiani, vt dicitur in vita D. Ber. Albigenſes, referente Bernard. Alucemb. Vualdenſes, Vviclephiſtæ, vt ait Thomas Vualdenſis, Thauoritæ, vt refert Ioan. Bund. in compendio, & Æneas Sylu ius *lib.* 4. *de Origine Bohemorum, & Syluius.* multi 1

Damaſc.

Auguſtin.

multi alij Hæretici execrabātur Christianorum tēpla. Demum Lutherani, & Caluinistæ admittunt tēpla, sed duntaxat ad concionandum, & sacramenta ministranda: reprehendunt autem, q̄ fiant tēpla ad orandum, q̄ in honorem Sanctorum, q̄ certis ritibus consecrentur, quod magnis sumptibus ornentur: multa proferunt contra tēplorum vsum, nos aliquot adducemus. Primum desumitur, ex testimonio Ioannis. 4. *venit hora & nunc est*, inquit Dominus, *quando neq; in monte hoc, neq; in Hierosolymis adorabitis Patrem, spiritus est Deus, & qui eum adorant spiritu & veritate oportet adorare.* Ecce Christus exclusit templa Iudæorum & Gentiū ab statu gratiæ, & voluit adorationem non alligari certo loco. Imò & laudauit eos, qui eam non determinant ad certum locum dicens: *Veri adoratores in spiritu & veritate adorabunt*, & concordat glossa, inquiens: *Non in templo, non in monte hoc, sed in templo intimo cordis adorandū est*: & ibidē: *Cū Deus sit spiritus, non corpus, nō aduertit corporeum locū, vel templū in quo scilicet oretur.* Confirmatur, nemini enim potest esse dubium duo pronuntiasse Christum Dñm in præfato testimonio: primùm abrogationem adorationis, tam in monte Samariæ (qui vocatur Garisim) vbi fuisse structum templum permagnificum narrat Iosephus *lib. 11. antiq. cap. 7. & 8.* quā in templo Hierosolymitano. Secundum, egregiam adorationem legis gratiæ stabilisse Christum liberam ab omni loco. Ex quo videtur inferri adorationes in certo loco, etiam in Ecclesijs nō esse melioris conditionis, imò peioris, & pertinere ad traditionē Iudaicam, vel Gentilicam: q̄ objiciebat Faustus hæreticus vbi supra.

Ioan. 4. *Ioseph.*

2 *Secundo* objiciunt illud Matthæi. 7. *Tu autem cū oraueris intra cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito.* Vbi Dominus tradens orandi normam dicit esse fugienda loca publica, & in secreto orandūm: ergo non sunt erigendæ Ecclesiæ, in quibus publicè oretur, quod pertinet ad hypocrisim Iudaicam, vt ibidem dicitur.

Matth. 7.

Tertio objiciunt illud primæ ad Timot. 2. *Volo viros orare in omni loco, similiter & mulieres, &c.* Ecce sine delectu assignatur locus orationis vbique, contra Iudæos, qui locum adorationis dūtaxat esse dicebant templum Hierosolymitanum.

1. Ad Tim. 2.

Quartò in fauorem prædictorum est argumentum. Deus non est magis in tēplo, quā alibi, iuxta illud Actorum 17. *Neq; in manu factis templis habitat, sed Cælum & Terram implet*: Ergo nō est cur magis in Ecclesijs, quàm in quibusuis alijs locis adorari & inuocari possit. *Confirmatur*, Quia Gētilium mores sapit expectare Deum magis propitium in templis, quàm alibi: sic refertur in templo Apollinis virginem sacerdotissam ingressam in locum subterraneum eiusdē templi furijs agitatam dare responsa rogantibus: quia, vt ait *Lucanus lib. 3.* in illis locis erat quædam diuina virtus.

Actor. 17. *Lucanus.*

Quinto, quia templa inanimata nō possunt esse capacia virtutis alicuius spiritualis: at sine aliqua virtute reali vix potest intelligi, quomodo orationes & adorationes in templis exercitæ sint efficaciores, & citius à Deo exaudiantur: ergo id non est asserendum.

Pro hæreticorum confutatione, & veritatis explanatione *praemittendum*, ob quatuor vsus sa- 5
cras ædes à Christianis ædificari. *Primò* ad sacrificandum Deo, & hinc dicuntur templa. *Secundò* ad martyrum reliquias honorificè cōseruandas: & ab hoc vsu tria nomina sortitæ sunt, vocantur enim Basilicæ, memoriæ, aut martyria. *Tertiò* ad pascendum populum fidelē verbo Dei & sacramentis, & hinc dicuntur Ecclesiæ. *Quartò* ad orādum, & hinc dicuntur oratoria.

Nobis autem in præsentia nō est animus conserendi manus cum huiusmodi osoribus, vt de his omnibus vsibus templa esse proficua & laudabilia stabiliamus: sed duntaxat aduersus recentiores hæreticos conuincemus templa laudabiliter, ac piè à Christianis erigi ad orandum, & adorandum: eo quod orationes & adorationes ibi & commodius & vtilius fiunt: siue sit sermo de orationibus publicis, siue de priuatis, siue de mentalibus, siue de vocalibus. *Probatur* primo testimonijs sacræ Scripturæ *tertij Regum. 8. & secundi Paralip. 6.* Salomon affirmat templum factum esse vt sit locus orationis, & postulat à Deo vt vt quicunque ibi orauerit exaudiatur, & *tertij Regum 9.* Deus apparens Salomoni pollicetur, ita futurum, vt ille postulauerat: at si esset superstitiosum orare in templis, potius quam alibi, vt præfati hæretici Catholicis objiciunt, neq; Salomon tam ingentibus expensis templum ad hunc finē ædificasset, neq; Deus approbasset factum eius, vt pote superstitione plenum: ergo, &c. Præterea Esaiæ 56. dicitur. *Domus mea domus orationis vocabitur*, quod approbauit Christus Dominus vtens eo testimonio Matthæi. 21.

3. Reg. 8. *2. Paral. 6.* *3. Reg. 9.* *Esaia. 56.*

4 *Matt. 21.*

Secundo probatur exemplis eorum, qui Domino placuerunt. 1. *Regum.* 1. Anna perrexit ad Dei tabernaculum vt oraret, & exaudita est, & *secundi Regum 7.* id fecit Dauid, & *Danielis. 6.* quia nō poterat templum proficisci, saltem apertis fenestris orabat versus Hierosolymitanum templum, & Lucæ. 2. *Anna non discedebat à templo ieiunijs, & obsecrationibus vacans die ac nocte*, & nisi orationes sciret plus Deo placere in templo, domi suæ mānsisset oratura, Actorum. 3. *Petrus & Ioannes ascendebāt in templum ad horam orationis nonam.* Præterea probatur testimonio antiquorum patrum. Origenes *homilia. 2. in Exod.* Ecclesias Christianorum vocat domos orationis, Tertulianus *in Apologetico cap. 19. idem sentit*, Eusebius *lib. 2. historiæ cap. 17.* Chrysosto. homilia. 30. contra Anomeos, *orare*, inquiunt, *vel domi possumus, te homo decipis, & magno in errore versaris, nam etsi domi datur quoque orandi facultas, tamen fieri non potest, vt domi tam benè ores, quàm in Ecclesia.* Id repetit homil. 79. ad populum vidēdi sunt Basilius lib. 2. de Baptismo, quæst. 8. & in quæstionibus fusè explicatis quęst. 40. Hieronymus in epitaphio Marcellæ.

1. Reg. 1. *2. Reg. 7.* *Daniel. 6.* *Luc. 2.* *Act. 3.* *Origen.* *Tertul.* *Euseb.* *Chrys.* *Basil.* *Hieron.*

Quod si cupis huius maioris vtilitatis & cō-
moditatis causas scire, tres assignat D. Thom. in 5
artic. 3. *Prima* propter loci consecrationē, ex qua spiritualem deuotionem recipiunt orantes, vt magis exaudiantur: de qua causa statim latius dicemus. *Secunda* causa propter sacra mysteria, & alia sanctitatis signa, quæ in Ecclesijs continen-

tur, &

tur, & ad deuotionem excitant ibidem orantes: huiusmodi sunt altaria, cruces, imagines, reliquię sanctorum, Ecclesiarum structura, ornatus, mũdicies, & super omnia corporalis præsentia Christi Domini in Eucharistia, quàm multos affectus bonos excitare, multa bona largiri quis dubitat? Ad hæc facit Angelorum præsentia in templis, qui excitant negligentes, adiuuant deuotos, fugant Dæmones, ac denique nostras orationes ad
Iosephus. Deũ deferunt. Iosephus *lib. 6. de bello Iudaico ca. 12.* ait, auditã fuisse in templo Hierosolymitano vocem Angelorum, qui prius tẽplo aderant, *Abeamus ex his sedibus*, idq; confirmat Hieron. *cap. 52.*
Hieron. *Esaiæ. c. 11. & Ezech. Epistol. 17.* Quod si in illo tẽplo tanta erat Angelorum frequentia, citra dubium multo maior est in nostris, q̃ sacratiora sunt, & maximè propter Christi Domini præsentiam corporalem, cui vt suo principi Angelorũ millia assistere nõ est fas dubitare. Benè Chrysost. ho-
Chrysost. milia. 36. in primam Epistolam ad Corinthios. *Vbi est Christus*, inquit, *in Eucharistia, ibi etiam non deest Angelorum frequentia, vbi autem est talis Rex & tales principes, ibi est cœleste palatium, imò & cœlũ ipsũ.*

Tertia causa est, propter multorum concursum in Ecclesijs adorantium: vel quia ad inuicẽ ad deuotionem magis excitantur, & acuuntur
Colos. 3. fideles, iuxta illud ad Colossenses. 3. *Commonentes vosmetipsos in Psalmis, hymnis & canticis spiritualibus.* Vel quia ex promissione Christi Domini facili⁹ exaudiuntur hi, qui ad orandum in Ecclesia
Matt. 18. congregantur, iuxta illud Matthæi. 18. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo* (idest,) *inuocantes nomen meum, ibi sum in medio eorum*, idest, præsto
6 adsum eos exauditurus. Qui sensus videtur colligi ex verbis paulo ante præmissis. *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quam petierint, fiet illis à patre meo.* Sic interpretantur hunc locum Lyranus, & alij, & D. Thomas in hoc articulo
Lyranus. solutione ad secundum.

Sed vtrum iste sensus de exauditione orationis effusæ à cœtu fidelium sit litteralis, an alter de assistentia Dei in Concilijs ritè congregatis, an vterq;? difficile scitu est, & modo non definio, sed tantum confirmo præfatam tertiam causam: quæ amplius confirmatur, eò q̃ cum in Ecclesijs conueniunt cœtus fidelium, & supplicant Deo, cum quasi manu facta precationibus ambiunt orantes, vt illi quasi vim inferant. Grata est hæc vis Deo, vt ait Tertulianus in Apologetico
Tertul. cap. 19. *Et quod singulis petentibus fortè fuerat negaturus, multorum vnanimitati precantium se retribuit, fieri namq; Ecclesiæ contemplatione*, ait Ambrosi⁹, lib.
Ambros. 5. in Lucam, *vt quod alicui Dominus negare posset, ignoscat, vt certum sit maiori cum fructu Deo supplicari in Ecclesia, quàm quouis alio loco.* Luculenter Chrys. *homilia. 29. ad populum, & tertia de incomprehensibili Dei natura*, Basilius *lib. 2. de Baptismo capit. 8. &*
Basil. *q. 40. ex fusius disp.* Origenes *homil. 7. in Iosue.*
Origenes.

Superest respondere ad argumenta Hæreticorum, & primò an testimonium difficile D.
7 Ioannis, quod adducitur ab hæreticis, non solùm vt probent nihil referre, quod orationes & adorationes in Ecclesia fundantur, verùm vt improbent talem orandi ritũ, imò omnes externos Ecclesiæ ritus, & ideò pressius examinandũ est.

Euthymius *super hunc locum*, ait, ꝓpterea Christum Dominum dixisse, neque Hierosolymis, neque in monte hoc adorabitis, nõ quia voluerit illa loca non esse orationis, sed prædicens vastationem futuram vtriusque templi, scilicet, Hierosolymitani, & etiam fundati in monte Garisim: ipsis autem templis vastatis neq; ibi adorationẽ esse futuram clarum est. Hæc expositio, si vera esset partim soluit difficultatem, sed non plenè, quia non explicat, quid sit adoratio in spiritu, q̃ cõmendatur à Christo Domino. Præterea, quia in textu sacro dicitur, *Venuet hora, & nunc est, &c.* Quæ verba nequeunt adaptari ruinæ illorum templorum, quæ multos post annos facta est. 1. Exposit. Euthym.

Secunda expositio est D. Athanas. q. 70. ad Antiochum, illa verba, *Veri adoratores adorabunt in spiritu & veritate*, non refert ad omnes fideles legis gratiæ, sed tantum ad quosdam solitariè viuentes citra congregationem Ecclesiæ. *Sed neque hæc placet*: quia quis neget Apostolos adorasse in spiritu & veritate, & multos alios viros sanctos, qui tamẽ nõ in speluncis, aut solitudine morabãtur? Omitto modò eas quæstiones ad Antiochum in suspicionem venisse non esse Athanasij, sed ei tributas, vt supposititios partus. 2. Exposit. D. Athan.

Tertia expositio germanior est, Christum Dñm eo testimonio non abrogasse adorationem in mõte Samariæ, aut in templo Hierosolymitano ratione loci, quasi prohbuerit loca, sed ratione modi. Sensus est tempore legis gratiæ neminem adoraturum Deum in Hierusalem, vel in monte Garisim: id enim falsum esse apparet ex eo, quod post ista prolata verba dixit Dominus, *Domus mea domus adorationis vocabitur*: & de Petro & Ioanne etiam post acceptum Spiritum sanctum dicitur, Actorum 3. ascendisse in templum ad horam orationis nonam: & credibile est de Christo Dño qui sæpè circumibat regiones Samariæ ascendisse montem illum vt oraret, maximè quia ipse sæpè ascendebat montes vt oraret: ita narrat sacra Scriptura: & modo viri deuoti qui proficiscuntur terram sanctã visuri, & visitaturi loca sacra adorant Deum in Hierusalem in monte Garisim, & multis alijs eiusdẽ terræ locis: prohibetur igitur modus orandi vtrobique seruatus non locus adorationis. 3. Exposit.

8 *Sed quis est iste modus omittendus?* adorare ritu illo Iudaico, quo adorabatur Deus in templo Hierosolymitano. Modus autem adorandi ritu Samaritanorum pertinebat ad falsitatem Deorum, vel quia credebant Deum Israel, quem adorabant, esse tantum Deum Palestinæ, vt interpretatur Chrysost. Theophil. Euthym. cui fit allusio. 4. *Regum.* 17. quando Rex Assyriorum dixit, illuc vnum de sacerdotibus, quos inde captiuos adduxistis, vt doceant eos legitima Dei terræ: vel quia existimabant Deum esse corporeum, vt interpretantur D. Thomas & Lyranus super hunc locum. Modus autem & ritus adorandi Deũ in Hierusalem pertinebat ad adorationem veri Dei, sed adorationibus & sacrificijs vmbraticis, & figuratiuis, qui antiquandus erat aduẽtu 4. Reg. 17 D. Thom. Lyranus.

Messiæ, cessantibus figuris & vmbris illius legis. Isti ergo modi adorādi reijciuntur à Christo Domino, nec seruādi in lege gratiæ. Nec hæc interpretatio inani nititur fundamento, sed firmo: nā cōtrouersia agitata inter Iudæos, & Samaritanos, nō erat de quibuscunq; orationibus, & adorationibus, quas priuatè fieri extra mōtem Garisim, & tēplum nulli dubium erat, sed de orationibus, & precibus solēnibus, quæ simul cum sacrificijs fiebant, quas non debere fieri, nisi in tēplo Hierosolymitano Iudæi asseuerabāt, Samaritani verò id etiam licere in templo sito in monte Samariæ dicebant, & vtrisq; occurrit Dominus dicens, vtrosq; ritus adorandi esse ad rogandos & nouum quēdam seruandū in lege gratiæ.

Ex his etiam colliges, non esse inanem interpretationē aliam, quòd ibi accipitur *adorare*, pro *sacrificare*. Ita Chrysost. Cyrillus, Euthym. super hūc locum & cap. 12. Ioannis: *Gentiles ascenderunt, vt adorarent*, & Actorū 8. *Eunuchus venit adorare &c.* & Genes. 22. *Postquam adorauerimus*, idest, obtulerimus sacrificium. Modus autē adorationis quē Seruator noster stabilit, futuris toto nouæ legis tempore, est *in spiritu & veritate*. In quibus modis explicandis non modica diuersitas est inter Catholicos Doctores: sed quia nullus ipsorū Lutheranis fauet, solū adducā eas interpretationes, quæ cōmunius approbātur & textui sacro magis cōueniūt. *Chrysost. Euthym. Cyril.*

10 *Origenes.* Sit prima Origenis *lib. 1. periarchon, c. 1. & lib. 6. contra Celsum*, adorare in spiritu, esse adorare, nō præcipuè in corporalibus ritibus, neq; etiam sacrificijs vmbraticis & figuratiuis, sicut Iudæi faciebant, sed in operibus, quæ ab Spiritu sancto, vel eius gratia proficiscebantur, nō vt figura, sed vt veritas figurarū antiquarum. Itaq; iuxta hanc expositionē, vtraq; particula scilicet *in spiritu & veritate* contraponitur adorationi Iudæorū, prima corporalibus sacrificijs tantum, secunda figuris: nā ritum adorandi Samaritanorum satis repulit Christus Dominus, dicens Samaritanæ. *Vos adoratis, quod nescitis.* Eadem est expositio Chrysostomi, & Euthymij. Secūda expositio, vt primo verbo, idest, *in spiritu* voluerit Dominus excludere ritum adorandi Iudæorum, qui consistebat in corporalibus sacrificijs vmbraticis, & figuratiuis, & per secundum verbum voluerit repellere ritū adorandi Samaritanorū, & consequenter omnium Gentilium, qui pertinebat ad falsa dogmata Deorū adoratorū, itaq; Iudaicus ritus relinquēdus erat propter figuras: Samarianicus propter errorem & falsitatē: ita Cyrillus *lib. 2. c. 93.* Ambrosius *lib. 3 de spiritu sancto c. 12.* Hyllarius *lib. 2. de Trinitate.* *Cyrill. Ambros. Hyllar.*

11 Sed adhuc instat hæreticus. Si in spiritu est facienda adoratio: ergo ablegandus est omnis alius locus, siue per spiritum intelligas ipsam Spiritus sancti personam, siue eius gratiam. *Secundo.* Omnis externa adoratio & corporalis abijcitur, nā spiritus corpori opponitur. *Ad primā* replicam iā responsum est, nō esse intelligendū, locū esse repulsum, sed ritum. *Secundo* respōdetur. Nec adorationē solemnē esse tempore gratiæ restringēdam ad Hierosolymitanum tēplum, aut ad mōtem Garisim, sicut olim fiebat, sed vbiq; terrarū extruuntur templa, non vt figura futuri, vt Iudęi, sed vt locus aptissimus multis vsibus, specialiter orationū: neque etiam habemus templum vt Samaritani ad adorandum falsum Deum, sed verū, sine erroris existimatione. *Ad secundam* replicā respondetur. Hæreticos decipi, putantes spiritum accipi vt absolute opponitur corpori, & adorationem in spiritu esse tantùm mere actum spiritualem: falluntur maximè, alias quando Paulus flectebat genua orans *ad Ephesios* 3. nō adorabat in spiritu, nec Petrus, *Actorū.* 8. nec Christus Dominus in horto. Igitur adorare in spiritu opponitur huic, quod est adorare quibusdā orationibus, & sacrificijs corporalibus, quæ erant figuræ futurorum: & hæc adoratio dicitur fieri in spiritu, idest, non in vmbraticis, figuratiuis & corporalibus adorationibus, sed operibus ab interna Spiritus sancti gratia proficiscentibus. *Ephes. 3. Actor. 3.*

Ex quo inferuntur duo. *Primum est*, adorationes, & orationes externas si à deuotione & cultu interno emanent, vel ad eam augēdam ordinentur, esse adorationes in spiritu, ita D. Thom. articulo præcedenti ad primum. *Secundum* est multos Iudæorum in spiritu, & veritate sæpè adorasse sanctos, nempè viros illius legis, quorum adorationibus non opponimus adorationes nouæ legis, nisi tantum ea parte, qua ipsi adorabāt Christum venturum, nos verò iam præsentem. Omitto modo, quia vt sæpè monet D. August. istæ adorationes Patrum veteris legis ex amore & dilectione emanantes potius pertinebant ad statum legis gratiæ, quam legis veteris. 12 *D. Thom.*

Testimonium allatum in secunda obiectione variè interpretantur antiqui patres, D. Ambrosius *lib.* 1. de Caim *cap.* 9. & Hieronym. *in c. 6. Matthæi*, August. *lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 6.* per cubiculum intelligunt secretum cordis, per ostiū carnalē sensum: iuxta istorum interpretationes, nihil contra nostrum assertum, quia neque approbatur, nec reprobatur orationis locus, sed tantū docemur, quomodo interius nos gerere debeamus orantes. At verò quoniam istæ interpretationes ad sensum mysticum videntur pertinere: aliter respondetur, videlicet nomine cubiculi non intelligi tantū cubiculum materiale, cum Apostolus dicat: *Volo viros orare in omni loco*, & Christus Dominus legitur sæpè orasse in montibus, in cubiculo autem orasse, non lego, igitur in præfato testimonio suadetur infirmis vitare occasionem inanis gloriæ in oratione: nā perfectis dicitur, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* 13 *Ambros. Hieron. August.*

Quando ergo oramus priuatè, si non timemus inanis gloriæ impulsum, nō displicet Deo oratio publica in Ecclesia: si verò timemus inanis gloriæ affectum, in secreto orare cōsilium est, ne ruamus. Ferè in idem redit, quod pulchre animaduertit Chrysost. super hunc locum *homilia. 8. in primam ad Timotheum, &* Theophilact. *Matth.* 6. Dominus iubet in præfatis verbis nō quærere in oratione inanē gloriā, sicut pharisæi, qui orabāt in angulis platearum, vt viderētur ab hominibus, sed quæramus Deo placere, & ab illo videri: ac proinde quando sic oramus, vt non quæramus humanas laudes, semper in cubiculo oramus: siue alio- *Chrysost. Theophil.*

ue alioqui simus in Ecclesia, siue in montibus, siue etiam in ipsis angulis platearum: quando autem intramus cubiculum ad orandum, & cupimus videri, tūc extra cubiculum orare dicemur, & aperto ostio: igitur in prædicto loco non designatur locus orationis, sed suademur non esse inanis gloriæ cupidi, quin potius si talis effectus impugnet, vitare occasionem, quærendo secretum locum.

14 *Ad tertium respond.* Nos nōn dicimus non esse orandum in omni loco, maximè si sit sermo de oratione priuata, de qua præfatum testimonium interpretantur Ambrosius, Anselmus, Haimon. D. Thomas, & plerique Latinorum: sed asserim⁹ commodius id fieri in Ecclesijs propter rationes superius assignatas. Quod si interpreteris illud testimonium de oratione publica, vt omnes Græci faciunt, & multi Latinorum, tunc testimonium illud pro nobis facit, illud enim *in omni loco* significat in omni loco vbi adorandum publicè conuenitur, idest, in omni Ecclesia.

Ambrosi. Anselm. Haimon. D. Thom.

Ad quartum resp. Deum esse vbiq; per essentiam, præsentiam & potentiam nullus Catholicorum ignorat, & in se nullum modum acquirere pstantiorem in vno quam in alio loco: cæterū in ordine ad nos non dubitant Catholici nouo modo esse in aliquibus locis, & non in alijs. Omitto modo esse in Sacramento Eucharistiæ sacramentaliter & non in alijs locis, in cœlo est nobiliori modo in ordine ad Sanctos beando: vnde dicitur Deo, *Pater noster qui es in cœlis.* Et similiter in templis est promittendo existentibus ibidem maiores fauores: maximè in ordine ad faciliorem exauditionem orationum nostrarum propter rationes iam assignatas: si enim hoc pollicitus est templo Hierosolymitano. *3. Reg. 9. & 2. Paral. 6.* à fortiori nostris templis sacratioribus maiori cum cumulo præstabit.

3. Reg. 9. 2. Para. 6.

15 *Ad Confirmationem resp.* Gentiles putasse suos Deos facilius exaudire in vno loco, quam in alio propter dispositionem loci, & virtutem ibidem existentem, vt ex Lucano citato colligitur; nos verò nihil tale dicimus, vt statim fusius explicabimus.

In quinto argu. insinuatur quædam grauis

DISPVTATIO III.

An habeant orationes in Ecclesia fusæ maiorē efficacitatem ad impetrādū, nō solū ex opere operātis, quod vt certum docuimus, sed etiam ex opere operato?

1 ET videtur vera pars affirmatiua ex D. Th. *3. part. quæst. 83. art. 3. ad tertium*, vbi ait in templis adesse virtutem diuinā ratione consecrationis, per quam diuino cultui apta redduntur: atq; ex consequenti vt orationes sint magis impetratoriæ, in hoc enim earum natura consistit: & inferius *quæst. 84. art. 3. ad secundū*, ait, ex loci consecratione cōcipere orātes, vt magis exaudiantur; sicut patet ex oratione Salomonis *3. Reg. 8.* Quare hanc partem existimo valde pbabilē. Sed quomodo hoc fiat, aut vnde originē ducat, nō est explicatu facile, Caietan⁹ priori loco citato *ex 3. p.* & Sot⁹ *in 4. dist. 13. q. 2. ar. 3.* non formidarūt admittere orationes in tēplis emissas ratione cōsecrationis tēplorū assumi à Deo vt instrumēta physica impetrationis: sed puto hoc impossibile, qa cū impetratio à Deo fieri debeat nō video, quid circa Deū possit operari oratio vt instrumētum physicū, & per actionē physicam.

D. Thom. *3. Reg. 8.*

Quare censeo dicendum orationes, quæ in tēplo fiunt, esse efficaciores, quam in alijs locis fusas, non solùm ex opere operantis, quia mundicies templi, ornatus, & cætera iam commemorata magis excitant, vt feruentius oretur, & consequenter vt efficacior sit impetratio, sed etiam ex opere operato. Itaq; cæteris paribus ex parte orantiū orationes in Ecclesia consecrata emissæ, sunt Deo gratiores, & ad impetrandum efficaciores ratione consecrationis Ecclesiæ, quæ vim quandā, non physicam (vt censet Caietanus) sed moralē, confert ipsis orationibus, vt Deus specialius assistat in Ecclesia ad animos fidelium excitandos ad deuotionē, & ad alia id genus, & quod ad præsens attinet ad exaudiendas fideliū orati- 2
ones: hæc autem vis spiritualis collata est per impetrationem Ecclesiæ, quæ quando Ecclesiam p suos ministros consecrat orationes ad Deū fundit, supplicans vt illis in locis sacratis Deus sit propitius ad exaudiendas orationes, ad excitandos bonos motus deuotionis, pietatis, ac amoris, & similes: has autem supplicationes magnā habere vim ad hoc impetrandum à Deo quis dubitet, cum Ecclesiam suam valdè diligat? Item quia alias frustra adhiberentur illæ orationes nisi possent habere effectū saltē per modū impetrationis, quin imò censeo Apostolos à quorum tēpore vsq; nunc iussio consecrandi Ecclesias promanauit, instituisse vt in consecratione Deus exoraretur, vt magis propitius esset orantibus in Ecclesia quam alibi.

Si verò dubites an hic effect⁹ sit infallibilis: Credo ꝙ non, quia cum non fundetur in natura gratiæ, neq; in aliqua de hac re promissione, non video vnde possit adstrui talis infallibilitas, sed talis qualis fundatur in cōmuni lege & efficacia orationis, quæ non semper habet effectum, præcipuè quando pro alijs funditur. *Igitur asserimus* orationes in Ecclesia consecrata fusas esse efficaciores, quia Deus specialius ibi assistit ad exaudiendas orationes fideliū ratione cōsecrationis, id est, propter impetrationem orationum, quas Ecclesia fundit in Ecclesiarum consecratione: & prob. 1. ex Historia. *3. Reg. 8. & 2. Paral. 6.* vbi dicitur, Salomonem post templum ædificatum & Deo dicatū orasse ad Deū dicēs: *Audi Domine hymnū & orationē quā serui tui orāt, corā te hodie, vt sint oculi tui aperti super domum istā die, ac nocte, vt exaudias deprecationem serui tui & populi tui Israel, & quodcunque orauerit in loco isto, & cum exaudieris propitius eris.* Et per reliquum capitis, postulat à Deo Salomon, vt suam assistentiam, suum peculiare auxilium impartiatur omnibus orantibus in tem-

3. Reg. 8. 2. Par. 6.

in templo illo, cui, cap. 9. dicitur Deum tale illi dedisse responsum. *Exaudiui orationem tuam, & deprecationem tuam, &c. & sanctificaui domū hanc, quā ædificasti vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.* Ecce per orationes Salomonis, qui fungebatur ministerio totius Ecclesiæ Israeliticæ, impetratum est, vt illo tēplo De⁹ specialius assisteret, & specialius exaudiret orationes ibidem fusas: ergo pari ratione id asserere de nostris templis, quæ sacratiora sunt, conueniens erit, non enim frustra tot cæremoniæ, tot ritus, tot vnctiones, tot denique preces in consecrationibus Ecclesiarum fiunt per manus Pontificum, vt deducit B. Bernardus, *in sermone de dedicatione Ecclesiarum.* Bern.

3 Ex quo infertur hoc priuilegium non esse speciale legis gratiæ, vt colligitur ex locis citatis, & 2. Machab. 3. & ex alijs quæ refert Vualdensis, *tom. 3. de Sacramentalibus cap.* 147. Secundò D. Thom. *in tertia parte loco citato*, non censet improbabile, per ingressum Ecclesiæ ratione eius consecrationis remitti peccata venialia, cur non erit probabilissimum nostrum assertum? maximè si explicetur modo dicto, qui rem facilem reddit. *Quod si aliquis roget*, quare idem quod dicimus de orationibus fusis in loco sacro, non dicetur de ijs, quæ fiunt tempore sacro, verbi gratia, diebus valdè solemnibus, Natiuitate Christi, aut Passione? *Respondetur*, quia Ecclesia non consecrat tempora illa, licèt solemnizet, vnde nec orat, vt talibus diebus orantes Deus exaudiat, aut propitius sit, & vt prædixi in hac re tam graui nihil est temerè effutiendum. 2. Mac. 3. Vuald.

DISPVTATIO IIII.

De situ seruando in adoratione.

1 IN solutione ad tertium D. Thomas tractat de situ seruando ab adorantibus, & preces emittentibus, qui de necessitate nullus est: sed potest quisque pro suo arbitratu versus omnē mundi partem constitutus orare, & adorare: cæterum Elexeus Hæreticus prohibebat ad Orientem orare sine vllo fundamento firmo, vt refert Epiphan. libr. 1. *tom.* 1. *cap.* 19. cui contradicunt omnes fere Sancti dicentes, quod secundum decētiā mos orandi & adorandi versus Orientem antiquissimus est ab Apostolorum tempore, & ex eorum traditione: ita Iustinus martyr, *quæstio.* 118. *ad Orthodoxos*, Origenes, *hom.* 5. *in Numer.* Nissenus, in libro de oratione circa illa verba, *Dimitte nobis debita nostra. Matthæi. 6. Basilius de Spiritu sancto cap.* 27. August. *de Sermon. Domini in monte capit.* 19. Tertulianus *in Apologetico cap.* 16. & 30. Clemens Alexandrinus, *lib.* 7. *strommatum capit.* 4. Anastasius, *Nicenus. question.* 18. ex recentioribus Martinez *libr.* 8. *Hypotiposeon capit.* 5. Durantus *de ritibus Ecclesiasticis lib.* 1. *capit.* 3. Lilius Giraldus *sintagmate.* 17. & D. Thomas, in solutione ad tertium huius articuli, tres enumerat causas huius moris & traditionis Apostolicæ. Epiphan. Iustinus. Origen. Nissen. Basil. August. Cle. Alexa. Anast. Nicen. Martin. Durant. Girald. D. Thom.

2 *Prima* propter diuinæ maiestatis iudicium, quod nobis manifestatur motu cœli, qui est ab Oriente, hoc est cum motus cœli incipiat ab Oriente, illa pars orientalis est principalior in cœlo, ad quam conuertentes nos in adoratione corporali, ipso facto protestamur nos conuertere faciem spiritualem animæ ad omnium rerum excellentissimum, quod est Deus: ita August. *vbi supra*. In idem redit, quod ait Iustinus, Christianos omnes precum tempore spectare ad Orientem, quia ortus tanquam mundi pars honoratior adorationi Dei destinatus est.

Secunda causa huius cæremoniæ est, quia paradisus legitur iuxta Septuaginta interpretes *Genes.* 2. plantatus ad Orientem, & adorantes versus Orientem profitemur nos esse peregrinos, & ad patriam vnde eiecti sumus, suspiramus. Ita satis eloquenter Gregorius Nissenus, & D. Athanasius *de necessarijs quæstionibus quæst.* 14. *circa finem responsionis*. D. Basilius, *vbi supra*. Nissen. Athan. Basil.

Tertia causa, quia Christus, quem oramus est lux mundi, *Ioan.* 8. & Oriens nominatur *Zachariæ.* 6. & ad cœlos ascendit Orientem versus, iuxta illud Psalmi. 61. *Qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem*, & Zachariæ. 14. in Oriente pedes Domini stabunt in monte Oliuarum: & ab Oriente venturus creditur ad iudicium Matthæ. 24. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret, &c. filij hominis*. Hæc omnia mysteria recolimus adorantes versus Orientem. Hæc causa assignatur ab Athanasio vbi supra, & has omnes prosequitur D. Germanus, in Theoria *rerum Ecclesiasticarum* & Damascenus, libr. 4. fidei Orthodoxæ *capit.* 13. vbi addit aliam obseruatione dignam, quia Christus Dominus moriens in cruce Occidentem respiciebat, vt probat Cassiodorus ad Psalmum. 67. & ideò nos ad Orientem oramus, vt quasi in faciem crucifixi intueamur. Ioan. 8. Zach. 6. Psal. 61. Zach. 14. Mat. 24. Athan. D. Germ. Damas.

Sed obijciet quis contra hunc adorandi ritum, Gentiles solere adorare versus Orientem, & templa versus eandem cœli partem extruebant, vt palam est legenti autores profanos, Plutarch⁹ in Numa Pompilio, Dionysius Thax in lib. 3 Diæreseon, antiquorum templa ex orientem Solem excipere solebant, Virgilius *lib.* 12. *Æneidos* sacrificantes inducit ad Solem orientem conuerti dicens. *Illi ad surgentem conuersi lumina solem.* Plutarc. Virgil.

Mos hic obseruatus est à Persis, & Magis, vt refert Herodotus *libro.* 1. & ab Asclepio & Pythagoreis, vt scribit Cælius 12. *cap.* 9. perdurasse autem eum Paganorum ritum, vsq; ad Priscilianistas ait Leo Papa Sermone. 7. *de Natiuitate*, & Lucanus tradidit à Pythagoreis obseruatum fuisse ab adorantibus spectatum Orientem, quare Vitruuius *libro.* 4. *de sacrarum ædium positione*, ædis limen Occidentem spectare iubet, quo templum introeuntes, & ad altare accedentes spectent Orientem, Iudæi verò adorabant versus Occidentem Exodi 26. vbi dicitur ostium tabernaculi ad Orientē extitisse, vt ingredientes ad Occidentem adorarent 3 Herodot. Cælius. Leo Papa. Vitruui.

vnde

Ezech. vnde *Ezechielis*. 8. inuehitur Dominus contra eos qui habebant dorsa contra templum Domini,& facies versas ad Orientem.

Cum igitur Gentiles adorarent falsos Deos, Iudæi verò verum Deum qui & ipse Deus Christianorum est, rationibus videtur Christianos debuisse obseruare ritum adorandi Iudæorum versus Occidentem, quàm Gentium ritus versus Orientem. *Respondetur* negando consequentiam, tum propter rationes assignatas: tum D. Thom. propter causam diuersitatis, etenim vt ait D. Th. *quæst*. 3 *artic*. 3. *ad quintum* Iudæi iussi sunt non adorare respicientes ad Orientem ad arcendam idololatriam, ad quam gens illa prona erat, Gentes autem idolatræ Solem orientem adorabant vt diximus, Christianis verò non imminet simile periculum. *Secundò* quia tabernaculum ordina- Psal. 67. batur ad significandam mortem Christi, quæ per Occasum significatur, iuxta illud Psalm. 67. *Qui ascendit super occasum Dominus nomen illi*. Tota autem nostra adoratio iam libera est ab illis figuris & vmbris, quare melius adoramus ad Orientem Christum verum lumen orientem significantes. Item Iudæi adorantes versus Occidentē, in quem inclinant vmbræ, & sequuntur tenebræ ac obscuritas ipso facto significabant statum ve- 13. ad Ro. teris legis vmbraticum, ac tenebrosum: vnde ab *Apostol*. 13 *ad Rom*. vocatur nox, è cōtra verò Christiani versus Orientem adorant, à quo fugantur tenebræ, & vmbræ pelluntur, vt ipsamet adoratione significent se esse in statu non vmbratico aut obscuritatis, sed sine vmbris, sine figuris, pleno lucis ex præsentia veri Solis orientis Christi Domini: vnde ab eodem Apostolo dies vocatur lucidus status noster. Igitur mos antiquissimus est, vt Christiani versa facie ad Orientem adorēt, & preces suas ad Deum emittant, quod intelligendum reor cum Latino Pacato, in Panegyrico, de publicis precibus, quæ in Ecclesijs funduntur, & hoc ex decentia & congruitate, non ex necessitate, priuatim verò adorantes iuxta suum Hosius. placitum sine vlla indecentia, aut incongruitate circumquaque poterunt adorare, vt notat Hosius, *libr*. 4. *de traditionibus*.

Ex more hoc peruetusto adorandi in publicis precibus versus Orientem, poterit quispiam agnoscere qua forma, & figura sint Ecclesiæ antiquitus ædificatæ, & modo extruendæ, quæ denuò fabricantur: figura conuenientior est oblōga, forma in modum nauis versus Orientem. Ita vt Ecclesiæ ostium Occidentem respiciat, tabernaculum verò siue altare, quod maius vocant, Orientem, in modum quidem nauis, vt sciamus nos in hoc mundo versari velut in mari turbulēto nec aliter quàm in Ecclesia, posse in eo tutò nauigari: versus Orientem verò propter rationes allatas adorandi ad Orientem. Huic formæ Ecclesiarum testimonium perhibent Ecclesiæ antiquissimæ sub hac figura extructæ, vt plurimum à tempore Apostolorum vsque ad nostra tempora, exceptis quibusdam paucis, quæ propter loci commoditatem aliter ædificatæ sunt. Insuper Patres id sæpè testantur: Clemens *libro secundo* Clemens *const. Apostol. capit*. 507. *vel*. 61. Tertulianus, *libro se-* Tertuli. *cundo contra* Valent. *capite*. 3. Vualfridus Strabo, *li-* Vualfrid. *bro de rebus Ecclesiasticis cap*. 4. & ferè omnes Sancti citati pro traditione, & more orandi versus Orientem.

At pro coronide huius quæstionis *dubitabis quispiam*, quo corporis gestu sit adorādū aut precandum, verbi gratia, ambulando? an sedendo &c. Et quidem si sit sermo de priuatis adorationibus, & precibus nullus gestus præscribitur, neque ex vsu, neq; ex congruitate, sed ille congruētior est, qui cuique accomodatior ad melius & deuotius adorandum, aut preces emittendum. Si verò sit sermo de publica adoratione, aut precibus solemnibus ij gestus sunt exercendi, quos pro diuersitate Ecclesiarū, & die cesum iubētur fieri, & Prælatus cui incūbit cura Ecclesiasticorū rituū, si negligēs fuerit, ac remissus in iubēdo eos executioni tradi, negligētia & omissione existēte notabili, re* peccati mortalis erit. Quādo verò recitātur priuatim horæ Canonicæ, nullū video gestum à recitantibus necessariò debere obseruari, sed pro arbitrio hoc vel illo vtetur. Guillelm. Pa- Gul. Par. risiēs. *in sua rhetorica diuina*, ait, optimum corporis habitum ad priuatim recitandum cum deuotione esse sedere, & inniti alicui rei latere sinistro, vt cor in eò residens vnde manat omnis motus & inquietudo, quiete fruatur: sed certè vix potest de hoc certa regula constitui, cū hic habitus corporis, qui vni placet & auget deuotionem, alteri displiceat. Ad expellendam segnitiem Sancti varios in orando gestus assumunt, vt de S Dominico Patre nostro in eius vita legitur, quos & ipse didicit à Ioanne Cassiano *lib*. 2. *de* instituto cœnobitarum. capit. 12. Nec te turbet, lector optime, quod ait Tertulianus de oratione c. 11. & 12. *orare sedendo extra disciplinam est*; loquitur enim de precibus & adorationibus solemnibus quæ in Ecclesia fiunt. Hæc de adoratione.

QVAESTIO 85.

DE SACRIFICIO.

QVAM materiam D. Aug. 4. *de Trinitate c*. 14. & D. Th. 3. *p. q*. 48 *art*. 3. tra- August. D. Thom. ctandā censent iuxta Aristotelicā Methodum, nempè inuestigando, an sit sacrificium, quid sit, cui sit, de quibus sit, & per quos sit, & nos istorum Diuorum vestigia sequētes procedemus, præcipuè D. Tho. *in hac quæst*. ex cuius copiosa supellectili decisionem assumemus multarum quæstionum circa sacrificij naturam in cōmuni, abstinentes à tractatione sacrificiorū in specie maximè Eucharistiæ, reseruantes eā in proprium locū, scilicet in 3. *p. q*. 83. vix tamē quimus ad plenā notitiā dicēdorū nō attingere vel sūmis labijs, vt aiunt, aliqua ad præfatum sacrificiū attinentia.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Vtrùm offerre ſacrificiũ Deo, ſit de lege naturæ?

CONCLVSIO ſit affirmatiua, quã probat primo in arg. ſed cõtrà. In qualibet hominum ætate, & apud quaslibet hominum nationes, ſiue politicas
1 ſiue barbaras in vſu fuit ſacrificiorum oblatio, ex quo non leue ſumitur arg. ſacrificia eſſe de iure naturæ, quod eſt idem apud omnes. *Deinde probatur ratione in hunc modum:* ex naturali rationis dictamine procedit, quod homo vtatur rebus ſenſibilibus offerens eas Deo in ſignum debitæ ſubiectionis, & honoris: ſed hoc ad rationem ſacrificij pertinet: ergo oblatio ſacrificij ad ius naturæ pertinet. Minor huius ſyllogiſmi ſupponitur vt nota, maior implicitè inuoluit duo. *Primũ eſt* eſſe neceſſarium hominem Deo ſubijci, & illum reuereri. *Secundum eſt*, vt id faciat ſignis ſenſibilibus ea offerendo in ſubiectionis ſignum: & ideo primum prob. quia ratio naturalis dictat homini, quod alicui ſuperiori ſubdatur propter defectus, quos in ſe ipſo experitur, in quibus ab aliquo ſuperiore eget adiuuari, & dirigi, & quidquid illud ſit, hoc eſt, quod apud omnes dicitur Deus. *Secundo idem proba.* Nam in rebus naturalibus inferiora ſuperioribus ſubduntur: ergo ratio naturalis etiam dictat homini ſecundum naturalem inclinationem, vt ei quod eſt ſupra hominem, nempè Deo, ſubiectionem & honorem exhibeat iuxta ſuum modũ. *Secundum verò ibi incluſum*, nempè quod id ſit faciendum ſenſibilium rerum oblatione. prob. quia modus conueniens & cõnaturalis homini eſt vt ſenſibilibꝰ vtatur ad aliqua exprimẽda, quia à ſenſibilibus cognitionem accipit: ergo ratio naturalis hominis dictat ad præfatam ſubiectionem, & reuerentiam exprimendam offerendas eſſe Deo res ſenſibiles, in quo ratio ſacrificij conſiſtit. *Probatur etiam* concluſio à ſimili, quia eſt naturale hominibꝰ ſeruis aliqua offerre dominis ſuis in recognitionẽ dominij: ergo naturale etiam eſt aliqua offerre Deo in recognitionem eius ſupremi dominij erga nos.

I. DISPVTATIO.

An ſacrificiorum vſus externus ſit licitus?

CVm quæſtio, an eſt, de vnaquaque re priori loco exploranda ſit: mirum cuique videri poterat, quomodo D. Th. hac quæſtione prætermiſſa ſtatim
2 euolet ad inueſtigandum, ſacrificium an ſit de lege naturæ. *Reſpond.* duo eſſe notiſſima in ſacrificio pertinẽtia ad queſtionẽ an eſt. *Primũ*, ſacrificia eſſe, & in omni ætate extitiſſe, vt palam videre licet apud codices ſacros & profanos. *Secundum*, ſacrificia externa licita fuiſſe & eſſe. Iſta ſupponit D. Thomas, & ad difficiliora properat in primo articulo inueſtigans an ſacrificium ſit de lege naturæ? quæ dubitatio etiam pertinet ad quæſtionem an eſt: nos verò qui non ſcribimus Theologiæ ſummam, ſed commentaria fuſiora, præmittimus dubitationem:

An ſacrificiorum vſus externus ſit licitus? Et videtur vera pars negatiua, quam partim tenuerunt Hæretici quidam antiqui: nam vt refert Euſebiꝰ lib. 1. demonſtrationis Euangelicæ cap. 10. fuere quidam Gentiles reijcientes incruenta ſacrificia, vt Deo indigna, & approbantes cruenta: at vice verſa, vt narrat Auguſt. *lib. 1. contra aduerſ. legis & proph. cap.* 18. quidam Hæretici improbabant omnem cultum externum, ſpeciatim, qui fit ſacrificijs cruentis: noſtris verò temporibus Hæretici moderni à Luthero vſque nunc omninò damnat cultum externũ. Et hæc pars negatiua probatur primo ex multis teſtimonijs ſacræ ſcripturæ Pſalmo. 50. *Holocauſtis non delectaberis*, Eſaiæ primo: *Sanguinem hircorum, & taurorum nolui.* Et Ezechielis. 20. appellantur præcepta ſacrificiorum, præcepta non bona, & Oſeę. 6. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*, & Ioannis. 4. *Adorabitis Patrem in ſpiritu, & veritate.* vbi iuxta ſententiam Cyrilli Euthymij, Chryſoſtom. ſuper hunc locum nomine adorationis intelligitur ſacrificium. Nam de ſacrificio queſtio erat inter Iudæos, & Samaritanos, nõ de oratione, aut adoratione q̃ paſſim fiebat in omni loco, vt ſupra vidimus in quæſtione p̃cedenti. Secundo probatur teſtimonijs Patrum: Lactantius, libr. 6. de verò cultu capit. 1. ſic ait. *Nil ſancta & ſingularis illa maieſtas ab homine deſiderat, niſi ſolam innocentiam, quam ſi quis obtulerit ſatis pie religioſeq; litauit*: & in cap. 25. multis videtur ſuadere abſtinendum à ſacrificijs externis, & tandem id conatur teſtimonio Senecæ, & Triſmegiſti, ac Aſclepij.

3 *Nihilominus dicimus* eſſe de fide ſacrificia fuiſſe licita, quibus Deo exhibetur cultus externus. *Probatur*, nam à principio mundi vſque nunc oblata ſunt Deo, eodem applaudente, & approbante, & interdum poſtulante. Ad ſacrificium Abel reſpexit Dominus Geneſis. 4. idem de ſacrificio Melchiſedec, *capit.* 4. de Abraham 15. & 22. & de alijs; ſimiliter & in lege ſcripta innumera fuere præcepta ſacrificia: legendus eſt Euſebius, *libr. 1. demonſt. Euange. capite vltimo*, Auguſtin. *Epiſtola*, 49. *quæſtion.* 3. & Ribera *Oſeæ. 6. à numero.* 19.

Ad teſtimonia verò in oppoſitum allata germana, & prima reſponſio eſt, in illis inuehi non aduerſus ſacrificia, ſed aduerſus ſacrificos exiſtimantes quantumuis ſceleribus coinquinatos per ſacrificia omiſſis operibus virtutum fore Deo gratos: vnde Eſaias, capite citato ſubdit rationem diſplicentiæ diuinæ erga ſacrificia. *Manus enim veſtra ſanguine plena ſunt*, Fauet huic reſponſioni Clemens lib. 6. conſtitutionum capit. 22. *Recuſabat*, inquit, *nimirum Deus ſacrificia populi ſæpè numero in eum peccantis, & exiſtimantis eum ſacrificiis, & non pœnitentia placatum iri*: ſic etiam explicat Irenæus, lib. 4. capit. 32. Auguſtinus libro quæſtionum noui & veteris teſtamenti quæſtion. 103.

Margin: Euſeb. Auguſt. Pſal. 50. Eſai. 1. Ezec. 20. Oſeæ. 6. Ioan. 4. Lactant. Geneſ. 4. Euſeb. Auguſt. Ribera. Clemen. Irenæus. Auguſt.

nec ignobiliter idem indicat Regius vates Psal-
Psal.50. mo.50. vbi postquam dixerat, *Holocaustis non delectaberis, sacrificium Deo spiritus contribulatus*, subdit, *tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos.* Ecce sacrificia Deo non displicebant, sed vt à contrito corde procederent, exigebat.

4 Ad testimonium verò Ioannis 4. in præcedēti quæstione à nobis explicatum est, quomodo ex illo non euacuetur vis & vtilitas cultus externi. *Secunda Responsio est*, ideò in illis & similibus testimonijs Deum significasse non sibi valde placere sacrificia veteris legis, propter onerosas cæremonias, quibus vestiebantur: data sunt enim illi populo tot cæremonijs vestita, vt ab Idolorum cultu eū arceret Deus, Expositio est Hieronymi *super verba citata* ex Prophetis, & Chrysost. *Matth.5.*
Hieron. *homilia.61. & 24. prima ad Corinth. Epiphanius Hæ-*
Chrysost. *resi.42.* & D. Thomæ *prima secunda quæst.102. art.*
Epiphan. 3. & iuxta istam expositionem facilè erit explica-
D. Thom. re illud Ezechielis, *Dedi eis præcepta non bona.* Dicuntur non bona, non quia mala; alioquin quomodo Deus ea dedisset? Dicuntur ergo non bona, idest onerosa, aut certè minus perfecta: quia carnali populo, potius quàm spirituali accommodata, vt ab idololatria arceretur tot onerosis & laboriosis sacrificijs occupatꝰ. *Tertio.* Aliqui exponūt de sacrificijs veteris legis ꝓ tempore legis gratiæ, quo non placitura Deo ꝑpter ipsorū exinanitatem certum erat, Videndus est Augusti-
August. nus, super Psalm. quinquagesimum.

5 Ad Lactantium respondetur. Certè subobscurè loquitur, interpretandus tamen iuxta priorem responsionem ad testimonia Prophetarum: & colligitur ex eodem: nam postquam primo capite dixerat verba, qua retulimus statim subdit: *Homines neglecta iustitia cum sint omnibus sceleribus inquinati, religiosos se putant, si templa & aras hostiarum sanguine cruentauerunt.* Seundò respondetur, Lactantium, & aliquos Patres emphaticè loqui, & præferre opera misericordię, & munditiei interioris, operibus diuini cultus, quia interdum necessariora sunt, & consequenter Deo
Osea.6. gratiora: & sic etiam possumus interpretari oracula Prophetarum allata, maximè illud Oseæ.6. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Cuius loci iste est genuinus sensus.

DISPVTATIO II.

Est circa ariculum. An sacrificium non solùm licitum sit, verū etiam sit de iure naturæ?

1 ET pars negatiua suadetur. Contra conclusionem Diui Thomæ, *argumentum primum* sit, quod ignorarunt viri sapientes in statu naturæ vel de quo dubitarunt, nō pertinet ad ius naturæ, quod omnibus commune est: sed non sacrificandum esse Deo, nisi propter vulgus sedandum senserunt Seneca, de se ipso hoc referens, vt
August. colligitur ex Augustino. *6 de ciuitate, capit.1. & 10,*

& Lactantius de eodem ait, dixisse, *Quæ supra nos, nihil ad nos*: & Aristotel. 2. Methaph. id insinuat, Lactant. Arist.
& Auerrois ibidem idem expressè asseuerat, ac omnes negantes diuinam prouidentiam circa hominum actus singulares; ergo non est hoc de iure naturæ.

Secundo. Omne quod est de lege naturæ inter præcepta iuris naturæ computatur, sed sacrificare non numeratur inter præcepta Decalogi, quæ sunt iuris naturæ: ergo &c. Confirmatur ex Anacleto Papa Epistola.2. dicente antiquos Patres Anaclet.
spontanea voluntate sacrificium obtulisse, & ex Clemente Romano *lib.6. constitut. c.20.* similiter Clem.Ro.
dicente eos non ex obligatione, sed ex voluntate sacrificasse.

Tertiò Ea, quæ sunt de lege naturæ, Patres legis naturæ impleuerunt: sed de Protoparente Adamo, neque de Isaac legitur sacrificia Deo obtulisse: ergo non est de lege naturæ sacrificare.

4 *Quartò* arguitur, obijciendo multiplicem calumniam demonstrationi Diui Thomæ, qua conatur probare ius naturæ dictare Deo esse sacrificandum. *Prima calumnia* est contra illam fundamentalem propositionem, videlicet: Ratio naturalis dictat homini, vt Deo subdatur propter adiutorium & ductum, quæ sperat à Deo in subueniendo defectibus, quos homo in se ipso experitur. Si defectus isti corporales sint, putà morbus, aut debilitas, vel quid simile à cœlorum benigna influentia, vel à medicinis spectandum est adiutorium, stando in solo lumine naturæ: ergo ex eiusdem luminis dictamine non colligitur nos debere Deo subijci propter huiusmodi defectus vitandos, cum ab alijs, quàm à Deo possimus remedium expectare. *Confirmatur*, quia isti defectus communes nobis sunt & animantibꝰ rationis expertibus: sed illa instinctu naturæ non subduntur Deo pro horum defectuum alleuiatione: ergo neque nos ex rationis dictamine. Si verò defectus isti sint spirituales ad animā pertinentes, putà ignorantia aliquorum, aut ad malum inclinatio, nec lumen naturale dictat esse ad Deum recurrendum, sed sat erit ad intellectū, & eius lumen ꝓ pellenda gnorantia, & ad rationis regulam pro vitandis animæ malis. *Si verò quis dicat*, Deum horum defectuū esse primum & principalē reparatorem, maximè si sit sermo de defectibus animæ. *Contrà*, nam licet ita sit, tamen lumen naturale non id consequitur suis viribus; præcipuè si defectus sanandi peccata sint, ad ꝙ cognoscendū lumen naturale non pertingit, nos autē præcisè dubitamus, an solùm lumen naturale dictet Deo esse sacrificandum, nec ne?

5 *Secunda calumnia* sit: nam estò lumē naturale dictet, hominem Deo esse subijciendum, cum hæc subiectio & reuerentia præstari possit per adorationem, per orationem, deuotionē, ac denique per quemcumq; Religionis actum internum, in quo necessariò includitur subiectio ad Deum ad eundem reuerantia, vt dicit D. Tho. D.Thom.
supra q.81. art.3. ad secundum: & nos superius deduximus, non videtur inferri per sacrificium externam hanc subiectionem esse exhibendā; quia multa alia sunt, per quorum quodlibet præstari

potest. Quod siquis dicat cum D. Thom. connaturale esse homini, vt ad hanc subiectionem exprimendam vtatur signis sensibilibus, & oblationibus rerum corporearum, ac ex consequenti cultu externo.

4 *Tertia calumnia est*: nam hoc ideò fit, quia homo qui sensibilis est, ex sensibilibus cognitionem accipit (verba sunt D. Thomæ,) Contrà, cognitio excellentiæ diuinæ, & supremi eius dominij supponitur ad sacrificandum Deo, & ad protestandum sacrificio eius dominium: ergo per sacrificium externum, non acquiritur hæc cognitio: ergo impertinenter adducitur esse faciendum sacrificium Deo vsu rerum sensibilium, quia ex his homo cognitionem accipit. *Probatur* consequentia, quia accepta cognitione de Dei dominio supremo ex rebus sensilibus satis esset colere illum interno cultu.

5 *Quarta calumnia est*: quia estò naturæ lumen dictet Deum esse colendum cultu externo, quod videtur probare ratio Diui Thomæ in articulo, tamen non inde colligitur talem cultum esse exhibendum per actionem sacrificandi externam, quia quamplures alij cultus externi sunt, quorũ quolibet seorsũ potest huic debito satis fieri sine sacrificio, putà per vocalem orationem, & laudem, per adorationem externam, verbi gratia, per genuflexiones vel alias similes actiones: etenim cultus Dei externus multiplex est, & nullum est naturale principium, ex quo euidenter colligi possit Deum esse colendum per externum sacrificium: ergo non est de lege naturæ.

6 *Pro decisione* huius dubitationis nolo (vt quidã fecerunt) omniũ differentiam legũ & earum discussionem huc reuocare, sed sufficerit ea duntaxat prælibasse, quæ præsenti instituto necessaria sunt: quapropter aduertendum ex D. Tho. 1. 2. *quæst.* 94. ferè per totam, ea esse de lege naturæ, ad quæ natura ipsa inclinat, quæ talia esse agnoscimus, si ipsum rationis practicæ lumen ostẽdat ea esse excutioni mandanda, etiam nulla institutione aut ordinatione præmissa. D. Thom.

Horum autem tres classes libet adnotare: in *prima* reponuntur ea, quæ sine vllo discursu ipsũ lumen rationis dictat esse facienda, vt quod tibi nõ vis, alteri ne feceris, Deo credendũ esse, ipsũque diligendũ, & dicuntur prima principia legis naturæ. *In secunda classe* locantur ea, quæ inferuntur ex primis, & communioribus principijs per euidentem consequentiam, quorũ cognitio modico discursu indiget, adeò nota sunt, & clare ex præfatis principijs colliguntur, verbi gratia, honora patrem & matrẽ, & similia: & in his aduertendum, quod sicut in conclusionibus sciẽtificis sunt plures grad⁹, & illæ censentur notiores, quæ proprius inferuntur ex primis principijs speculatiuis, ita in practicis illa dicuntur magis esse de lege naturæ, quæ immediatius ex primis principijs practicis deducuntur.

In tertia classe ponuntur ea, quæ sunt de iure naturæ, & sic inferuntur à primis principijs per cõsequentiã euidentẽ, vt ad talem illationẽ requiratur consideratio multarũ circũstantiarũ, quas considerare diligenter nõ est cuiuslibet, sed sapientum, quod & fieri in aliquibus conclusionib⁹ speculatiuis egregiè docet D. Tho. 1. 2. *quæst.* 94. *art.* 2. vbi philosophatur circa practica, docẽs ea, quæ nos retulimus sũpta proportione ab speculatiuis, & similiter loquitur *q.* 100. *art.* 1. *&* 2. *&* 11. D. Thom.

Hoc supposito dico primo. Cultus Dei absolutè loquẽdo siue internè, siue externè, siue p laudes, siue per sacrificia, siue p adorationes, vel quocunq; alio ritu religioso, de lege naturæ est, idest, ad illum natura hominis inclinat, estque lege naturali præceptus. *Probatur* ratione D. Thom. in articulo, quæ quantum ad hoc demonstratio est, & cuique mediocriter instituto peruia: quo fit vt in secunda classe eorum quæ sunt legis naturæ collocetur, quis enim dubitet hominem Deo suæ creationis, & conseruationis, ac omnium bonorum autori debere subiectionem & reuerentiam, in quibus ratio cultus consistit.

Duo secundo. De lege naturæ est cultus Dei externus. Hoc etiã probat ratio D. Thomæ in articulo, q̃ ad id demonstrandũ adducitur, 3. *contra gentes, cap.* 19. ea est, cõnaturale est homini, vt mẽtem suam sensibilibus exprimat, sed tenetur se subijcere Deo, ac illum vereri vt omniũ bonorũ suorum fontem, à quo pẽdet in adiuuari & dirigi, quod esse de lege naturæ in priori dicto probatũ est: ergo connaturale etiã debet esse homini externè Deum colere sensibilibus signis, quia sic exprimit mentem suã circa Dei cultum. *Dicet fortasse* quispiam posse hominẽ sic exprimere mentem suã, sed non teneri. *Contrà primò*. Quia ex interno affectu naturaliter sequitur externa manifestatio, vix enim posset homo animũ suum interius continere, & ideò si interior cultus est de lege naturæ, consequenter fit, vt sit etiam exterior. *Secundo*, quia vt notat D. Thomas, vbi supra, ista exterior subiectio manifestata per res sensibiles non solùm iuuat, sed ferè necessaria est ad interiorem cultũ; quia naturale est homini, vt per actus externos, & ad interiora excitetur; imò vix potest ad diuina eleuari, nisi istorum sensibiliũ manuductione. Istum cultum externum reor esse collocandum in secunda classe eorum, quæ ad legem naturæ pertinẽt. *Fateor* non tã euidẽter procedere ꝓbationes, sicut illæ quæ de cultu absolutè loquendo procedunt. Nec mirũ; nã vt præmonui non æquali euidentia inferuntur ex principijs per se notis, per euidentem consequentiã omnia, quæ ad legem naturæ pertinent. *Secundò probatur* ex Damasceni doctrina citati à D. Thoma superius *quæstione praecedenti, artic.* 2. nam homo à Deo habet non solùm animam, sed etiam corpus, ab eo indiget adiuuari & regi non solũ anima, verũ & corpore: ergo non solùm anima, sed etiã corpore tenetur eum colere: non quidem quia Deus aliquo sensibili signo indigeat, vt nostra interiora agnoscat, vt Hæretici calumniantur, sed vt nos totos non solum animas, verum etiam corpora Deo subijciamus per cultus opera. 8 D. Thom.

Dico tertio. Sacrificium propriè & rigorosè acceptum pro oblatione Deo facta, circa quam aliquid exercetur est de lege naturæ. Hæc conclusio est Aristotelis. 5. Ethicorum, & D. Thomæ in corpore articuli & ad primum, vbi ait oblatio Arist.

sacri-

sacrificij in cōmuni esse de lege naturali, & ideò in hoc omnes conueniunt, sed determinatio sacrificiorum est ex institutione humana vel diuina: D.Tho. sequuntur omnes eius discipuli: idē sentit Clemens *lib.6.constit.* 20. dicens, antiquos
Clem. patres naturali lege admonitos sacrificasse, & Eusebius vbi supra ait, hominem debere offerre Deo vitam suam in sacrificio, tamen quia nō expediebat humanum sanguinem sacrificare, ideò lege naturæ introductum esse, vt in sacrificium animalis vel aliquid huiusmodi commutaretur: & Cassianus *collat.*8. *cap.* 23. dicit Abel naturali
Cassian. lege adductum sacrificasse. *Deinde probatur ratione* D.Thom. quæ à calumnijs contra eam obiectis vindicanda est: & existimo sacrificium hoc debere collocari in tertia classe eorum, quæ pertinent ad legem naturæ, vt pote quorum illatio ex principijs naturæ infertur per euidentem consequentiam, sed ex tot præmissis & tot consequentijs, vt demonstrationis euidentia solis sapientibus reseruetur.

Hoc dictum est contra quosdam viros perdoctos & graues existimantes iure naturali non esse
10 præceptum sacrificandi, sed duntaxat iure gentium: quod si aliquando dicatur esse de lege naturali, ideò id dicitur quia est medium satis accōmodatum ad implendum præceptum de cultu Dei externo, non quia ex vi solius legis naturæ sit præceptum de sacrificio. Mouentur maximè vlt. arg. allato contra conclusionem, & demonstrationem D.Th. Sic inter alios Pater Suarez *lib.*1.
Suarez. *de diuino cultu cap.*3. & Abulensis *Genesis.*6. *quæstio.* 14. circa finem quæstionis dicens: non sacrificare alij, quàm vero Deo est de iure naturæ, & sacrificare vera Deo non est de lege naturæ. quia ea quæ sunt de iure naturæ computantur inter præcepta iuris naturæ necessaria ad salutem, at sacrificare non est necessarium ad salutem, quia non est de dictamine rationis.

Sed aut ego fallor, aut isti autores decipiuntur: nam lumine rationis ducti, sine vlla institutione diuina, aut humana ab initio mundi, & ab Abel iusto, & deinceps inter præcipua opera, & potissimas curas viri iusti habuerunt Deo sacrificare: ergo cōputatur inter naturalia præcepta, quæ ex institutione naturæ homines adimplere tenentur. Antecedens patebit discurrenti per singulas ætates, & tempora maximè in statu legis gratiæ. Consequentia verò probatur. Quia si tantum esset in consilio sacrificare, non tanti fieret, nec tā instanter curam eius haberent omnes. *Confirmatur.* Quia in omni ætate, & apud omnes nationes à magistratibus solerti cura & rigorosis iussionibus indicta sunt sacrificia, sine quibus creditum est Rempublicam non posse coalescere. Ergo similiter creditum est, ea esse de iure naturæ, aliàs non tanti fierent, nec tanto rigore exigerentur.

Secundo. Omnes virtutum actus ad quos natura primo inclinat, idest non mediante institutione diuina aut humana, sunt de lege naturæ: vt colligitur ex doctri na D. Thoma 1.2.*q.*94.*ar.*
D.Thom. 3. huiusmodi est sacrificare Deo vero: ergo. *probatur minor*, quia vt ait D. Thomas hic ad primum, quamuis determinatio sacrificiorum ad has vel illas res, ad hos vel illos ritus sit ex institutione diuina vel humana, tamen in communi sacrificare, non habetur ex tali in stitutione. *Tertio.* Si sacrificare ea duntaxat ratione dicitur pertinere ad legem naturæ circa Dei cultum externum, etiam sacrificare has vel illas hostias, his vel illis ritibus: Imò omnis actus virtutis determinatus ex præscripto diuino aut humano, diceretur esse de lege naturæ, quando in hoc à multis alijs actibus secernitur: ergo propriè & in rigore de lege naturæ est. *Quartò* ex rationis dictamine habetur homines debere Deo subijci, & aliqua illi offerre in recognitionem dominij supremi: hoc fit per sacrificium: ergo sacrificium præceptum est secundum legem naturæ. *Consequentia* est euidens. *Maior* etiam ex eo, quod serui debent agere erga dominos suos. *Minor* etiā notissima est, quia ab initio mundi ex naturæ instinctu id & propter illum finem, ita egerunt homines iusti, imò etiam iniusti.

Ad argumenta in oppositum respondetur. *Ad primum*, circa ea, quæ pertinent ad legem naturæ, vt prima & cōmunia principia nō cotinget errare, nisi amētes, qualis erat ille, qui dicebat in corde suo: *Non est Deus*: similiter circa ea, quæ pertinēt ad legem naturæ, vt conclusiones illatæ ex illis primis principijs per euidentem consequentiam quando modico discursu indigent, vix continget errare sapientes, nisi propter peccata sua Deo tradente eos in reprobum sensum cæci facti sint. Cæterum circa ea, quæ vt inferantur ex primis principijs, diligens inquisitio multarum præmissarum & circumstantiarum necessaria est, nō est mirum sapientes aliquando errare, & in hac classe collocantur sacrificia: quæ vt innotescat esse de iure naturæ multa supponenda, multa consideranda sunt: verbi gratia, quod in natura est aliquod supremum, q̄ vocamus Deum, & quod ille cognoscit omnes actus nostros singulariter, & q̄ est noster benefactor in quibusque singularibus: & ex his inferendum est hominem, qui se defectuosum sentit deberi subdi illi, vt adiutori & directori, non solum mente verum & corpore: nec hoc sufficit: sed vlterius necesse est, quod ad profitendum eius dominium secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt, in recognitionem dominij res nostras ei offeram⁹ per sacrificia, quæ sunt protestationes quædā à natura inuentæ ad profitendam eius vniuersalē supra omnia dominationem, & adhuc nō omnes capiunt huius illationis euidentiam: vnde non mirum Senecam, Auerroem (quidquid sit de Aristotele) in hac parte cæcutijsse, & multos sapientes nostri seculi de hac re dubitasse. 11

Ad secundum respondetur ex doctrina D.Thomæ *D.Thom.* 1.2.*quæstion.*100.*artic.*3. *&* 4.*ad* 1. non omnia præcepta legis naturæ expresse haberi in Decalogo, quædam propter nimiam euidentiam, qualia sunt de iure naturæ, vt præcepta fidei, & dilectionis Dei, quædam propter tenuem eorum euidentiam, qualia sunt illa quæ colliguntur ex prioribus, per euidentem consequentiam, sed magna præmissa inuestigatione vix peruia sapientibus: huiusmodi est præceptum sacrificiorum, quod

potest. Quod si quis dicat cum D. Thom. connaturale esse homini, vt ad hanc subiectionem exprimendam vtatur signis sensibilibus, & oblationibus rerum corporearum, ac ex consequenti cultu externo.

4 *Tertia calumnia est*: nam hoc ideò fit, quia homo qui sensibilis est, ex sensibilibus cognitionem accipit (verba sunt D. Thomæ,) Contrà, cognitio excellentiæ diuinæ, & supremi eius dominij supponitur ad sacrificandum Deo, & ad protestandum sacrificio eius dominium: ergo per sacrificium externum, non acquiritur hæc cognitio: ergo impertinenter adducitur esse faciendum sacrificium Deo vsu rerum sensibilium, quia ex his homo cognitionem accipit. *Probatur* consequentia, quia accepta cognitione de Dei dominio supremo ex rebus sensilibus satis esset colere illum interno cultu.

5 *Quarta calumnia est*: quia estò naturæ lumen dictet Deum esse colendum cultu externo, quod videtur probare ratio Diui Thomæ in articulo, tamen non inde colligitur talem cultum esse exhibendum per actionem sacrificandi externam, quia quamplures alij cultus externi sunt, quorũ quolibet seorsũ potest huic debito satis fieri sine sacrificio, putà per vocalem orationem, & laudem, per adorationem externam, verbi gratia, per genuflexiones vel alias similes actiones: etenim cultus Dei externus multiplex est, & nullum est naturale principium, ex quo euidenter colligi possit Deum esse colendum per externum sacrificium: ergo non est de lege naturæ.

6 *Pro decisione* huius dubitationis nolo (vt quidã fecerunt) omniũ differentiam legũ & earum discussionem huc reuocare, sed sufficerit ea duntaxat prælibasse, quæ præsenti instituto necessaria sunt: quapropter aduertendum ex D. Tho. 1. 2. *quæst.* 94. ferè per totam, ea esse de lege naturæ, ad quæ natura ipsa inclinat, quæ talia esse agnoscimus, si ipsum rationis practicæ lumen ostẽdat ea esse executioni mandanda, etiam nulla institutione aut ordinatione præmissa. D. Thom.

Horum autem tres classes libet adnotare: in *prima* reponuntur ea, quæ sine vllo discursu ipsũ lumen rationis dictat esse facienda, vt quod tibi nõ vis, alteri ne feceris, Deo credendũ esse, ipsũque diligendũ, & dicuntur prima principia legis naturæ. *In secunda classe* locantur ea, quæ inferuntur ex primis, & communioribus principijs per euidentem consequentiam, quorũ cognitio modico discursu indiget, adeò nota sunt, & clare ex præfatis principijs colliguntur, verbi gratia, honora patrem & matrẽ, & similia: & in his aduertendum, quod sicut in conclusionibus sciẽtificis sunt plures grad⁹, & illæ censentur notiores, quæ proprius inferuntur ex primis principijs speculatiuis, ita in practicis illa dicuntur magis esse de lege naturæ, quæ immediatius ex primis principijs practicis deducuntur.

In tertia classe ponuntur ea, quæ sunt de iure naturæ, & sic inferuntur à primis principijs per cõsequentiã euidentẽ, vt ad talem illationẽ requiratur consideratio multarũ circũstantiarũ, quas considerare diligenter nõ est cuiuslibet, sed sapientum, quod & fieri in aliquibus conclusionib⁹ speculatiuis egregiè docet D. Tho. 1. 2. *quæst.* 94. *art.* 2. vbi philosophatur circa practica, docẽs ea, quæ nos retulimus sũpra proportione ab speculatiuis, & similiter loquitur *q.* 100. *art.* 1. *&* 2. *&* 11. D. Thom.

7 *Hoc supposito dico primo*. Cultus Dei absolutè loquẽdo siue internè, siue externè, siue p laudes, siue per sacrificia, siue p adorationes, vel quocunq; alio ritu religioso, de lege naturæ est, idest, ad illum natura hominis inclinat, estque lege naturali præceptus. *Probatur* ratione D. Thom. in articulo, quæ quantum ad hoc demonstratio est, & cuique mediocriter instituto peruia: quo fit vt in secunda classe eorum quæ sunt legis naturæ collocetur, quis enim dubitet hominem Deo suæ creationis, & conseruationis, ac omnium bonorum autori debere subiectionem & reuerentiam, in quibus ratio cultus consistit.

Dico secundo. De lege naturæ est cultus Dei externus. Hoc etiã probat ratio D. Thomæ in articulo, q̃ ad id demonstrandũ adducitur, 3. *contra gentes, cap.* 19. ea est, cõnaturale est homini, vt mẽtem suam sensibilibus exprimat, sed tenetur se subijcere Deo, ac illum vereri vt omniũ bonorũ suorum fontem, à quo pẽdet in adiuuari & dirigi, quod esse de lege naturæ in priori dicto probatũ est: ergo connaturale etiã debet esse homini externè Deum colere sensibilibus signis, quia sic exprimit mentem suã circa Dei cultum. *Dicet fortasse* quispiam posse hominẽ sic exprimere mentem suã, sed non teneri. *Contrà primò*. Quia ex interno affectu naturaliter sequitur externa manifestatio, vix enim posset homo animũ suum interius continere, & ideò si interior cultus est de lege naturæ, consequenter fit, vt sit etiam exterior. *Secundo*, quia vt notat D. Thomas, vbi supra, ista exterior subiectio manifestata per res sensibiles non solùm iuuat, sed ferè necessaria est ad interiorem cultũ; quia naturale est homini, vt per actus externos, & ad interiora excitetur; imò vix potest ad diuina eleuari, nisi istorum sensibiliũ manuductione. Istum cultum externum reor esse collocandum in secunda classe eorum, quæ ad legem naturæ pertinẽt. *Fateor* non tã euidẽter procedere ꝓbationes, sicut illæ quæ de cultu absolutè loquendo procedunt. Nec mirũ; nã vt præmonui non æquali euidentia inferuntur ex principijs per se notis, per euidentem consequentiã omnia, quæ ad legem naturæ pertinent. *Secundò probatur* ex Damasceni doctrina citati à D. Thoma superius *quæstione præcedenti, artic.* 2. nam homo à Deo habet non solùm animam, sed etiam corpus, ab eo indiget adiuuari & regi non solũ anima, verũ & corpore: ergo non solùm anima, sed etiã corpore tenetur eum colere: non quidem quia Deus aliquo sensibili signo indigeat, vt nostra interiora agnoscat, vt Hæretici calumniantur, sed vt nos totos non solum animas, verum etiam corpora Deo subijciamus per cultus opera. 8 D. Thom.

Dico tertio. Sacrificium propriè & rigorosè acceptum pro oblatione Deo facta, circa quam aliquid exercetur est de lege naturæ. Hæc conclusio est Aristotelis. 5. Ethicorum, & D. Thomæ in corpore articuli & ad primum, vbi ait oblatio sacri- 9 Arist.

sacrificij in cõmuni esse de lege naturali, & ideò in hoc omnes conueniunt, sed determinatio sacrificiorum est ex institutione humana vel diuina: D. Tho. sequuntur omnes eius discipuli: idẽ sentit Clemens *lib. 6. constit.* 20. dicens, antiquos patres naturali lege admonitos sacrificasse, & Clem. Eusebius vbi supra ait, hominem debere offerre Deo vitam suam in sacrificio, tamen quia nõ expediebat humanum sanguinem sacrificare, ideò lege naturæ introductum esse, vt in sacrificium animalis vel aliquid huiusmodi commutaretur: & Cassianus *collat.* 8. *cap.* 23. dicit Abel naturali Cassian. lege adductum sacrificasse. *Deinde probatur ratione* D. Thom. quæ à calumnijs contra eam obiectis vindicanda est: & existimo sacrificium hoc debere collocari in tertia classe eorum, quæ pertinent ad legem naturæ, vt pote quorum illatio ex principijs naturæ infertur per euidentem consequentiam, sed ex tot præmissis & tot consequentijs, vt demonstrationis euidentia solis sapientibus reseruetur.

Hoc dictum est contra quosdam viros perdoctos & graues existimantes iure naturali non esse

10 præceptum sacrificandi, sed duntaxat iure gentium: quod si aliquando dicatur esse de lege naturali, ideò id dicitur quia est medium satis accõmodatum ad implendum præceptum de cultu Dei externo, non quia ex vi solius legis naturæ sit præceptum de sacrificio. Mouentur maximè vlt. arg. allato contra conclusionem, & demonstrationem D. Th. Sic inter alios Pater Suarez *lib.* 1. Suarez. *de diuino cultu cap.* 3. & Abulensis *Genesis.* 6. *quæstio.* 14. circa finem quæstionis dicens: non sacrificare alij, quàm vero Deo est de iure naturæ, & sacrificare vera Deo non est de lege naturæ. quia ea quæ sunt de iure naturæ computantur inter præcepta iuris naturæ necessaria ad salutem, at sacrificare non est necessarium ad salutem, quia non est de dictamine rationis.

Sed aut ego fallor, aut isti autores decipiuntur: nam lumine rationis ducti, sine vlla institutione diuina, aut humana ab initio mundi, & ab Abel iusto, & deinceps inter præcipua opera, & potissimas curas viri iusti habuerunt Deo sacrificare: ergo cõputatur inter naturalia præcepta, quæ ex institutione naturæ homines adimplere tenentur. Antecedens patebit discurrenti per singulas ætates, & tempora maximè in statu legis gratiæ. Consequentia verò probatur. Quia si tantum esset in consilio sacrificare, non tanti fieret, nec tã instanter curam eius haberent omnes. *Confirmatur.* Quia in omni ætate, & apud omnes nationes à magistratibus solerti cura & rigorosis iussionibus indicta sunt sacrificia, sine quibus creditum est Rempublicam non posse coalescere. Ergo similiter creditum est, ea esse de iure naturæ, aliàs non tanti fierent, nec tanto rigore exigerentur.

Secundo. Omnes virtutum actus ad quos natura primo inclinat, idest non mediante institutione diuina aut humana, sunt de lege naturæ: vt colligitur ex doctrina D. Thoma 1. 2. *q.* 94. *ar.* D. Thom. 3. huiusmodi est sacrificare Deo vero: ergo. *probatur minor*, quia vt ait D. Thomas hic ad primum, quamuis determinatio sacrificiorum ad has vel illas res, ad hos vel illos ritus sit ex institutione diuina vel humana, tamen in communi sacrificare, non habetur ex tali institutione. *Tertio.* Si sacrificare ea duntaxat ratione dicitur pertinere ad legem naturæ circa Dei cultum externum, etiam sacrificare has vel illas hostias, his vel illis ritibus: Imò omnis actus virtutis determinatus ex præscripto diuino aut humano, diceretur esse de lege naturæ, quando in hoc à multis alijs actibus secernitur: ergo propriè & in rigore de lege naturæ est. *Quartò* ex rationis dictamine habetur homines debere Deo subijci, & aliqua illi offerre in recognitionem dominij supremi: hoc fit per sacrificium: ergo sacrificium præceptum est secundum legem naturæ. *Consequentia* est euidens. *Maior* etiam ex eo, quod serui debent agere erga dominos suos. *Minor* etiã notissima est, quia ab initio mundi ex naturæ instinctu id & propter illum finem, ita egerunt homines iusti, imò etiam iniusti.

Ad argumenta in oppositum respondetur. *Ad primum*, circa ea, quæ pertinent ad legem naturæ, vt prima & cõmunia principia nõ cotinget errare, nisi amẽtes, qualis erat ille, qui dicebat in corde suo: *Non est Deus*: similiter circa ea, quæ pertinẽt ad legem naturæ, vt conclusiones illatæ ex illis primis principijs per euidentem consequentiam quando modico discursu indigent, vix continget errare sapientes, nisi propter peccata sua Deo tradente eos in reprobum sensum cæci facti sint. Cæterum circa ea, quæ vt inferantur ex primis principijs, diligens inquisitio multarum præmissarum & circumstantiarum necessaria est, nõ est mirum sapientes aliquando errare, & in hac classe collocantur sacrificia: quæ vt innotescat esse de iure naturæ multa supponenda, multa consideranda sunt: verbi gratia, quod in natura est aliquod supremum, quod vocamus Deum, & quod ille cognoscit omnes actus nostros singulariter, & quod est noster benefactor in quibusque singularibus: & ex his inferendum est hominem, qui se defectuosum sentit deberi subdi illi, vt adiutori & directori, non solum mente verum & corpore: nec hoc sufficit: sed vlterius necesse est, quod ad profitendum eius dominium secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt, in recognitionem dominij res nostras ei offeramus per sacrificia, quæ sunt protestationes quædã à natura inuentæ ad profitendam eius vniuersalẽ supra omnia dominationem, & adhuc nõ omnes capiunt huius illationis euidentiam: vnde non mirum Senecam, Auerroem (quidquid sit de Aristotele) in hac parte cæcutijsse, & multos sapientes nostri seculi de hac re dubitasse. 11

Ad secundum respondetur ex doctrina D. Thomæ D. Thom. 1. 2. *quæstion.* 100. *artic.* 3. & 4. *ad* 1. non omnia pręcepta legis naturæ expresse haberi in Decalogo, quædam propter nimiam euidentiam, qualia sunt de iure naturæ, vt præcepta fidei, & dilectionis Dei, quædam propter tenuem eorum euidentiam, qualia sunt illa quæ colliguntur ex prioribus, per euidentem consequentiam, sed magna præmissa inuestigatione vix peruia sapientibus: huiusmodi est præceptum sacrificiorum, quod

quod reducitur ad tertium præceptum Decalogi per additionem, & præclarè docet D. Thomas *loco citato artic.* 11. dicens omnia cæremonialia præcepta addenda esse tertio præcepto, idest, reducenda esse ad illud.

12 *Sed arguit quispiam.* Præceptum sacrificiorum iuxta mentem nostram superadditur tertio præcepto, vt cærimoniale præceptum: at cæremonialia præcepta non sunt legis naturæ, sicut neque iudicialia: ergo ex doctrina tradita potius colligit, præceptum sacrificandi non esse de lege naturæ. *Respondetur.* Præcepta cæremonialia dicuntur, quæ pertinent ad Dei cultum, qui cæremonia vocatur, & benè notat D. Th. 1. 2. quæst. 99. art. 3. Sed ista sunt in duplici differentia, quædam quæ ex vi institutionis humanæ aut diuinæ sunt determinatiua præceptorum Decalogi, nó ex vi naturalis instinctus: cuius generis fuerunt in veteri lege ferè innumera præcepta cæremonialia, & fortassè aliquot in lege naturæ: & ista non sunt illa præcepta cæremonialia, quæ ait D. Thom. superaddenda esse tertio præcepto Decalogi. Alia verò sunt præcepta cæremonialia, quę non ex vi institutionis diuinæ aut humanæ, sed ex vi institutionis naturæ sunt cæremonialia, idest, pertinēt ad cultum Dei; imò sunt determinatiua præceptorũ Decalogi, quæ ad cultum Dei pertinent: & ista sunt de quibus dicit D. Thomas superaddi tertio præcepto Decalogi, & ista moralia sunt, & ad legem naturæ pertinent, vt colligitur ex D. Thoma. 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 11. & maximè solutione ad secundũ, inter quæ nos annumeramus præceptum sacrificandi in communi, quod dicitur cæremoniale, quia ad cultum Dei pertinet: quia tamen non habetur ex institutione, sed ex instinctu naturæ, dicimus esse morale, & pertinere ad legem naturæ: ex quo sumitur argumētum pro nostra sententia. Aliquot præcepta pertinentia ad Dei cultũ, & superaddita tertio præcepto vt determinatiua eiusdem reperiuntur, vt patet ex traditis à D. Thoma & nobis: inter ista autem, quæ sunt, rogo, ni si sacrificare Deo vero? laudare illum vocaliter, & similia? *Dices,* colere Deum externo cultu. *Contrà,* nam hoc præceptũ non est determinatiuum tertij, imò quid communius.

D. Thom.

D. Thom.

13 *Sed rogabit quispiam,* quo tempore obligat hoc sacrificandi præceptum, stando in sola lege naturæ nulla facta determinatione per legem positiuam, diuinam, aut humanam? *Respondetur,* communem esse difficultatem omnibus legis naturæ præceptis, & fortassè difficiliorem in sacrificandi præcepto: existimo tamen aliquoties in vita obligare quando scilicet arbitrio prudentis iudicaretur esse necessarium profiteri Dei dominatum, ad quam professionem ipsa natura adinuenit sacrificia, & pariter existimo Abel, & Cain hoc instigante præcepto sacrificia obtulisse Deo. *Ad confirmationem respondetur.* Patres citatos non facere sermonem illic de sacrificijs in communi, quæ nos dicimus esse de iure naturæ & in præceptis iuris naturæ, sed de sacrificijs determinatis per certos quosdam ritus ac cæremonias, quibus (vt existimo) ornabantur omnia sacrificia, quæ à Patribus etiam legis naturæ offerebantur: hæc autem sic determinata sacrificia nos non asserimus pertinere ad præcepta legis naturæ.

Ad tertium respondetur. Absque dubio omnes, quotquot iusti reperti sunt in lege naturæ, sacrificia Deo obtulerunt: non tamen necessarium fuit, omnium sacrificia scripto tradi. Cuius duplicem rationem affirmat D. Thomas. *Prima.* 14 Quia cum in Adam notatur origo peccati, non decuit, vt in ipso sanctificationis origo signaretur. Similiter Isaac figura Christi fuit quatenus immolandus parabatur, vnde non debuit scribi vt sacrificium offerens, nec ratio mystica omninò est: *quare magis placet secunda,* nimirum, non esse necessarium, vt omnia quæ à Patribus gesta sunt Scripturæ sacræ committerentur, eo vel maximè, quia in sacrificijs Adam, & Isaac fortasse nihil magni gestum est, pertinens ad significandum aliquod Christi mysterium inclytum, ad quod omnia eorum gesta ordinabantur.

In quarto argumento ponuntur aliquot calumniæ aduersus rationem D. Thomæ. *Ad primã* 15 Caietanus ait fieri sermonem de quibuscunque defectibus, siue corporis siue animæ: & quidem si loquamur de defectibus corporis, ratio naturalis dictat etiam cœlestia corpora experta defectuum corporalium dependere à Deo supremo motore in influendo in ista inferiora, & mouente ea non necessitate naturæ, sed liberè: de quo prima parte: ac proinde nos huic supremo motori debere subijcere offerendo in signum subiectionis, & recognitionem dominij res has sensibiles, quod pertinet ad sacrificium. *Ad confirmationē* negatur cōsequentia, quia licet suo modo subduntur Deo animalia irrationalia, non tamen propter defectus, quos in se sentiunt: quia hoc esset operari propter finem, quod brutis nō conuenit. Secus de homine dicendũ, qui & operatur propter finem, & capax est præfatæ cognitionis, summissionis & sacrificij, quod est opus liberum. Si verò loquamur de animæ defectibus, aut corporis in ordine ad animam, apertior responsio est, hominem scilicet etiam adiutum lumine intellect⁹ agentis, & totis naturæ virib⁹ experimento cognoscere, se deficere sæpè, & in cognitione, & in rectitudine appetitus: & deficiens in aliquo maximè si agens liberum sit, naturaliter inclinatur, & conatur, se subijcere indeficienti, vt adiuuetur, & dirigatur ab ipso, non solũ affectu interno, verũ & externo cultu exprimendo hanc subiectionem per oblationem rerum sensibilium: quia hoc connaturale est illi: & aduertit Caietanus hanc esse demonstrationem in moralibus, & ob id non esse exigendam euidentiam mathematicam, sed qualitercunque rationabilem.

Caiet.

Ad secundam calumniam respondetur. Multò euidentius procedere rationem D. Thomæ ad probandum Deum esse colendum internè, & per actus internos, quàm per actus externos. Cæterum de cultu externo, etiam eius ratio procedit, propterea quod connaturale est homini exprimere suos affectus per signa sensibilia, à quibus cogni-

cognitionem accipit:vt inter arguendum responsum est.

Ad tertiam respondetur, nullum esse inconueniens cognitionem maiestatis, & dominij diuini præcedere actionem sacrificandi, & rursus per sacrificia excitari,& augeri:sicut nō est inconueniens charitatem causare deuotionem, & deuotionem nutrire charitatem.

16 *Ad quartam calumniam illi*, qui putant in rigore loquendo sacrificium non esse de lege naturæ respondent. Quando Doctores aiunt sacrificia esse de lege naturæ, vel loquūtur de sacrificio in cōmuni,& amplissimo & metaphorica acceptione,vel loquuntur de sacrificio formaliter, vt conuertitur cum Latria externa, idest, cultu externo:& fauet D.Thomas, *tertio contra gentes cap.* 19.vbi hanc eandem rationem ferè iisdem verbis adducit ad probandum rationem naturalem dictare Deum esse etiam externè colendum, vel denique argumento conuicti fatentur, eatenus sacrificium strictè sumptum dici de lege naturæ, idest,medium consentaneum ad implendū præceptum de cultu externo, quod est de lege naturæ. Istorum tamen solutio nō est ad mentem D. Thomæ, qui loquitur in tota hac quæstione de sacrificio,vt distinguitur ab alijs operibus externi cultus, & ait esse de lege naturæ,eo quod natura ad illud inclinat,&eo quod est de dictamine rationis, vt patet ex eius ratione. Præfati igitur autores,vt existimo,in duobus decipiuntur principijs ex quibus inferunt suam positionem. *Primum est*, quia censent nos inferre sacrificium esse de iure naturæ, ex hoc solo quod externus cultus est de iure naturæ, quod est quasi argumentari à superiori ad inferius affirmatiuè,inualidum certè argumentum.

D.Thom.

17 *Secundo* decipiuntur existimantes, actiones quibus impletur obligatio cultus externi, nō esse præcepta legis naturæ, etiam si non sint ex institutione diuina, aut humana, sed tantum media quædam consentanea ad implendum præceptū de cultu externo,quod est iuris naturæ:quod esse falsum probo.Præcepta superaddita tertio præcepto Decalogi,quæ ad cultum externum pertinent,sunt legis naturæ:at illa nihil aliud sunt,quā quædam media determinatiua præcepti de cultu externo, & impletiua istius: ergo vera præcepta sunt legis naturæ.Maior patet ex doctrina tradita & sumpta ex D.Thoma in locis ꝓximè citatis: minor etiam certa videtur, nam rogo, quæ sunt illa pcepta,nisi media quædam determinatiua & impletiua cultus externi,verbi gratia,ore laudare Deū, ei gratias agere, eidē sacrificare, eū externe adorare,& similia.*Confirmatur*,quia nulli debet esse dubiū,quin aliquando stando in sola lege naturæ, quis poterat peccare propter omissionem laudis diuinæ externæ,aut propter omissionem sacrificij : sed illud peccatum esset contra præceptum legis naturæ, de non laudando, de non sacrificando,&c.Ergo.

Dices, contra præceptū de non colendo externe.*Contra*,quia occasio, q̄ secum tulit obligationē præcepti supponitur non fuisse de colēdo externè,sed de laudando Deū, aut de offerendo illi sacrificium. *Confirmatur secundo*, quia quamuis præceptum de honorādis parentibus impleatur illis periclitantibus subueniendo illis, esurientes pascendo, illis venientibus assurgendo; non tamen ob id negandum est esse de lege naturæ hæc omnia facere, & transgressores peccare contra præcepta iuris naturæ: ergo pari ratione quamuis,per sacrificium, & per laudem externam impleatur præceptū de cultu Dei externo, nō propterea negandum est esse de lege naturæ sacrificare, & hæc omittentes peccare contra præceptū legis naturæ.An verò hæc sint distincta præcepta ab illo communi,cole Deum externè nec ne? nō immoror,modò fatearis hæc esse de lege naturæ precepra, credo tamen esse diuersa superaddita illi præcepto, cole Deū externè, & simul determinationes illius,non ex vi institutionis diuinæ, aut humanæ,sed ex vi instinctus naturæ.

Ad argumentum ergo, quo vtuntur prædicti, vt Achille, *Respondetur*,D.Thomam in ratione articuli multa compendiose demonstrare.In priori eius parte probat rationem naturalem dictare Deum esse colendum, in secunda esse colendum externè.Quo supposito in vltima rationem naturalem dictare esse colendū per sacrificia, probat autem in hunc modū: ratio naturalis dictat quod homo vtatur rebus sensibilibus offerēs eas Deo in signum debitæ subiectionis & honoris, quæ debentur ei in recognitionem dominij vniuersalis erga omnia: sed hoc fit per sacrificiū: ergo ratio naturalis dictat Deo esse sacrificium offerendum.*Maior* habetur partim ex eo, quod dictat ratio naturalis Deū esse colendum externè rebus sensibilibus, partim quia ex eodem dictamine habetur eum esse colendum vt Dominum omnium,& esse profitendum eius dominatum, non solum internè, verùm & externè: etenim si benè res inspiciatur ex debito cultus interni consequitur debitum externi, vt homo suo modo connaturali procedat. 18

D.Thom.

In minori autem est difficultas, propterea q̄ posset quis dicere, non solum hoc posse fieri per sacrificium,verum & per alia opera externi cultus;nos verò existimamus satis esse quod sacrificium sit mediū consentaneum habitū non ex institutione diuina,aut humana, sed ex institutione naturæ.Quibus accedit, quod illa protestatio diuini dominij per nil aliud fit ita apertè,expresse,& conuenienter,sicut fit per sacrificium,vt ostendemus inferius,postquam naturam sacrificij intimius perscrutati fuerimus:certè si hoc nō sufficit, neq; etiam demonstrabitur præceptum de sāctificatione Sabbati esse de lege naturæ.Quod vt penetres scito ex D.Th.potissime *ex 2.2.q.122. art.4.* præceptū de sanctificatione Sabbathi esse partim morale, & de lege naturæ, partim cæremoniale & de lege positiua: de lege quidem positiua, quatenus ex decreto diuino in lege scripta statutus est dies Sabbathi ad vacandū cultui Dei externo,& in memoriam beneficij creatoris: de lege verò naturæ,quatenus ratio naturalis dictat esse deputandos certos dies & tempora pro cultu Dei externo, & in memoriam beneficij creationis.Demōstratio autem huius procedit in hūc modum : Deus colendus est externo cultu : ergo deputandi sunt certi dies & tempora ad vacandū eidem cultui.

Aduerte tamen qui calumniaris rationem D. Tho. in articulo, pari ratione posses hanc demõstrationem calumniari, dicens consequentiam non esse infallibilem: nam externus cultus posset exerceri, siue essent deputati dies pro illo, siue non: nos ergo dicimus satis esse, vt consequentia in materia morali sit euidens, quod esse deputatos certos dies pro eo cultu, sit congruentius & conuenientius: tum vt ipse cultus cũ maiori prouidentia exerceatur, dum præuisi sint dies eidem deputati: tum vt populus cõmodius cõueniat ad assistẽdum tali cultui: & pari ratione dicimus satis esse ad euidentiam illius minoris assumptæ in demonstratione D. Thom. quod sacrificium sit medium quoddã à natura fabricatum conuenientius & apertius ad ꝓfitendum Dei dominium vniuersale & independens supra omnẽ creaturã. Hinc patet ad quartam calumniam contra rationem D. Thom. respond. namq; negando quod ex nullo principio naturali inferatur euidenter sacrificium esse de lege naturæ. Infertur, licet nõ euidentia mathematica, morali tamen, id est, rationabiliter procedente. vt iam exposui.

ARTICVLVS II.

Vtrùm soli Deo sacrificium offerendum sit?

CONCLVSIO est affirmatiua. *Probatur.* Soli Deo debemus sacrificium spirituale offerre: ergo eidem soli offerẽdum est exterius sacrificium. Cõsequentia probatur, quia sacrificium exterius est signum sacrificij interni, iam enim traditum *est superi⁹ q. 81. a. 7. & q. 84. a. 2.* actus exteriores Religionis ad interiores ordinari, tum vt signa, tũ vt excitatiua eorum: ergo vt proportionetur sicut sacrificium interius soli Deo fit, sic & exterius. Et confirm. vis eiusdem conseq. quia quãdo voce oramus Deum, aut laudamus eundẽ, sicut ad eum dirigimus voces significantes, sic & res significatas in corde, id est, conceptas offerimus, vt signa rebus significatis proportionentur. Antecedens verò prioris enthimematis probat D. Thomas non aliter, quàm explicando, in quo consistat sacrificium interius, nẽpè in hoc quod anima se offert Deo, sicut principio suæ creationis, & sicut fini suæ beatitudinis, quæ omnia soli Deo conuenire fides docet. Secundò probat conclusionẽ ex obseruantia cuiusq; Reipublicæ benè institutæ, quæ solet Regẽ suum honorare aliquo peculiari signo nulli alteri communicabili sine læsæ Maiestatis periculo.

DISPVTATIO I.

De veritate conclusionis D. Th.

1 CONTRA quam arguitur *primo & secũdo ca. Danielis*, vbi narratur Regẽ Nabuchodonosorem, Danielem adorasse simul & præcipisse, vt hostias & incẽsum ei sacrificassent: si autem nefas esset sacrificare, nisi soli Deo, Daniel prohibuisset tantum crimen sui occasione admitti: non tamen prohibuit. ergo licitũ est sacrificare alijs, etiam à Deo.

2 *Secundo.* In articulo præcedenti vsus est D. Th. hac ratione, vt demonstraret esse de lege naturæ Deo sacrificare: nam ratio naturalis dictat, vt homo se subdat, ei quẽ superiorem nouit, à quo possit adiuuari, & dirigi in suis defectibus subleuandis, aut remouendis: sed hæc ratio etiam probat debere nos Angelis sacrificare, eo quod naturalis ratio dictat eos esse nobis superiores, posseque de facto nos adiuuare & dirigere, ꝓ nostris defectibus amouendis: ergo non soli Deo sacrificare licet.

Tertio. Adorationis genera, vt genuflexiones, pectoris tunsiones, licitè deferuntur non solùm Angelis, verum & hominibus aliqua dignitate præcellentibus, vt in superiori quæstione docuimus ex sacra Sacriptura: ergo & sacrificia poterunt nõ solum Deo, verum & Angelis, & hominibus præcellentibus deferri. Consequentia probatur: tum ex paritate rationis, tum quia multo maior honor impenditur alicui se coram eo prosternendo, quàm sit oblatio alicuius animalis, vel rei alterius parui pretij in sacrificium. *Confirmatur.* Adorationes creaturarũ & Dei distinguũtur ex intentione: adoratio quæ fit Deo procedit ex intentione colendi Deum, vt primum omnium rerum principium & finem: adoratio vero creaturæ, non sic, sed ex intentione colendi hominẽ propter aliquod præcellẽs quod in ipso est: ergo pari ratione possent distingui quædam sacrificia adaptata Deo, quædã verò creaturis supereminentibus.

Quarto. Templa & altaria destinata ad sacrificia dicantur Sanctis, & Angelis, ergo & sacrificia ipsa offerri eisdem poterunt.

Non mirum videri debet cæca prauitate imbutos admittentes plures Deos cuilibet esse sacrificandum censuisse. Vnde & fuere multi Gentilium, vt ait D. Th. *super primũ caput Epistolæ ad Romanos lect. 7. circa finem*, & expresi⁹ *tertio contra gẽtes, cap. 120.* existimantes diuinum cultum & sacrificia esse exhibenda multis alijs à Deo, nempe Angelis, astris, Dęmonibus, & bonis Angelis, ac denique omnibus, qui superiores hominibus sunt, etiã ipsis animabus à corpore egressis, quas Heroes seu Manes appellabant. Quin imo Plato, & eius discipuli, qui posuerunt vnum Deũ conditorem & supremũ omnium principium, in hoc cæcutierunt, vt ponerent non solum illi, verũ & omnib⁹ Angelis, siue bonis, siue malis, esse tribuendos honores diuinos, maximè sacrificia: quos cõmemorat, & redarguit elegãter D. August. *lib. 10. de ciuitate Dei c. 1. 2. 3. 7. & 19.* videndus etiam est D. Thom. *tertio contra gentes cap. 120.* 3 D. Thom. D. Aug. D. Thom.

In eodem errore versati sunt Iudæi quidã etiam tempore D. Pauli, quos ille refert ad Colossen. 2. dicens: *Nemo vos seducat volẽs in humilitate & religione Angelorum; &c.* Qui locus licet variè exponatur, Hieronymus tamen ad Algasiam Epist. 151. *quæst.* 10. post multam inquisitionem eius videtur esse sententiæ, vt in illis verbis, *in Religione Angelorum*, Paulus voluerit exprobrare Iudæis, eo quod diuinos offerrent honores astris cœli, quæ animata Hieron.

Epiphan. animata putabant, & vt refert Epiphanus *in pan. lib. 1. cap. 16.* ob id eis imposuerunt nomina Hebraica, & Angelos etiam cultu diuino colebant. ab hac Hieronymi sententia nō lōge abest Clemens Alexandrinus Strōmatum, lib. 6. dicens: *Neq; colite Deum vt Iudæi, etenim illi soli se nosse Deum putantes nesciunt se adorare Angelos, & Archangelos. mēsem, & Lunam, & nisi Luna apparuerit, non agunt Sabbatum, quod dicitur primum, neq; agunt neomenia. neque azyma neque magnum diem, &c.*

Clemens Alexand.

4 Nihilominus inconcussā fide tenendū est soli Deo vero esse sacrificium offerēdum, quidquid sit de alijs honoribus exhibendis. Probatur, Exo. 22. *Qui immolat Dijs occidetur præter Domino soli*, & Iud. 13. dicente Manue ad Angelum: *Faciemus tibi hædum de capris*, cui Angelus, *Si me cogis non comedā panes tuos, si autē vis holocaustū facere, offer illud Domino*: ac si diceret scito soli Deo esse sacrificium offerendum: & Actorum. 14. Paulus & Barnabas nequaquā passi sunt, vt sibi immolarent Licaonici ciues, existimātes magnum nefas esse sacrificia offerri nisi Dn̄o soli. Secundo ꝓbatur ex D. Augustino. 10. de ciuitate cap. 4. dicente. *Vt alia nunc taceā, quæ pertinent ad Religionis obsequiū quo colitur Deus sacrificium certè nullus hominum est, qui audeat dicere deberi nisi Domino soli. Multa deniq; de cultu diuino vsurpata sunt quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera: ita tamē vt quibus ea deferuntur homines haberentur, qui dicuntur colendi, & venerandi, si autē eis multum additur & adorandi: quis verò sacrificandū censuit nisi ei quē Deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit?* Idem elegāter cap. 19, & c. 6. *Sacrificium etsi ab homine offertur, res tamē diuina est*, & Epistola. 49. quæst. 3. *Intelligendum est.* inquit, *quàm sit res antiqua sacrificium, quod non nisi vni vero Deo offerri debere veraces ac sacræ literæ monēt.* Idē latè versat cōtra aduersarios legis & Proph. cap. 18. & lib. 8. de ciuitate cap. 17. Deinde ꝓbatur ratione D. Thomæ, in articulo, q̄ egregia est.

Exod. 22. Iud. 13. Acto. 14. D. Augu.

5 Ad argumenta in oppositum, ad primū ex testimonio Danielis respondit D. Hieronymus *elegāti cōmentario videndo* à curioso lectore, ex cuius doctrina resp. Nabuchodonosorē non tā Danielē adorasse aut ei sacrificasse, quā Deo in Daniele, ꝗ & fecisse Alexādrum Magnū in Pōtifice Ioiada, narrat Ioseph⁹, *in 11. lib. antiqui.* & subdit Hieronym⁹, ꝗ si hoc displicet dicendum est, Nabuchodonosorē signorum magnitudine, & stupore cōfusum, quid faceret ignorasse, sed nō cēseo nimis laborādū in excusatione Regis Ethnici: etenim error Gētilium fuit vt vidimus omne ꝗ supra se esset Deum putare, & vt Deum colere: viderat autē Danielē obscurum sōnium & interpretationē edisseruisse ꝗ plusq̄ humanum apparebat. *Nec huic obstat*, ꝗ Deum Danielis magnis extolleret laudibus super omnes Deos quia vt dicebā Gētiles multos Deos admittebant, & quosdā alijs excellētiores. Sed potissimè nostra disputatio versatur in explicādo quomodo Daniel obsequium sacrificij non refutasset, si soli Deo debetur? resp. quidā secundum versionē Hebraicā nō haberi pcepisse regē offerri Danieli sacrificia, sed donati, nā vbi nos legimus *Hostias*, Hebraice legitur *Minchah*, ꝗ denotat munera, quæ etiā hominibus offerri solēt, & nō habetur *Debah*, ꝗ significat sacrificium animalium, quare 1. Reg. 10. vbi dicitur quosdam noluisse Saulem Regem nec ei dedisse munera, Hebraice habetur. *Mnchh.*

D. Hiero.

Sed cum in vulgata lectione necessario ab Orthod sequenda, sit sermo de sacrificijs aliter resp. est. Theod. super hunc locum exponit iuxta trāslationē Septuaginta fere sicut relati Hebrahizātes, Septuaginta nāq; legunt, *Māna & bonum odorē dixit libare & māna* interpretatur Theod. *Thus*, & ita sensus est Nabochod. admirans sapientiā & spiritum intelligentiæ Danielis, in signum honoris & reuerētiæ iussit ei offerri munera odorū, & suffituum. Theod. nō vsq; adeò placet, tum quia nō sequitur vulgatā lectionē, tum quia illa odorāmēta, & suffitus oblati Danieli sacrificia sunt; vt pote quibus cōuenit definitio sacrificij inferi⁹ ponēda, & sic nō soluitur difficultas in arg. ꝓposita. *Alij aiunt* in eo loco accipi sacrificiū in larga quadā acceptione pro oblationibus & donarijs, quæ etiam hominibus exhiberi solent, sed isti loquuntur sine fundamento. Theod.

Quare melius resp. cū Lyrano, & Dionysio Carr. & alijs Regē Ethnicum præcepisse offerri sacrificia Danieli, Danielē vero id recusasse & auersatū esse edocēdo Regē talē ritum soli vero Deo cōuenire, ꝗ licet scriptum nō sit sicut pleraq; alia, nō aliud fas est credere de sācto & pijssimo Propheta, quē Deus post hæc ostēdit sibi charū multis editis miraculis pro eius incolumitate, & multiplici scientia & intelligentia secretorum cœlestium nobilitando. Lyran. Carth.

Ad secundum resp. In priori demōstrationis Thomisticæ parte revera nō ꝓbari solum Deum esse colendū, vt argumentū ꝓbat, verum & Angelos, nō cultu Latriæ qui soli Deo debetur, sed Duliæ, qui etiam creaturis exhibetur. Cæterum vltima pars demonstrationis, quæ de cultu sacrificandi procedit non habet locum in Angelis, sed in solo Deo vt patebit legenti. 6

Ad tertium negatur consequentia, quia hoc habet peculiare sacrificium inter omnes actiones religiosi cultus, siue illud habeat ex natura rei, siue ex consuetudine, de quo infra: quod est duntaxat signum honoris & reuerentiæ, quæ debetur Deo, vt principium & finis est omnis creaturæ, ac proinde vt dominus est vniuersalis omnium: vnde hoc signum incommunicabile est cuique alteri, præterquam Domino soli. Cæterum aliæ actiones religiosi cultus, vt genuflexio, prostratio, & similes nō sunt tantùm adaptatæ in signa diuinorum honorum, sed etiam communicantur creaturis eminentibus: distinguuntur autem ex parte intentionis, vt dicitur in confirmatione. Et ad probationem consequentiæ negatur antecedens, eo quod excellentia sacrificij supra omnes alios actus externos religiosis nō expenditur penes pretium rei sacrificatæ, sed ex significatione natiua incōmunicabili creaturæ, nempe quia fit in honorē summi rectoris totius vniuersi: & hinc est, quod Dæmones affectant sibi sacrificari, vt sibi vendicent diuinos honores: egregiè August. 10. de ciuitate, cap. 19. *Dæmones non cadauerinis nidoribus, sed diuinis honoribus gaudent.* August.

7 *Ad confirmationem* negatur consequentia: quia visibile sacrificium soli Deo adaptatur, siue ex in-

ex instinctu naturæ, siue ex cõsuetudine. Adorationis verò modi indifferentes sunt ad Deum, & creaturas excellentes: distinguuntur autem tantùm ex intentione adorantis, quapropter adorãtes aliquot eminentes creaturas, non ob id idolatriæ arguendi sunt, sed ex intentione adorantiũ perpendendum est, an licitè vel illicitè adorent: at verò sacrificantes creaturis, idolatræ censendi sunt, siue hac, siue illa intentione id faciant.

Ad quartum negatur consequentia, quia non dicamus Sanctis altaria, vt illis sacrificemus, sed Deo eorum, & nostro, & in sacrificio cõmemoramus eorum victorias, gratias ei agentes ipsomet sacrificio, & ad eorum imitationem prouocamur: luculenter de hoc D. August. *lib.8. de ciuitate, cap.27.* cuius verba formalia desumpsit Synodus Tridentin. *sessione.22. cap.3.* Consulto supersedeo à disputando, vtrum imaginibus Dei & Christi, & eius soli humanitati sint exhibenda sacrificia? ne disputationes extraham à proprijs sedibus, collocantur autem præfatæ, *tertia parte quæstione.25.*

August.

DISPVTATIO II.

An actio sacrificandi, quam in hac quæstione sacrificium vocamus, collocetur in genere signi?

ET loquimur de sacrificio strictè pro actu interno distincto ab alijs operibus virtutum, q̃ vt infra videbimus in ampla quadam acceptione vocantur sacrificia. Et

1 videtur vera pars negatiua. *Primo*, quia aut est signũ naturale, vel ad placitum. Non primũ, quia significatio, quam tribuit D. Thomas sacrificio in corpore articuli (nẽpè quod significet animæ oblationẽ Deo, vt principiũ est totius esse, & nostræ beatitudinis finis) non est significatio naturalis actioni exteriori secundùm se consideratæ, quæ sacrificium vocatur, verbi gratia, occisioni animalis, vel concremationi thuris, aut alteri simili. Ergo ex impositione necessariò debet illi conuenire, & consequenter non erit naturale signũ. *Confirmatur*, in adorationis externæ actibus, q̃ nõ habent vllam significationem naturalem, sed duntaxat ex impositione, nec etiam potest dici signum ad placitum, & ex impositione, aliàs non esset de lege naturæ, cum ea quæ sunt ex institutione diuina aut humana nequeant comprehendi sub lege naturæ.

Secundo. Ratio sacramẽti & sacrificij distinctæ sunt, vt omnes fatentur, sed ratio sacramenti collocatur in genere signi, vt videre licet *in 3. p. q. 60.* ergo sacrificium non collocatur in genere signi.

In oppositum est D. Thomas tam in hoc articulo quàm in præcedenti: idem docuit August.

2 *lib.10 de Ciuitate, cap.5.* dicens, Sacrificium visibile inuisibilis sacrificij sacramentum, id est sacrum signum: & Epistola 49. *quæst.3.* dicit, significatiua esse omnia sacrificia, vt quarundam rerum similitudines: & hæc pars primo loco reponenda, à nobis tenenda est.

August.

Secundum assertum. Etsi significatio sacrificiorum in communi naturalis sit, tamen singulis sacrificijs in particulari ad placitum & ex impositione conuenit. Doctrina est D. Thomæ expressa *in articulo præcedenti, ad primum*, & illam declarat appositissimo simili in solutione ad tertium. Etenim sicut voces naturaliter sunt signa conceptus, quod autem hæ voces ad hæc vel illa significanda determinentur, ex placito & impositione est: sic quod sacrificia significent hominum ad Deũ subiectionem, & reuerentiam per oblationem rerũ sensibiliũ non hominum inuentio, aut institutiõ fecit, sed naturæ instinctus dictauit, aut gratiæ: habet enim gratia suam inclinationem, & impulsum non minorem, quàm natura, maximè præcedente cognitione fidei: quòd verò oblatio istarum rerum aut aliarum id significet ex institutione, & impositione humana est, vt conuincit primum argumentum pro parte negatiua. Priorem verò partem nostræ assertionis probant ea, quæ adduximus ex D. Thoma in præcedenti articulo ad probandum sacrificia esse signa interioris subiectionis, & reuerentiæ ad Deum, non ex humana aut diuina institutione, sed ipso luminis naturalis dictamine impellente, & edocente: & hinc patet ad primum argumentum pro parte negatiua.

Cæterùm quia in sacrificijs priorum virorum 3
tam in lege naturæ, quàm in lege scripta duas animaduertimus significationes, non erit abs re inuestigare, quæ nã ipsarum sit de essentia sacrificij: prima significatio est, quæ assignatur à D. August. vbi supra, & à D. Thoma *in hoc articulo*, qua *D. Augu.*
significatur à visibil. sacrificio inuisibile, ab externo internum, quod diximus consistere in subiectione hominis ad Deum, vt ad principium, & finem ac dominum totius creaturæ: vocemus (si placet) hanc significationẽ natiuam, ac ꝓpriam. Secũda significatio est alicui' mysterij pertinẽtis ad fidem Christi: vocetur figuratiua significatio. De qua re sit

Tertium assertum. Non est de ratione & essentia 4
sarcificij esse signũ alicuius mysterii ad vitã Christi pertinẽtis, licèt ferè semper, & omnia ferè sacrificia hanc significationẽ mysticam habuerint. Probatur secũda pars huius asserti. Nã si quæ significatio sacrificijs assignaretur, maximè circa aliquod mysteriũ Verbi in carne asũpta & ꝓcipuè circa eius passionẽ, qualem de facto habuisse omnia veteris legis docet Aug. 10. *de Ciuitate, c. 5. & 20.* contra faustum, *cap.21. & primo contra aduersarium legis & Prophet. cap.18.* & D. Thomas, 1. *August.*
2. *quæstion.102. articul.3.* & applaudit D. Paulus *D. Thom.*
ferè tota Epistola ad Hebræos, & secundæ ad *Ad Heb.1*
Corinth.10. *Omnia in figura contingebant illis*: & *1. Ad Cor. 10.*
de sacrificijs legis naturæ piè & ꝓbabiliter idem credi potest, incipiẽtes à sacrificio Abel, vt colligit D. Aug. *lib.1. de Mirabilib. sacræ Scripturæ, cap.51.*
Et idem dico de sacrificijs Abrahæ, & aliorũ iu- *D. Aug.*
storum sacrificantium in lege naturæ. Quo motus Sanderus *lib.1. de visibili Monarchia, cap.5.* Sacrificiũ Christi, ait, esse veluti primũ exẽplar cæte- *Sanderus.*
rorum, quæ eò magis propria sacrificia sunt quo perfectius illud repræsentant. Sed hæc signi-

significatio non est propria & essentialis sacrificio: ergo non collocatur essentialiter in genere signi. *Prima autem pars probatur primò.* quia D. Th. in articulo hoc, explicans significationem sacrificij, præfatæ significationis non meminit. *Secundò.* Sacrificium est de lege naturæ: sed hæc significatio alicuius mysterij pertinentis ad Christum, non potest haberi ex solo dictamine rationis naturalis: ergo per eam non collocatur sacrificium in genere signi.

Contra primam assertionis partem est argumentum.

5 Omnia sacrificia habent valorem & virtutem ex Christi passione & virtute: ergo de ratione eorũ est, vt aliquod mysterium Christi significent. *Respondetur primò*, negando consequentiam, nam omnes actiones nostræ sumunt virtutem & efficaciam ab eadem Christi morte, & non omnes significant aliquod mysterium ad Christum attinens: & ratio est, quia hæc virtutis participatio non fundatur in significatione, sed in causalitate vel merito passionis Christi, cui omnia opera nostra innituntur. *Secundò respondet.* Si loquamur de sacrificio, vt sic, falsum est participare virtutẽ & valorem ex morte Christi. nam in statu innocentiæ essent sacrificia, etiamsi Christus non esset in illo futurus. Non est ergo de ratione sacrificij significare aliquod Christi mysterium, licet de facto Deo ordinante fortassè omnia habuerint talem significationem.

6 *Quartum assertum.* De ratione sacrificij externi est significare sacrificium inuisibile, & internum: ista autem significatio in nullo alio consistit nisi in repræsentando hominis ad Deum subiectionem, ac reuerentiam tanquam ad primum principium, finem vltimum, & supremum dominum rerum omniũ. Hæc assertio habetur ex D. Augustino locis citatis in primo asserto, & ex D. Thoma *in hoc articulo & præcedenti, & tertia parte quæst.* 82. *art.* 4.

Ad secundum Resp. multas esse differentias inter sacrificia & sacramenta, licet aliquando in eodẽ coincidant, vt in sacra Eucharistia; cæterùm in ratione signi, quod argumentum quærit, prima differentia est, nam sacramenta ordinantur ad significandam hominis sanctificationem, sacrificia verò per se primò ordinantur ad profitendũ diuinam excellentiã, & cultũ. *Secunda differentia*, nã omnia sacramenta instituta sunt ad significãdum aliquod Christi mysterium, estq; de ratione & institutione eorũ aliquid figuratè significare: aliter res se habet in sacrificijs, vt explanatum est.

Circa diuisionem sacrificij in visibile & inuisibile, quam præfixit D. Thom. *in hoc* 2. *art.* est

DISPVTATIO III.

An vtrumq; diuisionis membrũ veram habeat & propriam rationem sacrificij, nec ne?

1 ET quidem de sacrificio visibili certissima semper fuit apud omnes affirmatiua sententia, præter paucos Hæreticos negantes in lege gratiæ vllum cultum externum, quos præcedenti quæstione retulimus: & ferè infinitis locis sacræ Scripturæ cuique facili negotio obuijs nõ erit difficile impugnare, de sacrificio verò inuisibili non est tam apertum, sed hinc inde variæ assumuntur rationes. Et pro parte affirmatiua arguitur.

Primo ex illo Psal. 50. *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem, vtiq; holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies:* & D. August. lib. 10. de ciuitate capit. 5. idem dicit asserens in præfato Psalmo sacrificium inuisibile, visibili præponi. *Intueamur,* (inquit Augustinus.) *quemadmodum vbi Deum dixit nolle sacrificium, ibi Deum ostendit velle sacrificium, non vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis, &c.* & cap. 6. *Si ergo corpore, quo inferiore tanquam famulo vel instrumento vtitur anima, cum eius bonus & rectus vsus ad Deum refertur, sacrificium est; quantò magis anima ipsa cum se refert ad Deum, vt igne amoris eius accensa formam concupiscentiæ secularis amittat, fit sacrificium.* Non parum fauent huic parti, quæ superius attulimus ex Lactantio, qui adeò extollit sacrificium inuisibile, vt visibile videatur damnare, & D. Thom. *in artic* 4. pleno ore appellat sacrificium internũ sacrificium, & præstantius externo, per quod significatur.

Psal. 50.

D. Augu.

Secundo. Adoratio interna & inuisibilis verè & propriè est adoratio, præstantiorque quam externa, & visibilis, *vt in præcedenti quæstione* docui. Ergo idem dicendum est de sacrificio. Huic parti subscribit Petrus Aragonius Augustinianus, super hunc articulum.

Aragon.

In oppositum est. Nã D. Thom. enumerat sacrificia inter actus exteriores Religionis, & nullo modo inter actus externos: ergo sacrificium purè internum non est propriè, & simpliciter sacrificiũ. Antecedens manifestatur amplius, nam Doctor Angelic⁹ postquã *q.* 81. disputauerat de Religionis habitu & virtute, cõtinuò *in q.* 82. exorditur, ꝑmittens tractatũ de actib⁹ illius: & primò inquit de interiob⁹, nẽpe de deuotione & oratione: secũdo verò, inquit, esse agẽdũ de actib⁹ exterioribus: deinde vero q. 84. sic inchoat: *Postea considerãdũ est de exterioribus actibus, & primo de oratione, secũdo de illis actibus, quibus aliquid de rebus exteriorib⁹ Deo offertur:* tandẽ q. hac 85. sic dicit in principio, *Postea considerandũ est de illis actibus, quibus aliqua res exteriores Deo offerũtur:* & paulò post subiũgit, *Considerandũ est de sacrificij oblationibus.* En D. Th. expressè inter actus externos Religionis cõputat sacrificia, ac ꝑinde interna sacrificia non sentit verè & propriè esse sacrificia. *Secundo.* Sacerdotiũ secundũ fidẽ est aliquod externũ & visibile, vt ostẽdemus *art.* 4. ergo & sacrificiũ: etenim sacrificiũ est actus quidã ad quẽ deputatur sacerdos, vt inquit Paulus ad *Heb.* 5. *Genesis.* 22. cũ Isaac videret patrẽ suum euntẽ ad offerendũ Deo ꝓ se ipsis, vbi erat victima inquirebat: ergo solũ externũ sacrificiũ ꝓprium, & verum sacrificium putabat, alias si internum verum & proprium sacrificium putasset, non id inquireret, cum ad internum non sit opus victima externa.

2

Ad Heb. 5.

Genesis 22.

His

His argumentis conuictus, censeo sacrificium internum, ac inuisibile non esse strictè & propriè loquendo sacrificium, sed per tropum, & figuram: sic loquitur sacra Scriptura, sic & Sancti Patres sæpè, & sic patet ad primum ex *Psalmo.* 50. Cor namque instar frumenti contritum pœnitentia, & diuini amoris igne quasi succensum similitudine quadam deducta à sacrificio externo sacrificium vocatur, quod verò appelletur maximè verum, aut etiam veritas sacrificij, & longè superare externa sacrificia nostræ positioni non obstat. Pro quo

3 *Dico secundo* Sacrificium internum excellit sacrificium externum in ratione rei, & in perfectione virtutis: non verò in ratione signi, & propria ratione sacrificij. Explico singula. In ratione rei excellit sacrificium internum, quia actus interni sunt præstantiores, ad quos exteriores ordinantur in perfectione virtutis: tum quia ipse cultus interior est id, quod præcipuum est in sacrificio externo, & veluti anima seu forma eius, à qua habet, vt sit actus virtutis: tum, quia sacrificio interno nullus potest malè vti, quod est proprium actus virtuosi, secus externo. Quod verò non excellat in ratione propria sacrificij patet ex dictis, & quia ratio sacrificij collocatur in genere signi, hoc habet excellentius externum sacrificium. Sacrificium igitur internum debet appellari sacrificium secundum quid, & metaphoricè, seu ad similitudinem sacrificij externi. *Similibus hæc res declaratur.* In ratione entis, domus spiritualis præstat domui corporali; at in ratione domus sola domus corporea est verè ac propriè domus, spiritualis verò secundùm quid; & per metaphoram. Item Christus perfectione longè superat Leonem vagantem in syluis, similiter Deus Pater vitem; cæterum in ratione Leonis solus Leo fera est simpliciter Leo, Christus verò per metaphoram & secundum quid. Idem dico de Deo Patre & vite.

Ad secundum argumentum Resp. primò, iuxta probabilem sententiam negando antecedens, sed quia oppositam asseruimus respondetur secundo negando consequentiam. Ratio discriminis est, quia Adoratio cum sit actus summissionis ad Deum ad cuius exercitium non requiritur deputatus minister, pro arbitratu poterit interne & externe exerceri, at verò sacrificium ferè semper vt videbimus, requirit publicum & deputatum ministrum: quare sicut minister visibilis est, sic & ministerium visibile esse debet. Sed de hac re fusior redibit sermo *artic.* 4. *sequenti.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm oblatio sacrificij sit specialis actus virtutis.

Conclusio.

1 ACTVS est specialis virtutis, nempe Religionis. *Probatur.* Sacrificium habet laudem, quia in diuinā reuerentiā fit: quod est obiectum & Religionis finis: ergo pertinet ad Religionem. Antecedens est notum ex dictis. *Consequentia probatur* quasi per locum à fortiori. Nam quando actus vnius virtutis ordinatur ad finem alterius, participat quodāmodo speciē ei⁹: ergo à fortiori, quando actus non habet aliunde laudem, nisi quia ordinatur ad finem, & obiectum virtutis, cuiusmodi est sacrificium, quod non habet aliunde laudem, nisi quia fit propter reuerentiam diuinā, speciē Religionis participat. *Antecedens manifestatur primo* in peccatis: nam cum quis furatur vt fornicetur, furtum accipit quodammodo fornicationis deformitatem; sic adeo quod etiamsi furtum alias nō esset peccatum, hoc ipso quod ad fornicationē ordinaretur, peccatum esset.

Secundo manifestatur in actibus aliarum virtutum à Religione, qui si ordinētur in reuerentiam diuinam quodāmodo ad Religionem pertinent, nempe imperatiuè, & ob id sacrificia dicuntur. Consequ. secundi Enthymematis ego manifesto ex doctrina tradita *in q.* 81. *art.* 7. & ex regula desūpta ex D. Th. *in* 3. *dist.* 9. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 2. *& in* 4. *dist,* 15. *artic.* 1. *glos.* 3. *quæst.* 2. nempè quod quando Religio illis actibus vtitur, qui non habent aliunde laudem, nisi ab obiecto & fine Religionis, illi actus propriè dicuntur pertinere elicitiue ad Religionem, & huiusmodi est sacrificium propriè sumptum. At verò quando Religio vtitur actibus aliarum virtutum ordinando eos in proprium finem, quodammodo dicuntur Religionis actus non propriè & elicitiuè, sed impropriè & imperatiuè. D. Thom.

Ex his facile declarantur verba Diui Thomæ, in hoc articulo, quando ait: *Sacrificium non habere laudem aliunde, nisi quia fit propter reuerentiam diuinam.* Quidam Autores sic interpretantur. Sacrificium de se est actus indifferens, & solùm fit bonus ex relatione extrinseca. Interpretatio certè omninò aliena à mente D. Thomæ volentis stabilire sacrificium propriè loquendo esse actum elicitum à virtute Religionis: ac proinde ex obiecto, & fine intrinseco bonum, eo modo quo act⁹ exterior capax est bonitatis. *Alij aliter interpretantur* sensum eorundem verborum, nempè actū illum externum quem nomine sacrificij, significamus, de se nō habere honestatem, sed solùm quatenus impositus est ad significandū Dei cultum & honorem. Vera sunt hæc, quæ dicuntur sed non in hoc sensu ea verba protulit D. Thom. quia impertinens sensus est iste ad probandum sacrificium esse actum proprium & elicitum à Religione. 2

Sensus ergo verborum D. Thomæ est à me relatus nempè sacrificium, non aliunde habere laudem, idest, non ex obiecto & fine aliarum virtutum, sicut contingit actibus aliarum virtutum, quæ à Religione imperantur & dicuntur quodammodo sacrificia, sed ex solo obiecto & fine Religionis, & ob id non imperatiuè, sed elicitiuè, non impropriè, sed propriè actus est Religionis.

I. DISPVTATO.
An conclusio sit vera?

NAM videtur vera pars negatiua, etenim corporis maceratio, & mortificatio, siue per ieiunium, quod pertinet, ad abstinentiam, siue per continentiam, quod pertinet ad castitatem, sacrificia sunt, & dicuntur: ad Roman. 12. *vt exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam, Deo placentem*, &c. Item mors propter Deum suscepta, quod pertinet ad fortitudinem, Sapient. 3. *quasi holocausti hostiam accepit illos* Item ad Hebræos. 13. *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus*. En communio quæ pertinet ad charitatẽ, beneficentia, quæ pertinet ad misericordiam, & liberalitatem, sacrificia dicuntur: ergo sacrificium non est actus specialis virtutis, quin potius vagari videtur per omnes. *Confirmatur* ex D. Augustino. 10. *de ciuitate capite.* 5, & 6. vbi postquam luculenter perorauerat misericordiam, & alia pia opera propter Deum facta esse sacrificia, in initio sexti capitis subiungit definitionem sacrificij, dicens: *Sacrificium est omne opus, quod agitur, vt sancta societate inhæreamus Deo*: Relatum, scilicet, ad illum finem bonum, quo beati esse possimus: ergo sacrificium non est act⁹ specialis virtutis, sed extenditur ad omnes actus virtutum.

(Margin: 3 — Sapien. 3. — Ad He. 13. — D. Aug.)

4 Quidam viri Catholici hanc partem negatiuam amplectuntur, putantes omne opus bonũ relatum in Dei honorem, & cultum esse verè ac propriè sacrificiũ. Ita Gabriel *lectione 85. super Canon. litera* D. & Castro verbo, *Missa, Hæresi prima:* cui sententiæ magno applausu subscribunt Heretici nostri temporis, præcipuè Philippus Melancthon, *in Apologia confessionis, articulo de Missa*, putantes se hac sententia stabilita sternere viã ad colligendum Eucharistiæ mysterium nec aliter, neq; magis propriè esse sacrificiũ, quàm reliqua Religionis opera, & consequenter non esse necessarios speciales sacerdotes, quia omnes fideles etiam fœminæ sufficientes sunt ad operandũ studiosè, suaq; opera dirigenda ad Dei cultũ atq; adeò ad sacrificãdũ, & fũgedũ sacerdotũ officio.

(Margin: Gabr. — Castro. — Melant.)

Cui sententiæ aduersatur tota ferè Theologorum Schola, sentiens sacrificium propriè esse actum specialis virtutis: imò & ab alijs Religionis actibus distinctum: ita D. Thom. hic, Soto libro 9. *de iustitia quæst.* 1. *artic.* 3. Cano. *lib.* 12. *de locis cap.* 13. & post ipsos omnes recentiores, maximè qui de sacrificio scripserunt contra Hæreticos nostri tẽporis, & clarius apparebit ex definitione exacta sacrificij à nobis inferi⁹ apponẽda. Secũdò. In veteri lege dabãtur præcepta de sacrificijs, nunquid omnibus virtutum actibus sunt interpretanda? nequaquam, sed de actione, qua Deo aliquid mactabatur, quæ propriè sacrificium est.

(Margin: Soto. — Cano.)

5 Et probatur sententia ista D. Thom. videlicet omnia opera virtutum non esse sacrificia, est extractum ex testimonio Oseæ. 6. *Misericordiã volo, & non sacrificiũ*, & 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quam victima*. At si omnia opera virtutum essent sacrificia propriè dicta inepta esset hæc phrasis Scripturæ. Quomodo enim vult Deus misericordiam & non sacrificium, si ipsa misericordia est proprium ac verum sacrificium?

Secundo. Altare, Sacerdotium, & victima relatiuè se habent ad sacrificium: sed quis nisi cõmuni sensui refragetur, dicet Sacerdotium tantum esse benè operari? aut victimam & altare accommodet propriè loquendo pro omnib⁹ operibus bonis exequendis, etiam si in Dei cultum referãtur? ergo sacrificium propriè sumptũ non vagatur per omnia virtutum opera. Maior propositio per se videtur nota, quia victima materia est, circa quam versatur sacrificium, altare est locus sacrificij, ac denique sacerdos eiusdem minister.

Tertio. Sacrificare est actus elicitus à Religione, vt docẽt omnes D D. & Augu. lib. 20. contra Faustum c. 21. ergo opera aliarũ virtutum nõ possunt elici à Religione, & esse sacrificium, alias omnes virtutũ actus cum Religionis actibus confunderentur: possunt quidẽ actus omnium virtutum imperari à Religione, & ob id quadam tenus ratione sacrificia dici, sed tamen elici nõ possunt, ac proinde nec propriè dicuntur sacrificia. Augusti.

Ad argumenta in oppositum resp. omnia illa commemorata in eo non esse propriè, & simpliciter sacrificia, sed translatè per metaphorã, & tropũ: ita insinuat D. Tho. *in hoc art.* & expressi⁹ *in* 3. *dist.* 9. *q.* 1. *ad secundum*: ita etiã autores citati, & Caietanus *tentaculo* 3. *q.* 3. Itaq; ea dicuntur sacrificia p analogiã quandã, & similitudinẽ deductã à propria & stricta ratione sacrificij: nã maceratio proprij corporis similitudinẽ quandã refert mactati pecoris: similiter misericordia, & liberalitas sunt quasi quædam oblationes, si in Dei reuerentiam ordinentur. Hãc translatitiã nuncupationẽ sacrificij non solũ vsurpant alia virtutũ opera, verũ & quidã actus Religionis, qui non sunt propriè sacrificia, De sacrificio inuisibili hoc ostendim⁹ in præcedenti art. de alijs externis actibus Religionis nõ minus clarũ est: nec mirũ, nã cũ inter cultus externos sacrificium obtineat principẽ locũ, tum quia Deo soli accõmodatur, tum quia expssiorẽ continet protestationẽ excellẽtiæ diuinæ q̃ participãt rationẽ huius cultus, nomẽ sibi vẽdicant à potissimo cultu. Hinc est, quod diuina laus vocalis, quia magis ꝓpriè & clarius solet significare diuinã excellentiã & dominatũ ꝓpter signifiationẽ, q̃ habent verba, ꝑ cæteris signis, vocari solet sacrificium, Ps. 49. *Immola Deo sacrificiũ laudis*: & Amb. lib. 5. Epist. 28. ait: *Simplex oratio sacrificiũ est*, intelligẽdum est translatitiè & nõ propriè, quoniam quemadmodum olim immolabatur vitulus, voces & mugitus quos edebat, cedebant in laudem Dei: ita lingua dedicata diuinis laudibus tota est in Dei laudẽ & cultum veluti mactata. Qui plura cũpit exempla legat apud Caietanum, & Canum vbi supra. 6

(Margin: D. Thom. — Caiet. — Ambr.)

Ex his infertur, sacrificium vt cõplectitur præfata omnia non importare vnam rationem vniuocã, neq; in genere signi, neq; in ratione actus virtuosi, 7

virtuosi, nam propria ratio sacrificij supra explicata, non eodem modo, nec propriè in his omnibus reperitur. Etenim ratio virtutis nõ conuenit eodem modo elicitis, & imperatis, quapropter in sacris litteris quod est propriè sacrificium hoc nomine simpliciter & absolutè nuncupatur, alia verò quæ non sunt propriè sacrificia nequaquàm, sed vt plurimum cum aliquo addito, vel explicatione aliqua, vt cum dicitur sacrificium laudis, sacrificium contriti cordis vel quid simile, ita vt saltem ex antecedentibus & consequentibus possit colligi translatitia significatio. Quare quamuis sacrificium conueniat vniuocè in ratione cultus externi, tamen vt significantur hoc nomine *sacrificium*, non conueniunt vniuocè: quia non participant eandem rationem, & multò minus aliarum virtutum opera, cum vix conueniant, nisi in communissima ratione virtutis, quam non significat vox *sacrificium*, quod vel ex eo palam fit, quia altare, sacerdos, victima; ad prædictos actus virtutum applicata interdum à Sanctis constat methaphoricè tantum dici. Ita Cyprian. *Epist.* 77. Basil. *psalm.* 115. Origen. *homil.* 9. *in Leuiticum*, Gregor. 25. *Moralium cap.* 7. hi omnes in hac parte per metaphoram loquuntur.

Cyp. Basil. Orig. Greg.

Ad Confirmation. respondetur. Deo sancta societate inhærere ad diuinam reuerentiam pertinet. Vnde omne opus virtutis relatum ad Dei reuerentiam, ad Religionem pertinet non elicitiuè, sed imperatiuè: & talia opera sic relata vocat August. sacrificia, non propriè & in significatione pressa sed translatè & per metaphoram, vt dictum est, vel quia quædam opera habent effigiẽ sacrificij vt commemorata in argumento primo, vel certè quia omnia in Dei reuerentiã possunt ordinari per virtutem Religionis: & sic interpretati sumus quæstion. 81. illud Iacob. 1. *Religio munda & immaculata est, &c.*

Iacob. 1.

Dicet quispiam. D. August. in locis citatis de verò sacrificio loquebatur expresse dicens, *Verũ sacrificium est, &c.* ergo non de sacrificio metaphorico, quod verum non est. *Respondetur.* Verũ accipit August. pro perfecto in esse virtutis & rei Sic Christus dicitur vera vitis & leo, non quia citra metahporam, sed propter eius magnam perfectionem.

DISPVTATIO II.

An sacrificium propriè sumptũ pro sacrificio visibili & externo, (de quo agere D. Thomã potissimè in hac quæstione docuimus) non solùm sit actus specialis virtutis, nempè Religionis, verum etiam sit actus specialis distinctus ab aliis actibus Religionis, siue internis, siue externis?

Et videtur vera pars negatiua. *Primo.* Omnis actus, qui non habet aliunde laudem, nisi quia fit in reuerentiam diuinã, propriè est sacrificium: sed omnis actus externus pertinens ad Religionem est huiusmodi: ergo sacrificium non est specialis actus distinctus à cæteris actibus externis Religionis. Maior sunt verba D. Thomæ in articulo: minor probatur inductiuè in voto, in laudatione diuina, genuflexione, & alijs similibus.

Secundò, argumento tertio Diui Thomæ, in articulo hoc. Sacrificium est quod Deo exhibetur, sed multa Deo exhibentur, quæ ad Religionem pertinent, verbi gratia, deuotio, oratio, decimæ, primitiæ, oblationes & holocausta: ergo sacrificium non est specialis actus Religionis, sed cõfunditur cum præfatis actibus, qui etiam ad Religionem pertinent.

Tertiò. Si sacrificium distingueretur à cæteris actibus externis pertinentibus ad Dei cultum externum, maximè in significatione, quam diximus esse formale in sacrificio, & pertinere ad eius rationem essentialem: sed hoc non ita contingit: ergo sacrificium non est actus specialis distinctus ab alijs actibus, pertinentibus ad externum Religionis cultum. *Minor probatur* in laude vocali Dei, qua confitemur illum esse supremum omnium Dominum, nos illi subijciendo, quæ significatio est eadem cum ea, quam diximus habere sacrificium: item prostratio, tunsio pectoris, possunt fieri ad protestandum excellentiam diuinam, & hæc est ipsissima significatio sacrificij. Idem dico de omni cultu exteriore pertinente ad Religionem.

Difficultas hæc scitu dignissima est, dum enim conamur sacrificium distinguere a cæteris Religionis actibus, eius naturam intimius perscrutari necesse est: pro quo *præmittendum* necessariò duxi Religionis virtutem vnam esse specie atoma, ac proinde in plures species nequaquam diuisibilem, & idem esse sentiendum de eius actibus secundum probabiliorem & veriorem sententiam superius *docui in quæst.* 81. Distinctio igitur specifica sacrificij ab alijs actibus Religionis maximè externis neutiquam exquirenda est, sed penes quosdam modos, non omninò alienos à consideratione religiosi cultus. Ad eum modũ, quo homines ad inuicem distinguimus, aut canes, si fortasse omnes sint eiusdem speciei, quia quidam parui, quidam magni, quidam feroces, quidam mansueti, quidam pilo æquali.

Secundò præmittendum. Licet aliqualis ratio diuersitatis in significatione expressiori huius vel illius rei, in actibus maximè externis Religionis cõsiderari possit: tamẽ potissima diuersitatis ratio ex materiali eorundem actuum desumi debet. *Prior huius notati pars declaratur.* Oratio vocalis in signum potentiæ Dei data est, à quo petimus bona: Sacrificium in recognitionem dominij: Adoratio in protestationem subiectionis: Iuramentum veracitatis, & sic de alijs, licet hæc omnia venerantur Deum vt excellentem supra omnem creaturam. In declarando autem secũdam partem notati versatur præsens disputatio, & forè

& ferè tota cognitio essentiæ sacrificij, vtpotè quæ potissimè versatur, & sita est in actione offerendi Deo victimam. Pro quo

3 *Tertiò præmittendum*, omnem Religionis actũ situm esse quadam tenus ratione in oblatione, quæ fit Deo: cùm enim omnis Religionis actus consistat in subiectione hominis ad Deum, & reuerentia inde exorta, vt sæpè docuimus, maximè *quæst.* 81. *articul.* 3. *ad secundum*, & hæc non possint fieri, nisi homo se offerat vel sua Deo, fit consequens, vt omnis Religionis actus consistat in oblatione, quæ ab homine fit Deo verò: quod verificare inductione non esset difficilè; in deuotione, qua homo mentem suam, ac vires offert Deo; in adoratione, qua corpus proprium; in sacrificio, quo bona externa, & sic de alijs. Dixi, *quadam tenus ratione*, quia si propriè & in rigore velimus loqui, quando homo offert Deo animam suam, aut proprias alias vires, non est propriè oblatio, nec propriè offert, sed refert illa in Deum tanquam in vltimum finem. Offerre autem propriè, siue oblatio dicit habitudinem proximi, seu personæ, cui aliquid donatur. Ex hoc infertur. Oblatio propriè loquendo fit, quando res aliqua permanens extra offerentem alicui donatur, seu exhibetur.

Infertur secundò. Quando homo se per deuotionem offert Deo, propriè non est oblatio, sed relatio in Deum: similiter quando homo adorat Deum, non dicitur illa propriè oblatio. Itaque quamuis aliquando aliquæ externę actiones, quę non habent aliunde laudem, nisi quia in Dei reuerentiam fiunt, offerri videantur Deo, modus loquendi est permissus: sed revera & propriè oblatio non fit, nisi de rebus permanentibus extra offerentem, vt quando offertur Deo pecus, aut gemmæ. Hæc non aliter probo nisi ex ipsa verborum proprietate, ac vsu omnium. His suppositis:

4 *Prima assertio sit*. Sacrificium, id est, actio sacrificandi, intrinsecè & necessariò oblatio est in rigore accepta pro oblatione rei permanentis extra offerentem. Hæc est quasi communis animi conceptio collecta ex innumeris locis sacrę Scripturæ, Genesis. 8, *Obtulit homo holocausta super altare*, cap. 22. *Offers filium tuum in holocaustum*, ad Hebræos. 5. *Vt offerat dona & sacrificia*. Declaratur autem assertio adnotando actus externos religiosi cultus dupliciter fieri. *Vno modo* per actus quasi immanẽtes in ipso religioso operante: putà, qui consistunt in aliquo motu vel actione hominis, & in ea perficiuntur, & cõsumãtur absque aliqua re externa, circa quam versentur, cuiusmodi sunt prostratio, pectoris tunsio, vocalis oratio, & similia. *Secundò* modo fit per actus externos transeuntes in externam materiam ab offerente, vt quando Deo offerimus pecuniam, pecora, panem, & alia huiusmodi, & isto posteriori modo sacrificium est oblatio, non priori.

Genes. 8. Cap. 22. ad Heb. 5.

5 *Secunda assertio*. Oblatio, quæ nõ fit immediatè Deo, sed mediatè nõ est sacrificiũ. Hæc habetur à D. Th. in solutione ad tertium. *Ex quo infertur*. decimas quamuis dicantur Deo offerri, quia dantur ministris vt diuino cultui vacent, tamen quia non immediate Deo offeruntur, sed ipsis ministris, non dici, neque esse sacrificia, de quorum ratione est vt sint oblationes Deo immediatè factæ in significationem supremi eius dominatus erga omnem creaturam.

Tertia assertio. Non omnis oblatio rei transiens in externam materiam, etiamsi sit immediatè & directè Deo facta, est sacrificiũ: sed sola illa quæ fit per aliquam immutationem rei oblatæ, circa quam necesse est aliquod sacrũ fieri, quãdo propriè sacrificatur. Tota hæc assertio est expressa à D. Th. *in solutione ad tertium*, vbi expressè distinguit duplicem oblationem Deo immediate factam. *Vna* retinens nomen genericum vocatur oblatio, quæ non est propriè sacrificium: huiusmodi erant primitiæ, quas offerebant Deo primogeniti Hebræorum, & similia, quæ non sacrificabãtur: & modò in lege gratiæ multæ sunt huiusmodi oblationes, vt constat ex *Canone*. 3. *&* 4. *Apostol*. quæ non sunt sacrificia, cùm in eadẽ lege præter Eucharistiam nullum aliud sit, vt infra dicemus. *Altera oblatio* est magis sacra, per quam aliqua actio sacra exercetur circa rem oblatã: & hæc est propriè sacrificium; licèt aliquando hac voce omnis oblatio immediatè Deo facta comprehendi soleat, vt adnotauit D. Thomas 1. 2. *q*. 101. *articul*. 4. *ad quintum*. 6

D. Thom.

Hæc diuisio non est D. Thomæ inuentio, sed colligitur apertè ex doctrina D. Pauli, adiuncta expositione Patrum. Ad Hebræos. 5. ait Paulus. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia*. En Apostolus distinguit inter res oblatas, & quædam vocat dona, quia per simplicẽ donationem offeruntur; alia vero vocat sacrificia, quia per actum alicuius rei sacræ offeruntur. Hoc discrimen adnotauit Chrysost *homil*. 28. *secutus est* illum Theophilactus ad Hebræos. 8. & addit oblationem Græcè appellari *prosphora*, id est, simplex donatio, sacrificium verò, *Thysia*, quę sonat suffitum, seu oblationem per ignem factã. Quia apud Græcos sacrificia per ignem nobiliora erant, sed translata est vox ad alia sacrificia, quæ mactatione, aut alia quacunque immutatione fiunt. Videndus est Eusebius *de præp. Euang cap. 6. libri primi*, & Anselmus *ad Hebræos. 5. &* 8.

Ad Heb. 5. Chrysost. Theoph. Euseb. Anselm.

Quod verò in sacrificio aliqua debeat exerceri actio circa rem oblatam, ex communi animi conceptione, & vsu omnium sacrificantium in omni statu ab initio orbis conditi comprobari potest. Quis vnquam agnouit sacrificium sine aliqua actione exercita circa rem oblatam? Egregiè hoc confirmat D. Thomas ex ipso nomine *sacrificium* quod affectionem alicuius sacramenti significat, vnde Gregor. *in c. multi*. 1. *q*. 1. sacrificium interpretatur, quasi sacrum factum, per quod à simplici oblatione distinguitur. *Quod si obijcias* August. *lib*. 4. *de Trinitate c*. 14. dicentem, in omni sacrificio quatuor esse necessaria: & qui offerat, cui, pro quo, & quod offerat, vbi nulla fit mentio de hac actione circa rem oblatam *Resp*. Ibi August. enumerat tantum personas seu supposita; præter quæ actio etiam offerendi necessaria

August.

ca. 9. in Genes. *Ignem, inquit, ad sacrificium deuorandum solitum venire de cœlo super sacrificia, legimus: nam vnde scire potuit Cain, quod fratris eius munera suscepisset Deus, & sua repudiasset, nisi illa interpretatio vera esset, quam Theodotio posuit: Et inflammauit Deus super sacrificium eius, scilicet Abel, super Cain verò, & super sacrificia eius non inflammauit. Et in dedicatione templi sub Salomone, & quando Elias in monte Carmelo construxit altare.* Sed & Græci Idolatræ non sine igne sacrificandum censêre, vt tradit Lilius Giraldus *syntag.* 17. quamuis quidam Catholici asserant perfectiorem significationem sacrificij fuisse in occisione rei viuentis: quia per eam significabatur apertius Deum esse dominum vitæ & mortis, & adumbrabat mortem Christi, qua mors peccati erat expianda. *Secundò*, quia illo ritu consumptiuo rei immolatæ protestabatur Deũ habere non tantum vsum salua substantia eius rei, sed supremum, & vniuersale dominium totius esse, & vitæ, vtpote in cuius cultum substantia, & vita rei oblatæ consumitur.

Girald.

10 *Quinta assertio.* Licèt quandoque in vno, & eodem sacrificio reperiantur tres actiones prædictæ immutatiuæ hostiæ, quæ offertur, nempè sacratiua, oblatiua & consumptiua; tamen non semper est necesse eas realiter distingui, sed satis est coincidere in vna actione, in qua reperiantur tres ratione distinctæ actiones. *Prima pars* huius assertionis manifestatur ex supra dictis de hac triplici actione. *Secunda pars* aperta videtur: Nam si sacrificus nulla alia facta præparatione iugulet pecus coram Deo in sacrificium, illa iugulatio dicitur oblatio, & traditio hostiæ in Dei cultum: sicut enim quando oblatio & traditio rei fit hominibus, ex domo dantis ad domum recipientis res oblata transfertur, ita dum Sacerdos pecus iugulat super altare, quod est locus Dei, censetur dominum rei oblatæ transferre in domum Dei acceptantis; & ipsamet actio, quatenus fiebat ex diuina institutione, & ad excellentiam Dei significandam, consecratio hostiæ dicitur, quia vt sic est quid sacrum, & per eam fiebat res oblata sacra, & separata à profanis vsibus, vtpote Deo & eius cultui per illam actionem iam dicata.

Quomodo autem eadem iugulatio consumptio diceretur, res manifesta est: quia res in Dei honorem, & cultum consumebatur, ac mactabatur, neque vlla alia consumptio necessaria erat ad sacrificij essentiam spectans. Nam quamuis in sacrificijs veteris legis ac naturæ res sacrificatæ interdum consumerentur per vsum Sacerdotis, aut populi, tamen neque id erat commune omnibus sacrificijs, vt palam fit in holocausto, cuius omnes partes igne absumebantur, neque in his, in quibus fiebat ad sacrificij essentiam pertinebat, sed post peractum sacrificium, vel totum vel pars eius conuertebatur in vsum Sacerdotum, aut populi ad significandum hominem per sacrificium acceptari ad sacrorum consortium & participationem donorum Deo oblatorum, iuxta illud primæ ad Corinth. 10. *Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris*

1. ad Cor. 10.

Sed rogat quispiam: quando sacrificium constat tribus præfatis actionibus, quæ illarum est de essentia sacrificij? *Respondetur.* Ex omnibus integratur essentia sacrificij, perficiturque in postrema: quinimò omnes illæ tres actiones pro vna computantur, ex sacrificantis intentione volentis perficere sacrificium in actione rei consumptiuæ? Ad eum modum quo solet dici à Theologis, omnes Christi actiones vsque ad passionem mortis inclusiuè pro vno integro merito & vna integra oblatione computari; & licet effusio vnius lachrymulæ Christi Domini sufficiens & infinitum meritum erat omnium donorum nobis collatorum per eum, tamen quia ipse decreuit nobis mereri ea per totum vitæ suæ progressum vsque ad mortem, & omnes suas actiones simul Patri ad satisfaciendum pro nobis offerre, ex omnibus illis conflatur vnum meritum. Sed dico, quæuis illarum trium actionum sufficeret ad constituendum verum sacrificium; ceterum quando omnes apponuntur ex omnibus velut ex vno progressu integratur sacrificium, & in vltima perficitur. 11

Definitio sacrificij.

EX dictis non erit difficile colligere exactam definitionem sacrificij, quod duobus modis definiri potest. *Vno modo* Metaphysicè, assignando illi quasi propriũ genus & differentiam: si dicamus cum August. 10. de Ciu. cap. 5. *Sacrificium visibile inuisibilis sacrificij sacrum signum est:* vel clarius, *Est signum sensibile impositum ad immediatè significandum diuinam excellentiam, & cultum illi debitum per res oblatæ existentis extra offerentem immutationem* Hæc definitio non indiget explanatione, si ad prædicta aduertas. *Secundo modo* potest definiri definitione quasi Physica constante ex materia & forma, quo genere definitionis melius definiuntur artificiata, vt docuit D. Th. *in commen. ad caput de nomine, lib. perihermenias,* Melius enim definitur Cathedrã esse lignum figuratum, quam si dicas Cathedra est figuratum, &c. Sacrificium autem sicut & cætera signa ad placitum quædam artificiata sunt: igitur planior & vsitatior definitio sacrificij sic habet: *Sacrificium est oblatio sacra ac religiosa, soli Deo facta per immutationem rei oblatæ in signum diuinæ excellentiæ, & reuerentiæ.* Prima pars ponitur loco generis: nam vt ait D. Tho *ad tertium,* omne sacrificium est oblatio, non è contra: & accipitur oblatio rigorose pro oblatione rei permanentis extra offerentem: per quam particulam differt sacrificium à multis actibus Religionis: ab internis, putà oratione, deuotione, & similibus, qui propriè non sunt oblationes, & estò essent, non tamen externa oblatio; sic enim accipitur in hac definitione. Merito dicitur, oblatio sacra, ac rereligiosa, per quod excluditur à ratione sacrificij falsum sacrificium, quod potius est sacrilegium, & idolatria, quam sacrificium. 12

August.

D. Thom.

13

Per eandem particulam primam excluduntur à ratione sacrificij oẽs actus externi religiosi, qui non transeunt in externam materiam, vt genuflexio, pectoris tunsio, & aliæ adorationis partes:

partes: quia vel non sunt oblatio, vel non sunt oblationes rei permanentis extra offerentem. In hoc autem distingui adorationem externam à sacrificio autor est D.Thom.dum format, & distinguit exordia harum quæstionum. Similiter per eandem particulam distinguitur sacrificium à laude,& oratione vocali, propter eandem rationem.

14 *Secunda particula* ponitur ad exprimendum quomodo sacrificium inter omnes actus externi cultus principatum teneat: eo quòd cæteri actus exteriores, si verbalem laudem excipias,ex natura sua non sunt definiti ad solius Dei cultum, neque ad solam excellentiam diuinam significandam. Ex institutione autem humana vel diuina, vel ipso iure gentium sola actio sacrificandi ad hęc munia instituta est, vt supra latius docuimus. Consultè excepi *laudem verbalem*:nam verba cum sint potissima instrumenta ad internum affectũ explicandum, aliquando determinata sunt ad solius Dei cultum, & excellentiam significandã & profitendam, vt cum ore laudamus Deum tanquam supremum dominum,principium nostri esse, & finem nostræ beatitudinis. Cæteræ particulæ satis à nobis explicatæ sunt in hac dubitatione, & per eas distinguitur sacrificium à simplici oblatione,de qua quæstione sequenti.

Ex dictis, vt ad dubitationis secundæ titulum reuertamur,colliges,studiose lector, sacrificium non solum esse actum specialis virtutis, vel Religionis, verum inter ipsos actus Religionis actus specialis,& inter externos principem tenens locum.

Ad argumenta facta in principio respondetur ex fundamentis praiactis ad nostras assertiones, distinctionem sacrificij ab alijs actibus Religionis non esse specificam; ac proinde non mirum ea non desumi à significatione, quæ non contrahitur ad peculiares differentias significandi,sicut specificę differentiæ solent contrahere genus:sed sumitur potissimè à materiali, supra q; fundatur ratio signi,nempè ab oblatione & actione, sicut supra declarauimus.Ad singula autem argumenta respondetur.

Ad *primum resp.* D.Thomas in corpore articuli & verbis citatis solùm voluit tradere regulam ad dignoscendum, quando actus à Religione eliciuntur,nempè, quando non habent aliunde laudem,nisi quia in Dei reuerentiam fiũt, quia inde colligitur sacrificium à virtute Religionis elici: postea autem in solutione ad tertiũ propinquius attingit naturam sacrificij , & per quid secernatur ab alijs actibus Religionis, maximè ab oblatione simplici : quare verba allata debent glossari, isti actus sacrificia dicuntur, id est,inter istos actus sacrificia enumerantur.

Ad *secundum* negatur maior,quia cùm hæc distinctio sacrificij à cæteris actibus Religionis nõ sit specifica, non est necessariò desumenda ex significatione,sed satis est aliunde sumi , vt declaratum est.

Ad *tertium* negatur maior , quia non continet adæquatam definitionem sacrificij.

DISPVTATIO III.

Quotuplex sit sacrificium?

APposita enim definitione sacrificij,statim sequitur quæstio de eius partitione, quæ etiam pertinet ad quod quid est: & quidem considerando sacrificium in larga & ampla acceptione poterat diuidi in sacrificium metaphoricum,& proprium,in externum & internum. Sed de his diuisionibus satis superque superius dictum est.Modo autem tantùm prosequemur diuisiones sacrificij propriè sumpti:definitionẽ paulò ante tradidimus: eruntque tot,quot sunt genera causarum , penes quarum habitudines numerum diuisionum pręfigemus.Prima diuisio sacrificiorum expenditur ex parte materiæ , id est, ex parte rei oblatæ. Et quidem in lege naturæ credo materiam sacrificiorum non esse coarctatam ad aliquod genus rerum , nisi quod res deformes aut indecentes Deo non offerri existimo,lumine naturæ hoc dictante,ne sacrificium,quod ad Dei reuerentiam excitandam fiebat, ad irrisionem & contemptũ videntes prouocaret. 1

In lege autem veteri materia sacrificiorum ad tria genera rerum reducitur: primum est animalium viuorum, vt vituli,boues,oues,agni,caprę, columbæ,passeres,turtures;nec aliud genus animalium licebat sacrificare : & res oblata huius generis vocabatur *hostia*, aut *victima* vsurpatis nominibus à Gentilitate, nam quando Gentiles ad bella procedebant contra hostes suos,solebãt præfata aut similia animalia sacrificare : & ideò *hostiam* vocabant,aut verò , quia in ostio templi mactabantur:& similiter vocantur *victima*; vel quia offerebantur pro victoria impetranda , aut in gratiarum actionem pro iam obtenta, vel certè quia animal vinctum ad sacrificium afferebatur.Qui curiosius istorum nominum Etymologias vult rimari,legat Isidorum *lib.6*. & Ambrosium Calepinum. *Isidor.* *Calep.*

Secundò solebat offerri ex fructibus terræ, vt simila panis,Sal,Thus,& hæc sacrificia dicebantur *immolationes*, à *mola*, quod erat hordij farina cum sale permixto, quo sæpè aspergebantur victimæ Gentilium,vt quidam volunt : alij vt Isidorus à *mole* eo quod in mole altaris posita victima cederetur.

Tertiò offerebantur quidam liquores , vt sanguis,vinum,aqua,& hæc vocacantur , *libamenta*; quia Gentiles sacrificuli in suis sacrificijs hosce liquores maximè vinũ astãti plebi libãdos propinabant,sed quamuis attentis primæuis significationibus hæ res oblatæ sic his nominibus nuncuparentur,iam tamen vsus obtinuit , vt sine discrimine pro quouis genere rei oblatæ vsurpentur,& quælibet res oblata in sacrificio, *hostia, victima,libamen,& immolatio* vocetur, vt constat ex Genesi,Exodo,& Leuitico : Res autẽ oblata in nostro admirando sacrificio Eucharistico,*hostia, victima,immolatio,ac libamen*, excellentiori modo vocatur,& est.

Secunda diuisio sumitur ex parte formæ, vel ex parte actionis immutatiuæ rei oblatæ, & sicut possunt ex publica autoritate institui innumeræ actiones, quibus res oblata in sacrificio immutetur, ita sine numero erunt sacrificia distincta penes actiones immutatiuas rei oblatæ, in lege veteri ex diuina institutione certæ designatæ sunt actiones, quibus vti licebat in sacrificijs, & non alijs: quas quidam ad tria capita reducunt, nam aliquãdo tota res oblata igne comburebatur, & tale sacrificium *holocaustum* vocabatur: Isidorus vbi supra existimat esse nomen Græcum, quod interpretatur totum incensum: Alij esse nomen Hebraicum & significat idem, quod ascendens, quia res oblata resoluta in vapores & fumum, inter flammulas sursum ascendebat. *Secundò* sacrificium post animalis occisionem, aut tritici vel alterius rei solidæ contusionem, partim igne cõburebatur, partim in vsum Sacerdotum seruabatur. Illudque in atrio vel in templo condebant vt in *hostia*, quæ dicebatur pro peccato. *Tertiò erat* aliud sacrificium, quod vocabatur *hostia pacifica*, quod partim igni tradebatur, partim ad vsus sacerdotum pertinebat, partim sacrificantium vsu consumebatur. Sed de his non est differendum minutatim: qui amplius desiderat, libros legis adeat, eorumque expositores.

3 *Tertia diuisio* sumitur ex parte finis, vel instituentium sacrificia, vel sacrificantium, qui poterãt esse innumeri: Democaris libro 1. de sacrificio altaris, cap. 9. ad sex capitula reducit diuersitaté sacrificiorum sumptam ex fine. Sebastianus Peresius Episcopus Oxomensis *de sacrificio capi.* 2. ad quatuor.

Democarus. *Peresius.* *D. Thom.*

Melius D. Thomas 1. 2. *quæst.* 102. *artic.* 3. *ad* 8. ad tria capita, *primò* enim potuit institui sacrificium solum ad Deum venerandum, eiusque excellentiam & supremum dominatum protestandum: & tale erat holocaustum, quod propterea totum igne absumebatur, vt significaretur, id totum, quod creatura est. Dei esse, totumque Dei honori & reuerentiæ esse consecrandum, & propter alias significationes, quas supra attulimus. *Secundò* potest institui in expiationem pro peccatis. In expiationem, inquam, immunditiarum legalium, nam de expiatione culparum, vt offensæ Dei sunt, quid sit sentiendum infra dicetur: cuius sacrificij fit mentio Iob. 1. & in lege veteri vocatur *hostia pro peccato*. Aliud erat *tertium sacrificium*, quod vocabatur *hostia pacifica*, ad quam reducitur sacrificium ad gratias agendas pro beneficijs susceptis, ad impetrandum aliquod beneficium, & similia.

Iob. 1.

4 *Et si obijcias*, omnia sacrificia ex fine intrinseco habere id, quod diximus holocausto conuenire: rursus ipsum holocaustum aliquando pro peccato offerebatur, iuxta illud, *Holocaustum & pro peccato non postulasti.* Ergo non distinguuntur ex præfatis finibus. *Respondetur.* Fatemur finem intrinsecum cuiusuis sacrificij, hoc ipso quod est sacrificium, esse illum assignatũ holocausto, vt patet ex definitione allata sacrificij. Cæterum quia expressior est in holocausto ille finis, propterea illi attribuitur: ita tamen quod non negetur cæteris.

Dicimus præterea: Illos præfatos fines prò peccato in gratiarum actionẽ, & similes extrinsece apponuntur à sacrificantibus & instituentibus sacrificia. Vnde non est mirum coincidere in vno eodemque sacrificio pro voluntate eorundem sacrificantium, aut instituentium sacrificia: sicut de facto contingit in nostro admirabili, & vnico sacrificio legis nouæ: est enim holocaustum, quia excellentissimo quodam modo per illud protestamur diuinam excellentiam, & dominatũ: est hostia pro peccato remittẽdo, quia fit in satisfactionem omnium: est Eucharisticum, quia fit in recognitionem & gratiarum actionem pro passione Christi, quæ fuit supremum Dei beneficium & fons beneficiorum omnium: est etiam impetratorium, quia Christum in eo offerimus, cui innititur tota nostra spes erga Deum.

Quarta diuisio expenditur penes causam efficientem vel sacrificia instituentem: cum autẽ tres legis status fuerint, nempe legis naturæ, scriptæ, ac legis gratiæ, in quibus diuersa sunt instituta sacrificia, tres etiã differentias sacrificiorũ libet intueri. quædã pertinentia ad legẽ naturæ, quædã ad scriptam, alia ad legem nouam. 5

Differũt autem hæc sacrificia, *primò* penes institutorem, nam sacrificia legis naturæ non sunt à Deo immediatè instituta, sed eorum determinatio hominibus relicta est, vno aut altero exceptò, verbi gratia, sacrificio Melchisedech, quod ex inspiratione diuina institutũ esse credibile valde est: At sacrificia omnia veteris legis à Deo fuerũt immediate instituta, & per Moysem populo promulgata. Et sacrificij legis gratiæ Christus Deus & homo immediatus institutor fuit. Sed de instituentibus sacrificia iterum redibit sermo.

Secundò differunt (& ferè redit in idem cum discrimine præcedenti) in ritibus, quibus celebrabantur varijs pro varietate legum, vt videre licet in Pentateucho, maximè in Leuitico.

Tertiò differunt in significatione, quia præter significationẽ propriã ac literalẽ, quæ omnibus sacrificijs essentialis esse, nempe significare diuinam excellentiam, & hominum ad Deum subiectionem, sacrificia legis scriptæ habeãt significationem figuralem alicuius mysterij spectantis ad Christũ, maximè eius passionem. De omnibus sacrificijs autem legis naturæ ita certum est: præter quã de sacrificio Melchisedech, de quo non dubito significasse magnũ Christi mysteriũ, iuxta illud, *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinẽ Melchisedech:* in sacrificio autem legis gratiæ figura est non Christi venturi, quia iam venit, sed gloriæ futuræ, quin imo est velut quædam expressa imago Passionis Christi iam exhibitæ, neque est vmbra sicut vetera sacrificia, sed ipsa veritas: quia in eo Christus continetur, & in eo Patri offertur: de quo latius suo loco.

Quartò differunt in efficacia & effectu, quia tã sacrificia veteris legis, quàm naturæ nullum effectum spiritualẽ aut donum internum in anima ex vi sua, & ex opere operato, quod dicitur, valebant causare, sed vtraque solùm ex deuotione operantium valere poterant ad satisfaciendum

dum Deo pro pœnis, vel aliquid impetrandũ ab ipso, si ad hoc à sacrificantibus dirigebantur: quapropter quando audis in lege hostiam pro peccato, vel de ablatione irregularitatum, aut immundiciarum legalium, intellige non de remissione peccatorum mortalium, quoad culpam ex vi sua, & ex opere operato. Fateor, valere etiã poterant ad satisfaciendum ex opere operãtis ꝓ pœnis peccatis debitis, si offerens erat sufficiẽter contritus. Similiter quando legis D. Greg. *lib. Moral.* sacrificium legis naturæ remittere originale peccatum paruulorum: glossa illud testimonium de sacrificio, vt in eo reperiebatur sacramenti ratio, de quo in materia de Sacramentis. Pro omnibus istis diuisionibus lege Franciscum à Ribera ex Societate *in quarto lib. de templo*, vbi multa scitu digna, & quæ afferent magnam lucem, piè & eruditè congerit.

Riber.

6 Hæc sufficiat dixisse de sacrificiorum multiplicitate & diuisione, si prius discurriamus aliam sacrificij diuisionem, in verum & falsum, seu apparens. Quid sit *verum sacrificium* definiuimus, & diuisiones præfatæ vero sacrificio adscribuntur. De *falso sacrificio* & duntaxat apparenti dicendũ est: quod adhuc subdiuido: quoddam Deo vero oblatum, sed quia caret animo colendi, aut vera fide, qualem ad Deum & eius cultum esse decet, falsum aut apparens duntaxat dicitur. *Alterum*, quod licet fiat Deum colendi animo, rectaque sit fides colentis, tamen non ritu legitimo, neque secundum debitam institutionem offertur: de quo Aug. Ep. 49. *Sacrificium, inquit, cum exhibetur Deo secundum eius veram inspirationem, & doctrinam vera Religio est: quod si hoc non habet, erit noxia superstitio.* Erit igitur tale sacrificium superstitiosum, atque adeò non verum sacrificiũ. *Alia sunt sacrificia falsa*, quæ dijs falsis offerebantur, quibus ingẽtẽ, sed sacrilegam dedit operam cæca Gentilitas, Dæmone ad hoc instigante, vt sibi (quæ sua superbia est) homines in Idolis, per quæ sæpè loquebatur, diuinos offerrent honores, vt egregiè adnotauit August. *lib.* 5. *de ciuitate.*

Quid sit sacrificiũ tantum apparens.

August.

7 Quinimò adnotarunt multi sapientes, non solùm iste communis hostis, & princeps inter filios superbiæ affectauit sacrificijs, quę principem locum tenent inter cultus diuinæ excellentiæ, coli, verùm & emulatus est modos, ac sacrificandi ritus, quibus populus fidelis sua legitima ac sancta sacrificia exornat: tum vt homines fraudulentius decipiat: tum vt non solùm propter sacrificia sibi arrogata, verũ & propter ritus verorum sacrificiorum vsurpatos dicat illud Ezechielis, quod ab initio superbiæ dixerat: *Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, similis ero Altissimo.* Quapropter vt morem geram literarũ humanarum studiosis, præcipuè his qui Mythologia, id est, explanatione fabularum delectantur, aliqua de sacrificijs Gentilium, & eorum ritibus dicere decreui, non quidem omnia, quia hoc ipsis Mythologis impossibile est, neque certas leges præscribere: quia ferè quisque populus ac natio in varias sacrificandi formas Dæmone suggerẽte declinarunt, sed communiores & vsitatiores apud Græcos & Latinos, in quibus maximè viguit Idolatria; tũ in Deorũ multitudine: tum in sacrificiorum varietate ac frequentia.

Incipientes ergo à varietate victimarum, aduertere oportet ex Lilio Giraldo, *syntagmate* 17. introducente Porphirium Platonicum dicentẽ, primos, qui Dijs sacrificare cœperunt, non animalia, sed primùm herbas, deinde flores & arbores sacrificasse, aromataq; sufumigasse. Quin & Licurgus ex herbis, & ijs rebus, quæ ad manũ essent sacrificia instituisse dicitur: ne quando ex difficultate sacra omitterentur, vel differre necesse esset. At crescente inuidia Dæmonis, eius suggestione falsis dijs animalia Gentiles immolare cœperunt, fortasse ad emulationem populi fidelis his rebus Deum verum colentis. Nam Moyses, vt constat ex lege, & tradit Philo quinque animalium species tantùm voluit Deo sacrificandas, ex auibus columbas, & turtures: ex quadrupedibus ouem, bouem, capram: similiter & Romanis hostiæ frequentes fuere, oues, sus, bos, capra, gallina, & anser: ex hædis & agnis, potius quàm ex cæteris, quia animalium genus mite, ac cicur: à suibus abstinebant Hebræi, sed Gentes ex eis maximè sua sacrificia fecerunt. De victimis verò aliarum nationum tacemus, ne immensum subire laborem cogamur: non tamen omittam quando sacrificia agenda essent de animalibus, q̃ difficile inuenirentur, vel propter eorum feritatem, aut raritatem, aut vero propter inopiam sacrificantium, ea de cera vel de pane effingebantur, vel de quauis alia materia. 8

Lil. Gira.

In eligendis autem victimis ingens, & solicita cura apponebatur: nam eligebantur ex grege grossiores, non claudæ, non morbosæ, aut alio quouis modo vitiosæ: sic adeò, vt bos iugo aliquando subactus reijceretur à sacrificio, si verò cum victima ad aras deducta vehementius esset reluctata, & quasi inuita altaribus admoueretur, vel si aufugisset vel percussa mugitũ dedisset, aut in aliam corporis partem, quàm oporteret cecidisset, remouebatur ab aris: quia dijs minimè grata esse putabatur. Quinimò aliqui ita superstitiosè hæc obseruabant, vt nõ sufficere videretur, si quietè ad aram stetisset, nisi etiã quodãmodo annueret sacrificijs, vt ait Myrtis, lib. 2. rerum Lesbicarum his verbis: *Nam sane sacerdotes aquam infundere in aurem victimæ consueuerũt, vt illa annuat illis sacrificijs.* Insuper Græci explorabant puritatem victimarum, appositis pabulis, an tauri puri essent farina, ac capri ciceribus, capræ verò aqua frigida: si enim id gustare noluissent, illud sacrificium minus gratum dijs arbitrabantur. Videte risu dignam superstitionem, ô vos Christiani, quos Christus suæ lucis gratia perfudit, vt ab his liberaremini. Solebant etiã victimæ maiores auratis cornibus procedere: minores verò frondibus coronatæ; frondibus inquam earum arborũ, q̃ dijs quibus victima offerebatur dicatæ erant, vt Ioui æsculus. Apollini laurus, Mineruæ olea, Veneri myrtus, Herculi populus, Baccho hedera, Pani pinus, Siluano cupressus, vel si quæ alia alijs dijs conueniebant. 9

Myrt.

Habebant & Gentiles sua holocausta, id est sacrificia, in quibus totæ res oblatæ igne consumeban- 10

sumebantur, & vt testatur Isidorus vbi supra, antiquitus mos erat totam victimam igne cremare, *Higinus.* vt refert Higinus in astronomico poëtico: cum propter sumptuum magnitudinē sacrificia pauperibus non contingeret. Prometheus, qui propter excellentiam ingenij miram homines finxisse existimatur, dicitur à Ioue impetrasse, vt partē hostiæ in ignem conijcerent, partem in suo consumerent vsu, idque postea cōsuetudo firmauit. Insuper præfatus autor perbellam fraudem, qua Iouem decepit Prometheus narrat, quam lege *Brocensis.* apud Sanctium Brocensem in commentarijs Alciati Emblemate, 102. vt rideas deorum inscitiam, qui ab hominibus decipiebantur.

11 Victimæ aut cremabantur, non indifferenter accenso foco ex quocunque ligno, sed legibus sacrificiorum prænotato, verbi gratia, in sacris Veneris myrtus vrebatur, in Iouis sacrificijs ilicis ligna, in Martis fraxinorum, in Herculis populi albæ, ac deniq; ex olea, lauro & crassioris corticis quercu: aut cuius caudex cauus fungosus ne foret, accēdere vel adolere nefas erat. Nec deerant sacrificia ex rebus inanimatis firmis, vt tritico, hordeo, farina Nam Numa Pompilius (vt refertur) Deos frugibus coli & mola salsa supplicari instituit: quæ quidem mola ex sale, farre & aqua componebatur, sine qua mola nullum sacrificium fieri censuit, atq; id far nisi tostum fuisset. Græci verò molas ex hordeo & sale confectas in sacrificijs adhibebant. Vnde immolationes esse dicta quædam sacrificia superius retulimus. Habebant etiam sua libamenta maxime ex vino, & id ex Græca & impolluta vite, nec fulmine tacta, aut quæ vulneratis pedibus calcata, vel immundicie polluta fuerat, aut iuxta quā homo laqueo pependerat, aut quæ circumcisis profluxerat, aliter vina dijs libare non licebat.

12 Ritus sacrificandi communior in hunc habebat modū, Sacerdos sacrificaturus prius expiabat se lauādo manus sacra aqua, & aliquādo totū corpus abstinebat à multis, nempe ab esu carniū, & vini: sæpe sæpius, imò semper à Venereis actibus non solum ipsi, verum & mulieres templorū adituæ, ac sacrificulæ. Sic adeo vt sacerdotes Cybeles sibi virilia amputarent, aut quibusdā herbis vim genitalem eneruarent, & sacerdos veste mundissima indutus, & capite corona redimito ex ramis arborum, quæ Deo, cui sacrificabant dicatæ erant: verbi gratia, in Dionysiacis myrto, in Cerealibus quercu, in Herculeis populo, fruges cereales imponebant capiti victimæ, aspersa mola, id est, farina quadā, de qua superius dictū est: & ante clamauerat preco silentiū indicēs omnibus, & aiebat, *Hoc age*, arcebantur profani, & monebantur pueri & pij interesse: deinde precibus votisque factis iubebat sacerdos Agones, id est, ministros quosdā sic vocatos, victimā occidere, & si quid indecēs in hostia apparebat, nō vlterius in sacrificio procedebatur, vt si cultro rimans viscera, & exta, id est, cor, pulmonem, lienem, & iecur seu præcordia videret pallere, vel maculosa esse, aut si victima esset absque corde, vel præcordijs: si tamen omnia approbata apparerent, imponebatur victima in ara, & cremabatur, interdum tota in holocaustum, interdū pars comedebatur à sacerdote cum panibus quibusdam rotundis & placentis. Ad comestionem victimæ non admittebantur externi, sed tantum domestici: & apud quosdam mos erat victimæ partem mittere absentibus, & dicebatur ista pars missa.

Hæc & multo plura, quæ referri possent suggessit Dæmon Gētilibus, vt nō solū vsurparet sibi 13 diuinos honores, verū & ritus, quibus Deus colitur. emularetur. Etenim multi ritus similes enarratis apud fidelē populū, maximè in lege scripta, reperiūtur, & quidē si præfati ritus sacrificādi Gētiliū sacrificijs veri Dei accommodarētur, superstitiosi essent, & ridiculi tantū. Quare diabolus infestissimus hostis humani generis his nō contentus, alia immanitate & truculentia plena adinuenit sacrificia, in quibus victimæ mactādæ homines erāt, quorum fuso sanguine Idôla proluebantur. Præcipuè in sacrificijs, quæ Saturno fiebant id obseruatū legimus, licèt etiā apud nationes Barbaras cuique Deorū homines inmolasse mos erat. Quid cōmemorē? cū etiā in vrbe Romana omnium nationum domina, ac legum latrice cæca & abominanda hæc consuetudo sacrificādi nō defuerit. Omitto etiā sacrificia spurcitia plena, qualia in festis Priapi & Veneris. Et hæc satis dicta sint, quæ decerpta ex multis probatis autoribus fuēre, Macrobio, Cicerone, Platone, Dionysio Halicarnaseo, Orosio, Diodoro Siculo, Luciano: & ex nostris: Eusebio, Lactantio Firmiano, Cyrillo, Tertuliano, & alijs. Qui plura cupit legat recentiores Mythologos, Lilium Giraldum, *Syntagmate*. 17. & Natalem Comitem *in sua mythologia lib*. 1. *à ca*. 10. *vsque ad* 15. & Iosephum de Acosta *lib*. 5. *de superstitionibus Indorū* noui orbis. *Giral.* *Natalis.* *Acosta.*

ARTICVLVS. IIII.

Vtrū oēs teneātur ad sacrificia?

PRæmittit D.Th. vnam diuisionem: 1 diuisio est. Duplex est sacrificium: vnum *interius*, aliud *exterius*: de qua diuisione in articulo 2. *huius quæstionis*. Rursus sacrificium exterius, *aliud* ex hoc solo laudem habet, quod Deo aliquid exterius offertur in protestationem diuinæ subiectionis, quod & nos diximus esse propriè sacrificium, eiusque definitionē apposuimus. *Aliud verò* est quādo actus exteriores aliarū virturū in diuinā reuerētiā assumuntur: de quo diximus nō esse propriè sacrificium, sed quadam tenus ratione: nempe per metaphoram & tropum, & quia à virtute Religionis imperantur. His pósitis

Est prima conclusio. Omnes tenentur ad sacrificium interius, quia omnes tenentur Deo deuotam mentem offerre, in hoc enim consistit sacrificium interius.

Secunda conclusio. Ad sacrificium exterius, priori modo, & propriè acceptum omnes tenentur, aliter tamen & aliter: nam illi, qui sub lege sūt tenētur ad sacrificia determinata offerēda secūdū legis præcepta. Qui verò erāt sub lege naturæ, tātum tenebātur ad aliqua sacrificia facienda

in honorem diuinum secundum condecentiam ad eos,inter quos habitabant, non autem determinatè ad hæc,vel ad illa:

Tertia conclusio. Ad sacrificium exterius posteriori modo acceptum, id est, ad actus virtutum relatos in diuinam reuerentiam, aliquando non tenentur omnes,quando scilicet illi actus imperati à Religione sunt supererogationis, ad quos omnes non tenentur.

In hoc articulo D. Thom.tractat de causa.efficiēte sacrificiorum, in quo à nobis tria aut quatuor discutienda sunt. *Primum* est, quos obliget sacrificandi præceptum,& si sit sermo de sacrificio proprie,& in rigore accepto, determinat omnes obligare:& probatur:quia de cultu Dei externo præceptū debuit esse obligans omnes, sed inter cultum Dei externū principem locum obtinet sacrificium: ergo obligat omnes. *Confirmatur.* Præceptum sacrificij est de lege naturæ, vt supra dictum est: sed præcepta legis naturæ obligant omnes:ergo &præceptum sacrificandi:quo autem tempore obliget iam superius *dixi in artic.* 1.*huius quæstionis.*

DISPVTATIO I.

An omnes sint ministri sacrificiorum? An verò soli sacerdotes? Hoc est, an actio sacrificandi sit exercenda à quolibet? An vero à solis ministris, à potestate publica,humana vel diuina ad hoc deputatis?

2 1.Pet.2. ET videtur, quod quicunque possit hoc munus sacrificandi exercere.Primò ex illo primæ Petri secundo: *Vos autem genus electum Regale sacerdotium.&c.* En D.Petrus vocat omnes fideles sacerdotes, nam ad omnes suos dirigit sermones,sed sacerdotibus ex officio sacrificare incumbit:ergo omnes sūt ministri sacrificiorum siue viri, siue fœminæ. Confirmatur ex Apocalypſ.cap. 1.& 5. *Qui fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes.* (Apoc.1.& 5.) Sermo autem est de omnibus fidelibus. *Confirmatur secundò.* Nam in tota legis gratiæ pagina non reperitur mentio de sacerdotibus vt distinguuntur à communi plebe fideliū: quæ ergo inuidia est actum sacrificandi denegare omnibus fidelibus?

3 *Secundò* ex D.Thoma *in artic.* dicente, omnes teneri ad offerendum sacrificium exterius propriè acceptum: & in solutione ad tertium ait, *Sacrificia priuatā quilibet potest pro se Deo offerre.*

Tertiò. Abel & Cain Deo sacrificium obtulerunt,& non erant sacerdotes, & Abrahā *Genesis* 4. dicere autem eos à Deo vel à patre suo penes quem monarchia mūdi residebat esse deputatos ministros seu sacerdotes.nullo firmo fundamento fulcitur. Abraham item *Genesis* 8.Iacob. & (Gene.8.) Iob pro filijs suis sacrificium obtulit, qui tamen non erant sacerdotes: Samuel non erat sacerdos, quia non de progenie Aaron, & tamen multa obtulit sacrificia.1.*Regum*.18. Dauid.2. *Reg*.24. 1.Reg.18. & Helias.3.*Reg*.18. Confirmatur. Nam in lege gratiæ, quilibet de populo accendit cereos, ac lampades,thura, & suffitus efficit:quæ omnia,sacrificia sunt.

Quartò. Cuique licet signis externis suos affectus internos studiosos manifestare:sed sacrificium exterius est signum subiectionis & reuerentiæ internæ,quam quis habet erga excellētiam diuinam,& principatum: ergo licitum est cuique hoc signo vti,ad manifestandum se habere erga Deum eam subiectionem,& reuerentiam. Abulensis.*Genesis*.13.hanc partem tuetur dicens in statu naturæ cuique esse liberum sacrificare.

In oppositum est primò Apostolus ad Hebręos.5.vbi sacrificium pertinere tantum ad munus 4 Ad Heb.5. sacerdotale asserit his verbis, *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia:* & post pauca: *Nec quispiam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron:* & Iustinus martyr,* *in dialogo cum Triphone* vltra medium,dicit (Iustin. August.) Deum non accipere sacrificium, nisi à sacerdotibus: & Augustinus semper coniungit hæc duo tanquam inseparabilia,sacrificium & sacerdotē, præcipuè videndus est *Epistola*.49.*qu*.3.*li*.8. *de ciuitate cap. vltimo, & lib.* 22. *cap.* 10. & Synodus Trident.*sessione*.23.*cap*.1.id videtur aperte asserere his verbis: *Sacrificium, & sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, vt vtrumque in omni lege extiterit.* Ex his verbis videtur colligi non posse sacrificium offerri nisi à sacerdote, aliàs non necessariò coniuncta essent.

Secundò. Nullus in veteri testamento ausus est 5 vnquam sacrificium offerre,nisi sacerdos *esset*, & 2.Para. 2.*Paralipome*. 26. legimus Oziam regem grauiter 26. percussum, eo quod obtulerit sacrificium Domino,cum non esset sacerdos.Id ipsum apertius est in nouo testamēto,vbi solis sacerdotio initiatis licitum est sacrificiū offerre:quidquid Lutherani insani affirment. *Confirmatur.* Nā dicere contrarium est fauere Lutheranis,qui sacrosanctum Eucharistiæ mysterium vel negant,vel affirmant à quolibet, etiam à fœminis posse offerri.

Pro decisione huius dubitationis *præmittendum* 6 *est* sacrificia quædam esse publica,quędam priuata, *Publica sacrificia* sunt illa, quæ solenni apparatu ac ritibus offerebantur,& maxime in altari consecrato, in templo Deo dicato, vestibus sacris, nomine populi,&c.Sacrificia priuata per oppositum illa sunt.quæ sine his ritibus,& ab ipso, & pro ipso sacrificante fiebant, vt Deo signis sensibilibus diuinam excellentiam protestarentur. Hoc supposito

Prima assertio sit. Omnis Respublica mediocriter instituta, & in politia degens,semper habuit lumine naturæ dictante ministros designatos ad sacrificia peragēda. *Prob.* Nam ad reliqua munera obeunda.quæ pertinēt ad bonā Reipublicæ gubernationē habuit semper ministros deputatos, v.g.ad lites dirimendas, ad causas definiendas, ad continendum in officio ciues: ergo potiori ratione

ratione debuit designare certos & idoneos ministros ad sacrificia Deo offerenda: etenim potissimum & primò iaciendum fundamentum, vt Respublica coalescat, ritè gubernetur, ac omnia prosperè cedant, est Dei cultus visibilis & externus, quo ex communi omnium nationum consensu principē habent locum sacrificia, quia expressior est in illis protestatio subiectionis hominum & reuerentiæ ad Deum eiusque superexcellentis dominij. Vnde Aristoteles. 6. *Ethicor. capit. vltimo*, inter Magistratus, sine quibus Respublica constare nequit sacerdotes enumerat, cuius munus inquit esse sacrificia peragere: & idem repetit *libr*. 7. *capit*. 8. adijciens eos debere primum locum Magistratuũ occupare: vnde promanauit quod apud omnes etiam Ethnicos haberentur in magno pretio. *Genesi*. 47. narratur Sacerdotes Ægyptiorum de horreo regio sustentari, & apud Romanos Flamini diali, qui inter primos Sacerdotes habebatur, iurare non licebat, ei etiam si non iurasset credendum erat, cui enim sacra credita essent fidem non adhibere nefas censebatur:

Arist. *Genes*. 47.

Quapropter Imperator Romanus dignitatem Summi Pontificis seu Archiflaminis summa diligentia sibi ambiebat. Vnde vestitus sacris dicebatur antecellere Pontifex Imperatorem, vt notarunt Philo. *libro de victimis, & libro de profugis, & libro*. 3. *de vita Moysi*, Theodoretus, *quæstione prima in Leuiticum*: & Viues *libro*. 18. *de ciuitate capit*. 19. fauet D. Thomas *libro primo de regimine principum capit*. 14. *circa finem*. Confirmatur, quia si hoc munus sacrificandi tam inclytum, tamque necessarium ad stabilimẽtum Reipublicæ cuilibet è media plebe committeretur, non posset non pati Respublica magnam iacturam, & tam excellẽs munus nõ pro maiestate, & dignitate illi debita exerceretur, pçipuè quia homines plebei nescirent pompam ac ritus legitimos, quibus ex communi consensu Reipublicæ sacrificia exornantur in omni legis statu, tam apud fideles, quàm apud infideles. Vnde Plato dialogo de Regno ait, Sacerdotes esse vt intelligant, doceantque quo pacto donaria & sacra Dijs sint offerenda: & fortasse ideò ministri sacrificiorum dicuntur sacerdotes, id est sacra dantes, seu docentes.

Philo. *Theodor.* *Viues.* *D. Thom.* *Plato.*

7 *Secundò idipsum probatur* ex ijs, quæ de facto egerunt omnes nationes etiam barbaræ, lumine naturæ dictante: fidelis namque populus in omni statu & lege habuit certos & deputatos ministros ad sacrificia peragenda, quos omnes vocauere sacerdotes à sacris dicendis, vt dictum est. In lege naturæ occurrit Melchisedech, qui fuit Dei sacerdos testante sacro eloquio, *Genesis*. 14. & in lege scripta veteri Leuitica Tribus deputata erat diuino cultui & Aaronis filij & successores ad sacerdotio fungendum, vt patet ex serie Scripturæ sacræ: in lege autem gratiæ certi designati sunt sacerdotes, ac consecrati pro offerendo sacrificio vnico, ac venerando Eucharistiæ. Rumpantur, scilicet, ac fremant Hæretici antiqui, & moderni. Et non solùm fidelis populus, verũ & infidelis habuit suos pseudo sacerdotes, deputatos ad sacrificia suorum falsorum Deorum, quos diuersis nominibus vocauere iuxta diuersitatem functionum, quibus vtebantur, & præeminentis gradus, quo gaudebant à Romanis vocabantur, Pontifices, Reges, Sacrorum Flamines, Feciales, & alijs nominibus, quæ non est animus recensendi. Colligimus ergo ex his nostram assertionem, in qua cunque Republica fuisse ministros & sacerdotes deputatos ad sacrificia offerenda.

Genes. 14.

Secunda assertio. In omni ætate, ac statu siue legis naturæ, siue scriptæ aut gratiæ non decuit, neque licuit cuilibet è plebe sacrificia publica offerre, sed id reseruatum est solis sacerdotibus. 8
Probatur. Actiones publicæ, & hierarchicæ per ministrum publicum, & hierarcham sunt exercendæ: sacrificia publica sunt huiusmodi: ergo per ministros publicos & sacerdotes, qui sunt deputati ad illa, sunt exercenda. *Maior propositio manifesta est*, & clarescit in alijs actionibus publicis, quæ à publico ministro exercendæ sunt: iudicare, scilicet, à iudice: imperare, ab imperatore: causas dicere à causidico: &c. *Minor* autem etiam palàm fiet, si aduertas quæ dicantur sacrificia publica, quæ verò priuata: sacrificia publica illa dicuntur, quæ à publica potestate instituta sunt, vt sint professiones excellentiæ, & dominij diuini, non solùm pro ipso sacrificante, verùm pro alijs. Et horum executio hoc ipso quod isto pacto Respublica instituit illa, adiudicatur & attribuitur his, quos deputat ministros sacrificiorum: quos & vocamus sacerdotes, & cæteros prohibet à tali actione exercenda: aliàs frustra elegisset eos ministros, si cuiquam liberum esset id muneris exercere, sicut frustra constituisset prætores, si quilibet posset se intromittere in officium prætoris. Sacrificia verò priuata sunt illa, quæ vnusquisque adinuenit pro Deo colendo, suamq; erga Deum reuerentiam ostendendo. Hæc distinctio ni fallor colligitur ex D. Thoma hîc in solutione ad tertium, adiuncta doctrina corporis articuli. *Asserimus ergò in secunda conclusione*, sacrificia publica non nisi à publico sacrifico posse peragi.

Ex quo infero, *primò*. Sacrificare cum solemni pompa ac ritibus in veste sacra in Altari Deo solemniter dicato, non licet nisi solis sacerdotibus. Patet, quia hæc solemnitas à Republica instituta, ipsa institutione effecit vt tale genus sacrificij ad publicum ministrum pertineret. *Secũdò infertur*. Sacrificia, quæ Respublica instituit, vt pro sacrificante, & alijs offerantur, verbi gratia, tale sacrificium pro peccato, tale in gratiarum actionem, &c. non exercentur licitè nisi à solis sacerdotibus. *Probatur*. Quia hoc ipso quod sic instituit id muneris solis sacerdotibus delegauit; aliàs frustra illos effecisset ministros præ cæteris. Ex quibus colligitur vis rationis factæ pro nostra assertione in hunc modum. Isthæc sacrificia publica, id est, quæ sunt specialiter ordinata, nimirum à publica potestate ad cultum diuinum, non solùm pro sacrificante, verum etiam pro alijs (verba sunt D. Thomæ ad tertium) in ipsa sui institutione adiudicantur sacerdotibus,

dotibus,& consequenter prohibentur cœteris: ergo ad eos solos spectat sic sacrificare.

9 *Tertia assertio* quasi exceptio præcedentis. Stãdo intra naturæ limites aliquando in raro casu etiam sacrificia publica possent à priuatis hominibus offerri: verbi gratia, si esset aliqua Respublica barbara, quæ non instituisset peculiares ministros pro sacrificijs peragendis, posset quiuis è populo sacrificare, siue publicè, siue priuatè. *Probatur.* Quia ius naturale cuique inest ad profitendam excellentiam diuinam per sacrificia,& non est vlla plebeis facta prohibitio à potente prohibere, neque formaliter, & expresse, neque virtualiter instituendo peculiares ministros,quibus hoc munus sacrificandi delegetur: ergo quilibet tunc posset sacrificia legitime instituta, vel à se rationabiliter inuenta offerre sine vllo crimine: imò non sine laude. Idem dico de hominibus soliuagis, qui per nemora errarent, ac solitariam vitam ducerent, sine eo, quod alicuius Reipublicæ essent membra.

10 *Quarta assertio* probabilis. Etiam post designatos ministros pro sacrificijs à potente designare licitum fuit in statu legis naturæ cuique, etiam non initiato sacerdotio, offerre priuata sacrificia legitima pro se tãtum,& pro sua familia, quæ cum ipso vnum reputatur. Hæc assertio est cõtra quosdam modernos censentes nullum vnquam fuisse legitimum,ac verũ sacrificium, nisi à publico ministro efficeretur. Sed nostra assertio videtur expressa sententia D. Thomæ *in hoc articulo solutione ad tertium* distinguente duo genera sacrificiorum: vnum quod à solis sacerdotibus potest offerri: alterum quod à quolibet de media plebe, etiam si non sit sacerdos. Benè scio illos modernos explicare D. Thomam, iuxta tertiam conclusionem, & in casibus ipsius, sed certè prę ter mentẽ eius: quia in præfata solutione ad tertium,vt patebit intuenti, loquitur, etiamsi in Republica sint designati sacerdotes: casus autem tertiæ conclusionis nequaquam, sed ante deputatos sacerdotes.

Fortasse quis poterit glossare D. Th. quod in 2. membro diuisionis loquatur de sacrificio impropriè accepto, pro sacrificio interno aut externo,quod dicitur sacrificium impropriè ob id solũ,quia imperatur à Religione; de quibus sacrificijs locutus fuerat in corpore articuli,ad quẽ in prædicta solutione se remittit. Aptior glossa, quam præcedens, sed non ad mentem D.Tho. qui loquitur in solutione de sacrificio externo propriè sumpto: & qui distinctè locutus fuerat in corpore articuli,rem hanc non obscurasset in solutione ad 3.arg.

Item quia si D.Th. loqueretur in solutione ad 3. in 2. diuisionis membro de sacrificio etiam metaphorico,népè de interno quo deuota mens offertur Deo,& de externo improprio,quo opera cæterarum virtutum à Religione in Dei reuerentiam extrinsecè ordinantur, sequeretur diuisionem D.Th.ad tertiũ esse futilem & inanem. Patet sequela,quia ait solis sacerdotibus competere offerre pro se & pro alijs,offerre verò pro se tantum cuique priuato: at certò certius est cuiq; priuato etiam conuenire offerre sacrificium prò se & pro alijs si sit sermo de sacrificio interno aut externo impropriè accepto. Quis enim non videat cuiq; licere deuotionis obsequium Deo offerre pro se & pro alijs,& externè ordinare opera virtutum pro se & pro alijs. Igitur D.Thom.in præfata diuisione loquitur de sacrificio propriè accepto,& asserit aliquando licere cuiq; priuato pro se offerre aliquot sacrificia.

Sed pro expositione prædictæ diuisionis *præmittere oportet* ex doctrina tradita à D. Thom. in hac quæstione, vnumquodq; ius habere ortũ ex ipsa natura, imò obligationem ad protestandam Dei excellentiam, & dominatum per sacrificia. Cœterum quia hoc munus sacrificandi inter potissima officia Reipublicæ cõputatur, & non poterat præstari pro dignitate & maiestate Deo debita, decuit vt Respublica & institueret legitima sacrificia, & similiter peculiares ministros,qui id muneris debitè exercerẽt. Secundo aduertendum,quod si institutis ministris cæteri sacrificare prohiberentur, magno iure & merito priuarentur. Item si esset cuique licitum sacrificare pro suo arbitratu, etiam post institutos sacerdotes frustra essent constituti in ministros. Quid ergo eligendum? Sacrificia publica,& solemnia & quæ sunt instituta pro sacrificantibus, & pro alijs solis sacerdotibus adiudicentur, & ab ipsis solis exerceãtur; à sacrificijs verò priuatis& non solemnibus,& quæ pro sacrificantibus tantum offeruntur, cęteri populares non arceantur, satis enim eis fuerit, si possint per suas actiones profiteri suos affectus reuerentiæ,timoris ac seruitutis erga Dominum. 11

Itaque offerre sacrificia pro se,& pro alijs est actus adæquatus sacerdotis; offerre vero tantum pro se sine solemni apparatu, actus est communis sacerdotibus, & non sacerdotibus.

His suppositis *probatur nostra assertio.* Stando in solo iure naturæ omnes indiscriminatim habent ius ad profitendum excellentiam, & dominium diuinũ per sacrificia: nã ob id asseruimus esse de iure naturę: sed designatis ministris pro sacrificijs agẽdis, non sũt singuli fideles priuati hoc iure in totũ,sed tãtũ ex parte, videlicet à iure sacrificãdi solẽniter & pro se & alijs vt explicui: ergo adhuc mãserũt in statu legis naturæ liberi ad sacrificãdũ priuatè,& pro se. *Cõfirmatur*, quia nõ sũt deturbãdi fideles ab antiquo & naturali iure sine vrgẽti ratione aut testimonio,quod in statu legis naturæ nõ video reperiri. Fauẽt etiã huic assertioni argumenta posita in principio dubitationis pro parte affirmatiua, maximè quartum.

Quinta assertio. In lege veteri,ac in lege noua gratiæ nulli præter solis sacerdotibus licet sacrificia vlla offerre siue publica,siue priuata, siue pro se & pro alijs, siue pro se tantum. Et de legis quidem veteris sacrificijs apertè colligitur ex sacris literis, vbi sacrificandi actus adiudicatur solis sacerdotibus ex semine Aaron, cæteris verò prohibetur sub capitis pœna, *Exodi.* 28. *Numerorum.*3.*&* 16. vbi mortuis Core, & Datan, & Abiron, iussit Dominus, vt eorum thuribula in laminas producta affigerentur Altari, & addit, 12

Exod. 28. *Num.*3.

Vt com-

Vt commoneantur filij Israel, ne quis alienigena, aut qui non est de semine Aaron accedat ad offerendum incensum Domino, &c. & ex capit. 18. etiam probatur nostra conclusio, & Paralipom. 6. hoc adnotauit D. Th. 1. 2. *qu.* 102. *articul.* 3. *ad secundum.* *Paral. 6.* *D. Thom.*

Et quod solis sacerdotibus munus sacrificandi tributum fuerit, videtur colligi, & colligunt omnes ex illo Pauli ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia.* *Heb. 5.* Ratio autem huius coarctationis fuit, vt ille populus ab Idolatria arceretur; etenim si cuiuis è populo inesset facultas offerendi, vel saltem sacrificia priuata, & secretò, gens illa ad Idolatriam prona secreto in loco, & proprijs domibus sacrificantes in ritus sacrificandi Ethnicorum præcipites efferrentur.

Deinde probatur de lege veteris quia omne sacrificiorum genus coarctabatur ad certum locum, vbi frequens morabatur copia sacerdotum, & ad certa sacrificia, & ad certa Altaria, vt dicemus infra: ergo ad certos ministros, quia Altaribus templi nullus, qui non esset de tribu Leui, poterat vel digitum admouere: & expresse prohibebantur Israelitæ quoduis genus sacrificij offerre, nisi per manus sacerdotum, & in ostio tabernaculi, *Leuitic.* 17. In sacrificijs autem legis gratiæ apertior fit nostra assertio: nam licet sacrificandi cultus non fuerit alicui speciali loco alligatus, iuxta Prophetiam *Malachiæ cap. primò*, tamen coarctatus est ad sacerdotes tãtum: tum quia cum non sit nisi vnicum Eucharisticum sacrificium inclytum ac singulare, decuit eius celsitudinem ac maiestatem, vt non nisi à viris consecratis efficeretur: tum quia cum in eo interueniat mirabilis ac miraculosa transsubstantiatio, ac conuersio panis & vini in Christi corpus, ad quam efficiendam soli sacerdotes consecrati habent potestatem, soli ipsi subinde poterunt esse ministri sacrificij, quod est in lege gratiæ: de qua re fusius suo loco contra Lutheranos: videndus est Bellarm. *lib. 1. de Sacramentis c.* 25. & Alph. Castr. *lib. 3. contra Hæreses*, verbo, *Sacerdotium*. Hæresi. 1. *Bellarm.* *Castro.*

13 ¶ Superest respondere ad argumenta superius posita in initio dubitationis. Ad *primum* & eius confirmationem antequam respondeamus, oportet aduertere, ex illis testimonijs ansam accepisse Hæreticos Lutheranos asseuerãdi omnes Christianos verè esse sacerdotes: quem errorem à suo principe Luthero omnium errorum fonte didicerunt, in libro de instituendis ministris ad Pragenses: & cum nostri instituti non sit hũc errorem ex professo refellere, sat nobis sit illa testimonia Catholico sensu interpretari. Et quidem in *Exod. cap.* 19. ferè eadem verba, aut eadem secundum translationem Septuaginta habentur, quæ apud D. Petrum: dicitur enim toti populo Israel: *vos eritis mihi in regnum sacerdotale & gens sancta*: At certo certius est inde nõ colligi omnes Israelitas fuisse sacerdotes, quia sacerdotium tantum reperiebatur in vna familia. ergo neq; ex testimonio D. Petri colligitur omnes Christianos esse sacerdotes. *Secundò.* Rogo Lutheranos: An omnes Christiani sint verè Reges? respondere necesse est negatiuè; sed tantum figuratè: & idem dicant necessarium est de sacerdotio, quòd figuratè & metaphoricè omnes sunt sacerdotes, non verè; vtrũque enim sub pari tenore de Christianis affirmatur, dum appellantur regale sacerdotium: dicuntur ergo sacerdotes omnes, vel à sacrificio laudis, iuxta illud, *Immola Deo sacrificium laudis*, vel à sacrificio contriti cordis, iuxta illud, *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus*, vel ab alio simili: quæ sicut non sunt propriè sacrificium, sed per tropũ, sic nec omnes Christiani sunt propriè sacerdotes, sed per metaphorã, & figurã, qua sæpè vsi sunt sancti Patres, loquẽtes de sacrificio & sacerdotibus, & de his, quæ sacrificiũ concernunt, Origenes *homilia.* 9. *in Leuit.* corda nostra *Origen.* inquit, esse Altaria, & nos omnes esse sacerdotes ad hostias orationis & pietatis offerendas Deo: tamen Cyprian. in Epistola 77. *Nos, inquit, sumus* *Cyprian.* *hostia in sacrificio contriti cordis*, Basilius Psalm. 115. *Basil.* in fine. *Cor nostrum Altare est, in quo sacrificium laudis offerimus.* Idem dicit Gregorius. 25. Moralium *Gregor.* cap. 7. & sic interpretati sumus multa D. Augustini loca. Et idem dicitur ad testimonium ex Apocalypsi. *Exodi. 19.*

Secundò respondetur, ideò dici Christianos Regale sacerdotium, quia in populo Christiano nõ deest sacerdotium, & illud regale. Etenim caput Ecclesiæ Christus Rex & Sacerdos est. Ita exponit Dydimus Alexandrinus, his verbis. *Necessarium erat dispersos ab eo, qui Rex & Sacerdos est electum esse genus, & regale simul ac sacerdotale. Patre siquidem eorum vtrumque habente principatum, necesse est eos tãquam ex Rege regale, & tanquam ex Sacerdote sacerdotale esse genus.* Dicuntur ergo Reges & sacerdotes, quia à Christo Rege & Sacerdote spiritualiter geniti. *Dydim.*

Ad secundam confir. respond. ita esse, quod in nouo testamento nõ reperiuntur ista vocabula Tẽplum & Sacerdos: sed templa Christianorũ Ecclesiæ vocatæ sunt & Sacerdotes vocati sũt presbyteri, & Patres vsq; ad Irenæi tempora. A quibus vocibus fortasse abstinuerunt Christiani primitiuæ Ecclesiæ, ob recentẽ memoriã sacerdotũ veteris legis, & templi Hierosolymitani, ne viderentur adhuc esse sub iugo legis. At crescente & florente populo Christiano quando iã cessauerat tale periculum, ferè abolita memoria sacrificiorum legalium, Patres legis gratiæ non sunt veriti instaurare nomina templi, & sacerdotum: ita Bellarm 2. *libr. 1. de Missa cap.* 16. 14 *Bellarm.*

Ad secundum resp. probare nostrã quartam conclusionem: similiter ad quartũ. *Ad tertium* de Caino, nulla est difficultas: quia primogenitus erat. Primogenitos verò in populo fideli legis naturæ fuisse sacerdotes, imò & ferè semper Reges inferius dicemus. Existimo autẽ ambos fratres Deo inspirante sacrificasse. Ita Augustin. 1. de *mirabilibus sacræ Scripturæ*, c. 3. & alij, qui dicunt ab Abel cœpisse Ecclesiam. Ioannes Arboreus. 1. *Theosop. cap.* 15. ait (quod certius existimo) à Patre admonitos sacrificasse, qui cum Monarchiam mundi teneret potuit instituere, & de facto instituit eos Sacerdotes: aut verò iuxta tenorem quartæ conclusionis pro se tantum sacrificauere, 15

Abulens. cauere. De Abraham verò ait Abulen. *Gen.13.q.5.* *& 7.* quod non erat magis sacerdos quàm alij. Sed quia nemo in illo statu prohibebatur sacrificare, non mirum quod ipse sacrificauerit. D.Thom. Communiter tamen tenetur fuisse Sacerdotem. Ita D.Thom.3.*p.q.*31.*art.*2. Sed aiunt successione habuisse sacerdotium, quia erat primogenitus Thare. Ita Hebræi colligunt ex *Gen.* 11.& est communis Patrum sententia. Alij dicunt fuisse natu minimum, sed Deo instituente fuisse sacerdotem. Beroald. Ita *Beroal.*3. *Chron.* quem confutat Genebr. Genebrard. *in Chron.p.*12.& meritò. Quinimò aliqui dicunt Abraham Regem fuisse & regnasse apud Damascenos, & vsque hodie visitur in Damasco vicus, qui ab eo nomen accepit. Ita refert Nicolaus Historiographus Damascenorum.

De Iacob verò & alijs, qui non erant primogeniti, non est cur reuocetur in dubium eos fuisse officio sacerdotum Deo inspirante & ordinante, atque pro se & pro alijs sacrificasse. Ita communiter asseritur. Iob verò caput familiæ erat, imò & Rex, vt ipse ait. 29.c. *Cumq; sederem quasi Rex circumstante exercitu, &c.* vbi ly, *quasi*, non Beda. dicit similitudinem, sed veritatem, vt ait Beda, super eundem Iob. 42. cap. phrasis vsitata in sacra Scriptura Ioan.1. *Gloriam quasi vnigeniti à à Patre*, Psal.125. *Facti sumus sicut consolati*, & Isidorus, Isidor. lib.de vita & morte Sanctorum, Cæsarius, Cæsar. Germanus, Nazianz. *Dialog.* 3. D. Prosper, de D. Prosp. *promissionibus*, Iob, scilicet, Regem fuisse. Quòd Origenes. verò sacerdos fuerit asserunt Origenes *lib.* 1. Hieron. Chrysost. *in Catena*, Hier. *Epist. ad Euagrium*, quæ est de Melchisedech, Philip. Presbiter & Beda & recentiores super cap.1.*Iob*; vel quia Iob primogenitus erat Thare, quibus sacerdotium dabatur, vel quia Rex erat, quibus apud multos fuit coniunctum sacerdotium. De quo infra.

Samuel fateor non fuisse Sacerdotem, sed ex tribu Leui, iuxta illud, *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius.* Psalm.98. neque Dauid, aut Helias: sed tamen Prophetas & viros sanctos, non sacerdotes, sacrificasse aliquando ex Dei dispensatione in aliquo casu raro, his quæ adducta sunt probatur: nec populus scandalizabatur agnoscens virorũ sanctitatem, quos credebant non vsurpaturos officium sacerdotum, nisi Domino iubente & inspirante. *Ad confirm. Resp.* in lege gratiæ non esse nisi vnicum Eucharisticum sacrificium solis sacerdotibus concessum. De quo inferius.

16 *Ad quartum resp.* probare nostram quartam conclusionem & non amplius; quidquid dicat Abulensis.

Ad argumenta in oppositum quatenus procedũt contra quartam assertionem resp. ea omnia duntaxat probare solis sacerdotibus concessum esse sacrificia publica offerre, vt declaratum est in secunda assertione: de priuatis vero sacrificijs non probant. Sic *patet ad primum* ex testimonio desumptum: Ad *secundum* probare vltimam assertionem. *Ad confirm.* negatur antecedens: etenim Lutherani omnia sacrificia, etiam Eucharistiæ, omnibus permittunt. Quod quam absurdum sit ostenditur.3.p.q.83. nos verò loquimur in quarta conclusione de sacrificijs in statu legis naturæ, & non de omnibus, sed de solis priuatis.

DISPVTATIO II.

Quis habeat potestatem sacrificia instituendi? solus Deus, an & hominibus id licitum sit?

ET videtur solum Deum hanc habere potestatem. *Primò* quia solus Deus potest sacramenta instituere (vt dicitur in materia de Sacramentis:) ergo soli ipsi reseruatur sacrificiorum institutio, cùm sacrificiũ non sit res minus sacra quàm sacramentum, imò fortasse sacratior. 1

Secundò. Sacrificium est oblatio soli Deo & in eius honorem facta: ergo ex vtralibet parte istarum pensetur, Dei autoritatem requirit: etenim ea parte qua oblatio est, seu donatio, requirit acceptationem Dei, cui res oblata offertur seu donatur. Ex ea verò qua oblatio honorifica est, similiter. Quis enim scit, aut vnde scire potest Deo gratam esse occisionem pecoris immolati, aut illi esse honorificam, nisi ipse declarasset, aut instituisset?

Tertiò, quia solus Deus, non homines, instituit sacrificia veteris legis & nouæ: nec in statu harũ legum alicui homini sacrificia instituere licuit: ergo signum est homines caruisse hac potestate in omni statu & lege.

Pro decisione notandum est, hanc nostram disputationem non institui de potestate quam possent habere homines acceptam à Deo speciali concessione, neque de potentia Dei absoluta. Sicut enim certum est de potentia Dei absoluta posse Deum committere hominibus facultatem instituendi sacramenta: ita certius est eadem posse conferre ad instituenda sacrificia. Sed nostra formatur disputatio de immediata sacrificiorum institutione, attenta natura hominis siue secundum suas vires naturales, siue secundum ordinem gratiæ. Hoc est. An institutio sacrificiorum naturam hominis exsuperet, siue consideretur in ordine naturæ, siue in ordine gratiæ, ita quod ad solum Deum spectet autorem: aut verò necessaria sit peculiaris Dei commissio hominibus facta. 2

Prima assertio sit. In homine potestas est ad instituenda sacrificia sine vlla superaddita Dei cõmissione. *Probatur.* Homo tàm in ordine naturæ, quam in ordine gratiæ potest imponere signa sensibilia ad significandas subiectionem & reuerentiam, quam ad Deum habet, & excellentiam ac principatum erga omnem creaturam, nec est quare hoc excedat vires eius: ergo instituere sacrificia: nam in præfata significatione cõsistit essentia sacrificij, vt superius docuimus. *Confirmatur.* Potest homo imponere voces ad significandum reuerentiam, subiectionem, &c. præfata: 3

fata: ergo poterit alias res sensibiles imponere, puta actiones aut alias res ad idem significandum. Quia non minus potens est ad instituendas res sensibiles pro signis quàm voces. Hæc assertio est expressa D. Thom. sententia *in artic.* 1. *huius qu. in solutione ad primum dicentis* oblationem sacrificij in communi esse de lege naturæ: sed determinationem sacrificiorum esse ex institutione humana vel diuina. De humana procedit nostra assertio: & de diuina sit

4 *Secunda assertio.* Hanc potestatem humanam instituendi sacrificia potest Deus cohibere, & de facto cohibuit tam in lege scripta, quàm in lege noua reseruando sibi institutionem sacrificiorum: ita quod nulli alteri in vtraque lege id licitum fuerit facere. *Prima pars* à nullo nisi amente potest negari. Fundatur namque in Dei omnipotentia, & creaturarum ad ipsum subordinatione, de quibus potest disponere pro sua voluntate, vel coarctando potestatem, aut omnino cohibendo. *Secunda verò pars*, si sit sermo de sacrificijs legis nouæ non minus certa est, cum Christus Dominus vnicum ac singulare sacrificiũ Eucharistiæ ita instituerit, vt nullũ aliud ab aliquo voluerit institui, neque in vsu esse, vt inferius dicitur. Et hoc tum vt liberaret populum Christianũ à graui iugo sacrificiorum, quibus populus legis scriptæ premebatur: tum quia illud vnicũ omniũ & infinitorum sacrificiorum dignitatem, efficaciam, ac perfectionem continebat; vnde alia frustra instituerentur, aut vsui mandarentur.

Cæremonias autem, quibus hoc ineffabile sacrificium celebraretur, suæ Ecclesiæ reliquit Christus instituendas, v.g. quo loco, tempore, quibus vasis, quibus vestibus, &c. Eadem pars, si sit sermo de sacrificijs veteris legis etiam certa est, Deus enim ipse instituit sacrificia, quibus ille populus vteretur, aliaque prohibuit, vt videre licet per totum Leuitici volumen. Imò & ritus sacrificiorum quoscunque, etiam minimos alligãs certo loco illius gentis sacrificia, vt habetur *Deut.* 12. *& 16. & Leuit.* 17. similiter in vno tantum Altari, *Leuit.* 17. *& Iosue* 22. *Deut.* 12. *Leu.* 17. *Iosue.* 22.

Ratio autem quare ipse Deus per se ipsum voluerit illius populi sacrificia, ritus, & cæremonias instituere neque alijs commisit, fortasse ex dilectione erga illum populum desumenda, melius enim & amabilius est sacrificijs à Deo institutis vti, quàm ab hominibus. *Item.* Omnia illius populi sacrificia signa erant alicuius mysterij spectantis ad Christum; quia omnia in figura contingebant illis. Ergo debuit ipse Deus, cui soli omnia mysteria Christi simul nota erant, hominibus verò per partes, & fortasse ex ipsorũ sacrificiorũ significatione ea agnouerunt, instituere. Cæterùm in tanto numero instituit ad arcẽdam Idololatriam, ad quam populus ille pronus erat: etenim tot sacrificijs occupati & quasi onerati non vacabat Gentium sacris indulgere.

5 *Tertia assertio.* In statu legis naturæ reliquit Deus institutionem sacrificiorum hominibus illius Legis. Patet. Quia in hominibus est potestas instituendi sacrificia (vt patet ex prima assertione) & non legimus hanc potestatem esse à Deo præuentam, aut occupatam: ergo de facto illius status homines ea, quibus vtebantur, sacrificia instituerunt.

Ad argumenta initio facta resp. Ad primum negatur conseq. eo quod sacramenta includunt significationem practicam gratiæ sanctificantis, quã Deus solus sub signo sensibili potest infallibiliter dare, aut promittere. Vnde potestas instituendi talia signa nequit esse hominibus connaturalis. Secus est dicendum de sacrificiorum significatione, quę practica non est, sed speculatiua: & ideò eorum institutio non superat naturæ vires.

Ad secundum resp. Oblatio rei immolatæ non est propriè donatio: quia per eam non transfertur dominium in Deum, sed potius consumitur res oblata, potius habet effigiem quasi promissionis. Vnde sicut non expectatur Dei reuelatio, vt promissio Deo facta sit valida: ita neque vt oblatio rei immolatæ à Deo acceptetur: quia ipsum omne obsequiũ acceptare habemus ex eius dictis. *Similiter resp.* ad secundam partem argumenti, sumptam ex honore Deo præstando per sacrificium. Scimus enim sine noua acceptione, aut reuelatione eum habere gratam actionem quamcunq; sacrificandi, modò ritus non sit prohibitus, aut alio quouis modo vitiatus.

Ad *tertium resp.* probare secundam assertionem.

DISPVTATIO III.

Penes quem hominum resideat hæc potestas instituendi sacrificia, an tantum in habente potestatem publicam? an verò in quolibet homine priuato?

HÆc dubitatio potest procedere de facto, & de eo quod possibile est. De facto quidẽ tantũ procedit in statu legis naturæ: nã in statu legis scriptæ ac nouæ iam diximus à Deo esse præuentam, & cohibitam hanc potestatem. De possibili verò, in omni statu procedit: an hæc potestas instituẽdi sacrificia (quam seclusa prohibitione diximus esse connaturalem hominibus, neque excedere eorum vires) resideat tantum in fungente publica potestate? an verò etiam reperiatur in qualibet priuata persona? In hac re tres reperio sententias: *prima est Abul.* 1. *lib. Paralip. q.* 28. asserentis in statu legis naturæ cuique liberum esse sacrificia offerre vbi vellet, qualitercunque & quomodocunque vellet, licèt super *Gen. c.* 13. *q.* 8. excepperit sacrificia, quæ politica Respublica pro se offert. 1 *Abulens.*

Altera sententia è regione opposita, est quorundam modernorum asseuerãtiũ nunquam licuisse priuatis sacrificia instituere, nec offerre. Itaq; sacrificium non institutũ à publica potestate, aut à nõ sacerdote oblatũ, nequaquam est, verum, aut legitimum.

Suarez. *Enriquez.* gitimum. Ita Suarez.3.*tom.super 3.p.* & Enriquez *de Missa*. Tertia sententia media via ac regia incedit, quam existimo esse D.Th.

2 Pro cuius decisione *dico primò*. Ad instituenda sacrificia, quæ nomine totius populi Deo offerenda sunt, tantum est potestas in fungente publica potestate, nō verò in qualibet priuata persona. *Prob. primò*. Publicæ leges, quibus Respublica gubernatur ab habēte publicā potestatem condendæ sunt, vt manifestum est in assignandis pretijs rerum venalium: ergo institutiones & leges sacrificiorum, quæ nomine populi offerenda sunt à fungente publica potestate statuēdæ sunt, & non à priuatis hominibus. *Prob. conseq.* quia omnis gubernatio cuiusuis Reipublicæ à cultu externo Dei, maximè per sacrificia exordienda est, cui regimini non plenè satisfit, si singuli priuati sacrificia offerant, sed etiam necessariū est sacrificia offerri nomine totius populi, vt omnia succedant prospere: ergo huiuscemodi publica sacrificia pro toto populo ab habente publicam potestatem instituenda sunt. *Confirmatur*, quia nulla Respublica tam barbara reperta est, quæ non auspicetur & omnem gubernationem suam stabiliat supra oblata sacrificia, vel vero Deo, vel falsis Dijs, quos existimabat esse veros Deos, pro toto populo: vt patere poterit legenti Chronographos profanos: & hæc necessario ab habente potestatem publicam instituenda sunt.

3 *Secundò*. Respublicæ diuersæ ab inuicem distinguuntur aliquibus visibilibus signis, v.g. legū, stēmatum, officiorum, nuncupationum, & similium, & potissimè signis Religionis, dicente *August.* August. 19.*contra Faustum*, c.11. in nullum nomen Religionis siue verum siue falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum visibiliū consortio colligentur: & hæc signa visibilia Religionis potissima fuere semper sacrificia aut vero Deo, aut Dijs falsis oblata, vt palam est ex vsu populi fidelis & infidelis. Sed huiusmodi sacrificia semper fuerunt instituta ab habētibus publicam potestatē: ergo signum est ad eos tātum pertinere. Ista autem institutio & sacrificiorum determinatio in multis locum habet, in re offerenda, an hæc an illa, an huius vel illius ætatis, ac qualitatis? In actione sacrificatiua, an igne, an iugulatione, an contusione vel similibus? In loco sacrificij, an in templo, an extra templum, in altari hoc vel illo modo fabricato? In vestibus sacerdotis. Ac denique in alijs multis ritibus, quos vnaquæque Respublica sibi proprios ac peculiares instituit pro suo arbitratu.

4 *Secundò dico*. Ad instituenda sacrificia offerenda pro priuatis personis in publico cum solemni pompa ac ritibus, v.g. in Altari publico à Republica pro sacrificijs destinato non est potestas in priuatis personis, sed tantum in habēte publicam potestatem; puta in Republica, vel Rege, aut Principe vices Reipublicæ tenente. *Probatur* ferè eisdem rationibus, quibus præcedens assertio probata est. Deinde probatur. Quia potissimum ligamen, ac præcipua vnitas eorum ciuium, qui ad vnam Rempublicam pertinent, Religionis vnitas est, & hæc præcipuè innotescit, & innotuit in vnitate sacrificiorum, quæ ab incolis offeruntur publicè, & cum solemni ritu: ergo non cuilibet priuato datum est hæc sacrificia & eorum ritus instituere; alias quot capita tot essent sacrificia, & sacrificandi ritus, quod magnam diuisionem, non vnitatem pareret.

Tertiò dico. Ad instituenda sacrificia quæcunque, quæ ad munus sacerdotale pertinebant in lege naturæ, in sola potestate publica erat facultas, & non in personis priuatis. *Probatur*. Ministri publici à potestate publica designati tenentur sequi leges, & determinationes factas à publica potestate pro exequendis officijs, & functionibus publicis, ad quæ à potestate publica electi, & instituti sunt ministri: aliàs non benè fungerentur suo ministerio: & palàm fit in omnibus publicis ministris cuiusque nationis: ergo omnes sacerdotes legis naturæ tenentur in sacrificiorum oblatione sequi determinationes, ac institutiones factas à publica potestate pro functione sui ministerij: ergo ad eandem & solam publicam potestatem, ad quam spectat eos instituere vt ministros (vt videbimus statim) etiam attinet instituere ea sacrificia & ritus, quæ ad officium sacerdotale pertinent. 5

Quæ autem sint ista sacrificia, ad quæ se extendit officium sacerdotale scitu dignum est; *pro cuius expeditione dico*. Offerre sacrificia nomine totius populi pertinet ad sacerdotes tantum. Item offerre in publico solēni apparatu similiter. *Item tertiò*. Offerre sacrificia specialiter ordinata ad cultum Dei pro alijs à sacrificante, ad solos sacerdotes spectat, vt expressè ait D.Thom, in solutione ad 3. & colligitur ex Apostolo ad Hebræos.5. illis verbis: *Omnis Pontifex ex hominibus assūptus pro hominibus constituitur, in ijs quæ sunt ad Deū, vt offerat dona & sacrificia*. Probatur quia offerre pro alijs pertinet ad officium mediatoris inter Deum & homines. Hoc autem officium ad sacerdotes spectat, vt colligitur ex Apostolo *ad Heb.9.* & adhæc omnia sacrificia instituenda sola publica potestas habet facultatem. *D. Thom.* *Heb.5. & 9.*

Dico quartò. In omni hominum statu ab orbe condito, duntaxat in publica potestate humana fuit facultas creandi aut instituendi ministros publicos, seu sacerdotes pro offerendis sacrificijs: non verò fuit hæc facultas in priuatis personis. Hoc assertum intelligitur dummodo potestas publica humana, non fuerit præoccupata aut coercita à diuina, aut verò nisi sacrificiorum institutio exuperet vires hominum, tàm in ordine naturæ, quàm in ordine gratiæ: etenim in lege scripta veteri Deus hanc facultatem hominibus illius legis ademit per se ipsum instituendo progeniem Aaroniticam, vt sacerdotio fungeretur, vt cōstat ex multis locis citatis in prima assertione quæstionis proximè præcedētis. In lege itē noua soli Deo & ministris suis ad hoc deputatis ab ipso peculiari commissione vltra ordinem naturæ & gratiæ hæc Sacerdotium institutio reseruata est, tum propter prohibitionem de hac re, tum propter excellentiam sacrificij Eucharistici, quæ exuperat omnem facultatem homi- 6

hominum,& Angelorum: vnde à solo Deo potuit institui. De quo suo loco,& fortassis nos attingemus inferius.

Quapropter nostrum assertum quartum potissime in statu legis naturæ procedit. In quo non legimus Deum talem institutioné sibi reseruasse, aut præoccupasse. Hoc assertum nulla indiget probatione, cum lumine naturæ dictante apud omnes nationes in sola publica potestate fuerit facultas creandi ministros publicos,& magistratus ad quascunque publicas functiones: sacerdotes autem connumerari inter publicos ministros,& primos magistratus superius satis superque ostendimus.

Sed rogabit quispiam. In lege naturæ in quo, vel in quibus residebat hæc publica potestas creandi ministros pro sacrificijs, quos sacerdotes appellamus? Similiter & instituendi sacrificia & ritus, quæ pertinere diximus in sui institutione ad publicam potestatem? In hac re quasi diuinare necessarium est, eò quod gesta illius sæculi non sunt scripto mandata, neque ad nostra vsq; tempora peruenere. Verosimile tamen credimus Adamū suos filios Cainum & Abelem, sacerdotes ad offerenda sacrificia creasse, & sacrificia publica ab ipsis exercenda instituisse: eò quod ipse totius orbis Dominus ac Monarcha esset, ac omnium scientiarum,& sacrorum cognitione peritissimus. Deinde progenie ipsius multiplicata, diuisi ad inuicem & in familias distributi, mapalium instar,& maior natu cuiusque familię, (nisi corpore ac mente debilis esset, (instinctu vrgente, Onuph. Rex erat & sacerdos, vt docet Onuph. lib. 1. Fa- Euch. stor.& fauent Patres in id Gen. 25. *Vende mihi pri-* Hier. *mogenita tua.* Eucher. Lipp. Gloss. ordinaria. Item *Hier. to. 3. Epis. 126. ad Euagrium, & in quæst. Hebraicæ super Gen.* agens de Melchis.& item de vestibus Esau odoriferis,& addit Lippoma. cum Isidoro Abbate,& Gloss. ordinaria, quod primogenitis debebantur tria, Regnum, Sacerdotium,& Patriarchalis dignitas, quæ in nomine Melch. & Iob coniūcta esse ex diuinis libris didicimus: qui modus instituendi Sacerdotes per successionem in populo fideli, per plures annos perdurauit, quousque Moyses ex Domini mandato mutauit illum secernens à populo Israel Leuiticam Tribum vt cultui diuino vacaret: & Aaronicam progeniem, vt Sacerdotio fungeretur ad sacrificia offerenda pro se, & pro alijs. Ac postremò in populo Christiano relicta hac carnali successione ad vnicum (quod extat in Ecclesias) sacrificium à Summo Pontifice, & Episcopis consecrantur Sacerdotes accepta potestate hac instituendi eos non à Republica temporali, sed à Christo Domino immediatè.

In qua re valdè cæcutiunt Lutherani dicentes penes Rempublicam principem esse potestatem creandi Sacerdotes Ecclesiæ Christianæ. De quorum confutatione videndus est Bellarminus, *primò tomo* agens de Clericis, per multa capita. Per hæc tamen, quæ dicta sunt de creatione ministrorum per successionem maioris natu in quacunque familia, non inficior sæpè coadunata Republica ex multis familijs, institutoque Bellar. Principatu in statu naturæ creatos fuisse Sacerdotes per electionem vel Reipublicæ, vel eius vicem tenentis, putà Regis, aut Principis, vt colligere licet ex Historijs Profanis passim. Nam Numa Pompilius Rex, ipse se Pontificem constituit, vt dicunt Dionysius Halicarn. *lib. secundò,* Halicarn. Galba etiam, (vt Suetonius tradit) triplex Sacerdotium gessit: Lacedemoniorum Rex Ducem, & Sacerdotem agebat, vt scribit Xenophon. Denique Isidor. 7. Etymologiarum capite. 12. agens Isidor. de Romana politia: *Antea,* (inquit,) *qui Reges erant, & Pontifices erant. Nam magnorum hæc erat consuetudo, vt Rex esset, & Sacerdos, & Pontifex. Vnde & Romani Imperatores Pontifices dicebantur.* Refertur hoc testimonium capit. Cleros. 21. dist.

Quintò dico. Non solùm ad hæc sacrificia instituenda, de quibus in primo, secundo, & tertio dictis, erat tantum facultas in publica potestate; verum etiam ad instituendas cæremonias, & ritus quibus præfata sacrificia exornari debebant. *Probatur,* quia accessorium sequitur naturam principalis. Si ergo prædicta sacrificia non licebat instituere nisi publicæ potestati, neque etiā ritus & cæremonias, quibus celebrabantur: & ita etiam in sacrificijs Gentilium factum esse videmus, vt publica potestas, cui cura erat sacrificia instituendi, etiam circa ritus sacrificiorum diligentem nauabant operam. Et in sacrificijs fidelium legis naturæ idem narratur accidisse. Nā instituentes quædam sacrificia in holocaustum, quædam in hostias pacificas,&c. suos ritus peculiares cuiq; sacrificio adiungebant, vt patet in sacrificijs Abrahæ, Noe,&c. Vnde meritò adnotauit Alfonsus Tostat. *6. tom. super Matth. q. 210.* omnes fermè modos sacrificandi in veteri lege prius in legis naturæ sacrificijs extitisse, & de Enoch dicit Geneb. *in Chronic.* ipsum scripsisse multa de sacrificiorum ritibus, & cæremonijs. Cui videtur allusisse Ioseph. *li. 1. de antiq. c. 4.* narrans quod Seth fecit duas columnas; vnam latericiam, alteram marmoream, in quibus scripsit disciplinam rerum cœlestium & ornatum eorū, id est doctrinam de sacrificijs,& eorum cęremonijs ac ritibus, vt si obliuioni traderentur, posteri in columnis exarata legerent: latericiam quidem ne ab incendio læderetur, marmoream ne alluuione dissiparetur. Inter cæremonias autem & ritus numerantur omnia, quæ non sunt de ratione sacrificij, sed extrinsecas: vt vasa, vestes sacerdotales,& actiones quædam ad ornatum pertinentes. Omnia ista varietate magna inuenta sunt pro varietate instituentium. 7 Abul. Geneb. Ioseph.

In loco verò eligendo pro sacrificijs peragendis oēs populi tam fideles quā infideles nimis soliciti fuere,& vix reperias sacrificiū solēne nisi in loco sacro peractū esse, & quidem Gētiles nimis superstitiosi in hoc extiterūt. Lact. Grammatic. *lib. Theb. 7.* tria fuisse in sacrificijs Gētiū loca ait, Scrobiculo facto, Dijs inferis, aris, terrestribus, cœlestibus, extructis focis: vnde denominata sunt Altaria, ad quæ (cum sacrificabant) manus porrigebant. Itaq; Dijs superis (vt ait Festus) aris à terra exaltatis, quæ propriè sunt Altaria, id est, Alta Ara, terrestribus in terra, inferis sub effossa 8 Lactant.

effossa terra sacra facere consueuerunt veteres Profani. Licet etiam nonnunquam in nudo solo id egisse Græcos compertum est. Cæterum cum fideles cognito verò Deo illi distinctione Deorum, Superorum, Terrestrium, ac Infernorum repudiassent, Altare, id est, aram, in alto erectam pro sacrificijs offerendis, vt locum sacratum elegerunt. Sic adeò vt vix reperias sacrificium fidelium sine altari. Vnde D. Aug. 20. contra Faustũ c. 21. *Sicut sacrificium soli Deo offertur: ita & altare solũ in diuinum honorem erigitur: quia nimirum non nisi ad*
August. *sacrificandum construitur*. Quibus verbis Augu. in-
Fulgen. sinuat non reperiri sacrificiũ sine Altari: & Fulg. lib. 2. ad Monim. cap. 3. *Non ob aliud altare ædificari solitum, nisi ad sacrificium Deo offerendum veteris testamenti lectio frequenter insinuat*. Potuisset etiam addere, sacrificium aut nunquam aut ferè semper sine altari non extitisse veteris testamenti lectio insinuat, vt patet *Gene.* 8. vbi prima fit mentio altaris erecti ad sacrificium Abrahami.

Taceo altaria erecta per Isaac, & Iacob, imò & per alios Patres veteris testamenti. Iosue ere-
Iosue. 8. xit altare in monte Gebal. *Iosue*. 8. Gedeon, *Iudic*
Iud. 6. 6. Samuel in Ramatha 1. *Regum* 8. Saul in Gabaa
1. Reg. 8. 1. *Reg*. 13. Dauid in Area. 2. *Reg*. 24. Helias in
Matth. 5. monte Carmeli. 3. *Reg*. 18. In nouo quoque testa-
1. Ad Cor. 9. mento altarium vsus probatur *Matth*. 5. & 23. 1. *ad Corin*. 9. *ad Hebr*. 13. & à Patribus in magna ve-
Ad Heb. 13. neratione habentur, de quibus non est per singula disserendum. Qui plura cupit legat Durantum lib. 1. de ritibus Ecclesiæ. cap. 15.

9 *Sextò dico*. Si in aliqua barbara Republica non essent instituta sacrificia, cuilibet illius Reipublicæ membro liceret ea instituere pro se & pro suis. *Ratio est in promptu*. Ne priuetur tam ingenti bono, quale est suam profiteri fidem, subiectionem & reuerentiam erga Deum: quam superius docuimus per sacrificia, & significari, & excitari. Idem & propter eandem rationem asserendum est de ijs, qui illo tempore legis naturæ viuerent solivagi, in syluis degentes: tum quia non censerentur alicuius Reipublicæ membra, tum quia esto ad aliquam pertinerent, ex consensu interpretatiuo eiusdem sibi ipsis sacerdotes essent, & sacrificiorum institutores.

10 *Septimò dico* Sicut in statu legis naturæ cuique priuatæ personæ licebat pro se sacrificia offerre priuata, sic & ea instituere, ac determinare victimas, actiones, ac ritus, quibus ea sacrificia peragerentur. Hæc assertio est contra modernos supra citatos existimantes nullum verum ac legitimum sacrificium repertum fuisse vnquam, nisi à publica potestate institutũ & per publicos ministros, id est, sacerdotes exercitum. *Et prior quidem pars* in dubitatione secunda præcedenti stabilita est: modo vtraque probatur primò ex D. Thom. in corpore huius articuli, vbi loquens de hominibus qui in statu legis naturæ erant *tenebantur* (*inquit*) *ad aliqua exteriora facienda in honorem Dei secundùm condecentiam ad eos, inter quos habitabant, non tamen determinatè ad hæc vel illa*. Expendenda sunt verba singula, ex quibus apertè colligitur determinationem sacrificiorum eorum arbitrio committi: & de quibus sacrificijs loqueretur, nempè de priuatis, in solutione ad tertium explicat dicens, sacrificia publica ad sacerdotes pertinere, priuata verò cuique in particulari. Igitur impositio seu institutio talium priuata autoritate fieri poterat.

Secundò. Sacrificiorum institutio non solum fit vt Respublica profiteatur suam erga Deum subiectionem ac reuerentiam, verùm vt quælibet priuata persona hoc obsequium Deo debitum exhibeat per sensibilia signa: ergo quicunque habet ius vtendi quibus voluerit signis ad exprimendum suum in hac parte erga Deum affectum & mentem deuotam maximè cum hæc expressio Deo fiat, qui omnia intelligit.

Neque obstat quod in lege veteri non licebat, 11
neque in noua licet: quia in vtraque potestas hæc cohibita est, & præoccupata à Deo propter rationes aliquot, quæ non procedunt in statu legis naturæ. In statu quidem legis veteris ad cohibendum Idolatriam, ad quam populus ille pronus erat: in statu legis nouæ, propter perfectionem sacrificij, vnico tantum sacrificio istius legis cultores alligati sunt, in quo omnium sacrificiorum perfectiones & prærogatiuæ reperiuntur: & propter libertatem asserendam à tanta multitudine sacrificiorum offerẽda: iugum certè graue: at in lege naturæ neque fuit periculum idolatrandi, cum ante diluuium nulla vnquam reperta fuerit Idololatria, nec post diluuium populum fidelem legimus lapsum fuisse in hoc scelus, vsque ad adorationem vituli conflatilis.

Quare merito adnotauit D. Thom. 1. 2. *quæst.* D. Thom.
102. *art*. 3. præcepta de sacrificijs non fuisse data populo Iudæorum, nisi post adorationem illius vituli: vbi magis apparuit pronitas illius populi ad Idolatriam. Similiter in lege naturæ, vbi non erat sacrificium Eucharisticum, & homines illius legis non debuerint præceptis tot coarctari, sicut in lege veteri, relicti sunt vt vterentur potestate sibi proportionata, qualis erat ad instituenda sacrificia, saltem priuata.

Tertiò. Ex alijs actionibus, quæ pertinent ad ritum externum adorationis, poterit homo quicunque eligere quas iudicauerit congruentes ad colendum Deum: verbi gratia, genuflexionem, pectoris tunsionem, & similes, etiam si in vsu non essent. Imo in priuato loco existens poterit nouas adinuenire actiones, si fiant sine indecentia. Ergo idem facere poterit in oblatione sensibili alicuius rei materialis, quam sacrificium vocamus.

Nec satis fit huic rationi si, dicamus cæteros actus Religionis & adorationis, quos per proprij corporis membra possumus exercere, esse destinatos ad exercendum & excitandum interiorem affectum iuxta priuatam deuotionem; sacrificia non item, quia pertinent ad publicam professionem, cultus Deo exhibendi. Non, inquam, satisfacit hæc solutio; tum quia adorationes externæ aliquando fiebant (& possunt fieri) nomine Reipublicæ, non minus quàm sacrificia; vt palàm fit in ijs adorationibus, quæ in sacrificijs pro populo & orationibus admiscentur: tùm

rum quia seclusa prohibitione professio per sacrificia interdum etiam spectat ad personas priuatas. Quis enim eas prohibuit tanto bono? *Confirmatur.* Quia patres legis naturæ, qui non habebant templa, nec loca destinata ad sacrificia, sed sæpè pallantes per agros errabant, angustijs pressos, non dubito ad sacrificia confugisse, nulla habita ratione ad institutionem publicæ potestatis, sed prout suggerebat deuotio, sacrificasse. Fortasse ita se gessit Abraham, vt affirmat Abulensis, vbi supra, Isaac, & Iacob, & multi Prophetarum.

13 Sed aduersus hanc assertionem non desunt argumenta. Primum ex Aristot. *libr. Rhetoric. ad Alexandrum*, dicente necessarium esse in sacrificiorum Religione ritus patrios & receptos seruari. *Secundò.* Omne sacrificium pertinet ad sacerdotale officium: ergo non potest institui nisi à publica potestate, à qua sacerdotes instituuntur, & cuius leges & ordinationes in sacrificando debet sequi. Antecedens probatur ex Diuo Paulo ad Hebræos. 5. dicente: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia.* Ex quo loco colligunt omnes, maximè Concilium Tridentinum. *Sessio. 23. capit.* 1. sacrificium & sacerdotem esse correlatiua, ita vt sacerdos sit propter sacrificium, & sacrificium non nisi à sacerdote offerri possit.

Arist.

ad Heb. 5.

Secundò colligitur officium sacerdotale non cuique conuenire, sed ei, qui specialiter constituitur pro hominibus in his, quæ sunt ad Deum: & ideò subdit Apostolus: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron,* id est, qui ad tale munus legitimè deputatus est, vel immediatè à Deo, vel mediatè eo, qui habet potestatem hanc, id est, sacerdotes. *Confir.* Quia si sacrificium à quolibet institui posset, etiã à quolibet posset exerceri & offerri quia maius est instituere quàm offerre, & qui potest sacrificium ordinare, potest etiam ministrum designare.

ad Heb. 7. *Tertiò idem* Apostolus ad Heb. 7. ait. *Translato sacerdotio necesse est, vt legis translatio fiat:* Et potuisset etiam dicere, translato sacrificio; quia sacerdotium & sacrificium inseparabilia sunt, & etiam potuisset dicere contrarium, mutato legis statu mutari etiam sacrificandi ritum: quia in correlatiuis ab vno ad alterum est bona consequentia: ergo institutio sacrificiorum ad publicam tantum pertinet potestatem; quia ad eam spectat mutatio status legis. *Confirmatur,* quia inter Gentiles quando diuersæ sunt Respublicæ seu nationes, etiam diuersi sunt sacrificandi ritus: quod palàm fit Historijs profanis Gentilium: & in populo fideli quandocunq; facta est legis mutatio, vel à statu legis naturæ ad statum legis scriptæ, vel ab hoc in statum legis gratiæ, semper cum lege mutatus est sacrificiorum vsus: ergo signum est sacrificium esse de his, quorum institutio ad publicam potestatẽ tantũ pertinent.

14 *Quartò.* Templa, Altaria, vasa sacra, & vestes, sine quibus nec decet nec licet sacrificium offerre, non instituuntur nec debent institui, nisi à publica potestate: ergo multo minus sacrificium ipsum quoad substantialem actum eius.

Quintò. Quia ad vnitatem & concordiam humanæ Reipublicæ expedit, vt omnes conueniãt in substantiali modo colendi Deum, quem superius diximus potissimè in sacrificijs consistere. Si autem cuilibet priuato liceret instituere sacrificia, neutiquam concordia & pax emanaret ex eis, sed potiùs confusio, ac scissuræ propter varietatem sacrificiorum ac rituum: & præterea daretur occasio superstitionibus & Idololatrijs varijs, dùm quilibet plebeius pro suo arbitratu sacrificia institueret. *Confirmatur.* Quia sacrificium est actio publica & solemnis: ergo vt ritè fiat & decenter, non cuilibet debet committi. Quod si quis conetur ad hæc omnia respondere dicens, duntaxat probari esse in potestate publica facultatem condendi sacrificia publica, & non in priuatis personis: non verò probare esse illicitum in lege naturæ cuilibet instituere sacrificia priuata, quæ offerat ad excitandam, & significandam suam erga Deum subiectionem & reuerentiam, quod asseruimus in hoc postremo dicto.

Cõtra hoc arguitur sextò. In Republica Hebræorum hoc ipso quòd Deus per se ipsum instituit sacrificia, quibus ille populus vteretur, prohibuit quempiam alium aliqua sacrificia instituere, aut instituta mutare, nec alijs vti: ergo in lege naturæ quando hominibus reliquit potestatem instituẽdi sacrificia, nec eam præoccupauit, hoc ipso quod publica potestas instituit sacrificia & sacrificandi ritus, consequenter prohibet ne aliquod membrum Reipublicæ noua sacrificia, aut nouos sacrificandi ritus introducat. *Probatur consequentia* ex rationis paritate. Itaq; in ipsamet institutione sacrificiorum facta à publica potestate intrinsecè includitur non solum vis directiua approbandi talem sacrificij modum, sed etiam prohibendi alia quælibet priuata sacrificia. *Confirmatur.* Quando lex ciuilis instituit certos titulos, aut certa signa honoris, consequenter prohibet alia differentia: & lex Ecclesiastica instituens vestes quibus sacrificium celebrandum est, prohibet ne alijs celebretur: similiter quando verba vsu publico aut potestate imposita sunt ad significandum aliquid, non potest homo priuatus alia adinuenire, nec alijs vti, aliàs neque veritas, neque fidelitas inter homines firma esse posset. *Cõfirmatur secũdò.* In lege noua hoc ipso quod Christus Deus & homo instituit sacrosanctum Eucharistiæ sacrificium, & non aliud, argumentantur Patres non esse nisi vnicum sacrificium, cæteraq; omnia esse prohibita: ergo pari ratione in lege naturæ hoc ipso quod à publica potestate instituebantur sacrificia, cætera omnia prohibebantur.

Ad hæc tamen argumenta respondetur. Ad primum. 16
Aristoteles duntaxat loquitur de sacrificijs publicis, quæ Reipublicæ nomine, & cum solemni apparatu & pompa peraguntur, iuxta tenorem primæ & secundæ assertionis: non verò de priuatis sacrificijs: & pariter respondetur ad secũdũ ex testimonio D. Pauli, quo nos perurgere putant

tant autores oppositæ sententiæ. *Respondetur*, inquam, Diuum Paulum tantum instituisse sermonem de ministro publico, & à publica potestate designato: similiter de sacrificio publico ad munus sacerdotale pertinente: & hæc esse correlatiua fatemur cum Conc. Trident. citato: sed tamen cum hoc stat quædam posse reperiri sacrificia priuata, quæ quisque offerat ad suam deuotionem excitandam, & significandam, & quæ ipse sacrificus stando in lege naturæ possit instituere. *Contra* quod non procedit testimoniũ D. Pauli. Itaque sacrificium publicum & sacerdos sunt correlatiua, sacrificium vero absolutè & sacrificus relatiuè coniuncta sunt: non verò sunt idem sacrificus & sacerdos, sed sacerdos significat sacrificum publicum à potestate publica designatum, sacrificus verò quemcunque sacrificia peragentem, siue id efficiat ex officio, siue ex deuotione priuata.

Ad secundum resp. D. Paulus ad Hebræos scribens, ex his, quæ in lege Iudæorum erant, voluit suadere sacerdotium Christi, argumentando à notis ipsis Hebræis. Cum ergo apud Hebræos nullum sacrificium nisi à sacerdotibus posset offerri, de sacerdotibus illius legis loquens dicit, *Omnis Pontifex, &c*. Itaque propositio illa vniuersalis continet distributionem accommodatã solis veteris legis sacerdotibus, ex qua non infertur idem esse dicendum de sacrificijs, & sacerdotibus legis naturæ. *Quare ad argumentũ negatur antecedens: Ad confirmationem resp*. nos nequaquam asserere omnia sacrificia, etiam publica, posse à qualibet persona priuata exerceri, aut institui.

Ad tertium resp. ex illo testimonio potius nostram sententiam suaderi. Certum est enim, non quamcunque mutationem sacrificiorum mutationem legis inducere, sed necessaria est mutatio sacrificiorum publicorum: & his mutatis mutatio legis fit. Sicut enim non penes quascunque ordinationes priuatas priuatorum ciuium diuersitas Rerumpublicarum attenditur, sed penes leges communes, quæ pro bono publico statuuntur: sic non penes quamcumque sacrificiorum diuersitatem attenditur legis diuersitas, sed tantum penes diuersitatem sacrificiorum publicorum: quare illa relatio mutua, & correspondẽtia inter sacerdotem & sacrificium non penes quodcunque sacrificium expendenda est, sed tantum penes publicum: sicut & sacerdos non quicunque sacrificus est, sed publicus à publica potestate ad munia sacerdotalia obeunda designatus. Quare ad argumentum negatur consequentia, si sit sermo de sacrificijs priuatis. Et per hæc etiam ad confirmationem respondetur.

17 *Ad quartum resp*. quædam esse extrinseca substantiali ritui sacrificandi, & pertinentia ad ritus & cæremonias sacrificiorum accidentales, quæ non possunt accommodari nisi publicis sacrificijs, quæ à sacerdotibus ex officio offeruntur: verbi gratia, vestes sacerdotales, locus, & vasa consecrata pro ministerio publico, altare constructum à Republica pro sacrificijs publicis: & ista omnia non possunt institui, nisi à publica potestate, nec illis vti, nisi cui publica potestas commiserit. Alia verò sunt, quæ possunt accommodari cuilibet etiam priuato sacrificio, vt altaris erectio, ornatus eius frondibus aut ramis arborũ, mactare pecus hoc vel illo modo: & hæc & similia in sacrificijs legis naturæ priuatis quisque poterat instituere pro sua voluntate rationabili, & (vt verbis vtar D. Thomæ) *secundùm condecentiã eorum*; inter quos Patres illius legis habitabant non determinatè ad hæc vel illa. *Secundùm condecentiam* ait, id est aduertendo ne aliquid indecẽs fieret in talibus sacrificijs, vel offerendo rem immundam apud illius Gentis ciues, aut ritu ridiculo & despecto, vel deniq; agẽdo aliquid vnde possent conciues scandalizari videntes ita fieri. Itaque non ait, secundùm institutionem eorum, inter quos habitabant, sed secundùm condecẽtiam.

Ad quintum resp. Sicut non turbatur vnitas Reipublicæ ex eo quod quisque in domus suæ regimine, & priuatim exerceat actiones neque prohibitas à Republica, nec ab ea determinatas: sic neque erunt scissuræ aut perturbationes in Republica, vbi sacrificia publica peraguntur ex Reipublicæ præscripto: reliqua verò priuata, quæ quisque ex deuotione & priuatè offert, vnusquisque instituit & exercet prout sua illi deuotio suggerit: nec daretur occasio Idololatrijs & superstitionibus, maximè in legis naturæ hominibus qui non erant ad Idololatriam proni. Et præterea, sacrificia priuata erant simplicia paucis ornata cæremonijs: quin imò apud Gẽtiles sacrificia publica superstitiosiora erant, quàm priuata: eo quod sacerdotes, & fungentes publica potestate vix finem imponebant adinueniendi sarcinam ingẽtem cæremoniarum, quibus sua sacrificia exornauerint Dæmone hoc suggerente, vt sic populus miserè detineretur in obsequio falsorũ Deorum. Ad confirmationem resp. non semper actionem sacrificandi pertinere ad professionẽ publicam & solemnem, vt dictum est.

Ad sextum resp. primò, esse disparem rationem in lege veteri & legis naturæ statu. Quia Deus in illa instituit sacrificia & eorum ritus vsque ad minutissima quæque, non relinquẽns illi populo facultatem vel vnum apicem immutandi aut instituendi de nouo ad arcendos Hebræos ab Idololatria, ad quam viderat esse valdè pronos: in lege verò naturæ, cum illius cultores hac pronitate carerent, amplior illis facultas relicta est instituendi sacrificia siue publica, siue priuata. 18

Secundò resp. negando antecedens. Quia populo Hebræorum expressè interdicta est facultas tum instituendi sacrificia, tùm vtendi alijs, præter quàm illis, quæ à Deo instituta sunt, vt patet ex locis citatis in quinta assertione dubitationis secundæ, adiuncta expositione, & communi sensu Patrum & Doctorum Scholasticorum. Et quod propius rem attingit, manifestè hoc colligitur ex eo quod sacrificiorum cultus in populo Hebræorum alligatus erat vni tantùm loco, *Deut*. 12. & vni tantũ altari. *Exod* 27. quorũ custodia solis Leuitis reseruabatur, & solis sacerdotibus peractio sacrificiorum adiudicabatur: *Deut*. 12. *Exod*. 27.

tur: cæteri verò ab eo loco & ministerio arcebãtur sub comminatione pœnæ capitis luendæ: ergo necessariò quodcũque sacrificium à sacerdotibus offerendum erat, & consequenter iuxta determinationem legis, quibus adstringebantur sacerdotes, vt potè ministri publici. Quod inde apertè colligitur, quod filij Aaron, Nadab, & Abiu, qui sacerdotes erant, hac sola cęremonia prætermissa quod thus obtulerunt immissis in thuribula prunis, quæ non erant de igne altaris miserè perierunt, vt narratur *Leuit.* 10. *Leuit.* 10.

Ad hæc omnia aliter se habebant in legis naturæ statu. Potestas sacrificandi nulli loco alligabatur, sed in vrbibus, & extra, in montibus, & collibus, in via & in domo sacrificari poterat. Similiter non vno altari coarctabatur: sed plura passim erigebantur. Similiter neque sacerdotibus, vt supra probaui. Quare nego antecedens, & dicimus non hoc ipso, quod Respublica sacrificia aliqua & eorum ritus instituit, prohibet aliorum institutionem, maximè quia illa institutio (nisi aliud exprimatur) intelligenda censetur de sacrificijs publicis, non de priuatis.

19 Ad *confir. resp.* institutionem eorum, quæ ibi connumerantur, semper habere annexam formalem & explicitam prohibitionem cuiusque vsus, prætereum, qui in earum rerum institutione præscribitur, vel ad minus virtualem & implicitam: alias esset ridicula institutio, quæ in illis rebus potissimè assignatur, ne quisque sibi arroget tales titulos, aut signa honoris, nisi quibus à Republica conceduntur: sicut quando à Republica imponuntur pretia mercimonijs, potissimus impositionis finis est prohibitio, ne quis vltra metas illius pretij audeat prosilire: & idem dico de vestibus sacerdotalibus & vocum impositione, quibus fit mentio in cõfirmatione. Secus cõtingit in sacrificiorum institutione, cuius potissimus finis est instituere sacrificia publica offerenda Deo publicè, nomine totius populi, in quibus colligantur vnius Reipublicæ ciues: non verò finis est prohibere priuatis personis, vt offerant, & instituant sua priuata sacrificia ad excitandam & significandam deuotionem suam ad Deum.

Omitto modò, quod voces imponuntur, vt homines possint socialiter viuere, manifestando suos adinuicem conceptus circa contractus, fœdera, mercimonia, & alia huiusmodi: quæ manifestatio nisi esset ex publica vocum impositione nequaquam commodè posset fieri. Secus accidit in sacrificiorum institutione, quæ fit quidẽ ad exprimendam deuotionem erga Deum, qui quocunque signo vtantur, & sine signo probè intelligit affectus nostros. Et ideò non est inconueniens, vt priuatæ personæ, & sacrificijs priuatis, quo libuerit signo vtantur.

20 In secunda confirmatione insinuatur *quædam grauis difficultas* sæpè tacta superius: an scilicet in lege gratiæ sit vnicum tantum sacrificium? an plura? & an dato sit vnum tãtum, Ecclesia Christiana alia potuerit instituere & offerre? *Et videtur vera pars affirmatiua.* Quia potestas instituẽdi sacrificia est connaturalis tam naturæ, quam gratię

Dubitatur an in lege gratia sit tãtum vnicum sacrificiũ?

(vt superius dicebamus) ergo adhuc manet in statu legis gratiæ, vbi naturalia nõ destruuntur, sed potius perficiuntur. *Dices*: est impedita. *Contra secundò.* Nam vbi legitur hoc impedimentum in toto nostro testamento? Quod verò de facto sint alia sacrificia præter Eucharistiæ mysterium, argumentor tertio. Cæremonia Cerei Paschalis sacrificium est, dicente Greg. Papa in eius benedictione, *Suscipe sancte Pater incensi huius sacrificiũ vespertinum.* Et ratio id suadet; quia est ibi oblatio Deo facta, benedictio, & consumptio alicuius rei creatæ in Dei honorẽ, in quibus tota essentia sacrificij consistit. Idẽ argumẽtũ fit de oblatione cãdelarũ, quæ offeruntur in altari, vt in Dei honorem crementur. Confirmatur *ex can.* 3. *Apost.* vbi dicitur modo posse Deo offerri Thymiama, quod si consumatur in Dei honorem, nil deest, quominus sit sacrificium.

Huic dubitatiunculæ, quã pro coronide huius quæstionis de sacrificio apponere libuit *dico primò.* Ecclesia Christiana hactenus nullum instituit sacrificium, neque aliud vnquam obtulit præter Eucharistiam. Hoc assertũ est contra Magistrum Melchiorem Canum. *lib.* 12. *de locis. cap.* 13. & contra Scotum *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. dicentẽ, in Missa esse duplex sacrificium: vnum oblationem hostiæ, alterum mysteriũ Eucharistiæ. Sed tamen nostra sententia tenetur communiter à Patribus & Doctoribus Scholasticis *in* 4. *distin.* 12. *&* 13. & à Caietano *in commentarijs super hunc articulum.* Hosius in conf. ca. 41. Clicthou. *lib.* 1. *de Eucharistia.* cap. 14. & August. lib. 20. de ciuitate. ca. 21. *Sacrificamus* (inquit) *Deo, illo duntaxat ritu, quo sibi sacrificari noui testamẽti manifestatione præcepit.* vbi expendenda est illa dictio exclusiua: & lib. de spiritu, & litera cap. 11. vocat vnicum & singulare hoc sacrificium. Et D. Cyprianus sermone de cœna Domini dicit, Eucharistiam esse inconsumptibilem cibum, *quia si consumeretur* (inquit) *nullum nobis relinqueretur sacrificiũ.* Quæ ratio supponit nos Christianos tantum offerre sacrificium in Eucharistia, & in nulla alia re. 21

Cano. Scot.

Caiet. Hosius. Clicthou. August.

Cyprian.

Et si percontetur quispiam, vnde ortum habuit in Ecclesia Christiana vnicum tantum esse relictũ sacrificiũ Eucharistiæ cæteris abolitis? An ex eo quod hoc sit incompossibile cum alijs? An verò, quia Christus cætera prohibuit, quando hoc instituit? *Respondetur.* Non est incompossibile cum alijs, sed Christus cætera abrogauit quando hoc instituit, sicut in statu legis scriptæ instituẽdo sacrificia quædam, cætera abrogauit. Existimo autem hanc abrogationem nullo argumento firmo colligi, nisi ex traditione quã asseuerant Patres citati, & alij. Cõfirmatur. Quia nemo audeteret modo in Ecclesia Christiana immolare pecus in Dei honorem, cuius non aliam inuenio causam firmiorem, nisi quia Christiani ex traditione Apostolorũ acceperũt instituto sacrificio Eucharistiæ Christũ cætera prohibuisse. *Ratio huius* prohibitionis multiplex esse potest. *Prima*, excellẽtia infinita huius sacrificij, quod omnium sacrificiorum perfectiones eminenter continet, & infinitè excedit. Vnde ne existimaretur per se solũ vel imperfectum, vel ad colendum Deum 22

 & fru-

& fructum sacrificij percipiendum insufficiens, cæteris abrogatis hoc solum permansit. *Secunda*, ne deuotio fidelium ab hoc inclyto & altissimo sacrificio vel tantillum remitteretur alia exercendo, & ab illius vsu & frequentia populus Christianus, quoquo modo diuerteret.

23 *Secundò dico.* Mihi non est certum, an Christus Dominus reliquerit Ecclesiæ suæ facultatem dispensandi in hac prohibitione instituendi noua sacrificia, aut vtendi antiquitus institutis in aliquo casu raro, sicut de facto dispensauit Deus in lege veteri in prohibitione sacrificandi extra tabernaculum, & Altare ipsius, & à non sacerdotibus, vt cum Samuele. 1. *Reg.* 18 & cum Dauid. 2. *Reg.* 24. & cum alijs: ita fortasse in remotis regionibus, vbi non esset sacerdos Christianus, posset offerri contentio de Religione inter fideles & infideles, instar eius, quæ orta est tempore Heliç. 3. *Reg* 18. vbi opus esset sacrificare: aut mactare pecus in honorem Christi, & tunc potestas esset in Ecclesia ad sacrificãdum, sicut in lege naturæ. Existimo tamen certius nullam talem esse in Ecclesia potestatem, quia in Ecclesia non est potestas noua condendi sacramenta; vt dicitur in Conc. Trid. *sess.* 21. *c.* 2. & ratio est in promptu. Quia sunt Ecclesiæ fundamenta à nullo alio iacienda, nisi à Christo Domino: ergo nec ad instituenda sacrificia. Consequentia patet. Quia etiã sunt fundamenta Ecclesiæ, & fortasse ratione potiori. Quia cũ sacramenta ordinentur ad Dei cultum, qui specialiter & potissimè consistit in sacrificiorum oblatione, videtur sacrificia esse fons sacramentorum, atque adeò potiori iure inter fundamenta Ecclesiæ connumeranda: ac proinde in Ecclesia nõ est potestas sacrificia cõdendi, neque etiam dispensandi in prohibitione vsus sacrificiorum iam institutorum, nec se poterit casus offerre, vbi vti tali potestate opus sit. Mansit tamen potestas ad cæremonias instituẽdas quæ huic excellenti sacrificio Christianæ Ecclesiæ deseruirent, vt asserit Trid. Synodus inferius citanda In quibus cæremonijs licet sit aliqua in Ecclesia diuersitas, non censetur inconueniẽs: quia sponsa Christi circundata varietate debet esse, dummodo vnitas, & substantia sacrificij nõ varietur.

1. *Reg.* 18.
2. *Reg.* 24
3. *Reg.* 18.

24 Ex his patet quid sit dicendum ad argumenta. *Ad primum* benè ibi responsum est. *Ad secundum resp.* nos colligere prohibitionem; tum quia quotiescunque Deus constituit nouum legis statum & noua sacrificia, cætera abrogauit & prohibuit: vt patet in lege veteri: sic quia Christus instituit in lege noua nouum sacerdotiũ, & nouum sacrificium cætera videtur prohibuisse: tum etiam & præcipuè, quia ex traditione à tempore Apostolorum vsque nunc creditur Christum Dominũ hanc abrogationem sacrificiorũ & prohibitionẽ fecisse, vt supra docui ex Patribus. *Ad tertium*, & eius *confirmationem resp.* quod omnes oblationes ibidem connumeratæ, & similes cæremoniæ nõ sunt ab Ecclesia institutæ ac si per se contineant supremum Dei cultum, neque vt immediatè ad hoc referãtur: sed instituit eas ad ornatum & cultum Eucharistici sacrificij, & ad fidelium deuotionem excitandã. Quod disertis verbis docuit Synodus Tridentina. sess. 22. cap. 5. *Cæremonias adhibuit, nempè, mater Ecclesia, mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaq; id genus multa ex Apostolica disciplina & traditione, quo & maiestas tanti sacrificij commendaretur, & mentes fideliũm per hæc visibilia Religionis & pietatis signa ad rerum altissimarũ (quæ in hoc sacrificio latent) contemplationem excitarẽtur.* Ecce sacra Synodus non connumerat has cæremonias inter sacrificia, sed inter ea quæ ad ornatum, & cultũ Eucharistici sacrificij spectãt.

Ex quo patet solutio ad *argumentum tertium* cũ sua cõfirmatione, scil. de ratione sacrificij esse, vt sit oblatio immediatè ordinata ad Deum, & eius cultum, & non sat est esse cæremoniam ordinatã ad ornatum eius oblationis, quæ verum sacrificium est. Quare sicut Ecclesia instituens cęremonias ad ornatum sacramentorum non instituit noua sacramenta, sed eas cæremonias sacramentalia vocamus, & quasi accidentia circumstantia Sacramentorum: ita instituendo cæremonias ad ornatum sacrificij Eucharistici, non instituit noua sacrificia, sed accidentia quædam circumstantia sacrificium ipsum, quæ appellamus sacrificij ritus, & possemus appellare sacrificalia: Patres autem, qui interdum vocant ea sacrificia interpretãdi sunt de sacrificio accepto in larga & impropria significatione prout attribuitur cuiuis actioni, vel oblationi sacræ, vt benè notauit Cai. in *comment. huius articuli.* Et hæc dicta sunt de sacrificio in communi pro explicatione huius qu. D. Thom. Nam disputare in hoc loco de Eucharistiæ sacrificio subtilissimas & dignissimas scitu quæstiones: esset anteuertere controuersias, easque deturbare à proprijs sedibus, cùm de hac re D. Thom. & eius interpretes disserant ex professo. 3. *p.* *q.* 83. & 84.

QVAESTIO LXXXVI.
DE OBLATIONIBVS, ET PRIMITIIS.



PRo explicatione tituli quæstionis præmittenda est multiplex significatio huius nominis oblatio. *Primò modo* significat omnẽ oblationẽ, quæ fit Deo, siue res donata sit interna aut externa, siue oblatio fiat per actionẽ immanentem, siue transeuntem: & hæc acceptio cõmunissima est, & extenditur ad eam oblationẽ internam, qua Deo offerimus mentem aut affectum: sed de hac non fit sermo in præsenti quæstione. *Secundo modo* significat omnem oblationem 1

nem rei permanentis extra donantem, & isto pacto oblatio genus est ad sacrificium, & oblationem tantùm. *Tertio modo* oblatio accipitur vt cōdiuisa sacrificio, quæ retinet nomen commune oblationis: ad eum modum, quo in prædicamētis dicitur dispositionem specialiter sumptam retinuisse nomen generis dispositionis.

Quo modo autem differat inter sacrificium & oblationem isto modo sumptam, D. Thom. satis tradit in *primo art. & artic. 3. quæstionis præcedentis*, & nos latius ibidem *disputatione 2. assertione 2.* & de oblatione isto modo sumpta agitur in hac quæstione, & fortasse latius. Nam in hac acceptione oblationis multi sunt gradus: primus, vt oblatio sit simplex quædam oblatio, quæ in Ecclesia vel altari offertur immediatè ipsi Deo per modum proprij cultus, & adorationis. *Secundus gradus* latior, vt oblatio dicatur quæcunque donatio facta Ecclesiæ ad fabricam, ornatum, vel alias expensas, siue detur res immobilis siue mobilis. Et quamuis prioris gradus oblationes Deo immediatæ factæ in Ecclesia frequentius soleant nomine oblationis significari: tamen D. Thom. *in hoc artic.* vt imitetur iura, quæ de oblationibus loquuntur, etiam sermonem extendit ad oblationes secundi gradus. Hoc supposito sequitur

ARTICVLVS. I.

Vtrùm homines teneantur ad oblationes de necessitate præcepti?

Paraphrasis Articuli cum conclusionibus.



Rima conclusio est. Oblationes vt à sacrificijs distinguuntur, & se extendunt ad actiones, quibus aliqua offeruntur Deo ipsis integris manentibus, & sine vlla immutatione, de sui ratione habent, quod voluntariè offerantur. Probatur ex testimonio Exod. 25. *Ab homine qui offert vltroneè accipietis eas*: Et in Concil. Cauilon. sub Carolo Magno cap. 6. sic dicitur: *Animarum salutem inquirere sacerdos, non lucra terrena debet: quoniam fideles ad res suas dandas non sunt cogendi, neque circumueniendi: oblatio enim spontanea esse debet. Iuxta id quod ait Scriptura: Voluntariè sacrificabo tibi, Ps. 55. & illud, Omnis populus mente deuota obtulerunt donaria Domino.* Exod. 35. D. Thom. conclusionem tenent ferè omnes Theologi & Iuris periti inferius citandi, præsertim D. Antoninus 3. *part. tit. 12. cap. 11.* Gabriel. super *Canon. lect. 6.*

(Exod. 25. — Psal. 55. — Exod. 35. — D. Anton. — Gabri.)

3 *Secunda conclusio.* Potest contingere vt aliquis ad oblationes faciendas teneatur quadruplici titulo. Primus nascitur ex conuentione prius facta, sicut quando alicui datur fundus cum obligatione faciendi certis temporibus certas oblationes, quod tamen habet rationem census: & sic nota est obligatio faciendi oblationes orta ex contractu, siue fuerit donatio, legatum, aut venditio, vel alia commutatio, dummodo interuenerit pactum, & tunc obligatio erit iustitiæ, tam respectu primi contrahentis seu donantis, quam respectu Ecclesiæ si acceptauerit pactionē: quia vt iustum pactum obligat ex iustitia respectu eius, cum quo fit, & Ecclesiæ ex vi talis legati cōcessum est ius peculiare ad tales oblationes, seu census: siue hoc ius sit duntaxat ad rem, siue in re, siue sit cum actione in foro exteriori, vel sine illa: sed hoc latius agentes de pijs legatis.

Secundus titulus nascitur ex præcedenti deputatione, siue promissione, sicut cum aliquis offert donationem inter viuos, vel cum relinquit in testamento Ecclesiæ aliquā rem mobilem vel immobilē in posterū soluendā. Iste titulus parū differt à priori, nam in eo casu obligatur, qui vouit, rē promissam offerre, & donare Ecclesiæ, non ex iustitia neq; ex præcepto humano, sed ex Religione quæ præscribit vota esse implenda: verū est tamen hæredem ex iustitia obligari ad implendū legatum defuncti. Istæ autem oblationes non limitantur ad eas, quæ immediatè Deo in Ecclesia offeruntur, sed etiam se extendunt ad omnes eleemosynas, & donationes factas vel promissas Ecclesijs, quia ad Dei cultum ordinantur. 4

Tertius titulus nascitur ex Ecclesiæ necessitate, puta si ministri Ecclesiæ non haberent vnde sustentarentur, imò & si templa minarentur ruinā, & similia. Aduertendum tamen hanc obligationem reduci ad eam, qua fideles tenētur alere ministros sacramentorum, & loca pro suis muneribus fungendis extruere. De quo latius quæstione immediatè sequenti. Quapropter si fideles persoluant ministris primitias, vel decimas, vel quouis alio modo contribuant ad ministrorum sustentationē, satisfactum est huic obligationi sine largitione oblationum. Item modò relatum titulum & obligationem inde exortam intelligenda esse censemus, quando necessitas ministrorum nascitur ex eo, quod parochiani non soluunt decimas, neque primitias sufficientes: tunc enim necesse est, vt aliquo alio modo contribuant pro ministrorum sustentatione, & ea cōtributio vocatur oblationes. 5

Sed quid si parochiani soluunt decimas ac primitias, non solùm sufficientes, sed etiam abundantes ad sustentationem ministrorum, putà Parochi, Episcopi, & aliorum Prælatorum necessariorum ad gubernationem Ecclesiæ, & nihilominus Parochus aut Vicarius non habent congruā sustētationem, vel quia decimæ ad alios vsus applicatæ sunt, vel in plura beneficia simplicia aut præstimonia diuisæ fuerunt, vel quia vnus possidet beneficium, & Vicario nihil ferè tribuit, aut è cōuerso: quia beneficiarius nihil accipit ex decimis, sed omnes fructus pro pensione dati sunt. In his & similibus tenebunturne fideles ad nouas oblationes faciendas, seclusa consuetudine vel alio titulo propter solam indigentiam? Nequaquam. *Probat.* quia parochiani in eo casu soluēdo decimas dant necessaria, imò abundantiora pro sustētatione eorum ministrorū: ergo fideles non pote- 6

poterunt iustè obligari ad nouas oblationes titulo sustentationis, quia nullus iustè cogitur ad soluendam duplicatam mercedem pro eadem opera. Sed de hoc expressior fiet sermo in quæstione sequenti.

7 Demum præfatus titulus 3. intelligendus est, nisi parochiani sint adeò pauperes, vt non habeant vnde tot oblationes facere valeant, quot ad parochi sustentationem vel alias Ecclesiæ necessitates sustinendas necessariæ sunt. Ita Hostiēsis in summa *tit. de Parochijs*, Sylu. *verbo decima, qu.* 4. citans glossam, Innocentium & Raymundū. Sed tunc (ait) vel sacerdos quærat aliquid ad supplendam sustentationem suam ex aliqua arte nō indecente, iuxta cap. *Clericus victum*, cum sequētibus distinctione 91. vel Episcopus prouidere debet vnde illius Ecclesiæ, & ministrorum necessitati subueniatur: quia ad hoc potestatem habet in sua diœcesi, iuxta capit. *Episcopus Ecclesiarū*: & cap. *præcipimus*. 12. quæstione 1. & significat Hostiensis Episcopum teneri ex proprijs redditibus tali Ecclesiæ indigenti prouidere. Intellige quando commodè potest attentis alijs sui status oneribus: quod si Episcopus per se subuenire nequiuerit vtatur remedijs traditis à Synodo Trident. *sess. 21. cap. 7. & 8. de reform. & sess. 24. capit. 3. de reform.* Quod si nec hæc sufficiant, summum Pontificem consulat, vt sicut supremus dispensator bonorum Ecclesiæ illi indigentiæ prouideat.

Hostiens. Syluest.

Conc. Tri.

8 *Quartus titulus* oritur ex consuetudine, nimirum quia tenentur fideles quandoque propter consuetudinem vrgentem in quibusdam solemnitatibus ad oblationes consuetas. Subiungit tamen D. Thom. in casu huius tituli, & præcedentis remanere obligationem quodam modo, voluntariam, scilicet quantum ad quantitatem, vel speciem rei oblatæ: quod intelligendum est, nisi tàm parua sit quantitas oblationum, vt non sufficiant ad congruam sustentationem: tunc enim sicut ad sustentationem obligat iustitiæ lex, ita ad quantitatem ad hunc finē sufficientem: vltra illam vero erit voluntaria quātitas, nisi per legem vel conuentionem, aut verò consuetudine taxata sit. Nam tunc idem iudiciū ferendum erit de oblatione & quantitate eius.

Litera D. Thomæ sic decursa & explicata, circa primam conclusionem est.

DISPVTATIO I.

An oblationes in Ecclesia facere per se loquendo sit de iure naturali?

9 HOc est, an teneantur fideles offerre dona Deo, etiam si non præcesserit votum, aut conuentio offerendi; etiā si nulla extet lex positiua, aut cōsuetudo firmata aliquid Deo offerēdi? Et quidē nostra dubitatio non procedit de oblationibus, vt cum sacrificijs coincidunt: iam enim diffiniuimus in *art. 2. superioris quæst.* sacrificia esse de iure naturæ, neque de oblationibus, vt quid commune sunt ad sacrificium, & oblationem specialiter dictā: sic enim certa est pars affirmatiua, & multo certius demonstrata à D. Thom. *in loco citato*, quàm sacrificia esse de iure naturæ. Sed nostra disputatio instituitur de oblationibus, quæ Deo immediatè fiunt re oblata manente integra, & in nullo immutata. De quo genere oblationum præsens quæstio à D. Tho. instituitur.

Et videtur quod non sint iure naturæ præceptæ tales oblationes. *Primò*, quia ius naturæ præscribit oblationes debere esse omninò voluntarias, vt ait D. Thom. in art. & ius naturæ explicat testimonium illud, Exod. 25. *Ab homine qui offert vltroneè accipietis eas*: ergo stando in iure naturæ nunquam est in necessitate præcepti oblationes Deo offerre. Exod. 25.

Secundò. Per oblationem Deo factam, curando, vt res oblatæ integræ omninò & immutatæ ac vtiles vsibus externis maneant, non exhibetur Deo cultus religiosus: quin potius sacrilegus: ergo huiuscemodi oblationes non pertinent ad ius naturæ. *Antecedens probatur*; quia in sacrificijs ideò res oblata mactatur & perditur, vt fiat protestatio Deum non egere nostris donis: ergo quando offertur res, & procuratur, vt maneat integra, & omnino vtilis vsibus suis fit virtualiter protestatio Deum egere nostris donis, quod impium est, vt luculenter declarat Deus Psal. 49. dicens: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, quoniam meæ sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus & boues: cognoui omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum est. Si esuriero non dicā tibi, meus est enim orbis terræ & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Quasi dicat nullius istorum egeo. Confirmatur ex oblationibus Idolatrarum, qui munera offerunt Deorum vsibus, vt constat Daniel. 3. 10 Psal. 49. Dan. 3.

Tertiò. In prima hominum ætate, quando soliuagi degebant in syluis, superstitiosus, imo ridiculus cultus Dei esset, si fideles offerrent Deo munera integra dicentes, suscipe Domine has fruges vel hos arietes ipsis omninò immutatis: ergo non est de iure naturæ has facere oblationes. Ius namque naturæ potissimè ostenditur in obseruantia fidelium degētium in prima hominum ætate. *Antec. manifestum est*, siue dicas offerētes munera omninò immutata deferere in altari: siue asseras ea sibi reassumere: nec sat est dicere, ea offerri pro necessitatibus Ecclesiæ & ministrorum: tum quia oblationes de quibus in præsenti agimus, immediatè respiciunt Dei cultum, & mediatè & quasi per accidens ministrorum & Ecclesiæ necessitates: sicut sacrificia, quæ ordinari possunt mediatè ad Ecclesię necessitates subleuandas, ipsorum tamen finis immediatus & per se est Dei cultus: tum etiam quia in casu argumēti neque est Ecclesia aut ministri, quorum necessitatibus sit subueniendum. *Confirmatur argumentum.* Primi enim fratres Cain & Abel sacrificia obtulisse leguntur: non autem donaria & munera, quæ pertinent ad oblationes simplices, de quibus in hac quæstione agimus. 11

In opposi-

12 *In oppositum est* D. Tho. *in art.* 4. *huius qu.* dicés: ad ius naturale pertinere, vt homo ex rebus sibi datis à Deo aliquid exhibeat ad eius honorem: & in solutione ad primum ait: oblationem primitiarum fuisse in signum præteriti beneficij, ex quo debitum causatur recognitionis secundū dictamē rationis naturalis. Loquitur autem Diuus Thomas, non de oblatione in communi, vt comprehendit sacrificia, sed de oblatione simplici & specialiter sumpta: quando Deo offertur res omninò immutata, quæ oblatio à sacrificio distinguitur, vt Caietanus adnotauit: vnde ex prędicto loco *hæc colligitur ratio.* Lumen naturale dictat Deum esse colendum etiam externis rebus sensibilibus, vt dominum & largitorē magnificum, ac liberalem omnium, quæ possidemus: sed hoc fit conuenientissimè per oblationem donorum, ac
1. *Par. vl.* munerum; iuxta illud 1. Paralip. vltimo. *Quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi*: ergo ad ius naturę spectat offerre munera & donaria. *Maior probatur*, quia in recognitionem beneficiorum acceptorum munera dare natura ipsa docet. Vnde in omni ætate & loco ab initio mundi, etiam apud barbaras nationes donaria offerre Dijs natura instigante cognouimus.

13 *Secundò.* Ius naturæ instigat in qualibet Republica fideli esse instituendos sacerdotes ad offerenda donaria & sacrificia: sed offerre sacrificia est de iure naturæ: ergo etiam offerre donaria. *Minor* supra probata est, & maior colligitur ex Apostolo ad Heb. 5. dicente. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, vt offerat dona, & sacrificia.* Quod testimonium esse intelligendum non solùm de sacerdotibus veteris testamenti, sed etiam legis naturæ, apertè testatur Origenes *super primum caput Iob.* (*Ad Heb.* 5.; *Orig.*)

Suarez. Pater Franciscus Suarez, qui dixerat in lege naturæ non esse præceptum sacrificandi, à fortiori id adstruit de præcepto oblationes faciendi, oblatione sumpta vt contra sacrificium distinguitur. Ita *lib.* 1. de diuino cultu necessario ex præcepto *cap.* 8. & oppositam sententiam tuetur
Caiet. Caietanus in *articuli quarti huius quæstionis commētarijs.* Et certè re diu meditata vtraque sententia mihi probabilis videtur; & vtraque habet non exile fundamentum in D. Thom. quare ad vtriusque sententiæ argumenta conabor respōdere. Ad argumenta pro parte negatiua respondetur.

14 *Ad arg. partis negatiuæ respond.* *Ad primum resp.* D. Thom. in hac conclusione prima nequaquam asserere, non esse præceptum de oblationibus simplicibus faciendis ex vi luminis naturalis, cùm ait esse de ratione oblationum, vt voluntariæ sint: sed duntaxat intendit explicare differentiam inter sacrificia, & simplices oblationes, quoad determinationem tēporis rituum, & exercituum. Nam illa statim in primęua ætate ac lege naturæ, scriptæ, & gratiæ credūtur fuisse certis ritibus & modis determinata: hæc verò non ita, sed in omni ætate, & in omni statu Ecclesiæ, quoad ritus & temporis determinationem, & alia voluntati offerentium relicta sunt: & ideò dicuntur voluntariæ, non quia liberæ sint ab omni præcepto, sed quia in modo & ritibus cuiusque offerentis voluntati permissæ sunt: secus in sacrificijs; tum quia actio sacrificandi magis sacra: tum quia in sacrificijs nobilior & apertior protestatio diuini dominij, quàm in puris & simplicibus oblationibus.

Itaque oblationes dicuntur voluntariæ, non vt voluntarium opponitur necessitati præcepti, sed vt opponitur coarctationi & limitationi, quoad modum & ritum, etiam vsque modo in lege gratiæ. Illud autem testimonium *Exod.* 25. nō de omni oblatione intelligendum est, sed de oblationibus, ad quas inuitabatur populus faciēdas ex auro, argento, & alijs pro extruendo sanctuario: & eius ornatu perficiēdo: quod vel ex eo apparet, quia, (vt constat cap. 30. eiusdem libri) quilibet quando computabatur in numero filiorum Israel, (computabatur autem, qui attingebat vigesimum annum) offerebat necessariò dimidiū sicli pro eadem constructione, & ornatu.

Ad secundum negatur antec. & consequentia probationis eiusdem: non enim fit talis protestatio, nec Deo offeruntur dona, quasi suis vsibus apta, (*bonorum meorum non eges,*) sed potius vt protestemur nostram erga eum gratitudinē, & recognitionem beneficiorum collatorum; dum ea, q̄ de manu eius accipimus, eidē reddimus: quin imò nec etiam inter homines dona semper offeruntur pro subleuandis necessitatibus eorum, quibus offeruntur: cum sæpè principibus & ditissimis offerantur ea, quibus non indigent. Et in Historia Regum Indorū refertur solitos esse Indos venerari suos Reges nō auro, & argento (quæ respuebant Reges,) sed floribus: vt sic & honoris ratio ad suos Reges haberetur, & protestatio opulentiæ, vtpote qui nō egerēt suorum subditorum opibus, sed honoratione. Hinc patet ad cōfirmationem, constituendo disparitatem rationis inter fideles & idolatras: nā hi putabāt nostris cibis Deos indigere; illi verò nequaquam, sed in recognitionē beneficiorū, & gratitudinis ꝑpter suscepta beneficia Deo offerebant donaria sua. 15

Pro solutione tertij consideranda est differentia inter oblationem spectantem ad sacrificia, & eam, quæ reperitur in oblatione simplici: nam priorē esse honoratiuam Dei ratio naturalis cognita, & penetrata (saltem à sapientibus) dictat. At verò oblationem simplicem, sic esse honoratiuam nō dictat ratio naturalis. Non enim apparet quis honor Deo accrescat ex obligatione munerum, quibus Deus non indiget, neque eius vsibus sunt apta, & quæ ipse non accipit, sed in altari relinquūtur: cæterū ex suppositione benè illud dictat. *Primò* supposito q̄ cōmuniter ab omnibus nationibus reputatur honorificū offerre Deo munera in similitudinē oblationum, quæ Regibus à subditis fiunt: & supposito vt ait Caiet. quod sunt sacerdotes, qui vice Dei ea accipiunt, & dispensant in vsus sacros, ratio naturalis dictat Deo esse offerenda munera in protestationem, & significationem eius dominij erga nos & nostra. Et fortasse hæc Caietani suppositio non est necessaria quia posset oblatio suspēdi aut collocari in testimonium recognitionis diuinorum beneficiorū, sicut legitur de gladio Goliath, suspēso in domo Domini, & de speculo Laidis in Fano Veneris. 16

Respon-

Responsio declaratur ex simili. Ratio naturalis non dictat absolutè coram Principibus esse loquendum aperto capite: cæterũ supposito quod in tota Europa capitis detectio honoris signum est, eadem ratio naturalis dictat alloquentes Principes nudato capite id debere efficere. Hinc patet *solutio tertij argumenti*. Ad confirmationem nos non legisse de Cain & Abel, obtulisse Deo munera per modum simplicis oblationis: legimus de Iacob, sub lege naturæ eadem obtulisse, & nouisse: imò verosimile est in primæua hominum ætate tales oblationes crebras fuisse, vt docet Abulensis *super caput.* 23. *Matth. quæst.* 210.

Abulens.

17 Ad argumenta pro parte affirmatiua. Ad *primum resp.* D. Thomam esse intelligẽdum non de præcepto absoluto legis naturalis, sed dicitur oblationes & primitias (quæ sunt quoddam oblationis genus) pertinere ad ius naturale, quia eas offerre habet congruentiam quandam moralem valde consentaneam naturali rationi, & quia ipsa natura valdè inclinat ad hunc modum colendi Deum, & recognoscendi eum, vt supremum benefactorem, & largitorem omnium bonorum.

Ad arg. partis affirmatiuæ responde-tur.

Ad secũdũ negatur consequentia propter discrimina posita inter sacrificia, & oblationes purè sumptas, præcipuè quia recognitio diuini dominij vix potuit melius significari, quàm per sacrificia, at per oblationes simplices nõ ita, sed multis suppositis, quæ colligũtur ex vsu gentiũ, q̃ in hoc conuenêre, vt honos reputaretur offerre donaria non indigentibus rebus oblatis, & non conuertentibus in suos vsus.

DISPVTATIO II.

An extra casus commemoratos in quatuor titulis supra positis sit, aut extiterit aliquod præceptum diuinum, aut humanum oblationes faciendi?

1 ET loquimur oblationibus vt distinguuntur à sacrificijs, primitijs, & decimis, siue oblationes fiãt immediatè Deo, siue Ecclesiæ, aut eius ministris. Et quid em in lege veteri extitisse præcepta de oblationibus faciendis nulli legenti sacram paginam licebit dubitare. *Exod.* 23. iubet Dominus tribus vicibus per singulos annos sibi festa celebrari, nimirum Pascha, Pentecosten, festum tabernaculorum: & postea subdit: *Non apparebis in conspectu meo vacuus:* & alibi sæpè. In lege verò gratiæ an tale extet præceptum maior dubitatio est, & videtur vera pars affirmatiua ex Diuo Ambrosio, Sermone 58. de Ascẽsione, de viro probo ait: *Quando ad Ecclesiã venit, oblationẽ, quæ altari debetur, exhibet.* Clemens Romanus *libr.* 4. *constitut. capit.* 7. inquit, oblationes populi fieri ad victum sacerdotum, & eleemosynas pauperum. & capit. *statuimus.* 16. quæstion. 1. dicitur oblationes & decimas, quas populus dare debet extra Parochialem Ecclesiã sine consensu Episcopi dari non deberet & capi. *præter hæc*, distinctione. 32. habetur: *Oblationes Ecclesiæ Dei fideliter reddantur à laicis, aliàs à sancta Ecclesiæ communione separentur:* & cap. *de his*, & cap. *antiquos*, quæst. 10. ex Concil. Aurelian. *capit.* 16. & 17. & in tribus capitulis vltimis eiusdem quæstionis indicitur anathema laicis, qui Ecclesiæ oblationes vsurpant. Et Gregorius. in cap. *omnis Christianus*, de cõsecratione, distinction. 1. *Omnis* (inquit) *Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre, & ad memoriã reducere, quod Dominus per Moysem ait: Non apparebis in conspectu meo vacuus.* In collectis sanctorum Patrum liquidò apparet, quod omnes Christiani offerre aliquid ex vsu sanctorum Patrum debent.

Exod. 23.

D. Amb.

Clem. Ro.

In oppositum, pro parte negatiua facit. Nam in lege gratiæ non sunt data præcepta cæremonialia veteris legis, quin potius eorum obseruatio modo mortifera est, sed oblationes offerre pertinet ad præcepta cæremonialia veteris legis, vt patet ex testimonio allegato ex Exod. 23. Ergo. 2

Exod. 23.

Secundò. In lege gratiæ non licet aliud sacrificiũ offerre præter illud, quod Christus instituit, nempè Eucharisticum, vt latius traditur in materia de Eucharistia: ergo neque aliam oblationẽ licet offerre præter eam, quam instituit Christus Dominus: nullam autem ipse instituit, (& loquimur de oblatione pura, quæ Deo immediatè fit) ergo. *Probatur consequentia* à paritate rationis: quia sicut vno sacrificio Christus Dominus omnia comprehendit, & compleuit sacrificia, & illud instituendo cætera prohibuit siue noua, siue vetera, nec solum significatiua futurorum, sed etiam moralia mysteria iam facta verè significantia: ita pari ratione consummauit omnem oblationẽ, & virtualiter cæteras prohibuit. *Confirmatur*: nam in capit. *oportet*, de consecratione distinction. 2. dicitur non oportere in sanctuario offerri præter panem, & vinum & aquam, quæ in typo Christi benedicuntur.

3 Ad hanc dubitationem *respondetur* ex D. Tho. in hoc articulo, omnes oblationes præter contentas in quatuor recitatis titulis esse natura sua spontaneas, & sub nullo cadentes præcepto in lege gratiæ; quod nullum modò extare palam fiet: tum quia, quod est illud? & vbi in Euangelio? imò neque in sacris Canonibus latum est: tum respondendo ad argumenta facta in fronte disputationis.

Ad omnia testimonia allata in primo argumẽto præter quam ad capitulum, *omnis Christianus*, respondetur ea esse intelligenda de oblationibus ad quas quandoque fideles obligantur aliquo ex quatuor titulis à D. Th. appositis, vt patebit attẽtè ea legenti; sic etiam interpretatur Raymũdus, & alij Canonistæ, qui pro parte affirmatiua solent afferri: verbi gratia, Hostiensis in *Rubrica de Parochijs*, & latius in summa *titulo in Paroch.* §. *in quibus.* At capitulum *omnis Christianus* absolutè videtur loqui, & ideò à quibusdam exponitur de oblatione interiori, seu bonorum operum; sed sine fundamento, vt patet ex contextu: melius expli-

Raymun. Host.

fundamento, vt patet ex contextu: melius explicabitur, verba illa quoad priorem partem sonare consilium, quoad secundam verò præceptum, quando scilicet, est vsus & consuetudo: de quo in disputatione immediatè sequenti.

4 *Ad argumenta* pro parte, negatiua, quatenus conantur probare nullas oblationes esse in præcepto; imò neque earum vsum esse licitum respondere oportet. *Ad primum* Caietanus *hic, & in articu. 4. huius quæstionis* nullum reputat inconueniens Ecclesiā Christi retinere aliquas cæremonias veteris legis, eas scilicet, quæ non significabant Christi venturi aliquot mysteria, nec recordationem alicuius beneficij specialiter illi populo Hebræo collati, quale est liberatio ab Ægyptiaca seruitute; modo tamen non obseruentur, quia lex vetus illa instituit aut iussit. Doctrina autem Doctorum asserentium cæremonialia legis veteris nō esse seruanda in lege gratiæ, aut retinenda intelligēda est ex vi legis illius veteris, & quādo aliquam in se continent illius status significationem: Nil autem horum reperitur in oblationibus, quæ Deo fiunt, aut Ecclesiæ, siue eius ministris. Quare in rigore loquendo quando sunt in vsu, aut præcepto Ecclesiæ Christi nō debent cæremoniæ appellari, sed actus quidam morales vel in præcepto iuris naturæ, vel valde consentanei eidem iuri. Sed de hoc iterum agentes de decimis.

Ad secundum negatur consequētia, quia simplices oblationes sunt quasi quædam opera homini connaturalia habentia significationem mysticam ad recognitionem diuini dominatus, non simpliciter, sed ex suppositione, vt explicatum est in solutione tertij primæ disputationis: at verò sacrificium est supremus Dei cultus, qui cum in Eucharistico reperiatur perfectissimè cætera aboleri debuerunt. *Ad confir. resp.* ibi tantùm fieri sermonem de oblationibus, quæ præparatoriè fiebant ad consecrationem corporis Christi in Eucharistia; & has duntaxat debere esse ex pane, vino, & aqua in eo cap. *Non oportet,* iubetur.

DISPVTATIO III.

An cōsuetudo oblationes in Ecclesia offerendi certis quibusdā diebus, & de certis rerum speciebus obliget in conscientia Christi fideles ad eas offerēdum?

Res hæc valdè controuersa est inter Doctores Theologos, & Iurisperitos, qui in oppositas abiere sētētias. Prima est negatiua, & probatur ex verbis Cōcilij Cauilonensis citati in paraphrasi art. D. Th. & ex cap. *suam.* & cap. *cum in Ecclesia,* de simonia, & alijs locis iuris Canonici; vbi cauetur, oblationes debere esse spontaneas, & ad eas persoluendas minimè cogendos esse Christi fideles, non obstante quacunq; consuetudine, quæ ibi damnatur his verbis: *Arbitrantur licere, quia longa inualuerunt consuetudine, non attendentes, quod tantò grauiora sunt crimina, quantò diutius infœlicem animam tenuerunt alligatam.*

Secundò. Consuetudines circa ea, quæ fiunt ex deuotione & spontaneè, non inducunt legis obligationem, sed tales sunt consuetudines circa oblationes: ergo consuetudo circa oblationes non inducit vim legis, neque obligare in cōsciētia dicēda est. Maior traditur à Caietano in summa verbo, *Horæ Canonicæ.* Syluestro verbo *consuetudo.* quæstion. 14. ex Cyno, Ioanne Andrea, Innocentio & Bartolo & Soto lib. 1. *de iustitia quæst.* 7. *artic.* 2. Et ratio suffragatur: nā actus agentium non operantur vltra intentionē eorum: ergo qui nunquam operatur intentione se obligandi, sed ex sola deuotione, etiam si sæpè id faciat non obligabitur: & idem à simili confirmatur, quia qui quotidie porrigit eleemosynam pauperi petenti, non propterea obligatur illi dare; nec pauper vllum acquirit ius, etiam si diutissimè petierit, & semper acceperit. *Minor* verò argumenti probatur ab Innocentio statim citando, quia vel oblatio in principio fuit spōtanea, vel extorta. Si hoc secundum dicatur, talis coactio est iniusta, ac simoniaca, & ideò ex vi illius non potest obligatio induci, licèt eodē modo sæpius repetatur. Si verò dicatur primum, iam vera est minor argumenti, quod procedit & probat per solam spontaneam largitionem oblationis, etiam continuatam, non induci vllam obligationem.

Caiet. *Syluest.* *Cyno.* *Ioa. And.* *Innoc.* *Bart.* *Soto.*

Tertiò, nam hæ oblationum consuetudines, sæpè sine scrupulo peccati intermittuntur: ergo non inducunt vim legis, quia ad hoc necesse esset nullam factam fuisse interruptionem. *Dicet* quis hanc interruptionem fieri ab hac vel illa priuata persona, sed non à tota vel maiori parte communitatis, & hoc satis est ad præscriptionē circa eas. 2

Quartò. Oblatio non inducitur in plebem nisi ratione singulorum; sed singuli non obligantur, si singuli actus interrumpāt: ergo neq; plebs manebit obligata ad oblationes faciendas, etiamsi in diuersis personis contrimentur; sed habebunt semper illam continuationem sine obligatione. *Maior, & minor,* manifestantur in votis, quæ aliquando à ciuitate aut communitate emittuntur, priuatis personis non vouentibus. Hanc sententiam tenet Angelus in verbo, *oblationes,* num. 1. in additionibus ad illum, & inclinat Soto *lib. 9. de iustitia quæstion.* 3. *artic.* 1. nam vbi decimæ soluuntur censet consuetudinem oblationum non obligare.

Angel. *Soto.*

3 *Secunda sententia* affirmatiua videtur esse D. Th. *in hoc articulo,* & omnium discipulorum eius, Panormitani, Hostiensis, & aliorum in capit. *suam.* & cap. *ad Apostolicam,* de simonia. Syluestri verbo *decima.* q. 2. & ferè omnium Summistarum Couarruuiæ *lib. 1. variarum cap. 17. numer. 3.* vbi ait, hanc sententiam esse communiter receptam nemine refragante, & Ioannes Gutierrez, in *quæstionibus Canonicis lib. 2. cap. 21. num. 140. & sequentibus,* quàmplura adducit ad hanc stabiliendam sententiam: & præcipuè probatur ac validè ex capit. *ad Apostolicam,* de simonia; vbi in initio laudata

D. Thom. *Panorm.* *Hostiens.* *Syluest.* *Couarru.* *Ioan. Gut.*

laudata consuetudine oblationes faciendi, & quod fuerit introducta pia deuotione fidelium, iubet eas consuetudines seruari, & per Episcopum, ait, esse compescendos, qui malitiose nitūtur has consuetudines laudabiles immutare. En in textu supponit has consuetudines inducere obligationem, aliàs non posset Episcopus fideles compellere ad persoluendas oblationes has, titulo consuetudinis, nisi eædem consuetudines obligationem induxissent.

4 Hunc textum putant Autores secundæ sententiæ irrefragabilem; sed non ineptè respondet Innocentius in dicto cap. *ad Apostolicam*, dicens, non pertinere ad officium Episcopi compellere fideles, vt oblationes soluant, neque hoc in eo capite doceri: sed tantum esse compescendos, qui volunt tales consuetudines immutare, solicitando vel statuendo ne tales consuetudines seruentur: ducti nimirum affectu prauo sub titulo pietatis damnando eas, quia dicunt pertinere ad fermentum hæreticæ prauitatis. *Contra quem* posset vrgeri adducendo verba illa textus. *Eas pias consuetudines præcipimus obseruari.* Quæ verba præceptum sonant, quod non sufficienter custodiretur solum compescentes eos, qui malitiosè impediunt debitas oblationes.

Dubitatio hæc grauissima est, & magna Doctorum contentione agitata, cui per sequentes assertiones respondeo.

5 *Prima assertio.* Consuetudine introduci potest, vt obligationes, quæ de sui ratione à principio spontaneæ sunt, habeant vim obligandi Christi fideles, vt eas persoluant. Hæc est contra Angelum & alios. Sed *probatur ex* D. Thoma, & aliorū Theologorum magno numero. Item, quia consuetudines vim legis habere posse omnia iura clamant: ergo id ipsum in consuetudine oblationum censendum est.

Secunda assertio explicatiua præcedentis. Quando certò constiterit, vel verosimiliter, populum fidelem, qui ab initio quædam & certis diebus spontè obtulit, se voluisse obligare ad persoluendum ex necessitate & debito oblationis: quas initio voluntariè obtulit; tunc eam cōsuetudinem vim legis obtinere certò tenendum est. Itē, Quādo fideles eam consuetudinem velut immemorialem obseruant, aut quia ita acceperunt à suis maioribus, nihil cogitantes de obligatione, aut fortè putantes eam consuetudinem esse obligatoriam.

Prima pars explicatur, quia paulatim fideles rigorose continuantes eas obligationes, formaliter aut interpretatiuè volunt eam obligationem offerendi super se inducere; maximè quia vident, aut videre debent magis meritorium esse oblationes facere ex debito, quàm spontaneè.

6 *Secunda etiam pars* inde colligitur, quia vero similiter creditur consuetudinē immemorialē, & à maioribus tenaciter obseruatam, vim legis habere, si oppositum non constiterit. Nec peculiare est in oblationibus, vt consuetudines in rationem legis sæpè transeant, verum etiam in alijs, vt festiuitatibus, ieiunijs, &c.

Tertia assertio. Quando certò, vel vero similiter constiterit oblationes certis quibusdam diebus fieri solitas, esse introductas ex mera liberalitate offerentium, & ex eadem continuatas, & retentas, non tenentur fideles in foro conscientiæ eas persoluere; etiamsi per multa annorum curricula ea consuetudo offerendi seruata fuerit: Nec est impossibile hoc constare posse sæpius: imò est vero simile fideles interrogatos id propalare ex circūstantijs, vel suorum maiorum admonitione. Hæc conclusio tenetur ab Antonio de Butrio in cap. *ad Apostolicam.* Innocentio ibidem, Dominico de Soto vbi supra, Azorio lib. 5. institut. mor. ca. 18. quæst. 4. & videtur efficaciter probari argumento pro parte negatiua, maximè secundo. *Butrio. Soto. Azor.*

In hac stabilienda conclusione vel reijcienda totum pondus disputationis inclinat; quam negant citati pro secunda sententia, præcipuè moderniores, qui expressius loquuntur, & conantur ad argumenta primæ sententiæ respondere. 7

Ad *primum respondent*, illa iura, quæ videntur prohibere exactionem talium oblationum esse intelligenda de oblationibus nondum satis præscriptis, & consuetudine firmatis. *Secundò respondent* etiam post legitimum ius per consuetudinem acquisitum prohiberi indebitum & indecētē modū exigēdi, putà cogēte Parocho per substractionem sacramentorum, aut negationem diuinorum officiorum, aut aliquo modo simili & indecenti: non enim debet per se compellere, sed Episcopum interpellare, vt cogat: de quo inferius, & capit. *ad Apostolicam.* Has responsiones nos non admittimus, quatenus illa iura videntur pugnare contra primam, & secundam assertiones.

Ad secundum quidem respondent. Quando populus fidelis continuat multo tempore oblationes, iure & merito præsumitur velle eas ex necessitatis debito persoluere, quare semper etiam in casu tertiæ assertionis consuetudo obligationem inducit. *Hæc responsio* non euacuat argumenti vim, quia esto ita sit, sic debere præsumi, & fortassis ita iudicandum in foro exteriori, quod multum ad præsumptiones attendit, imò ferè semper ita iudicant iudices, vt notauit Gutierrez vbi supra num. 151. sed tamen si veritas non respondeat præsumptioni, vt in casu tertiæ assertionis, in conscientiæ foro nulla iudicetur obligatio, quod non attendit ad falsas præsumptiones, sed ad rei veritatem. *Gutier.*

Quare secundò respondent Cou. & Gutierrez locis citatis, illud ius non oriri ex præsumptione, sed concessum ab Ecclesia in fauorem suum, & piæ causæ: & addit Panor. cum Bart. hoc maximè habere locum in actionibus, quæ referuntur ad alium sub aliquo respectu ad recompensationē, vt in oblationibus contingit, quæ offeruntur in recognitionem beneficij diuini, & ad sustentationem ministrorum, atque etiā in Dei honorē: & ideò Ecclesia ita acceptat illam oblationem, vt si tanto tempore duret etiam acquiratur. *Hæc responsio* volūtaria videtur: nam vbi rogo hæc cōcessio Ecclesiæ reperitur, vt oblatio, quæ à principio fuit spontanea, & si perdurauit, ex concessione 8 *Couar. Gutier. Panor. Barth.*

sione Ecclesiæ transierit in necessariam & debitam? Nullibi certè. *Dicent fortasse*, eam concessionem haberi in capite citato, *ad Apostolicam*, in illis verbis: *Pias consuetudines præcipimus obseruari.* Quibus respondeo, *primò* id intelligi de consuetudinibus, quæ ex consensu vtentium ex spontaneis in obligatorias paulatim transierunt; vt explicui in secunda assertione. Mirum est, quod iura præcipientia non esse exigendas oblationes non obstante consuetudine quacunque isti interpretentur de consuetudinibus extortis. Et quare non erit nobis facultas interpretandi capitulum, *ad Apostolicam*, de eis consuetudinibus, quæ vsu vtentium in obligatorias, & vim legis habentes transierunt?

9 *Secundò resp.* verba esse intelligenda iuxta casus propositionem, & iuxta verba vltima textus explicantia præceptum illud. Vnde sensus est præcipi obseruari consuetudines; id est, non immutari, neque impediri, sed in sua libertate relinqui, vt ita seruentur sicut introductæ fuerunt; id est vt sponte offerentes & voluntariè continuantes oblationes, libere & sine impedimento possint id facere; vnde & compescendos, qui oppositum suadebant, qui verò noluerint non cogantur: ita enim fiet, vt semper consuetudo in sua obseruantia perseueret quandoque ex necessitate, vt in casu secundæ conclusionis, quãdoq; volũtariè, vt in casu tertię, quia ex tota populi multitudine sẽper aliqui offerent, licèt alij cessent ab offerendo, & qui offerunt voluntariè id faciant, & non ex debito, & obligatione.

10 Alij illi secundo argumento conantur respõdere dicentes, hanc obligationem etiam in casu tertiæ assertionis oriri non à consuetudine, sed à præscriptione, per quam non abrogatur lex, aut noua inducitur, sed acquiritur dominium, vel ius in re vel rem in alterius bona, vel in opus, aut seruitium eius; quod ius acquiri solet per diutinum vsum cum bona fide, & alijs requisitis in iure. Exemplum sit in capit. *Cumana* de electione, & capi. *cum Ecclesia Sutrina*, de causa possessionis, & proprietatis. Hæc autem præscriptio in alterius personam, actionem, vel bona, non requirit ex parte eius, super quem cadit, consensum aut voluntatem dandi tale ius alteri, aut obligandi se illi: sed ipso vsu acquiritur adminiculo iuris. *Igitur inquiunt isti* per diuturnam consuetudinẽ offerendi acquiritur Ecclesiæ ius ad oblationes, quãtumuis spontaneè continuentur per modum cuiusdam præscriptionis, & consequẽter Parochiani manent obligati ad oblationes, non ex voto vel speciali voluntate & intentione se obligandi, sed ex vi iuris acquisiti Ecclesiæ: vt autem acquiratur, non est necessarius specialis consensus offerentium in voluntariam oblationem continuatus tanto tempore, quia ad præscriptionem, vt dictum est, non requiritur similis consensus ex parte eius, contra quem præscribitur. Necessarium verò est adminiculum iuris: quod habetur in dicto capit. *ad Apostolicam.*

Sic quidam conantur eludere vim argumenti secundi, sed meo iudicio nil proficiunt. *Primò*, quia cum triplex assignetur à Iurisperitis consuetudo: nempe contra legem, præter legem, & secundùm legem; si iste continuatus vsus offerendi non sit consuetudo præter legem, nescio quã aliam possimus sic vocare. *Item* consuetudo oblationes faciendi, quando ex voluntate vtentium & volentium se obligare procedit, inducit nouam legem, & loco legis substituitur, vt communiter dicitur à Theologis & Iurisperitis; ergo etiam quando inducitur sine consensu vtentium si habet vim obligandi (vt isti dicunt) vim legis necessariò debet habere: Et ita dicitur à fautoribus secundæ sententiæ, qui nobis in tertia assertione aduersantur.

Tertiò. Ius, æquumve non poscit, vt quispiam ex continuatione actuum suorum merè spontaneorum, & sic semper permanentium inducat 11
supra se necessitatem eosdem faciẽdi, velit, nolit, siue ex ea obligatio dicatur induci per consuetudinem, siue per præscriptionem: ergo ex diutina oblatione fidelium, qui semper spontaneè obtulerunt, non inducunt supra se obligationem necessariam offerendi. Antecedens explicatur in multis casibus, quos videre licet apud Sylu. verbo, *consuetudo*, loco citato, & Azorium lib. 5. vbi *Syluest.*
supra. Item nulla esset apud fideles continuata *Azor.*
diutius consuetudo spontanea, quæ non pariat obligationem vel mediante consuetudine, vel præscriptione: v. g. ieiunium Vigiliæ Ascensionis, Natiuitatis Beatæ Virginis, recitatio officij parui Deiparæ, & huiusmodi, quæ solent non solum priuatæ personæ, verùm & Communitates, nulla intermissione, obseruare. *Dicent fortasse* ad præscriptionem non sufficere diutinã consuetudinem, sed vlterius requiri adminiculũ iuris; quod si adsit, etiam si absit spontanęa volũtas eius, supra quem obligatio cadit, verum ius acquiritur: vt videre licet in exemplis, quę adducit Syluester verbo, *consuetudo*, quæstion. 22. de *Syluest.*
eo, qui ex præscriptione habet ius effodiendi lapides in fundo alterius, ex l. *venditor*, §. *si constat.* ff. compre. & Panor. in ca. *dilecti*, de arbitris ait: *Panor.*
posse induci consuetudinem vt nobiles alicuius castri possint incidere ligna, vel animalia pascere intra limites alterius castri, dummodo consuetudo non sit inducta per violentiam. *Respondetur* cũ eodem Syluestro id non posse fieri, & leges illæ non sunt intelligendæ de consuetudine omninò spontanea. *Secundo* & melius, quod benè potest præscribi ius ad rem aliquam, aut passionem, dissimulante eo, qui obligetur pati, vt in casibus allatis: at quod quis se obliget proprijs actibus spõtaneis omninò ad eosdem agendum inauditũ in iure est, neq; de hoc debet esse adminiculum iuris, aliàs fideles retraherentur, & meritò, à continuatione bonorum operum, putà, oblationum, videntes suam deuotionem spontaneam transituram in obligationem sui, & suorũ posterorũ: cui rei adminiculari iura, vt rationi dissona non est cẽsendum de legislatoribus & institutoribus iurium: quod autem non sit tale adminiculum in cap. *ad Apostolicam*, iam satis superque explicuimus, manet ergo inconcussa nostra tertia assertio; & argumentum secundum, quo probatur, in suo manet robore.

12 *Ad tertium* quatenus militat contra primam & secundam assertiones benè ibi responsum est.

Pro solutione quarti aduerte. Post introductam consuetudinem oblationum vim legis habentem, si consuetudo sit totius populi in Ecclesia congregati, ita vt singuli sic adunati offerant, tūc satisfit huic obligationi, vt pro maiori parte assistentes, vel qui habent ad manum quid offerant, & tunc quamuis vnus vel alius interdum omittat, non solum non interrumpitur consuetudo, verùm neque grauiter peccatur. Præcipuè si rationabilis causa non offerendi semel aut iterum adsit, quia iuxta communem morem non introducuntur hæ consuetudines cum maiori rigore, neque maiori continuatione egent: ita Sylu. vbi supra & Gutier. Hinc patet ad 4. *Syluest.* *Gutier.*

13 *Sed rogat quis* in casu primæ & secundæ assertionis, quantum temporis exigitur, vt consuetudo præscribi dicatur, & vim legis obtinere, quātaque temporis continuatio sufficiat? *Respondetur* ex ferè omnium Iurisperitorum sententia requiri, & sufficere decennium; sicut in alijs consuetudinibus, quæ inducunt obligationem præter legē: Nisi constet consuetudinem illam inchoatam, & continuatam esse in ordine ad certum effectum: verbi gratia, ad ædificationem Ecclesiæ, vel quid simile. Nam tunc, vt benè adnotauit Syluester, finito effectu potest cessare consuetudo, vt aduertit Panormit. in cap. *abolendæ*, de sepulturis, modus verò continuandi decennium sine interruptione, vt consuetudo præscribatur, debet esse accommodatus materiæ & actioni, solent enim fieri quandoque hæ oblationes à solis singularibus personis, vt ab sponsis in benedictionibus nuptialibus, ab hæredibus defunctorum in funeribus: & in his nō necesse est, quod ab eisdem personis actus frequententur, sed satis est quod à diuersis in simili occasione vel causa. *Syluest.* *Panor.*

Aliquando verò fiunt oblationes à populo in Ecclesiæ congregato, ita vt singuli aliquid offerant, & tunc satis est, vt maior pars populi, vel ditiores, vt dicatur populus consueuisse offerre, vt ex sententia plurium Iurisperitorum affirmat Gutierrez. *vbi supra num.* 150. Item neque obstat consuetudini, quod oblationes factæ fuerunt intra decennium ex rebus diuersi generis, putà quandoque grano, quandoque vino, cera & huiusmodi: cum dicant Doctores ista difformia nō comprehendi consuetudine, quia quando actiones sunt generales prædicta regula non seruatur, vt adnotauit idem Gutierrez. *nu.* 144. *Gutierr.*

Sed dubitabit quispiam, an laici, quando tenentur oblationes Ecclesiæ dare, possint à Parochis communione sacramentorum priuari propter iniustam retentionem oblationum?

14 Et *videtur vera pars affirmatiua. Primò*, quia qui debitor est alicuius rei, potest compelli per substractionem sacramentorum, vt dicitur expresse *de oblationibus & decimis*, 16. *quæstion.* 1. *cap. statuimus. Secundò* qui faciunt notorium peccatum possunt priuari à Parocho communione sacramentorum: vt habet communis consensus Theologorum & Iurisperitorum. Vnde Parochus potest, & tenetur publicum cōcubinarium à sacramentorum communione arcere: ergo pari ratione poterit, eum, quem constat nolle offerre oblationes debitas à communione sacramentorum repellere.

D. Tho. ad tertium ait, posse puniri eos, qui debitas oblationes non offerunt priuatione sacramentorum. Cæterùm priuatio talis non est exercenda à Parocho, cui debita sunt, ne sit iudex in causa propria, quod prohibetur cap. *Conquerente* de restitutione spoliatorum: tum etiam, & præcipuè propter rationem D. Thomæ, ne scilicet videatur pro sacrorum exhibitione aliquid exigere, cui suspicioni occurritur prima quæstione 1. vbi dicitur. *Nullus qui sacram communionem dispensat à percipiente gratiam aliquid requiret.* Debent tamen laici debitores oblationum compelli ad solutionem autoritate Episcopi, etiam iubendo eos priuari communione, ita habetur extra de simonia, cap. *Apostolicam.* 15

Ex his patet *ad primum argumentum*, & ad secundum fateor, quando constat publicè peccatum pertinaciter nollentis oblationes debitas offerre: & ex alia parte scandalum cessat opinandi oblationes exigi pro sacramentorum exhibitione: cessabit autem si Parochus vtatur consilio Caietani testans coram alijs, quod non negat parochiano illa sacramenta, quia ad eum debent peruenire oblationes, sed vt conscientiæ suę consulat, non dando publico peccatori sacram communionem: & his præmissis poterit Parochus, imò tenetur non dare sacram Eucharistiam renuenti offerre debitas oblationes, sicut neque quādo alijs publicis peccatoribus, de quo latè 3. *part. quæst.* 80. *artic.* 6. At doctrina D. Thom. procedit de his, qui retinent sine scandalo oblationes, & non ob id constituuntur in statu peccatorum publicorum, & eius ratio procedit ad vitandam suspicionem simoniæ, cui suspicioni satis occurritur modo præfato: & ex alia parte talis Parochus non vsurpat autoritatem, quia non priuat communione vt iudex sui parochiani, sed vt deuitans participare cum illo in peccato mortali: quod si citatione Doctorum delectaris vide Couar. *lib.* 1. *Variarum resolutionum c.* 17. *n.* 3. 16 *Couarr.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm solùm sacerdotibus debeantur oblationes?

PRima *conclusio.* Dispensatio oblationis, quæ à populo Deo offeruntur, ad sacerdotes pertinet. Probatur, quia sacerdotis est esse sequestrē, & mediatorē inter Deum & homines, instar Moysis, vt dicitur. *Deut.* 5. ac proinde ad eius officium spectat diuina dogmata & sacramēta exhibere populo, & similiter ea quæ sunt populi, putà preces, sacrificia, & oblationes per sacerdotem debent Domino exhiberi: vt ait Paulus ad Hebræ. 5. *Omnis Pontifex, &c.* Ergo vsus & dispensatio oblationum, quæ à populo exhibentur 1 *Deut.* 5. *Ad Heb.* 5.

bentur, ad sacerdotes pertinet, imò & ea accipere nomine Dei, cuius vices sacerdotes gerunt.

Secunda conclusio. Fidelis dispensatio harum oblationum tripliciter fit: primò in his, quæ pertinent ad cultum diuinum, putà in ædificijs Ecclesiarum construendis, ac reparandis, in ornatu altarium, & similibus. Secundò in victum ipsorum sacerdotum: *quia qui altari deseruiunt, cum altari participant.* 1. ad Cor. 9. Tertiò in subsidium pauperum, quos alendos esse ex bonis Ecclesiæ constat.

1. Ad Cor. 9.

Prima conclusio D. Thomæ in iure notissima est. Vnde & Pontifices anathema indicunt laicis oblationes, quæ in Ecclesia fiunt, vsurpare volentibus. Calixtus Papa relatus 10. quæst. 1. cap. *Sanctorum Patrum*, sic ait, *Sanctorum Patrum consona sanciens, oblationes de sacratissimo & reuerendissimo altari B. Petri, aut alijs Ecclesiarum altaribus, siue crucibus à laicis auferri penitus interdicimus, & sub districtione anathematis prohibemus:* & D. Hieronymus ad Damasum Papam: *Quia* (inquit) *sacerdotes pro omnibus solent orare, quorum eleemosynas & oblationes accipiunt, qua fronte præsumunt laici oblationes quas Christiani pro peccatis suis offerunt vel ipsi comedere, vel alijs concedere, cùm ipsi non debeant ex officio suo pro populo orare? Ob hoc Papa gloriose mittere te oportet illos præsumptores in excommunicationem perpetuam: vt & cæteri metum habeant, & amplius hæc in Ecclesia non fiant.* Quæ monitio ita suscepta est à Damaso Papa: vt in hæc verba proruperit, vt habetur 10. quæst. 1. *Hanc consuetudinem*, (inquit) *quæ contra sanctam Ecclesiam Catholicam augeri videtur, omninò interdicimus, vt nullo modo vnquam vllo tempore oblationes, quæ intra Sanctam Ecclesiam offeruntur, sub dominio laicorum detineantur, sed tantummodò sacerdotibus, qui quotidie Domino seruire videntur, illis solis liceat comedere & bibere: quia in veteri testamento prohibuit Dominus panes sanctos comedere filiis Israel, nisi tantummodò Aaron, & filijs eius. Panes qui longè erant ab istis panibus, qui nunc in sancta Ecclesia offeruntur, quia illi sub vmbra legis erant, qui verò modò sub gratia sunt, Spiritus sancti toto mundo Euangelio coruscante lucidiores esse videntur.* Et postea satis eleganter idem prosequitur dicens hoc decretum non esse nouum, sed ab antiquis Patribus acceptum; maximè à trecentis Patribus qui Niceno Concilio interfuerunt, qui contra violatores huius decreti Anathema pronuntiauerunt. Quod decretum Damasi plus nimio rigidum apparet, cùm ex eo colligi videatur laicis non solùm esse prohibitum dominium oblationum Ecclesiasticarum, verum etiam & vsum comestibilium, putà neq; comedere aut bibere, panes aut vinum oblata in Ecclesijs.

2 Calix. Pap. D. Hiero.

3 Neque videtur satisfacere responsio D. Thomæ, *in solutione ad tertium* dicentis, decretum Damasi esse intelligendum de oblationibus postquam fuerint consecratæ, quæ non possunt conuerti in vsus laicorum, sicut vasa & vestimenta sacra. Illa verò, quæ non sunt consecrata, possunt in vsum laicorum cedere ex dispensatione Sacerdotum, siue in modum donationis, siue per modum venditionis. Non (inquam) videtur satisfacere D. Thomæ responsio, quia Pontifex ait non licere laicis vesci panibus oblatis in Ecclesia. Sed non apparet quomodo consecrentur, vt non liceat illis vti. *Item*, quia argumentatur à panibus propositionis veteris legis ad panes oblatos in lege gratiæ, & infert multò minus licere secularibus vesci his, quam illis licebat laicis in lege veteri.

Respondetur duo statuere Damasum in illo capite. *Vnum* oblationes non debere esse sub dominio laicorum: quod intelligendum est de oblationibus iam consecratis, quas non licet laicis possidere vllo pacto, neque sub titulo donationis, aut venditionis in ordine ad laicales vsus. Et hoc est quod declarat Diuus Thomas vbi supra. *Secundum* habetur in eodem capite non licere laicis vesci panibus, aut vina oblata bibere aut similibus vti, quod intellige (cum Turrecremata ibidem) propria autoritate. Turrecre.

Illud verò argumentum ex panibus propositionis in lege veteri, quibus edere non licebat laicis, nisi in extrema necessitate constitutis. 1. Reg. 21. procedit non parificando exempla, sed argumentando ab obseruantia veteris legis in abstinendo laicos ab esu panis propositionis, ad obseruantiam, quam habere debent laici in lege gratiæ in non vtendo oblationibus panum, aut vini, & similium propria potestate, & quasi illorum domini. 1. Reg 21

Circa eandem primam conclusionem est

I. DISPVTATIO.

Qui sint isti Sacerdotes, ad quos spectat oblationes, quæ in Ecclesia fiunt, recipere?

VAlde consonum iuri diuino est vt Parochus oblationes, quæ in sua Parochia fiunt, accipiat distribuendas, iuxta normam traditam à D. Thom. in secunda conclusione. 4

Secundò dico. Modò standum est consuetudini, quæ diuersa in diuersis locis viget. Expresse hoc asseritur in capit. *Certificari*, extra de sepulturis. Vbi Clemens Tertius videtur quasi corrigere quædam iura antiqua, quæ certam portionem assignabant Episcopis tunc temporis pressis paupertate. In capit. *Decreuimus*, 10. quæstion. 1. assignabatur tertia pars. Idem habetur in capit. *Constitutum*. 16. quæst. 1. Alibi assignabatur medietas 10. quæst. 1. capit. *Antiquos*. Alibi quarta pars, 10. quæsti. 2. capit. *Concesso*. & alijs iuribus: de quo legendus est inter alios Panorm. capit. *Requisisti*, de testam. à numer. 15. Sed iam consuetudini statur de diuisione, ac distributione earundem oblationum. Panor.

Similiter standum est cōsuetudini, siue oblationes illæ sint, quæ quotidie offeruntur, aut certis diebus solemnibus, siue sint legata pia Ecclesiarum, siue sint prouenientes ratione funeris Ecclesiæ, in qua eligitur sepultura. Quod si in loco oblationū non appareat, quę vigeat consuetudo, consideradā est cōsuetudo Ecclesiæ Metropolitanæ

tanæ secundùm Hostiensem. Quod si neque hæc appareat animaduertenda est consuetudo Ecclesiarum circumuicinarum. Quod si adhuc dubitetur, mitior pars est eligenda, nempe quarta. Hæc enim est mitior omnibus, quæ in iure reperiuntur, & hæc vsitatior est. Sed hæc minutatim persequi potius est Iurisperitorum quàm Theologorum, Si lubet vide cap. 1. & per totum, de sepulturis, & Clementina *Dudum*, vers. verum de sepulturis, & in Sexto, eodem titulo.

5 *Tertiò dico*. Religiosi possint accipere oblationes triplici ex titulo. Nēpè sicut alij pauperes, per dispēsationē Parochorū, si sint rectores Ecclesiarū parochialium, non minus quam alij rectores seculares, & vt ministri altaris, si eis aliquid in suis Ecclesijs offeratur. Ita D. Th. ad secundum: & ita haberi ex iure communi asserit Panor. *cap. 1. de statu monach.* In cuius robur concessit Bonifacius IX. fratribus Ordinis Prædicatorum prohibendo ne scilicet prælati Ecclesiarum, aut alij quicūque eos impediāt, quominus Missas & alia diuina officia in Ecclesijs suis quotidie celebrare, ac oblationes in Missis ipsis, & alias ad eorum altaria prouenientes liberè & integraliter recipere, & eorum vsum iuxta morem dicti Ordinis conuertere possint sub excōmunicatione ipso facto in contrarium facientes. Ita habetur in supplemento ordinis. De oblationibus verò, quæ ortū habent à funere defunctorum, est non modica concertatio. An quando aliquis defunctus sepelitur extra propriam pareciam sit soluenda aliqua quota pro parte pareciæ? an verò tota oblatio pertineat ad Ecclesiam vbi sepelitur?

Panorm.

6 *Dico quarto*. Stando in iure communi, quandò parochianus in aliena parecia, monasterio, aut alio, pio loco sepelitur, pareciæ, cuius erat parochianus, debetur certa portio de omnibus, quæ in vltima volūtate reliquerit tali monasterio, vel alij pio loco sepulturæ, siue illud in modū legati, siue instituendo hæredē talē locū, relinquat. Hoc probat Panormi. *cap. 1. de sepulturis num.* 7. Eadē portio omninò debetur Ecclesiæ parochiali de omnibus oblationibus & commodis funerum. Hoc patet ex iuribus citatis circa finem dicti secundi. Hanc verò portionem esse quartam partē oblationū funeris vsus obtinuit, vnde vocatur cōmuniter, *Quarta funeralis*. Ab huius solutione excipiuntur quædam species rerum oblātarum, nempè legata Ecclesijs, aut pijs locis pro fabrica, ornamentis, cereis, luminaribus, anniuersario septimo, vigesimo, aut trigesimo die, & pro alijs ad cultum diuinum perpetuum (modo non legentur in fraudem, vt Episcopus aut parecia sua portione priuetur) de quibus non est soluenda quarta portio. Ita capit. vltimo de testamē. Item capi. In nostra, de sepulturis excipiuntur equi & arma legata in subsidium terræ sanctæ, de quibus non detrahitur quarta.

Panorm.

7 *Dico quintò*. Consuetudine introduci potuit, imò sæpè introductum est, vt huiusmodi quarta portio, aliàs secundū ius debita, nō soluatur omninò. *Prima pars probatur*. Quia in his oblationibus & alijs, quæ de iure humano debētur, cōsuetudo præscriptionem libertatis inducere potest. Præscriptio autē cōtra Ecclesiā, qualis in hoc casu reperitur, consuetudine quadraginta annorū introducitur, cum titulo tamē, aut immemoriali sine titulo, eo quod huiusmodi tempus æquiualeat titulo. Quod si non agatur de præscriptione aduersus aliquē, sed de sola legis abolitione, satis esset consuetudo quadraginta annorum absque titulo, atque hæc est, quæ propriè appellatur consuetudo, quæ non indiget titulo, vt vigorem legis auferat.

Dico sextò. Ordines mendicantes, & qui eorum priuilegijs fruuntur, nō tenentur soluere quartā partem oblationum, etiam eorum, quæ funera defunctorum comitantur. *Probatur* ex priuilegio concesso fratribus Carmelitis à Nicolao V. de quo videndus est Emanuel Rodriguez, *quæst. 39. artic. 2. tom. 2.* 8

Emanuel Rodriguez.

Contra hoc dictum. 6. sumitur argumentum ex Panormitano. *cap. vltimo de sepulturis, num. vltimo*. Couar. *ibidem nu. 7.* & alijs Doctoribus communiter asserentibus fratres prædicatores, Minores, & cæteros, qui gaudent priuilegio Mendicantium teneri soluere quartam Ecclesiæ parochiali, etiam de legatis priuilegiatis, de quibus in dicto quarto: quia ita fuit expresse constitutū in Clementina *Dudum* de sepulturis. § *verum*. Vbi simul statutum fuit, vt nihil aliud tenerentur soluere, quam quartam pareciæ. *Respondet* Syluester verbo Canonica portio, in fine ex concessione Sixti IIII. non teneri soluere quartam, nisi de his quæ funus comitātur, idest, de oblationibus diei funeris, non verò de aliquo alio. *Nos verò aliter respondemus*, obiectionē factam procedere secundū ius commune: ex priuilegio verò Mendicantes, & gaudentes eorum priuilegijs ab hac obligatione tolluntur, vt patet ex priuilegijs citatis.

Couarr.

Syluester.

Secundò aduersus idem dictum & citata priuilegia fortiùs instatur ex Concilio Tridentino sessione. 25. cap. 13. de reformatione sic dicente: *Decernit Sancta Synodus, vt quibuscunque in locis iam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolui, ac posteà fuerit ex quocunque priuilegio alijs monasterijs, hospitalibus, aut quibuscunque locis pijs concessa: eadem posthac integro iure, & eadem portione, quæ antea solebat Cathedrali seu Parochiali Ecclesiæ persoluatur: non obstantibus concessionibus, gratijs, priuilegijs, etiā mari magno nūcupatis, aut alijs quibuscūque*. Quibus verbis tolluntur omnia priuilegia & concessiones factæ quibusuis locis pijs. *Respōdetur*. Absq; dubio magna ex parte priuilegia citata abrogata sunt per præfatā Synodū, nō tamē omnino abolita. *Secūdo* illi, qui per priuilegia, nō tenebantur soluere quartā funeralē, & nō sunt soliti soluere per quadraginta annos ante Synodum Tridentinam, modò non tenentur soluere, quinimò etiā nō priuilegiari, qui nō sunt soliti eandem soluere à quadragesimo anno ante Conciliū, etiam modo nō tenētur soluere. Synodus enim voluit seruari consuetudinem introductam, & pręscriptam per spatium quadraginta annorum, & in nullo eam deturbare. Igitur priuilegia, quoad

quoad eos, qui contra Ecclesiam Parochialem præscripserunt, non sunt abrogata, id est, non sunt abrogata priuilegia quoad liberationem soluendi Canonicam portionem de alijs oblationibus, quæ non pertinent ad funera defunctorum. Quia Concilium tantùm meminit de quarta funerali. Quod consuetudine firmatum est, vt ait Couar. citandus. Couarru.

9 *Tertiò.* Monasteria quæ fuere fundata intra quadraginta annos ante Concilium suis priuilegijs gaudent, neque comprehenduntur in Concilij decreto: Ita declarauit Pius. V. in quodam Breui, vt refert Frater Emanuel Rodriguez, *primo tomo Regular. quæstion. 39. articul. 2.* Quod si quis dicat hoc Breue reuocatum esse per Gregorium XIII. in sua constitutione, vbi reuocat constitutionem præfatam Pij V. quatenus aduersatur Concilio Tridentino. Respõdetur, nequaquam reuocasse declarationes Concilij Trident. à Pio V. factas. Quod vel ex eo patere potest, quia Congregatio Cardinalium præfecta ad interpretandam Synodum Trident. in hæc verba prorupit. *Congregatio Concilij censuit non comprehendi in dicto concilij capite, Monasteria ædificata à quadraginta annis citra; aut quæ indies ædificantur, vel in futurum ædificabuntur. Præsupposito, quod huiusmodi Monasteria sint eius Religionis, cui à Sede Apostolica indultum sit, vt quartam funeralem nõ debeant soluere Episcopo.* Et iuxta istam interpretationẽ lites quædã inter monachos priuilegiatos & Parochos absolutæ sunt in fauorẽ monachorum: verbi gratia. Inter Episcopum de Guatemala & fratres de Guatemala, pro fratribus tulit sententiã Archiepiscopus Mexicanus & Metropolitanus: & inter Parochos oppidi sancti Sebastiani, in Cantabria, & inter fratres Dominicanos ibidẽ degentes in Monasterio ædificato citra à quadraginta annis, lis mota est de solutione quartæ funeralis, & in Consilio Rotæ pro fratribus victoria prodijt.

Et certè si textus Concilij attente inspiciatur legitima interpretatio est. Noluit enim Conciliũ in hac parte tollere priuilegia fratrum, nisi quando in præiudicium præscriptionis vergebant. Vnde quando fratres soliti fuerant soluere quartam funeralem per quadraginta annos voluit illis non suffragari priuilegia: quia illud temporis spatium sufficiens est ad præscribendum etiã cõtra Parochialẽ Ecclesiam, vt tenet Panor. *in capit. fin. d. de consuetudine num. 4.* & cum eo Doctores cõmuniter. Alias verò, id est, si sunt soliti soluere ante quadraginta annos, vel si Monasteria sunt fundata à quadraginta annis citra, siue soluerint illa, siue non, voluit Concilium priuilegia in suo robore permanere. Deniq; circa idem Concilij decretũ *aduertendum est*, quod hi, qui tenentur soluere quartam funeralem, non tenentur soluere de omnibus, quæ ratione funeris prouenniunt, sed duntaxat de his oblationibus, quæ in die funeris ad Ecclesiam deferuntur cum defuncti corpore. Ita Pius V. in dicto motu proprio, & Cardinalis in dicta Clementina *Dudum. §. verum.* Panorm.

10 *Postremò notandũ est.* Quando quarta funeralis Parochis à fratribus debetur iuxta supra dicta; fratres debitores nequaquam posse à Parochis aut Diœcesanis ad talem solutionem compelli, maximè excommunicatione, aut alijs cẽsuris, sed à suis proprijs iudicibus ad id cogendi sunt; putà à Papa, à Nũcio, aut Legato, aut sui ordinis Prælatis, tùm quia fratres exempti sunt à iurisdictione ordinariorũ: excõmunicare autem, censuras ferre, actus est iurisdictionibus: tũ quia Sixtus IV. anno Dñi 1474. tulit pœnam interdicti ingressus Ecclesiæ in locorũ Ordinarios, & in alios sentẽtiã excommunicationis ipso facto, si directè aut indirectè ad solutionẽ quartæ alicuius parochialis, vel Canonicæ, vel alterius portionis seu oneris, dum apud fratres fideles tumulantur, cogunt quoquo modo fratres, vel testamentarios, vel defuncti hæredes.

Nec obstant glossa in Clementinã *Dudum* de sepulturis, & D. Antoninus oppositum tenẽtes. Nam ipsi loquuntur secundùm ius commune in eadem Clementina expressũm: nos verò secundùm priuilegia citata. Nec obstat reuocata esse per Concilium Trident. citatum: iam enim diximus non esse totaliter reuocata, neque vnquam asseruit sacra Synodus esse compellendos censuris, sed quod tenentur soluere compellendi per proprios iudices, & alij (quos allegat Couarru. *cap. vltimo de testamen. num. 6. & 7.*) dicunt consuetudine introductum esse id, quod dicebamus, & neque de omnibus, quæ in die funeris offeruntur, tenentur fratres soluere quartam partem, verbi gratia, de Missis, candelis, & alijs huiusmodi, quæ ad manus dantur fratribus: tum propter priuilegiũ Sixti referente Syluestro vbi supra: tũ propter consuetudinem. Quinimò Panorm. vbi supra num. 7. cum Hostiense affirmant vniuersaliter consuetudine introductum esse, etiam quãdo aliquis in aliena parecia sepelitur, Ecclesiam sepulturæ non teneri soluere quartam de oblationibus factis post diem sepulturæ, sed solùm de his, quæ in die sepulturæ fiunt. Couarru. Syluest. Panorm. Hostiens.

DISPVTATIO II.
An secunda conclusio D. Thom. sit vera?

1 CIrca secundam cõclusionem animaduertito, eam esse intelligendam de oblationibus, quæ communiter fiebãt, & fiunt, Nam sunt, & fuerunt aliquot oblationes, quæ Deo in templis offerebantur, & suspendebantur, vt excitarent memoriam intuẽtium, admonerentque alicuius beneficij à Deo facti, & ideò non licebat neque sacerdotibus in suos vsus conuertere, nisi vrgente graui necessitate, ac propterea huiuscemodi oblationes seu donaria anathemata vocabantur, vt ait Rufinus Martyr lib. quæstion. & respons. quæst. 121. *Anathema (inquit) id dicitur quod est Deo dicatum, atque destinatum, & in communem vsum amplius non conuertitur.* Horum anathematum fuit frequens vsus, tam apud fideles quam apud Ethnicos. Gladius Goliath suspensus est in sanctuario in memoriam debellati Gigantis à Rufin. Martyr.

1.Reg. 21. Dauide in nomine Domini. 1. Reg. 21. & laminæ Thuribulorum Dathan & Abiron affixæ sunt Num. 16. altari. Num. 16. & Iudith. vltimo dicitur: *Porro Iu-* Iudit. vlt. *dit vniuersa vasa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & Conopeum quod ipsa sustulerat de cubili ipsius obtulit in anathema obliuionis, scilicet sacerdotibus, vt de cætero nullus vteretur eis, sed seruarentur in loco cultus diuini ad memoriam beneficij accepti propter debellatum Holofernem, & exercitum eius.* In lege autem gratiæ non desunt exempla. Bellisarius postquam sæpius in Italia Gothos deuicit, Africam quoque & Siciliam cepit, & de Persis triumphauit, crucem auream gemmis contextam centum pondo Romæ S. Petro Apostolo munus dedit, ratus ob Religionem perpetuam, atque in signum omnibus sæculis diuinæ virtutis, qua adiutus hostes debellauit, monimentum fore. Ful- Fulgos. Ignat. gos. & Ignatius *li.* 8. *cap.* 15. ex Procopio. Alphonsus Ferrariæ dux post Venetarum nauium in naualicaptarum victoriam in templo maximo Fer- Iouius. rariæ suspendit. Iouius *in Alphonso Atestino.* Quin imò mos est celebris apud Hispanos duces vexilla ab hostibus (maximè infidelibus) capta in tēplis suspendere, Deo suas adscribentes victorias, & futuris temporibus monimentum. Omittimus modò infinitam anathematum multitudinem superstitiosam, quæ Gentiles Dijs suis dedicarunt, quia ad nostra properamus.

2 Est igitur specialis *difficultas* circa secundam nec cōclusionē: An oblationes, quæ Deo fiunt, & sacerdotibus traduntur, sint necessario in eos vsus, quos refert D. Thom. expendendæ? *Partem enim negatiuam videtur suadere praxis* sacerdotum sapientium ac timoratorum, qui stipendia sibi data pro Missis dicendis, pro alijs ministerijs Ecclesiasticis exercendis, sine vllo conscientiæ remorsu in alios vsus expendunt.

Hanc dubitationem nec potuimus negligere, ad amussim discutere debuimus reseruantes eius pleniorem tractatum *ad quæst.* 185. *huius partis.* Pro cuius tamen breui decisione aliqua prænosse oportet. *Primò præmittendum est,* varios fuisse status in Ecclesia Christi, variasque distribuendi bona Ecclesiastica formas. Primus status fuit, quo tota Christiana plebs, Clerici, ac laici in cōmuni degebant nil habentes proprium; sed omnium suarū possessionum pretia ad pedes Apostolorum apponebant, qui distribuebant singulis, sicut cuique opus erat: ita vt nullus egens Actor. 4. necessariorum esset inter illos, vt patet Actorum 4. Iste fœlicissimus Ecclesiæ status breui ad modum tempore perdurauit; vt vel ex eo colligere licet, quod etiam tempore Apostolorum licebat Episcopis habere aliquid proprium titulo aliquo temporali, vt patet *ex Canone.* 4. *Apostol.* Item etiā tempore Clementis (vt patet etiam ex Epistola 5. illius,) iam erat ratio illa viuendi sine proprio collapsa. Successerunt igitur in eo instituto Ecclesiastici: atque ita bona, quę à fidelibus Ecclesijs erant donata, in communi possidebantur à clero, retentis tamen possessionibus, quæ Ecclesiæ tribuebantur (quidquid oblatret sine fundamento firmo Ioannes Vvicleph Hæreti- Vvald. cus, apud Thomam Vvaldens. *lib.* 4. *doctrinæ fidei articul.* 3.) Ait enim Melchiades Papa, & refertur Canone *Futuram.* 12. quæst. 1. quod cum Apostoli futuram Ecclesiam in Gentibus præuidissent: ideo prædia in Iudæa minimè sunt adepti, sed pretia tantummodo ad alendos egentes.

At verò cum Ecclesia augeretur rationabilius iudicatum est, vt possessiones non in pretia resoluerentur, vt in Ecclesia Hierosolymitana à principio fiebat, sed possessiones ipsæ manu liberali donatæ à Christianis, maximè à Constantino Imperatore, in Ecclesiæ dominio permanerent. Cuius rationem reddit Vrbanus Papa Canone statim proximo. *Videntes* (inquit) *Summi Sacerdotes plus vtilitatis posse conferre, si hæreditates, & agros, quos vendebant, Ecclesijs, quibus præsidebant Episcopi, traderent: eò quod ex sumptibus eorum tàm præsentibus quàm futuris temporibus plura & elegantiora ministrare possent fidelibus communem vitam ducentibus, quàm ex pretio ipsorum, cœperunt prædia, & agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesijs tradere & ex sumptibus eorum viuere.* Hæc Vrbanus. & subiungit eorum prouentuum Ecclesiasticorum distributionem ad Episcopum pertinere, cui erant isthæc bona, ac possessiones commissa distribuenda in eos, qui communem vitam agebant, & in fabricas Ecclesiarum, ac pauperes, retentis pro se ijs, quibus ad sui, & suæ familiæ congruam sustentationem egebat. Vt habetur Can. Episc. & Can. præcipimus 12. *q.* 1. *& in Cano.* 38. Apost. Episcopus non suppeditans necessaria ministris, iubetur communione priuari, ac deponi.

Quod si aliquis curiosus sciscitetur, quo nam 3 tempore hæc bonorum stabilium possessio in Ecclesia esse cœpit? Certum & indiuisibile tempus designare vix possibile iudico. Censeo autem certum tempore proximo Apostolorum, etiam ante Principes Christianos sub Imperatoribus Gentilibus Ecclesiam possessiones obtinuisse non ignobiles. Quod expressè asserit Pius. I. qui præfuit circa annum Domini. 167. *Epistol.* 2. & Vrbanus. I. *circa annum* 228. *Epistol. ad omnes Episcopos*: & idem commemoratur in edictis Constantini & Licinij iubentium, vt omnes possessiones ablatæ à Christianis in persecutione, nimirum Diocleciani & Maximiani, Ecclesijs restituerentur: vt habetur apud Eusebium *lib.* 10. *cap.* 5. & post hæc reddita pace Ecclesiæ, regnātibus Principibus Christianis Ecclesias locupletatas esse longè latèque amplissimis fundis nullus ambiget. Ex quorum prouentibus Episcopis ministrantibus subueniebatur necessitatibus Clericorum, Ecclesiarum fabricis, ac diuino cultui honorifico prouidebatur, simul & pauperum indigentijs occurrebatur. O fœlicissimum ac decentissimum Ecclesiæ statum, si in eo Ecclesia perdurare potuisset! vt rectè animaduerterunt Clem. I. Epi. 5. & refertur Cano. *Dilectissimus.* 12. q. 1. & Vrb. Epist. citata, refertur. Can. *videntes,* & Can. *Scimus,* eadem causa & q.

Post hunc administrationis bonorum Ecclesiasticorum statum successit alter: nam crescente 4 numero clericorum ex vna parte, ex altera verò cupiditate, atque adeò infidelitate Episcoporum in dispensandis bonis Ecclesiæ, omnia confusione

spensationis ratio excogitanda fuit. Nimirum vt cumulus bonorum Ecclesiæ diuideretur in quatuor partes, *quarum vna* Episcopo; *altera* alijs Clericis ministris; *tertia* fabricæ & cultui diuino; *quarta* pauperibus assignaretur.

Hanc diuisionem faciendam curauit Sylu. Papa, vt patet ex Syn. Roma, sub ipso celebrata, c. 4. & postea à pluribus Pontificibus confirmata est, specialiter à Simplicio Papa circa annum Domini 470. & refertur Can. *de reditibus.* 12. quæst. 2. & idem egit Gelasius post 20. annos, cuius sunt Canones *vobis enim*, & sunt quatuor: & postea anno ferè sexcentesimo præfuit Ecclesiæ Gregorius, cuius sunt Canones *Cognouimus*, & *mos*, quibus eadem refertur partitio, eadem causa & quæst.

Nec tamen isthæc distributio vbique statim &
5 eodem modo in praxim est deducta. Nam & Diu. Augustini, & Diu. Hieronymi tempore quod attigit Simplicij Pontificatum aliqui Episcopi in communi vitam cum clericis agebant: vt rectè notauit Sotus *lib. 10. de iust. quæstio.*
Sotus. 4. *artic.* 3. *& patet.* 12. *quæstion.* 1. Can. *Certè ego*, quod est Augustini. Item in aliquibus Ecclesijs non quarta pars tantùm, sed tertia contingebat Episcopis: vt patet cap. *Requisiuisti*, extra, de testamentis. Vbi dicitur quod Episcopi accipiant tertiam partem vel quartam secundũ consuetudinem. Quinimò media pars eorum, quæ offerebantur alicubi contingebat Episcopo, vt patet. 10. quæst. 1. Can. *Antiquos*, ex concilio Aurelianensi. Quidquid tamen sit de hac varietate diuisionis hoc certum est, facta partitione bonorum Ecclesiasticorum illud institutum clericorum viuendi in communi euanuisse sic adeò, vt vix eius vestigium appareat. Quod dixerim propterea quod in aliquibus Ecclesijs Cathedralibus Hispaniæ illius prisci instituti inter Canonicos figura satis imperfecta ac deformata permansit.

6 *His animaduersis* non erit difficile determinare in quos vsus essent expendenda bona Ecclesiæ in illo primo statu eius, quando clerici in communi degebant: In pios nempè vsus, quos refert D. Thomas in articulo pro sustentatione cleri, scilicet fabricarum Ecclesiarum, ac reliquo exteriori diuino cultu, ac denique pro pauperum necessitatibus subleuandis. Et hæc quidem dispensante Episcopo cuiusque Ecclesiæ, vt dictum est. *An verò Episcopi infideles dispensatores illo tempore antiquo tenerentur ad restitutionem*, nulli dubia debet esse affirmatiua pars, approbata communiter à Doctoribus, & probata ex capitibus citatis: & probatur ratione, quia qui pluribus collata sibi reseruat, non solum peccat, vt infidelis dispensator, sed etiam ad restitutionem tenetur: at Episcopus non distribuens tunc temporis bona Ecclesiæ communia iuxta normam Ecclesiasticam, ac eorum, qui obtulerunt voluntatem, retinet sibi communia bona: ergo peccat & tenetur ad restitutionem. An verò dominium esset tunc tantum apud Episcopum, & clerum? an verò etiam apud pauperes? magna contentione disputatur, de quo inferius.

Quod difficilius in hac parte, illud est, *qualiter bona Ecclesiæ, & in quos vsus debeant conuerti facta iam partitione bonorum eorum à tempore Simplicij Papa vsque nunc*? Pro cuius rei declaratione *notandum est primo*, bona Ecclesiastica nunc temporis esse in multiplici differentia. *Prima* est bonorum immobilium, quæ vel Ecclesiæ, aut eius fabricæ, vel dignitati Episcopali, aut cuiuis alteri dignitati Ecclesiasticæ, aut hospitali, & similibus applicata sunt; siue applicatio prouenerit ex iam relata diuisione facta à tempore Simplicij, siue ex legatis piorum, vel vndecunque aliàs prouenerit. *Secundum bonorum Ecclesiasticorum genus*, sunt annui reditus deputati pro aliqua memoria in aliqua Ecclesia agenda, putà pro sacris peragendis à clericis in aliqua Ecclesia, pro pauperum indigentijs, pro redemptione captiuorum, pro virginibus maritandis, & similia. *Tertium genus est* eorum bonorum, quæ quotidie dantur clericis: putà pro Missis dicendis, pro concione, ac denique pro personalibus actionibus spiritualibus, ad quas clericus quisque quotidie, vel annuatim quasi conducitur à fidelibus. *Quartum genus est* eorum redituum, qui in Ecclesia dantur in sustẽtationem, & stipendium pro functionibus annexis officijs, seu præbendis Ecclesiasticis: putà Episcopatui, Canonicatui, parochiali curæ. Inter hos reditus præcipuum locum tenent decimæ. In vltimo loco numerantur bona vtensilia Ecclesiæ, vt vestes sacræ, ornamenta, &c. Hac distinctione præmissa

Dico primò. Bonorum primi generis non habent Ecclesiastici, neque Episcopi dominium ab- 8
solutum, vt tradit Augustinus *tract. 6. in Ioannem,* August.
circa finem, & fusius Thomas VValdens. *tom. 1. lib.* VVald.
4. *cap.* 43. Itaque non possunt Ecclesiastici huiusmodi bona alienare, neque etiam locare, nisi certis quibusdam conditionibus, vt tradunt Doctores super titulum de rebus Ecclesiæ alienandis vel non, & Summistæ verbo *Abalienatio*, specialius Caietanus verbo *Excommunicatio*, cap. 75. Caiet.
Idem etiam dicendum est de bonis vltimi generis, vel vtensilibus: siquidem de his ferè est eadẽ ratio atque de immobilibus, vt patet ex Authẽtica *praterea*. C. de Sacrosanctis Ecclesijs, & ex Syluest. verbo *Abalienatio.* Syluest.

Dico secundò. Bonorum secundi generis non 9
habet Episcopus, neque etiam Ecclesiastici absolutum dominium, sed tantum fidelem dispensationem iuxta voluntatem & institutum eorũ, qui huiuscemodi bona deputarunt, à qua voluntate si recedant, peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem. *Probatur* ex Clemẽtina, quia contingit. de religiosis domibus; & in Conc. Trid. *sess.* 25. *cap.* 8. *de refor.* Deinde probatur ratione manifesta. Quia (vt docet D. Tho. D. Thom.
supra quæst. 62. *art.* 1. *ad* 3. & explicat Soto *lib.* 4. Soto.
de iustitia, quæst. 6. *art.* 1. *ad vlt.*) quando aliquis omittit distribuere bona, quæ distribuere tenetur ex vi iustitiæ cõmutatiuæ, semper manet obnoxius eidem distributioni faciendæ. Sed Episcopi & alij Ecclesiastici, quibus incumbit distributio eorum bonorum, ad id tenentur ex iustitia commutatiua, ortũ habente vel ex voluntate legatis illa bona sub illa cõditione distributionis, fusione & querelis replebantur, & ideò alia di-

7

aut

aut ex antiquo instituto Ecclesiæ. Ergo si iuxta normam præfatam non distribuant, tenentur ad restitutionem.

Hinc infertur. Si Ecclesiastici bona hospitalium in alios vsus quàm pauperum erogent, peccant contra iustitiam, si reditus pro redemptione captiuorum in alios, similiter peccant, & tenentur ad restitutionem. Infertur secundò. Si alicubi bona Ecclesiæ sunt indiuisa more prisco, & non distribuant in vsus pios, quibus bona Ecclesiæ destinabantur; peccát contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem.

10 *Dico tertiò.* Post quam iam clericorum cætus cœpit viuere priuatim, & non in communi, vt antiquitus, bonorum tertij generis acquirunt plenum & perfectum dominium, & possunt ea expendere pro suo libito in quoscunque vsus sine violatione iustitiæ & restitutionis onere, quidquid sit de charitatis aut misericordiæ vinculo. Hoc dictum non eget probatione, cùm isthæc bona sibi acquirant clerici, sicut mercenarij alij suorum laborum stipendia: & ad hoc genus bonorum reducuntur distributiones quotidianæ Canonicorum, quidquid dicat Nauarrus sine firmo fundamento *tractatu de reditibus Eccles. quæst.1.num.74.Coroll.19.* Ita colligitur ex capite vnico de clericis non resid. in 6. & probat Cou. *Couarr.* in cap. *Cum in officijs*, de testamentis, num.4. aliàs 14. Atque eadē ratione idē iudicandū est de his, quæ dantur Ecclesiasticis propter singularem aliquam eorum dignitatem, & merita in Ecclesiam, vt asserit Couarruu. *loco citato numer. 6. vel 19.*

11 *Dico quartò.* Admissa iam diuisione præfata bonorum Ecclesiasticorum quarti generis (sicut credo admissam ferè vbique terrarum) ingens controuersia excitata est in diffiniendo in quos vsus teneantur Ecclesiastici illa bona expendere: quibusdam asserentibus, quidquid de illis bonis superfuerit demptis ijs, quæ necessaria sunt pro congrua sustentatione clericorum, in pauperes esse eroganda ex iustitiæ vinculo: quibusdam verò id negantibus, sed tantùm ex misericordiæ onere ac præcepto: à qua controuersia ego supersedeo vsque ad suum locum. Sufficit namque in præsenti prælibasse pauca, quæ necessaria visa sunt pro intelligentia D.Thom. in assertione secunda, secundi articuli, de trifaria diuisione oblationum, quæ vel intelligenda est iuxta rationabilem priscorum morem: aut si de nostri sæculi more loquatur non est sic intelligendus, quasi voluerit significare, vt pro sua voluntate possent Ecclesiastici tales oblationes in quemlibet istorum trium vsum conuertere, sed in singulos iuxta ordinem distributionis, qui vel ex lege, aut consuetudine, vel ex voluntate offerentium fuerit determinatus, iuxta tradita à nobis in hac quæstione.

* * *
* *
*

ARTICVLVS. III.

Vtrùm homo possit oblationes facere de omnibus rebus licitè possessis?



PRIMA conclusio. De iniustè adquisitis & possessis non potest fieri oblatio. *Secunda.* In lege gratiæ de quolibet licitè possesso potest fieri oblatio. *Tertia conclusio.* Per accidens ratione alicuius circumstantiæ contingere potest quod de aliquo licitè possesso non possit fieri oblatio. *Verbi gratia,* si oblatio vergat in detrimentum alterius, vt si filius offerat Deo id, vnde patrem alere debet, quod improbat Dominus *Mat.15.* vel propter scandalum, aut contemptum, vel aliquid aliud simile. *Matth.15*

1 In lege veteri quædam, quæ propter significationem reputabantur immunda, offerre non licebat.

Litera D.Thomæ satis perspicua est, & ideò breuiter percurrenda, *annotantes circa primam conclusionem,* oblationes factas de iniustè possessis esse grande scelus; quod expressit Sapiens Ecclesiastic.34. *Immolantes ex iniquo, oblatio est maculata;* *Eccle.34.* id est, valdè reprehensibilis propter duo. Primò propter iniuriam, quæ fit ei, cui iniustè ablata sunt quæ in cultum Dei offeruntur: vnde ibidem subditur: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, est quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Quæ verba idem conantur persuadere, nempè quam grande malum sit offerre, aut immolare ex iniquè possesso. Comparat enim eum, qui hoc facit, cum eo qui occidit filium in conspectu patris sui, aut cum eo, qui vt sacrificet Dijs immolat filium, patre viuente. Sicut enim id non potest non summè displicere patri: ita significatur Deo nimis displicere huiusmodi oblationem, aut sacrificium, etsi impius arbitretur tali oblatione se Deum placare.

Imò & aliquid amplius in hac comparatione insinuatur: nempè quod pauper sit veluti filius dilectus patris cœlestis; & quod cùm iniuria pauperi irrogatur, nimirum filio Dei iniuria infertur vidente patre. Efficacius hoc significat lectio Græca, q̄ nō habet particulā, *quasi,* sed sic legitur: *Victimat filium coram patre suo, qui offert sacrificium ex pecunijs pauperum.* Quo intelligi potest, eum, qui offert sacrificium ex sublatis bonis pauperum, in illo ipso actu victimare filium coram patre suo, quia offert Deo Patri pauperum id vnde vita pauperis sustentari debebat. Isti offerentes aliena, titulo pietatis, non ineptè assimilantur Erodio aui immundæ, quæ multis auibus incedens comitata proximiorem inuadit, & discerpit, vt sibi & alijs cibum largiatur. Ita Albertus. 21. de animalibus. Lepidè de his dicunt Hispani: *Hurtar el puerco, y dar los pies por Dios.* *Alber.*

Secundò, sic offerre est reprehensibile: quia qui

qui ita offert dum se honorare Deum putat, potius irridet, & ad iracundiam prouocat in exercitio ipso; quasi profitens Deum esse suarum rapinarum participem & cupidum. Appositè satis Sapiens *in eodem loco* has oblationes appellat subsannationes dicens: *Non sunt placitæ subsannationes iniustorum*. Complutensis æditio, loco *subsannationum*, apponit *Dona*. Vocat dona ex iniquo subsannationes, siue quod per ea potius videantur Deum irridere, quam honorare, cum illum placare volunt aliorum bonis, & ipsum quasi participem & socium sui criminis facere. Egregiè Chrysostom. homilia. 45. super Matthæum, ex cap. 23 *Qualis est illa virtus de sanguine miserorum tollere, & Deo offerre? Illud non est Deo offerre, sed velle violentiæ suæ socium facere Deum*: & D. Augustinus, de verbis Domini sermone. 35. ante medium, tom. 10. *Si deprædaueris aliquem inualidum, & de spolijs eius dares alicui iudici, si pro te iudicaret, tanta vis est iniustitiæ, vt & tibi displiceret. Non est talis Deus tuus qualis non debes esse nec tu.* Quæ verba videtur desumpsisse ex Platone, qui eodem simili adducto, improbat præfatas oblationes. Vnde Socrates apud eundem, cùm Athenienses ita loquerentur iniustè viuendum ac sacrificandum: eorum correxit errorem: Imò verò iustè viuendum & sacrificandum. Chrysost. August.

3 Hinc damnatur abusus aliquorum diuitum, qui per fas, nefasque ingentes congerunt diuitias, & omnia sibi propitia pollicentur, si amplas Ecclesias, ac magnifica templa extruant. Aduersus quos inuehitur Chrysost. *loco citato*. Eodem modo asserendū est de oblationibus, quæ fiunt ex iustè acquisitis, & possessis, sed debitis alias ex iustitiæ debito, id est, legali: quod cōtrahitur per emptionem, venditionem, depositum, & similes cōtractus. Ex his enim rebus oblationes Deo facere nefas est. Ratio est aperta: quia licèt ista possideantur vt propria, tenetur tamen possessor ea facere aliena. Caueant igitur qui grauati sunt ære alieno, ne in testamentis Deo & Ecclesiæ bona sua vel partem offerant; aut verò pro Missis dicēdis, Ecclesijs reparādis, vel pro cultu diuino ampliando largiantur, ne fiant simul iniusti & sacrilegi, sicut latrones, qui de bonis furto sublatis hæc eadem distribuere conantur.

4 *Circa secundam conclusionem* satis prolixè disputaremus, si reuocanda essent in memoriā quāplurima, de quibus iussu legis non poterat fieri oblatio, etiamsi essent licitè possessa; vel propter significationem, aut propter cauēdā Idolatriæ occasionē. Satis nobis sint duo, quæ adducit D. Th. ad secundū, & prohibita sunt offerri. Nēpè prostibuli merces, & pretium canis. *Primum* quidem, quia pollutum, & vile donum est, & ne Sacerdotes talem oblationem acceptando, videātur approbare meretricandi vsum. *Secundum* verò propter significationem. Nam canis significat rapacitatem, & (vt aliqui volunt) symbolum inuidiæ est: & quia Idolatræ canibus vtebantur in sacrificijs Idolorum.

Sed non caret dubitatione, quare, cùm multa animalia munda, & immūda non poterant offerri, licitè verò poterant offerri eorum pretia, & redimebantur, vt habetur Leuitici vltimo: quare (inquam) canis hic excludebatur ab oblatione, vt neque eius pretium poterat Deo offerri. Non propter significationem: quia leo & alia animalia ferocia fortasse peiorem significationem habebant: & tamen eorum pretium non prohibebatur offerri. Non propter occasionē Idolatriæ: quia alijs etiam vtebantur Idolatræ in suis sacrificijs, quorum pretia poterant oblationibus deseruire Caietanus *Deut.* 23. propter vtilitatem canum, & idem dicit esse intelligendum de pretio aliorum animalium immundorum & vilium. Caiet.

Abulensis *super caput. 23. Deuteron.* ait, hanc prohibitionem non esse intelligendam de pretio, quo vendebantur canes, sed de pretio, quod dabatur pro coitu canum cum caniculis. Refert enim Iosephus, & habetur in historia Scholastica fuisse in more, canes venaticos dato pretio caniculis immitti, vt ipsis commiscerentur, & eas impraegnarēt, & hoc pretium, (vt potè sordidum & vile,) non debere offerri ad cultum Dei prohibebat lex: quod pariter intelligendum erat de pretio equorum, aut asinorum propter similem commixtionem cum equabus aut asinis: & huic consonant verba immediatè antecedentia, *mercedem prostibuli, &c.* Abulens.

Ego verò credo, id vetitum fuisse propter cauendam Idolatriam, quæ fortassis illo in tempore, & circumuicinis populis, potissime in canum cadaueribus exercebatur; vt innuit Diuus Thomas *ad secundum*, & tradit Pierius *libr.* 5. dicens quod Romani canes Genetiæ, Græci proserpinæ mactabantur. Apud Argiuos Deæ Cyoniæ. Apud Lacedæmones Marti. Thraces autem cum alibi, tum præcipuè in Zerintho, Samothraciæ antro, nil libentius immolare, & epulari solebant, quam canem. His addo non solùm propter immolationem frequentem canum apud Gentiles, fuisse in veteri lege canum memoriam exosam: verum etiam propter superstitiosam & sacrilegam diuinandi artem, quæ in extis & cadaueribus canum ab Aurusspicibus exercebatur, vt tradit Pausanias asserens, quendam Thrasybulum nomine, in arte diuinandi per cadauera canum peritissimum fuisse. Quare illi in Olympia statua posita est, per cuius humerum dextrum mustela obreperet, & canis dissectus exerto iecinore iuxta positus iaceret. Vt sic significaretur Thrasybuli præstantia in diuinando per canem. Mustelæ autem cor linguæ ieiunæ suppositum fatidicam mentem excitare ferunt Magi. 5 Pierius.

Vel denique in lege veteri adeò exosus fuit canis: quia Dij Lares Gentilium, (quorum apud Idolatras frequens cultus erat,) canibus circumdati sculpebantur, & statuæ eorum caninis pellibus induebantur. Ita refert Pierius *vbi supra*, & Natalis Comes libr. Mythologiæ, capit. 4. & Lilius Giraldus *Syntagmate*. 15. agens de Laribus. Pier. Nat. com. Girald.

Tertia conclusio sufficienter colligitur ad *Titum primò*, vbi habetur, omnem creaturam Dei mundam censeri in lege gratiæ, quando legales illæ prohibitiones euanuerunt, ad Tit. 1.

Circa

6 *Circa quartam conclusionem* aduertere oportet, in ea duntaxat significari, quod licet nulla res sit vetita offerri in lege gratiæ: tamen quia aliquãdo in ordine ad cultum Dei dissonat talem, aut talem rẽ offerri; eius rei oblatio illicita erit; quia caret circumstantia debita secundũ ius naturæ actui in diuinũ cultũ ordinato: non quia eius rei oblatio per se mala aut lege prohibita sit. Quæ, & quot sint hæ circumstantiæ vitiantes actum, vix possunt certo numero comprehendi. Ferè oẽs enumerat Diuus Thomas, in *quarta conc.* omnia nota sunt. Et quando propter scandalum non liceat offerri aliquid, nobis suppeditat multa exempla Syluester verbo, *Decima, quæst. 2. dicto 6.* Syluest. scilicet, quando oblationes fiunt à notoriè diffidentibus, ab opprimentibus pauperem, à raptoribus, ab vsurarijs, à meretricibus, à violatoribus immunitatis Ecclesiæ, à sacrilegis, ab Hæreticis, & excommunicatis. Recipientes enim tales oblationes, vix excusari possunt, quin eis videantur sua approbare crimina. Et in *solutione ad tertium* amplius explicat conclusionem, versans illud testimonium, *Malach.1.* de non offerendo animali Malach. cæco, claudo, aut languido. Quam oblationem ait potuisse esse illicitam ex improportione oblatæ rei ad sacrificium. Propter quod (ait Caiet.) non licet offerre pro sacrificio Eucharistiæ farinam corruptam, aut vinum acetosum, quia immaculato sacrificio sola materia immaculata proportionata est. *Secundò*, ex eo quod res, quãdo contemptibilis est, contemptibilem reddit diuinum cultum, & ideò vestes concubinarum, (vbi sunt cognitæ) non licet transferre in sacras vestes. *Tertiò* ex voti vinculo: nam si quis promisit vitulum, non satisfacit si dat languidum: quia de sano promissio intelligenda est. Hæc exprimuntur testimonio Malachiæ citato. Primum in illis verbis. *Si offeratis cæcum ad immolandum nonne malum est?* Secundum in illis: *vos polluistis nomen meum in eo quod dicitis, mensa Domini contaminata est.* Tertium in illis, *maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino.* Vbi autem quis qualem rem habet, Deo offert & non sequitur aliquid horum inconueniẽtium numeratorum in quarta conclusione & ad tertium, vel similium, benè facit.

7 Non caret dubitatione, lector ingeniose, quare D.Thom. *in quarta conc.* non meminerit expresse de circumstantia vitiante actum oblationis per excessum rei oblatæ, sicut expresse mentionem fecit, maximè ad tertium, circumstantiæ, quæ per defectum vitiat oblationem. *Respondetur* tamen id dixisse in illis verbis: *Vel propter aliquid huiusmodi.* Supponit enim D.Thom. doctrinam communem, omnem actum Religionis vitiari posse non solùm propter defectum, verùm etiã propter excessum; atque idem contingere in oblationibus nihilominus quia rarò cõtingit in his oblationibus per excesũ rei oblatę peccare. tum quia Dijs & parentibus non possumus æquale reddere, tùm quia quæ est hominum cupiditas diuitiarum & exilis inclinatio ad expendendum eas in cultu Dei: ad prodigendum verò in proprijs voluptatibus & commodis vehemens nimis: ideò sanctus Doctor non ita expressit circumstantiam vitiosam oblationis per excessum rei oblatæ, sicut illam, quæ reperitur frequentissimè per defectum. Nos tamen non omittentes & manus conserentes cum hæreticis, disputabimus.

I. DISPVTATIO.

An oblationes, quæ à fidelibus fiunt pro Ecclesijs magnificè extruendis, & ornandis: imò & quæcunque oblationes magnificæ & sumptuosæ pro cultu diuino, & ei annexis sint illicitæ, eò quod per excessum vitiantur?

ET videtur vera pars affirmatiua. Primò ex Hieronymo ad Nepotianum. *Multi* (inquit) *ædificant parietes, & columnas Ecclesiæ substruunt, marmora nitent, auro splendent laquearia, gemmis altare distinguntur:* & infra: *Neque mihi aliquis opponat diues in Iudæa templum, mensam, lucernas, thuribula, patellas, scyphos, mortariola, & cætera ex auro fabrefacta: tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecudum erat redemptio peccatorum: nunc verò cum paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicarit, cogitemus crucem eius, & diuitias lutum putabimus:* & infrà: *Aut aurum repudiemus cum cæteris superstitionibus Iudæorum: aut si aurum placet, placeant & Iudæi.* Ecce tàm sumptuosa ædificatio templorum, tàm exuberans & prædiues ornatus in vestibus, in calicibus, altaribus, potius videtur pertinere ad legem Mosaycam, (quæ de his tulit præcepta, vt videre licet Exod. 25. vsque ad 39.) quàm ad legem gratiæ, quam Christus pauper condidit, & in paupertate fundauit. 8 Hieron. Exo.25. & seq.

Secundò ex Hylario in Epistola contra Auxentium. *Malè* (inquit) *parietum vos amor cepit, malè Ecclesiam Dei in tectis ædificijsq; veneramini.* Item Lactantius lib.2.c.3. laudat Persium Gentilem, qui reprobat aurum in templis; tùm quia neque ipsi parietes sentiunt ornatum illum; tùm quia neq; eo indigent ad finem, ad quem extructi sunt: Vnde clamat Satyra secunda: 9 Hyllar.

Dicite Pontifices, in sancto quid facit aurum?

Et ait Lactantius: *Egregiè, sapienterq; sensit Poeta.* Et de Socrate refert Erasmus *libro 3. Apothegmat.* ipsum asserere Dijs minimis impendijs esse sacrificandum, aut esse colendos, eò quod cùm nõ egeant rebus hominum, magis spectant affectus immolantium quam diuitias. Et infert Erasmus. *Hoc dictum ad nos Christianos pertinet, qui immodicis impendijs ornamus templa, peragimus sacra, & parentalia, gratius facturi Deo, si quod vltra frugalem munditiam superest, fratribus egenis erogaremus.*

Tertiò Ambrosius lib.2. de officijs cap. 28. *Melius fuerat* (inquit) *vt vasa viuentium seruares, quã metallo-* 10 Ambros.

metallorum. His non potest responsum ferri: quid enim diceres? Timui ne templo Dei ornatus deesset. Responderet, aurum sacramenta non quærunt, neque auro emuntur, ornatus sacramentorum redemptio captiuorum est. Item Acacius (vt refert Socrates lib. 7. cap. 11 cũ
Socrat. acusaretur, quod sacra vasa vendidisset propter pauperes respondit. *Deus noster neque vestibus, neq; calicibus eget, quia non comedit, neq; bibit.* Bernardus
Bernard. in Apologia ad Gulielmum Abbatem prope finem: *O vanitas vanitatum: sed non vanior, quàm insanior! fulget Ecclesia in parietibus, & in pauperibus eget, &c.* Item Chrysostomus *homilia. 51. & 81. in Matthaum & 60. ad populum Antioch.* docet multis ver-
Chrysost. bis præstantius esse alere egentes, quam oblationes facere pro fabrica, aut ornatu pretioso templorum. Ex quorum Patrũ testimonijs sumitur

Quartum argumentum pro hac parte. Ordo charitatis postulat ornatum templorum viuorum esse præferendum ei, qui versatur circa templa vitæ expertia. Sed pauperes, qui sunt templa Dei viua (primæ ad Chorint. 3. & secundæ ad
1.Cho.13. Chorinth. 6.) cateruatim abundant iuxta illud
2.Cho. 6. Matthæi. 26. *Pauperes semper habebitis vobiscum*; &
Matt.26. hi egẽt victu & vestitu: ergo ordo charitatis exigit, vt prætermissis oblationib⁹ ꝓ ornatu tẽplorum; maximè si sumptuosus sit donaria in pauperum vsus expendantur. Confirmatur ex eo quod narratur Marci 7. Christum Dominum reprehendisse Pharisæos eò quod relictis parentibus in necessitate constitutis suaderent filios familias offerre donaria in templo, & idem diceret Sapientia Patris si alij egestate premerentur.

Propter hæc argumenta & similia Hæretici antiqui Petrobusiani & Vviclephistæ, vt refert Prateolus, & moderni Lutherani & Caluinistæ, omnes oblationes & donaria pro ornatu magnifico & sumptuoso templorum reijciunt, dicentes dedecere Christi paupertatem. Sit tamen

11 *Prima assertio* aduersus hos Hæreticos. Opus piũ est ex genere suo ad magnificentiam & Religionem pertinens offerre donaria pretiosa & magni valoris pro sacrarum ædium extructione ac reparatione, sumptuosis pro calicibus, candelabris, thuribulis aureis, ac pro omni ornatu pretioso ac permagnifico templorum, ac denique in ordine ad Dei cultum ingentes sumptus facere. Hæc assertio *probatur primo* ex ijs, quæ acciderunt in lege veteri, tũ in ædificatione templi, tũ in fabricandis instrumentis, quorum in sanctuario erat vsus; quæ ferè omnia fabricata sunt ex auro, vel ex alia materia pretiosa, vt patet ex *lib. Exod. & Num.* 7. Principes populi obtulerunt in ornatum tabernaculi pretiosissima dona auri & argenti, & Dauid præparauit pro ędificatione tẽpli tantum auri, argẽti, ac lapidũ pretiosorũ, vt si sacra pagina id nõ attestaretur, incredibile videretur, vt videre licet. 1. *Paralip. vltimo, & penult. & 2. 3. 4. & 5.*
paral. At istæ tam sumptuosæ oblationes satis à Deo approbatæ sunt, & partim ab eo iussæ fieri. Quinimò, quia propter socordiam Iudæorum, templum illud tempore Agæi Prophetæ fermè collapsum non magnifice reparabatur: ipse Propheta in Dei nomine ipsis comminatur sterilita-

tem terræ, inopiam frugum, mortem iumentorum, & alia multa mala.

Respondent Hæretici, illum pretiosum ornatum, eos magnificos sumptus ad legem Mo- 12
saicam pertinere, quæ iam abolita est, non ad Christi legem, qui eam in paupertate fundauit.

Contrà sit secundum argumentum ex gestis in lege gratiæ. Marci. 12. Christus laudauit viduam, quæ misit in Gazophylacium duo æra minuta, idest, Marc. 12.
omnem victum suum. Igitur non sunt reprehendendi, qui donant in Dei cultum partem suorum bonorum: & ibi. 13. dicentibus Apostolis; *Magister aspice quales lapides & quales structura*: (Erat autem sermo de structura templi ab Herode tàm magnificè excitata, vt omnium oculos in se converteret & in admirationem raperet, vt latè narrat Iosephus de antiquitatibus lib. 15. cap. Iosephus.
14.) tunc igitur quando Dominus habuit occasionem reprehendendi magnificos sumptus factos pro templi ædificatione: id non fecit, sed potius doluit de ruina eius futura, neque instruxit discipulos, dicens id licuisse in veteri testamento, non in lege noua, vt dicunt Hæretici Lutherani & Caluinistæ. Item Magdalenam pro vnctione Christi Domini (quod opus ad Religionem spectat & cultum Dei) ter magnam copiam vnguenti pretiosissimi perfudisse testatur Euangelica Historia *Luca.* 7. & in Bethania ante sex dies Paschæ Ioann. 12. & itidem tertio in Luc. 7.
eadem Bethania ante biduum Paschæ in domo Ioan. 12.
Simonis Leprosi fracto alabastro effudisse super caput Iesu recumbentis vnguentum preciosissimum. Ita *Marcus.* 14. Hunc autem cultum & obsequium Christi magno pretio constitisse manifestum est, tum ex vnguenti pretiositate, nimirum *Nardini & pistici*, id est, non adulterati, vel (vt legit Marcus) *spicati*, confecti ex spicis Nardi, quæ confectio pretiosa est. Si cupis autem scire excellentiam Nardini vnguenti, lege Plinium Plinius.
libr. 13. naturalis Historia. caput. 1. Scribit Herodo- Herodo.
tus in Thalia Cambysem Regem Persarum omnium potentissimum donamisisse ad Regem AEthiopum, & inter alia munera alabastrum vnguenti: & Clemens Alexandrinus *in pædagog.* Cle. Alex.
lib. 2. capit. 8. agens de diuersis vnguentorum generibus, quæ in delitijs erant, illud, quod dicitur Nardus, maximi fuisse pretij testatur.

Quod etiam confirmat murmuratio Iudæ 13
proditoris dicentis modicum illius vnguenti potuisse venundari trecentis denarijs: tum etiam quia fractio vasis alabastrini in quo vnguentum seruabatur liberales ac magnificos sumptus mulieris declarat, siue asseras vas dici alabastrum à lapide alabastrite accomodatissimo ad conseruandum vnguenta (vt ait Plinius *libro. 3. cap.* 8.) Plinius.
siue asseras cum Epiphanio in libro de mensuris, esse vasculum vitreum capiens libram olei, mensura verò est sextarij dimidij, appellatur alabastrum propter diaphaneitatem. Sed non magis assentimur Plinio in his.

Quocumque autem modo dicas, plane dignoscitur liberalitas sumptuosa mulieris, quæ non solùm ter tantam vnguenti pretiosi copiam in cul-

in cultum, & obsequium Christi profudit: verum & vasa, quæ pretiosa etiam erant ad plenè effundendum vnguentum fregit. Hoc autem factum vt pium, ac religiosum approbasse Christum Dominum Euangelica narrat historia in locis citatis.

Idem *confirmatur* ex obsequio præstito cadaueri Iesu à Nicodemo, dum in ipso perungendo non minus quam libras centum Mirrhæ & Aloes consumpsit: quæ vnctio non potuit non esse magni & splendidi sumptus, iuxta Isaiæ vaticinium: *Erit sepulchrum eius gloriosum.*

14 Cyril. *Tertio probatur* ex Patribus: Cyrillus Cathech. 14. seu 24. *Isti qui nunc sunt Reges*, inquit, *pietatis ergo argento induentes & auro sanctam hanc Ecclesiam, in qua nunc sumus extruxerunt, & argenteis monumentis splendidam effecerunt*. Gregor. Nissen. oratione in Theodorum valde laudat templum sancti Theodori splendidissimum, ac celeberrimum. Cyrillus initio libri de recta fide ad Regin. laudat erectionem templorum magnis sumptibus ædificatorum: & Theophilactus Marci. 14. in hac re videtur nimius: & infra citandus Theodor⁹. lib. 8. de Græco affe, *cura Martyrum*, ait, *templa conspicua cernuntur magnitudine, que præstantia, omni præterea ornatus genere variata*. (Theoph. Theod:) Aurelianus in vita sancti Martialis ait, *Sanctum Martialem in honorem sancti Stephani consecrasse altare, ipsumque clauis affixisse aureis, ac coronas sex aureas posuisse in circuitu cum totidem lampadibus aureis.* (Aurelian.) Quid multa commemorem? Imperatores ac Pontifices patres pauperum templa amplissima ædificasse, supellectili pretiosa donasse, cultum Dei munificentijs sæpè, ac splendidè exercuisse, & Historiæ sacræ & profanæ testantur: Et qualia essent, quæ ad Dei cultum admouerentur, inde colligi potest, quod etiam lucernæ argenteæ erant tempore primitiuæ Ecclesiæ, vt ex actis pro consularibus apud Augustinum, Epistola. 165. legitur de temporibus Diocletiani. *Et abundas Ecclesias vasis ex auro & argento conflatis.* Optatus etiam tradit contra Parmen. libro primo, nec non idem qui supra Augustinus contra *Crescon. libro. 3. capit. 29.* (Optatus. D. Aug.)

Deinum ratione probatur. Nam (vt ait *Aristo-*
15 Arist. *tel. 8. Ethicorum*) Dijs, & parentibus non possumus reddere æquale, maximè Deo, à quo tot (imo & omnia,) dona accepimus, & capite vltimo, quantumcunque soluamus adhuc manemus debitores. Igitur quantumuis illustria donaria, magnificos sumptus faciamus in Dei cultum & obsequium, non possumus per excessum peccare, nisi aliundè vitium subrepat: de quo statim. *Confirmatur*. Nam ædes permagnificas, apparatus ingentes, solemnes sumptus non reprobamus pro Regibus terrenis. Ergo multò insigniora non dedecent Dei maiestatem. Quare non est audiendus Isidorus Pelusiota Epistola. 174. dum ait, *templa plus quam par sit, exornata esse suis temporibus*: (Isiusi.) Vel interpretandus quando negligitur cura animæ ornandæ. Pariter reijciendus est Polidorus *libr. 6. capit. 12. de rerum inuentione*, vbi obmurmurat de vestibus, sacerdotibus & ornatu diuini cultus. Polid. Habem⁹ igitur aduersus Hæreticos, liberales ac magnificas oblationes pro his, quæ ad Dei cultum pertinent, esse licitas & pias ex genere suo.

Secunda assertio. Istæ magnificæ & sumptuosæ oblationes destinatæ ad Dei cultum, per accidens poterunt vitiari propter aliquam circũstantiam & defectum. 16 Eæ autem vix certo numero comprehendi possunt: nam possunt reddi illicitæ propter curiositatem superfluam, aut non conducentem Religioni: vt si oblationes fiant ad ornanda templa profanis aut inutilibus picturis: de qua re legendus est Diuus Bernardus, in Apolog. citata: si fiant magni sumpt⁹ pro comœdijs fiendis, quæ non excitant deuotionem in diebus festis; aut vero fiant vota de taurorum agitatione in magnis celebritatibus, aut in Sanctorum honorem: aut si in processionibus misceantur sacra profanis; & similia. Bernard. Possunt item reddi illicitæ permagnificæ oblationes, si locus non congruit illis: vt si Ecclesiæ amplissimi spatij ædificentur in desertis locis pro sex aut septem monachis: vt notat Bernard. vbi supra.

Sed potissimè redduntur illicitæ, quia defraudantur egentes, quibus res oblatæ debebantur: vt si fiant oblationes quando quis tenetur iuuare proximum; præcipuè parentes, aut filios, & non potest simul prouidere proximis, & offerre donaria Deo, tunc non rectè facit, si neglectis parentibus vel proximis offerat ad Dei cultum bona sua, quibus proximi, subueniendum esset. *Probatur*. Quia non sunt facienda mala, vt veniant bona, (ad Roman. 3.) Sed in casu supponimus debitam esse subuentionem proximis. Ergo vt cultus Dei stabiliatur non sunt faciendæ oblationes cum detrimento proximorum: & hoc est quod ait Dominus Oseæ. 6. *Misericordiam volo, & non sacrificiũ*: & Marci, 7. reprehenduntur Pharisæi, qui docebant filios familias offerre templo donaria cum detrimento parentum, Oseæ. 6.

Sed quia res hæc magni momenti est, & in praxi multi errores fiunt ab indocta plebe, in particulari enucleandum est, quando istæ oblationes reddantur illicitæ propterea quod non subueniatur proximorum indigentijs. Igitur

Tertia assertio sit. Cæteris paribus melius est
Deo donaria offerre ob eius cultum, quam pauperibus eleemosynas largiri. 17 *Probatur manifestè.* Quia oblationes Deo facere pertinet ad virtutem Religionis, quæ præstantior est misericordia, & alijs virtutibus moralibus, vt docet Diuus Thomas, *supra quæstion. 81. articul. 6.* Secundo, quia Deus infinite homines excellit. D. Thom. Ergo offerre Deo donaria excellit valde oblationes, quæ hominibus fiunt. Dixi tamen, cæteris paribus, quia perfectio & excellentia actus virtuosi non solum pensatur ex genere & obiecto suo,

suo, verum etiam ex circunstantijs: verbi gratia: Ingredi Religionem perfectius est, quàm pietatis opera, aut vxorem ducere, & tamen si pater ingredientis Religionem graui prematur egestate, melius est manere in sæculo ad eius subuentionem. Similiter, siquis vrgeatur validis carnis tentationibus, quibus se resistere in Religione desperet; melius est ducere vxorem, quàm Religionem ingredi.

18 Ex hac assertione colligitur corollarium. Hominibus, & Ecclesiâ constitutis in æquali indigentia, potius oblationes faciendæ sunt Ecclesiæ quàm pauperibus. Ecclesiæ autem indigentia pensanda est in ministris eius, aut alijs necessarijs, in ordine tamen ad Dei cultum. Hoc patet ex tertia assertione: *& declaratur.* Nam si Ecclesia est in extrema necessitate in ordine ad Dei cultum, quamuis alij pauperes sint in eadem necessitate, Ecclesiæ necessitati subueniendum est.

Quæ sit necessitas pauperum extrema, palam fit ex his, quæ in materia de eleemosyna dicit Diuus Thomas, & eius interpretes 2. 2. *quæstione* 32. Explicare autem quæ sit necessitas extrema Ecclesiæ in ordine ad Dei cultum non est adeò facilè. Proportionaliter tamen loquendo ad necessitatem pauperum, ea erit extrema necessitas Ecclesiæ in ordine ad Dei cultum, cũ, nisi subuenitur peribit in hac, vel illa prouincia, aut ciuitate magna ex parte Dei cultus: verbi gratia, corruet totaliter Ecclesia sine spe erectionis, nulla erunt per longum tempus vasa, aut vestes sacræ pro ministerio Altaris, deerunt totaliter sacerdotes, qui sacramenta administrent. In hoc casu, & similibus potius oblationes faciendæ sunt in obsequium Dei, quàm in obsequium hominũ in simili necessitate costitutorum. Similiter Ecclesia & pauperibus in graui necessitate constitutis, potius subueniendum est Ecclesiæ propter eandem rationem: verbi gratia: Est aliqua prouincia, aut ciuitas, in qua Ecclesiæ minantur ruinam, aut totaliter sunt deformatæ, vel desunt vasa sacra argentea, vestes itidem sacræ, & ornatus Ecclesiæ sunt contemptibiles, Sacerdotes cum dedecore status mendicant ostiatim: (quod fortasse in Anglia aut alijs ab Hæreticis occupatis frequenter contingit,) tunc potius ex præcepto subueniendum est Ecclesiæ quam pauperibus in graui necessitate constitutis. Quod fecisse sanctum Franciscum ex eius Historia habemus, quando pro Ecclesia reparanda, quæ minabatur ruinam, omnia bona sua largitus est; & non dubito fuisse tunc pauperum graues necessitates.

19 *Quarta assertio.* Si necessitates pauperum vrgentiores sunt quàm Ecclesiæ, & opes non sufficiant pro vtriusque subleuandis; ex præcepto compellimur relictis oblationibus Ecclesiæ, indigentijs pauperum subuenire; maximè si parentes sint aut filij. Itaque pauperibus existentibus in extrema necessitate, Ecclesia autem duntaxat in graui: putà quia non periclitatur diuinus cultus, vel per paucum tempus periclitatur; quia iam non censetur esse in extremà necessitate; potius tenemur subuenire pauperibus. Quo fit, vt grassante peste in populo, quamuis Ecclesiæ parietes sint decustrati, tecta fermè collapsa, potius pauperum necessitatibus occurrendum est. Idem etiam pari ratione dicendum est, si Ecclesia non prematur grauibus necessitatibus in ordine ad diuinum cultum, pauperes verò sic; maximè si parentes sint aut filij, potius tenemur pauperib⁹ subuenire, quàm Ecclesiæ. Hæc *assertio probatur* primò ex testimonio nuper citato ex Matthæi 15. & Marci 7. vbi Pharisæi à Christo Domino reprehenduntur, eò quod oppositum nostræ conclusionis docebant, & ad hoc propositum adducit illud Oseæ 6. *Misericordiam volo & non sacrificium.*

Secundo. Premente necessitate graui, pauperibus, maximè parentibus, aut filijs, tenentur fideles pietatis vel misericordiæ præcepto subuenire, & propter oblationes Ecclesiæ factas non liberantur ab hac obligatione: ergo pauperibus in his casibus potius subueniendum est, quam oblationes faciendæ. *Maior patet* ex his, quæ dicuntur à Doctoribus in materia de eleemosyna, & ex testimonio citato Matthæi, vbi Christus Dominus reprehendit Pharisæos vt trangressores præcepti, non alterius certè, quàm non subueniendi parentibus in necessitate graui constitutis, occasione offerendi Deo dona. Ipsum autem non loqui de constitutis in extrema necessitate certo certius est: quia non adeo cæcutirent Pharisæi, vt docerent patribus existentibus in extrema necessitate, id est, morti vicinis, non esse subueniendum propter oblationes in templo. *Minor verò manifesta est.* Quia supponimus Ecclesiæ necessitates, vtpote nullas, aut communes, non obligare ad oblationes faciendas: quæ etiam nota est: quia non sunt facienda mala, & præcepta transgredienda, vt inde veniant bona.

Tertio. Qui vellet se coli aut honorari cum dispendio graui sui amici, maximè quando cultus, & honor non est vsque adeo necessarius, neque esset verè amicus, neque verè diligeret: 20
ergo quando cultus Dei non est vsque adeò necessarius (vt in casu conclusionis supponimus) non est de Deo credendum velle, vt sibi oblationes fiant cum graui detrimento egenorum, quos valdè impensè diligit, & potissimè postquam pro illis egenus factus est. *Confirmatur.* Quamuis cultus Dei per se loquendo sit anteponendus beneficentiæ proximi: veruntamen quia Deus nulla re indiget, & quæ illi offerimus vult nobis vtilia esse: ideò tunc Deus à nobis magis honoratur, & fit illi res gratior, quando, quod illi offerimus, est hominibus vtilius. Iuxta tenorem huius assertionis intelligendus est Hieronymus Epistola 12. ad Gaudent. dicens: *Hieron.* *Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum, & nudus atque esuriens ante fores tuas Christus in paupere moritur.* His ita constitutis

21 Quod difficilius diffinietur illud est, an quando Ecclesia habet omnia necessaria ad cultum, aut verò indigentia parua, & communis est; similiter pauperes vel non egent, aut necessitates eorum sunt communes, quid erit præstantius offerre Deo donaria pro cultu diuino aut pro ornatu permagnifico Ecclesiæ, aut verò in eleemosynas expendere pauperum? Casus est frequens in Hispania, vbi ex Dei magnificentissimo dono Ecclesia in ordine ad Dei cultum non patitur graues necessitates; pauperes autem non desunt communibus necessitatibus constituti: verbi gratia, quid Deo gratius erit, Xenodochium pauperum construere, & dotare; an Ecclesiam pretiose ornatam ædificare, vel Capellanias, processione, vel Missarum solemnia instituere? Loquimur autem quando non vrget præceptum siue pro cultu diuino promouendo, aut pro pauperibus subleuandis.

22 Et videtur esse melius ac Deo gratius permagnifica donaria pro Dei cultu offerre; puta pro fabricandis aut reparandis basilicis apparatu opulento, pro calicibus argenteis & aureis, pro vestibus ornatu pretiosis, pro multis Missarum millibus celebrandis, & similibus: primò ex facto viduæ à Christo laudatæ *Marci* 12. eò quod misit in Gazophylacium duo æra minuta, id est, omnem victum suum, vt in Dei cultum expenderetur: & tamen pauperum necessitates, communes saltem, tunc erant. *Marc.* 12.

Secundo, ex opulenta effusione vnguenti, qua ter Beata Magdalena religiosissimè coluit Christum Dominum, vt habetur *Matth.* 26. *Marci.* 14. *Luca.* 7. & *Ioann.* 12. & fremente Iuda, quòd pretium ingens vnguenti non esset datum pauperibus potius, quàm in Christi cultum destinatum, Christus Dominus tutatus est religiosam mulierem, dicens: *Quid molesti estis huic mulieri*, & approbauit factum: *Opus enim bonum operata est in me*, & laudibus extulit inquiens, *Amen dico vobis vbicunque prædicabitur Euangelium istud in vniuerso mundo, & quod fecit hæc narrabitur in memoriam eius*, vel, in laudem eius: & tamen tunc fuisse pauperes ex ipso contextu Euangelij patet: ergo & modo laude dignum est prætermissis pauperibus in Dei cultum magnificos ædere sumptus. *Matt.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 7. *Ioan.* 12.

23 *Tertio*. Theophilactus super capit. 14. Marci hanc tuetur partem dicens. *Confundantur hoc loco, qui pauperes Christo præferunt*: & infra, *Audiant igitur quomodo Christus præfecerat sui curam pauperibus: Christi autem corpus proprie quod in disco aureo, & sanguis qui in poculo. Qui igitur abstulerit discum pretiosum, & cogit vt corpus Christi in viliori ponatur, prætexens scilicet pauperes, sciat cuius partis sit*. Quod autem loquatur extra extremas, aut graues necessitates pauperum, ex verbis illis, *prætexens*, colligitur, id est, non coactus, sed assumens occasiones quod pauperes sint. *Theoph.*

Quarto argumentor ratione. Nam opus religionis præstat, cæteris paribus operibus misericordiæ in pauperes, quia ad præstantiorem virtutem pertinet: Ergo quando neutrum opus est in præcepto, opus religiosi cultus præferendum est.

Quinto. Nazianzenus laudat Gorgoniam oratione 11. in laudem ipsius, quod sumptuosis donarijs templa exornabat. Et Crancius in histor. Boem. laudat quod totum patrimonium obtulisset Ecclesiæ, vt diuinus cultus promoueretur. Hieronymus Epistola ad Nepotian. *Multi ædificant parietes & columnas Ecclesiæ, substruunt marmora, nitent auro laquearia, gemmis altare distinguitur*. Et omnes Patres citati in tertia probatione primæ assertionis hanc partem stabiliunt. *Nazian.* *Crancius.*

Sexto: nam Imperatores ac Reges Christianissimi templa permagnifica erigentes, ac supellectili pretiosa ornantes nunquam satis laudantur. Et tamen certum est tunc pauperes extitisse, qui nunquam neque alicubi defecerunt. De Constantini liberalibus in Dei cultum oblationibus lege Damasum *in vita Syluestri*. Eusebium, *libro* 3. & 4 *de vita constantini*, & Platinam *in Syluestro de Carolo Magno*, Abbatem Vrspergensem in Chronico. De Pontificibus item Iulio, Damaso, Leone, Simmacho, & alijs, qui ante mille annos floruere, in eorum historijs leges quam pij fuerunt in ædificandis ac ornandis magnificis Ecclesijs: & tunc pauperes erant, & ipsi patres pauperum. 24 *Damas.* *Euseb.* *Platin.* *Vrsperg.*

Septimo. Oblationes quæ fiunt pro pretioso ac magnifico templorũ ornatu, vasis, calicib', ornamẽtis, &c. incitant ad reuerentiã diuinorũ, deuotionem populi excitant, & diutius permanent. At eleemosynæ pro alendis pauperibus cum ipsis pereunt, & obliuioni traduntur. Ergo melius est oblationes facere pro ornandis sumptuose Ecclesijs, quàm pro pauperibus reficiendis erogare. *Confirmatur* valdè in oblationibus, quæ fiunt pro Missis perpetuò dicendis, quæ vltra effectus præfatos prosunt ex opere operato, pro viuis ac mortuis.

Pro parte opposita, esse præstantius eos sumptus in pauperum eleemosynas erogare, faciunt *primò* omnia Patrum testimonia citata in argumento 3 quo conabamur probare non esse licitum ingentes sumptus facere in cultum Dei. Quæ si non probant intentum hæreticorum, saltem videntur probare esse perfectius in vsus pauperum expendere. 25

Secundo. Hieronymus in Epistola 8. ad Demetriadem videtur hanc versare quæstionem, & ait: *Alij ædificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum, crustis columnarum moles aduehant, earumque deaurent capita pretiosum ornatum non sentientia, ebore, argentoque valuas, & gemmis aurata distinguant altaria: non reprehendo, non abnuo: vnusquisque in suo sensu abundet. Meliusque est hoc facere, quàm depositis incumbere. Sed tibi aliud propositum est, Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus, &c.* In idem inclinat præfatus Hieronymus in Epistola 27. ad Eustochium de Epitaphio Paulæ matris, & D. Chrysostom. homil. 51. in Matth. in hanc partem incumbit: & homilia 8. *Hieron.* *Hieron.* *Chrysost.*

lia.8. post multa ait: *Ita & tu si praeparasse quosdam vasa videris sacra, aut ornatum quendam alium circa parietes Ecclesiarum & pauimenta confecisse, noli reprehendere, aut remundari iubere quod factum est, ne animum eius qui fecit perturbes: si verò antequam fecerit te consuluerit, pauperibus offerre iubeto*: & homilia 60. ad populum Antioch. ait: *Neque enim aureis vasis Deus eget, sed aureis animalibus; & hac duo non prohibens huiusmodi oblationes fieri, suadens autem cum his & ante has eleemosynam exhiberi. Siquidem & hac suscipit, sed illam multo gratius.* Ex his verbis colligo, nō benè interpretari quosdā Chrysostomum, quod loquebatur quando pauperes grauibus prementur necessitatibus: nam tunc nullo modo gratum erit Deo relictis pauperibus circa ornatum Ecclesiæ pecunias expendere. Agit igitur Chrysostomus, quando cessant necessitate pauperum graues, abundant autem communes, & vtroque in loco conatur dissoluere argumentum secundum factum pro parte opposita dicens Christum Dominum noluisse perturbare Magdalenæ deuotionem erga Christi cultum, & ideò ab eius increpatione discipulos cohibuisse; si tamen ante factum consultus esset, doceret in pauperes pretium vnguenti expendi sibi multo gratius futurum.

26 Antequam formemus argumentum, præmittendum est, nos in præsentiarum non considerare subuentiones pauperum vt præcisè sunt opera misericordiæ. Isto enim modo opera Religionis præstantiora sunt, verū etiam vt ad benefacientem spectat, quæ complectuntur opera charitatis in proximos, quo modo non est dubium esse præstantiora quàm opera Religionis, vt aperte colligitur Marci. 12. ex dicto cuiusdam Scribæ inquientis: *Diligere proximum tanquam se ipsum maius est omnibus holocaustomatibus & sacrificijs*; & Christus adiecit illum sapienter dixisse. Quinimò non tantum loquimur de subuentione pauperis isto pacto, verum etiam vt ad cultum Dei pertinet, vt iam paramus dicere.

His praemissis probatur hac pars. Subuentio, quæ fieret Christo Domino pauperi, dum vitam mortalem agebat, ad Dei cultum pertinebat, & ille omnium perfectissimus & gratissimus. Sed quando subuenitur pauperibus propter Christi amorem, ipsi Christo subuenitur. Ergo talis subuentio ad Dei cultum pertinet ipsi pergratum. *Maior* clarior luce est. *Minor* verò paradoxum incredibile apparet. Nec mirum, nam tale apparebit in die Iudicij, vt narratur Matthæi 25. ex quo testimonio probatur

Matt.25. minor. Dicit enim ibi Dominus alloquens iustos: *Venite benedicti Patris mei, possidete vobis regnum paratum. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me, &c.* & subditur: *Tunc respondebunt ei iusti quasi admiratione percussi, ignorantes quomodo ista facerent: Domine, quando te vidimus esurientem & pauimus, sitientem & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te? &c.* & respondit Christus: *Amen dico vobis quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis mihi fecistis.* Ecce largitio eleemosynæ; quæ fit pauperi, ipsi Christo fit, non solùm quia ob eius amorem fit, quia multa alia bona egerunt iusti propter Christum, & tamen non dicunt esse facta ipsi, neque etiam quia ipse suscepit curam præmiandi eleemosynas in pauperes, quia etiam ipsi incumbit præmiare omnia bona opera iustorum: verum etiam, & potissimè, quia postquam pro nobis egenus factus est, voluit pauperes eius personam repræsentare, & in pauperes quodammodo inuestiri, sic adeò vt qui illis porrigeret eleemosynam, maximè pro eius amore ipsi diceretur porrigere, & qui illis subueniret, ipsi videretur subuenire. Igitur sicut in humanis, qui colit eum qui repræsentat Regem, verbi gratia, iudicem regalem aut statuam, Regem colere dicitur & honorare: ita qui subuenit pauperibus propter Christum, ipsi Christo dicitur subuenire, & eundem colere in pauperibus, qui repræsentant pauperē Christum ex eius voluntate & munificentissimo dono erga pauperes.

Huic repræsentationi Christi in panperibus attestantur quàm plures historiæ, vbi narratur ipsum Christum in effigie pauperis apparuisse, & petijsse eleemosynam, & etiam vestitum apparuisse veste donata pauperi, vt significaret sibi esse donatam, & ac si donaretur sibi, gratum fore. Inquire historias. An verò hoc sit peculiare donum & speciales 27 deliciæ pro lege gratiæ, alijs censendum relinquo

Quod si quis contendat, hanc subuentionem pauperum tantum esse actum imperatum Religionis, non elicitum, nolo cum eo contendere, modò asserat Christum in pauperibus coli quando illis subuenitur: eò quod ipse in eis repræsentari voluit, & asseruit pietatem, quæ in ipsis exercetur, in eo exerceri, & illi fore gratissimum: & fortasse ad hoc alluditur ad Hebr. 13. quando dicitur: *Beneficentiae, & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus.* Oblationes appellat & sacrificia eleemosynas pauperum, & Deo acceptissimas. Nimirum quia in eis impensè colitur Christus, vt explicatum est. *Heb.13.*

Quod verò iste modus colendi Christum in pauperibus sit illi gratior, quàm ædificando Ecclesias, donando calices aut vestes sacras, & alia huiusmodi, si cætera sint paria. *probatur tertio*, quia magis commendatus à Christo in iudicij vniuersalis tremendo die, & æquiparatus ei subuentione, quæ illi fieret, dum degebat in vita mortali, quam esse gratiorem & præstantiorem, quam ædificare Ecclesias, aut donare calices, nulli dubium esse debet.

Quartò probatur ex praxi Christianorum piorum, maximè primitiuæ Ecclesiæ, aut ei proximæ, qui inter potissimas curas reponebant Gazophylacia in quotidianum vsum pauperum destinare. Paulus præcipue in hac re multus fuit, vt ha- 28 *Actor. 11.*

vt habetur *Actorum 11.& prima ad Corinth.capit.16.* collectam eleemosynarum pro pauperibus in die Dominico fieri instituit dicens: *De collectis autem, quæ fiunt in Sanctos, sicut ordinaui Ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite per vnam Sabbathi.* &c. Et D. Cyprian.de oper.& eleemosyn. *Locuples & diues es* (ait) *& Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omninò non respicis,* Corbona à Cypriano nuncupantur Gazophylacia, in quibus oblatæ pecuniæ conderentur pro pauperibus, vt ibidem videre licet. Videndi sunt etiam Iustinus martyr oratione ad Anton. Pium, & Paulinus *in Epist.32.* Igitur Apostolica institutio fuit collectā indicere in Ecclesia die Dominico pro pauperum subuentione, & inde promanauit eadem consuetudo in Ecclesia Romana: ita vt Summi Pontifices pro concione ad id hortarentur, quod demonstrant quam plures S. Leonis Papæ sermones pro collecta inscripti, & in quinto ait: *Et ideo dilectissimi satisfiat Apostolicis institutis, & quia die Dominica prima est futura collectio, omnes vos deuotione voluntariè præparate, vt vnusquisque secundum sufficientiam habeat in sacratissima oblatione consortium.* Eandem consuetudinem restaurauit & ampliauit Constantinopoli D. Chrysostom. habens de hac re insignem concionem inscriptam de eleemosyna & collectione: in qua more maiorum collectam die Dominico esse faciendam præcepit.

In hac controuersia diffinienda valde anceps diu permansi, modo in hanc, modo in illam partem vacillans: & antequam meum de hoc
89 iudicium proferam præmonere lectorem cupio *primo*, meam hanc disputationem procedere seclusa necessitate Ecclesiæ, & pauperum necessitatibus grauibus exclusis, nam his admissis quid sit dicendum in 1.2.3. conclusionibus expressi, quando præceptum vel benefaciendi pauperibus, vel Ecclesiæ subueniendi vrget. *Secundo* disputatio procedit quando opes donatæ pro vtroque officioso opere non sufficiunt, nam si suppetant & Ecclesiam ornare, ac diuinum cultum magnificare, & simul pauperibus subuenire præstantius puto, vt eleganter docet D. Ambros.*lib.1.officiorum,cap.21.*& refertur Can. *Pulchra, dist.86.*& Optatus lib.3.laudat Constantē Imperatorem, qui cum in Africam mitteret eleemosynas pauperibus: miserit domibus Dei ornamenta.

Ambros.

Optatus.

His præiactis existimo seclusis necessitatibus Ecclesiæ, & pauperum necessitatibus grauibus, id est, quando Ecclesia habet omnia necessaria ad cultum Dei, etiam magnifice peragendum, & pauperes non premuntur necessitatibus grauibus, esse præstātius opus, ac Deo gratius oblationes facere pro Ecclesiarum fabricis sumptuosis, pro ornatu permagnifico, quàm pro pauperibus alendis, aut reficiendis: si sint tamen cætera paria. *Moueor potissimè*, quia in illis oblationibus Deus immediate colitur & in se ipso: in pauperum verò subuentione, in alijs, & per quandam repræsentationem: verbi gratia: In ædificatione Basilicæ, in calicum fabrefactione Deo præparatur mansio: in pauperū eleemosynis non itidem. Dixi, si sint cætera paria, nam si Ecclesia abundet suppellectili pretiosa, melius puto ædificare Xenodochium pro pauperibus, quam superaddere ornamentum Ecclesiæ, aut aliam de nouo ædificare: quia pro subleuandis pauperum necessitatibus grauibus quæ timentur futuræ ædificatur, & donatur. Secus erit si non timeantur tales necessitates, quia hospitalia creuerūt in magno numero, quamuis sint multi pauperes mendicantes ostiatim.

Ad primum pro parte D. Chrysostomi respondetur, intelligendum esse quando premunt graues necessitates, aut extremæ pauperum, & Ecclesia habet necessaria, aliàs non. 30

Ad secundum respondetur similiter. Et quidem D. Chrysostomus lubrice loquitur miscens sermonem de pauperibus existentibus in graui necessitate: nihilominus in nostro casu in fauorem pauperum inclinat, & D. Hieronymus etiam loco citato. Nos verò moti rationibus pro alia parte factis procedimus.

Ad tertium respondetur, admittendo subuentionem pauperum, vt repræsentant Christum pertinere ad Christi cultum, siue elicitiue siue imperatiue non moror: cæterum non pertinent ad Christi cultum in propria persona, sed in alijs, quæ ipsam repræsentant: at donare calices, conficere ornamenta, Missarum numerum celebrare, pertinent ad Christi cultum in se ipso. Quare in suo genere præstantior cultus est.

Ad Quartum respondetur; non probare contra nos, qui ad sydera vsque extollimus subuentionem pauperum. Maximè quia non desunt ferè semper, aut timentur graues necessitates: sed præferimus Dei cultum, quando istæ absunt.

Superest modò respondere ad argumēta quæ facta sunt initio dubitationis, quatenus improbare videntur oblationes sumptuosas pro Ecclesiarum fabrica & ornatu, & alijs quæ ad cultum diuinum pertinent. 31

Ad primum sumptum ex testimonio D. Hieronymi ad Nepotian. quod subobscurum est, ex alijs eiusdem D. Hieronymi declarandum est. Ipse namque nequaquam ornatum pretiosum damnasse ex Epistola eius 8. ad Demetriadem apertè colligitur, dum ait: *Non abnuo, non reprehendo*, & in Epistola ad Nepotianum quasi ad iram excitatur aduersus eos, qui magnam habentes curam templi materialis, spirituale ædificium negligū, maximè eligēdo ministros non idoneos. Quod colligitur ex verbis subiunctis: *& ministrorū Christi nulla electio est.* Iudæorum ergo ingenium & praxis fuit magnam habere curam circa ædificiū templi materialis, & nullam circa ædificium templi spiritualis, maximè in non eligendo ministros idoneos: & his dicit Hieronymus assimilari Christianos, qui magna adhibita cura circa ornatum externum templorum, nullam habent circa ornatum animarum spiritualem, maximè circa electionem ministrorum: Item Iudæorum ingenium & mores fuere, confidere in ornatu externo templi, neglectis bonis moribus,

Hieron.

& anim æ

& animae ornatu, & hos reprehendit Hieronymus (& merito) non solum in testimonio citato: verum etiam explicans illam autoritatē Hieremi: *Nolite confidere in verbis mendacij dicentis: templum Domini, templum Domini*, sic ait, *praecepit & tūc populo Iudaeorum, & hodie nobis, ne fiduciam habeamus in aedificiorū splendore, auratisque laquearibus, & vestitis parietibus marmorum crustis, & dicamus, templum Domini, templum Domini est.* Hieron

Ad illud vero quod ibidem tetigimus Christum pauperum vitam inopem amasse, & in paupertate suam Ecclesiam fundasse respondetur. Quando Christus in mortali vita degebat recusauit regna, pompam regalem, & paupertatem amplexus est, quia venerat mundum redimere per labores ac dolores. Ac postquam iam gloriosus regnat in Caelo, eum habere decet domum magnificam, splendidam ac omni supellectili pretiosa ornatam.

Mitto modò, quod etiam apud nos habitans non repudiauit aliquando sumptuosa obsequia: tum in signum suae diuinitatis ac maiestatis: tum ad nutriendam piorum deuotionem: vt patet Matth. 21. quando ingressus est solemni pompa Hierusalem arboribus suis ramis expoliatis, vestibus pedibus asini stratis ac conculcatis, & forMatt. 26. tassè laceratis: & Matth. 26. & Ioan. 12. libēter acIoan. 12. ceptauit obsequium sumptuosum pretiosi vnguenti super eum effusi.

Ad secundum ex Hylario respondetur. Mirum
23 est haereticos non erubescere illud testimonium pro se adducere, cum cuique legenti statim palàm fiet Hylarium non agere de ornatu templi, sed in eos inuehitur, qui in templo haereticum Episcopum, id est, Auxentium audiebant, eò quod existimarent, ibi tantùm esse veram Ecclesiam, & verum Episcopum, vbi erat templum Deo sacrum: & non considerabant templa saepè ab Haereticis occupari, & veros Catholicos saepè vel in cryptis, vel in desertis commoratos. Ad Lactantiū respondetur, ipsum agere aduersus Gentiles colentes muneribus statuas & sculptilia vt veros Deos. Quod ineptū erat cum non sentirent, aut vllam ex eis caperent voluptatem. Noster autem Deus, cuius templa ornamus, & sentit eius domus ornari, & in hoc sibi complacet, & praeterea ex tali ornatu fideles ad deuotionem excitantur. De Socrate autem (vtpotè Gentili) parum curamus, & multo minus de Erasmo, si non Haeretico, patrono Haereticorum.

Ad tertium ex Ambrosio respondetur,
33 illud testimonium multa habere contra Haereticos, nihil contra nos. *Primo* Ambrosius dicit vasa aurea Ecclesiae non debere alienari, nisi in magna pauperum necessitate. Igitur Ecclesia eo tempore laudabiliter vtebatur vasis aureis, siquidem extra magnam pauperum necessitatem conseruanda erant. *Secundo* dicit. Si vasa sacra vendenda essent, potius debere conflari, & per partes vendi. Haec & alia quae ibi dicit probant vsum vasorum pretiosorum in Ecclesijs. Ambrosius itaque approbat vsum vasorum aureorum in Ecclesia, & dicit ea esse vendenda quando vrgent graues necessitates pauperum: quod nos concedimus. Vnde subditur. *Nonne dicturus est Dominus; cur passus es tot inopes mori fame, & certè habebas aurum, de quo ministrasses alimoniam? cur tot captiui in captiuitatem ducti, nec redempti ab hoste occisi sunt?* Verba autem illa, *aurum sacramenta non quaerunt*, &c. quae referuntur 12. quaestion. 2. capit. *Aurum*, explicanda sunt. Primò non quaerunt ad sui efficaciam; non enim minorem efficaciam habent si in alterius metalli vase conficiantur: vel non quaerunt ad hoc vt magis placeant Deo. Non enim ex eo quod in auro conficiuntur magis placent Deo, neque displicent quia in auro fiunt, sed potius ad Dei cultum religiosè adaptantur. Ad Acacij factum respondetur similiter. Nam cum Ecclesia illius abundaret vasis aureis (vt ibi scribit Socrates) & instaret magna quaedam necessitas redimendi captiuos: ille sanctus Antistes vendidit partem vasorum, & redemit quinque millia captiuorum. Illa autem eius verba. *Deus noster non eget discis, neque calicibus, quia non comedit, neque bibit*, significant, ista vasa nullum Deo emolumentum afferre, sed haberi in Ecclesia ad honorem Dei, & nostram vtilitatem. Et ideò quando occasio se offert, qua possunt esse vtiliora si vendantur, debent vendi; quia hoc erit Deo gratius & magis honorificum, vt luculenter tradit Ambrosius vbi supra.

Pariter respondetur ad D. Bernardum, vt expresse colligitur ex eius testimonio. Item: in ea Apologia inuehitur aduersus Cluniacenses, qui in suorum templorum ornatu non apponebant debitas circumstantias, putà quod quęstus causa humi imagines sculperent, quod miscerent profana sacris, & similia, quae legenda sunt in Apologia citata. Ad D. Chrysostomum respondetur, quod loquitur quando sunt graues necessitates pauperum, & Ecclesia habet necessarium ornatum: vel quod ipse sentit esse Deo gratius caeteris paribus oblationes facere pro pauperibus quàm pro ornatu Ecclesiae. De quo satis superque supra diximus. Nequaquam autem improbat cultum pretiosum Ecclesiarum, sed potius approbat: vt videre est apud ipsum.

Ad quartum respond. Primo id non probare oblationes quae fiunt pro ornatu templorū & cultu 34
diuino esse improbandas: sed esse illis anteferēdas, quae fiunt pro pauperibus caeteris paribus. Quam sententiam sequitur Chrysostom⁹ citatus Chrys.
& alij. *Secundo respondetur:* Si ornatus templorum viuorum & mortuorum in ipsis sisteret, citra dubium ornatus templi viui esset praeferendus; tamen non sistit in ipsis, sed quando ornatur templum materiale Deus colitur immediatè: quando autem ornatur pauper aut alitur, colitur Deus mediatè, & tantùm imperatiuè, non elicitiuè. Quare caeteris paribus praeferendae sunt obla-

tiones pro cultu Dei quàm pro subuentione pauperum. *Ad confirmationem respondetur*, ex eo testimonio non reprobari oblationes permagnificas pro cultu Dei, nisi in casu quo adessent graues necessitates pauperum, & vtrique non posset satis fieri, quod nos concessimus. Nequaquàm autem patimur largas, & liberales oblationes pro cultu Dei execrari sicut Hæretici faciunt.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum ad primitias soluendas homines teneantur?

1 CONCLVSIO est affirmatiua. Probatur ex Can. *Decimas*. 16. quæst. 7. & præterea in lege veteri ex Exodo. cap. 25. in lege autem noua per determinationem Ecclesiæ, ex qua homines obligantur secundùm consuetudinem patriæ, & indigentias ministrorum.

Quamuis variæ ac multæ possent differentiæ & diuisiones oblationum designari proportionaliter ad ea, quæ de diuisione sacrificiorum in præcedenti quæstione docuimus: tamen cùm in eis nil annotatione dignum inuenerit D. Tho. *in hoc articu*. 4. tantùm disserit de quodam oblationum genere, quæ Primitiæ vocantur: tùm quia celebres habebantur istiusmodi oblationes in veteri lege: tum maximè, quia Ecclesia Christiana nomen & rem Primitiarum vsurpauit & retinuit. Et ab Etymologia vocabuli incipientes sciendum Primitias a primitate dictas esse, quæ attenditur, primò ratione temporis: quo pacto Christus dicitur Primitiæ dormientium. 1. *Corinth*. 15. eo quod priùsquam cæteri ad immortalem vitam resurrexit. [1. Cor. 15.] Et Apostoli dicuntur Primitiæ spiritus, *ad Rom*. 8. quia priùsquam alij Christiani accepere Spiritus sancti gratiã, & ad Christũ primò sunt conuersi: [Ad Ro. 8.] & Filij primogeniti vocantur Primitiæ isto pacto. *Psalm*. 77. *&* 104.

[Psal. 77. & 104.] Secundo Primitiæ dicuntur à primitate dignitatis & valoris. Res selectæ & præstantiores alijs quamuis non præcedant alias tempore. Ita habetur *Exod*. 25. *&* 35. *Numer*. 18. *Ezech*. 4. *&* 48. [Exod. 25. & 35. Num. 18. Ezech. 4.] Sed D. Thom. non agit de Primitijs in tanta amplitudine, & varietate, in quanta fit sermo in sacra Scriptura, sed vt erant quædam res oblatæ de primis terræ fructibus singulo quoque anno: quarum oblationes, & eas offerendi ius permansit in lege Euangelica. Nam hæ magis propriè & strictè primitiæ appellantur: quas esse in in vsu ante legẽ latam, in lege scilicet naturæ, non inuenio expressum in sacra Scriptura: quamuis quidam oblationes Cain & Abel contendant esse Primitias, quia de primogenitis & optimis terræ frugibus. Existimo autem non esse ita appellandas, sicut neque oblationem primogenitorum quorumcunque præceptam in lege.

2 Apud Gentiles etiam in vsu fuisse primitias reor, cùm apud Plinium *lib*. 18. *cap*. 2. legatur Romanos nihil antea de humi nascentibus degustare, quam sacerdotes nouarum frugum, ac vini primitias libarent. [Plinius.] Et apud alios multos idem legitur, vt videre licet apud Tiraquellum in *præfatione de primogenijs à numer*. 69. *vsque* 73. [Tiraquel.] De primitijs autem istis multa reperio quæ in alijs oblationibus non reperiuntur. *Primo* esse lege veteri præceptas, patet *Exod*. 22. *&* 23. & quoad manipulos spicarum. *Leuit*. 23. & absolutè *Numer*. 18. *&* *Malach*. 3 offensionis rei declarantur, qui non soluebãt Primitias: [Exod. 22. Leuit. 23. Num. 18. Malac. 3.] Aliæ autem oblationes non erant in præcepto, saltem vt annualiter soluerentur. Primitiæ quotannis soluendæ, de quibus agimus (alijs omissis) in Pentateucho tantũ legitur esse pendendas de vniuersis frugibus, quæ gignit humus. *Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti* (inquit Moyses) *in nomine Domini*. & 2. Paralip. 31. idem habetur. [2. Par. 31.] De pecoribus autem soluendas esse non lego in Pentateucho, quamuis *Ezech*. 45. id habeatur. [Ezec. 45.] Quare credendum est semper de pecoribus solitas fuisse persolui.

In qua autem quantitate in eodem capite habetur sub his verbis: *Hæ sunt primitiæ, quas tolletis: sextam partem ephi de coro frumenti, & sextam partem ephi de coro hordei. Mensura quoque olei, batus olei decima pars cori est, & decem bati corum faciunt, quia decem bati implent corum*. Pro quorum verborum expositione, quæ obscura sunt, notare oportet ex Hieronymo super præfatum caput Ezechielis, [Hieron.] quod *corus*, qui inter omnes mensuras Hebræorum tenebat principatum, habet triginta modios, & erat mensura liquidorum & aridorum: *Ephi* autem erat decima pars *Cori*, id est, tres modij in ijs, quæ modio mensurantur, id est in aridis, verbi gratia, tritico, hordeo, & leguminibus: *Batus* autem, siue *vadus* eadem mensura est, quæ *ephi*, est namque decima pars *Cori*: sed in speciebus liquidis: vt in vino & oleo.

His suppositis Hieronymus adiungit, & refertur *extra de decimis. cap*. 1. 3 At verò primitiua, quæ de frugibus offerebant, non erant speciali vni modo definita: sed offerentiũ arbitrio derelicta, traditionemque accepimus Hebræorum non lege præceptam, sed magistrorum arbitrio inolitam, qui plurimum, quadragesimam partẽ dabant sacerdotibus, qui minimum, sexagesimã. Inter quadragesimam & sexagesimam licebat offerri quodcumque voluissent. Quod igitur in Pentateucho dubium derelictum est, hic specialiter definitur propter Sacerdotum auaritiam, ne amplius à populo exigant in primitijs deferendis, id est, vt sexagesimam partem offerant eorum, quæ gignuntur à terra. Si enim Corus, triginta habet modios, tàm in aridis speciebus quam in liquentibus, Ephi quoque & Batus decima pars est cori, præcipiturque vt sexta pars tã Ephi quã Bati detur Sacerdotibus in præmijs offerendis, quæ de tribus modijs dimidium facit modiũ: perspicue supputatur, sexagesimã partẽ primitiarũ Sacerdotes accipere debere. Quod verò attinet ad animalium primitias subdit Propheta: *Et arietẽ vnũ de grege ducẽtorũ, q̃ nutrit Israel*.

Positus

Positus est aries pro omni animantium genere mundorum. Itaque sicut sexagesimam partem tenebantur soluere de his, quæ appenduntur aut mensurantur: sic ducentesima pars animantium iubebatur offerri. Fortasse primitiæ animantium minores erant, quia Hebræi de animantibus multa tenebantur conferre pro diuino cultu. Omnia primogenita, Numeror. 18. & omnia sacrificia, quia aliquæ eorum partes pertinebant ad Sacerdotes. De frugibus autem pauca iura ad Sacerdotes pertinebant.

4 *Tertio.* In oblatione primitiarum speciale erat motiuum, & causa oblationis talis. Fuere autem duæ causæ, seu motiua. *primum* ponitur à Diuo Thom. *in corpore, & ad secundum*, nempè in recognitionem diuini beneficij, quasi profitendo se à Deo fructus terræ percipere, vt omnium autore & primo influente in terræ germina: & ideò se teneri ad aliquid huiusmodi Deo exhibendum, iuxta illud 1. Parali. vltimo. *Quæ de manu tua accepimus reddimus tibi.* Et hoc satis explicatur Deuteron. 25. *Secunda causa*, seu motiuum solis Hebræis quadrabat, scilicet, propter possessionem terræ promissionis, & fructus in ea perceptos, vt clarè dicitur in eodē loco Deuteronomij.

1. Par. vl. Deut. 25.

Quarto. Primitiæ offerebantur cum peculiaribus cæremonijs, quales non fiebant in alijs oblationibus. Cæremoniæ autem videndæ sunt in loco citato ab illis verbis: *Suscipiens Sacerdos cartallum, &c.*

Quinto. Primitiæ ad iura Sacerdotum duntaxat pertinebant, sicut decimæ ad Leuitas Nu. 18. & Ezech. 45.

Num. 18. Ezech. 25.

Hæc reperio esse seruata in lege veteri circa oblationem primitiarum. Lex autem gratiæ nomen & rem primitiarum retinuit: sed non
5 decuit vt eædem conditiones omninò seruarentur, licet enim Ecclesia occasionaliter, & exemplariter mota fuerit ad instituendam primitiarum solutionem ex ijs, quæ acciderant in lege veteri: tamen ipsarum institutio de nouo facta est ab Ecclesia Canonico iure, vt quæstione sequenti videbimus. Motiuum autem seu causa fuit. *prima* in recognitionem quod Dei munere accipimus fructus terræ, de quo supra. Et hæc causa; seu motiuum nobis commune est & Hebræis. *Secunda causa*, itidem communis, pro sustentatione ministrorum, sicut decimæ. Cùm enim hæc sustentatio necessaria sit, Ecclesia iudicauit conueniens ad iura soluenda instituere, quæ extiterant in veteri testamento. Inter quæ ius primitiarum solemne erat. Sunt igitur primitiæ præceptæ in iure Canonico. 3. *quæst.* 2. *cap. Præter*, ex mandato Alexandri Papæ. & 16. quæst. 7. cap. *Decimas* ex Greg. VII.

6 De quantitate vero in lege gratiæ mirabile est quomodo antiqui Iurisperiti dissentiant: sed sine firmo fundamento. Quos refert Abulensis *super caput* 23. *Matthæi, quæstion.* 220. Dicendum tamen. In iure Canonico, (à quo institutæ sunt Primitiæ in lege gratiæ) nulla certa quantitas determinata est. Vnde consuetudini standum est. Quod si non constat, ad vicinarum Ecclesiarum recurrendum est consuetudines. Quæ si variæ sunt, mitior est elegenda: (vt colligitur *ex ff. de legatu in lege.* 3.) vel illa, quę magis tendit ad mediocritatem. 10. *quæstione* 2. *cap. Hoc ius.* communior consuetudo in Hispania est, quod si alicui frugum modij vltra decem obuenerint, vnum Primitiarum nomine soluat, nec plus, quamuis infinitus numerus modiorum accrescat. Et alijs locis magis tenuis est solutio.

Abul.

Denique pro regula habeto. Tàm in quantitate, quàm in speciebus rerum, de quibus deberent solui primitiæ, non teneris soluere, si consuetudo sit vallata eis conditionibus, quæ faciunt eam potentem ad tollendam obligationem legis positiuæ. Nam aduersus diuinam, neque consuetudo, neque præscriptio aliquid valet.

Ex eodem fundamento, primitias scilicet, in lege gratiæ non esse debitas iure diuino, colligitur non esse soluendas, illis cæremonijs adhibitis, quibus earum oblatio in lege veteri vestiebatur.

Sed dubitat quispiam, anne omnes tam clerici, quam laici, & religiosi teneantur primitias soluere, & quibus? 7.

Dico primo. Certum est omnes laicos teneri. Patet ex iuribus citatis.

Dico secundo. Clerici non tenentur ex bonis Ecclesiasticis primitias soluere. Patet, quia sunt illa bona libera ab omni onere, vt infra de decimis loquentes videbimus.

Dico tertio. Neque de bonis patrimonialibus. Hoc dictum non est tam certum sicut præcedentia. *Probatur tamen*: quia onus soluendi primitias in lege gratiæ non est onus reale, sicut erat in veteri lege, sed in præceptis latis de soluendis primitijs in iuribus citatis solum imponitur laicis, qui intelliguntur nomine populi: ergo, &c. Idem dico de religiosis, qui etiam clerici sunt.

Demum, in calce *articuli notandum est*, primitias ex iure Canonico sacerdotibus deberi, Parochis præcipuè, vt probat Didacus Perez de decimis agens, columna 210. & probat ex capite *Doctus.* 16. quæstion. 1. Sed concludit esse standum consuetudini: modò autem maiori ex parte applicatas esse sacristis, vel alijs sacris, aut vero Ecclesiarum fabricis. Nec necesse est, vt soluantur de primis fructibus, neque de oleribus, aut leguminibus: sed tantum de frugibus.

Didacus Perez.

*** ***

QVÆST-

QVAESTIO 87.

DE DECIMIS.

ARTICVLVS I.

Vtrum homines teneantur dare decimas ex necessitate præcepti?



ONCLVSIO principalis. Ad solutionem decimarum hoimines tenentur, partim ex iure naturali, partim ex institutione Ecclesiæ: & huic annectitur alia conclusio appendix præcedentis. Pensatis opportunitatibus temporum, & personarum posset Ecclesia determinare aliam partem soluendam. *Probat* D. Thom. multis adductis, quæ sunt à nobis discutienda per disputationes peculiares: & ne eadem sæpe repetamus: suis locis verba D. Thomæ referemus.

Tractatum hunc de decimis à diffinitione quid nominis exordimur: nam decimæ appellantur, quando ex decem partibus vna in Dei cultum applicatur & soluitur.

DISPVTATIO. I.

An Decimæ sint debitæ ex iure naturæ?

ET videtur vera pars affirmatiua. *Primo*, quia in lege naturæ eas persoluit Melchisedech Abrahamo. *Genes.* 14. & Iacob eas promisit & reddidit Deo. *Gen.* 28. Imo & scriptores Ethnici tradiderunt decimé fructuũ partem à suis maioribus Dijs dari solitam fuisse *& in Problem.* 99. Romanos prosoluere consueuisse Herculi decimas testatur, & Plautus in Sticho, *decimam partem* (ait) *Herculi polliceri.* & Cicero de natura Deorum, lib. 3. *Herculi quisq;* (inquit) *decimam vouit vnquam si sapiens factus esset.* Herodotus in Clio: *Siste*, ait, *ad singulas portas aliquot ex tuis satellitibus custodes, qui vetent exportari opes, vt earum Decima Ioui necessario reddantur. Ita nec tu illorum odium contrahes vi opes excipiendo, & ipsi agnoscentes se iusta agere non inuiti facient.* Hæc loquebatur Cressus ad Cyrum Regem Persarum: & Xenophon in Cyro lib. 5. *Hic etiam pecuniam de captiuis collectam partiri, eamque quam decima nomine aut Apollini aut Ephesiæ Dianæ vouerant, consecrandam prætores acceperunt.* Et idem Xenophon de rebus gestis Græcorum lib 3. *Agis Delphos profectus est, ac decimam Deo obtulit.* Ac rursus de Agesilai laudibus. *Hostium verò ita fruitus Agra est, vt duobus annis centũ talenta & amplius Deo apud Delphos decimam daret.* Morem item fuisse gentium sub lege naturæ quasi Religionis impulsu partâ victoriâ de spolijs decimas dare, gesta Abrahæ *Genes.* 14. satis exprimunt qui eas Melchisedech pependit post pugnam quinque Regum. Et Gentilium inolita consuetudo id à Posthumo factum obtenta belli Latini victoria: & ab alijs Romanorum ducibus Romanarum rerum historiographi tradiderunt Libius & alij, ac Dionysius Halicarn. *libr.* 6. & de Lacedęmonijs refert Pausanias *lib.* 5. quod in medio fastigij apice templi Iouis Olympij inaurata est victoria, infra victoriæ signum fixus est aureus clypeus, in quo Medusa Gorgon cælata est, & dedicarunt Lacedęmoni cum hac inscriptione.

Gene. 14. & 28.

Plautus.

Cicer.

Herodot.

Xenoph.

Gen. 14.

Halicarn.

Pausan.

Ex auro phialam capta posuere tanagra,
Inuerat hæc bello, quod Lacedæmonios
Cecropitæ Argiuiq; duces, & Ionica proles,
Victores partu, de spolijs decimam. 2

Ecce apud Gentiles in vsu erat Anathemata offerre, & de spolijs decimam partem. Similiter, & Græci ex præda ad plateas adepta decimas Dijs elegerunt, vt idem de Agesilao refert Plutarchus. Ex his & aliis, quæ poterant afferri constat apud omnes ferè gentes iure naturali exigente decimas Deo fuisse promissas ac redditas.

Secundo. Decimæ (vt visum est) conferebantur in Dei cultum & recognitioné eius dominij erga homines, aut verò in ministrorum sacrorum sustentationem. Sed hæc ministrorum sustentatio, aut Dei recognitio iure naturæ debita sunt: ergo & decimæ.

Pro decisione sit *prima assertio.* Siue sit sermo de decimis quæ dantur immediatè in Dei cultũ, siue de illis, quæ dantur in ministrorum sacrorũ sustentationem, & ministerij stipendiũ, non sunt debitæ ex iure naturæ. *Probatur.* Quia quamuis ius naturæ præscribat à populo esse supplendos sumptus pro necessarijs ad diuinũ cultũ; & pro ministrorum sustentatione, & stipendio: non tamé in decima, nona aut octaua parte. Etenim ius naturæ nõ dictat aliqd de numeris. Imò & posset cõtingere, q̃ pro p̃fatis finibus minor pars q̃ decima esset necessaria, vel maior pars sufficeret. 3

Secundo. Decimæ quales dabantur in lege voteri, & modo dantur in lege gratiæ, conferuntur in sustentationem ministrorũ: sed in lege naturæ pro hoc fine exequendo non erãt necessariæ: ergo non sunt debitæ ex iure naturæ. *Probat. minor.* Quia non erant speciales ministri seorsum deputati cultui diuino; sed vel quilibet p̃ se offerebat sacrificia, preces Deo porrigebat: vel primogeniti familiarum Sacerdotes erant, & ob id accipiebant duplicem portionem ex hæreditate paterna, vt habetur de primogenitis Hebræorũ, Deuteron. 21. & fortasse acceperunt ex ijs quæ erant in vsu tempore legis naturæ, quare non erant necessariæ decimæ pro eorum sustentatione. Deut. 21.

Secunda

4 *Secunda assertio.* Mos fuit creberrimus apud degentes in statu legis naturæ, tàm fideles quam Ethnicos, quando Deo aliquot donaria offerebant, aut eius ministris Decimas offerre, non quidem ex debito naturali; sed voluntariè ex voto, vel quopiam alio simili. Fundatur autem consuetudo hæc in mystica decenarij numeri significatione & perfectione, vt notat D. Thomas *in articulo*: etenim cum solus numerus denarius ex omnibus numeris simplicibus (id est ex his, qui ex ipso denario, & alijs non componuntur,) sit perfectus: conuenientissime decimam bonorum partem offert quis Deo, vel illius ministris, vt retinens sibi nouem, quibus ad perfectum numerum aliquid deest, & Deo dans partem decimam quæ numerum perfectum complet; ipso facto protestatur se agnoscere suam indigentiam, & Dei perfectionem. De qua re, & numeri denarij perfectione eleganter Philo, de congressu quærendæ eruditionis gratia. Et Rodulphus Leuit. 27. *Numerus suus (ait) plenitudinem denarius continet. Et sicut numerus idem ab vno incipit: sic & in decimo consummatur.* Cùm igitur Dominus & primogenita, & decimas suas esse testatur: mysticè nos docet ab ipso esse, quod ad bonum surgimus; ab ipso si vsque ad finem perseueramus.

D. Thom. Philo. Rodulp.

Hæc assertio satis colligitur ex his, quæ adduximus in argumento primo pro parte affirmatiua.

5 Ad quod *respondetur* probare nostram secundam assertionem, scilicet, in lege naturæ esse in vsu decimarum solutionem, non quidem ex debito naturæ. Nullam enim tale ratio naturalis dictat, sed spontaneè, vel fortasse ex aliquo statuto municipali. Quod reperiri in lege naturæ, sicut neque aliquas rationabiles consuetudines, non negamus: vt expressè dicitur Genes. 29. *Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores antè tradamus ad nuptias.* Speciatim vero respondentes ad illud de decimarum oblatione Abrahami. *Quidã dubitarunt*, an Abrahã dederit decimas Melchisedech: an vero cótra Melchisedech Abrahamo? Litera enim Hebraica, & Septuaginta hãc ambiguitatẽ admittit, vt adnotauit Hieronym⁹ *in Epist.* ad Euagriũ. Sed hãc ambiguitatẽ sustulit editio Cõplutensis & Septuaginta Romæ excusa, quæ addiderũt, *Dedit Abrahã, &c.* & potissimè D. Paulus ad Hebræos. 7. qui clare asseuerat Abrahamũ se decimas Melchisedech.

Gene. 29. Hieron. Ad He. 7.

Sed his missis, quia proposito parum deseruiunt. *Respond.* Abrahamũ dedisse munera Melchisedech, spontaneè, & non ex debito, & in numero denario propter mysticam significationẽ iam relatam. Ad illud de decimis Iacob pariter *resp.* spontaneè emisisse votum quod emittere poterat de octaua parte, aut tertia, si vellet. Illæ autẽ decimæ alterius modi erant, quàm quæ offerebãtur in lege veteri, aut modò in lege gratiæ. Nam hæ immediatè ministris dantur: illæ verò immediatè Deo; ac proinde ambiguum est in quos vsus consumerentur. Fortasse in sacrificijs mactandis, aut cremandis, aut festis diebus celebrandis ab ipso Iacob, qui sacerdos erat, vt supra diximus. Gentiles verò decimas offerebant non quasi debitas ex iure naturæ, sed gratis, aut ex voto, aut statuto, aut cõsuetudine municipali ad placãda numina. Numerus autem denarius præferebatur propter mysticam eius significationem, & Deo dedicationem, vt visum est.

DISPVTATIO II.

An decimæ aliquando in præcepto fuerint? & quando incœperint esse debitæ?

Dvbitatio potissimè instituitur de decimis veteris testamenti, quarum cognitio apprimè necessaria est ad cognoscendũ ea, quæ ad decimas nouæ legis spectant. 1

Sit igitur nostra *assertio prima* indubitata. Decimæ cœperunt esse in præcepto Hebræorũ populo in veteri testamento, ante quod nullum extitit diuinum præceptum de decimis soluendis. *Posterior pars* assertionis apertè colligitur, quia ante legem scriptam nullum extitit præceptum præter ea, quæ natura dictauit. Probauimus autẽ disputatione præcedenti decimarum solutionem non esse de iure naturæ: ergo, &c. *Prior pars etiã manifesta est.* Quia Deus quando dedit legẽ, Numer. 8. & alijs locis citandis, iussit & populo Hebræorum decimas pendere. Dedit autẽ legẽ primo anno ab exitu de Ægypto, vt colligitur *Exod.* 19. Sed decimarum solutio non est inchoata illis quadraginta annis, quib⁹ manserunt in deserto; quia tunc nõ obseruarunt Hebræi aliquas cæremonias legis: sed duntaxat postquam intrauerũt terram Channaam, vbi mansere securi. Deut. 12. Num. 8. Exod. 19. Deut. 12.

2 *Secunda assertio.* Quadruplex genus decimarũ erat in præcepto in lege veteri. *Primum est earum*, quas Hebræi laici dabant Leuitis. Leuit. 27. Nu. 18. & Deuteron. 18. *Secundæ decimæ erant*, quas Leuitæ rursus ex his suis decimis separabãt, scilicet, decimas decimarum: quæ erat pars centesima omium fructuũ perceptorũ in terra Israel. Et has decimas Leuitæ pendebant summo Sacerdoti. Num. 18. *Tertiæ decimæ erant*, quas singuli laici separabant, vt comederẽt eas quando proficiscerẽtur in templum ter in anno Deutero. 14. *Quartæ decimæ erant*, quæ non separabantur quolibet anno: sed tantum de triennio in triennium, & eas vnusquisque apud se seruabat, vt ex eis eleemosynam porrigeret pauperibus, præcipuè Leuitis, *Deuter.* 14. Has omnes enumerat Hieronym⁹ super Ezechielem, vel Malach. 3. & refertur *extra de decimis cap. primo.* Istarum decimarũ tertij & quarti generis institutione prouidit Deus auaritiæ, & tenacitati Hebræorum. Tenebantur quidẽ pergere in Domini templũ etiãsi nimis distaret, ter in anno, *Exod.* 34. in qua profectione sũptus largiores quotidianis essẽt expendẽdi; cũ lautius, vt moris est, in similibus occasionibus, epulis indulgendum esset: item, quia Deus iusserat vt coram eo nemo

Leuit. 27. Num. 18. Deut. 18. Num. 18. Deut. 14. Deut. 14. Hieron. Exod. 34.

eo nemo appareret vacuus. *Exod.* 23. oportebat coram eo munera offerre & sacrificia. Ipsi verò Hebræi ne pro sua innata tenacitate, & auaritia vel à profectione in templum Domini, abstinerēt, vel tristi vultu & ignobiliter se haberent. His obstitit Deus instituendo istatum trium decimarum reseruationem, quas cum nō liceret Hebræis in alios vsus expendere nisi in sumptibus, qui fierent eundo & redeundo in templum. Neque à profectione in templum deterrerentur, neq; illiberales se ostenderent in itinere, neq; in loco templi. Eidem auaritiæ obuiam itum est institutione decimarum quarti generis. Nam separatis illis pro eleemosynis erogandis, sic adeò vt non liceret Hebræis eas in alios vsus conuertere, liberalius in pauperes erogarent. *Secunda* autem decimæ pro sustentatione honorifica summi sacerdotis institutæ fuêre. Primum autem genus decimarum famosius est in sacra Scriptura, & vocatur absolutè decimæ: fiebatq; de aceruo frugum integro antequā aliæ decimæ soluerentur. Hocque decimarum genus duntaxat retentum est à populo Christiano, ac proinde de illo solum, & pressius agendū est in hoc tractatu de decimis.

3 Vt autem agnoscatur quam ob causam istiusmodi decimæ primi generis institutæ fuerint in veteri lege, quibus, & de quibus rebus dandæ: prænosse oportet, Deum Optimum Maximum elegisse sibi in populum peculiarem prolem Israliticam, & post eductam de captiuitate Ægyptiaca instituisse leges pertinentes; tum ad eorum bonam gubernationem, tum ad ipsius Dei cultum specialem per peculiares, & multiplices cæremonias & sacrificia in vno templo, vel sanctuarij loco, de quibus perintegra volumina Leuitici, Numerorum, & Deuteronomij tractatur. Stando autem in tempore legis naturæ pro ijs functionibus ad cultum Dei pertinentibus quilibet è populo, vel primogeniti familiarum debebant deseruire.

Sed placuit Deo propter aliquas causas, (quas recensere parum conducit nostro proposito,) hunc antiquum morem immutare, ac decreuit Tribum Leuiticam separare è cæteris, vt ipsa sola minister esset omnium sacrarum functionum, quæ ad Dei cultum spectarent. Et quia, si quilibet pro se ipso sacra munia obiret, non deberet ei alius de necessarijs prouidere, sed ipse sibi: & idē fieret si primogeniti ministrarent, quia ob id ex bonis paternis duplicem portionem obtinebāt, tunc autem sola Tribu Leuitica sacris ministerijs totaliter applicita, necessarium fuit vt totus populus eis necessaria ad sustentationem ministraret. Nam lumē naturæ dictat, vt qui alteri seruit, mercedem accipiat ne autem de quantitate mercedis conqueri possint, voluit ipse Deus eam taxare, decimam, scilicet, partem omnium fructuum ex populo Israel. En motiuum & causam institutionis, & iussionis factæ à Deo pro soluendis decimis Leuiticæ Tribui, nempè, in sustentationē & stipendium pro ministerio diuini cultus. At verò Tribus Leuitica in duas partes diuidebatur, scilicet, in sacerdotes & Leuitas, qui omnes addicti erant ministerio diuini cultus, ac proinde

4

omnes erant à populo alendi, & propterea Deus iura sustētationis illis sic diuisit. Sacerdotib⁹ dedit omnia iura primitiarum & votorum, & redemptionē primogenitorum, & oblationum, & *Num.* 18.
sacrificiorum. De quibus latius *Num.* 18. Leuitis autem integraliter dabantur decimæ omnium fructuum singulo quoq; anno prouenientium, siue de terræ nascentibus, siue de pecoribus.

Terræ nascentia sunt segetes, fruges, legumina, fructus omnium arborum. De his Leuit. 23. *Leu.* 23.
Omnes decimæ terræ siue de frugibus, siue de pomis arborum Domini sunt, & illi sanctificantur. Poma autem vocātur omnium arborum frūctus nomine specifico vsurpato pro generico, vt colligitur ex *Deu.* *Deut.* 14.
14. & *Num.* 18. dicitur quod accipiebant Leuitæ *Num.* 18.
decimam, tam de area, quā de torculari, Per areā intelliguntur omnes fruges, quæ in area triturantur: per torcular intelliguntur vinum & oleum, quia vuæ & oleæ torquentur, vt succum emittant. Decimæ pecorum habentur Leuit. 27. *Leuit.* 27.
Boues (inquit) *& oues, & capræ quæ sub pastoris virga transeunt*, idest, quæ mansueta sunt, & ab hominibus nutriuntur, *quidquid decimum venerit sanctificabitur Domino.* Et licet tantum exprimatur decima istorum pecorum: tamen eadem ratione de omnibus animalibus mansuetis, quæ sub custodia humana morantur decima erat Leuitis soluenda. Ex his omnibus decimis, quas Leuitæ percipiebant dabant decimam partem summo sacerdoti, idest, centesimam partem omnium fructuum, qui reperiebantur in vniuersa terra Israel. *Num.* 18. *Num.* 18.

III. DISPVTATIO.

An in institutione harum decimarum seruata fuerit æquitas inter Tribum Leuiticam, & alias Tribus?

ET videtur vera pars negatiua. *Primo.* 1
Quia cū plures aliæ exactiones impositæ erant populo Hebræorum pro ijs, quæ ad Dei cultum pertinebant, pro infinita fere multitudine sacrificiorum & oblationum, pro redemptione primogenitorum: ergo non erat iniungendum vlterius tàm ingens tributum quale est decimarum, ne scilicet populus exosum haberet cultum diuinum.

Secundo. Tribus Leuitica accipiendo decimas excedebat reliquas Tribus in duabus partibus fructuum: ergo non fuit æqua institutio præfata decimarum, atque adeo iniusta. Antecedens ostenditur, eo quod reddentibus singulis nouem Tribubus decimam suorum fructuum partem Tribui Leuiticæ; restabāt singulis vndecim Tribubus nouē partes, & sic quælibet habebat nouem partes, & Leuitica, quæ erat duodecima, habebat vndecim, quia habebat decimā quamque cuiuslibet ex duodecim Tribubus. Ex quo liquet Tribum Leuiticam reliquas excedere in duabus partibus fructuum.

Tertio

Tertiò. Decimæ decimarum, idest, pars centesima omnium fructuũ, quæ dabatur summo Sacerdoti, immodica exactio erat pro vno duntaxat homine, & eius familia alendis: ergo lex illa valdè onerosa, & inæqualis erat.

2 *In oppositum* est diuinæ legis institutio, quę non potest non esse æquitatis plena.

Hæc dubitatio à me proposita est, vt sternam viam ad aliam consimilem difficiliorem in decimarum institutione tempore legis gratiæ. Et pro huius decisione (quæ potissimè consistit in argumentorum solutione) *præmittendum est*, populum Hebræorum non solùm teneri Deo seruire, eosque ac eorum bona non solum esse deuincta ipsi & eius cultui infinitis penè titulis, quibus cæteri homines, & eorum bona Deo obligata sunt: verum speciali quadam ratione & titulis, nempè quia eduxit eos de seruitute Ægyptiaca, & in libertatem reduxit, ac terram promissionis ereptã de manu Gentilium in signis & victorijs mirabilibus eidẽ populo Hebræorũ largitus est. Ex quo fit consequens, quod quemadmodum si quis populus oppressus à tyráno graui seruitute, in libertatem restitueretur ab aliquo Principe, & opimo ac ingenti Regno donaretur, meritò gratanti animo, ac vultu hilari quascũq; exactiones, ac tributa suo liberatori, ac domino persolueret: sic populus Hebræorũ se & bona sua in Dei cultum pro eiusdẽ Dei arbitratu subijcere debebat; neq; ei onerosũ videri debuit, quod pro diuino cultu Deus multa exigeret tanquã à suis seruis, & possidentibus ac fruentibus terrã promissionis, quã ipse eis largitus est. Et hoc innuit Dominus Leuit. 25. dicens: *Terra non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos aduenæ & coloni mei estis*. Ac si diceret. Non oportet vos submurmurare, quia prohibeo venditionem perpetuam terræ vestræ (quæ non est prohibita cæteris Gẽtibus,) etenim terra promissionis mea est, & ego eripui eam de manu habitatorum & tradidi vobis vt colonis meis. Et in eodẽ capite tantùm permittitur venditio sui cuiusque propter paupertatẽ vsque ad annum Iubilei. Et subdit rationem prohibitionis: *Mei enim sunt serui filij Israel, & ego eduxi eos de terra Ægypti: vnde de eis potero disponere sicut dominus de seruis suis.* *Leuit. 25.*

3 Et quamuis hæc vera sint, mitius tamen cum eis egit præcipiens, & exigens ea tantùm quæ necessaria erant pro diuino cultu, & sustentatione ministrorum eidem cultui deputatorum. Nam iussio seruandi decimas quolibet triennio pro pauperũ subuentione, potius fuit leuamen quam onus, cum iure naturæ quilibet pauperibus subuenire teneatur. Et hoc suauius seruaretur præceptũ decimis reseruatis pro eius impletione. Rursus, decimarũ reseruatio pro sumpribus faciẽdis in itinere ad sanctuarij locum, potius fuit prospicere itinerantium honori, saluti, & lætitiæ, dum læti & benè pasti ibant & redibant in domos suas. Idemq; dicendum est de alijs exactionibus, quarum causas & congruẽtias non libet minutatim persequi. Et de decimis, quæ Leuitis iussæ sunt dari in sustentationem, vrgentior ratio de se manifesta fit. Supeтest solum ad argumenta respondere.

4 *Ad primũ resp.* Populus ille occupãdus erat multis ritibus, ac cæremonijs diuini cultus, ne ab his vacãs, ad Idololatriã, ad q̃ pronus erat. Ministri aũt horũ rituũ Leuitæ erant & sacerdotes; quib⁹ naturæ iure sustentatio debebatur: pro qua decima quæq; pars fructuum designata est. Nec populus istã exactionẽ debuit reputare onerosã propter rationes allatas, nec de facto reputauit. Quod colligere licet ex Philone *li. de honore Sacerdot.* Qui loques de decimis & alijs, quæ sacerdotibus soluebãtur, ait: *Longe aliter Hebræis cõtingit, quàm in cæteris ciuitatibus sub Dynastis degentibus. Nam hæ gemẽtes & coacta vix tandem conferunt perosa quæstores, ceu pestem publicam, nunc has, nunc illas cassationes effingẽdo, ne ad præstitutum tempus tributa repræsentent. At hæc gens Sacerdotibus* (& idem diceret de Leuitis,) *debitam pecuniam lubens gaudensque depromit, quasi non daret, sed acciperet, addens faustas ominationes, & gratiarum actiones populariter. Idque quotannis, nec viris cessantibus, neque mulieribus: sed alacritate spontanea, quanta nullis verbis exprimi potest conferentibus.* Hucusque Philo. *Philo.*

5 Ad *secundum respondetur* negando consequentiam, tum quia decens erat Tribum diuinis & sacratis actionibus dicatam habere maiores reditus, vt honorabilius viueret, quàm cæteri, sicut & eius functiones honorabiliores erant officijs reliquorum: *tùm* quia multi coloni terræ promissionis malitia, dolo, aut negligẽtia occupati defecturi erãt in soluẽdis decimis. Vnde in rei veritate non excedebat Tribus Leuitica in perceptione duarũ partiũ: quia fortasse de facto interdum neque ad nonæ partis solutionem attingebant. Omitto modo, quod Leuitica Tribus decimã decimæ summo sacerdoti pendebat. *Tùm tertio.* Quia cùm Tribus Leuitica, vt totaliter vacaret diuinis, non haberet vllam possessionem in terra Israel, (*Numer.* 18. & 26.) sed sibi aliàs debitam occuparent cæteræ Tribus: æqualis pars fructuum sibi debebatur propter eius occupatam portionem terræ. *Num. 18.*

Quare, benè re perspecta, conferendo Leuitis decimas parum conferebant cæteræ Tribus. Nã ipsi Leuitæ ex decimis sibi datis largiebantur sũmo Sacerdoti, vt pro populo sacerdotio fũgeretur, decimam partem decimarum. Ecce iam non excedebant alias Tribus nisi in vna parte: & hæc illis dabatur pro ministerio erga Dei cultum, & simul expensæ, quæ fierent à Leuitis pro colenda parte possessionis, quæ illis obueniret si terra per duodecim partes æquales, iuxta numerum Tribuum diuideretur. Exiguum certè stipendiũ hominibus diu ac noctu occupatis, & excubãtibus iuxta sanctuariũ, vt habetur *Num.* 18. & præterea prohibitis ne agriculturæ vacarent. Ob id enim priuati sunt possessionibus in terra Israel. Ex quo fiebat, quod Leuitæ valdè pauperes essent, vt apertè colligitur *Deut.* 14. vbi iubentur filij Israel inuitare Leuitas, quia carebãt possessione in terra Israel, & in Catalogo pauperũ Leuitæ in primo loco recensebantur. *Num. 18.* *Deut. 14.*

6 Ad *tertium resp.* Sicut tempore legis naturę decuit, vt Sacerdotes essẽt cæteris honoratiores ac ditiores: æquabant enim Regiam dignitatem ex

parte, ac proinde sacerdotium Reges & Dynastę sibi cupiebant, & vendicabant, aut primogenitis familiarũ cõferebatur: de quo latius supra: Ita in lege scripta voluit Deus vt sũmus sacerdos in magno haberetur honore, ac pretio: ac proinde diuitijs inclytum esse quantacunque enim nobilitas ac dignitas, nisi diuitijs sit comitata despectui habetur: maximè apud carnales quales erãt Hebræi. Decuit igitur summum sacerdotem dicatũ functionibus sacratioribus diuini cultus, & archigubernatorem ministrorum Dei accipere à popülo ingentia stipendia, vt pro dignitate honorificentissimè degeret. Vnde Reges tanti eum fecerunt quod filias suas sacerdotibus sũmis magno cum gaudio nuptui tradebant, vt patet de Ioiada summo sacerdote, qui accepit in vxorẽ filiam Regis Iorã, vt habetur *4.Reg.12. & 1.Par.12.* *4.Reg.12*
1.Par.12. Quinimò, vt colligitur ex Iosepho, lib. de Monarchia Assanonæi, qui erant de sacerdotali genere, Tribui Iudæ, ipsique familiæ Dauid, q̃ erat familia Regia fœdere nuptiarum cõiuncti sunt. Sicque factum est vt horum coniunctione sacerdotium pariter & regnum simul iungerentur vsque ad Herodem Idumæum, quando defecit sceptrum de Iuda.

DISPVTATIO IV.

An in noua lege præceptum sit de soluendis decimis?

1 ET videtur vera pars negatiua. *Primò*, præceptum de decimis dandis, q; inchoatũ est in veteri lege, vt superius vidimus, non est morale, sed cæremoniale, aut iudiciale. Sed tempore legis gratiæ non obligantur homines ad præcepta cæremonialia, neque ad iudicilia: ergo nunc nõ tenentur Christiani ad soluendas decimas. *Maior prob.* Quia illud præceptũ de decimis pendendis, cum nõ pertineat ad legis naturæ præcepta, vt probauimus, supra dubitat. 1. necessariò ad cæremonialia, aut iudicialia referendum est. *Minor aũt prob.* ex D. Aug. *1.2.q.103.a.3. & q.104.a.3.* Cõfir. & augetur difficultas. Quia præceptorũ veteris legis, quæ cæremonialia aut iudicialia sunt, obseruatio mortifera est modò in lege gratiæ. Ergo decimarum solutio modò mortifera est. Tantum abest vt sit de necessitate seruanda.

Secundò. Ex quadruplici genere decimarum quas diximus persolui in lege veteri ab Hebræis, tres postremæ non soluuntur in lege gratiæ, nec ad eas tenentur Christiani. Ergo neque tenentur ad eas, quas in primo loco collocauimus, nempè ad soluendum ministris Ecclesiæ decimas omnium fructuum.

2 Præcipua huius disputationis difficultas versabitur in dissoluendis argumentis præfatis, eò q; nullus Catholicorum negat, in lege gratiæ esse soluendas decimas ex præcepto, siue illud naturale, aut diuinum, aut humanũ positiuum sit. De quo statim. Hæretici sunt, qui hunc morẽ soluẽdi decimas, qui in Ecclesia Christiana seruatur, improbant. Nam circa annum Dñi 1300. quidã Hæretici, vocati Fratricelli censuerunt tantùm esse soluendas decimas Apostolis, & eis, qui viuerent in paupertate Apostolica, nõ verò alijs Romanæ Ecclesiæ ministris, qui non profitebantur illã: & hinc inferebant sibi tãtum esse pendendas, vtpote qui eam paupertatẽ profitebantur, & in ea viuebant. Ita de his refert Turrecr. *li.4. de Eccles. p.2. ca.37.* & est error. 16. istorum. Fortasse isti sunt Hæretici dicti Pseudoapostoli, quos eundẽ omninò errorẽ tenuisse refert Guido; eundẽ errorẽ suscitauit Vviclephus, qui asseruit decimas esse meras eleemosynas, quas populus poterit ad libitum negare sacerdotibus propter eorum peccata. Qui error inter alios damnatus est in Conc. Constantiensi Sess. 8. & est error decimus octauus. Præterea quidam Arriani in Transiluania *anno Domini* 1568. ediderunt librum de anthithesibus veri & falsi Christi, & inter alia, quæ dicũt pertinere ad cultum Christi falsi, annumerãt institutum decimarum. Et Erasmus vt nihil nõ polluat in annotationibus suis ad nouum testamẽtũ dixit, exactionem decimarum esse tyrannidem. Isti Hæretici inferius refellendi sunt. *Turrec.* *Vvicleph.*

3 *Pars autem affirmatiua* à nobis de fide tenenda: tum quoad necessitatem pendendi stipendium ministris Ecclesiasticis: tum quoad quottam, id est decimam partem. Primum propter testimonia sacræ Scripturæ inferius citanda. Secundum propter auctoritatem Ecclesiæ, q̃ id legibus sanxit, quas infra exprimemus dubio sequenti: tum maximè propter Conc. Constantiense *Sess.8.* vbi damnauit errores Vviclephi, eo quod oppositũ nostræ assertionis sentiebat. Et in Cõc. Trid. Ses. 25. cap. 12. de reformatione ita præcipitur. *Qui decimas substrahunt, aut impediunt, excommunicentur. Neque ab hoc crimine nisi restitutione sequuta absoluãtur.* Quod tamen Nauar. in Man. c. 21. nu. 32. putat intelligendum de his, qui possunt restituere antequã oporteat absolui ipsos propter instantẽ mortem vel necessitatem communicandi: & in Clementina, *cupientes*, de pœnis, excommunicãtur Religiosi, qui in concionibus dissuadent solutionem decimarum, vel aliàs aliquid dicunt, vt abalienẽt homines à soluendis decimis debitis. *Conc. Tri.* *Nauar.*

4 *Secundò prob.* ex testimonijs Patrum inferius citandorum: quia principio primitiuæ Ecclesiæ Christianæ vsque nunc valdè commẽdarunt decimarum solutionem vt rem Deo gratam, & nõ soluentibus graues, pœnas cõminati sunt, penuriam, famem, terræ sterilitatem, vastationem fructuum: ita Hier. relatus. 16. q. 1. Can. *Reuertimini direptionem bonorum*, ex Augustino relato. 16. q. 7. *Ca. maiores nostri.* Soluẽtibus aũt decimas præmia pollicentur, nempè corporis & animæ sanitatẽ, abundantiam fructuum ex Augustino, & refertur. 16. q. 1. Can. *decimæ tributa sunt.* *Hieroni.*

5 *Superest respondere* ad argumenta facta pro parte negatiua, sed vt primo satisfaciamus oportet prælibare quædam fundamenta, & dubitatiunculas ad materiã de legibus spectantia, sine quorum tamen notitia Argumentum primum (q; in hoc art. D. Th. expressit, & in præcedenti quæst. sæpè tetigit) nequibimus dissoluere. *Primò* prænosse oportet præcepta omnia veteris legis diuidi in præcepta moralia, cæremonialia, ac iudicialia: *Moralia erant*, quæ lumen rationis naturalis *D. Thom.*

lis obseruanda dictabat, & quæ quilibet adimplere tenebatur, vt virtutum opera exerceret nihilque contra ius naturæ patraret. Huiusmodi erant omnia præcepta Decalogi: *Cæremonialia erāt*, quæ statuta sunt de his, quæ ad cultum, reuerentiā, honorē & obsequiū pertinent: *iudicialia erāt*, quæ ad equalitatem, & pacem tuendā inter ciues destinabantur: ob id iudicialia appellata, quia ad praxim iudicum pro iustitia exhibēda & seruāda pertinebant. Hæc diuisio ponitur à D. Tho. 1. 2. *q.* 94. *art.* 4. & laudatur ab omnibus Theologis, & multis Iurisperitis præ cæteris diuisionibus: & meritò. Nam altera diuisio, quam tradit glossa in cap. 1. de decimis in sexto, cuius mentionem facit Felinus *in ca. transacto, de constitutionibus*, & Iaso *in lege prima, n.* 35. *ff. de rebus cred. & si certū petatur*, imperfectior iudicata est etiam ab ipsis Iurisperitis
Turrec. in dicto *cap.* 1. *& vlt. sexta dist.* potissimè à Turrec.
D. Anton. & D. Antonino. 1. *part. tit.* 4. *cap.* 5.

6 *Secundò aduertendum*, ex isto triplici genere præceptorum, iudicialia, & cæremonialia post latā legem Euangelicam omninò cessauerunt, & vim præceptorum perdiderūt, vt colligitur à Docto-
Ad Gal. 3. ribus ex sacris literis ad Gal. 3. & 4. & ad Hebr. 7.
Ad Heb. 7 *Translato sacerdotio necesse est, vt & legis trāslatio fiat.* Quod vsque adeò verum est, vt planè hæreticū sit asserere legem veterem seruandā esse cum lege
Act. 15. noua: vt patet Actuum. 15. & August. tradit li. de
August. Hæresibus, ac diligenter Alphonsus à Castro de
Castro. *Hæresibus, verbo lex.* Quinimò moralia legis præcepta, quæ adhuc vim habent, & perpetuò habebunt, non id obtinēt ex auctoritate veteris legis; sed ex eo, quod sint à natura ipsa instituta, & à Christo Domino in lege Euangelica, eadem ratione, qua & naturali debuerunt, & sunt præcepta. Quod explicat benè sapientissimus Dominius
Soto. cus de Soto *lib.* 2. *de iustitia & iure, qu.* 5. *concl.* 2.

7 *Tertiò notandum* ex D. Tho. in hoc *art.* & 1. 2.
D. Thom. *qu.* 104. *art.* 3. quod quamuis commune sit præceptis iudicialibus, & cæremonialibus veteris legis, cessasse in aduentu Christi, roburque obligādi amisisse: tamen adhuc inter ipsa discrimē magnum dignoscitur, quia iudicialia mortua quidē sunt adueniente lege gratiæ, non autem mortifera ea seruantibus, quantum ad substantiam operum: quia si quis ea seruaret, quia iudicialia præcepta veteris legis, peccaret, quia ipso facto protestaretur legē veterē nō esse impletā, & euacuatā per Christū: secus esset si sub ista ratione nō seruaret, sed quia alias sibi placerēt talia præcepta.

At verò præcepta cæremonialia non solū sunt mortua post latam Euangelicam legē, id est vim obligandi amiserunt: verùm etiam mortifera ea seruātibus. *Ratio est*, quia cæremonialia præcepta continent in se figuram Christi futuri, & instituta fuēre ad præfiguranda eiusdem Christi mysteria vt sacramēta & sacrificia: Et hoc denuò assumere in cæremonialibus præiudicat veritati nostræ fidei: quia vtēs talibus cæremonijs ipso facto protestatur Christum non venisse in mundum, vel eius mysteria nōdū esse cōpleta; quod in præceptorū iudicialiū obseruatione quātum ad substantiā operum nō cōtingeret. Quia ad hanc repræsentationem, & significationem nō fuēre instituta. Ex hoc discrimine nascitur aliud, nempè iudicialia præcepta posse modo à Reip. principibus denuò institui, si viderint bonæ gubernationi sitæ Reip. expedire. Nam de facto sunt instituta multa iudicialia, quæ in veteri lege statuebantur, vt constat ex *titulo de iniurijs ex ca.* 1. *de homicidijs*: & seruātur modò, non tanquam ex veteri lege, sed quia nouiter tanquam ex lege humana constituta sūt: at verò præcepta cæremonialia veteris legis ita cessauerunt, vt nequaquam lege lata à Principibus Christianis iterum institui possint.

Sed contra discrimen assignatum duæ se offerunt obiectiones. *Prima est.* Nam multæ cæremoniæ veteris legis retentæ & assumptæ sunt in cæremonias Christianæ Ecclesiæ: v.g. vestes sacerdotum, altaria, thurificatio, primitiarū solutio, oblationes, ablutio manuum, panis azimus, veneratio templi, quæ fit à mulieribus post partū, quæ etiam ab Ecclesiæ rectoribus statuta & ordinata sunt, vt constat ex *Can.* 1. *de consec. dist.* 1. & *ex Can. nollens, de purif. post partum.* Similiter plura vitia, quæ ex veteris legis instituto sacerdotium impediebant, etiam in lege Euangelica ex Pontificum decretis eadem dignitate quemque insigniri omninò vetant: quomodo ergo saluantur cæremonialia veteris legis nequaquam posse institui in lege gratiæ? Secunda obiectio est. Cæremonialia nequeunt institui in Ecclesia Christi, quia præsignabant Christum venturum, & eius mysteria nondum impleta, vt dictum est: sed etiā iudicialia idē significabant, quia omnia in figura contingebant illi populo Hebræorum. 1. *ad Cor.* 10. ergo neq; poterūt reassumi ab Ecclesia Christi, sicut neque assumuntur cæremonialia. 8 1. ad Cor. 10.

9 *Ad primam obiectionem resp.* cæremonialia veteris legis esse in duplici differentia, quædam, quæ instituta fuēre ad significandum Christum venturum, vel eius mysteria, & hæc nequaquam retineri possunt à populo Christiano, vt eius cæremoniæ, sine iniuria fidei, vt dictum est. Consultò dixi primò, vt cæremoniæ sunt, quia fortasse secluso scandalo, quantum ad substantiam operū possent seruari; sic non omninò condemnamus Indos Christianos in Ægypto viuentes, de quibus fertur simul baptizari & circuncidi, non ad seruandam legem Moysi, sed ob honorem Christi Dñi, qui circumcisus est, sed vix liberantur ab scandalo circumcisionis. Vnde aptius exemplum erit in eo, qui se circumcidit sanitatis gratia. Alia cæremonialia sunt, quę ad diuinam reuerentiam tantum spectant, nihil implicantes de Christo venturo, aut de statu populi Hebræorum expectantis Christum. Huiusmodi sunt omnia allata in obiectione, quæ non sunt instituta in lege veteri ad significandum Christum; sed deuastationem, mundiciam, sinceritatem, & alia huiusmodi. Et hæc cæremonialia retineri, & assumi ab Ecclesia Christiana, sicut iudicialia nihil vetat. Etenim non militat in eis ratio à nobis allata, prohibens ne cæremonialia à Christianismo assumantur in cæremonias. Videndus est D. Tho. D. Thom.
in 3. *dist.* 37. *art.* 5. *qu.* 3. & *in* 4. *dist.* 1. *q.* 2 *art.* 5. *qu.* 1. & *dist.* 11. *qu.* 2. *art.* 2. *qu.* 3. & 3. *par. qu.* 83. *art.* 5. Iraque *resp. ad obiectionem*, omnia iudicialia posse assumi

& retineri à populo Christiano: cæremonialia verò, quæ Christum venturum significabant nullo modo, Alia verò minus principalia carentia hac significatione benè poterant assumi & retineri.

D. Thom. Caiet. *Ad secundam obiectionem respondetur* ex D. Thom. simul & Caietano. 1. 2. *quæst.* 104. *art.* 3. cæremonialia principalia, de quibus nuper dicebamus significare Christum vt venturum, & ea quæ ad ipsum venturum spectabant, ex sua primæua & principali institutione, ac per se: at iudicialia ex consequenti, & per accidens, id est quia Deus voluit vt omnia gesta illius Populi sonarent Christum venturum, aut statum illius Populi expectantis Christum: per se autem habebant institui ad bonam Populi gubernationem. Vnde illis accommodatis Populo Christiano significationem consequentem, & per accidẽs perdiderunt, ac proinde sine vllo piaculo à Christianismo admittuntur.

11 *Ex his respondetur ad argumentum primum* nostræ disputationis quartæ propositum, quod siue præceptum de soluendis decimis fuerit iudiciale siue morale; quia tamen non fuit institutum ad significandum Christum venturum, aut aliquid ad id attinens, sed in sustentationem aut stipendium sacrorum ministrorum, potuit ab Ecclesia Christiana retineri, & iterum institui pro eisdem ministris alendis, ac præmiandis, & de facto instituit. Quare nos non seruamus tale præceptum, quia veteri lege sancitum: sed quia in noua impositum.

At vt rem propius attingamus, scito, hoc præceptum non esse cæremoniale, sed iudiciale, nam quamuis ad Dei cultum ordinabatur, imò ad Deum ipsum in recognitionem sui vniuersalis dominij, vt patet extra de decimis capit. *tua,* & ex hac parte cæremoniale apparet, tamen quia per se directè & immeditè ordinatur ad æqualitatem inter ministros Dei, & populi seruandam, ac etiam inter ministros inter se mediante hac ordinatione ad Deum, & eius cultum: ideò iudiciale præceptum esse, ait D. Thomas, non cæremoniale, quia cæremonialia sunt illa, quæ ad diuinum cultum, vel Deum immediatè referuntur. Vnumquodque enim secundum id, quod dicitur, & immediatè respicit iudicandum est.

Innocentius autem Tertius *in illo cap. tua nobis,* referens decimarum solutionem in Dei cultum cum magna exaggeratione intelligendus est mediatè, & facto, non immediatè, & institutione: etenim decimæ non sunt institutæ, vt immediatè Deo offerantur in signum vniuersalis dominij, sicut sacrificia, oblationes, & primitiæ: sed sunt institutæ pro sustentatione ministrorum, & stipendio: vt dicitur *Malach.* 3. at ex hoc ipso quod ad victum & stipendium ministrorum Dei exhibentur, significatur, ac professio fit, quod Dominus vniuersorum est ille, cuius ministris hæc dantur: sicut Populus tribuens ministris Regis alimenta, & stipendia vt Regi inseruiant, ipso facto profitetur Regem dominum suum esse. Ex his patet ad confirmationem. (Malac. 3.)

Ad secundum respondetur, Ecclesiam Christianam non retinuisse omne genus decimarum veteris legis, quia non opus fuit, aut decens: Etenim summo Pontifici Ecclesiæ Christi Imperatores Christiani ingentes & opulentos reditus contulerunt, & inter eos Italiæ Regnum fertilissimum, vt inclytè & honorificentissimè aleretur: quare non fuit opus recurrere ad decimam decimarum, sicut in lege veteri: similiter neque tertij generis decimas retineri oportuit pro sumptibus in eundo & redeundo ad templum, & pro sacrificijs, & oblationibus: tum quia non est vnus tantum locus adorationis in lege noua; sed in omni loco & in omni templo, quibus abundat Populus Christianus, & prope ianuas suas habet, adorare oportet, vt dictum est *Ioan.* 8. Quarti etiam generis decimas non debuit retinere pauperibus fouendis, ac alendis, tum quia non solum decimam partem fructuum tertio quoque anno Dominus iubet exhiberi pauperibus, verum etiam omnia superflua, secundum illud *Luc.* 11. quod superest date eleemosynam: tum quia in lege gratiæ magis abundat charitas, & eius cultores non sunt ita auari, ac tenaces sicut Hebræi. Quare non fuit ita timendum & prospiciendum per institutionem decimarum pro pauperum subuentione: & ita lege de decimis seruandis pro hoc subsidio à triennio in triennio satis nobis commendauit pauperes, dicens Matth. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra,* & alibi, *quamdiu vni ex minimis fratribus meis, &c.* Tum tertiò, vt ait D. Thom. *ad quartum huius articuli,* quia ipsæ etiam decimæ, quæ ministris Ecclesiæ dantur, per eos debent in vsus pauperum dispensari, decimas autem primi generis debuit Ecclesia retinere, & denuò statuere, quia non minus abundat, & eget ministris ad sacras functiones peragendas, quàm Synagoga. Vnde sicut hæc eos alebat decimationibus, sic & nostra Ecclesia facit. Accedit ad hæc. Nullum aliud tributum potuit adinueniri pro sustentandis honorabiliter ministris Christi, quàm decimarum solutio: de quo statim. (Ioan. 8. Luc. 11. Matth. 5.)

DISPVTATIO V.

Quo nā iure decimæ debitæ sint? humano ne, an diuino, naturali, vel positiuo?

De hac re tres reperio sententias. *Prima asserit* decimarum solutionem esse debitam iure naturali & diuino, etiam in lege gratiæ. Ita tenent glossa, Archidiaconus, Anchartanus, & alij *cap. 1. de decimis in 6.* Innocentius *capite vltimo de Parochis,* Ioannes Andreas *in Rubrica de decimis;* idem in capite *à nobis,* Antonius de Butrio in cap. *Parochianos,* Abbas in cap. *in aliquibus,* de decimis: quorum opinio communis est vt ait Francus *in dicto ca.* 1. *de decimis in 6.* Suadetur hæc sententia. 1 (Arch. Anchar. Innoc. Ioa. And.)

Primò adducendo omnia testimonia, q̃ ex lege veteri nos adduximus supra ad probandum Deũ iussisse decimas omnium fructuum dari Leuitis.

Secundò Luc.11. Dominus loquens aduersus Pharisæos prætermittentes misericordiam in proximos,& decimantes mentem & rutam,subdit: *Hæc oportuit facere,& illa non omittere*. Ecce in lege gratiæ supponitur debitam esse decimationem.

Tertiò. Referens multa decreta & decretales Epistolas,quæ id apertè pronunciant in capite, *Parochianos* de decimis Alexander tertius ait, cū decimæ non ab homine,sed à Deo sint institutæ, quasi debitum exigi posse: & eodem titulo Innocentius.3.capite. *Tua*. sic ait: *Imperialis concessio neminem potest à solutione decimarum eximere, quæ diuina constitutione debentur*. Et idem Pontifex in Concilio generali,& refertur capite, *in aliquibus*, de decimis circa finem inquit: *Illa quippe decimæ necessariò soluendæ sunt, quæ debentur ex lege diuina,vel loci consuetudine approbata*. Ecce expressè distinguit Pontifex inter decimas consuetudine debitas, & eas,quæ ex lege diuina debentur: & huic fit allusio.16.quæstion. 7. Can. *Omnes decimas*,quando dicitur, *decimas Deo dari*,& capite *tuæ nobis*,extra de decimis, Deo dari insignum vniuersalis dominij Deo debiti. Vnde colligitur eas esse debitas ex diuina institutione. Ex his colligit Innocentius vbi supra, quasi hæreticos esse iudicandos asserentes in lege gratiæ decimas non deberi iure naturali aut diuino, sed positiuo. Innoc.

Quartò probatur testimonijs sanctorum Patrum, quos refert Gratianus. 16.quæst.1. Can. *reuertimini*, & quæst.7.per multa capita, qui id videntur astruere:& idem faciunt Romani Pontifices sæpè in Rubricis de decimis.

Quintò.Lumen naturæ dictat ministros diuini cultus laborantes pro populo in sacris functionibus offerendi sacrificia, ministrandi sacramenta,docendi,ac sacram Scripturam interpretandi,& similia,esse à populo alendos,& præmiandos,vt docetur Matth. 10. *Lucæ*. 10. 1. *ad Tim*. 5.1. *ad Corinthios*.9.ergo decimæ non tantū iure positiuo,sed iure naturali, & diuino sunt præceptæ,vtpote quæ pro præfatis functionibus exercendis à populo sacerdotibus exhibentur. Quo argumento probari videtur, præceptum decimarum in lege veteri non fuisse cæremoniale,aut iudiciale, sed morale, ac proinde in lege Euangelica adhuc viget,nec antiquatum est. Matt.10. Luc.10. 1.ad Tim.5. 1.ad Cor.9.

2 *Secunda sententia* parum recedens à prima asserit,decimas prædiales esse debitas iure naturali & diuino:decimas autem personales tantum iure positiuo.Ita Hostiensis *in summa titulo de decimis*.§.*& vtrumque*.q.7. Enriquez in c. *peruenit, de decimis*. Felinus in c. causam *de præscriptionibus*: & in communi vsu esse receptam adnotauit Cardinalis *cap*.1.*de decimis*. Hostiens. Enriq. Cardinal.

Tertia sententia ait,nullum decimarum genus esse in lege gratię debitum ex iure naturæ,aut positiuo diuino,sed tantum iure humano ac Pontificio: hāc tenet Maior.*in* 3.*dist*.36.*& quæst*.73 Alex. Alensi.3.*part*.*quæst*.51.*memb*.6. *artic*.1. Adrianus, *quodlibeto*.5.*art*.1.ac deniq; D.Tho. cum eius *interprete Caietano in articulo, & quodlibeto* 2. *& omnes posteriores* D. Thomæ discipuli, speciatim Dominicus à Soto *lib*. 9. *de iustitia & iure. quæst*.4.*arti*.1. imò & omnes Theologi eam tuentur contra Canonistas: & famosiores Canonistæ interpretes eidem sententiæ adhęserunt. Couarru. *lib*.1.*variarum cap*.17. Nauarrus in *Manuali. cap*.21.*num*.28. Ioannes Gutierrez *Canonicus Ciuitatensis, lib*.2.*quæstionum Canonicarum, cap*. 21. & ferè omnes nostri temporis. Et ante hos Turrecremata in cap. *Reuertimini*,16.*quæst*.1.*art*. 3. Florentinus 2.*part*.*titu*. 4. *cap*. 3. §. 9. Syluester *verbo Decimæ quæst*.3.*&* 4. à qua sententia non est recedendum,quia efficacissimis rationibus inferius probabitur,& eam explico & amplifico per sequentes assertiones. Maior. Alensis. Adrian. D.Thom. Caiet. Soto. Couar. Nauarr. Gutierr. Turrecre. Florentinus. Syluest.

Prima assertio.Iure naturali corroborato & repetito in Euangelio debetur clericis à populo congrua sustentatio:& hoc duplici ex causa. *Prima* ad subleuandam indigentiam ministrorum Ecclesiæ. *Secunda* in iustam mercedem debitam pro sacrarum functionum labore. Hanc conclusionem probauit Christus Dominus, Lucæ. 10. Ratio est deprompta ex ipsis visceribus luminis naturæ dicens discipulis: *In eadem domo manete edentes & bibentes,quæ apud ipsos sunt*. 1. Assertio. 3 Luca.

Dices quare? quia dignus est operarius cibo suo:& Matthæi. 10. *Dignus est mercenarius mercede sua*: quod amplius explicat Apostolus. 1. ad Corinthios.9. manifestis argumentis ex ipso rationis dictamine desumptis. *Quis* (inquit) *militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem & de lacte eius non manducat? &c*. Et post pauca. *Ita Dominus ordinauit, vt qui Euangelium annunciant de Euangelio viuerent*. Vbi ordinauit? In locis citatis ex Euangelio *Matthæi*. 10. *& Lucæ*. 10. quibus in locis legem naturæ corroborauit,& 1. ad Timotheum. 5. *Qui bene præsunt presbyteri honore digni sunt maxime qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura: Non alligabis os boui trituranti,& dignus est operarius mercede sua*. Vbi Haymo, *duplicem*, inquit, *honorem præcipit exhiberi presbytero in salutationibus, videlicet vt humilient se illi subditi,& in exhibendis donis subsidijsque temporalibus*: & Hieronymus ad Titum.3. in fine. *Apostolicis* (ait) *viris & Euangelizatoribus Christi in vsibus necessarijs nolle tribuere sterilitatis se ipsum est condemnare*, & August. in Psalm. 146. *Debetur*, inquit, *seruo alere,sicut Domin⁹ ait,mãducate quæ ab ipsis sũt: Et ne putarent aliquid de suo donare,dignus est enim* (inquit) *mercede sua: Ecce rationẽ naturalẽ id cogẽtem*. Matt.10. 1.AdCo.9 Matt.10. AdTim.5. Hierony. Psalm.

4 *Secundò probatur*. Nulla enim gens,nullave natio tā barbara,quæ suis sacerdotibus ac sacrorum ministris necessaria ad honorificam sustentationē non ministraret: Igitur multo maiori iure ac ratione populus Christianus ministris diuini cultus tenebitur victum & stipendia honorabiliora elargiri. *Ad probandũ antecedens* multa possemus ex annalibus profanis adducere, sed satis nobis sit illustria sacræ Scripturæ testimonia adducere *Genes*.47. vbi habetur premente fame terrā AEgypti per septem annos & omnibus vendentibus suas possessiones,vt à Pharaone emerent escas, solos sacerdotes suas possessiones non vendidisse,eo quod statuta cibaria eis ex horreis publicis præbebantur. Genes.47

Caiet. Super quem locum Caietanus *Hinc apparet*
5 (inquit) *integritas Pharaonis; qui nec in tanta omniũ rerum penuria substraxit solita alimenta sacerdotibus, qui diuino cultui addicti, & speculatiuis scientijs intenti erant:* & Oleaster *Clamat* (inquit) *locus hic publicos ministros Dei alendos esse à populo, præsertim verò à Rege: & quantæ Regibus curæ ministri sacrorum esse debeant, etiam si aliunde habeant vnde se possint sustentare, quia nemo suis stipendijs militare debet.* Et Abulensis ibidem, *sicut summa decimarum à communi data sacerdotes sustentantur, ita tunc licet decimæ non darentur, in qualibet tamen communitate statuebantur horrea frumentaria, vnde cibaria sacerdotibus sufficienter tradebantur. Nam quia sacerdotes erant personæ publicæ administrantes cultum diuinum pro salute totius communitatis, ob id ex bonis communitatis sustẽtari debebantur.*

Tertiò probatur ex multis legibus veteris testamenti, quibus Deus stipendia suis ministris assignauit, vt iure naturali de sustentandis ministris abundè satisfieret.

Quartò probatur ex vsu Christi Domini, Apo-
6 stolorum, & primitiuæ Ecclesiæ ad nostra vsque tempora. Nam cùm superstes esset Christus Dominus, & munus prædicationis obiret, ex his quæ illi dabantur vna cum suis victum capere consueuerat. *Iudas enim* (inquit Ioannes
Ioan. 12. 12.) *loculos habens ea, quæ mittebantur portabat*: perseuerauit, auctusq́; est idem vsus temporibus Apostolorum, ad quorum pedes suorum bonorũ credentes oblationem liberam spontaneamque faciebant, simulque deferebant, ex quibus cum ipsi, tum cæteri qui egerent victitarent: & sicut Religio Christiana est amplioribus spatijs propagata, ac proinde sicut Christianorum: ita etiam clericorum eisdem inseruientium auctus est numerus: ita coaugmentatus est maior oblationum prouentus, vsque adeò vt Gentilium
Ammian. inuidiam, vt ait Ammianus Marcel. *lib.* 27. & Imperatorum Christianorum odia concitarent, qui verentes ne liberalibus viduarum largitionibus clerici locupletarentur nimis, filij verò ipsarum pauperes redderentur, eas restringere, & cohibere (arbitrio voluntatis, potius quam recti iudicij ratione) sæpè conati sunt, vt videre
Theodos. licet *l.* 20. *de Episcop. & clericis*, Codice Theodos.
Hierony. l. 26. cap. eodem: & Hieronymus *Epistol. 2. ad Ne-*
D. Ambr. *potianum*, Ambrosius *aduersus Symmachum*. Erogabat eas Episcopus cuique Ecclesiæ ministro: prout opus esse videbatur, & sumebat vnusquisque suam portionem, quam veteres Romani sportulam appellabant: Vnde Cyprianus Epistola 34. de quibusdam clericis ait. *Cæterum presbyterij honorem designasse nos illis iam sciatis, vt sportulis eisdem cum presbyteris honorentur, & diuisiones mensurnas æquatis quantitatibus partiantur:* Sportulas vocat Cyprianus stipendia, quæ singulis cle-
Cypria. ricis per menses, aut dies singulos ab Episcopis distribuebantur: erant enim tempore illo quidam communem vitam agentes; alij separatim degebant, vt notat Pamelius in loco citando Cy-
Pamelius priani; illi communi mensa ab Episcopo sustentabantur, his verò pro meritis singulorum certa numorum vel obsoniorum quantitas, alijs maior, alijs minor conferebatur. Huiuscemodi portionem vocat Cyprianus sportulas, & clericos accipientes vocat sportulantes *Epist. 66.* dum ait *Hæc nunc ratio & forma in clero tenetur, vt qui in Ecclesia Domini ordinatione clerica promouentur, in nullo ab administratione diuina auocentur, nec molestijs aut negotijs secularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes ab altari, & sacrificijs ne recedant: sed die ac nocte cœlestibus rebus, & spiritalibus seruiant.* Hæc Cypr. de suis temporibus proximis ætatibus Apostolorum: in nostro autem seculo ministros Ecclesiæ ex oblationibus fidelium esse alendos, & iura clamant superius citata, & vsus satis & experientia testatur.

Quintò. Iustitiæ legalis norma natura impellẽ- 7
te iubet ministris publicis, verbi gratia magistratibus, militibus, quæstoribus, & alijs huiusmodi, stipendia honorabilia conferre pro ministris, & officijs, quibus Reipublicæ deseruiunt: ergo potiori ratione id præcipiet de ministris diuini cultus. Consequentia patet, quia ad id cogit nõ solũ iustitiæ legalis natura, quæ ad bonum commune respicit, verùm Religionis virtus, quæ respicit bonum commune. Eodem enim iure, quo tenetur populus Deum colere sacrificijs, oblationibus, sacramentis & huiusmodi tenentur sustentare, ac stipendia largiri ministris publicis diuini cultus: quales sunt clerici in Ecclesia Christi: quod vsque adeò verum est, vt si ministri Ecclesiæ egerent, nec haberent vnde possint sibi necessaria comparare, populus deberet cogi ab habente potestatem ad exhibenda necessaria ad sustentationem, vt videre licet in Abbate cap. *eam*, de verborũ significatione, & alijs Iurisperitis, quos citat Couarr. vbi sup. nu. 3. quin imò, etiam si mi- Couarr.
nistri publici habeant aliundè necessaria, puta ex patrimonio, artificio, vel alio simili, populus debet cogi ad debitum stipendium præstandum. Nemo enim militat suis stipendijs, prima ad *Cor.* 1. ad Cor.
9. quod in specie tradunt Rom. *Consil.* 344. *Decius* 9.
cap. cum inter, num. 26. de exceptionibus, quidquid alij Roman.
dicant. Decius.
8
Secunda assertio. Non est iure naturæ debitum soluere decimas fructuum, aut quorumcunque 2. Asser.
aliorum bonorum, siue in sustentationem ministrorum sacrorum, siue quouis alio tit. *Hæc assertio probata* est in prima dubitatione huius articuli, & modò breuiter probatur ratione efficaci: Nã ratio naturalis non magis dictat pendendam esse decimam ministris sacris pro eorum functionibus, quàm octauam, aut nonam, vel aliam quampiam quottam; ergo decimæ non debentur ex iure naturali. *Simili ratione probatur* non esse de iure naturali aliquam partẽ fructuum, vel pecuniarum esse dandam pro stipendio ministrorum, quia quamuis ius naturæ præscribat esse alendos ministros Ecclesiæ à populo, quod tamen id fiat collata aliqua parte fructuum, non dictat, quia possunt ali dando eis pecunias, vnde emant sibi necessaria: similiter non collatis pecunijs possunt sustentari ex fructibus.

Et iuxta tenorem huius assertionis est intel- D. Thom.
ligendus D. Thom. quando ait in hoc articulo, decimas partim esse debitas iure naturali, qua ratione sustentatio ministrorum eodem iure est debita:

debita: partim esse debitas iure positiuo, quantum ad determinationem decimæ partis soluendæ: & sub priori consideratione præceptum decimarum esse morale: quantum ad posteriorem iudiciale: non est autem intelligendus quod sit de iure naturæ reddere aliquam partem ex fructibus, vt ipsum interpretatur Abulensis, *Matth. 26. quæst.* 148. fingens hostem vbi non est: sed mens eius est in præcepto decimarum duo includi. *Vnum est* dare necessaria ad sustentationē ministrorum, siue illa pecuniæ sint, siue obsonia, siue fructus, vel aliud quidpiam, & hoc iure naturæ debitū est ministris: *Alterū est* decimā partē fructuum dare: & hoc ad ius positiuum humanū pertinet: vnde absolutè & propriè loquendo secundum mentem D. Thomæ decimas soluere non pertinet ad naturæ ius, sed ad humanum. Itaque quando D. Thomas asserit ad decimarum solutionem teneri homines partim ex iure naturali: non est intelligendus de parte fructuum, aut lucrorum: sed quoad id, quod in decimarum lege includitur, vt intrinsecus finis, nempe sustentatio ministrorum, siue id sit pars fructuum aut lucrorum, siue quodlibet aliud designatum ad præfatam sustentationem: & sic est intelligendus

Caiet. Caietanus *in hoc articulo*, & Couarruuias *in practicis quæstionibus, numero.* 8. Ioannes Gutierrez.
Couarru. *lib. 2. Canonic. quæstionum, cap.* 21. *num.* 9. qui aliquantulum subobscurè loquuntur.
Gutier.

Secundo probatur eadem assertio. Consuetudine aut præscriptione introduci potest diminutio, aut totalis ablatio decimarum, vt infra videbimus: ergo non sunt debitæ ex iure naturæ, etenim ius naturale vnum, & idem, ac immobile perseuerat, sicut ipsa natura, quæ à solo Deo mutari potest.

3. Assertio
9 *Tertia assertio.* Decimæ non sunt debitæ iure diuino Euangelico, ac positiuo. Consultò diximus iure Euangelico, quia iure diuino positiuo legis veteris palam est fuisse debitas. *Probatur assertio.* In lege Euangelica ea duntaxat sunt obseruāda ex diuino & Euāgelico iure, quę à Christo, vel eius Apostolis nobis præcepta fuere, iuxta

Marc. vlt. illud *Mar. vltimo* docentis eos seruare, quæcunque mandauit illis, sed neq; in doctrina Christi, neque in doctrina Apostolorū aliquod continetur præceptum de decimarum solutione: ergo iure Euāgelico non debentur decimæ.

D. Thom. *Secūdo.* Nullū extat præceptū in lege Euāgelica, quod non sit iuris naturalis, nisi ea, quæ de sacramētis, & fide dātur, vt docet D. Th. 1. 2. *quæst.* 108. *art.* 1. & 2. & quodl. 4. art. 13. propterea, quæ dixit Christ⁹: *Iugū meū suaue est, & onus meū leue:* sed præceptū de soluēdis decimis nō pertinet ad ius na-

4. Assertio turę, vt habetur in pręcedēti assertione, nec ad sa-
10 cramēta, neq; ad fidei articulos ptinet: ergo, &c.

Quarta assertio. Decimarum solutio debita est in lege gratiæ solo iure positiuo Pontificio. *Prima pars huius* exclusiuæ, scilicet quod iure positiuo Pontificio decimæ sunt debitæ, probatur ex multis, quæ habentur in toto Canonico iure titulo de decimis, speciatim ex iuribus citatis in argumento tertio, in fauorem Canonistarum, in quibus expressius habetur præceptum de soluendis decimis: Insuper ex Concilio Constantiensi, *sessione.* 8. contra Vviclephum reijcientem solutionem decimarum vt debitam. *Secunda pars,* videlicet, quod non alio iure, iam probata est in præfatis assertionibus.

Deinde probatur. Præceptum de soluendis decimis iudiciale, aut cæremoniale est in veteri lege, sed omnia præcepta veteris legis cessasse in lege gratiæ fides docet: ergo & præceptum de soluendis decimis, nisi de nouo statueretur in iure Canonico, iam abolitum esset. Hoc argumen- Maior.
tum tanti ponderis visum est Ioanni Maiori *in 3. sent. dist. 37. quæstio. 36.* vt dixerit Iurisperitos asserentes decimas esse debitas iure diuino scripto in lege veteri in hæresim declinare, eò quod ex eorum dictis consequitur legem veterem obligare vsque nunc, quod aperrè ab Ecclesia damnatum est: eadem censura notantur Canonistæ à Bellarmino *tom. 1. ca. 25. de clericis lib.* 1. Nos verò ab hac nota liberamus: possent enim dicere hoc præceptum morale esse, ac subinde non cessasse in lege gratiæ: sed sic dicere voluntarium est, sine vllo fundamento vel apparenti, vt patebit consideranti ea, quæ dicta sunt in præcedentibus assertionibus. 11

Vltima assertio. Valdè probabile cēseo solutio- Vlt. asser.
nem decimarum in lege Euāgelica haberi ex traditione Apostolorum, id est Apostolos eam instituisse, & ab ipsis ad nostra vsque tempora ab ætate in ætatem iussionem dimanasse. *Probatur.* Id quod vniuersa Ecclesia tenet, nec Concilijs, aut Pontificijs legibus noscitur primò esse institutum, sed semper retentum est ab Ecclesia, id certè ex Apostolica traditione habetur: regula est August.
D. Augustini *libr. 4. contra Donatistas cap.* 24. sed vniuersa Catholica Ecclesia retinet decimarum solutionem, & retinuit, neque in aliquo Concilio aut lege Pontificia legimus esse institutam: ergo ad traditionem Apostolicam spectat. *Maior explicatur,* si enim cuiusque consuetudinis diu in Ecclesia obseruatæ originem & principium nec ad summos Pontifices, nec ad Synodos Episcoporum referre possumus, sed ea consuetudo vsque ad Apostolorum tempora retrotrahitur, signum apertum est, illam ab Apostolis dimanasse. Hoc pacto colligimus præceptum ieiunandi in Quadragesima haberi ex traditione Apostolica, & alia multa. Minor autem probatur, & primò nos non legere institutionem decimarum in lege gratiæ in aliqua Synodo, aut lege Pontificis: etenim omnia iura citata, & quæ citari poterant, si benè perpendantur non instituunt decimarum solutionem, sed quasi iam institutam iubent mandari exequutioni: Sancti similiter vtiam institutam cōmendant.

Quod verò decimarum solutio fuerit in vsu 12
Ecclesiæ Christi à tempore Apostolorum vsque Clemēt. I.
nunc ex testimonijs modò citandis apparebit. Clemens I. lib. 2. constitut. Apostol. cap. 29. sic Apostolos præcepisse commemorat: *Quæ ex decimis, & primitijs secundum mandatum Dei dantur, vt Dei, homo consumat voluntarièq́, quæ occasione pauperum offeruntur, rectè dispenset, &c.* Et post pauca, *sed non solivagantes, egenisque impertientes*

Dei offensam vitabitis: & cap. 38. *Episcopos & sacerdotes, principes & Reges vestros putatote, & tributa tanquam Regibus penditote, &c.* Et post aliqua: *Ideò illi*, id est Episcopo, *pro se & suis alendis clericis offerte fructus vestros, & per manus vestras in vestram benedictionem, primitias vestras, decimas partes, dona vestra dantes ei, vt sacerdoti Dei, primitias inquam frumenti, vini & olei, pomorũ, atq; omniũ, quæ Deus præbet vobis, &c.* Idẽ suadet, c. 39. Videndus etiã li. 7. c. 30 Itẽ l. 8. c. 36. sic ait, ex nomine Matth. Apostoli: *Ego Matthæus præcipio omnes primitias offerri Episcopo & Præsbyteris & Diaconis ad victum ipsorum, decimas offerre ad victum reliquorum clericorum, virginum, ac viduarum, & his, qui sunt paupertate oppressi.*

Origen. Accedit Origenes coæuus Apostolorum, vtpote circa annum Domini. 204. degens, *Homilia. 11. in Numeros* dicens de primitijs, ac proinde de decimis in hunc modum: *Sicut & in hoc sermone, quem habemus præ manibus arbitror conuenire, decet enim, & vtile est etiam sacerdotibus Euangelij offerri primitias, ita enim & Dominus disposuit, vt qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuant, & qui altario deseruiunt de altario participent: & sicut hoc dignum & decens est, sic & è contrario indecens & indignum existimo, & impium, vt is, qui Deum colit, & ingreditur Ecclesiam Dei, qui scit sacerdotes & ministros assistere altari, & aut verbo Dei aut ministerio deseruire, vt de fructibus terræ, quos dat Deus solem suum producendo, & pluuias suas ministrando, non offerat primitias sacerdotibus: non videtur huiusmodi anima habere memoriam Dei, nec cogitare, nec credere, quia Deus dederit fructus quos cepit.* Et inferius de decimis agens: *Multo plura à Christianis præstanda in eo genere Deum voluisse, quàm à Pharisæis, qui decimabant mentam, & anetum, secundum quod scriptum est, nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Pharisæorum & Scribarum, non intrabitis in Regnum Cœlorum, demonstrat.*

Cypri. Videndus est Cyprian. Epistol. 66. citata, vbi
Hierony. decimarum solutionem insinuat: eandem &
13 Hieronym. Malach. 3. in hæc verba. *Quod de decimis primitijsque diximus, quæ olim dabantur à populo sacerdotibus & Leuitis in Ecclesiæ quoque populis intelligite, quibus præceptum est non solum decimas dare & primitias, sed vendere omnia, quæ habent, & dare pauperibus, & sequi Dominum saluatorem: quod si facere nolumus, saltem Iudæorum imitemur exordia, vt pauperibus partem demus ex toto, & sacerdotibus, & Leuitis honorem debitum deferamus. Vnde dicit & Apostolus, honora viduas, quæ vere viduæ sunt, & præsbyterum duplici honore honorandum, maximè qui laborat in verbo & doctrina Dei: quod qui non fecerit Deum fraudare & supplantare conuincitur.* Pro quo testimonio explanando ne lectori offendiculum præstet, *notandum est*, quod etsi D. Hieronym. dicat esse præceptum vendere omnia, & dare pauperibus; tamen intelligit esse præceptum non absolutè, sicut de soluendis decimis: sed si quis perfectus esse velit, vt dicitur in Euangelio: nam de isto subdit: *Quod si facere nolumus.* De decimis autem dicit: *quod qui non fecerit, Deum fraudare & supplantare conuincitur.*

Augustinus sæpius id ipsum inculcat sermone. 215. de tempore ait: *decimas de fructibus vestris Ecclesijs reddite*, & sermone. 219. sermonem integrum de reddendis decimis perorauit, ad cuius finem sic ait: *Decimæ enim ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit res alienas inuasit.* Præmiserat autem multa bona euenire dantibus decimas, multa aũt mala comminari eas negantibus, & refertur. 16, quæst. 1. cap. *Decimæ tributa sunt*, quæ verba Augustini pulchrè expendens Concilium Triburiense Can. 13. de decimis sic ait. *Augustinus Doctor mirabilis sub breui ratiuncula satis videtur dilucidasse cum ait. Decimæ ex debito requiruntur. Quod si diceret Deus, meus es ô homo, mea est terra, quam colis, mea semina, quæ spargis, mea animalia, quæ fatigas, meus est solis ardor, & cum omnia mea sint, tu qui manus accommodas solam decimam merebaris, sed seruo tibi nouem, da mihi decimam, si non dederis decimam, auferam nouem, si dederis mihi decimam, multiplicabo nouem. Si ergo quærit aliquis cur decimæ dentur? sciat quod ideo dandæ sunt, vt hac deuotione Deus placatus largius præstet, quæ necessaria sunt, & vt ministri Ecclesiæ ex inde releuati liberiores fiant ad spiritualis exercitij expletionem, & vt munus populi ex hinc in quotidiana oblatione Domino immoletur, nec non secundum statuta Canonum in sustentationem pauperum, & restaurationem Ecclesiarum proficiant*: & idem Augustinus ho- August.
mil. 48. de 50. & refertur. 16. quæ. 7. *Maiores nostri* (inquit) *ideò copijs abundabant quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant. modo autem quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci, nolumus partiri cum Deo decimas, modò autem totum tollitur, hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus*: expendendum est verbum illud Augustini: *maiores nostri*, quo declaratur decimarum solutionem non esse recenter in Ecclesiam introductam, sed à maioribus præstari solitam, vixit autem Augustinus circa annum *Domini.* 384. Et tamen ad maiores retroagit decimarum solutionem. vt hinc discamus eam non esse recenter in Ecclesiam introductam, sed à maioribus præstari solitam.

Et Ioannes Chrysostomus *in homil.* 43. *super* Chrysost.
primam ad Corinthios iuxta quendam eius inter- 14
pretem in hæc verba prorumpit hortans primitias decimasque pendere: *Opifex vt pote calceorum consarcinator, aut sutor, aut faber ærarius, aut quiuis alius artifex, cum aliquid vendiderit ex his, quæ sua arte fiunt, det Deo primitias pretij: ibi, in arcam scilicet, paruam quantitatem deijciat, & ex minori parte cum Deo partiatur, neque enim magnum quid peto sed tantum, quantum Iudæorum Infantes, & mille malis pleni, tantum nos qui cœlum expectamus iaciamus: hæc autem dico non legem ferens, neque probibens ne plus eroges, sed æquum censens, & non minus depones quam partem decimam: hoc autem fac non solum vendens, sed etiam emens. Hanc etiam legem seruent qui prædia possident in prouentibus.* Et homil. 18. in Act. Apostolorum circa illa verba, *& multis oppidis Samaritanorum euangelizabant*, sic ait: *Parum ne est oro torcular benedici, parum ne est, Deum ex omnibus frugibus ac decimis prius partem ac decimas accipere? ad pacem agricolarum hoc vtile, venerabilis erit & præs-*

& presbyter postea, & ad securitatem agri conducet: preces illic, perpetuæ laudes, & Synaxes, propter te oblatio per singulos dies Dominicos.

Ecce apud antiquissimum Chrysostomum frequens mentio decimarum: nec est quod lectorem turbet Chrysostomū in priori loco suadere ad decimas soluendas pro pauperibus, in hoc autem secundo pro ædificatione Ecclesiarū: quia decimæ antiquitus pro sustentatione ministrorum, pro fabricis Ecclesiarū, aut pro pauperum subuentione soluebantur, vt videre licet in
15 *Epistola Gelasij. 1. cap.* 27. & Concil. Triburiensi, Can. 13. sed in citandis autoribus nolo amplius detineri, liquet enim ex omnibus antiquis & Catholicis scriptoribus, qui de decimis meminerūt, neminem vt nouum inuentum de decimis approbasse, sed vt antiquissimū veneratum esse, ac suasisse: quod etiam ostendi poterit ex ipsis sacris Synodis, quando de hac re loquuntur.

Accedat in primis Concilium Matiscõnense. 2. 60. Patrum sub Guntrano Rege celebratū anno Domini. 588. tempore Pelagij. 2. quod cap. 5. sic pronunciat: *Leges diuinæ consulentes sacerdotibus ac ministris Ecclesiarum pro hæreditaria portione omni populo præceperunt decimas fructuum suorum locis sacris præstare, vt nullo labore impeditiores legitime spiritualibus possint vacare ministris quas leges Christianorum cœtus, longis temporibus custodit intemeratas.* Ecce non recens natum præceptum de solutione decimarum, sed antiquissimum, cuius non assignatur initium in aliquo Concilio: nunc autem id est anno Domini. 588. paulatim præuaricatores legum pene Christiani omnes ostenduntur, dū ea quę diuinitus sancita sunt adimplere negligūt. Vnde statuimus ac decernimus vt mos antiquus à fidelibus reparetur & decimis Ecclesiasticis famulantibus cæremonijs populus omnis inferat, quas sacerdotes aut in pauperum vsum, aut captiuorum redemptionem prærogantes suis orationibus pacem populo, ac salutem impetrent: si quis autem contumax nostris statutis salubertimis fuerit à membris Ecclesiæ omninò separetur. Nimis prolixum est innumera referre Concilia hanc statuentia antiquitatem, nec vllum inuenio, quod institutionem decimarum ad legem aliquam Pontificiam aut decretum Conciliale retulerit: quare censeo eam ad Apostolorum traditionem esse referendam.

16 *Ad argumenta* verò posita in initio disputationis in fauorem Canonistarum sentientium decimarum solutionem esse debitam iure diuino, & naturali: *respondetur* ad primum. Mirum est homines Catholicos velle probare decimarū præceptum ex eo, quod in lege veteri erant in præcepto: pariter enim deberēt concedere legem Moysi cum suis præceptis cæremonialibus ac iudicialibus in suo vigore permanere: ac proinde non esse euacuatam Christi legem, quod apertè hæreticum dogma est: igitur concesso quod multis in locis veteris testamenti decimarum solutio à Deo præcepta est, negatur proinde esse in lege gratiæ præceptam quia in ea iam omnia cessauerunt, & partim mortifera, partim mortua sunt, mortifera nequaquam renouanda in lege gratiæ, mortua aūt aliquando renouata fuere: inter quę computandum est præceptum decimarum institutum non à Deo, sed à sacratis Ecclesiæ Christianis viris.

At secundum respondetur. Ex illo testimonio & similibus non colligitur instituisse decimarum solutionem, aut retinuisse in lege gratiæ, sed docuisse eam esse seruandam ab illius legis veteris cultoribus, quia ea lege à Deo præcepta erat: itaq; vt ait D. Thomas in secundo argumento, illud testimonium ad tempus præteritum legalis obseruantiæ referendum erat.

Ad tertium. Iuris Canonici periti non exiguam 17
captant occasionem in eam sententiam quā amplexati sunt abeundi ex iuribus citatis, nisi rationes nostræ efficaciter eis aduersarentur, quapropter illis respondendum est. Quidam quos refert
Abulensis sine nomine super cap. 23. *Matt. q.* 148. *Abulens.*
dicunt Summis Pontificibus in suis Epistolis decretalibus esse omninò credēdū, ac fidēdū erga sua mādata, ac præcepta. Cæterū in interpretatione Sacrarū Literarū plus fidei adhibēdū sacris Doctoribus, vt August. Hieronymo, & similibus: & quia in citatis iuribus de solutione decimarū est aliquid ad mandatum pertinēs, putà decimas ex debito esse soluendas, & est aliquid pertinens ad interpretationē Scripturarū, videlicet an sint de iure diuino: in primo cū Pontificibus citatis tenēdū est: in secundo autē de quo disputamus nequaquā, sed ex sacris Literis, & earū interpretatione colligendū. Cū autē nō habeamus ex sacra Scriptura, neq; ex eius interpretib⁹ decimas esse de iure diuino, à Pontificis decretalibus Epistolis in hac parte recedendū est: ego verò quamuis nō censeam verum dictum Gratiani. 19. dist. cap. *in Canonicis. decretales Epistolas esse Scripturis diuinis*
annumerandas. vt benè adnotauit Couar. 4 *lib. variar. cap.* 16. *Couar.*
tamen solutionem præfatorum omninò reijcio, eo quod censeo Summos Pontifices quando vt pastores Ecclesiæ loquuntur errare non posse, neq; in his quæ ad fidem pertinent, neq; in his, quæ ad mores spectant: sed hoc ad amussim expendere non est huius loci.

Quaprópter aliter respondetur. *Primò,* decimarum solutionem dici esse ex diuino iure debitam, esse diuinum mandatum, esse ex diuina ordinatione, non quia Deus, aut Christus homo, Deus tale præceptum ediderit immediatè; sed quia Apostoli tradiderunt, quorum præcepta dicuntur Dei præcepta. Hac loquendi phrasi vtuntur
Hierony. in 2. *cap. Ionæ,* Ambros. Concil. 36. *Hierony.*
Chrysost. *homil.* 1. *in Genesim*, qui ad Christum *Ambros.*
referre videntur præceptum ieiunandi in Quadragesima; non quia Christus immediatè illud præceperit, sed quia Apostolica mandata Christi esse censentur, qui per Apostolos Ecclesiæ loquebatur, atque adeò per Spiritum sanctū Apostolis, iuxta illud Ioann. 16. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Spiritus, &c. annun-*
tiabit vobis: cui consonat illud Apostoli. 2. Co- *2. Cor. 13.*
rin. 13. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus.*

Secun-

18 *Secundo*, quicquid sit de traditione Apostolorum respondetur, dici debitas iure diuino in lege gratiæ ordinatione diuina, & esse Dei mandatum exemplariter tantum & imitatiuè, nō verò formaliter, & legislatiuè, vt ita dicamus. Etenim cū in lege veteri legislator Deus iusserit decimas dari, ex vi illarum legum tenebantur illius legis cultores eas conferre, & leges illæ vim obligandi influebant in populum Hebræum, cessante tamen lege per Christi aduentum eædem leges decimarum nullā habuerunt vim obligandi Christicolas, habuerunt tamen vim exemplarem & imitatiuam, quia ad earum legum exemplar & imitationem Ecclesiæ Christianæ Prælati, siue Apostoli illi fuerint, siue alij Summi Pontifices, eas denuo statuerunt esse soluendas satis piè & iustè, pro sustentatione ministrorum Ecclesiæ Christi.

Sed vrget quispiam. In præfatis iuribus non solum dicitur decimas esse debitas iure & ordinatione diuina, sed etiā dicitur rationē & causam obligationis & debiti nasci, ex eo, quod sint debitę iure diuino: sed vis obligationis & debiti, nō habet ortū ex imitatione & exemplo, sed ex vera & formali legislatione, & iussione: ergo nisi explices, quomodo obligatio soluēdi decimas habeat robur ex lege diuina lata obligante ad decimas soluendas, non explicas citata iura, quæ expresse asserunt, ideò esse debitas in lege gratiæ, quia sunt de iure diuino. *Respondetur.* Citra dubium leges decimarum non sumunt vim obligandi ex eo, quod sint editæ ad imitationem legis diuinæ; sed quia Ecclesia, cui tenemur obedire, eas tulit: at verò propter eas, quæ sunt latæ ad imitationem diuinarum, quas Deus olim populo suo dedit, libentius & facilius à Christiano populo obseruantur. Cuius ratio est, quia cum decimarum solutio sit non mediocre onus, populi impositum humeris, non parum alleuiabitur, & multum animabitur ad eius supportationem Christiana plebs, si in memoriam reducat decimas olim à Deo esse institutas pro populo dilecto Hebræorum gubernando: easque persoluisse cum alacritate & gaudio, vt supra retulimus ex Philone: & inde inferunt, Ecclesiæ Christianæ Prælatos egregio capto consilio easdem instituisse in

19 Ecclesia Christi ad exemplar & normam legis diuinæ: tum quia sicut illæ decimæ inuentæ sunt pro sustentatione Leuitarum & sacerdotum, ita & nostræ pro ministris Ecclesiæ Christianæ, quia auctior est & sacratior numerus eorum: tū quia sicut lex à Deo lata erga populum suum, non potuit esse non plena æquitatis & iustitiæ, sic & lex edita ab Ecclesiæ Prælatis ad illius antiquæ legis piam imitationem censeri debet æqua ac iusta.

Igitur vt in summa respondeamus illa causalis, decimæ soluendæ sunt, quia sunt ex iure diuino, non dicit causam inducentem obligationem, sed inducentem ad faciliorem obseruantiā obligationis impositæ per Ecclesiæ præceptum, sicut explicatum est: ex his planus manet sensus capituli *parochianos*, & etiam explicatur capitulum, *tua*, vbi Pontifex supponit Imperialem, aut Regalem potestatem non posse detrahere vel in vno apice Ecclesiæ mandatis: vt apertè dicitur ca. *Tua nos* de decimis, & de cōstitutionibus ca. *Quæ in Ecclesiarū*, & c. *Ecclesia sācta Mariæ*, codē tit. & multominus potest eximere à decimarum solutione, quę iussę sūt solui ab Ecclesia ad imitationem legis diuinæ olim latæ pro gubernatione populi Hebræi: ex qua imitatione colligitur quanta cum æquitate tale præceptum Ecclesiarum Prælati in plebe Christiana imposuerint.

Distinctio autem insinuata in capite *in aliquibus*, tantum probat quasdam decimas esse scriptas in Ecclesia ad normam, & imitationem legis diuinæ, putà prædiales, quasdam verò non item, verbi gratia, personales de quibus infra. Vel, secundò respondetur, sensum esse illas decimas necessariò soluendas, quæ vel debentur iuxta quantitatem lege diuina determinatam, quam Ecclesia annotauit, vt fit vbi soluuntur integræ decimæ, vel iuxta quantitatem consuetudini loci determinatam, vt fit vbi soluitur minus quàm decima, & tamen decima vocatur.

Ad quartum ex testimonijs Patrum *respondetur* esse interpretandos sicut Canones citati, quamuis non ita expresse loquantur: hoc vnum duntaxat admoneo, quando in Patribus, aut Synodis sacris reperitur decimas Deo dari, intelligendum esse mediatè: quia tandem ad Dei cultum talis datio ordinatur, sicut supra latius explicui. 20

Ad quintum, concesso antecedenti, negatur consequentia: etenim quod exhibeatur à populo sustentatio pro ministris diuini cultus, ius naturæ poscit: quod verò portio exhibenda sint fructus rerum, aut certa quotta nequaquam, vt supra latè probauimus. Et obiter aduerte, Iurisperitos citatos in duobus lapsos fuisse. *Primò*, quia ex debita sustentatione ministrorum, iure naturali inferunt eodem iure esse debitas decimas, quod nullam habet apparentiam. *Secundò* quia ex lege decimarum in veteri testamento iam abolito inferunt in lege Euangelica iure diuino esse debitas, quod in hæreticum dogma inclinat: id verò de viris Catholicis nequaquam sentio.

DISPVTATIO VI.

Vtrùm decimæ debeantur lege charitatis? An verò iustitiæ, vel Religionis?

PRo decisione *præmittendum* est, quibus de causis, aut finibus Ecclesia mota fuit ad exigendū decimas. Namque ex cognitione horū nos docent Theologi, actus præceptos reponere in specie virtutis: vt latius docetur prima secundæ. Mota igitur fuit Ecclesia ad decimarum institutionem. *Primò*, vt profiteamur Deum rerum omnium supremum habere dominium: ita habetur, cap. *tua nobis*, de decimis. *Secundò* vt ex decimis Ecclesiarum ministri commodè alerentur, & suo debito stipendio remunerarentur: & ideo in sacra Scriptura Malachiæ. 3. Mala. 3.

Deus

Deus decimas appellat suum cibum. *Inferte* (inquit) *decimam in horreum meum, vt sit cibus in domo mea. Tertiò.* vt sacerdotes omni cura victus liberati diuinis rebus commodius vacarent: vnde secundi *Paralipo.*13. præcepit Ezechias Rex populo habitanti Ierusalem, vt daret partes sacerdotibus, & Leuitis, quo liberius possent vacare legi Dei. *Quartò*, ad fabricam templorum tuendam, & conseruandam. *Quintò*, vt peregrini, aduenæ & pauperes, vitæ subsidium haberent: ita habetur in sacris Canonibus, capit. *vobis*, capit. *concesso* capit. *quatuor*. capit. *de reditibus*, capit. *mos est*. 12. quæst. 2. & in capit *decimæ*. 16. quæstion. 1. & cap. *quoniam*, eadem causa & quæstion. & cap. *clericos*. cap. *pastor Ecclesiæ*, 1. q. 2. decimæ appellantur alimenta pauperum: de quo inferius redibit sermo. 2. Par. 13.

2 *His positis dico.* Decimæ debitæ sunt multis virtutum titulis, sed præcipuè lege iustitiæ, Religionis, ac misericordiæ. *Assertio patet* ex fundamento prænotato, & prima pars, quia Ecclesia iubens decimas dari clericis in stipendium & victum, eo ipso talē actū constituit in virtute iustitiæ, & tribuit ius illis exigendi, & percipiendi decimas: vt enim lege ciuili tributa Principibus debentur, & qui ea Principi denegaret, & sibi sumeret, furtū committeret: ita qui decimas clericis debitas sibi retinet, alienum vsurpat. *Secunda pars* etiam manifesta est ex primo fine assignato, pertinente ad Religionem: quare qui decimas retineret sacrilegus esset, quia rem sacris vsibus deputatam sibi sumit. *Tertia* etiam pars manifesta est ex prænotatis.

DISPVTATIO. VII.

An Ecclesia decimarum dominium habeat? An verò solum ei debeantur?

1 HOc perinde est, ac si quæreretur, qua actione decimæ petantur? Vtrū actione reiuēdicationis, quę est realis actio? An verò solū petatur tāquā debitum? hoc est, an petatur solū actione personali? Exemplū primi in latrone, qui occupauit rē alienā, & exigitur ab eo ratione reiuendicationis. Exēplū secundi, in pecunia mutuò accepta, quæ debetur mutuanti actione personali, tamen non reali.

Hanc disputationem insignem tractauit glossa in cap. *tua*. 2. de decimis, & in capit. *moderamini*. 16. quæst. 1. Abbas item in cap. *commissum*, num. 4. de decimis, & in c. *tua nobis* nu. 11 eodem titul. & duas referunt sententias. *Prima est eorum*, qui negant Ecclesiam huiusmodi dominium habere: & ideo non petere decimas, conditione reiuendicationis, nam quisquis rem vendicat, eam petit vt suam, & decimæ, nisi sint separatæ ab alijs bonis, non desinunt esse prioris domini, *ff. de pollicitat. l.* 2. *§. vlt.*

Secundò. Frumentum & alia similia, quando sunt cum alijs eiusdem generis commixta, sunt communia: ergo decimæ, quæ ex frumento debentur, quamdiu sunt cum alio frumēto permixtæ, adhuc in bonis nostris habentur, & computantur.

Tertiò. Rei nondum traditæ dominium in aliud minimè transfertur: ergo donec decimæ sint solutæ ac traditæ Ecclesiæ, nō numerātur in bonis. Sic Federic. *consi.* 74. & Rebuf. tract. *de decimis. q.* 3. *nu.* 16. & 17. & *q.* 9. *num.* 8. Quare huius opinionis autores quidam dicunt decimas peti actione confessoria, qua petimus ius aliquod seruitutis, quod in re alterius habemus, l. *loci corpus*, & *l.* 1. *ff. si seruitus vendic.* sic Rof. *in tractatu & lib. iuris Canonici p.* 4. Rubrica. *Qua actione decima petantur.* Ias. *instituta de action. §. aqua.* secundo notabili, decimæ verò pertinent ad seruitutē quandā, quā populus fidelis debet Ecclesiæ. *Alij aiunt*, Decimas peti actione ex Canone, siue actione ex lege siue diuina siue Canonica, siue vsu approbata. Nā vt cōstat *ex l.* 1. *ff. de cond. ex l.* quandocūq; obligatio oritur ex aliqua lege siue antiqua, siue noua, & lex non exprimit actionē, ex qua nascatur ea obligatio, petitur actione ex lege. Ac proinde quia diuina lex, vel Canonica, vel consuetudo decimas solui iubet, eas petit Ecclesia actione ex lege, siue ex Canone. Feder. Rofr. Ias.

Secunda opinio docet Ecclesiam habere dominiū decimarū, & eas petere actione rei vendicationis. Ita Abbas in locis supra citatis, qui ait, Innocentium, Hostiensem, & Ioannē Andreā idē tenuisse, & addit hanc esse veriorem sententiam, & magis congruētē iuri Canonico. Nā in c. *tua nobis*, de decimis: *Deus* (ait) *decimas & primitias esse suas*: ergo sunt in Ecclesiæ dominio. Nā pronomen *suum* in iure dominiū significat, vt colligitur ex l. *Quintus Mucius*. §. *Argento* & l. *cum sua ancilla*, & l. *scribit Quintus*. ff. de auro & argento legatis. Et id non dicitur suum, quod quis in actione habet. 2 Abbas.

Secūdò in ca *moderamini*. 16. q. 1. dicitur Ecclesia posse vēdicare decimas, sed rei vēdicatio cōuenit dominio rei, vt constat *ex l.* 1. & *ex lege in rē. ff. de rei vendicatione*. Quo fit, ait Abbas, vt non teneat vēditio omnium fructuum facta à domino prædij, vt colligitur ex c. *Pastoralis*, de decimis. Nam Ecclesia habet decimam partem pro indiuiso in fructibus, siue collectis, siue nondum collectis: at si decima Ecclesiæ tantummodo deberetur, venditio valeret, & dominus prædij actione tantum personali esset Ecclesiæ obligatus,

Tertiò. Si quis segetes, olíueta, vel vineta igne exureret, Ecclesia haberet ius tanquam dominus agendi contra huiusmodi vastatorem. Nam ex l. *Si seruus seruum*. §. *si oliuam*. ff. *ad legem Aquiliam*. Si quis illicitè colligat oliuas non maturas debet actione legis Aquiliæ domino resarcire damnū, etiamsi grandine vel alia tempestate potuissent fructus perire, satis enim est si non perire quoque potuerint.

Autores huius opinionis conantur respōdere ad argumēta facta pro priori opinione. *Ad primū respond.* glossa & Panormitan. eam legem citatam in argumento esse intelligēdam de decimis, mediante voto promissis, & nondū solutis, nō autē de de- 3

de decimis, quæ lege debentur Ecclesiæ, aut quæ iure communi persoluendæ sunt. *Ad secundum respondent*, antecedens argumenti esse verum, quãdo commixtio fit voluntate dominorum, tunc enim totum pro indiuiduo habetur, & vtrumque frumentum commune fit, & vterque dominus habet actionem de communi diuidendo, vt diuidatur: sed si absque voluntate dominorum est, permixtum non fit commune, & vterque potest vendicare partem suam, l. *si frumentum*, ff. de rerũ diuisione, & instituta de rerum diuisione. §. *si duorum*. *Ad tertium respondet* glossa esse priuilegiũ Ecclesiæ, vt rei nondum traditæ acquirat dominium, ita docent glossa, Paulus, & Ias. in l. *vt inter diuum*. C. de sacro sanctis Ecclesijs, & colligitur ex c. *ex literis*. de consuetudine.

4 Vtraque opinio probabilis est, mihi tamen magis arridet prima, & adiuuatur à nobis, quia sequeretur dominos prædiorum non posse vendere fructus suarum vinearum, oliuetorum, suas segetes quando immaturi sunt fructus, &c. sine consensu eorum, quibus debentur decimæ: cum iuxta oppositam sententiã, illi quibus debentur, habeãt dominium decimæ partis fructuum colligendorum. Consequens non videtur admittendum: tum quia nimis onerosum fieret tributum decimarum, tum quia non est in vsu talem exigere licentiam, vel consensum ad celebrandas venditiones fructuum.

5 *Ad primum pro opposita sententia respond.* Canones & iura, quando inquiunt decimas esse Ecclesiæ, non esse intelligenda de vero dominio, antequam separentur: sed quia debentur Ecclesiæ, sicut tributa etiam nondum soluta & tradita dicũtur esse Principum, quia ipsis iustitię lege debentur, decimæ autem vocari solent in iure tributa, vel cum tributis comparari. c. *decimæ*. 16. q. 1. & c. *tua nobis*, extra de decimis. Quod verò Deus appellet suas decimas phrasis generalis dicendi est, quia etiam vocat sua, omnia, vt revera sunt. *Exod.* 13. & in eodem sensu dicitur *Leui*. 27. omnes decimę Domini sunt. & tamen per hoc non immutantur humana dominia. Et specialiter solet vocare sua, quæ ad suum cultum specialiter deputauit, vt primogenita & primitias ibidem : & sic interpretandi sunt textus illati ex iure Canonico.

6 *Ad secundum respondetur*, leges in priori eius parte citatas, debere intelligi de fructibus decimalibus, quando sunt iam parati & approximati decimationi: verbi gratia, segetes in horreo, non verò absolutè & vniuersaliter. Leges verò, quæ citantur ab Abbate ad probandum dominum fructuum non posse vendere eos sine consensu eorum, quibus debentur decimæ: vel intelligendæ sunt sicut modò dicebamus de illis decimis duntaxat, quæ iam paratæ sunt decimationi, nõ verò de alijs: maximè quia quando tales fructus venduntur, transeunt in emptorem, cum obligatione, & onere soluẽdi decimas. *Vel si mauis, respõde*, eas leges non esse in vsu, quia essent nimis graues & onerosæ populo fideli. Quod & praxis ipsa declarat. *Vel tertiò respondetur* non esse faciendam vim in verbo, *vendicare*, non enim in capit. *moderatione*, citato accipitur in rigorosa significatione iuris ciuilis, quia non tractabat ibi Gregorius de actione ciuili, qua potest vti Ecclesia contra non soluentes, vel vsurpantes decimas, sed de ratione, propter quam possunt monachi accipere decimas, si sacerdotum ordinem & ministerium accipiant, & tunc dicit posse illas sibi vendicare, id est appropriare. Hæc enim est germana, & Latina significatio illius verbi, & est in vsu etiam in iure Canonico, vt videre licet in capitul. *quia nonnulli*, de clerico non residente: alia verò significatio, iuxta quam procedit argumentum, non vsurpatur, nisi quando agitur de proprietate iuris ciuilis.

Ad tertium vt responderetur exactè, multa essent 7
euoluẽda, modò breuiter dicimus, decimas quidem non deberi actione reali propter dominium earum, residens apud Ecclesiam. Non enim hoc transtulerunt in ipsam iura, quibus iam satisfecimus. Nihilominus debitum decimarum ab Ecclesia stabilitum ex eiusdem Ecclesiæ placito, & munere, multa habet priuilegia, quibus gaudent debita realia, licet in cæteris debita duntaxat personalia censendæ sunt decimæ.

Primum priuilegium est, quòd apud quemcunque inueniantur fructus non decimati potest Ecclesia ab illo immediatè suam decimam postulare. Itaque si parochianus vendidit omnes fructus non decimatos, potest Ecclesia decimam immediatè postulare ab emptore, licèt emptori postea suum ius maneat contra venditorem: quod verũ est non solùm in iudicio externo, sed etiam in foro conscientiæ: ita colligitur ex capit. *pastoralis*, vbi dicitur fructus non posse alienari nisi cum onere decimarum. Autores secundæ sententiæ appellant hoc onus reale, quod ipsis fructibus quasi inhæreat : & idem videtur colligi ex capit. *cum non sit*: nos verò iuxta primam sententiam dicimus hoc esse magnum priuilegium debiti decimarum, non tamen transferens dominium decimarum in Ecclesiam, cum in multis deficiat à vera ratione dominij, vt ex rationibus primæ sententiæ patet, & in sequentibus amplius manifestabitur.

Secundum priuilegium est, quia Ecclesia potest petere decimas ab eo, qui iniustè segetes combussit, vel succidit arbores habentes iam fructus. Sed neque hoc priuilegium est signum dominij in Ecclesia, aliàs dominus fundi non posset agere contra vastatores ad resarciendos integros fructus sine diminutione, sed Ecclesia ageret pro sua decima, & dominus fundi pro nouem duntaxat partibus. Et alia similia priuilegia habent debita decimarum, de quibus inferius copiosiorem texemus tractationem circa solutionem ad quartum articuli secundi huius quæstionis, vbi etiam satisfaciemus argumento tertio pro secunda sententia.

* * *

DISPV-

DISPVTATIO VIII.

An hæc obligatio soluendi decimas à solo Deo possit tolli? An verò aliqua humana autoritate, aut via ab hominibus prouenientes?

1. HANC D.Tho.tangit in responsione *ad quintum argumentum*. Et videtur solum Deum id posse efficere: etenim decimarum solutio vel ad ius naturale, ac diuinum pertinet, vel ad traditionem Apostolicã: sed circa neutrum præualere potest hominũ potestas: ergo neque poterunt eximi Christiani à solutione decimarum, nisi à solo Deo. *Minor quoad priorem partem manifesta* est, cum in iure naturali & diuino non cadat hominum dispensatio, aut vlla humana potestas præualere queat. *Quoad secundam partem prob.* in formis sacramentorum confirmationis, ordinis, & extremæ vnctionis, quas tenemus ex traditione Apostolica, ac proinde mutari nequeunt, aut aboleri ab vlla humana potestate.

2. *In oppositum est* id quod sæpissime videmus fieri à Summis Pontificibus, qui interdum conferunt priuilegia eximentia à solutione decimarum in totum vel in partem, & consuetudine in multis Italiæ locis introductum est, vt non soluantur decimæ: quorum incolas damnare vt existentes in malo statu, eo quod eas non soluunt, absurdũ est. Similiter damnare Pontificem, eo quod ipsos saltem in generali nõ arguit, imò & per censuras cogit, durum est, cum tamen id teneatur facere saltem in generali reprehendendo, sicut & alios homines vitiosos, ac peccatores, si essent in statu malo.

Dubitatio hæc iuris Canonici peritos ferè omnes in magnas coniecit angustias, quas vix possunt euadere, licèt se in omne latus vertant; eo quod cum ipsi existiment decimas esse in lege gratiæ debitas iure naturali & diuino, subinde videntur cogi vt asserant nulla humana potestate, aut consuetudine posse, à Christianis auferri præfatam decimarum obligationem. Aduersus quos clamat argumẽtum in oppositum factum, quapropter in diuersas abiere sententias inferius referendas.

3. Quibus omissis ad decisionem difficultatis properantes *vnum præiacimus fundamentum*; videlicet ius naturale aut diuinum nequaquam posse ab vlla humana potestate auferri, aut diminui. Poterit quidem princeps aut consuetudo ius naturale ac diuinum interpretari, ac docere præfatum ius sic, vel sic esse intelligendum, vt in proposita specie, aut certis quibusdam casibus, nihil aduersus ius diuinum aut naturale committatur: v.g. ius naturale iubet cuique suum esse reddendũ, sed Princeps benè interpretabitur, si doceat non esse reddendum gladium domino suo, quãdo furia agitatur, quia sic esse intelligendum illud principium naturale ipsissimum naturæ ius docet. Quæ declaratio nequaquam mutat naturale ius, sed explicat vim eius: ita D. Th. 1 2. q. 49. ar. 5. & 2. 2. q. 57. ar. 2. ad primum. At verò nullo iure fieri potest, nulla Principum licentia, nulla etiam immemoriali, (vt aiunt consuetudine) vt quod iure naturali, aut diuino Euangelio inductũ fuerit, vel partim violetur, aut tollatur. Quod licet certò certius sit apud sapientes: tamen propter proteruos probandum est, maximè propter Iurisperitos inferius citandos, qui in hac re hallucinantur, vt alij Iurisperiti peritiores fatentur. *Probatur autem* non posse omninò tolli præfatum ius. *Primò ex Arist. 5. Eth. c. 7.* item quia ius naturale, vel est ipsum naturæ lumen dictans aliquid esse faciendum, vel non faciendum, aut ortum habet ab eodem lumine & naturis rerum: ergo nisi ipsam naturam destruas, & lumen rationis aboleas, nequiuis ius naturale tollere omnino. D. Thom. Arist.

Quod verò non possit diminui tale ius consuetudine, aut summi Pontificis dispensatione, vt asserunt præfati Canonistæ citandi quæstione sequenti: *prob.* Aut enim animaduersa causa: quæ hanc diminutionem suadet, ius ipsum naturale, aut diuinum non violatur, quia propter illam causam cessat, & tunc sanè ea diminutio ab illis autoribus asserta, est vera iuris diuini interpretatio, quæ ostendit manifestè eum casum minimè à iure naturali aut diuino prohibitum esse, vt in exemplo de non reddendo ense furioso palam fit: & ideò Princeps per hanc interpretationem nihil noui inducit, nec dicendus est ius ipsum diminuere. Aut verò eadem causa perpensa nihilominus iuris naturalis vel diuini prohibitio, aut præceptum constat in hac ipsa specie, cuius gratia diminutionẽ, limitationemq; iuris naturalis, & diuini permissam esse summis Principibus fatentur quidam: tunc nulli dubium potest esse, quin etiam in hac parte tollatur vis ac potestas, & obligatio iuris diuini, aut naturalis, præcipientis, aut vetantis, quod permissum esse, neque summis Præsulibus, vnde isti autores hauserint nescio.

Dicent. Hoc non est tollere ius naturale, & eius obligationem, sed tantum aliqua ex parte. Certè hæc responsio futilis est: nam qua ratione in minutulis licet summo præsuli ius naturæ aut diuinum violare, aliquando licebit totum tollere, cùm non sit maior ratio de vna parte quam de alijs. Certè sicut non potest Pontifex auferre præceptum diuinum confitendi, aut communicandi à tota Ecclesia: ita non potest cum aliqua persona in talibus præceptis dispensare: & præterea, quia ob id non licet totum tollere, ne obietur lumini naturali, aut legislatori Deo: at si partem violas iuris naturæ aut diuini, non minus obias, & contrarius es Deo, quàm si totam violes.

Ex hoc præiacto fundamento dubitationem propositam dissoluo sequentibus assertionibus.

Prima assertio sit. Nulla humana autoritate fieri potest populum eximi à decimarum solutione, qua ratione præceptum de soluendis decimis naturale est, ac diuinum Euangelium. Hoc est 4.

dicere nulla humana autoritate potest introduci, vt populus non teneatur prębere ministris Ecclesiæ necessaria ad eorum sustentationem, siue id faciat dando aliquam partem fructuum præceptorum, siue elargiendo pecunias vel aliud, vnde sustententur. *Hæc assertio patet*, quia in iure naturali aut diuino nulla potest fieri mutatio, vt nuper dicebamus: sed prędicta decimarum solutio pertinet ad ius naturale, vt probauimus in præcedenti disputatione: ergo.

5. *Secunda assertio*. Ministri Ecclesiæ possunt cedere iuri naturali & diuino, non petendo à populo debitam sibi sustentationem propter scandalum, quod timetur aliquando ex petitione, vel propterea quod quomodocunque laudabile censeatur dissimulare non petendo. *Prob. assertio* ex illo quod narrat de seipso Apostolus, videlicet se non accepisse ab his, quibus spiritalia seminabat victum sibi debitum propter prædicationis munus, sed aliunde alimoniam parabat laborando manibus die ac nocte, vt ipse ait ad Thessalonicenses. 2. *Ne quem vestram* ait *grauaremus*, & ne offendiculum aliquod præstaret Euangelij profectui: primæ ad Corinth. 9. vsi sunt & alij in posterum eadem modestia. Nam vt testatur Tertulianus, *in Apologetico cap*. 39 suæ ætatis Christianæ: quamuis iuxta antiquum morem Ecclesiæ in arca communi liberales oblationes mitterentur ad alendos pupillos, viduas, ægrotantes, peregrinos, in carcere detentos exules causa fidei & ad metallum damnatos, tamen nihil dabatur pro sustentatione ministrorum; quam ipse appellat, *honorariam summam* (ita legendus est locus non *ordinariam*, aut *onerariam*) ... quia ipsi ministri suo iuri cedebant, ne vt ibi dicitur, redempta Religio videretur.

Thessal. 2.

1. ad Cor. 9

6. *Tertia assertio*. Populus Christianus potest eximi autoritate humana à decimarum solutione, vt præceptum hoc circa decimam partem versatur, siue decimæ sint personales, siue prędiales. Probat. Per quas causas res nascitur, per easdem dissoluitur: sed decimarum solutio tantum est debita iure positiuo humano, vt in superiori dubitatione ostendi: ergo eadem potestate humana poterit populus ab hoc vinculo liberari.

7. *Ad argumentum* factum initio dubitationis ex dictis facilis est solutio. Negamus namque decimarum solutionem formaliter loquendo esse de iure diuino. Ad id verò quod obijciebatur pertinere ad traditionem Apostolicam, respondetur traditiones Apostolicæ *quædam sunt*, quas à Christo acceptas Apostoli fidelibus seruandas tradidere, & ab earum onere Ecclesiarum Prælati fideles eximere non possunt, neque vlla humana potestate, aut consuetudine contraria aboleri queunt. Huius generis sunt allatæ in argumento, quia in illis & similibus tanquam in diuinis institutis Ecclesia, aut consuetudo nihil potestatis habet. In quem sensum explicanda sunt illa duo capita, *sunt quidam*, & *cōtra statuta*. Nec huiusmodi traditiones possunt per contrariam consuetudinem abrogari, sed tali aduersæ consuetudini meritò obijciuntur capitulum, *veritate*, & capitulum, *si consuetudinem*, & capitulum *frustra*, octaua distinctione.

Alteræ traditiones reperiuntur, quas Apostoli ipsi constituerunt ad Ecclesiæ vtilitatem, vt boni eius pastores: & erga istas Summus Pontifex habet potestatem vel abrogandi ex causa, vel dispensandi, poteritque item eas contraria populi consuetudo abrogare. Huius generis traditiones, v.g. trinam immersionem in Baptismo pertinere ad traditiones Apostolicas, habetur ex *Can. 49. Apostolorum*, & tamen per cōtrariam cōsuetudinem abolita est. Eiusdem quoque generis est Quadragesimæ ieiunium, ac pœnæ ab Apostolis præfixæ pro criminibus, quæ referuntur octuagesimę. dist. 82. Can. *Presbyter*. Et in hac traditionum classe nos decimarum solutionem collocamus; ob idq; non mirum si humana aliqua potestate tolli possint, verbi gratiâ Summi Pontificis dispensatione, aut consuetudine contraria.

Decisione præcedentis dubitationis multæ manent virtualiter decisæ difficultates scitu dignę: sed vt explicatius procedamus expresse discutiendę sunt, pmittēdo multis modis decimarū onus ex toto, aut ex parte tolli posse: nēpè consuetudine, præscriptione, compensatione, transactione, exemptione, seu priuilegio Summi Pontificis, vt tradit Rebufus tractatu, *de decimis*, q. 13. num. 13. & sequentibus. 8.

Rebuf.

DISPVTATIO IX.

An consuetudine non soluendi decimas poßint fideles liberari à vinculo eas pendendi, vel ex toto, vel ex parte?

QVIDAM dicunt, consuetudinem posse deobligare à decimis personalibus soluendis, quia tantum sunt debitæ iure humano non verò ab obligatione prædialium, eo quod sunt debitæ (aiunt) iure diuino. Ita Hostiensis, Arch. Card. Paul. Paris. Fel. & alij, quos refert. Cou. *lib. 1. variarum c. 17.* & Rochus Curtius ait hanc sententiā esse communem. Alij asserunt consuetudine introduci posse, vt non soluatur decima pars fructuum: at quod non soluatur aliqua pars vigesima, vel trigesima, non potest introduci consuetudine, quia inquiunt ius naturale diminui posse consuetudine, nō tamen omninò tolli: ita tenet Panormi. c. *in aliquibus*, de decimis. *n. 7. & alij, quos citat* Cou. vbi supra. Quinimò D. Tho. in eandem videtur inclinare sententiam in fine *huius articuli, & quodlibeto. 2. ar.* 8. dicēs Ecclesiā Romanūq; Pōtificem, & alios Ecclesiasticos Prælatos potuisse statuere, vt ratione decimę partis alia minor à populo solueretur: eo q certa quantitas aut portio iure naturali, aut diuino nō est determinata. *Alij inquiūt*, nullā cōsuetudinē posse laicos eximere à solutione decimarū, benè tamen id poterit Pontifex sūmus: 1.

Couar.

Curs.

D.Thom.

mus: ita gloſſa in dicto capitulo *in aliquibus*, Innocentius & alij iuniores in capitulo: *in quibuſdã*, de decimis: & iſti aiunt Summum Pontificem non poſſe diſpenſare in præceptis naturalibus, aut diuinis, quando id vergit in detrimentum alterius, v.g. in præcepto non iurandi; at quando non vergit in alterius detrimentum bene poterit, vt in præcepto de ſoluendis decimis.

Omnes iſti autores ſatis ſuperq; confutati ſunt
2 *Sententia autoris.* in præcedenti dubitatione, aduerſus quos ſtatuitur noſtra aſſertio affirmatiua. Cenſemus enim conſuetudinẽ ſiue deſuetudinem ſoluendi dicimas poſſe laicos eximere à lege, qua tenentur decimas ſoluere. *Probatur:* nam conſuetudo, vt dicitur in materia de legibus, vim habet abrogandi quaſcunque leges autoritate humana editas: ſed leges iubentes decimarum ſolutionem iure poſitiuo ſunt latæ: ergo conſuetudine non ſoluendi abrogari poſſunt. *Secundò.* Lex poteſt abrogare & tollere vinculum ſoluendi decimas, vt dicetur inferius: ſed conſuetudo habet legis vim vt communiter dicitur à Iuriſperitis, & Theologis, maximè à D.Th. & eius interpretibus. 1. 2. *q.* 97. *art.* 3. ergo conſuetudo poteſt eximere à decimarum ſolutione. *Confirmatur*, quia dato oppoſito teneremur aſſerere, omnia Italiæ loca, & Orientalia Regna eſſe in ſtatu peccati mortalis: Etenim omnes illorum incolæ fideles non ſoluunt decimas, propter conſuetudinem non ſoluendi: Ita Syluester verbo *decima*, num. 10. & Nauarr. *in Man. cap.* 21. *nu.* 30. ergo &c.

D.Thom.

Syluest. *Nauar.*

3 *Conſuetudo*, inquam, poteſt liberare à vinculo decimandi, ſi ſit vallata eis conditionibus, quas docti poſtulant, agẽtes de vi cõſuetudinis ad abrogandam legem. Prima eſt, vt conſuetudo non occulte, ſed publicè ſit recepta non reclamante Principe, quia intereſt legis obſeruatio, aut non potente reclamare. *Secunda*, vt ſit præſcripta lõgo tẽpore, quod pro foro cõſcientiæ relinquitur arbitrio prudentũ, exiſtimantiũ iã conſuetudinem viciſſe, & obtinuiſſe contra legẽ, ſiue vicerit per bonos ſiue per malos actus, ita Magiſter Sotus, *l.* 1. *de iuſtitia. q.* 7. *art.* 2. Syluester *ver. conſuetudo.* §. 4, Medina & recentiores. 1. 2. *q.* 97. *art.* 3. in foro verò exteriori ait Couarruuias citatus verſ. 10. n. 8. ſufficere conſuetudinẽ, ſeu deſuetudinẽ non ſoluendi decimas per quadraginta annos. Sed hæc potius pertinent ad Iuriſperitos: quare ne Theologi mittamus falcem in alienam meſſem, curioſum lectorẽ remitto ad copioſam huius rei tractationem apud Couarruuiam vbi ſupra.

Sotus. *Sylu.* *Medina.*

4 Huius difficultatis deciſioni videtur eſſe contrarius D.Th. *in reſponſione ad vlti.* huius articuli, vbi ob id ſolum liberat à peccato non ſoluentes decimas in locis, vbi eſt cõſuetudo, quia miniſtri Eccleſiæ non petunt propter vitandum ſcandalum, aut eas condonant debentibus: & ait quod debent habere animum ſoluendi, ſi petant: igitur ſecundum D.Th. conſuetudo non eximit ab obligatione ſoluendi decimas. Hoc argumento conuincitur. Dom. Sotus *lib.* 9. *de iuſtitia & iure. q.* 4. *art.* 1. *circa finẽ* vt exiſtimet cõſuetudinẽ nõ poſſe præualere aduerſus legẽ de ſoluẽdis decimis: nõ quia ſint debitæ ex iure diuino, vt Canoniſtæ aiunt, ſed quia licèt ſint de iure humano, nihilominus quia ius illud tanta æquitate pollet, tum etiam inſtar antiqui diuini iuris poſitum eſt, nulla contra illud cenſetur præualere deſuetudo, quin poſſit Eccleſia, vbi oportuerit vti iure ſuo, niſi annuerit ac diſſimulauerit. Hæc ille.

Sotus.

Modò autem viſum eſt lectori gratum, futurum, ſi verba D.Th. quæ ſubobſcura ſunt in mediũ adduxero: eiuſq; ſẽsũ explanauero, nõ ex pugnauero, vt quidam Pſeudo diſcipuli eius faciũt. Propoſuerat igitur D.Tho. argumentum: *Si homines tempore gratiæ obligarentur ex neceßitate ad decimas ſoluendas, in terris, in quibus decima non ſoluuntur: omnes eſſent in peccato, & per conſequens omnes etiã miniſtri Eccleſiæ diſsimulando; quod videtur inconueniens. ergo tempore gratiæ fideles non tenentur ad ſolutionẽ decimarum*, reſpondet Doctor Angel. *Ad quintum dicendum, quod miniſtri Eccleſiæ maiorem curã dicuntur habere ſpiritualium bonorum in populo promouenuendorum quam temporalium colligendorum, & ideò Apoſtolus noluit vti poteſtate ſibi ad non tradita, vt ſcilicet acciperet ſtipendia victus ab his, quibus Euangelium prædicabat, ne daretur aliquod impedimentum Euangelio Chriſti: nec tamen peccabant illi, qui ei non ſubueniebant, alioquin Apoſtolus eos corrigere non omiſiſſet: & ſimiliter laudabiliter miniſtri Eccleſiæ decimas Eccleſiæ non requirunt, vbi ſine ſcandalo requiri non poſſent propter deſuetudinem vel propter aliquam aliam cauſam: nec tamen ſunt in ſtatu damnationis, qui non ſoluunt in locis illis, in quibus Eccleſia non petit, niſi fortè propter obſtinationem animi non habentes voluntatem ſoluendi, etiamſi ab eis peterentur.* Hæc D.Th. 5

Contra hæc tamen argumentor: Primò, quia nulla conſuetudo obtinere poteſt aduerſus ea, quæ sũt iuris naturalis, aut diuini: ergo nulla diſſimulatio miniſtrorũ Eccleſiæ quantũcõque fiat propter ſcãdalũ vitandũ, aut propter cõſuetudinẽ, poteſt abſoluere populũ fidelem à decimarũ ſolutione ex ea parte, qua præceptum illud ad ius diuinũ pertinet. Dices fortaſſe S. Thomã loqui de præcepto decimarum formaliter, vt pertinet ad humanum ius, id eſt quantum ad decimam partem ſoluendam. 6

Arguitur ſecundò contra conantes impugnare illam illationem, quam D.Th. facit ex D. Paulo non petẽte à ſuis auditoribus victũ, ad miniſtros Eccleſiæ nõ petẽtes à laicis decimas: & ab excuſatione peccati in auditoribus Pauli propter nõ datã alimoniã, ad excuſãdã pariter à peccato plebẽ, quia nõ ſoluit decimas miniſtris nõ petẽtibus propter ſcãdalũ. *Et argumentũ formatur ſic:* Illi quibus Paulus Euangeliũ prædicabat, non tenebãtur præſtare neceſſaria ad ſuſtentationem, niſi eo petente, aut ſcientes eum alias non habere, vnde poſſet viuere, & quia ipſe non petebat, & ſciebant ſibi alimoniam comparare labore manuum ſuarum, non peccabant nihil ſumptuum illi largiendo: ſed populus Chriſtianus tenetur in lege Eccleſiæ dare decimas miniſtris, etiam ipſis non petentibus, & etiamſi aliunde habeant victum neceſſarium: ergo non bene infert D. Tho. populum non peccare non ſoluendo decimas non petitas, ex eo quod auditores Pauli non peccabant non miniſtrando victum non petitum. 7

Probat conseq. quia si debitus esset, Paulo etiã non petẽte, & quamuis aliunde suppeteret certè non apparet quomodo sui illi auditores à peccato excusarentur, sicut neq; debitores quicunque alij excusantur à debitis soluendis, eo quod creditores non petant.

Maior probatur, & explicatur. Primò, supponentes non esse sibi debitam alimoniam in mercedẽ laboris, quia illi, quibus prædicabat, non mercede conduxerant, aut verò ministrũ sibi elegerant: sed erat sibi debita in sustentationem: qua causa cessante quia aliunde comparabat sibi necessaria, cessabat obligatio ipso non petente.

Secũdò manifestatur à simili in eleemosynarum largitione, quia nemo tenetur eleemosynã porrigere pauperi, nisi petenti, aut si sciat eum indigere: quod si agnoscat suam indigentiam alium supplesse, cessat obligatio ei subueniendi. Minor etiam est manifesta, quia populus Christianus debet decimas determinatè ministris Ecclesiæ in mercedem laboris, & non tantum in sustẽtationem: & ideò siue egeant ministri, siue non egeant, siue petant, siue non petant, tenentur ad eas, sicut quicunq; alij debitores.

8 *Tertiò.* D. Paulus non solùm nõ petebat à suis auditoribus, putà Corinthijs necessarios sũptus, verùm etiam spontè condonabat: imò & credo oblatos refutasse: quis enim dubitet eos, qui eum benignè hospitio excipiebant, simul & alimenta offerre, cæterosq; discipulos affatim ad id conari, tenerrimè enim eũ diligebãt. at verò ipse oblata respuebat, vt suauius eos alliceret ad Euãgeliũ, & nihil oneris imponeret, vt eũ quærere eos, & non quæ eorum erant, agnosceretur, ac deniq; vt ipso facto redargueret quosdam Pseudoapostolos, qui capta occasione ex debita sibi sustentatione pro ministerio; delicatius, & opulentius, quam par erat, victitabant. Et ob id illi eius auditores non peccabant non ministrando Paulo annonam.

At nihil horum reperitur nostro tempore circa decimarum solutionem: maximè in illis Regionibus, in quibus non consueuerunt decimas soluere, de quibus argumẽtũ D. Th. procedit, tã in ministris, quã in populo. Isti nãq; nõ offerunt decimas: imò si peterẽtur, reclamarẽt. Illi verò si darẽtur, libẽter acciperẽt, & si posset obtinere in iudicio, peterẽt, & laicos corã iudice competẽti cõuenirẽt: igitur diuersissima ratio est in D. Paulo & ministris, qui nõ poscũt decimas: ille cõdonabat sibi debitã sustẽtationẽ volũtariè; isti verò nequaquã: nõ licet igitur inferre, quod sicut auditores D. Pauli nõ erãt in statu peccati nõ dãtes Paulo debitam alimoniam, sic neq; erunt in malo statu laici modò non soluentes decimas ministris non petentibus propter scandalum vitãdũ.

9 Quartò arguitur valide cõtra id, quod D. Th. asserit, scilicet in locis illis, vbi cõsuetudine introductũ est nõ soluere decimas, plebẽ nõ esse in statu dãnationis, quia eas nõ pẽdũt. Nã vel D. Tho. loquitur de cõsuetudine præscripta lõgo tẽpore, & quæ potuit eximere ab obligatione soluẽdi decimas, & de facto exemit; vel loquitur de cõsuetudine, quæ nõ inualuit ad eximẽdũ populũ à decimãdi obligatione, vel nõ potest inualuisse: non primũ, quia nõ quadrant ea, quæ subiungit; videlicet quod populus manens in obstinatione animi, & volũtate nõ soluẽdi, etiãsi petãtur, peccãt, & sũt in dãnationis statu: etenim in illis locis, vbi cõsuetudo est longo tẽpore, & legitimo firmata nõ soluẽdi decimas, quãuis nolint soluere petẽtibus ministris, & habeãt firmã volũtatẽ nũquam soluẽdi, nõ peccãt: quia nemo tenetur soluere, aut habere volũtatẽ soluẽdi id, à cui⁹ obligatione exẽptus est: quinimò D. Th. *quodl.* 2. *a.* 8. ait male facere Ecclesiarũ rectores, si decimas exigũt à laicis in ea Prouincia, vbi nõ est consuetudo eas dari; & sic vbi cõsuetudine obtẽtũ est, decimas ministris Ecclesiarũ nõ solui, cũ ea petitio magnã præberet scãdalis & tumultibus occasionem. D. Thom.

Ex quibus verbis colligo. D. Th. in ea esse mẽte, vt fateatur ministros Ecclesiæ nec posse, nec debere decimas exigere, vbi vel præscriptione vel cõsuetudine earũ solutio & exactio cessauerit: quod si ea cõsuetudo, præscriptiovè potuerit obligationẽ soluẽdi decimas tollere, nulli dubiũ est, neq; esse potest, tũc ministris eas exigentibus absq; vllo scandalo non soluẽdas esse: quia verè non est plebs earũ debitor. *Confirmatur*, quia si cõsuetudine introductũ est, vt decimæ non debeantur, impertinenter videtur D. Tho. dixisse, bene facere ministros non petendo, si ex petitione nõ sequitur scandalũ: quia siuè adsit scãdalũ, siue non adsit, illas neutiquam petere debant. *Si verò dicas.* D. Th. secundò modo loqui, videlicet, quod censet consuetudine aut præscriptione auferri non posse obligationem soluendi decimas. 10

Contra hoc facit *Primò*, quia ministri Ecclesiæ nõ tenẽtur ob scãdalum particulare aliquorũ omittere exactionẽ decimarũ, sicut neq; omittere petitionẽ aliorum debitorum, quamuis vt scribit Alexand. Alensis. 3. *p. q.* 51. *memb.* 6. *ar.* 1. propter generale periculũ, & vt schismati obuietur laudabiliter huiusmodi exactio omitti posset. *Secundò*, & valide vt reor, si verè laici sint decimarum debitores in his locis vbi per longa tempora decimæ nõ soluũtur, nulla apparet ratio, quare excusentur ab eis soluẽdis, & cõsequenter à peccato. *Dices*, quia sacerdotes non petendo condonant: quod Caiet. explicat, dicens viros spirituales ob amorem profectus spiritualis suorũ filiorum amittunt temporalia sibi debita petere: sic & faciunt ministri Ecclesiæ spontè volentes non petere decimas, vbi consuetudo est non soluẽdi, timentes ne scandalizentur ex tali petitione. Alens.

11 *Cõtra hoc instatur Tertiò*, quia ex eo q̃ nõ petãt, nõ colligitur ista libera condonatio, sicut in alijs debitorib⁹, & creditorib⁹ cõtingere palã est, vbi ex eo q̃ creditores nõ petãt, nõ liberãtur debitores à solutione, neq; colligitur debita cõdonari.

Quartò. Opus esset perfectionis ad euitandum scandalũ non petere, & simul condonare decimas debitas, ne sint in malo statu laici non soluẽtes: tamẽ de facto oppositũ contingit: nam ministri tacent, partim ob vitandũ scandalũ: partim quia desperant se posse obtinere, habẽtes tamen animũ paratũ accipiendi decimas sibi debitas, si darentur: ergo neque spontè omittitur, petitio, sed

sed tantum propter vitandum scandalum, neq; revera fit vlla libera condonatio aut remissio. *Cōfi.* quoniam si Corinthi aut Thessalonicenses fideles scirēt D. Paulum libenti animo suscepturum sustentationem sibi debitam, non tamē exigere ad vitandum scandalum culpabile ipsorū, revera non excusarentur à peccato non tribuentes alimoniam Apostolo debitam: sed revera ita contingeret in omnibus Italiæ locis, vbi non soluuntur decimæ, si revera debitæ essent decimæ. ergo vel dicendum est eas non esse debitas, quia consuetudo substulit obligationem soluendi, vel fateri oportet eos non excusari, quod est contra D. Thom. hic.

12 Ego vt D. Th. satisfaciā *premitto* eū non facere sermonē in hac quinti argumenti solutione de decimarum obligatione vt ad ius naturæ pertinet, quod videtur insinuare Caietanus, circa eādē solutionē, sed de obligatione decimarū propriè & formaliter quoad decimā partē soluendā. *Prob.* quia de his decimis procedebat arg. quæ nō consueuerunt solui in multis locis, non autem de sustentatione ministrorum, nullibi enim gentiū fideliū reperitur, nullusve Italiæ aut Orientis angulus, vbi quamuis non soluātur decimæ, sint tamen assignati annui prouentus, vel certa populi stipendia.

Hoc supposito ego sū in hac suspicione vehementi constitutus propter D. Th. verba, ipsū existimasse nullā posse præualere cōsuetudinē, præscriptionē aduersus legē de soluēdis decimis: nō quia sint debitæ iure diuino, ipse enim apertè dicit hoc præceptū ad iudicialia pertinere, quæ in aduētu Christi cessauerunt, sed quia lex hæc antiquissima est ab Apostolorū tēpore tāta æquitate ac necessita editate, vt si aduersus eā præualeret cōsuetudo vlla, Ecclesiæ status valdè deformaretur, vel alteraretur. Igitur cōsuetudo præualere aduersus eam non potest, sicut neq; consuetudine introduci potest aliquod Regnū, Prouinciamve non obligari lege ieiunij quadragesimalis, quia lex tam sancta est, vt illa sublata, Ecclesiæ status magnum amitteret decorem. Quidam Iurisperiti ita censent nempè Anchar. *conf.* 196. Turrec. c. *Reuertimini*, n. 12. 16. q. 1. *& alij.* *Anchar.* *Couar.* *Aragon.*

Cou. n. 8. adiecit etiamsi sacerdotes ibidē spiritualia ministrantes aliunde, quā à decimis possint alimenta percipere, & sequitur Aragon *in cōmentarijs huius articuli ad finē.* Probabiliter loquūtur, si nostro innitantur fundamento: aliàs non video quomodo possit defendi hæc sententia ab his, qui cēsent decimas esse inductas iure Pontificio: at verò qui sic interpretaretur D. Th. ad argumēta facta respōdere debet, nō soluētes decimas vbi est desuetudo soluēdi excusari à statu dānationis: eo quòd Ecclesiæ Summi Pontifices ne excitentur tumultus & scandala, non solum prohibent petere; verum & condonant debitas, quidquid cæteri sacerdotes obmurmurēt, & inuiti sint; nec mirū quia Pōtifices dispēsāt ministeria Ecclesiæ, & decimas eis annexas: vnde ad normā volūtatis Pōtificū debēt cæteri ministri suam cōformare volūtatē. Volūtas autē Pōtificis est, vt nō requirāt ab his decimas debitas, ne scādalizētur, & vult cōdonare affectu paterno, ne in malo statu illæ suæ oues degant: & quia ipsi cōdiderūt legem, volunt non esse in laqueum tot Christianorum populis, qui fortè ab Ecclesia diuiderentur, si exactas decimas soluerent.

Nihilominus ego lōgè probabilius, & ad mētē multorum existimo posse consuetudinē præscriptionemve omninò eximere fideles, & de facto multos exemisse à decimarum solutione. 13 Similiter censeo, D. Thomam quando in præfata solutione facit mentionem de consuetudine intelligendū esse de consuetudine, quæ obtinuit vt populus ab obligatione decimandi liberaretur: & quando ait Ecclesia petente teneri soluere, & vbicūque in hac solutione loquitur de petitione decimarū intelligēdus est, non de petitione quacūque, & à quocūque ministro Ecclesiastico, sed de petitione, quæ fiat à Romano Pontifice, vel à Concilio sublata hac ipsa consuetudine, aliqua iusta ratione per sententiam, decretum, aut constitutionem Ecclesiæ. Ita intellexerunt verba D. Thomæ Florētinus. 2. p. titul. 4. c. 3. §. 6. Syluester. verb. *decima.* q. 4. versicul. *quantum ad tertium*, & nō est alienus Sotus in verbis citatis: eodē modo interpretatur Honcala *de decimis propositione quinta*, Couar. *vbi supra*, & Gregorius Lopez, *in l. 1. glossa magna. verb. secundum.* *Florent.* *Syluest.* *Sotus.* *Honcala.* *Greg. Lop.*

Hæc tamē cōsuetudinis derogatio ab Ecclesia omittēda est, ab ipsoque eius summo pastore ob scandalum vitandum. Et sic censeo esse interpretanda verba D. Th. qua propter dum Ecclesia cōsuetudinem istam non reuocauerit, laici eam seruantes immunes sunt à peccato; secus si obstinato animo, ita ea consuetudine vtantur, vt parati sint decimarum solutionem omittere, eamque immunitatem pertinaciter defendere, etiam prædicta consuetudine reuocata ab Ecclesia. Apposuit autē D. Th. nisi fortè, non dubitādo de peccato in eo casu, sed de euentu cōtumaciæ, quia id nō est credendū de illis populis fidelibus.

E x his non est difficile *respondere ad argum.* facta cōtra D. Th. ad primū bene ibi respond. *Ad secundum resp.* D. Th. nō velle omninò æquiparare obligatione Pauli alēdi, & obligationē soluendi decimas, sed argumentatur à fortiori, si dissimulatio petēdi in D. Paulo excusabat à transgressione legis humanæ. Sed in forma resp. admissā maiori distinguendo minorē: in locis nāq; vbi viget cōsuetudo nō soluēdi, negatur minor; secus vbi nō præualuit, & tunc neg. conseq. Itaque in locis vbi erat præfata consuetudo excusantur incolæ non decimantes, quia licèt possent petere coram Sūmo Pontifice ministri Ecclesiæ, vt aboleret consuetudinē & renouaret præceptum soluendi decimas, id non faciunt propter scandalum vitandū, sicut neq; Paulus exigebat sibi aliàs debitam sustentationem, ne præstaret offendiculum Euangelio, & popterea discipuli eius ab hoc onere excusabantur. 14

15 ¶ Ad *tertium primò respondetur* iuxta suspicionē meam de D. Th. intelligentia, Sūmos Pontifices dispensatores decimarū nō solō velle nō exigere decimas, vbi viget consuetudo non soluendi, sed etiam debitas velle condonare, vt supra explicui: quod

quod verò cæteri obmurmurent, aut habeant animum recipiendi, si darentur, parum refert; quia condonatio ex mente Summi Pontificis perpendenda est, non ex cupiditate aliorum sacerdotum, qui deberent conformari summo pastore.

Secundò resp. arg. laborare æquiuocatione circa dissimulationem, quæ oritur ex non petendo decimas in locis consuetis nō exsolui, nam si petitio fiat à Prælatis inferioribus nulla præuia sentētia, aut decreto abolente consuetudinem decimādi parum attinet ad propositum, cum in tali casu petitur res non debita: si verò fiat præuijs illis; procedet argumentum, non quidem assimilādo in omnibus D. Pauli silentium, cum eo quod seruāt ministri non exigentes decimas, vbi desuetudo decimandi, inualuit, sed tantum, quātum ad hoc, quod sicut non exigente Paulo sustentationem sibi debitam aliàs à suis auditoribus, illi non porrigendo eam, non peccabant, sic in illis locis, vbi viget consuetudo non decimandi, non peccant incolæ laici non soluentes decimas, tacentibus ministris Ecclesiasticis, & non petentibus coram Pontifice summo, vt statuatur lex de eisdem reddendis: quoad cætera verò est magna disparitas.

Ad quartum resp. dando primum membrum distinctionis, hoc est D. Tho. loqui de decimis in illis locis, vbi longo tempore inualuit desuetudo decimandi, sed intelligendus est semper de petitione, quæ fieri posset à Summo Pontifice abolita prius consuetudine per sētentiam, decretum aut constitutionem Ecclesiæ: & sic omnia benè quadrant, ac manet decisa sententia asserens onus decimarum posse tolli autoritate humana: quinimò de facto magna ex parte sublatum est consuetudine inualescente: quapropter in vtroque foro, interiori scilicet & exteriori, tā iudices in tribunalibus, quàm confessarij consulunt, & ea vtuntur, vt certa regula: & ideò vbi consuetudo recepta est, & præscripta legitimè vt decima non soluatur, solui non debet, quamuis à clericis exigatur, stādum est enim cōsuetudini receptæ, quæ habet vim legis. *Item*, si ex quibusdam fructibus & bonis non sit in vsu soluere decimam, non debet solui. *Item*, vbi est cōsuetudo non soluendi integram decimā, sed minorem, v.g. trigesimam, aut quinquagesimā seruanda est consuetudo: similiter consuetudo, qua nulla decima soluitur, sed aliquid aliud, quod loco illius subrogatur.

17 *Quare in quibusdā Prouincijs decima non soluātur?* Rogabit fortasse quispiam, *vnde promanauit, vt in aliquibus Prouincijs nulla decima soluantur?* Respondetur multis de causis id potuit fieri: aut enim olim Pontifices summi spontaneè remiserunt decimas: quia laici certa quædam bona assignarunt ad Ecclesiarum & clericorum vsus, & alimenta; quod in Italiæ locis deuenisse multi existimant. Aut verò Pontifex summus Regibus, Principibus, & alijs optimatibus benemeritis Ecclesiæ decimas cessit ea lege, vt dotarēt Ecclesias, & necessaria subsidia clericis præberent, & ita concessæ sunt Regi Hispaniarum decimæ in quibusdam locis suorum Regnorum. Tales etiam decimæ sunt concessæ quibusdam Religiosis ordinum militarium, ex quibus tamē decimis detractæ sunt certæ portiones, & Ecclesiastica quædā beneficia, vnde sustentētur clerici, qui ex ipsis ordinibus ad Ecclesiarum gubernationem destināntur. Aut verò Episcopi expresso vel tacito consensu Summorum Pontificum, vel totius Ecclesiæ cesserunt, suo iuri laicos à decimis soluendis liberantes: & ita factum esse existimo in Ecclesijs Orientalibus, in quibus decimæ non soluuntur: fortassis enim earum Ecclesiarum antistites D. Paulum sunt imitati, qui vt superius retulimus noluit Corinthios compellere ad decimas soluendas, aut verò ad aliquid aliud pro vitæ necessarijs suppeditandum, ne quemquam eorum grauaret. Multa alia immutauit consuetudo circa legem decimarum, de qua immutatione multa dicuntur sparsim in hoc tractatu de decimis.

Couarruuias in *practicis qu. cap. 35. num. 2. vers. 4. & lib. 1. variarum, cap. 17.* dubitat, an sint æqua & iusta, ac valeant statuta ciuitatum, cōstitutiones, & leges Regum & Principum, quibus vetant decimas à laicis exigi, quæ per consuetudinem solui non solent? Et tenet partem affirmatiuam, laudans leges Gallorum, & Imperatoris Caroli Quinti id prohibentes. Alij verò dicunt, tales leges nullam habere vim, nisi fiant priuilegio Romani Pontificis, aut auctoritate firmentur: quia de decimarum iure, cùm sit spirituale, nihil laici statuere possunt. *Et si obijciat quis*, Reges solùm præcipere, vt consuetudo recepta seruetur; & omnia iura determinant approbatas consuetudines habere vim legis. *Respondetur*, argumento probari, ne talis consuetudo violetur ad laicos pertinere: sed præcipere ne contra eam clerici faciant, laicorum non est, sed Ecclesiasticorum iudicium, videlicet Episcoporum, & Summi Pontificis. *Couarr.*

DISPVTATIO. X.

An transactione vel compositione obligatio soluendi decimas auferri posit?

NOmina ista ad Iurisperitos pertinent specialius. Non sunt tamen ignoranda à viro Theologo. Compositio est gratis & liberaliter facta conuentio, & fieri solet inter amicos: transactio verò est de re dubia, & lite incerta aliquo dato vel retento pacto. l. 1. *ff. de transactionibus, & lege transactio. C. de transactione, & cap. super eo de transactionibus.* Sæpè tamen istæ voces confunduntur, vt patet *ex capite veniens de transactionibus.* Ad dubitationem igitur *respondetur.*

Et dico primò. Compositio inter clericos liberaliter facta, vt vni non alteri decima soluatur, valida est. Patet *cap. statuimus de transactionibus, & cap. dilecti de decimis.* & hæc compositio si fiat autoritate Episcopi, ad successores quoque transmittitur, si verò duntaxat autoritate priuata, tunc contrahentes soli, non successores eorum obligantur.

Dico

2 *Dico secundò.* Compositio, qua statuitur, vt laicus decimam Ecclesijs, vel clericis non soluat, nequit fieri Episcopi autoritate, benè tamen autoritate Romani Pótificis, iusta & legitima causa intercedente. Hoc negãt illi Iurisperiti, qui decimarum solutionem pertinere ad ius diuinum putant, quos iam refellimus: & multo melius valebit compositio, vt laicus non soluat integram decimam, sed minorem, putà vigesimam aut trigesimam, nihilominus necessariò debet accedere Papæ autoritas, non enim sufficit Episcopalis tantum.

3 *Dico tertiò.* Compositio vt laicus non soluat decimas ex certis quibusdam fructibus, aut bonis, interueniente autoritate Romani Pontificis, valida est, siquidem etiam in hac parte ius commune remittitur.

4 *Dico quartò.* Firma est compositio, quæ fit autoritate Episcopi, vt decima soluatur quidem clericis vel Ecclesijs integra, sed certo loco, & tempore; nimirum in agro, vel area, vel domo. Item vt post certos dies à collectis fructibus. Tum etiã ne soluatur decima, antequam petatur à clericis. Insuper ne soluatur decima, nisi ad finem vitæ: quia in his non agitur contra commune ius, ac proinde sola Episcopi autoritas sufficit.

DISPVTATIO XI.

An autoritate Summi Pontificis possint tolli decimæ?

1 HÆc dubitatio in triplici sẽsu potest disputari. *Primus* est, an autoritate Pótificis decimarũ onus à toto orbe Christiano auferri queat? *Secundus*, an priuilegio Pontificis fieri possit, vt decima monasterio, aut alteri pio loco applicetur? *Tertius*, an priuilegio Pontificio possit aliquis liberari ab obligatione soluẽdi decimas? In secũdo sẽsu agitabimus quæstionẽ inferius: modò tantũ in primo eã definimus dicentes: autoritate Pontificia posse quodcũq; Regnũ, Prouinciam, Regionẽ imò & totum orbẽ à vinculo soluendi decimas liberari.

Probatur assertio, quia decimarum onus iure Pontificio introductum est: ergo eodem iure abrogari potest: quia eius est tollere, cuius est condere. *l. 3. ff. de re iudicata l. eius est nolle. ff. de regul. iuris.* Hæc autem assertio, & cæteræ similes intelligendæ sunt in hac materia, dummodo semper superstes sit, & saluũ, vt aliunde Ecclesiarum ministris pro sua dignitate, & officio, reliquaq; vitæ subsidia suppetant, in quod nihil potest humana facultas, quia iure naturali, & diuino debitum est.

2 Sed huic assertioni aduersantur quamplurimi Iurisperiti, inter quos Panormitanus cap. *in aliquibus de decimis, numer. 7.* Sed hi ad stabiliendam suam sententiam non eadem via pergunt: quidam censent decimarum obligationem esse iuris diuini, quod non potest omninò tolli per Summum Pontificem: potest autem (aiunt) diminui. Sed iam istorum positio superius explosa est. *Alij dicunt.* Esto decimarum obligatio sit de iure humano, tamen per abrogationem & ablationem talis iuris à toto Christianismo multum decoloraretur, & deformaretur status vniuersalis Ecclesiæ: quod non est in potestate Summi Pontificis, cui data est in ædificationem Ecclesiæ, non in destructionem. *Secundò probat* Couarruuias *vbi supra*: nam tale decretum, si fieret, esset irrationabile, minimèq; conueniens Christianæ Reipublicæ, eò quod in egestate magna constitueret ministros Ecclesiæ. *Tertiò*, quia iuri naturali & diuino de alendis ministris noceret valdè ablatis omninò decimis, ex quibus commode aluntur. *Quartò* possumus & eorum sententiam iuuare quia omnia ieiunia Ecclesiastica sunt instituta iure humano Pontificio, quæ omnia si Pontifex vellet abrogare, & tollere à Christianismo, non esset talis abrogatio valida, eo quod deformaretur, & alteraretur valde status Ecclesiæ vniuersalis, ergo pari forma dicendum est de ablatione decimarum à toto orbe.

¶ Hæc sententia non est mihi improbabilis, opposita tamen mihi magis arridet, posse scilicet Summum Pontificem id efficere, ita vt teneret factum; sed malè faceret, etiam si aliunde prouideret sustentationem ministrorum, quare deberet resipiscere, & eius successores præceptum decimarum continuò instaurare, vt accommodatissimum ad prouidendum sustentationi ministrorum Ecclesiæ, quo nullum potuit excogitari accommodatius: vtpote institutum ad exemplar diuini mandati ab ipso Deo excogitati, vt eius ministri commodè alerentur. Et hoc probant argumenta facta: quibus negamus per abrogationem decimarum deformandum fore statum Ecclesiæ vniuersalis, si tamen aliunde à Republica certi reditus pro sustentatione ministrorum sacrorum designarentur. Secus dicendum de abrogatione ieiuniorum, ex qua non mediocrem iacturam pateretur abstinentiæ virtus. 3

Aduertendum tamen cum Caietano, quod si aliqua Prouincia, aut Regnum infidelium vellet ad fidem conuerti, hac tamen conditione, vt nullas penderet decimas: licitum esset, imò deberent Ecclesiæ Prælati hanc conditionem acceptare, dummodo aliunde prouideretur sustentioni ministrorum.

Sed rogat quispiam. An aliquis Summo Pontifice inferior possit dispensare in lege decimarũ: hoc est, an valeat ab aliquibus tollere obligationem soluendi decimas? Respondetur, si sit sermo de decimis extra suam diœcesim: nequaquam Episcopi possunt, neque etiam intra propriam diœcesim, nisi cum assensu Capituli, & seruata forma, quæ exigitur ad res Ecclesiæ alienandas. Idem dico de alijs rectoribus, qui de consensu Episcopi ad vitam suam possunt decimas sibi debitas alteri remittere, aut largiri. 4 *An Episcopi possint dispẽsare in lege decimarum?*

Ex his dissoluetur dubitatio in tertio sensu. Asserimus namque Summum Pontificem posse aliquem, vel aliquos suo priuilegio dato efficere immunes à soluendis decimis, & de facto ita effecit, vt videbimus inferius agentes de priuilegiatis. Nam vt nuper dicebamus potest Summus Pontifex tollere

tollere omninò vinculum decimandi: ergo multo melius poterit dispensare cum aliquibus. Ita habetur, cap. *ex multiplici.* capit. *ex parte.* cap. *licet;* de decimis. Non poterit autem ab hac obligatione eximere quiuis alius, etiam Imperator, ca. *tua nos,* eodem titulo.

6 *Aduertendum tamen*, Summum Pontificem, quando aliquos eximit à decimis soluendis, debere sequi regulas, & conditiones boni dispensatoris, videlicet vt dispensatio ex causa rationabili fiat, nam quamuis dispẽsatio facta in iure humano sine causa valeat, vt communiter asseritur. 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. tamen si fiat sine causa, & dispensator dispensando peccat, & dispensatus vtendo dispensatione. Dispensator quidem, quia non prospicit bono communi, quod leges intendunt: & si dispensatio fiat in graui lege cum scandalo Reipublicæ, peccatum mortale est: sin autem communiter, veniale erit, ipse verò dispensatus peccat venialiter vt plurimum: non quia legis est transgressor, sed quia indecenter pars non se conformat toti, quando æqua ratio in omnibus militat. Hanc doctrinam amplectitur Abbas cap. *à nobis.* de decimis, & glossa ibidẽ, quam sequuntur multi alij Iurisperiti citati à Couarruuia vbi supra. Sed alio nituntur quàm nos fundamento: dicunt namque Summum Pontificem posse dispensare in iure diuino, non omninò tollere: quod nos satis, superque refutauimus. De intelligentia, & fusiori explicatione huius aduertentiæ, redibit sermo post finem artic. 4. agentes de priuilegiatis circa decimarum solutionem.

DISPVTATIO. XII.

An decimarum obligatio ex toto vel ex parte posſit tolli præscriptione?

1 HÆc quæstio non minus negotium facessiuit Iurisperitis, quàm præcedens: plerique enim illorum suo innixi fundamento, decimarum scilicet solutionem esse de iure naturali, ac diuino, vix ab hac controuersia se expediunt, ac proinde in varias abiere sententias, ferè loquẽtes de præscriptione, sicut de consuetudine loquuti sunt, licèt aliqui eorum concedant consuetudine posse laicos à decimarum vinculo liberari, non verò præscriptione. Sed his omissis, ne eorum caligine inuoluamur, resolutionem desiderantes, præmonemus, quod quamuis iuris Canonici interpretes sæpius confundant, ac pro eodem accipiant cõsuetudinem, & præscriptionem; vt adnotauit Paulus Castrensis, lege *de quibus. ff. de legibus*; & Doctores *in capitulo finali de consuetud.* propriè tamen loquendo, valdè differunt. Baldus *in tract. de prescrip.* 1. *parte principali, quæst.* 10. per totam, multas differentias inter consuetudinem & præscriptionem assignat: præcipua tamen, ac substantialis vna est. nempè quod ex præscriptione acquiritur ius priuatis, siue illud trahatur ex publico, siue ex priuato: sed per consuetudinem nõ acquiritur ius alicui priuato, sed communitati vndecunque causetur, & etiam si ius trahatur ex priuato, acquiritur tamen in publico & communitati: ita Abbas *in cap. finali de consuetud. numer.* 20. videndus est Rebusus, *quæstion.* 13. *de decimis numer.* 45. vbi alios citat. Quidam moderni non admittunt hanc differentiam, aliam nouam excogitantes, sed in accommodatione vocabulorum ego magis fido, & adhæreo antiquis Iurisperitis citatis.

Castren. Baldus. Abbas. Rebuf.

Hoc supposito à certioribus procedendo *dico primò.* Vna Ecclesia contra aliam, & vnus clericus contra alium potest sibi præscriptione ius decimarum acquirere. Huic asserto nullus, vt reor, etiam ex Iurisperitis contradicit, quia quamuis decimæ essent debitæ clericis iure diuino, vt volunt Iurisperitorum plerique, tamen ex iure humano promanauit, vt potius vni, quàm alteri clerico aut Ecclesiæ dentur: eo quod parochias nõ ius diuinum, sed humanum distinxit: & dummodo decimæ clericis & Ecclesijs soluantur, parum refert, vnus ne parochus, an alter eas accipiat, saltem quod ad diuinum & naturale ius attinet, & in iure humano immutando consuetudo & præscriptio magnas exercet vires: sed de hoc dicto latius *infra art.* 3. *dubitat.* 3.

Dico secundò. Laici non possunt præscriptione sibi acquirere decimas Ecclesiasticis debitas: hoc est nulla præscriptione potest fieri, vt laici habeant ius exigendi, vel percipiendi decimas aliàs clericis debitas. *Probatur manifestè*, quia ius decimarum spirituale est, vt docet D. Thom. inferius artic. 4. ergo in laicos nequaquam cadere potest, nisi id fiat nomine, autoritate, & consensu Romani Pontificis: de *quo latius infra art.* 4. & hoc dictum est commune Theologis ac Iurisperitis.

Dico tertiò. Laici possunt obtinere immunitatem à soluendis decimis mediante legitima præscriptione. Pro huius dicti declaratione non erit abs re *adnotare* quæ exigantur conditiones vt præscriptio legitima dicatur in decimarum immunitate. *Prima* est bona fides. *Secunda* possessio, aut quasi possessio. *Tertia* peculiaris præscriptioni decimarum, est de tempore quod necessarium est ad possessionem, vel quasi possessionem non soluendi decimas: id autem tempus quamuis ad consuetudinem legitimam non soluendi decimas inducendam, satis putetur à Iurisperitis cursus quadraginta annorum, vt dicitur *cap. vltimo de consuetudinibus*, & approbat Couarruuias *vbi supra numer.* 8. tamen ad præscribendas decimas secundum eundem, *num.* 7. 8. & 10. requiritur cursus quadraginta annorum cum titulo, vel consuetudo immemorialis sine titulo, vt colligitur ex *cap.* 1. *de præscript. lib.* 6. 4

Couar.

His suppositis *probatur* nostrum assertum. Consuetudine possunt laici liberati à soluendis decimis, vt superius docuimus: ergo & præscriptione: quia consuetudo & præscriptio potestate & autoritate æquales sunt, aut forrasse præscriptio efficacior. Ita sentiunt omnes Theologi, & quidam graues Canonistæ: Couarruuias vbi supra, Men-

Menchac. Menchaca *lib. 2. controuerſ. illuſtrium cap. 89. num.* 10. Ioannes Gutierrez *lib. 2. quaſt. Canon. cap. 21. num. 64.*
Gutier.

5 Huic noſtræ ſententię aduerſatur ferè tota Iuriſperitorum caterua, vt aiunt præfati nuper citati, & argumentantur. Primò, quia præſcriptio nihil poteſt efficere circa diuinum ius decimarum euertendum. Sed hoc fundamentum nos ſæpè exploſimus.

Secundò arguunt, quia laici ſunt incapaces iuris ſpiritualis, & ob id in præcedenti aſſerto diximus eos nequire præſcribere ſibi decimas aliàs clericis debitas: ergo neque poterunt præſcribere immunitatem à decimis ſoluendis, quia incapaces ſunt huius quaſi poſſeſſionis. *Reſpondet* Couarruuias, & benè, negando conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt, quia ius percipiendi decimas ſpirituale eſt, & ideò nequit poſſideri à laicis: at ius immunitatis à ſoluendo decimas, non eſt ſpirituale, neque quaſi ſpirituale, ſed ſolùm conſiſtens in pura negatione, id eſt in non ſoluendo decimas, & ob id poſſideri poteſt, aut quaſi poſſideri à laicis, & conſequenter præſcribi. *Confirmatur* iſthæc reſponſio, quia ſi laicus eſſet incapax iuris exemptionis à ſolutione decimarum, profectò neque conſuetudine immemoriali, nedum præſcriptione ab illa obligatione eximi poſſet: nulla namque conſuetudo capaces reddit alicuius iuris eos, qui illius incapaces ſunt, vt ait Abbas *in cap. vltimo de conſuetudine*, & alij, quos ipſe ibi refert: ſed iam probatum eſt ſuperius, & communiter tenetur etiam à Iuriſperitis, conſuetudinem poſſe eximere laicos ab obligatione ſoluendi decimas: ergo non eſt cur hoc ipſum denegetur in præſcriptione. Abbas.

ARTICVLVS II.

Vtrùm de omnibus teneantur homines decimas dare?

Summa Articuli.



1 Gen. 28. Onclusio eſt affirmatiua, & inſinuatur *Geneſ.* 28. probaturque ratione: nam iudicium cuiuſcunque rei ex eius proprijs cauſis ſumendum eſt. Propria autem radix decimarum eſt debitum, quo ſeminantibus ſpiritualia debentur carnalia: 1. *ad Corinth.* 9. ſed quæcunque homo poſſidet, ſub carnalibus continentur: ergo de omnibus tenebitur decimas ſoluere. 1. ad Cor. 9.

Obijcit Caietanus contra hanc rationem, videtur enim procedere ex indefinita propoſitione ad inferendam vniuerſalem; quod argumenti genus inſufficiens eſt, procedit autem argumentum in hunc modum. Seminantibus ſpiritualia debentur carnalia: ergo de omnibus poſſeſſis debentur decimæ: ac ſi argumentaremur animal ambulat: ergo omne animal ambulat. *Reſpondetur*, hanc rationem potius eſſe adductam à D. Th. ad oſtendendum congruitatem ſtatuti Eccleſiaſtici, quàm ad eius neceſſitatem comprobandam, & procedit diſcurſus, ſubintellecta hac propoſitione, & non eſt maior ratio de vno, quàm de alio; qua propoſitione adiuncta nullum in illatione vitium inuenitur, ſi enim carnalia debētur, & non eſt maior ratio de vno, quàm de alio: conſequens eſt, omnia, aut nullum decimationi obnoxium eſſe.

Pro expoſitione huius articuli *premittenda eſt diuiſio* celebris Iuriſperitorū in decimas prædiales, ſeu reales, perſonales, ac mixtas. Prædiales ſunt, quæ ſoluūtur ex prædijs, & alijs, quæ humus progignit, vt vinum, frumentum, poma & ſimilia. Perſonales, q̄ ex lucro propriæ induſtriæ, aut operæ, vt in lucro per negotiationem, venationē opificium: 16. quæſt. 1. cap. *decimæ*, & cap. *ad Apoſtolica*, & cap. *non eſt*, & cap. *paſtoralis*, decimis. *Alia mixta*, vt pecorum, auium, &c. quæ ob id dicuntur mixtæ, quia fructus animalium partim paſtui eorum in prædijs, partim humanæ induſtriæ & curæ, ſine qua non proueniūt, accepti referri debent. vt notauit Nau. *in Man. c.* 21. *n.* 29. *& latius conſ. de decimis*, & ante tradiderāt Hoſtienſis *in ſumma de decimis in principio*, Angelus & Sylu. Hæc diuiſio nobis ſufficiat. nam permoleſtū eſſet ſcribere, & moleſtius legere varias Iuriſperitorum ſententias in explicando, quæ res ad quod membrum huius diuiſionis pertineat. 2 Nauar. Hoſtien.

Concluſio D. Thom. in multis locis iuris Canonici diffinita eſt: de decimis prædialibus ex omnibus terræ fructibus, in cap. *non eſt*, & cap. *ex parte* de decimis: de perſonalibus ex omni perſonæ lucro, ſæpiſſimè: & quidem de prædiali in ca. *ex tranſmiſſa*, de decimis, & ca. *non eſt*, eodem titulo habetur ex frumēto, vino, & leguminibus decimam eſſe ſoluendam. Vnde cum palea etiam numeretur in fructibus. l. *adeò*. §. *cum quis ff. de acquirendo rerum dominio*, etiā ex ea iure decima debetur. Itē ex lucro, ꝙ ex molendinis percipitur, & piſcinis, & ſimilibus rebus eſſe reddendas decimas patet, c. *ex tranſmiſſa*, & c. *paſtoralis*, de *decimis*. De fœno & croco, vt ſi fœnum in faſciculum redigatur. De mixta etiam decima, vt ex piſcibus, qui in ſtagnis & alijs piſcinis nutriuntur, & inde capiuntur in eſcam: ſecus ſi voluptatis gratia tātū piſcinæ habeantur: tunc enim ex illis lucrum non comparatur. 3

Ex animalibus, vt ex gregibus ouium, & armentorū; nec non ex fructibus eorū, quales ſunt pelles, lanæ, oua, lac, butyrum. Ex apibus quoque nimirum ex melle, & cera, c. *nuntios*, de decimis. An verò de ipſis quoque apum examinibus decima debeatur, non habetur expreſſum in iure, & cōſuetudini ſtandum eſt. Itē ex aucupio ſoluitur decima. Itē decima perſonalis ex militia, negotiatione, opificio, ca. *cum homines*, de decimis, & ca. *decimæ* 16. *qu.* 1. & ex venatione ca. *non eſt, de decimis*. Inſuper Doctor, & aduocatus, & cæteri ex mercede, ſiue ex lucro, ꝙ inde percipiunt, *gloſſ. in ca. decimæ*, verbo, *negotio* 16. *qu.* 1. *& in cap. paſtoralis*. de decimis, in verbo, *quaſi de lucro*. Ex ſpolijs ſimiliter, & prædijs, quæ in bello iuſto acquiruntur: quidquid dicat gloſſa in ca. *paſtoralis*.

Sed aduertendum cum Abulenſi, *ſuper Matth.* 23. *caput, quaſtion.* 159. *in fine*, ex rebus immobilibus 4 Abul.

bilibus bello occupatis non deberi decimam regulariter. quia cùm bellum debeat esse iustum, si terræ hostium occupantur iustè, id est regulariter loquendo, vel quia occupantur, & accipiuntur vt propriæ, vel quia accipiuntur in recompensationem iustarum expensarum, vel in pœnam iustam, & recompensationem iniuriæ illatæ, in his causis interuenientibus, illa bona non sunt vera lucra: quod si in alijs vera lucra sint, decimanda sunt ex vi iuris, ac demum consulenda est consuetudo. Item decima soluenda est ex pensione annua, qua domus locari solent: ex pascuis vt dicit Abbas in cap. *commissum*, de decimis. Item ex lapidicinis vel aurifodinis. Ita Syluester verbo, *decima, quæst. 6.* Rosella *num. 5.* Angelus *num. 5.* Item ex lignis syluæ cæduæ hoc est, ex decem lignorum fascibus decima debetur: vel si ligna venduntur decima pars pretij: item ex lucro furnorum. Hæc reperiuntur in iure circa omne genus decimarum, quæ reducere ad vnũ præfatæ diuisionis membrum non est facile, conabimur autem suis locis hæc decidere.

Abbas. Syluest. Rosell. Angelus.

Circa diuisionem relatam, & conclusionem articuli multa se offerunt disputanda.

DISPVTATIO I.

An diuisio decimarum sit sufficiens?

5 Circa membrum illud mixtarum decimarum. Illis enim admissis videtur ex eadem re sæpè esse soluendam duplicem decimam, quod non videtur admittendum. *Consequentia patet.* Nam si quis dominus stagni piscatoribus illud locet, seu facultatem ibi piscandi vendat, de illo lucro debet decimam, quæ re vera est decima piscium, & piscatores etiam debent decimas ex captura illorum: & idem est in venatione. & similibus. Et dominus prati ex pascuis soluit decimam, & illamet herba virtualiter decimatur in ouibus, quæ illam pascunt. *Item* si dominus prati proprias oues pascat in eo, ex pascuis debet vnam decimam, & ex ouibus aliam. *Præterea* si quis in nemore cædat ligna, debet soluere decimam, iuxta valorem arborum; quia illæ arbores sunt quasi fructus syluæ, & rursus qui illa ligna vendit, debet decimam propter lucrum. Hæc videntur nimis dura: ergò tantum distingui debent decimæ in prædiales & personales; illæ verò mixtæ fictitiæ sunt: aliàs mixta etiam erit & duplicata decimatio de eadem re.

Secundò arguitur ad improbandum decimas personales: etenim in lege veteri (ad cuius imitationem decimandi obligatio est in lege gratiæ introducta) nullum præceptum, nullave mentio fit de decimis personalibus, ergo neque in lege gratiæ debuit fieri: maximè, quia obligationes in lege gratiæ multò minores sũt, quã in lege veteri.

6 Glossa in capit. *ad Apostolicæ*, duas tantùm decimas agnoscit prædiales, & personales, eamque approbari à multis ait Nauarrus, in consilio primo de decimis. Nihilominus non censemus diuisionem celebrem reijciendam. Quare admissis decimis mixtis pro earum cognitione, & cæterorum membrorum diuisionis aduertendũ est, quando lucrum aliquod resultat ex actione hominis, aliquando acquiri ex sola actione, aliquando non ex sola actione, sed etiam ratione rei acceptæ. Exemplum primi in actione fodiẽdi terram, vel inseruiendi, aut alio modo simili. Exemplum secundi in venatione, piscatione, in lignis cæduis, in lapidibus, vel metallis eruendis. Quando ergo lucrum est prioris generis, constat totum esse quasi fructum personæ, ac subinde tãtum deberi vnam decimam personalem: at verò quando lucrum est posterioris generis, potest ex re ipsa capta augeri: & tunc est vlterius considerandum, an res illa denuò capta, & lucrata antea esset sub alicuius dominio, an non: quando ergo res de nouo capta, seu acquisita nullius antea erat, vna tantum debetur decima totius lucri, & ea personalis censenda est: quando verò res erat, alterius, vel tamquam pars, vel tãquam fructus, vel tamquam nutrimentum sui prædij, vel domus, tunc ex lucro debito duplex debetur decima; vna prædialis. & altera personalis. Ita tamen vt vtraque non excedat decimam totius lucri, q̃ rectè vocabitur mixta.

Gloss. Nauar.

Et hæc benè nota pro sequentibus, vt intelligas, cui Ecclesiæ decimæ soluendæ sint. *Exemplis ducta illustrantur.* Per venationem, vel aucupium capi possunt feræ, vel aues, quæ antea sub nullius erant dominio, & per capturam efficiuntur capientis: tunc vnum est dumtaxat lucrum, quod totum est capientis, & ratione illius vnam debet decimam, quam esse personalem liquidò constat: tum quia non resultat ex prædio aliquo, neque ex aliquo adiuncto prædio, vel domicilio: tum etiam, quia quamuis post capturam totum lucrum consistat in valore rei acceptæ, nihilominus totum ortum censetur ex actione personæ: quia cum res antea non esset sub humano dominio non censebatur, vt sic habere valorem, neque esse pretio dignam. At verò quando quis capit animalia sub alicuius dominio existentia, tunc ex parte rei captæ, & ex ipsa actione potest accrescere lucrum: Nam Dominus potest vendere ius venandi, aut piscandi, quod in re est vendere res illas secundum aliquem valorem, vel æstimationem, quam habent, prius quàm capiantur, & tunc illud lucrum est quasi fructus illius possessionis, vel talium animalium, & ideò ex illo debetur decima prædialis: per capturam autem crescit valor illius rei, & inde accrescit lucrum venatori: vnde si vendat res captas, debet ex illo lucro decimam personalem.

Vtraque tamen non debet excedere valorem decimæ partis totius lucri. Idem dicendum est 7
quando animalia, quæ capiuntur vaga sunt, sed solus dominus nemoris, aut fluuij habet facultatem venandi, aut piscandi in nemore, aut fluuio suo: tunc enim animalia illa & pisces, quasi sub dominio illius cẽsentur esse. Idẽ etiam dicẽdũ est de lignis, lapidicinis, metallis, & similibus. Nam hæc omnia æquiparantur in l. *Itẽ si fundi. ff. de vsu fructu*, & in vsu fructu fundi computari dicũtur, si illi

Rebuf. si illi adhæreant. De qua re latè Rebufus, *quæstio.* 8. *vbi supra, num.* 10. 14. 15. 16. 17. 23. *&* 24. Sed quid de ancillæ partu, est ne decimandus? Minimè, quia iura loquentia de decimis, de fructibus loquuntur, & partus ancillæ non computatur in fructibus, vt dicitur. §. *in pecudum*, de rerum diuisione. & in l. *in pecudum*. ff. de vsuris.

8. Ad argumentum in initio positum negatur, de vna & eadem re solui bis decimam, nam casus allati in argumento, & à nobis explicati, decima illa debita est mixta ex prædiali, & personali, & cuilibet sua decimatio respondet, & sic satis fit argumento. *Solum aduertere* oportet, decimam, quæ ex pascuis soluitur, & ex fructu ouium, quæ ex pascuis aluntur, vtramque prædialem esse, non tamen ex eadem re, neque ex eisdem fructibus. An verò dominus prati, qui non vendit herbam, nec locat pratum, sed in eo sua animalia pascit, teneatur inde soluere decimam, iuxta valorem pretij, res dubia est. Aliqui negant ex Abbate in
Abbas. *cap. commissum*. sed nō clare hoc dicit Abbas: quare iuxta modò dicta oppositum videtur esse dicendum.

9. *Ad secundum respondet* D. Thom. in solutione *ad primum huius articuli*, in lege veteri non debuisse dari præceptum de personalibus decimis, quia omnes aliæ Tribus præter Leuiticam certas possessiones habebant, de quarum decimationibus poterant sufficienter prouidere Leuitis, qui licet carebant possessionibus, non tamen prohibebātur honestas negotiationes, & lucra exercere, sicut & alij Israelitæ: sed populus nouæ legis est vbique per mundum diffusus, quorum plurimi possessiones non habent, sed de aliquibus negotiationibus viuunt, qui si liberarentur à decimis personalibus, nil conferrent ad subsidium ministrorum Dei. Ministris etiam nouæ legis arctius interdicitur, ne se ingerant lucratiuis negotijs,
1 ad Tim. 2 iuxta illud primæ ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus*: & ideò in noua lege tenentur ad decimas personales, verum est tamē eas magna ex parte in desuetudinem abijsse: in qua re seruanda est consuetudo patriç. In quibusdam locis Hispaniæ de salarijs, & stipendijs mi-
Nauar. nistrorum pendi consueuerunt: vt notat Nauarrus in *Manuali capit.* 21. *num.* 31. quinimò etiam prædiales in toto vel in parte, in quibus dictis locis consuetudo abrogauit, vt supra docuimus.

DISPVTATIO II.

An de rebus malè acquisitis debeant decimæ persolui?

1. QVAESTIONEM hāc egregie resoluit D. Th. in solutione ad secundum huius articuli, quare solum opus erit aliquantula maiori extensione: & ideò.

Dico primò: Si malè acquisita sint frugifera, siue bona immobilia sint, vt ager emptus de vsuris, siue pecora, de fructu istorum male acquisitorum decimæ dandæ sunt, quia decimæ istæ prædiales sunt, & ita non debentur, neque promanant ex actione iniusta vt sic, neque ex re malè parta, sed ex re frugifera propter Dei munus largientis eos fructus.

Dicet quispiam, per hanc solutionem irrogari iniuriam domino, verbi gratia, agri, si erat alienus. *Respondetur* nullam fieri, quia ipsemet tenetur decimas soluere, si fructus illos perciperet, & a- Gloss.
ger semper relinquitur sub dominio eius: quod si quid illi debetur propter iniustam detentionem, & agri vsum, ex nouem partibus fructuum satis fieri illi potest. Eodem modo philosophandum de fructibus tritici furto sublati, & seminati, & de pecoribus furto sublatis. Hoc assertum habet D. Tho. hic & glossa cū omnibus iuris Canonici peritis in cap. *trāsmissa: de decimis, &* eadem glossa *in cap. decimæ.* 16. *quæst.* 1. *versi. negotiatio.* docet à fure, & raptore benè peti decimam, quia decima sequitur quemlibet possessorem, *Alioqui* (ait) *esset prædo melioris conditionis, quam bonæ fidei possessor*: intelligenda est glossa de raptore rei frugiferę, & de fructuum eius decimatione.

Maior difficultas est de ipsarum rerum male 2.
acquisitarum decimatione, quarum acquisitio mala dupliciter contingere potest. *Vno modo*, quia ipsa acquisitio est iniusta, vt per furtum, per vsuram: & ad hanc reducitur omnis acceptio, in qua non comparatur dominium lucri acquisiti, etsi non videatur esse contra iustitiam, vt sunt acquisita per simoniam, quæ Religioni opponitur, vel per quamcunque dationem, ita lege prohibitam vt dominij translatio impediatur: siue dicas cum quibusdam, eam largitionem non esse contra iustitiam commutatiuam: quia dans non supponitur inuitus: siue dicas cum alijs, omnem dationē contra legem prohibentem translationem dominij esse contra iustitiam: quia licèt dans non sit simpliciter inuitus, moraliter tamen cogitur: & præterea quia licèt consentire videantur, lex irritat eius voluntatem. *Secundo modo* potest aliquid illicite acquiri sine iniustitia, & verum ac firmum dominium rei acquirendo per prauam tamen actionem: verbi gratia contra temperantiam, vel aliam similem virtutem.

Hac distinctione præmissa *dico secundò*. De ac- 3.
quisitis iniustè priori modo nō debetur decima. *Probatur*, quia eorum tantum, quorum habemus dominium, & quæ verè acquirimus, debemus decimam: sed qui vsurpat rem contra iustitiam, non acquirit eius dominium: ergo. *Maior patet*, quia qui ita rem occupat, vt teneatur eā restituere, reuera non lucratur eam, neq; illa sic acquisita computatur in bonis eius, vt ait Iurisconsultus in l. *si fratres.* § *vltimo. ff. pro socio.* & l. *non possunt. ff. de iure Fisci.*

Et si obijcias. Qui accipit pretium, vt alium oc- 4.
cidat, contra iustitiam peccat, & tamen inde tenetur decimam soluere; quia verè ditior factus est. Similiter mulier maritata, quæ propter adulterium mercedem accipit. *Respondetur*. In his casibus acceptiones ipsæ non sunt formaliter iniustæ respectu dantis mercedem, sed tantum causaliter respectu eius, qui occiditur, vel respectu mariti in adultera: & in his casibus verum lucri comparatur dominium, quare decimationi obnoxium est: secus

secus in alijs, quæ per furtum, vel vsuram acquiruntur.

5. *Tertiò dico.* De lucris posterioris generis, id est de acquisitis non iniustè, licet aliàs turpiter acquisita sint, decima debetur. Ita D. Tho. hîc, & Syluester cum Hostiensi, verbo *decima*, quæst. 6. exempla sunt in acquisitis per histrionatum meretricium. Probatur, quia licèt sint turpiter acquisita, tamen verè & propriè sunt lucrata, id est cum acquisitione dominij, & sine obligatione restituendi. *Item*, quia non debet esse melioris cōditionis turpis lucrator. Exemplum vtriusque dicti egregium reperitur in militiæ stipendiato in bello iniusto: Nam ex præda non debet decimam, quia illius non comparat dominium, sed ex stipendio decimandum, quia licèt sit turpe lucrum, non est iniustum respectu dantis, nec tenetur illud restituere.

Hostien.

Ex his etiam dissoluitur *aliud dubium*. An de ludo acquisitis debeatur decima? *Respond.* Si iniustè acquiratur, non debetur, iuxta secūdum dictum. Si verò iustè, & sine obligatione ad restituendū, quamuis computetur illud lucrum inter turpia, debetur: dandum tamen postquam nulli petitioni est obnoxium. De quo aliàs.

6. *Aduertendum tamen* cum D. Thom. hoc tertiū dictum debere intelligi per se loquendo: nam per accidens, si sequatur scandalū, vel indecentia Ecclesiæ, Ecclesia non debet decimas horum lucrorum turpium recipere, ne videatur cum peccatis eorum communicare: secus si absit scandalum, quia peccatum occultum est.

Dubium. *An Ecclesia non recipiēs decimas ex turpiter acquisitis, eas remittat?*

Sed dubitas, an quando Ecclesia non recipit decimas, verbi gratia, ex meretricio meretrix liberetur ab obligatione soluendi, & Ecclesia non acceptans videatur eas remittere? *Quidam tenent* affirmatiuam partem, præcipue quia nimis durum esset obligare has turpes personas ad conseruandum decimas suorum turpium lucrorum vsq; ad cōuersionē suam, & fortasse vsque ad diem mortis suæ: nihilominus oppositum censeo verum: tum quia aliàs melioris essent conditionis turpiter lucrantes, quam iustè, & modestè lucra sibi comparantes: tum quia si obligantur ad conseruandum decimas vsque ad conuersionem suam, vel exitum ex hac vita, sibi imputent, qui nolunt se reponere in statu decenti, vt oblationes eorum & decimæ ab Ecclesia recipiātur. Et in hanc partem videtur D. Thomas inclinare, cum ait: *Post quam pœnituerint, possunt ab his recipi decimæ*: quibus verbis videtur insinuare seruandas, & recipiendas esse quando pœnituerint.

D. Thom.

DISPVTATIO III.

An de rebus quibusdam minutulis, vt de ruta, anneto, cymino, mentha, & similibus sit decima soluenda?

1. DIVVS Thom. in *solutione ad tertium* ait nō teneri fideles eam soluere, eo quod cum decimarum solutio sit instituta ad sustentationem ministrorum, nec decet ministros sacros esse nimis molestos in eis exigendis circa res minutulas, neque si exigantur præfatæ sustentationi conducent: & ideò neque in lege veteri erat præceptum de his minutis decimandis, sed reliquit hoc Deus arbitrio dare volentium, quia minima quasi nihil computantur. Et obiectioni ex dicto Christi Domini Lucæ, 11. vbi de has res minutas decimantibus ait: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* respondet Angelicus Doctor verbum illud, *oportet*, decentiam importare, non obligationem, tam in lege veteri, quàm in noua, nisi fortè propter cōsuetudinem Patriæ. Nec reprehenduntur Pharisæi, quia decimas rerum minutarum soluebant, sed de hoc quod maiora, id est, spiritualia præcepta contemnebant, adscribentes sibi legis iustitiam, eo quod de minutis istis decimas pendebant. Et in hoc quidem laudat eos, sed voluntatem se ostendendi irreprehensibiles, & veros legis obseruatores propter istorum minutorum decimationem condemnat. Luc. 11.

2. Sed contra hanc D. Tho. doctrinam videntur esse iura expressa in cap. *Ex multiplici De blado* (ait) *& vniuersis leguminibus esse decimas soluendas.* Et ibi præter legumina, adduntur etiā minutæ decimæ quæ de oleribus esse intelliguntur, & expressius capit. *cum in tua*, & in cap. *non est*, de hortis decimæ pendendæ dicuntur: Nomine autēm hortorum legumina intelligenda videntur: & in cap. *peruenit*, additur *fænum*, & eadem ratio videtur de similibus. Et ratio suffragatur: nam licet singula in his videantur esse parua, aut nullius æstimationis, tamen cumulus omnium magni æstimari debet, & necessarius, vel valdè cōmodus ad conuenientem sustentationem ministrorum.

3. *Respondetur.* Hæc minutula decimationi obnoxia sunt, quando in mediocri quantitate seruntur, & colliguntur: maximè quia sæpè, & in multis locis agrorum cultores his seminandis & colligendis insudant propter inde expectatum lucrum. At D. Tho. intelligendus est de minutissimis oleribus, quæ sæpè spontè nascuntur in parua quātitate, & ex priuatis hortis colliguntur nō ad lucrum, sed ad quandam commoditatem, & voluptatem: quam limitationem etiā in viuarijs domesticis bestiolarum, & stagnis piscium omnes admittunt.

DISPVTATIO IIII.

An de bonis, quæ per donationē, legatum, testamentum, vel hæreditariam successionem acquiruntur, debeatur decima?

1. QVAESTIO quidem grauis stādo in solo iure, in qua ait Panor. in c. *Pastoralis*, non esse facile præcipitare sentētiam, esse autem facile diiudicare in praxi quid sit agendum, quia tandē consuetudini standum est. Nihilominus dubitatio hæc agitanda est attento solo iure, seclusa consuetudine. Panor.

De hac

1. Sētent. De hac re *prima sententia* affirmat, decimam deberi de præfatis bonis: fundamentum eius est, quia iura statuentia decimas personales de omni re, quæ titulo lucratiuo alicui obueniunt, decimas esse soluendas decernunt: vt patet in textib⁹ citatis. Hanc sent. tenet Sylu. verbo, *decima*. cũ Hostiẽsi, & alij, cui opponunt duas exceptiones. Prima de bonis, quæ obueniũt filio succedenti in hæreditate paterna, vel nõ habente fructus, vel si habeat, iã sũt decimati. Ita Gl. in c. *Pastoralis*, verbo, *quasi de lucro*, & approbatur à multis. *Ratio eorũ* est, quia tũc nõ est cẽsẽdus filius aliquid lucrari, sed incipere possidere, quod iure iam erat suũ.

Alij hanc exceptionem etiam extendunt ad eos, qui ab intestato succedunt, quia illi sunt necessariò hæredes: & ideò non tam acquirunt, quã rem sibi debitam accipiunt. Ita Gl. in c. *decima*. 16 q. 1. Secunda exceptio, vt de solis mobilibus bonis decima soluatur, non de immobilibus, etiam de nouo per legatum, vel donationem acquisitã. Ita Glossa in capit. *Pastoralis*, quam ibi multi sequuntur, & Rebufus *de decimis quæst. 8. num. vltim.* Rebuf. *quia frugum*, inquit *nomine res immobiles non veniunt, & quia si ex immobilibus decima debetur, omnia ferè bona immobilia paulatim, & successu temporis ad Ecclesiam peruenirent, & sic clero ditato cæteri in egestatem ducerentur.* Oppositum huius exceptionis tenent Alanus, & Ioannes Vincentius, sed communiter eis contradicitur. Alanus. Ioa. Vinc.

2 *Secunda sententia* est, non teneri fideles soluere decimam ex bonis aduenientibus per liberalem largitionẽ alterius, siue per donationem inter viuos, siue causa mortis, siue per legatũ, aut institutionẽ hæredis, quantumuis extranei. Hanc fuisse opinionem antiquorum ait Innocentius in cap. *non est, de decimis*, & in eam inclinat: fuitq; Albet. vt Syluester refert: & nouissimè eam defendunt Gregorius de Valentia *tomo. 3. disp. 6. quæst. 5. pũcto 3. &* Suarez, *in tract. de Relig. lib. 1. de diuino cultu necessario ex præcepto, cap. 31.* Quæ sententia mihi placet: & *probatur* quia non sunt augenda onera sine necessitate cogente: at in iure non habetur esse soluẽdas decimas, nisi ex frugibus, seu fructibus, aut emolumentis rerum immobilium, vel animalium, quod pertinet ad decimas prædiales, vel ex laboribus nostris, vel ex acquisitis nostro opere aut industria, quod spectat ad personales: perspicuum autem est bona nobis accrescẽtia modis præfatis in hac disputatione non pertinere ad decimas prędiales, neque etiam ad personales, de quarum ratione est quod ex nostris actionibus proueniant. ergo. *Confirmatur*, quia decimæ personales ex lucro debentur, quę autem nobis proueniunt sine actione, aut industria nostra, lucra non debent dici. Innocent. Valen. Suarez.

3 *Et si obijcias.* In cap. *non est*, de omnibus bonis dicitur esse soluendas decimas. Ita verum est: sed qua ratione, prima sententia excipit immobilia, nobis ratione vergẽte ea bona, quæ sine nostra actione proueniũt, excipere licebit. Itẽ illud, quod dicitur in cap. *transmissa. de omnibus, quæ homo licitè potest acquirere*, huic sententiæ fauet, quia insinuatur esse intelligendum præceptum de bonis, quæ actione acquirimus: id est de his, quæ nostra actione, vel industria acquirimus, non de his, in quibus acquirendis quasi passiuè nos habemus. Aliàs etiam immobilia comprehenderentur, quia simpliciter dicitur, *de omnibus, quæ acquirimus.* Confirmatur, quia aliàs ex eleemosynis, quę nobis porriguntur, teneremur decimas soluere, si ratio allata pro prima sententia valeret: quod tamen nullus hucusque asseruit.

Dices, de eleemosynis non solui decimas, vel quia necessariæ sunt pauperibus, quibus dantur, vel quia minima sunt, & pro nihilo reputantur. Certè *prima excusatio* non valet, quia si tanta egestate premitur pauper, vt nequeat largiri decimã; tunc excusabitur à præcepti impletione, non à debito legis, sicut de mercenario locante operas suas dicendum est. Neque *Secunda excusatio* vrget: nã licet eleemosyna vnius diei parua sit, cumulus vnius anni efficiet magnã quantitatẽ, de qua iuxta primam sententiam erit soluenda decima.

Hæc sententia mihi vt probabilis placet: sed in praxi consuetudini standum est: & vlterius aduertendum, etiam admissa secunda opinione, si res legatæ aut donatæ, aut hæreditate acquisitæ sunt frugiferæ, & non sunt decimatæ à priori possessore, secundus possessor tenebitur decimare eo tẽpore, quo à priore possessore decimãdæ essent, quia cum eo onere transeunt ad secundum possessorem: at verò si iam erant decimæ persolutæ suo tempore à priori possessore, nõ tenetur possessor secundus vllam decimam pro eo tempore soluere quia iam onus illud exuerunt, & per nouam acquisitionem non induunt illud, vt docebamus. An verò si alicui in mercedem, seu stipendium detur res immobilis, teneatur accipiẽs decimas dare? res aliquibus dubia est: vt refert Syluest. verbo. *decima, quæst. 6.* sed ipse in partem affirmatiuam inclinat, cum Glossa, *in capit. Pastoralis*, & capit. *decima. 16. quæstion. prima*, verbo, *negotio*: & mihi videtur sententia vera, quia verè lucrum est illud stipendium, & nostro opere, aut industria acquisitum: ergo ad decimas personales spectat. Solutio autem sufficienter fiet, si de pretio, quo æstimabitur res immobilis reddatur decima pars, retentis nouem. 4 Vera. sẽt. Syluest.

DISPVTATIO V.

An optima quæque sint danda pro decimis soluendis? an verò satis sit deteriora dare?

Videtur, quod omnium optima: verbi gratia, pecus pinguius multũ selectius. Nã num. 18. dicitur. *Omnia, quæ offertis ex decimis, & in donaria domini separatis optima & selecta erunt. Dicesq; ad eos, si præclara & meliora obtuleritis, reputabitur vobis quasi de area, & torculari dederitis primitias.* Ergo quãuis Ecclesia Christi legibus veteris testamenti non adstringatur, tamen quia instar illius legis decimas instituit, ad illius imitationem optima quæque in decimas elargienda erunt. Confirmatur, quia ibidem subditur. *Et non peccabitis super hoc, egregia vobis,* 1 Num. 18.

vobis & pinguia reseruantes, ne polluatis oblationem Israel, & moriamini: Ergo grande piaculum erat reseruare decimantes sibi meliora.

2 *Respondetur.* Quidquid fuerit in lege veteri, in noua præcepto decimandi satisfit, nec dando deteriora, neque meliora. Patet quia dando mediocria decima soluitur: at verò quando meliora dantur plus quam decima datur, nam agnus vnus selectus è gregibus pluris æstimatur, quã tres. Et è contra, si deteriora dentur, non soluitur decima, quia tres agni deteriores non tanti fiunt, sicut vnus egregius. Igitur dando mediocria decimarum præceptum benè adimpletur. Quod si adsit bona fides decimantium, nec intendentiũ lucrari dando peiora; sed vt obuia fiunt selecta, & peiora dantur pro decimis, non est cur solicitus plus nimio sis exactor decimarum: & ad hãc bonam fidem fit allusio à Gregorio, & habetur. 16.qu.7. Can. *Quicunque recognouerit in se, quod fideliter non dedit decimas suas, modo emendet, quod minus fecit:* & sequitur, *quid est fideliter dare? vt neque minus peius aliquando offerat de grano, aut de vino, aut de fructibus arborum, de pecoribus, &c.*

3 *Ad primum respondetur* nos non adstringi legibus Synagogæ, in lege autem noua nusquam legimus teneri ad decimas ex melioribus. *Secundò respondetur:* neque in veteri lege tale præceptum erat, quia verba in argumento allata ad solos Leuitas referuntur, qui summo Sacerdoti tenebantur decimas decimarum conferre ex optimis quibusque, propter excellentiam Pontificis. Cęteri verò qui Leuitis soluebant decimas, satis erat ex mediocribus dare: & hoc colligitur Leuit.27. in illis verbis: *Decima dabuntur ex his, quæ sub virga transeunt:* Id est quod omnia pecora decimanda erant sub virga Pastoris: id est per portam strictam, per quam vnum solum transire possit, & quidquid decimum occurreret domino dabatur: qui mos vsque hodie in populo Christiano seruatur. Vel tertiò, *meliora & optima*, negatiuè, id est non deteriora: vel comparatiuum pro positiuo ponitur, sicut sæpè fit in sacra Scriptura. *Ad confirm. resp.* Ibi inuehitur aduersus eos, qui deteriora offerebant, qui enim reseruat pinguia præsumitur deteriora velle offerre, quod damnat Augustinus. *16. quæst. 1. cap. decimæ.* — *Leuit. 27.*

DISPVTATIO. VI.

An decimæ ex integro, id est non deductis expensis pro acquisitione vel lucro factis sint soluendæ?

1 VErbi gratia: an ex aceruo tritici ante decimationem sint deducendi sumptus facti pro tritico colligendo, vel saltem semina. Similiter in negotiatione, & alijs huiusmodi ante decimationem sint deducendæ expensæ factæ pro lucro acquirendo?

Hanc difficultatem D. Tho. tetigit, & resoluit de prædialibus decimis *in solutione ad quartum huius articuli*, nos verò disputationem ad personales decimas extendentes per sequentes assertiones respondemus.

Prima. Decimæ prædiales sunt ex integro soluendæ sine vlla diminutione: itaque non sunt deducendæ expensæ factæ: imò neque semina, neque tributa, seu aliæ pensiones soluendæ ante decimationem. Ita clamant iura, & expensas nõ esse deducendas expressè dicitur in cap. *tua nobis*, cap. *non est*, c. *Pastoralis*, c. *cum homines*, de decimis vbi Glossa, & Doctores sine controuersia id docent. Deinde non esse deducenda tributa, neque census expressè habetur in c. *cum non sit*, de decimis: videnda sunt etiam c. *commissum*. c. *peruenit*. c. *ex parte* c. *non est in potestate*, extra de decimis.

Secunda assertio. In decimis personalibus pendendis possunt deduci expensæ, & ijs computatis de residuo decima soluenda est. Probatur capit. *Pastoralis*. de decimis. vbi dicitur, *In negotiatione concessum esse, vt possint expensæ deduci, prius quàm decimæ soluantur ex lucro.* Ita tenent communiter omnes Doctores, Glossa in capit. *Apostolica* verbo, *personales*, & in capit. *non est*, & capit. *Pastoralis*, extra de decimis. & Innocentius, Hostiensis, Antonius, Panormitanus, & cęteri. & aduertit Glos. *in eo c. Pastoralis*. non inueniri textũ antiquiorẽ illo capite, quo nostra assertio stabilita sit. Sed vel consuetudine recepta, vel ratione cogente communi interpretatione id esse in vsu, & in illo capite tandem fuisse approbatum, & ad ius deductum, quia si verba inspiciantur, non vt ius nouũ conditur, sed antiquum ius approbatur: & quãuis textus iste solùm loquatur de negotiatione, tamen Doctores dicunt esse extendendum ad omnes decimas personales, quãuis ex alijs actionibus debeantur, quæ non sunt negotiationes, vt venatio, piscatio, opificium. 2 — *Gloss. Innoc. Host. Panor.*

Colligi autem potest extensio: tum ex paritate rationis: tum ex verbis eiusdem textus: nam ibidem subiungitur circa res acquisitas, vel factas de pecunia decimata, *cum ipsa* (inquit) *venduntur deducendas esse expensas, & de residuo, quasi de lucro, decimas persoluendas.* Notanda est illa vox, *de residuo quasi de lucro*, ex qua colligunt Autores primam rationem nostræ assertionis, quia personalis decima præcipitur tantum solui de lucro: sed in negotiatione non est lucrum totum pretium, pro quo venditur merces, sed id quod superest deductis expensis, vt de se patet: ergo meritò in solutione harum decimarum expensæ deducũtur. Et eodẽ modo potest induci capitulum, *ex transmissa*, vbi decimæ dicuntur soluendæ ex omnibus licitè acquisitis: at in negotiatione non dicitur homo acquirere, nisi q̃ illi supersunt deductis expensis: ergo. Hæ aũt rationes pari passu & proportione procedunt in omnibus personalibus decimis, omnes enim debentur ex lucro, & ex acquisitis.

Sed contra primam assertionem arguitur. *Primò*, quia decimæ prædiales soluuntur tantùm ex fructibus, vt iura citata dicunt. At expensæ non computantur in fructibus, vt expressè dicitur in l. *fructus*. ff. solut. matrim. & in l. 1. C. de fructibus & litium expensis, & in l. *fundus*. ff familiæ herciscun- 3

hereiscundæ, dicitur, quod nullus casus interuenire potest, qui hoc genus deductionis impediat: quę verba assumuntur à Iurisperitis, vt regula infallibilis in hac materia.

Secundò, quia quantitas illa fructuum, quæ seminata fuit, erat iam decimata: ergo debet deduci ex fructibus collectis, aliàs iterum decimaretur, quod iniquum videtur. *Confirmatur.* Quia interdum omnes fructus collecti non excedunt semina terræ mandata: ergo iniquum videtur tūc decimam exigere, imò sæpè contingit omnes fructus non æquare expēsas factas, vsque ad frugum maturitatem, & collectionem: ergo iniusta exactio est, tunc exigere decimā omniū fructuū.

Tertiò. Si anni steriles cum vberioribus computentur, certe si expensæ non deducantur, non tantùm decima, verùm & dimidia pars lucratorum fructuum exoluetur, qui modus decimandi plus nimio rigorosus est.

Quartò. Iste rigor plus apparebit in decimis mixtis, quia res illę, ex quarum fructibus tales decimæ soluuntur, non sunt ita durabiles, sicut agri, & vineæ, & arbores, sed facilè moriuntur, & sæpè cū magno damno dominorum, quod totum in sumptibus numeratur: Nec reperiri potest sine magno dispendio, nisi ex fructibus eorundem animalium: ergo saltē in his decimis mixtis æquitate plenum est, vt prius expensæ deducantur: & hoc argumentum etiam procedit in decimis, quę ex molendinis soluuntur, ꝑpter magnas expensas, quæ in illis reparandis fieri solent.

4 *Quintò* arguitur contra secundam assertionem ex cap. *non est*, vbi dicitur ex sententia patrum decimas esse soluendas, *de vino, agro, fructibus*: & additur, *Negotiatione, militia, venatione*: in quibus verbis prædiales, & personales decimæ comprehenduntur, & tamen subiungitur: *præcipimus quatenus, ante quam deducatis vllas de bonis prædictis expensas, decimas cum integritate persoluatis.* En præceptum illud ad personales etiam extenditur.

Sextò. Si in decimis personalib⁹ sunt deducēdæ expensæ omnes, sequitur nunquam esse persoluendas nisi à negotiatoribus, qui copiosa lucra acquirunt, etenim computatis expensis, quas negotiatores faciunt in victu, & vestitu suæ familię, & famulorum suorū, computatis itidem sumptibus factis in mercibus emendis, & similibus necessarijs ad mercaturam exercendam nil lucri, aut quasi nil remanebit: & idem argumentū procedit in militibus, & famulis, ac operarijs. *Vltimò.* contra vtramque assertionem arguitur: etenim se inuicem perimere videntur. Nam si prædiales decimæ sine deductione expensarum, & ex integro soluendæ sunt: ergo & personales: quod si in personalibus deducuntur expensæ, cur non in prædialibus? non enim apparet maior ratio de his, quàm de illis.

5 *Nihilominus* cùm iura differenter statuant de prædialibus & personalibus, ita & nos asserere debemus: superest tamen ad argumenta in oppositum facta respondere.

Circa solutionem primi vtriusque Iuris periti respondent, standum esse iuri Canonico, quod potuit excipere ab illa regula generali iuris ciuilis decimationem ex fructibus, & ita excepit propter multa. Primò, quia decimæ dantur in recognitionem dominij diuini, & ideò saltem prædiales ex integris fructibus soluendæ sunt. *Secundò*, quia Deus ita eas iussit offerri: ad cuius imitationem Ecclesia Christi, suam decimationē cōposuit. *Tertiò*, quia hoc tributi genus, vtpote congruū & necessarium ad sustētationem ministrorum Christi debuit exigi, & præcipi cum integritate persoluēdum: quod vsque adeò verum censet Sotus *lib. 9. de iust. quæst. 4. artic. 2. circa finem*, vt dixerit, non posse consuetudinem in contrarium præualere, quod puto esse falsum, vt ex supra dictis de consuetudinis circa decimas efficacia supra docuimus.

Ad secundum argumentum negatur consequētia. Nam semen iterum decimari non potest, cū necesse sit putrefieri, & mori, vt fructum afferre possit: totus ergo fructus, qui ex semine nascitur de nouo fit, & donum Dei est, & ideò totum illud denuò decimandum est. Ad *confirm. resp.* Omnibus pensatis, & collata sterilitate, & vbertate, & indigentia ministrorum, æquitas non mediocris seruatur in decimatione ex integro fructuum prædialium, vt experientia docuit. Similiter ad tertium respondetur. 6

Ad quartum de decimis mixtis similiter respōdetur: & est expressa decisio in dicto cap. *Pastoralis*, expensas, quæ fiunt in reparandis molendinis, domibus, &c. non esse deducendas. *Quia penes dominum* (dicitur ibi) *res permanent restaurata, & ideò expensis eius, non Ecclesiæ, restauratio fieri debet.* Idemque ibi esse dicitur, si pars aliqua moriatur armēti. Imo quod notandum est etiam in decimis personalibus, quæ ex negotiatione resultant, si pars mercium deperijt, dicitur ibi non esse reparandam ex lucro aliarum partium ante deductionem decimarum, propter consimilem rationem, quia quod reperitur domini efficitur.

Ad quintum resp. quod quamuis in illo capit. *non est*, illa verba: *Antequam deducatis, &c.* videantur 7 indifferenter cadere super omnes actiones ibi numeratas: nihilominus ex necessitate materiæ, & ne sequatur absurdum contra capitulum, *Pastoralis*, restringenda sunt ad decimas prædiales: maximè quia caput, *Pastoralis*, editum fuit post capitulum *non est*: quam responsionem insinuat Glossa ibidem. *Secundò dicitur.* In rigore lucra non sunt, nisi quæ supersunt deductis expensis, vnde etiamsi deducantur, nil adimitur Ecclesiæ de lucris, quæ ad decimas personales spectant. Secus de fructibus, qui oēs ad decimas prædiales pertinent.

In sexto argumento quæritur, quæ sint expensæ 8 deducendæ in decimis personalibus? quarum quasdam liquido constat esse deducēdas, eas nimirum, quę fiunt præcisè ad cōparāda lucra, aliàs non faciendæ: verbi gratia, in mercibus emendis, quærendis, transportandis, vendendis, meliorādis, & etiam illæ, quæ datæ sunt proxenetis & similia. Aliæ sunt expensæ, quæ negotiatores facerent, etiā si negotiationes non exercerent, quales sunt relatæ in argumento, de quibus dubium est, an deducendę sint? Et videtur vera pars negatiua pro-

Quæ sint expensæ deducēdæ in decimis persoluendu?

propter argumentum factum. *Cæterum* qui oppositum assereret non improbabiliter loqueretur, quia estò illæ expensæ essent faciendæ citra negotiationem, reuera in opere negotiationis insumuntur, & expensæ negotiationis dici debent: ad eum modum, quo expensæ famulorum pro victu, & vestitu etiam si aliàs famuli essent consumpturi eas, quamuis heris non inseruirent, inter sumptus famulitij computantur, & domini eas tenentur suis seruitoribus soluere.

9 *Ad vltimum*, in quo exigitur ratio discriminis inter decimas prædiales, & personales, propter quam diuersum modum decimandi in his, & illis assignauerint iura. *Resp.* varia esse discrimina. Primum, quia decimæ personales dantur de lucro, lucrum autem solum est illud, quod superest deductis expensis; prædiales sunt de fructibus, fructus autem sunt omnia germina, quæ à prædijs promanant nullis deductis expensis. *Secundum* discrimen. In negotiatione non oportet rem destrui ad lucrandum, sed satis est, aut transportari, aut pro alia commutari: vt autem terra fructificet, necesse est semina corrumpi, in his quæ ex semine producuntur, vel saltem necesse est, vt Deus det incrementum arboribus, & materiam, ac dispositiones, vt fructificare possint: & hoc est quod dicit Glos. in c. *Pastoralis* verbo *deducendis*, ideò in mercibus deduci expensas, & non in fructibus: quia in negotiatione operatur manus hominis, in fructibus verò manus Dei. Intelligenda glossa est, non quod lucrum negotiationis non pendeat etiam ex Dei prouidentia, & beneficio, vt aliqui obijciunt: sed quod magis perspiciatur eius operatio in fructibus naturæ, qui substãtialiter producuntur, & minus ibi operatur industria humana quia vt ibi allegatur, *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Et hoc est, quod ait D. Tho. in solutione ad quartum, *Decimas non esse obnoxias mercedi operariorum, quia debentur Deo in quantum fructus proueniunt ex eius munere.* Tertium discrimen potest esse, quia lucrum personale paruum est, & vix respondet singulis annis vnum pro decem, fructus autem prædiales multo vberiores sunt: vnde ex eorum augmento relinquitur sufficiens lucrum vltra expensas: etiamsi soluatur decima non deductis expensis.

D. Thom.

Circa primam assertionem est

DISPVTATIO VII.

An ante decimationem prædialẽ sint deducenda tributa Regia, census, seu aliæ pensiones?

1 ET videtur vera pars affirmatiua. *Primò*, quia alias tributa regia minuerentur ratione decimarum. *Secundò*. Siquis teneatur soluere census ex fructibus alicuius prædij, tenetur suam pensionem integram soluere pensionario: ergo non debet prius decimam soluere, aliàs altera pensio minueretur. *Tertiò*. Colonus, qui conducit agrum pro parte fructuum, qui partiarius dicitur, partem integram debet reddere domino fundi, vt supponi videtur in cap. *tua nobis*. de decimis: ergo non debet fructus prius decimare.

Opposita tamen sententia citra dubium tenenda est, & decreta expresse in cap. citato, *tua nobis*.

Ad primum pro parte affirmatiua *respondetur*, tributum diuinum decimationis Regio præferendum esse, vt D. Tho. significauit in solutione ad quartum, alioqui decimæ ipsæ minuerentur propter tributum Regium, & ita virtualiter ex decimis solueretur, quod non decet, neque fieri potest. 2

Ad secundum. Si pensio est determinatæ quantitatis absolutè: verbi gratia, viginti modij tritici, negatur consequentia, quia pensio potest & debet solui integra ex nouem partibus fructuum, quæ remanent soluta decima: & contractus de tali pensione intelligendus est, post præmissam decimationem; nec aliter potuit fieri, quia cederet in iniuriam Ecclesiæ: at verò si pensio est de aliqua aliquota, quam esse maiorem ex integris fructibus, quàm ex decimatis perspicuum est, tunc pensio soluenda debet intelligi de fructibus decimatis, & tã in hoc casu, quàm in præcedenti pensionarius non grauatur, quia non tenebitur aliam decimam soluere. In priori casu, quia sic debuit intelligi contractus. In secundo, quia si reciperet talem partem aliquotam ex fructibus integris, teneretur ipse pro parte sua decimare, & sic tandem in idem rediret, & Ecclesia reciperet integram decimam.

Ad tertium fermè eodem modo respondetur: videlicet decimas esse soluendas ex integris fructibus, cum prius ex illis decima deducatur, & postea dominus & colonus inter se diuidãt, iuxta conuentionem suam, (& iste modus est valdè conformis iuri) quo facto neuter tenebitur ad alteram decimationem pro parte sua, siue prius inter se diuidant fructus, & postea vnusquisq; pro sua parte decimam soluat, nam in idem redit, & fieri posse supponitur in cap. *tua nobis*: ita Glossa, Panor. & alij, & *Glos. in c. quæsiti. 16. quæst. 1.* 3

Glossa.
Panor.

Sed maior difficultas est, an Rex de tributis decimatis ante solutionem tributorum, & pensionarius de pensionibus similiter iam decimatis, & colonus itidem teneantur aliam seorsum decimam soluere præter eam, quæ iam soluta est?

An Rex teneatur decimã soluere de tributis decimatis ante solutiones tributorum?

Et videtur non esse soluendum: quia iam soluta est, & si denuò penderetur, eadem res bis decimaretur, quod neq; iura iubent, neq; ratio finit fieri.

In oppositum est, quia illæ pensiones inter lucra computari debent, pensionarijs similiter, & dominis fundorum locantibus eos pro parte aliqua fructuum: ergo quàmuis prædiales persoluerint, siue per se, siue per alios, adhuc tenebuntur personales decimas e suis pensionibus soluere: nec est inconueniens duas dari decimas, vnam prædialem, alteram personalem; ita sentit Abulens. in *capit. 23. Matt. quæst. 204.* & videtur applaudere Gloss. in dicto. *capit. tua nobis*, in principio & alij. 4

Nihil-

Nihilominus *dico primò*, Pars quam accipit pensionarius, & dominus fundorum colens sua prædia, si semel à principio decimata est, neutiquam secundò debet decimari. *Probatur*, quia ea pars ad fructus prædiorum pertinet, & inde vt eorum fructus ad pensionarios, vel dominos colentes agros per colonos dimanat: ergo si qua ex ea parte decima debetur, ea prædialis est, quæ supponitur iam soluta: ergo iterum obnoxia non est decimationi. Itaque totũ illud lucrũ pertinet ad reditus fundi respectu domini, & ideò decima, quę ex illo deberi potest, prædialis est, quia ex fructu prædij datur, & non ratione personalis actionis, vel negotiationis, quod necessarium est, vt esset
Hostien. decima personalis: ita sentiunt Hostiensis, & Io-
Andre. annes Andreas, dicentes id esse ęquius quàm oppositum.

6 *Dico secundò*. Mercenarius, qui seruit in cultura agri pro certa parte fructuũ, tenetur soluere decimã personalem de illa deductis expensis, iuxta normam traditam à nobis in secunda assertione circa decimas personales. *Probatur*, quia impertinens est, & accidẽtarium, quòd accipiat mercedem sui laboris in pecunia, aut fructibus: sed si acciperet in pecunia, teneretur soluere decimam personalem: ergo etiam si accipiat in fructibus: & quando ait Sotus, non teneri talẽ mercenarium soluere decimam de sua pensione, intelligẽdus est de decima prædiali, nõ de personali. Idẽ fortasse dicendũ est de colono percipiente certam partem fructuum ex cultura alieni agri: quia licèt soluerit integram decimam prędialem, quidquid soluta pẽsione ex residuis fructibus lucratur, est lucrum personale ex propria actione, & industria, & ideo deductis expensis, & in eis computando labores proprios iuxta suum valorem, videtur teneri ad decimam personalem ex tali lucro, non minus, quàm mercenarius, vel famulus ex sua mercede, vel negotiator ex suo lucro. Hoc tamen non est in vsu: tum quia decimæ personales in desuetudinem abiere, vel quia colonus ille censetur, quasi vsufructuarius, & habet dominium vtile fundi, & ratione illius potest fructus percipere, ac proinde ad decimam prædialem perceptio illius partis spectabit.

7 *Quando decima sit pendenda?* *Sed dubitabit* quis, quando decima sit pendenda? *Respondetur*, prædiales, quando sunt collecti fructus: personales, quando est lucrum acquisitũ ratione personæ. Sed specialius dico: decima ex fœtu animalium soluitur, quando pulli nati in eo statu sunt, vt sine adhæsione ad mates possunt consistere, & ex lana & pellibus, quando tondentur pecudes, aut paratæ sunt pelles; ex caseis quando factæ sunt. *Si quærat* aliquis,
8 an decima prædialis statim collectis fructibus solui debeat? *Respondeo*, deberi solui, capit. *cum homines*, de decimis, & sufficit esse perceptos quando nondum sint perfecti collecti, l. *si eius*. ff. de rei vendicatione, vbi dicitur: *Perceptionem fructus accipere debemus, non si perfecti collecti, sed etiam cœpti ita percipi, vt terra continere fructus desierit, veluti si oliua, vel vua secta fuerint, & nondum ab aliquo vinũ vel oleum factum sit, statim ipse existimandus est fructus accepisse*. Hæc ibi. In aliquibus verò locis in musto, aut in oleo datur decima, nõ in fructibus sectis.

Deinde rogitabis, an decima personalis statim atque est acquisitum lucrum sit soluenda? Glossa in capit. *reuertimini*, verbo *annis*. 16. quæstion. prima censet solui posse ad exitum anni. Idem dicit Abbas in capit. *peruenit*, de decimis: at Cardinalis in eodem *capit*. docet statim esse soluẽdam, quoniam ius inter prædialem, & personalem decimam in hac parte non distinguit, & Parochus intra annum sæpè indigere cõsueuit rebus ad vitam necessarijs. Sed certè esset nimis grauare populũ fidelẽ, si lucrũ singulo quoque die acquisitum, teneretur statim persoluere; quare sententia glossæ, & Abbatis mihi magis probatur: sed consuetudini standum est. Audio namque apud Venetos esse consuetudinem receptam, vt personalis decima non soluatur, nisi ad finem & exitum vitę, nam sicut Ecclesia damnum pati, sic etiam lucrari potest, eo quod ad finem vitæ vnusquisque sicut pauperior, sic etiã ditior esse potest.

DISPVTATIO VIII.

An decimæ etiam non petitæ à sacerdotibus debeant solui, & in horrea clericorum deferri?

IN hac re etiam Iurisperiti in varias abiere sententias: sunt enim nõnulli existimãtes, decimas non deberi, nisi à clericis petantur. Ita Archidiaconus, *in cap. 1. nu. 2. de decimis in 6*. Rota in antiquis. 25. Guido Papa decisione. 283. *num*. 2. Bald. de *præscriptionibus*. 1. p. 5. *partis principalis*; *quæst*. 7. num. 12. Adrianus quodlibet. 5. *articul. 1. circa finem*, quos refert & sequitur Didacus Perez, in l. 1. *titul. 5. lib. 1. ordinam. col*. 202. & Paulus Parisius cons. 15. num. 26. lib. 1: addit: *Si decimæ tempore collectionis fructuum à sacerdotibus non peterentur, postea peti non possent*. 1 *Archid.* *Rota.* *Guid.* *Bald.* *Adrian.* *Did. Per.* *Parisius.*

Alij verò Iurisperiti sentiunt oppositum, quinimò existimant rusticos teneri deferre decimas in horrea clericorum: ita Glossa in cap. *reuertimini* verbo, *in horrea*. 16. quæstion. 1. & sequuntur cõmuniter Doctores in cap. *cum homines*, de decimis, & in capit. *decimæ*. el. 1. verbo, *in horreum*. 16. *quæstion*. 7. Gregorius Lopez, *in l. 2. titul. 20. part. 1. in Gloss. de las tierras*, Doctores in capit. *ex parte*, de decimis el 2. præcipuè Vincentius ibidem, Antonius de Butrio. *num*. 2. Abbas. 5. ait hanc esse communem sententiam, & alij moderni eam sequuntur, Antonius de Padilla, in l. *post mortem*. num. 18. & 19, *C. de fidei commisso*, Azebedo *in l. 4. titul. 5. num. 2. lib. 1. noua collectionis regalis*. 2 *Gloss.* *Greg. Lop.* *Vincent.* *Butr.* *Abbas.* *Padill.* *Azebedo.*

In hac difficultate decidenda prius dicemus quid sit sentiendum nostro iudicio secundum ius commune, & æquitatis rationes: deinde quid dicendum secundum consuetudines.

Igitur *dico primò*. Decimæ debitæ sunt sacerdotibus, etsi eas non petant. *Probatur* citatis cap. allegatis pro secunda sententia. *Secundo*. Decimæ sunt oblationes factę Deo in ministris eius, in sustẽtationẽ, & mercedẽ eorũ, & recognitionẽ diuini 3

uini dominij, vt superius docuimus: ergo etiamsi non petatur, debitæ sunt: & colligitur ex capit. *cũ homines*, & constat ex forma præcepti de decimis soluendis. Non enim præcipitur fidelibus, vt decimas soluant, si requisiti fuerint: sed absolutè, vt soluãt. Quod benè insinuatur ex legis veteris præcepto, ad cuius imitationem Ecclesia Christi præceptum decimarũ stabiliuit. Nã præceptũ erat offerre decimas *Exod.* 22. verbũ autem *offerendi*, significat oblationem, quæ vltrò danda est, etiamsi non petatur. Confirmatur, quia quæuis alia stipendia debita de iustitia etiã nõ petẽtibus stipendiatis reddenda sunt: ergo & decimæ debitæ ex iustitia, vt supra docuimus etiam non petentibus sacerdotibus, quia stipendia sunt consignata in mercedem & sustentationem ministrorum sacrorum. Ex his confutatur id, quod addidit Paulus Parisius citatus, existimans laicos non teneri soluere decimas frugum, si tempore collectionis non petantur; quinimò sicut quæuis alia stipendia debentur omni tempore, etiam nõ petita, sic & decimæ: quare Couar. vbi supra vers. 8. meritò reijcit, vt plus quam falsam sententiam Pauli Parisij.

Exod. 22.

Cou.

4 *Dico secundo*. Seclusis consuetudinibus laici tenentur deferre decimas frugum in horrea clericorum, aut eorum domus, modò leui sumptu, & labore possit ista portatio. *Probatur* ex iuribus citatis pro secunda sententia. Item, quia is qui facit aliquam oblationem Deo aut hominibus, rẽ oblatam defert in domum eius, cui fit oblatio: sed decimæ, vt dictum est, sunt oblationes, quæ fiunt ministris propter Deum: ergo si paruis sumptibus, aut labore possunt deferri in horrea, aut domus clericorũ, deferendæ sunt. Notanter dixi cũ Couarruuia vbi supra, & Gutierrez, num. 43. *Si modicis sumptibus, & labore.* quia si in tali asportatione magni sumptus essent faciendi, existimo colonos non teneri decimas deferre in horrea clericorum, eo q̃ æquitas non patitur oblationes decimarum fieri à fidelibus cum tãto dispendio.

5 *Dico tertiò*. Æquum videtur decimare debẽtes non posse frumentum, aliosve fructus in propria horrea cõdere, nisi prius clerici certiores fiãt, vt vel ipsi, vel eorum procuratores assistant, & præsentes sint fructuum collectioni, atque aceruí diuisioni, vt decimas percipiant, ne aliqua fraus à laicis fieri possit in solutione decimarum, vt in specie tenet Speculator in titulo de decimis ad finem, quem sequuntur Abbas, & communiter Doctores in capit. *ex parte*, el segũdo. de decimis. secundùm Couarruuiam, *vbi supra numer.* 8. *versicul.* 8. & in legibus Hispaniæ ita cautum est l. secunda, titulo primæ, *libr.* 5. ordinamenti veteris, & in pragmatica. 17. *videlicet l. secunda, titul.* 5. *libr.* 1. nouæ collectionis Regiæ, vbi fuse nostrum dictum approbatur.

Specul.
Abb.

6 *Dico quartò*. Adeò potens est cõsuetudo in materia decimarum, vt ferè hæc omnia mutauerit in diuersis Prouincijs, & Regionibus: quibus consuetudinibus standum est. Audio enim in aliquibus locis consuetum esse, vt clerici mittant pro decimis ad agros, fundosq; tẽpore collectionis fructuũ aliòve cõmodiori, ita vt laici decimare debẽtes non teneãtur in horrea & domus clericorum deferre. Hanc consuetudinẽ obseruari in diœcesi Ciuitatensi asserit Ioannes Gutierrez *lib.* 2 *Canonic. quæst. cap.* 21. *num.* 45. quod si in hoc casu clerici pro decimis non mittant, neque eas petant adhuc decimare debẽtes tenẽtur eas certiorare, vt probat Rebufus *dicta quæstione* 13. *num.* 50. atque decimas offerre, etiamsi eas domi incluserint, solutis tamen expensis portationis, & in domum recollectionis. Item consuetudine introductum est in multis locis, vt laici libere colligant frumentũ ac cæteras fruges, & eas in propria horrea sine testibus condant, & postea decimas ministris sacris reddant: cui consuetudini standum est.

Gutierr.
Rebuf.

7 Pro priori opinione *obijciunt quidam*, Corinthios nõ peccasse nõ soluẽtes decimas D. Paulo, eo q̃ ipse nõ petebat ergo signũ est decimas nõ deberi, antequã petantur. *Respondetur*, non ob id non peccasse, sed quia D. Paulus libenter eas remittebat: de quo latius supra septima disputatione.

Secundò obijciunt cap. *peruenit* de decimis, vbi exigitur admonitionem debere præcedere decimarum solutionem. *Respondetur*. Ea admonitio exigitur, vt debitores decimarũ possint feriri excõmunicatione, ad quã requiritur contumacia.

Tertiò ego obijcio in fauorem illius sententiæ. Nam tributa, quæ Regibus penduntur, vt asserunt Doctores probati, non debentur nisi petãtur: ergo idẽ dicendũ est de decimis. *Respondetur*. Tributa, quæ Regibus penduntur, sunt numerosa, & non pollent tãta æquitate, sicut decimæ: vnde vt populus ea possit ferre, æquum est, vt nõ debeantur, nisi petita: secus de decimis. Item decimæ sunt oblationes, de ratione autem oblationum est, vt vltrò exhibeantur, etiam non petitæ.

DISPVTATIO IX.

An si dominus conditionem suæ rei mutet decimam soluere teneatur?

1 VErbi gratia in agro, qui arari & seri solebat, Petrus plãtauit vineã, aut in area vel platea arbores seuit, vel domus extruxit, aut ex vinea agrũ ad seminãdũ fecit. Quæritur, an debeat decimã: Responsio cõstãs est ex cõmuni omniũ sentẽtia, præcipuè ex Abbate in cap. *cõmissum*, de decimis, dominũ quidẽ liberè posse sui agri. prædij, vel possessionis cõditionẽ, siue qualitatem, sine vllo Ecclesiæ consensu mutare: nihilominus rei qualitate mutata debetur decima ex fructibus, qui ex ea re colligũtur: quare si prius ex re decima non soluebatur, quia nullus ea fructus reddebat, annua decima debetur quando ex ea fructus percipientur. *Item* si prius ex re minor decima præstabatur, quia erãt fructus pauciores, vel minores, tunc qualitate mutata, quia res facta feracior vberiores fructus reddit, maior decima debetur. Item si consuetudine introductum est, vt de oleo non detur decima,

decima, detur autem de frumento, si quis depopuletur sua olineta, & ibidem seminet triticum, debet decimam tritici: & è contra, si in agro vbi seminabatur triticum, plantet oliuetum, nullam debet decimam.

2 In responsione ad quartum Diu. Thom. multa perdoctè & compendiosè vt solerte soluit, & nos copiosius eadem disputabimus, præmittentes Doctoris Angelici verba. Argumentatur enim in hunc modum: *Homo non potest soluere nisi id, quod est in eius potestate: sed non omnia, quæ proueniũt homini de fructibus agrorum, aut animalium, remanent in eius potestate: quia quædam aliquando subtrahuntur per furtum, vel rapinam, quædam verò quandoque in alium transferuntur per venditionem, quædam etiam alijs debentur: sicut Principibus debentur tributa, & operarijs debentur mercedes: ergo de his non tenetur aliquis decimas dare.* Cui argumento occurrit Diu. Thom. inquiens. *Ad quartum dicendum, quod de his, quæ furto, vel rapina tolluntur, ille, à quo auferuntur decimas soluere non tenetur, antequam recuperet, nisi fortè propter culpam, vel negligentiam suam damnum incurrerit, quia ex hoc Ecclesia non debet damnificari. Si verò vendat triticum non decimatum potest Ecclesia decimas exigere, & ab emptore, quia habet rē Ecclesiæ debitā, & à venditore, quia quantum est de se Ecclesiam defraudauit: vno tamen soluente, alius non tenetur. Debentur autem decimæ de fructibus terræ in quantum proueniunt ex diuino munere, & ideò decimæ non cadunt sub tributo, neq; etiam sunt obnoxiæ mercedi operariorum, & ideò non debent prius deduci tributa, & pretium operariorum, quàm soluantur decimæ, sed ante omnia debent decimæ solui ex integris fructibus.* Hæc D. Thom.

Circa quorum primam periodum recolenda sunt, quæ diximus supra circa articulum primum: de obligatione soluendi decimas, an sit realis? an verò personalis? Quibus necessario relictis, *secundò notandum*, fructus decimales posse in triplici tempore seu statu considerari. *Primò*, quando nondum attigerunt tempus, quo decimari debent, & solent: putà quia segetes adhuc in herba sunt, aut fructus arborum in flore, vt dicitur. *Secundus status*, quando instat, aut quasi instat tempus, quo decimari solent: putà quando segetes albescunt, aut maturæ sunt, quando fructus arborum sunt maturi, vel ad id properant. *Tertius status est*, quando iam notabiliter præterijt tale tempus iudicio discretorum. Et de fructibus in secundo & tertio statu prius agendum est, quia vt inferius dicemus fortasse in priori statu non sunt obnoxij decimationi. *Tertiò notandũ est*, tribus modis posse quempiam occupare fructus non decimatos, & obnoxios decimationi. *Primo modo* per actionem iniustam contra possidentem, & contra Ecclesiam. *Secundo modo per* actionem iniustam contra Ecclesiam, non verò contra possidentem. *Tertio*, bona fide & sine iniuria alicuius. Horum omnium meminit in loco nuper citato D. Thom. licèt secundum & tertium sub vno membro comprehenderit.

Circa relatam solutionem
D. Tho. est

DISPVTATIO X.

Quando fructus decimales auferuntur per actionem iniustam contra possidentem, & contra Ecclesiam, quis teneatur restituere?

VErbi gratia: quando furto aut rapina à latronibus ante decimationem occupati sunt, quis teneatur eos Ecclesiæ restituere, cui esse debitos ex præcedentibus vt apertum supponimus, & etiam vt perspicuum asserimus fures restituere teneri: an verò priori dño, an vero Ecclesiæ dubitabile est. 1

Dico tamen primo. Qui furati sunt fructus decimales, tenētur omnes restituere priori domino, nec benè facerent reddendo nouem partes domino, & decimam Ecclesiæ. *Probatur*, quia prior dominus est, qui omnium fructuum, etiam decimæ partis dominium habet, & ipse est, cui incũbit decimā dare: ergo fur, qui rapuit fructus vero domino debet restituere, nec est quare se intromittat in soluendis decimis, quas alius tenetur præstare: vnde in eo casu non videtur Ecclesiam habere immediatam actionem contra furem, nisi quis dominus esset negligens, & ob id Ecclesia damnificaretur: tunc enim ad reparandum illud damnum posset Ecclesia contra furem immediatè agere.

Dico secundo. Quando fructus decimales per vim, aut iniustam actionem priori dño auferuntur, non tenetur decimam Ecclesiæ reddere, antequā recuperet fructus iniustè sublatos, nisi propter culpam, vel negligentiā suā dānum incurrerit. Assertum est D. Thom. & prior pars non eget ꝓbatione, quia ex iniuria perpessa non debet nasci actio contra iniuriatum. *Secũda pars*, id est, exceptio prioris partis, probatur à glossa in c. *cũ homines*, verbo fructibus collectis, & tenet Alens. 3. *p. q. 51. memb. 5. ad* penul. & Rebu. *q. 12. n. 2.* & ratio est, quia Parochiani ex iustitia tenentur soluere debitum: ergo ex eadem tenentur custodire, vt soluant suo tempore: ergo si quæ negligentia, aut culpa in hac custodia interuenerit, aut mora culpabilis, ratione quorum fructus pereunt. Parochianis, qui tenentur decimas soluere, imputabuntur: sed hæc maiori indigent excussione. Et ideò inquirendum est, quando, & quæ culpa imputari debeat illi à quo auferũtur fructus decimales, ratione cuius teneatur ipse decimas soluere, etiamsi non sint in eius potestate: & vnam habito Regulam generalē, necessariā esse culpā, ratione cuius possit fidelis decimare debēs dici causa moralis nocumenti illati suæ Ecclesiæ, aliàs non imputabitur: ex quo infertur quando Parochianus iniuriauit alterũ, qui odio vel appetitu vindictæ prouocatus fructus iniuriatoris destruxit, non tenetur iniuriatus ille decimas soluere, quia ea culpa fuit valdè remota, quam nō tenebatur 2 Gloss. Alensis. Rebuf. 3 Quæ culpa requiratur, vt quis teneatur decimare, quæ non possidet?

batur vitare ex speciali lege soluẽdi decimas, sed ad eam obligationem accidentaliter se habuit: vnde minimè ad obstaculum decimarum soluẽdarum cooperatus est: quando verò ea culpa sit causa moralis, per sequentes assertiones ostendetur. Notanter dixi in dubitationis titulo, fructus decimales, id est in statu quo decimationi sunt obnoxij: nam de illis in eo statu, quo nondum attigerunt decimationis tempus, postea dicemus.

4 *Prima assertio sit.* Quãdo fructus peruenere ad tẽpus solitum decimationis, & tam colonus redditurus decimas, quam sacerdos recepturus præsto sunt intra illud tempus vnus reddendi, alter accipiẽdi decimas, nõ tenetur colonus reddere, nisi de lata culpa aut dolo in custodiendo fructus non decimatos. Explicatur conclusio. Quamuis fructibus iam maturis decimandis sit præfixum tempus diuersum pro varietate cõsuetudinis vrgẽtis in vnaquaque Prouincia, aut ciuitate, tamẽ obligatio reddendi, aut accipiendi decimas non est ita momentaneè alligata illi tempori, quin rationabiliter tantisper differatur per vnũ aut plures dies expectata commoditate dantis, & accipientis: & in hoc casu, si quæ mora reperitur, inculpabilis debet dici in ratione moræ. Nihilominus aliqua potest interuenire culpa in non custodiendo fructus non decimatos eo modico tẽporis interuallo.

Asserimus ergo in conclusione, quod si in eo temporis modico res decimandæ subtrahantur à colono, nõ imputabitur ei mora reddẽdi, quia nulla est, vel ea tantilla in ratione moræ inculpabilis est: imputabitur tamen culpa lata: aut dolus non custodiendi, si in eo modico tempore interuenerit. Dolum appellamus fraudem, aut derelictionem fructuum eo animo, vt prædæ exponantur: latam culpam vocamus, non adhibere eam diligentiam, quæ communiter solet apponi, verbi gratia, si relinquatur aceruus tritici in agro sine vlla custodia expositus periculis. *Probatur assertio.* Mora non imputatur in hoc casu, quia inculpabilis est: ergo ratione moræ nõ tenetur colonus. Exceptio verò probatur, quia colonus nõ plus tenetur custodire decimas in eo casu, quàm depositarius deposita, siue teneatur colonus soluere actione personali, siue reali: sed depositarius tantùm tenetur de dolo & lata culpa, vt communiter sentiunt discipuli D. Thom. *superius quæst.* 62. *art.* 2. *ergo.*

5 *Secunda assertio.* Si colonus sit in mora culpabili soluendi decimas, maximè si fuit requisitus à quæstore decimarũ, & mora illa fuit causa, quare fructus perierint, tenetur colonus eas integre persoluere, etiam si nulla interuenerit culpa ad fructus custodiendos, imò etiam si casu fortuito perierint. *Explicatur assertio.* Colonus est in mora soluendi decimas, quas si tempore debito pepẽdisset, repositæ in horreo quæstoris, non paterẽt prædonibus, aut incẽdio, in atea verò aut coloni domo illi subiacuerunt periculo, quamuis diligẽtissimè colonus custodierit fruges, & sine vlla ei⁹ culpa euanuerint, tenetur decimas integrè restituere. *Probatur.* Colonus tenebatur soluere decimas, & propter illius culpabilem moram perierunt. ergo ad ipsum spectat damnum resarcire, iuxta iuris regulam, *si tua causa damnum datum est, &c.* Sed quid, si mora illa culpabilis, nõ fuit causa, quare fructus perierint: verbi gratia, quia etiã si decimæ essent solutæ in horreum, aut aceruum quæstoris, incendium latè peruagans eas absumeret, aut latrones diriperent?

Tertia assertione respondetur. Tunc colonus tantũ tenebitur soluere de lata culpa, aut dolo in non custodiendo fructus. *Probatur*, quia tũc mora nõ fuit causa perditionis decimarum: ergo inde nõ nascetur obligatio restituendi: orietur autẽ ex culpa, si interuenerit in custodiẽdis fructibus, quos custodire tenebatur ad purgandã moram, & ea culpa non qualiscunque sufficiet, sed duntaxat lata, aut dolus. *Probatur.* Quando obligatio seruandi aliquid ordinatur in vtilitatem tãtùm recepturi illud obligatus ad custodiã dũtaxat tenetur de dolo, aut lata culpa, vt cõmuniter asseritur in depositarijs: sed in nostro proposito conseruatio decimarum in vtilitatẽ tantum quæstoris decimarum ordinatur: ergo colonus obligatus ad custodiam earum tenebitur tantum ex dolo, aut lata culpa. 6

Quarta assertio. Quando quæstor decimarũ est in mora culpabili recipiẽdi eas à debitore colono, si mora illa est causa, quare fructus pereant, aut non compareãt, colonus liber est à solutione decimarum. Quin imò, si colonus monuit quæstorẽ periculi, quod timebatur, maximè si protestatus est de damnis futuris propter morã recipiendi decimas, tenetur quæstor decimarũ ad restituẽdũ colono omnes fructus deperditos, & omnia sequuta dãna. *Explicatur conclusio.* Colonus obtulit decimarũ quæstori debitas decimas, qui sine causa recusauit eo tẽpore accipere: quam dilationẽ ægrè ferẽs agricola monuit quæstorẽ periculi, quod timeri poterat: qua monitione contempta adhuc non accepit decimas: cùm autem iure communi cessantibus consuetudinibus sancitum sit laicos non posse fructus in propria horrea condere, nisi prius clerici certiores fiant, vt vel ipsi, vel eorũ procuratores assistãt, & sint pręsẽtes fructuũ collectioni, ac eorũ decimas percipiant, ne vlla fraus à laicis fieri possit in solutione decimarũ, vt adnotauit Abbas, & communiter Doctores cap. *ex parte*, in 2. de decimis, colonus nõ audet in absẽtia quæstoris decimarum eas in domũ propriã reportare; & fortè fortuna nõ valẽte colono resistere in aceruũ conflagrauit incẽdiũ, aut latro inuasit, ac diripuit, quæ certè nõ diripuisset, si in domo fructus reconditi essent, cui custodiæ impedimẽtũ præstitit mora quæstoris: in hoc casu, & similibus asserimus colonum esse omninò liberũ à solutione decimarum, vnde & quæstorem esse obligatum ad restituenda omnia damna secuta ex illa mora, quia sua mora omnia illa damna attulit: ergo ad ipsum attinet ea resarcire. Sed quid si mora quæstoris non fuit causa, quare fructus perierint, aut rapinæ subiacuerint; sed casu, aut negligentia coloni? 7

Quinta assertione respondetur. Colonus ille tantum tenetur de dolo aut fraude, quantũuis intercessit 8

cessit culpa aut negligentia lata, siue fructus essent in area agri, siue in domo coloni reconditi. Probatur. Quia iste colonus non tenebatur custodire hos fructus ad decimas soluendas, quia propter moram culpabilem quæstoris exemptus fuit ab hac obligatione: ergo nisi fraus, aut dolus interuenerit non imputabitur illi aliqua negligentia, aut culpa custodiæ. Secundò. Si Petrus compulit Ioannem, vt eius depositum seruaret ipso Ioanne inuito ac reclamante, quod depositum latrones postea substulêre, Petrus tantùm tenebitur de dolo & fraude, quia custodia non potest ad inuitum, & coactum pertinere: sed in nostro proposito colonus inuitus, & reclamans habet apud se decimas: ergo ad ipsum non spectat eas seruare, quòd si pereunt tantùm tenebitur de dolo & fraude. *Maior prob.* quia depositarius voluntarius tantùm tenetur de lata culpa, & dolo: ergo minor debet esse obligatio depositarij inuoluntariè, ac iniuriosè compulsi. *Tertiò.* Colonus, qui est in mora soluendi si pereant decimæ ob eius negligentem custodiam, tantum tenetur de lata culpa aut dolo, vt supra dixi in tertia assertione: ergo multò minus obligatus est, quando ipse non est in mora, sed quæstor decimarum: non potest autem fingi minor obligatio, nisi quod tãtum teneatur de fraude & dolo: ergo vera est nostra hæc assertio, in cuius casu, nisi colonus omninò deserat aceruum incustoditum, aut horreum tota die ac nocte apertum, quod videtur declarare animum nocendi quæstori in decimis, qui ad dolum pertinet, non tenebitur decimas restituere, & quando non apertè appareat dolus, semper præsumendum est in fauorẽ coloni. Etenim vix credibile est tanto pollere odio aduersus quæstorem, vt appetat suorum fructuum vastationem, aut rapinam, vt quæstor decimas non obtineat.

9 *Quando colonus eximatur à solutione decimarum?* *Sed rogat quispiam.* quando colonus eximitur à solutione decimarum, in casibus præfatarum assertionum, si omnes fructus non perierunt, sed tantum illorum pars, colonus liber est à solutione decimarum? an verò à parte habita proportione? v. g. aceruus tritici capiebat mille modios, fur deprædatus est ducentos, erit ne colonus liber à soluendis decimis? an verò tantùm à solutione viginti modiorum, quæ est decima pars furto sublatorum? *Abulens.* Abulens. *super cap. 23. Matth.* asserit in casu huius quintæ assertionis omninò manere liberum colonum à solutione decimarum: sed non probat suam sententiam; nec video qua ratione persuasus id docuerit, quare oppositum censeo verum, quia aliàs illa mala custodia coloni illi suffragaretur, satis superq; iudicamus, si illũ excuset à solutione decimarum in fructibus deperditis, non in alijs, qui mãserant indecimati, & mora quæstoris satis est ad eadem mala perferẽda cum accuset.

10 Et hæc satis sint ad dignoscendum, quando fideli, qui decimare tenetur suos fructus, in statu decimationis constitutus, imputetur, vel non imputetur culpa custodiendi eos illæsos ab hoste extrinseco, siue ille sit homo, vt in furto fructuũ, siue sit aliqua naturalis causa, vt grando, aut alluuio, & similia: vbi dominus fructuũ se habet tantum omissiuè in custodiendo fructus, ne rapiantur, vel perdantur ab extrinseco hoste.

Sed quid dicendum, quando domini prædiorum, aut gregum propter omissionem fructus procurandi, aut alienandi intereunt sine læsione extrinseci hostis, vt si sint negligentes in metẽdis segetibus, vel fructibus ex arboribus colligẽdis, velquia nolint eos colligere: vel pastores quia nolũt curam habere de agnis recẽs natis, & similia. *Quid quando pereunt fructus incuria domini.*

Huic dubitationi satisfactum esse credo per assertiones nuper positas, quando fructus decimationis tempus attigerunt, quia omissio circa fructus custodiendos ne ab extrinseco lædantur, siue ab intrinseco eodem modo culpabilis est, aut excusabilis: sed quando non attigerunt decimationis tempus, & ob omissionem eius, qui seruare aut ad perfectum adducere tenebatur, non mediocris difficultas est. Et ideò 11

Vlt. assertio sit, quando fructus nõ attigerant, vel quasi attigerunt decimãdi tẽpus, quacunq; omissione, siue culpabili, siue inculpabili perierũt, nõ tenẽtur, qui omiserunt, decimam Ecclesiæ reddere. *Prob.* quia præcepto Ecclesiæ de dandis decimis solũ obligantur fideles de fructibus collectis, vt habetur in c. *cũ homines* de decimis: ergo illud non obligat ex iustitia custodire, recondere, aut colere fructus, ꝓpter vitandũ Ecclesiæ periculũ, antequã adueniat præcepti tẽpus. *Prob.* conseq. Quia vsque ad illud tẽpus non sunt obnoxij decimationi: fortasse dominus fructuũ negligẽs peccabit contra charitatem debitã Ecclesiæ, vel per quãdã prodigalitatẽ, & negligentiã cõtra debitã prouidentiã familiæ, & rerum suarũ, nõ tamen tenebitur ad restitutionẽ, quia vbi nõ est iniustitia, aut detentio rei alienæ, nõ potest esse restitutionis obligatio. *Confir.* Qui videns, & sciens eos fructus in præfato statu existentes disperderet, non tenetur ad restitutionem decimæ, vt ostendemus in disputatione immediatè sequenti: ergò qui per omissionem esset causa destructionis fructuum, à fortiori non tenebitur.

Secundò. Pastor qui circa agnos natos fouẽdos esset negligens, & ideò mortui sunt, non videtur teneri ex iustitia ad decimã eorũ. Itẽ qui per negligẽtiã pauciores fructus habuit, quã potuisset habere, nõ tenetur decimarum diminutionẽ restituere. Et qui propter pigritiam, vel auaritiã seminare noluit, neque agros colere, non tenetur soluere decimas, quæ ex illis solent prouenire, cũ coluntur: ergo omnis omissio quãtumuis culpabilis in ordine ad colligendos fructus, qui nõdũ ad decimationis tẽpus peruenêre nõ inducit obligationem soluendi decimas propter omissionẽ non perceptas: nec in hac assertione contradicimus D. Tho. in solutione præfata vniuersaliter asserenti: *Quando culpa coloni non colliguntur fructus, ad ipsum pertinere decimam Ecclesiæ restituere*: loquitur enim de fructibus in statu vel quasi statu decimationis constitutis, quia tunc tantum sunt obnoxij decimationi, & non antea. 13

Plusculum difficultatis habet assignare, quãdo dicatur fructus quasi attingere tempus solitum decimationis: nam quando attingant vel 14

valde

valdè distent res clara est, *Dico igitur.* Tunc quasi attingere dicuntur, quando nulli vel parui sumptus, nullæ vel paucæ operæ restant peragendæ, vt tempus solitum decimandi attingant, quod tamen iudicio prudentum librandum erit. Ex hoc colligo cum Magistro Soto, quòd si agricola fuit in mora triturandi, vel recondendi fructus in area, & alluuione perierunt, tenetur Ecclesiæ decimas persoluere, quia paucæ operæ, & sumptus insumenda essent, vt in aream adducerentur, quando dicitur attigisse tempus decimationis. *Secus verò* (inquit) *esset si absque negligentia notabili id accideret, quia tunc periculum quasi naturale est, & commune.* Item ego addo. Agricola, qui est negligens in metendis segetibus, & propter hãc negligentiam perierunt, nõ tenetur Ecclesiæ decimas persoluere, quia cum necesse sit plures operas absumere in metendis, ad aream deducendis, triturandis, expurgandis segetibus, & in aceruum deducendis, non dicuntur tempus quasi decimationis attingere, atque adeò neque esse obnoxios decimationi.

15 *Quidam dicunt*, in casibus vltimæ assertionis posse eos, ad quos pertinent decimæ, monere parochianos, vt per se vel per alios colant agros, fructus colligant temporibus suis, & eos fideliter administrent, vt Ecclesia non fraudetur suis decimis, q; si noluerint, possunt eos per Ecclesiasticum iudicem compellere censuris, quibus latis si parochiani contumaces fuerint, posset Ecclesia curam eam assumere, vt se seruet indẽnẽ: & si neque hoc potest fieri propter potentiam parochianorum, aut ne scandala oriantur, tunc subditus contumax in conscientia teneretur ad resarciendum Ecclesiæ damnum in amissione decimarum, quia per vim, & contra iustitiam illa priuatur iure suo. Probant primò argumento textus in cap. *Aliquibus,* de decimis, vbi præcipitur, vt domini prædiorum talibus personis, & taliter sua prædia excolenda committant, quod absque contradictione decimas cum integritate persoluant, & ad id, si necesse fuerit, per censuras compellantur.

16 Hæc moderatio, quod attinet admonitionẽ, & compulsionem, per Ecclesiasticos iudices non displicet: tum quia iussio illa posita in capite citato, in aliquibus iusta & rationabilis est: tum quia extensio ad nostrum casum sumpta ex paritate rationis verosimilis apparet, ad quod satis est ius charitatis, vel iustitiæ legalis, quod habet Ecclesia, ne priuetur iure expectato ad futuros fructus, quãdo tẽpus decimationis attigerint. At verò displicet ea pars, quæ asserit dominũ fũdorum negligentem in eis colendis, si admonitus contumax fuerit, teneri ad reddendas decimas, quia per vim priuat Ecclesiã iure suo. Hoc falsũ cẽseo, quia antequã fructus perueniãt ad tempus decimationis, nullũ iustitiæ ius habent clerici ad decimã eorũ partẽ, vt supra docuimus: neque vt prędia colãtur ad soluẽdũ eãdẽ decimã: vt docebimus inferius: quorũ prædiorũ cũ agricolæ sint domini, posũt eis vti diligenter, vel negligẽter, vt libuerit sine iustitiæ præiudicio. Falsũ est igitur quod agricolæ negligentes admoniti à clericis imò & excommunicati ratione negligentiæ priuent per vim Ecclesiam aliquo iure, quantũcunque enim negligentes extiterint, aut rebelles monitioni, & censuris, peccabunt quidem vel cõtra charitatem, vel per prodigalitatem, aut verò per inobediẽtiã mandatis Ecclesiæ, nullã tamen vim dicuntur inferre Ecclesiæ: quia vetus dominus vtens iure suo non dicitur inferre vim, licèt quandoque cõtra alias virtutes à iustitia peccet: verbi gratia, qui tẽpore famis iubetur dare eleemosynã pauperibus, imò etiam si non parẽs propter inobedientiã excõmunicetur, peccabit quidẽ cõtra misericordiã, cõtra iustitiã legalẽ, contra obedientiam, vel quid simile, nõ tamẽ cõtra iustitiam, quia cùm sit dominus suorum bonorum, nõ dicitur vllam inferre vim non largiendo ea pauperibus, neque ad vllam restitutionem tenetur, propter transgressionem mandati. Ad huius instar philosophandum est in nostro casu.

DISPVTATIO XI.

An dominus prædiorum, non solùm omittens, verũ & destruẽs prædia, & eorum fructus, teneatur restituere decimã fructuum destructorum?

IMo de quocunque destruẽte, licèt non sit dominus prædiorum aut fructuum, disputatio instituitur: verbi gratia, an exurens messes, vineas vastans, arbores secans, teneatur ad restitutionem decimæ fructuum dissipatorum? Eadem disputatio procedit in rumpentibus retia, quibus capiuntur pisces, volucres, vel feræ: vbi tamen decimæ personales sunt in vsu. 1

Et videtur vera pars affirmatiua, quia huiuscemodi vastatores priuant Ecclesiam iure decimas accipiendi sine ipsius Ecclesiæ culpa: ergo tenentur damna illata resarcire.

In oppositũ facit. Tẽpore iusti belli, exercitus inferens illud, habet ius depopulandi agros, nemora scindẽdi, ac frugiferas arbores, segetes cõburendi ac denique omnia mala inferendi, quæ necessaria iudicantur ad victoriam obtinendam: ergo sicut neque ad vllam restitutionem tenetur, sic neque ad decimas restituendas. *Probatur* consequentia, quia non ratione rei acceptæ, neque ratione iniustæ damnificationis; quam esse iustam supponimus: ergo non tenentur.

In hoc dubio hinc, & inde varia placita aspicio. Innocentius, Abbas, Ioannes Andreas in càpit. *commissum.* de decimis, tenent partem affirmatiuam, & Couarruuias Regula *peccatum,* parte secunda. Ioannes Antonius, in nouellis, eodem titulo, capit. *negatiuam.* Pro cuius decisione *præmitto sicut supra*, fructus frugiferorum in duplici posse statu considerari. *Primus est,* si nondum attigere tempus illud, quo decimari solent. 2 *Innocen. Abbas. Andreas. Couarru. Ioann. Anton.*

lent, verbi gratia quia messis in herba est, aut fructus arborum nondum ad maturitatem peruenerunt. *Secundus status est*, si ad illud vsque tempus iam processere, vel ferè ad illud, quo solent decimari. Item distinguendum est: nam vastatores præfati fructuum aut sunt domini eorum, aut verò alij, qui non sunt eorum domini. Hoc supposito

3 *1. Assertio* *Prima assertio sit*. Quando non instat decimandi tempus, vastatores præfati, si aliqua vrgente causa prædictam stragem effecerint, non tenentur ad decimarum restitutionem, siue qui vastat fructus sit eorum dominus, siue non. *Probatur*; nam non ratione rei acceptę, quia destructa sunt omnia, neque ratione iniustæ damnificationis; supponimus enim iustam fuisse, ac licitam, siquidem ex vrgente causa processit: ergo non est aliqua obligatio restituendi decimas. Poterint autem multæ iustæ assignari causæ præfatæ depopulationis, præter allatum de exercitu vastante tempore iusti belli, verbi gratia, si arbores affixæ sint muro domus, per quas facilis est transitus ad interiora ædium, iure scinduntur: aut si eædem arbores sua opacitate præstent impedimentum ad fruendũ in solario radijs solis, & alia huiusmodi.

2. Assertio *Secunda* assertio probabilis. Si dominus fructuum eos vastet, ac perdat pro suo arbitratu, etiam sine iusta causa mouente: quin potius, etiam

4 si eos vastet animo defraudandi Ecclesiam decimis suis, si hoc efficiat antequam fructus attigerint, aut ferè attigerint tempus, quo decimari solent, peccat quidem contra charitatem, vel per prodigalitatem suarum rerum, non tamen contra iustitiam: ac subinde ad nullam tenetur restitutionem. Prima pars satis nota est: tum ex illo principio, *quod tibi nõ vis fieri alteri ne feceris*: tũ quia ex charitate tenebatur prospicere Ecclesiæ commodis, quando id sine suo incommodo effici poterat. *Secundo probatur*: quia fructus illi non sunt obnoxij decimationi, neque Ecclesia vllum ius habet ad illos vsque ad tempus statutum decimationis: sed in assertione supponimus non attigisse illud tempus: ergo quomodocunque illi destruantur, non tenetur dominus eorum aliquid pro decimis restituere, quia non peccatur contra iustitiam.

5 *Dices*. Habet Ecclesia ius ad percipiendum decimas tempore suo, & dominus fructuum habet obligationem conseruandi illos, vel non dissipãdi, ne priuet Ecclesiã iure suo: sicut dominus vineæ, qui locat vineam suam pro percipenda certa parte fructuũ tempore vindemiæ, habet ius percipiendorum fructuum tempore vindemiæ, ac subinde colonus habet obligationem conseruandi eos, vel non dissipandi: quod si dissipet & contra iustitiam peccat, & tenetur ad restitutionem. *contra responsionem arguitur secundò* Decimæ sunt quoddam tributi genus, & onerosum satis: sed leges tributorum non obligant dominos mercium, ex quibus tributa penduntur, ad conseruandas eas vsque ad tempus præfixum solutioni tributorum, sed satis superque iudicatur, si ex conseruatis vsque ad illud tempus tributa persoluant: ergo idem dicendum est de decimis. *Minor explicatur*. Si mercator iens ad nundinas merces suas ineptè dissipet antequam vendat, non tenetur tributa præstare solita tempore venditionis. Si nauigans onustus mercimonijs, antequam ad portum applicet, ea mittat in mare sine vlla causa, non tenetur illa tributa soluere, alias leges illæ aut intolerabiles essent, aut obseruatu difficiles, vt pote, quæ tam molestè ligarẽt homines, & priuarent iure vtendi rebus suis. *Confirmatur*. Quia nimis onerosa esset lex decimatum, qua obligaretur dominus nemoris ad conseruandas quercus, quas vult scindere, fortasse recreationis ineptæ causa. Modo præfato viri timorati ac docti interpretantur leges tributorum: sic & nos declaramus leges decimarum, & praxis confessorum approbata: nusquam enim vidimus dominos vtentes rebus suis pro suo arbitratu obligari ad decimã pensionem ante tẽpus solitum decimationis: Ex his liquet apertum discrimen inter conductorem vineæ, de quo supra, & dominium messium vastantem eas in herba: Nam obligatio prioris nascitur ex contractu locationis, vbi necessariò intercedit pactum iustitiæ, scilicet do vt des. At verò obligatio posterioris ad decimas soluendas oritur ex lege positiua tributali obligante ad soluendas decimas certo tempore, & non alias, sicut & aliæ leges tributorum obligare dicuntur, ne nimis onerosæ sint.

Tertia assertio. Alij qui non sunt domini fructuum, si vastẽt, aut demoliantur eos sine vlla vrgẽte iusta causa, etiamsi nõdum attigerint tempus, quo decimari solent, verbi gratia, fructus acerbos, aut segetes immaturas, contra iustitiã, peccant, & tenentur ad restitutionẽ. *Probatur*. Quia per vim defraudant Ecclesiam, & priuant iure percipiendi decimas suo tempore. 6

Sed obijciet quispiam, hanc assertionem non posse simul stare cum proximè præcedẽti: in qua asseritur Ecclesiam non habere ius iustitiæ ad decimas percipiendas vsque ad tempus solitum decimationis: ergo quamuis alij à domino defraudent Ecclesiã isto iure, nõ peccant contra iustitiam: ac subinde ad restitutionem non tenentur. *Respondetur*. Quicũque priuatus, nedum Ecclesia, habet ius iustitiæ, vt per vim aut fraudem nõ impediatur à iure charitatis, aut misericordiæ: ac proinde, alij à dominis fructuũ, quando fructus immaturos vastant sine vlla iusta causa, per vim impediũt, & defraudãt Ecclesiã à iure charitatis quod habet, ne impediatur iure illo percipiendi fructus suo tẽpore, & propterea contra iustitiam peccant, & tenentur ad restitutionẽ. Secus contingit, quando destruuntur à veris dominis, quia licèt quando id sine causa efficiũt, priuãt illicitè Ecclesiã iure charitatis ad percipiẽdas decimas, nõ tamẽ per vim aut violẽtiã vllã, quia ipsis vt veris dominis sine piaculo iniustitiæ licet vti rebus suis pro suo arbitratu. *Esto exemplum*. Qui prohibet pauperem per vim, aut fraudem ne petat, & accipiat à diuite eleemosynam, peccat contra iustitiam, quia per vim priuat pauperem iure, quod habebat petendi, & accipiendi eleemosynas, ac proinde tenetur ad restitutionem. Ipse verò diues largiturus eleemosynam debitam, quamuis

vi

vi repellat pauperem, ne petat, aut accipiat, non dicitur inferre vim, neque peccat contra iustitiam. Item si quis vi, aut fraude impediat hæredem non necessarium, ne succedat in hæreditatem, v.g quia vi aut fraude compulit testatorē, vt dissipet bona sua ante mortem, peccat contra iustitiam, & tenetur restituere. Ipse verò dominus bonorum, nequaquam, quia licet priuet iure percipiendi ab intestato, nulla tamen apponitur tunc vis. Ita dicendum est in præsentiarum. Dominus agrorum, qui vastat fructus immaturos, licet prohibeat, & impediat contra charitatis ius Ecclesiam à percipiendis fructibus, non tamen vllam infert vim. Secus cōtingit in alijs vastatoribus, qui non sunt domini fructuum: & ideò peccant cōtra iustitiā, & tenentur restituere.

7 *Et si roges*, quando fructus immaturi sunt restituendi, qualiter taxandum est pretium, an sicut æstimarentur tempore suæ immaturitatis? an verò sicut appretiarentur tempore suæ maturitatis, quando erant iure decimandi? Res dubia apud discipulos D Tho. superius *q. 62. a. 4. ad primum & secundum*: mihi probabilius, si vastatio facta est scienter, ac aduertenter damnum dari Ecclesiæ, habendam esse rationem non solum ad æstimationem, qua de præsenti fructus pollent, verum etiā aliqualiter ad futuram tempore collectionis fructuum deductis expensis: & id maximè quando strages animo nocendi facta est. Sed de hoc latius loco citato.

Quarta assertio. Qui culpa præcedente, id est
8 sine causa depopulantur agros, tempore, quo fructus decimari solent, siue vastatores sint domini fructuum, siue non, peccant contra iustitiā, & tenentur decimas aliàs debitas restituere Ecclesiæ. *Prob.* tempore illo decimæ sunt debitæ ex iustitia, non minus, quam alia debita, aliàs nunquā ex iustitia deberētur: ergo qui eas sine causa non persoluit, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem.

9 *Quinta assertio.* Quicunque vrgente causa licita vastat agros, arbores, &c. etiam si fructus attigerint illud tempus, quo decimari solent, non peccat, neque ad restitutionem tenetur. *Prob.* argumento facto à principio pro parte negatiua: & aduerte vix reperiri causam licitam ad præfatā vastationem licitè exercendam, quando fructus iam sunt maturi, aut propè, nisi quando iustum bellum inardescit, tunc enim totalis perditio, & vastatio, si medium iudicetur necessariū ad obtinendam victoriam, ne aduersarij habeant vnde alantur, & fame pressi se dedant, licita vastatio est. At verò in alijs casibus, in quibus poterat prætexi, aut fingi causa iusta vastationis, vix admittitur: namque possemus dicere, fructus maturi sunt, tempus solutionis decimarum instat, soluite, & postea dedopulamini, vastate ac debacchamini in messes, agros, arbores, id enim fiet sine læsione iuris decimarum. Hinc patet ad argumenta posita in principio.

Ad primum. Sæpè priuatur quis iure suo sine sua culpa: de qua re sunt multa exempla in iure, vt quando grādine, caumate, aut locustis vastatur vinea, priuatur Ecclesia decimis sine culpa sua.

DISPVTATIO XII.

An si fructus decimales, vel prædia cum fructibus ad alios dominos transferantur per cōtractum voluntarium ex parte transferentis, ante quam soluantur decimæ, teneantur decimas soluere priores possessores, an posteriores?

Diuus Thom. in solutione ad quartum recitata dubitatione resoluit de emē- 1
tibus & vendentibus.

In hac dubitatione vnum supponitur, & aliud controuertitur: *supponitur* quidem aliquem eorum teneri, quia prædia omnia simul, & eorum fructus obnoxia sunt decimationi: ergo ne Ecclesia suo iure defraudetur aliquis eorū possessorum tenebitur decimas soluere: *controuersia autem est*, vter ipsorum teneatur? *Pro cuius decisione* oportet in memoriam adducere illum triplicem statum, in quo reperiri posse fructus superius docuimus. Item considerare oportet, trāslationem tam prædiorum, quam fructuum in alios posse fieri contractu gratuito, vel quasi, vt donatione, ditatione, aut contractu iustitiæ, aut venditione, aut solutione tributi, vel alio simili.

His suppositis *dico primò*. Si translatio præ- 2
diorum, aut fructuum fiat, quando nondum instat, vel quasi instat tempus decimationis, in neutro foro tenebitur ad decimas soluendas is, qui in alium transfert prædia, aut eorum fructus, sed ad eum in quem translatio fit, soluere decimas spectabit. *Prob.* Ille tenetur soluere decimam ex fructibus, qui est dominus fructuum eo tempore, quo decimationi sunt obnoxij: sed in casu nostri asserti dominus fructuum, & quandoque prædiorum est secundus possessor: ergo ad illum spectabit decimas soluere suo tempore, & non ad priorem possessorem. *Minor* patet ex dictis in præcedenti disputatione: etenim quamuis cum quibusdam asseras decimarum dominiū pertinere ad Ecclesiam, id tamen necessariò intelligendum est, quando appropinquat decimationis tempus: nam vsque ad illud non sunt debitæ.

Dico secundò. Vendens fructus decimales, vel
prædia cum fructibus eo tempore, quo fructus 3
decimari solent, aut quasi, si moneat emptorem esse indecimatos, vt ipse soluat, non tenetur in foro conscientiæ decimam soluere, sed ad emptorē ea solutio pertinebit. *Prob. prior asserti pars*; quia non tenetur ratione rei acceptæ, cum apud ipsum non extet, neque ratione iniustæ actionis; eo quod talis venditio in iure concessā est: dicitur enim in c. *Pastoralis*: *Fructus autem ipsos alienare non posse, nisi cum onere decimarum*: ergo cum illo alie-

alienari possunt. Et idem supponitur in c. *tua nobis*: & ratio est; quia tunc venditor monēs emptorem, eos fructus non esse decimatos, transfert (nisi venditor expresè recuset) in emptorem onus, & obligationem soluendi decimam, & ita per illum quasi per suum ministrum soluit eam: ad quam solutionem palam est emptorem teneri propter susceptum in se onus illud, & obligationem: quod in 2. par. asseritur.

Ab hoc tamen asserto excipimus, quando is, qui vendit fructus decimales, scit, aut timet probabiliter emptorem, quamuis monitū non soluturum decimam fructuum vēditorum: tūc enim tam venditor, quā emptor tenentur soluere. Venditor quidem ratione iniquæ damnificationis, neq; enim per se, neque per emptorem, soluit debitas decimas, vnde non liberatur ab obligatione, qua tenebatur pendendi decimas. Emptor verò ratione iniustæ actionis, & ratione rei acceptæ, detinet enim iniustè apud se rem decimationi obnoxiam.

4 *Dico tertiò.* Vendens fructus non decimatos, vel animo expresso, vt emptor nō soluat decimā, vel virtualiter id volēs, putà quia non monuit nō esse decimatos, vel quia vendit eo pretio, quo æstimantur fructus integri, quasi partē decimam Ecclesiæ debitam volens vendere, tenetur Ecclesiæ reddere ratione iniquæ damnificationis: patet, quia priuat per actionem iniquam Ecclesiam iure suo. Item, quia iste venditor, & primus possessor tenebatur decimas soluere, & non est solutus ab obligatione hac, quia non per se, neque per alium in casu asserti persoluit: ergo.

5 *Dico quartò.* Emens, qui mala fide, id est, sciens fructus sibi venditos non esse decimatos, tempore quo solent decimari, emit vt sibi decimam retineat; tenetur decimam Ecclesiæ restituere, *Probatur*, quia iniuriosus Ecclesiæ est, siue cooperando damno iniustè illato per venditorem, qui fortè dissimulauit, aut non monuit, cum tenebatur monere, siue rem ad Ecclesiam pertinentem emendo; vnde tenebitur ratione rei acceptæ, & ratione iniustæ acceptionis.

Sed maior dubitandi ratio est de eo, qui bona fide emit integros fructus non decimatos, putans esse decimatos, quia venduntur tēpore, & modo quo decimati fructus vendi solent, & non habet rationem probabilem suspicandi venditorem peccare, aut malè agere, & tunc cum non teneatur ratione acceptionis, dubitari potest, an ratione rei acceptæ teneatur ad dandam decimam?

6 *Dico quintò.* Communiter asseritur teneri. Ita D.Thom. in solutione ad quartū, qui licèt nō explicet, an loquatur etiam in casu, in quo emptor bona fide emit; tamen absolutè dicit emptorem fructuum teneri ad decimam soluendam Ecclesiæ: *Quia habet* (inquit) *rē Ecclesiæ debitā*, & non dicit: *Quia Ecclesiam defraudauit:* sicut dicit de venditore; vnde sentit planè obligationem oriri ex ipsa re, siue interuenerit culpa, siue non. Idem habet in specie Abulensis *super cap. 23. Matt. quæst. 158.* & confirmatur ex iuribus citatis, quatenus in eis dicitur, quod fructus transeunt ad emptorem cum onere suo, & hoc titulo eum teneri ad decimam soluendam: ergo hæc obligatio oritur ex ipsa re, & non tantum ex culpa ementis.

D.Thom

Abulens.

7 *Sed contra* hanc assertionem arguitur. Præfatus emens bona fide, fructus indecimatos putans esse decimatos, per emptionem iusto pretio acquirit dominium decimæ partis ad Ecclesiam pertinentis, ergo non tenetur eam restituere ratione rei alienæ retentæ. *Antecedens probatur*, quia dominium illius decimę non est apud Ecclesiam, antequam persoluatur, vt docuimus tanquam probabilius *circa art. 1.* ergo ne res dicatur esse absq; domino, ad emptorem bona fide translatam esse asserendum est. *Confirmatur.* Emēs bona fide fructus indecimatos, & pretio iusto, sic adeò vt si decimam restituat, nouem residuæ partes non tanto pretio æstimantur, quantum ipse dedit; si restituat decimam manet defraudatus sua pecunia: ergo potest sibi retinere decimam fructuum partem, vt seruet, se indemnem: maximè si vendens habeat, vnde soluat Ecclesiæ decimam debitam.

8 *Ad argumentum* quidam dicunt ementem non comparasse sibi dominium decimæ vēditæ; quia ea erat Ecclesiæ debita, & vēdens vel non potuit illud dominium transferre, vel noluit nisi sub illo onere; sed tunc instat casus confirmationis. *Quare melius respondetur* talem ementem bona fide sibi acquisisse dominium decimæ, sed cum onere decimationis annexo: quod satis est, vt dicatur teneri restituere ratione rei acceptæ, & quasi alienæ, propter concessionē iuriū, & Pontificiā institutionē in fauorē decimarū. Similiter respondetur ad confirmationem: benè enim stat aliquem teneri restituere, & cum magno suo incommodo rem, quam sibi acquisiuit sine vllo crimine, vt patet in emente bona fide rem furtiuam.

9 *Dico vltimò.* Quando fructus in statu decimationis constituti per contractum quemcunque, etiam venditionis ad alium possessorem deuoluti sunt, siue adsit, siue absit bona fides in emente, vel vendente, vel in vtroque, in foro exteriori datur actio Ecclesiæ petendi decimam sibi debitam, à quo maluerit, vel à venditore, vel ab emptore, vno tamen soluente alter liberabitur ab exactione Ecclesiæ. Hæc assertio est expressa D.Thom. *in loco sæpè citato*; & probatur de emente, qui tenetur ratione rei acceptæ, quæ vt dictum est ad quemcunque, & quacunque via transeat, pergit obnoxia decimationi.

De vendente verò *poterat quis dubitare*, maximè quando monet emptorem fructus non esse decimatos: tunc enim diximus in secundo dicto, in foro conscientiæ liberum esse à restitutione: ergo Ecclesia non habet ius ab eo exigendi decimam: tum quia in c. *Pastoralis*, & cap. *Tua nobis*, dicitur potuisse dominium fructuum eos vendidisse indecimatos; quia transeunt ad emptorem cum suo onere: ergo. *Tum* etiam, quia cùm domino prædiorum sit libera facultas vendendi prædia sua cum fructibus, & quandoque contingat non posse commodè vendere fructus nisi indecimatos. v.g. vineam cum racemis maturarum vuarum: ergo tunc satisfacit obligationi monendo emptorem vt ipse decimam soluat, ac pro- 10

proinde Ecclesia nullum ius habet petendi ab ipso venditore:quia non ratione rei acceptæ, vtpote quæ translata est ad ementem;neque etiam ratione iniustæ damnificationis, quia iustè & cũ omnibus iustitiæ requisitis vendidit.

Respondetur. Cum fructus attigerunt decimationis tempus per se loquendo primus possessor obligabatur decimam eorum soluere, quod si non soluat semper præsumitur non carere culpa, si per se eam obligationem non adimpleat; quãuis emptorem moneat. Vnde Ecclesia, quæ attendit in foro externo ea, quæ sunt per se, à sibi subdito parochiano primo possessore fructuum, potest decimam exigere:]& hanc præsumptionẽ in fauorem Ecclesiæ semper debere extare sacri Canones in fauorem eius declararunt. Huic affinis est

DISPVTATIO XIII.

An Rectores Ecclesiarum possint petere decimas omnes prædiales præteritas, ac non solutas, non solùm ab illis personis, quæ illas non soluerunt, verùm etiam ab his, quibus ipsi prædia vendiderunt, vel donarunt, vel testamento legarunt?

1 *Prima sententia. Glossa. Abba. Hostiens. Ioa. And. Fred. Sen.*

PRima *sententia* est affirmatiua, asserens eos vltimos possessores teneri non solum ad soluendas decimas futuras, sed etiam ad præteritas, ratione prædiorum: ita insinuat Gloss. in c. *tua nobis*, de decimis, verb. *& dominus*, Abbas cum Ioan. Andr. & Hostiens. in ca. *Pastoralis*, de decimis, num. 5. & idem Abbas in cap. *cum homines*, de decimis, num. 6. cum Ioan. Andr. & Frede. Senen. consi. 81 Probatur. Decimæ sunt tributa, iuxta c. *tua nobis*, de decimis: at tributum transit in nouum possessorem, ita vt etiam præterita tributa non soluta soluere teneatur, vt expresè dicitur in l. *Imperatores*. ff. de publica. & vectig. ergo.

Secundò allegat Abbas cap. *in aliquibus*, de decimis, quia ibi dicitur posse cogi dominos prædiorum ea locare illis personis, à quibus Ecclesia sine contradictione decimas percipiat; & in c. *de terris* dicitur, vt Iudæi soluant decimas de terris, à quibus Ecclesiæ recipiebant decimas, vel illas compellantur relinquere: & c. *si quis laicus*. 16 q. 1. dicitur, vt nullus possit ita alienare prædia sua, vt prouentus decimarum inde abstrahere valeat.

2 *Secunda sententia.* *Oppositam sententiam* tenent alij Canonistæ, vt Abbas, & Freder. referunt: & hæc opinio inde maximè confirmatur, quia durum nimis esset obligare emptorem, qui bona fide emit vineam ab homine scelerato; qui nunquam decimas soluit, neque vult soluere, ad easdem soluendas, pro quarum solutione tenebitur ipsum prædium vendere, ac de pretio vix decimas restituere.

3 *Hæc sententia* mihi magis placet; maximè, quia prima adeò aspera nititur fundamentis, & argumentis, quæ non habent difficilem solutionem, quin potius re benè considerata euanescunt. *Ad primum resp.* ex mente Canonistarum, decimas nõ esse propriè tributa, sed per quandam similitudinem, & accommodationem, vt notauit Glossa in cap. *tua nobis*, verbo, *tributa*, vbi dicit multa seruari in tributis, quæ non seruantur in decimis. *Item argumentum* sumptum ex lege Imperatoria circa tributa per solam similitudinem, non est efficax: quia quidquid disposuerint Imperatores de suis tributis, Summi Pontifices hoc non disposuerunt circa decimas: & ad extendenda onera argumentum à simili inefficax est, præsertim vero similitudo non est omnimoda, neque onera eiusdem rationis, quantum attinet ad imponentes, nempè in tributis Principes seculares, in decimis Summi Pontifices.

4 *Ad secundum resp.* in sacris Canonibus reperiri fructus omnes decimales esse, vbicunque reperiantur, obnoxios decimationi: & in capitibus citatis in argumento habetur prædia esse obnoxia pro futuris decimis, non verò pro præteritis: nam euidenter loquuntur de onere decimandi fructus prouenturos ex talibus prædijs à tempore, quo possidentur à quocunque. Hinc autem non licet colligere etiam pro præteritis obligari, quia est debitum longè diuersum, & prædium iã dedit fructus obnoxios illi debito, & consequẽter mansit liberum à tali onere: & ratio suffragatur; quia prædia habent in se onus decimarum quatenus in virtute continent fructus, & sic tantùm comparantur ad futuros fructus, nam præteritos iam dederunt, & in illos transtulerunt onus decimarum: cum ergo de fructibus asseruerit Innocentius, *vbi sup.* transferri cum suo onere, vt Ecclesiæ restituantur, nulla autem extet lex Pontificia, quæ decernat prædia esse obnoxia pro fructibus præteritis, non videtur æquum, eas, quæ de hac re loquuntur extendere ad eos: præsertim, quia citata iura satis superque saluantur, si asseramus prædia transferri cum onere decimandi fructus, quos protulerint; nec decet onera tam dura imponere sine euidenti ratione, & lege id decernente.

5 Illud autem quod à quibusdam asseritur: prędia scilicet fidelium esse obligata per modum generalis hypothecę, tacita obligatione in fauorem decimarum, & ita semper transire cum hoc onere pro quibuscunque decimis non solutis, eo modo quo bona mariti dicuntur esse obligata pro dote vxoris, in c. *ex literis*, de pignoribus, non fundatur in lege aliqua, aut decisione Põtificia. *Et si quispiam dicat*, quod licet hoc non sit in iure expressum, in fauorem Ecclesiæ extendi potest illud priuilegiũ cõcessum vxoribus pro dotib' suis, neq. consi. tũ quia extẽsiones nõ sũt facilè admittẽdæ: tũ quia decimæ nõ dicũtur dos Ecclesiæ, sed potius tributa, q̃ nõ sunt aggrauãda. Igitur dicimus prædia fideliũ nõ magis esse alligata, & obligata ad debita præteritarũ decimarum, quã ad quæcunque alia: de quo supra in materia de restitutione.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Vtrùm clericis sint dandæ decimæ?



Præmittit Diu. Thom. distinctionē inter ius accipiendi decimas, & inter ipsas res, quæ nomine decimarum dantur, & adhibet duas conclusiones.

Prima est. Ius petendi decimas solis clericis curam animarum habentibus potest conuenire. *Probatur.* Ius petendi decimas est spirituale consequutum ad illud debitum, quo ministris altaris pro suo ministerio debentur sumptus, & quo seminantibus spiritualia, putà per doctrinam, & prædicationem, debentur temporalia; iuxta illud Pauli: *Si spiritualia vobis seminauimus, quid mirum quod carnalia vestra metamus?* Sed solis clericis habentibus curam animarum competunt hæc duo munera inseruiendi altari, & dogmata fidei populum docendi: ergo illis solis competit ius accipiendi decimas.

Secunda conclusio. Res ipsæ, quæ nomine decimarum dantur, possunt ad vsum laicorum peruenire: quia corporales sunt. Circa vtramque D. Thom. conclusionem multa à nobis discutiendæ sunt. De veritate primæ conclusionis sit

DISPVTATIO. I.

An scilicet soli clerici animarū curam habentes habeant ius percipiendi decimas? an verò alijs etiam clericis id conueniat?

2 ET videtur alijs clericis, qui non sunt rectores Ecclesiarum id ius competere: nā Canonicis Cathedralium Ecclesiarum, cantoribus, sacristis, & alijs ministris decimarum pars assignata est.

Caiet. In oppositum est D. Thom. *in hoc articulo*, & eius discipulus Caietanus asserens decimarum ius non conuenire ei, qui duntaxat minister est altaris; aut ei qui tantùm docet populum, sed ei cui simul incumbit vtrumque munus: spectat autem tantum ad clericos curam animarum habentes

Sotus. ex officio. Sapientissimus Sotus *lib. 9. de iust. q. 4. ar. 3.* Caietanum sugillat, sed immeritò, ipse enim verba sequitur D. Thom. & mentem, quæ in assertis sequentibus explicatur.

3 *Primum assertum.* Ius percipiendi decimas primò, & per se ad clericos curam animarum habentes spectat; putà ad Episcopos, & parochos. *Probatur*, quia ad eos duntaxat spectat ex officio, vt ministros populi altari deseruire, preces pro plebe Deo offerre, ac fidei dogmata proponere: ergo ad eos tantùm pertinet primò & per se decimas percipere, quæ ad hæc ministeria adimplēda ab Ecclesia institutæ sunt.

Secundum assertum. Per se, sed secundariò, etiam conuenit alijs clericis, putà Canonicis Cathedralium Ecclesiarum, vicecuratis, sacristis, & alijs huiusmodi ius percipiendi decimarum partem. *Probatur*, & explicatur, quia omnes isti nominati, & similes deputantur vt coadiutores Episcoporum, aut parochorum; ergo de decimis alendi sunt. 4

Secundò. In lege veteri decimæ dabantur Leuitis, quorum aliqui ad ostium tabernaculi excubabant; aliqui portabant vtensilia sacra; alij verò cantorum officio fungebantur: ergo in templis nostris deputandi sunt multi ministri præter parecios; quidam ad sacra ministeria altaris, quidam ad conciones, quidam ad cantus Ecclesiasticos, & hi ex decimis alendi sunt. *Conseq. nota est*: tum ex maiori excellentia nostrorum, templorum, quibus Christus adoratur, & colitur: tum ex præstantiori dignitate cultus. Et hanc concl. non negauit Caiet. qui in *comment. 1. art.* ait, Canonicis Ecclesiarum Cathedralium deberi decimas; sed intelligendus est sicut D. Thom. iuxta tenorem 1. asserti. *Ex hic colligit*, sacerdotes mercenarios, qui nulli addicti sunt Ecclesiæ, sicut neque monachos non habere ius percipiendi decimas, neque per se primò, neque per se secundò, nisi aliquando ex priuilegio: de quo inferius.

DISPVTATIO II.

An clericis diuitibus, qui habēt aliunde, quam ex decimis conuenientem sustentationem, putà ex patrimonio, aut artificio, sint dandæ decimæ?

HÆc disputatio in duplici sensu disputari potest. *Primus est*, an decimæ debeantur solis clericis degentibus in paupertate apostolica? de qua re extitit error à me superius relatus fratricellorum, seu pseudoapostolorum docentium partem affirmatiuam; quorum errorem commodius confutabimus inferius agentes de statu clericorum, an illi annexus sit paupertatis status? *Secundus sensus est*, an decimæ debeant dari clericis habentibus aliunde, quam ex decimis congruam sustentationem? etiam supposito quod non illis probro detur diuites esse. Et iste sensus discutitur inter Catholicos, quibusdam tenentibus partem negatiuam. 1

Quæ probatur, primò ex can. 41. Apos. vbi dicitur, *vt Episcopus accipiat ex bonis Ecclesiæ pro sua sustentatione, si tamen indiget*: & idem reperitur in Concil. Antio. ca. 25. quare qui ex patrimonio viuit, nec eget sustentatione, non potest percipere decimas, neque vllos fructus bonorum Ecclesiasticorum. Et Diu. Hieronym. ad Damasc. & refertur can. *Clericos*, 1. q. 2. ait: *Clericos illos conuenit Ecclesiæ stipendijs sustētari, quibus parentum, & propinquorum* 2 Hieron.

quorum nulla suffragantur bona: qui autem bonis parentum,& opibus suis sustentari possunt, si quod pauperũ est, accipiunt, sacrilegium committunt,& per abusionem talium sibi manducant,& bibunt.

Secundò. Leuitæ veteris Testamenti præter de-
3 cimas eis assignatas pro sustentatione, nihil poterant retinere; vt habetur *Deut.* 10. *Num.* 18. *Iosu.* 13. ergo clericis in lege gratiæ nihil licet habere præter decimas; quod si habent, decimas nõ percipiant. *Prob. conseq.* tum quia decimæ sunt institutæ pro clericis in Ecclesia Christi, instar decimarum pro Leuitis in lege veteri: tum quia iustitia, & temporalium neglectus abundare magis debet in clericis, quàm in Scribis, ac Pharisæis. *Deut.* 10. *Num.* 18. *Iosu.* 13.

Tertiò. Bona Ecclesiastica non dantur clericis in præmium laboris; sed solum vt sustententur, & necessaria ad vitam habeant, quia præmium laboris est vita æterna; & simonia esset dare spiritualia pro temporalibus: ergo clerici nequeunt sine graui crimine ex bonis Ecclesiasticis viuere, si habeãt aliunde bona propria, vnde sufficiẽter alantur. *Confirm.* quia decimæ institutæ sunt,& dantur clericis, vt ex eis viuant, & erogent etiam pauperibus; vt ex multis dictis Sanctorum supra citatis habetur: ergo cessante necessitate sustentationis clericorum, quia aliunde habent, & vrgente necessitate pauperum, clerici nequeunt à paupere decimas exigere; nisi dicas eas exigere, vt eas denuò in pauperes largientes effundãt, quod inane est & ridiculum.

Hanc sententiam tenuit inter alios D. Prosper *lib.* 2. *de vita cõtemp. cap.* 9. 10. 11. & 12. persuadetur maximè *arg.* 3.

4 Oppositam sententiam praxis declarauit certam; eamque incunctanter asseuerant D. Thom. *infra q.* 185. *art.* 7. *ad* 3. ac Cai. *ibid.* Soto *lib.* 10. *de iust. q.* 4. *art.* 3. *ad* 2. & omnes recentiores D. Tho. discipuli. Innoc. Hostiens. & Panorm. in cap. *Episcopus*, de præbendis, Turrecremata in cap. *Clericos* 1. q. 2. & Gloss. ibidem, Syluest. verbo *Clericus.* 4, §. 12. & probatur apertè Matth. 10. *Dignus est mercenarius mercede sua*, & 1. Cor 9. *Quis militat suis stipendijs vnquam*: quæ adducuntur à Christo, & eius Apostolo ad hoc probandum, vt ministris Euangelij sit debita merces ex iustitia. *D. Thom. Caiet. Soto. Innocent. Hostiens. Panorm. Turrecr. Glossa. Syluest. Matt.* 10. 1. *Cor.* 10

Ex quibus locis tale eruitur argumentum: merces, seu stipendium pro labore debitum ex iustitia reddendum est, siue debitor pauper sit, siue creditor diues; quia ad debitum iustitiæ impertinenter se habent diuitiæ, aut paupertas creditoris, aut debitoris, de quo latè in materia de iustitia: sed decimæ dantur clericis in mercedẽ, & stipendium pro functionibus Ecclesiasticis: ergo illis debentur, siue hi sint diuites, siue non; siue laici sint pauperes, siue non: atque adeò clerici diuites licitè possunt ex decimis viuere suis parcentes diuitijs, & eas in quoscunque alios vsus distrahentes; & hac ratione vtitur D. Thom. *quodlib.* 6. *art.* 10. ad probandum laicos pauperes teneri dare decimas clericis diuitibus. *D. Thom.*

5 Ad omnia testimonia in contrarium citata, maximè ad D. Hieron. qui magis videtur vrgere pro opposita sententia; *Respondetur* cum D. Tho. *inferius loco citato*, esse intelligenda in casu extremæ necessitatis: tunc enim grauissimè peccarent Ecclesiastici, cum possent ex bonis patrimonialibus viuere, & decimas pauperibus erogare, aut è contra ex decimis viuere, & cætera sibi retinere. *Secundò respondetur* cum Mag. Soto, quod Diuu. Hieronym. testimonium. & alia sunt intelligenda pro illo tempore, quo in communi viuebant clerici: tunc enim dabatur eis optio, vt vel bona, quæ habebant, parentibus, suisque necessarijs relinquerent, & de Ecclesiæ fructibus cum reliquis pauperibus vitam ducerent, aut si mallent sua retinerẽt, quæ sibi sufficerẽt: sed tunc sumptui parcerent eorum, q̃ in communi possidebantur. Et hæc solutio mihi arridet, & potest adaptari testimonio Prosperi, qui contemporaneus Augustini fuit, qui de se ipso testatur. 12. *q.* 1. *c. certè.* se à principio noluisse ordinare clericum qui in cõmuni non viueret. Vel *tertiò resp.* cum Conrado, quod verba illa D. Hier. non sunt intelligẽda de illis bonis Ecclesiæ, quæ pro ministerio tanquam stipendia clericis deputantur, sed de illis, q̃ facta diuisione bonorum (de qua in superiori q. diximus) pauperibus erant specialiter assignata: de suis enim viuere non licebat clericis, cum aliunde habeant, vnde sustententur: & hæc interpretatio mihi placet.

Ad secundum resp. primò falsum esse, Leuitas nihil aliud possedisse præter decimas, habuerunt 6
namque (quidquid dicat Lyranus *nu.* 35.) vrbes quadraginta & octo cum suis suburbanis, quæ à muris ciuitatum forinsecus per circuitum mille passuum spatio tendebantur; habebant etiã suas proprias ædes, *Leu.* 25. & pecorum greges alebãt; insuper & agri, qui ex voto Deo dabantur, in ius trãsibãt sacerdotũ, *Leu.* 27. Testimonia aũt citata in argumẽto solũ probant eos nõ habuisse partẽ in terra promissionis, sicut alij filij Iacob. *Lyran. Leuit.* 25. & 27.

Secundò resp. Quidquid sit de Leuiticis ministros nouæ legis non esse vndequaque assimilandos Leuitis: in multis namque valdè dissimiles sunt; Leuitæ nunquam initiabantur sacerdotio, Ecclesiæ verò ministri oẽs sunt sacerdotes, vel eo properant ministri Synagogæ oẽs ex vna Tribu, ministri Ecclesiæ ex omni gẽte accersiuntur: vnde non mirum si nostri ministri possideant possessiones; Leuitæ verò his priuarentur. Et nostra etiam sententia ex his, quæ in Leuitis agnoscuntur fuisse, cognoscetur vera; ipsi enim, quamuis alij diuites essent pecorum gregibus, aut negotiatione, decimas tamen licitè percipiebant.

Ad 3. *Resp.* Decimas clericis nouæ legis esse ap- 7
plicatas multis de causis. *Prima* ad sustẽtationem ministrorum, ne mendicari cogerentur Malac. 3. *Inferte om̃in decimam in horreũ meũ, vt sit cibus in domo mea*, id est ad sustẽtationẽ eorũ, qui in domo mea sunt. *Secũda* in stipendijs pro Ecclesiasticis functionibus, quas erga populũ exercẽt. Quare sicut stipendia laborum merentur accipere diuites Magistratus, quantumuis aliàs diuitijs abundent, sic & clerici decimas. Ad confirmationem respondet D. Thom. *quodlibeto citato*, pauperem laicum tenere soluere decimas clerico diuiti; quia obligatio decimarum ad iustitiã commutatiuã pertinet: & oppositum fuit error Vviclephi. In ... *Matt.* 3.

iustitia commutatiua non consideratur cōditio personæ, sed æqualitas rei ad rem, qui enim, v.g. emit, debet soluere, quantum res valet, siue ipse sit diues, siue pauper. Vnde ad argumentum, admisso antecedenti pro nunc, quia quantum ad secundam partem dubium est; negatur conseq: quia quamuis clericus diues ex decimis teneatur alere pauperes, non tamen hunc, aut illum sibi decimas debentes, sed quem maluerit: secùs est de debitore decimarum, qui tenetur his vel illis clericis decimas dare: neque est in eius arbitrio dare decimas cui maluerit clerico.

DISPVTATIO III.

An clericis iniquis decimæ sint pendendæ?

1 PArtem affirmatiuam nullus Catholicorū reuocauit in dubium, extitit tamen Vviclephus hæreticus, cuius articulus decimus octauus in Concilio Constantiensi damnatus, sic habet: *Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & parochiam possunt propter peccata suorum prælatorū ad libitum suum eas auferre.* Error Vvicleph satis conuincitur falsitatis, eo quod decimarum institutum in noua lege, sicut & in veteri, datum fuit, tum ad sustentationem ministrorum: tum in stipendium pro Ecclesiasticis ministerijs: ac proinde non ad virtutem misericordiæ, sed ad iustitiā commutatiuam pertinet earum solutio, vt docuimus dubitatione proximè præcedenti: ergo non sunt censendæ puræ eleemosynæ; neque est in potestate laicorum eas denegare malis Ecclesiasticis. Quis enim nisi amens stipendium laboris prohibeat mercenario, quia peccator est: Cōfirmatur, quia decimæ non dantur clericis, eo quod boni sint, sed quia officio clerici funguntur: sicut & magistratibus secularibus; quia iustitiam administrant: ergo quamuis peccatores sint; habēt ius exigendi decimas à laicis debitoribus.

2 Secundò. Matthæi 22. ait Dominus ad Iu-Matt.22. dæos: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Super quem locum Hieronymus: *Quod* (inquit) *ait Dominus, reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, nummum, tributum, & pecuniam: & quæ sunt Dei Deo: decimas, primitias, & oblationes, ac victimas sentiamus:* at certum est tempore Christi Domini, nō ti solum Cæsarem impium, & infidelem, sed etiam Sacerdotes nequissimos fuisse.

Tertio. Innocentius Tertius in epist. ad Episcopum Vercellensem: & habetur c. *tua nos,* de decimis, *Prætextu* (inquit) *nequitiæ clericorum nequeunt decimas, nisi quibus ex mandato diuino debentur pro suo arbitrio erogare: & improbant* (subiungit) *cum nulli licitum sit aliena cuiq; concedere, præter Domini voluntatem;* vbi tangitur nostra prior ratio pro hac parte.

3 *Sed obijcit* Vviclephus dicens, multi ex clericis neque seruiunt in templo, nec Deum pro peccatis populi orant: sed ipsi peiores populo sunt: nec plebem sibi commissam docent: non est ergo cur illis decimæ persoluantur. Fatemur esse multos clericos deprauatissimos, nec exercentes ministeria debita, ac proinde clericatu indigni: sed non proinde sunt deneganda illis iura suaà quouis priuato homine, sicut neque cuilibet magistratui seculari, aliàs omnes Respublicæ confusione replerentur, punire autem hosce indignos ministros pertinet ad potestatem superiorem: q̄ si nō fecerit, relinquendi sunt diuino iudicio.

Non nego, istos iniquos clericos si non incumbunt suis officijs, iniustè percipere decimas, & teneri ad restitutionem: similiter esse aliqua crimina, quibus si inuoluantur clerici, non faciunt fructus suos: putà simoniæ crimen, aut concubinatus notorius, de quibus suis locis exactius disputatur. In præsentiarum autem contendimus contra Vviclephum, non ex eo quod clerici peccatores, & iniqui sint; debere à priuatis quibusque decimis priuari: hoc enim apertè hæreticum est, & damnatum in præfata Synodo. De hac dubitatione vide Nauarrum in *Manuali, cap.25.nu.123* & Syluest. *verb. Clericus* 4.q. 24. & Sot. lib. 10. de iust. q.5. ar.6. in fin. *Nauar. Syluest. Sotus.*

DISPVTATIO IV.

An pauperibus sit danda aliqua decimarum pars?

ET videtur vera pars affirmatiua ex Clemente *l.lib.2.const. Apost.can.29. & lib. 7. can.30. &* 8.can. 30. cuius verba retulimus superius circa art.1. dubit.5. asiert.vl. vbi etiam aliorum Sanctorum, & Conciliorum retulimus verba expresse asserentium partem decimarum ad pauperes subleuandos pertinere. 1

In hac quæstione *desumenda primò* aduertimus nos in præsentiarum non inquirere, an pauperes habeant dominium alicuius partis decimarum? Certum enim existimamus, neque habere, neq; vnquam habuisse, etiam tempore primitiuæ Ecclesiæ, aut circiter, quando, vt monuimus *ar.2.q. proximè præcedenti* dominium bonorum Ecclesiasticorum erat penes Ecclesiam; aut apud Episcopum. Ex quo putat Sot. *li.10. de iust. q.4. ar.2. conc.* 5. colligi inuincibile argumentum ad hoc probandum, & alijs multis nititur probare: sed duntaxat dubitamus, an debitæ illi sint aliquo iure maximè iustitiæ? Quibus animaduersis *Sotus.*

Dico primò. In illo fœlicissimo Ecclesiæ statu, quando clerici in communi degebant, & nondū erant bona Ecclesiastica diuisa in quatuor illas portiones, Episcopi videlicet, clericorum, fabricæ, ac pauperum (*de quo latius circa art. 2. præcedentis*) communitas pauperum ius habebat iustitiæ, vt post sustentationem clericorum, ex decimis eorum necessitatibus subueniretur. Ac proinde Episcopus dispensator decimarum, non ita faciens peccabat contra iustitiam commutatiuā, qua tenebatur dispensare partem decimarum p̄ necessitatibus pauperum subleuandis: ac proinde ad restitutionem tenebatur. *Prob.* Decimæ dispensandæ erant in eos vsus, ad quos ab Ecclesia destinabantur, & Episcopus ex iustitia tenebatur ex 2

rut exequi eum dispensandi modum; sed Ecclesia, vt apertum fit ex citatis Canonibus, & alijs, quibus passim ius Canonicum redundat; inter alia, etiam ad vsus pauperũ destinauit decimas: ergo debita erat illis aliqua pars decimarum ex iustitia, & Episcopus non largiens contra iustitiã peccabat, & consequenter ad restitutionem tenebatur. *Maior nota est*, quia sicut apud Ecclesiam extitit potestas instituendi decimarum ius; sic & facultas eas applicandi in pios vsus, pro sua pietate, ac prouidentia, ac iuxta eius voluntatem dispensandæ erant.

3 *Secundò* Oeconomus, ac præfectus xenodochio tenetur ex iustitia bona hospitalis in pauperes elargiri, ac secus faciens peccat contra iustitiam, obnoxius restitutioni, quia non se conformat in dispensatione eorum bonorum voluntati eius qui xenodochium condidit: ergo idem dicendum est de Episcopo, qui in illo prisco æuo statu Ecclesiæ non dispensaret partẽ decimarũ in necessitates pauperum, quia pro eis etiam decimæ institutæ sunt, & propter eandem rationem idem dico de decimis illarum Ecclesiarum (si quæ fortè reperiantur modo) vbi bona Ecclesiæ non sunt diuisa iuxta diuisionem præfatam.

D. Thom. Aduertendum tamen cum D. Th. *inf. q. 185. ar. 7.* quod quando bona Ecclesiastica non erant, aut non sunt diuisa, sed in communi, eorum dispensatio committebatur, aut committitur Episcopo vt is tũ in suos, tum in ministrorum, tum etiam in pauperum, & fabricæ vsus distribuat: tunc quidem si in eorum distributione parum à rectitudine deficiat, vel etiam illius limites trãsgrediatur non iudicandus est mortaliter peccare: nam difficile est, in huiusmodi punctim ipsam rectitudinem attingere: si autem notabiliter deficiat, aut excedat peccauit mortaliter meo iudicio, non solùm contra fidelitatem, sed etiam contra iustitiam commutatiuam, cuius vinculo adstringebatur fideliter dispensare bona illa communia, iuxta normam sibi ab Ecclesia traditam.

4 Adrian. Sot. Huic assertioni aduersantur Adriã. citandus, & Sot. *lib. 10. q. 4. art. 3. ad fin. 5. assert.* existimantes etiam quando bona Ecclesiastica erant indiuisa, & eorum dispensatio committebatur Episcopo; si non largiretur pauperibus tantam peccare cõtra misericordiam, propter præceptum Ecclesiasticum adiunctum de erogandis eleemosynis pauperum; sed non video vbi tale fuerit impositum præceptum, neq; vllum fundamentum firmum huius sententiæ.

Nam argumentum pro opinione Soti facilè diluitur: *argumẽtatur sic.* Lex iustitiæ tũc tãtũ locũ habet, quando aut alienũ possidetur, vt in furto; aut sub ea suscepisti fide, vt reddas, vt in mutuo: sed Episcopus habens decimas dispẽsãdas nihil pauperum habet; quia ipsarũ pauperes nõ habẽt dominium, neque præstitit fidẽ de largiẽdo pauperibus: ergo si nõ det, nõ peccat cõtra iustitiam. *Respõdetur*, negãdo minorẽ pro secunda parte. Nã hoc ipso, quod suscepit dispensatoris officiũ, suscepit pariter onus dispensandi iuxta normã, & voluntatem Ecclesiæ instituentis decimas, quæ, vt dictum est, eas instituit non solum pro clericis, & fabricis Ecclesiarum, verum etiam pro pauperibus recreandis, vt constat ex innumeris Canonibus iam citatis: quin potius hinc sumitur argum. pro nostra assert. Si Episcopus in eo casu non fideliter dispensaret clero, aut fabricæ Ecclesiarum, peccaret certè, vt omnes fatentur cõtra iustitiam: ergo si omitteret, dispensare pauperibus eodem crimine iniustitiæ inuolueretur: quia non minus iura decernũt decimas pro pauperibus, quàm pro fabrica, aut clericis: licèt isti in dispensatione priorem locum obtinere debeant. Nostram assertionem tuetur Aragonius dicens esse communem omnium sententiam in Commen. ar. 2. quæstionis præcedentis. Aragonius.

5 Dubiũ. An facta diuisione decimarũ, tenẽtur Ecclesiastici partẽ dare pauperibus.

Quod admodum difficile ab omnibus iudicatur, illud est: An post factam diuisionẽ bonorum Ecclesiasticorum, qualis creditur fuisse facta à tempore Simplicij Papæ vsque nunc, saltem inter Episcopos, & reliquos Ecclesiasticos, teneantur Ecclesiastici, Episcopus, & clerici aliquam partem decimarum pauperibus ex iustitia distribuere? nãde iure misericordiæ statim dicemus.

6 In hac difficultate aperienda non valemus non prælibare quædam de dominio clericorum erga bona Ecclesiastica; plenam huius rei discussionem referuantes ad propriam sedem: nempè ad quæst. 185. art. 7. insuper monentes Lectorem in memoriã reducere, quæ nos adnotauimus in quæstione proximè præcedẽti. art. 2. Extant igitur tres sententiæ celebres de hac re. Prima est à Caietano insinuata in commẽtarijs supra art. 1. huius quæstionis, & expressè defensa inferius, *circa art. 7. q. 185.* Is namque alijs Ecclesiasticis præter Episcopos nullam imponit obligationẽ iustitiæ largiendi pauperibus ex decimis, aut alijs bonis Ecclesiasticis, atque adeò videtur concedere, eos esse simpliciter dominos suarum decimarum, ac redituum. Caietan.

7 Secunda sententia audacter asserit, omnes Ecclesiasticos debere ex iustitia erogare pauperibus, quidquid demptis suis sumptibus honestis ex reditibus Ecclesiasticis residuum est, ac superat; atq; adeò consequenter negãt Ecclesiasticos esse simpliciter, & absolutè dominos suorum redituum, sed duntaxat dispensatores: ita Alexand. Alen. *3. p. quæst. 36. memb. 5. art. 2.* Richardus *in 4. dist. 45. artic. 3. quæst. 1.* Paludan. in *4. dist. 24. quæst. 3. artic. 3.* Diuus Antoninus *3. p. tit. 15. c. 1. §. 19.* Gabr. *in 4. d. 15. q. 8. concl. 5.* Maior. *in 4. d. 24. q. 17.* Petrus à Soto *in instit. Sacerdotum, lect. 3. de Sacerdotum vita*, Michael Medi. *de recta in Deum fide. c. 21.* qui duo vltimi videntur damnare absolutè contrariam sententiam; & alij citati à Couarruuia in capite *cum in officiis* de testamentis. Alensis, Richard. Paluda. D. Anton. Gabriel. Maioris. Medin. Petr. de Soto.

Estque hæc sententia communis Canonistarum, quam fortiter tuetur Nauarrus in tractatu, & apologia de reditibus Ecclesiasticis. *Probatur primo* argumento facto in principio huius dubitationis, etenim clamant quamplura iura bona isthæc ad viduas, orphanos pauperes spectare, vt patet ex testimonijs iam citatis: & aliqua videre licet. 1. quæst. 1. ca. *præcipimus*, & cap. *ex his*. *Secundò* in varijs decretis habet, eos non esse Nauarr.

esse dominos, sed dispensatores, vt habetur 16. quæst.1.cap.*decimæ*,& 23.quæst.7.cap.*quod autem.* & extra de donatione,cap.2.*Tertiò.* Sæpè dicuntur raptores, interfectores pauperũ, & similibus notis inuriũtur, si quod ipsis superat nõ elargiãtur, vt d.42.can.*ordinatum*,& 12.quæst.2.cap.*gloria*.§. *amico*,& sæpè aliàs. *Quartò.* Portio pauperum est confusa cum illis reditibus: ergo quæ ex illis sunt superflua vltra honestam clerici sustentationem, censeri debent esse bona pauperum.

Tertia sententia asserit, Ecclesiasticos non teneri
8 iustitiæ lege aliquid dare pauperibus ex decimis, aut alijs reditibus Ecclesiasticis, siue superent suã sustentationẽ, siue non: ac proinde absolutè Ecclesiasticos asseuerat esse dominos suarum decimarum ac redituum: de misericordiæ lege alia est ratio. Hanc opinionem tribuunt quidam D. Thom.*q.185.art.7.& quodlib.6.articulo* 12. & eam tenet Adrianus *in materia de restitutione*, *quæst.*12. *quæ incipit, Pro clariori*, Syluester verbo *Clericus*. 4. q.20.& verbo, *restitutio*.3 q.5. Gerson in *suis moralibus, tit. de auaritia*, Sotus lib.10 *de iustitia. quæst.* 4. *art.*3. Driedo *lib.2. de libertate Christiana, cap.* 4. Ioannes Arboreus in *Theosophia p.1.cap.*25. Couarru. *in cap. cum in officijs num.3. aliàs* 12. vbi ait, hanc sententiam benigniorem esse, & nostris hisce temporibus admittendam ex totius Christiani orbis consuetudine, qua plurimum adiuuatur: & eam sequuntur quam plurimi recentiores Theologi.

D. Thom.
Adrian.
Syluest.
Gerson.
Sotus.
Driedo.
Ioa. Arb.
Couarru.

Hæc sententia potissimè probatur ex cõsuetudine admittenda, nisi velimus totum clerum damnare vt iniustos. *Secundò*, quia nimis dura est opposita sententia: vnde respondentes argumẽtis pro opposita sententia, satis superque dicunt suam sententiam benignam comprobari, & alijs probant, quæ suo loco adducuntur.

Et in re tam graui ac seria cum tremore iudicium proferendum est, dicam tamen, quod sentio sub aliorum sapientiorum censura incipiens à certioribus.

9 *Dico primò*, Ecclesiasticos strictissimo præcepto misericordiæ esse obligatos præ alijs ad eleemosynã faciendã pauperibus, pѕertim de ea parte decimarum, seu aliorum redituum Ecclesiasticorum, quæ ipsorum statui superflua est, siue eius sint domini, siue non: atque grauissimè peccare, si donatione, vel testamento, vel aliter in alios vsus non pertinentes ad decentiam status, id superfluum cõferant, siue eius sint domini, siue nõ.

Istud strictius præceptum colligitur *primò*: quia cum præceptum eleemosynæ in pauperes liget omnes habentes superflua ad suum statum, vt dicitur in materia de eleemosyna, Ecclesiastici verò sæpius superfluum habent, quàm alij laici: tum quia cœlibem vitam ducant sine vxoribus, & sine liberis, ac proinde sine profusis sumptibus, qui ad hæc consequuntur: tùm quia reditus habent ampliores; hinc fit, vt facilius illis possit ex suis bonis superesse aliquid, quàm alijs vxoratis, de quo superfluo tenentur eleemosynam facere.

Secundò colligitur ista ratio strictioris præcepti
10 subueniendi pauperibus in Ecclesiasticis, maximè in Episcopis 1. ad Timotheum 3. & ad Titum 1. *oportet Episcopum esse hospitalem*; per hospitalitatem significatur ministratio omnium necessariorum: & *prima ad Timotheum* 5. Apostolus iubet viduas debere ali ex bonis Ecclesiæ; & ad hæc omnes Episcopi, & Ecclesiastici tenentur præ alijs, vt habetur ex Hieronymo. 16.q.1. Can. *Quoniam*, scilicet quidquid habent clerici, pauperum est, & domus illorum omnibus debet esse communis, haberique vt patres pauperum ad imitationem Iesu Christi, qui loculos pro sustentatione & pro pauperibus legitur habuisse Ioannis 13. Et rursus imitandi formam dedit: *Ego sum pastor bonus*, *Pastor bonus animam suam dat pro ouibus suis*; & à fortiori bona exteriora.

1. ad Tim. 3.
Ad Ti. 1.
Hieron.
Ioan 13.

Præcipuè tamen ad Episcopos pertinet, ita vt Episcopi nomen non conueniet, si liberales non extiterint erga indigentes, vt ait Gregorius, & habetur. 86. dist. cap. *Fratrem nostrum. Dic ergo illi*(nempè, Episcopo Mariano) *vt non sibi credat solam lectionem, & orationem sufficere, vt remotus ibidem studeat de manu fructificare, sed largam manum habeat, necessitatem patientibus succurrat, alienam inopiam suam credat: quia si hoc non habet, vacuum nomen Episcopi tenet*; & 85 dict. can. *Florentinum*, Archidiaconus Florentinus, quamuis approbetur vt literatus admodum in sacra scientia, reijcitur tamen, ne fiat Episcopus propter tenacitatem in eleemosynis largiendis, & denique Tridentina Synodus *sessione 23.cap.1. de reformatione*, iure diuino ait obligari Episcopos ad gerendam curam peculiarẽ pauperũ, & miserabiliũ personarũ, Ioan. 20. *Pasce oues*, nempe pastu spirituali, & temporali, sunt igitur Patres ac pastores pauperum diuino iure.

Greg.
Ioan. 20.

Tertiò idem colligitur. Nam eo ipso quod Episcopi, & alij habentes curam animarum tenentur spirituali saluti subditorum specialiter inuigilare, etiam debent necessitatibus eorum temporalibus peculiari ratione occurrere: maximè quia sæpè eleemosyna corporalis ad spiritualem reducitur. Multos enim peccare facit egestas: itaque vt ex his apparet, in multis casibus sine controuersia peccabunt Ecclesiastici eleemosynas non impartiendo, in quibus laici non peccarent; tenentur enim maiorem curam pauperum habere, ac proinde inquirere, & cognoscere de eorum necessitatibus. De hac re perdoctè satis sapientissimus Sotus lib.10. *de iustitia.q.4.art.*4. 11

Sotus.

Secundum assertum, vt credo, omnibus indubitatum. Siue Ecclesiastici sint domini decimarum, siue non, etiam si considerentur eorum reditus confusi cum portione pauperum, eo quod non obtinuit illa diuisio de facto erga pauperes, licitè possunt expendere, ꝙ eis necessarium est, non solùm ad tuendam vitam, sed etiam ad decentiam status. *Prob.* quia decimæ & alij similes reditus Ecclesiastici primò, & principaliter instituti sunt ab Ecclesia in sustentationẽ ministrorũ, decentẽ; deinde ad reparandas Ecclesias, & pauperũ indigentiã subleuandã: ergo quidquid in sui status decentẽ conseruationem opus fuerit, licitè expendunt: Itaque poterunt aliquid moderatè donare, & remunerare aliorum in se obsequia, 12

& eleemosynas honestas facere, atque eo nomine cōsanguineis etiam, aut filijs spurijs, prout naturaliter tenentur subuenire: nam hæc omnia pertinent ad status decentiam.

13 *Tertium assertum.* In locis vbi dignoscitur decimas, & alios similes reditus Ecclesiasticos esse diuisos in quatuor præfatas portiones, Episcopi, clerici, fabricæ Ecclesiarum, & pauperum (creditur autē facta talis diuisio modo vbique gētiū, saltē inter Episcopū, & alios Ecclesiasticos) in his locis inquam mihi certum videtur Episcopū, ac reliquos Ecclesiasticos non teneri iustitiæ lege ex eis portionibus, quæ prædictis Episcopo, & clericis applicatæ sunt, aliquid dare pauperibus, etiamsi ex illis portionibus, quæ sibi contingunt, multa supersint, demptis sumptibus necessarijs ad decentiam status.

Hoc assertum est contra autores secundę sententiæ: sed probatur: quia Episcopus, & clerus sunt verè domini, & simpliciter earum portionum, quæ simpliciter adiudicatæ sunt: ergo possunt eas expendere in quos placuerit vsus, sine iniustitiæ labe. Hæc est enim natura dominij, vt sit facultas vtendi re in omnes vsus. *Antecedens probatur,* quid est enim applicatas esse cuique suas portiones, seorsim à portione fabricæ, & pauperum, nisi sint sub dominio eorum. Item, quia alias frustra esset illa diuisio: maximè, quæ non solùm designata est diuisio, verùm & applicata cuique sua portio. At enim Gelasius epistola ad Episcopos Lucaniæ. & refertur 12. quæst. 2. *Antistes de quatuor portionibus vnam sibi tollat, alteram clericis pro suo iudicio, & electione, dispertiat, tertiam pauperibus, fabricæ verò quartam.* Quid est, *Sibi tollat*? nisi sua sit, sicut & reliquæ aliorum. Addidit autem præter ea, quæ de hac re fuerunt à Simplicio constituta, vt pars illa, quæ in vsum pauperum conuertenda esset, nequaquam clanculo erogaretur, sed palam omnibus videntibus, atque sciētibus, ne rapiendi vel ex parte diminuendi eam daretur occasio.

Gelasius.

14 *Secundò.* Episcopi, & clerus portiones sibi applicatas percipiunt, vt mercedem, ac stipendium pro functionibus Ecclesiasticis, quas erga populū exercent, vt supra probatum est: ergo illarum verè acquirunt dominiū, & possunt eas ad libitū expendere sine iniustitiæ crimine: sicut & alij magistratus Reipublicę possunt facere, & disponere de stipendijs sibi collatis pro muneribus Reipublicæ obeundis. Quinimò ex hac ratione colligo. Etiam si nulla facta esset diuisio redituū Ecclesiasticorum; sed omnia sicut in primæua Ecclesia essent commissa dispensationi Episcopi, si Episcopus miserè viuendo ac auarè de his quæ necessaria erant ad status sui decētiā sibi detraheret, ac thesaurizaret, & cætera fideliter distribueret, partē thesaurizatā posset sine iniustitiæ crimine pro libito expēdere, vt eius verus dominus: patet: quia ea pars ad stipendiū sibi debitum spectat; ac proinde vt verus eius dominus poterit elargari cui velit. hoc asserit D. Thomas *loco citato,* vbi ait de his, quæ specialiter vsui Episcopi deputata sunt, eandem esse rationē aq; de bonis patrimonialibus. Hoc assertū expresse cōtra dicitur ab autoribus secūdæ sentētię, qui opinantur ad ius diuinum pertinere, vt bona Ecclesiastica tantum cedant in decentē sustentationē, & quæ superant esse necessariò expendenda in pios vsus: Nos verò oppositum censemus, sed ea subiacere dispositioni Ecclesiæ, & eius Vicarij. Sed ne plus iusto volumē excedat, plenā huius rei discussionē, vsq; ad citatū locū D. Th. remittimus.

Quartum assertum. In eis locis, vbi dignoscitur portionem pauperū esse retētā ab Episcopo, aut clero, retinētes siue Episcopi sint, siue alij Ecclesiastici, ex iustitię legibus tenentur eā pauperibus erogare, & nō erogatā restituere; siue portio retenta pertineat ad decimā, siue ad alios reditus Ecclesiasticos. Probatur eo quod cōtra iustitiam peccat ille, qui rem alienam retinet, aut qui omittit facere propriam, quam tenebatur appropriare: sed in casu huius asserti, Episcopus aut clerus retinent partem iam applicatam pauperibus, aut omittunt applicare eam portionem, quam tenebantur erogare pauperibus: ergo contra iustitiam peccant, si non largiantur eam portionem pauperibus. 15

Confirmatur. Si homo prædiues reditus pingues assignaret diuidendos inter Episcopos, clericos, ac pauperes Episcopi, & clerici retinentes portionē applicandā pauperibus, peccarent cōtra iustitiam, & tenerentur restituere: ergo idem dicendum est in nostro casu, postquam Pontifices iusserant bona Ecclesiæ esse diuidenda inter clerū, & pauperes. *Secūdò.* Antequā prędicta partitio fuit iussa fieri, Episcopus aut clerici nō largientes pauperibus superflua, peccabant contra iustitiā, & tenebātur restituere, vt cū cōmuni sētentia tenuimus supra in initio huius dubitationis: ergo multò certius est post præfatā diuisionē, retinentes portionē debitam pauperibus, peccare contra iustitiam, & teneri ad restitutionem: tum quia diuisio non abstulit à pauperibus ius antiquum, quinimò auxit, eo quod mediante partitione pauperes effecti sunt domini portionis, q̄ illis cōtingebat, nō minus quā clerici, aut Episcopi earū, quæ ad eos spectabant: hoc enim sonat illis applicari vnam portionem, videlicet quod illius fierent domini, aut haberent ad eam iustitiæ ius.

Hanc assertionem cōcedunt omnes etiā autores tertiæ sententiæ, quando de facto fuit denegata portio sua pauperibus, & retēta ab Episcopo, vel alijs clericis: quinimò addit Sotus acerrimus defēsor tertiæ sententiæ *vbi supra art. 4.* circa primā cōclusionē, quādo vehemēti suspicione laboratur Episcopum aliqua bona pauperibus consignata sibi applicasse, teneri ad restitutionem.

At verò quid sit dicendum, si partitio illa tantùm sit exequutioni mandata inter Episcopum, & clerum, ac fortassè fabricam, portio autem pauperum nec designata fuit, sed confusa, & mixta mansit cum portione Episcopi, aut cleri, vel vtriusque: antiquiores patroni tertiæ sententiæ nihil de hoc expresse asserunt, *quidam moderni audacter affirmant* Episcopum, & clerum iustitię legibus 16

legibus ad nihil dandum pauperibus teneri, sed vt veros dominos posse expendere suas portiones, & simul pauperum portionem, quæ confusa & permixta manet cum reditibus Ecclesiasticorum: quorum sententia valdè displicet, & omni-
17 nò opposita probatur. Etenim antequam vlla diuisio fieret in Episcopos, & reliquos clericos, tenebatur Episcopus, aut illi, quibus ex officio incumbebat, ex his, quæ supererant demptis sumptibus ministrorum, aliquid pauperibus impartiri, vt supra probauimus: ergò post factam diuisioné nihilominus tenebútur ex iustitia. *Probatur consequentia*, quia diuisio facta inter Episcopum, & clerum nó debuit, nec potuit præiudicare iuri pauperum. *Confirmatur*: quia facta diuisione inter Episcopum, & clerum, pauperum portio permansit confusa cum portionibus Episcopi, aut cleri, vt per manus eorum pauperibus dispensaretur, sicut æquitas videbatur exposcere; aut verò vt per iniquitatem eam sibi vsurparét. Quodcunque horum asseratur, pauperes non sunt defraudandi iure suo: ergo non possunt Ecclesiastici nulla habita ratione pauperum pro suo libito decimas, & alios reditus expendere.

18 Contra hoc assertum videtur esse Diuus Thomas, *quodl. 6. art. 12. vbi ad tertium* expressè distinguit duo bonorum Ecclesiasticorum genera. *Primum*, quod principaliter ordinatur ad necessitates pauperum subleuandas, & consequenter ministrorum, vt sunt bona hospitalium: & qui hæc retineret sibi, peccaret contra iustitiam, & teneretur ad restitutionem. *Secundum* bonorum genus principaliter attribuitur vsibus ministrorũ, vt sunt præbendæ clericorũ; & si hæc quis sibi retinet, potest peccare per abusum, non verò contra iustitiam, nec tenetur ad restitutionem. Ecce Diuus Thomas in decimis, & huiusmodi nullum iustitiæ ius agnoscit in ordine ad pauperes subleuandos. *Respondetur*, Diuum Thomam esse intelligendum iuxta mentem eiusdem *inferius, q. 185. art. 7.* de his bonis tantum, quæ sunt applicata portioni clericorum, quæ etiam secundario subuentionem pauperum, quorum Ecclesiastici sunt patres, respicit: & interpretatur D. Thom. Couarruuias in cap. *cum in officijs* num. 3. non verò intelligendus est de his bonis, cum quibus permixta, & confusa manet pauperum portio.

D. Thom.

Couarru.

19 *Assertum vltimum.* Vehementes me coniecturæ impellunt, vt existimem aliá portionem pauperibus debitam ex decimis, & alijs similibus bonis Ecclesiasticis, permãsisse confusam, ac permixtá portionibus Episcoporum, ac cleri, maximè Rectorum, ac proinde censeo, eos teneri ex iustitiæ lege ad eam erogandam pauperibus, vt nuper dicebamus in quarto asserto. Prima coniectura est. Nam facta diuisione prædictorum bonorum inter Episcopum, & clericos alios, in quos vsus portio pauperum destinata est? Quibus in rebus aut prædijs sita? Certè non est verosimile sic exinanisse, vt illius nullum vestigium superesset. *Dicunt quidam* partem illam pauperem deuenisse ad hospitalia. Isti loquuntur sine fundamento, habent illa enim plerunque certos fundatores, siue priuatos ciues, siue Rempublicam ciuilem. *Aiunt alij* ex illa portione constituta esse ea beneficia, quæ appellantur præstimonialia, deputata nimirum studio eorum, qui futuri sunt clerici. Hoc diuinare potius est, quàm certum aliquid dicere: fortassis isthæc præstimonialia beneficia successerunt beneficijs, quibus annexa erat cura aliquarum Ecclesiarum, quæ vel neglectæ omnino erant, vel collapsæ.

Secundò. Esto portio sua pauperibus designaretur, quando quadrifaria illa diuisio fiebat; nulli alij commodius potuit applicari, quàm Episcopo aut Rectoribus Ecclesiarum, vt eam sicut patres pauperum eisdem dispensarent: ergo ita accidisse verosimile est, eam nempè vel retentam, vel confusam cum portionibus Episcopi, aut Rectorum pro necessitatibus pauperũ subleuandis, iuxta eorum fidelem dispensationé, sicut & fuit factum in principio primitiuæ Ecclesiæ: itaq; cẽseo ex iustitia teneri Episcopos, ac Ecclesiarũ rectores pingues decimas vel reditus Ecclesiasticos obtinentes, ad erogandum pauperibus suæ diœcesis, aut pareciæ respectiuè aliquam suorum redituum partem, eam scilicet, quæ iudicio prudentum plus minusve iudicatur portio debita alias pauperibus.

Consultò dixi, *Episcopos aut Rectores Ecclesiarum*, quia hos retinuisse partem pauperũ dispensandá verosimile est, cæteri verò vt Canonici, Diaconi, & huiusmodi coadiutores, qui sunt certa munia sacri ministerij obeuntes accepto stipendio, quod pro suo beneplacito possunt insumere, nisi aliunde iure prohibeantur: quod censet Couarruuias *vbi supra nume. 6.* quamuis tandem censeat consuetudine isthæc iura esse abrogata. 20

Couarru.

Nec minus cautè dixi ad id teneri eos tantum, qui habent pingues decimas, seu reditus: quia alij nec credendi sunt retinuisse portioné pauperum, nec tenentur aliquid largiri pauperibus, si decimæ vix sufficiunt pro eorum decenti sustentatione. Huiusmodi enim generis bona principaliter instituta sunt pro alimonia, ac stipendio clericorum, secundario auté pro pauperibus, at præcipuè institutioni fauẽdũ est; & si supersunt bona secũdarie egentibus, alias à secundaria intentione sine vllo piaculo supersedetur.

Sed ecce Episcoporum ac aliorum Ecclesiasticorum cœtus aduersus nos vehementer insurgit *obijcientes primò*. Nos, qui à principio tertiæ sẽtẽtiæ videbamur assertores, in secũdá incidimus infensam toti clero. Quibus *Respondemus*, secundæ sententiæ patronos non esse rude aut ignobile vulgus, vt dedignemur eorum sequi sententiam, sed viri numero, literis, ac pietate insignes. *Secundò respondetur*, nos in multis à secundæ sententiæ autoribus discessisse approbantes tertiam, quam esse Diui Thomæ censemus. Asseruimus namq; multorum bonorum Ecclesiasticorum dominium absolutum apud Ecclesiasticos permanere: ac proinde sine iniustitiæ crimine posse ea pro libito in quos voluerint vsus conuertere: de quo late in *artic. 2. proximè præcedentis quæstionis. 86.* 21

Præte-

Prætereà asserimus, Episcopum ac Clerum posse expendere pro suo arbitratu sine iniustitiæ labe, aut restitutionis vinculo portionem sibi consignatam ex decimarum cumulo, aut ex alijs Ecclesiasticis reditibus, quæ omnia negant patroni secundæ sententiæ, & primæ. Et prætereà asseueramus, portionem pauperum vel retentam ab Episcopis, & clericis, vel permixtam eorum portionibus deberi ex iustitia pauperibus, quo quid iustius, ac æquius censeri potest? nec hoc vnquã D. Thomas negauit, nec credo antiquiores patronos tertiæ sententiæ id improbarent, sed potius adstruerent conuicti rationibus, quibus quartum, & quintum asserta probauimus.

22 *Sed en biuium*, quo earum efficaciam conantur euadere: *Negant primò* pauperum portionem mansisse confusam, ac permixtam Episcopi aut clericorum portionibus. Bene, si id ostenderent, vel leuibus coniecturis: cum autem eas non proferant, non fit verosimile portionem pauperum euanuisse, aut alibi sita fuisse, cum illius ruinas, reliquiasve aut vestigia nullibi conspiciamus. *Secundò admittunt* prætatam portioem fuisse permixtam Episcopi aut clericorum portionibus, tamen vniuersalis consuetudo transferre potuit dominium eius in Episcopos, aut alios clericos, vt supra nos concessimus: & ita accidit in proposito, vidente Summo Pontifice, & non reclamante: non est autem verosimile Pontifices Summos tanto tempore tolerasse hanc iniuriam pauperum, vel non declarasse eorum ius in hac parte.

Respondetur. Vt consuetudo præualeat debet esse rationabilis, & ad bonum commune pertinens. Hæc autem destructio est boni communis pauperũ, oppressiua institutionis decimarũ, quę partim pro pauperibus institutæ sunt euersiua, Sacrorum Canonum, qui pauperibus fauent, ac proinde potius abusus, aut corruptela, quàm rationabilis consuetudo. *Itẽ*, vt consuetudo præualeat debet à Principe cum notitia, & iudicio approbari, nec satis est tolerare: quia multa per patientiam tolerantur, quæ si ad iudicium ducerẽtur, arguerentur, vt communiter tenetur contra Syluest. verbo *cõsuetudo*. §. 12. *Item* tertio quia pauperes, cuia interest præ imbecillitate non clamant, & in litẽ vocant: tũm quartò, nam Episcopi multi timorati non se censent immunes ab obligatione expendendi aliquam suorum redituũ partem pro necessitatibus pauperum subleuandis. Vnde colligitur non inualuisse talem consuetudinem retinendi sibi portionem, aliàs pauperibus debitam.

(margin: *Syluest.*)

23 *Secundò obijciunt*. Ex hac sententia sequuntur multa inconueniẽtia. *Primum*, nam si aliqua pars decimarum ad pauperes pertinet: ergo possunt illi clam surripere ea, quæ ad suam portionem aliàs pertinebant, si Ecclesiastici, quibus incumbit, non erogant. *Secũdò*: ergo qui soluunt decimas poterunt partem reseruare, vt reddant pauperes indemnes quando intelligunt Ecclesiasticos non reddituros pauperibus portionem debitam. *Tertiũ*: ergo deberet concedi pauperibus actio in iudicio cõtra clericos nõ erogãtes, &c. Quæ omnia videntur non admittenda.

Respondetur. Pauperes habent iustitiæ ius, vt Episcopus, vel quiuis alius retinens confusam, portionem pauperum, eam in vsus egentium distribuat: cæterum non habent illius portionis dominium, sed apud Ecclesiam permanet, & dispensatio apud Episcopos, aut alios parœciarum Rectores: quo fit vt non detur actio pauperibus singulis in iudicio contra malos dispensatores: quia non tenentur ex necessitate huic vel illi dispensare: fortè vbi constaret omninò sibi vsurpare portionem pauperum, posset in iudicio contendere communitas pauperum coram Summo Pontifice: sed viribus & animo carentes, nec valent, nec audent litem hanc aduersus diuites clericos intentare. Ex quo patet ad tertium allatum inconueniens. *Ad primum respondetur*. Tota communitas illud ius, habet non priuati pauperes: vnde nullus potest clam surripere: quia nullus in particulari defraudatur. *Ad secundum* similiter *respondetur*. Ius dispensandi bona Ecclesiastica in pauperes ad Episcopum vel parœcios spectat, alij verò non se debent intromittere, ne fiat confusiò in Ecclesia Dei, deberet autem causa hæc Summo Pontifici proponi, vt cessarent querelæ.

Tertiò obijciunt: non possent clerici condere testamentum, sua bona, quæ ex decimis acquisierunt, maioratibus alligare, propinquis largire, aut lenonibus, & similibus sine iniustitiæ crimine, ac proinde qui recipiunt non essent in conscientia tuti, sed ad restitutionem tenerentur: hoc autem esset innumeros damnare, conscientiam eorum scrupulis implere. *Respondetur*. Hoc argumentum potius vrget aduersus autores secundæ sententiæ existimantes Ecclesiasticos teneri ex iustitia largiri pauperibus omnia, quæ superant post suã cõgruã, ac decentẽ sustentationẽ: nos verò asserimus, eos posse sine iniustitiæ labe omnia sua bona expendere, excepta portione pauperum, quæ in decimis, & alijs annuis reditibus creditur permansisse cõfusa cum portionibus Episcoporum, & cleri; ac subinde fatemur clericos secũdum iura prohiberi facere testamẽtũ: obtinuerũt autẽ facere ex cõsuetudine, sed de illis bonis, quorum diximus esse dominos, quæ multa sunt. 24

Quapropter Ecclesiarum Rectores maximè Episcopi diuites qui in vitæ curriculo mediocres eleemosynas fecere, si instituant maioratus, aut legent consanguineis ingentem pecuniam, credendi sunt ea donasse ex suis portionibus, aut stipendijs sine iniustitiæ piaculo, quidquid sit de scandalo, & omissã pietate erga pauperes, aut diuinum cultum, à quibus vix liberantur isti profani Ecclesiæ ministri.

Si autem adeò tenaces in eleemosynarũ largitione extiterint, vt quidam nostro seculo, ferè nihil dãtes pauperibus, nõ auderẽ eos excusare, neq; testamenta approbare propter defraudatam portionem pauperum, nec possidentes immunes censere à restitutione acceptorum, saltẽ quoad eam partem, quæ iudicio discretorum ex portione pauperũ retenta, ac vsurpata est. Nec hoc

hoc est conscientias turbare, sed pacare veritate patefacta, cuius manifestatione etiam turbantur conscientiæ latronum, aut concubinariorum, de quorum turbatione non est curandum.

Ad argumenta secundæ sententiæ: quatenus contra tertiũ assertũ militant, *respondetur.* Ad *primum*, Illa allata iura, & quæ poterant citari, loquuntur pro illo primæ Ecclesiæ statu, quando decimæ, & alij Ecclesiastici reditus nondũ diuisi erant in quatuor illas portiones, de quibus sæpe egimus: post factam verò partitionem cuique tam Episcopo, quam reliquo clero liberum est de suis portionibus disponere sine iniustitiæ crimine, aut restitutionis vinculo: ac proinde in eis locis vbi portio pauperum retenta est ab Episcopo, vel parœcijs ad pauperes etiam modo spectat iustitiæ legibus, vt dictum est.

Ad secundum respondetur. Ecclesiastici, quando bona Ecclesiæ erant indiuisa, duntaxat dispensatores erant: at verò modo postquam, & vbi diuisio obtinuit, portionis effecti sunt domini: & de illo priori tempore sunt intelligenda iura citata, non de nostro seculo, in quo si portio pauperum, vel fabricæ ab Episcopo, vel quouis alio retenta est, credimus accessisse illius portionis retentæ Episcopis dispensationem non dominium, atq; adeo iustitię legibus tenentur in pauperes suæ diœcesis erogare.

26 Ad *tertium respondetur*, Ecclesiasticos non largientes eleemosynas ex decimis, aut alijs Ecclesiasticis reditibus appellari Sanctis Patribus raptores, homicidas, &c. Quia loquebãtur, quando bona Ecclesiæ communia erant dispensanda pes Episcopos & Parochos, primò in stipendiũ pro se, & alijs clericis diuinis functionibus destinatis: deinde in pios vsus, maximè pauperum: imò & idem dicerent nostro hoc tempore, quando tenentur ex iustitia portionem pauperum retentam in eorum vsus conuertere: quod si non egerint, meritò raptores & homicidæ pauperum dicendi sunt, & non tantum per exaggerationẽ, vt quidam volunt: at si absolutè, & generaliter de omnibus bonis, quæ à clericis possidentur, fiat sermo, per exaggerationem suadere intendunt vim strictissimi præcepti pietatis ac misericordiæ, quo ligantur Ecclesiastici, præcipuè prælati pauperum necessitates subleuare. Huius præcepti neglectu (nescio quibus prætextibus aut lucris) multi qui hoc deplorant sibi facilè persuadent, & meritò, hac potissimum causa Ecclesias Dei multis atteri malis: *Etenim propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam*, ait Dominus Psal. 11. *Cognouit enim*, dicam cum Regio Psalte, *quod faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.* Psal. 11.

A præfati igitur præcepti transgressoribus (à cuius transgressione non liberantur, qui maioratus pingues instituunt, prætermissis pauperum turbis, qui præ egestate afflicti incedunt) à viris pietate ac prudẽtia insignibus obseruatũ est, hos maioratus, sic institutos ferè sẽper non perseuerasse vsq; ad quartã generationẽ, sed ad alienos deuenisse: & quidẽ iusto Dei iudicio, vt Ecclesiastici, qui se & suos voluerunt perdurare in memoria hominum conditis maioratibus, ipsi & sui sine prole discedant, ac in memoria hominum perpetuò fixa maneat eorum erga pauperes tenacitas, ac crudelitas: in cuius vltionem Deus suam aut propinquorum sobolem vltra quartã generationem non permisit viuere. Ad *quartum respondetur* iuxta doctrinam à nobis traditam in vltimo, & penultimo asserto. Et ad argumenta posita in initio dubitationis ex dictis non erit difficile respondere. Atque hactenus de hac difficili controuersia.

DISPVTATIO V.

An ius æquùmve poscat ius decimarum ad solos clericos pertinere?

NOn controuertimus in præsenti, an laici sint capaces iuris decimarum? de hoc enim statim: sed an lex instituens decimas clericis esse soluendas, sit æqua ac benigna? an potius iniqua & austera? nõ quod velimus cõdẽnare Ecclesiam id statuentẽ: hoc enim insolentissima insania esset, vt ait August. *epist.* 118. sed volentes reddere rationem æquitatis seruatæ causam perscrutamur. 1 August.

Et videtur vera pars negatiua. *Primo*, quia æquitas legis soluendi decimas in Synagoga ostẽdebatur; eo quod Leuitæ erãt pars duodecima, aut tertia decima totius populi Hebræorum, ac proinde dãdo decimam fructuũ Leuitis, omnes Tribus reducebãtur ad æqualitatem, aut ferè, vt docuimus circa articulũ primũ huius quæstionis disputatione tertia: at clerus in noua lege nõ videtur esse cẽtesima pars Christianorũ: qua ergo æquitate debet habere decimã partẽ omniũ fructuum colligendorum in toto Christiano orbe?

Explicatur argumentũ. Leuitæ percipientes decimam quamq; fructuũ partem excedebant singulas Tribus in duabus partibus: quia ab omnibus alijs simul accipiebant vndecim, & quælibet alia retinebat nouem, imò re benè pẽsata in nullo aut parum excedebat, vt videre licet loco citato: at verò clerus Christianus, admisso esse centesimam populi partẽ, percipiendo ex fructibus Populi Christiani decimam partem excedit populum, non vt Tribus Leuitica superabat reliquas in duabus partibus, sed in nonaginta.

Quod vt melius percipias, finge Ecclesiam constare dũtaxat ex nonaginta nouẽ laicis, & vno clerico, cui omnes laici dãt decimam partem fructuum, & videbis singulos laicos retinere sibi nouem partes, clericum verò accipere nonaginta nouẽ, ac proinde laicos excedere in nonaginta partes, qui excessus enormis esse videtur. Accedit ad hęc clerum non habere vxores, ac liberos alendos, sicut Leuitæ: ac proinde minora stipendia à populo deberet habere.

Secundò. Absolutè loquendo nulla facta comparatione decimas legis veteris, quæ exhibentur à populo Christiano clericis sunt excessiua stipendia, etiam considerata dignitate ministrorum 2

strorum nouæ legis, & cæteris, quæ in fauorem clericorum solent reputari: etenim quis non dicat excedere functionem Archiepiscopi Toletani stipendium trecentorum millium aureorum, & Episcopi Cordubensis stipendium septuaginta millium: & idem videtur proportionaliter dicendum de alijs Ecclesiæ Rectoribus.

Tertiò: quia in lege veteri cuius imitatione lata est lex in Ecclesia, de decimis pendẽdis nullæ erant decimæ, quas personales vocamus: ergo neque debuerunt poni in lege gratiæ.

Quartò. Lex gratiæ suauior debuit esse, quàm lex vetus: ergo leuiora onera debuit imponere, ac proinde abstinere à lege decimarum, vel statuere ferre de vigesima aut trigesima parte, vt alleuiaret onera populi Christiani.

Quintò: quia Christus Ecclesiam suam in paupertate fundauit, & elegit ministros pauperes, quibus potissimè dictum est, *Beati pauperes*: ergo ministri Ecclesiæ exiguo stipendio debent donari, & dicere: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*: modo autem acceptis decimis opulentè, permagnificè, imò & profanè viuunt.

3 Caiet. Hæc argumenta, præcipuè primum, & secundum adeò inualuerunt apud dominum Caietanum *circa articulum primum quæstionis huius*, vt asserat se nõ posse æquitatem legis decimarũm defendere, nisi quia datæ sunt decimæ clero, nõ ob id duntaxat, vt sint stipendia Ecclesiasticorũ, sed etiam vt in pauperes partem earum refundant. Et quidem mihi certum est, vt præcedenti disputatione probaui, eo tempore, quo bona Ecclesiæ erant indiuisa, decimas datas esse, etiam pro pauperibus subleuandis: similiter Ecclesiam in institutione decimarum oculos coniecisse ad strictissimum præceptum diuinum, quo clerus tenetur, maximè Episcopus, subueniendi pauperibus, vt eorum patres: & propterea tam opimum tributum laicis imposuisse: minus fortasse impositurам, si vt in lege veteri fiebat, aliunde pauperibus prouisum esset.

Gelas. Hoc non obscurè indicauit Gelasius Papa in epist. 7. Decretali tomo 1. quæ est ad Ecclesiæ Episcopos, vbi sic habet: *Præsulum autoritas nostrorum emanauit, vt facultates Ecclesiæ, Episcopi ad regendum habeant potestatem, ita tamen vt viduarum, pupillorum, atque pauperum, nec non & clericorum stipendia distribuere debeant: hoc eis etiam statuimus dari, quod hactenus decretum est: reliquum sibi Episcopi vendicent: vt sicut antea diximus peregrinorum, atque captiuorum largitores esse possint.* Ecce vltra portionem debitam pauperibus Episcopi de sua obligantur eleemosynas largiri, & hoc etiam intuitu illis ab Ecclesia stipendia designata sunt. Et

D.Thom. ita Diuus Thomas *in hac quæstione* bis aut ter, maximè in hoc articulo ad primum, ad stabiliendum decimarum onus etiam ad pauperes recurrit.

Tamen quidquid sit de iure pauperum ad decimas, iustitiæ ne sit, an misericordiæ, imò illo nõ considerato legem decimarum iustificare possumus, non alia via, quàm respondendo ad argumenta in contrarium facta.

Ad *primum igitur resp.* Primò, non esse verum Leuitas fuisse tertiam decimam partem populi Iudaici, & nostrum clerum non esse centesimam partem Populi Christiani. Nam Hebræi numerati sine Leuitis Num. 1. erant sexcenta tria millia quingenti quinquaginta, & non numerabantur pueri ante annos viginti, neque senes: Nam cum his citra dubium erant plus quam duplo plures, id est circiter mille millia, & trecenta millia: Leuitę aũt oẽs ab infante vsque ad senem numerantur, *Num. 3*, viginti duo millia tantum. Iam igitur addendo Leuitas cæteris Hebræis, & diuidendo totum numerum per viginti duo millia efficiuntur partes diuisæ sexaginta. En Leuitæ non erat pars tertia decima, sed vix sexagesima totius Populi. Porrò clerus Christianorum fortè maior est quàm sexagesima pars Christiani Populi: Nulla est enim ferè ampla familia, ex qua nõ sit aliquis Ecclesiasticus, & nullus est pagus, vbi non sit templum vnũ, aut plura, & aliquot Sacerdotes. 4

Secundò respondetur admisso antecedẽti, negando consequentiam, præmittendo tamẽ, decimas Leuitis fuisse à Deo assignatas multiplici de caussa. *Prima* & præcipua, pro sustentatione eorũ, eò quod deseruiebant ministerijs sacris, quibus deputati erant. *Secunda* non minoris considerationis in stipendiũ pro eisdem functionibus. *Tertia*, vt illa via fieret quasi quædã partitio inter omnes Tribus, eo quod Tribus Leuitica, vt liberius vacaret sacris ministerijs diuini cultus non decuit habere possessiones excolendas in terra promissionis. Decens igitur fuit, vt aliunde resarciretur isthæc possessionis priuatio, & fieret æqualitas inter omnes Tribus. Facta est autem lata lege de decimis pendendis Leuitis. 5

Alij aliorsum diuertunt dicentes, Deum mediante vaticinio Iacobi Genes. penultimo, cominasse Tribui Leuiticæ carentiam possessionis in terra Israel illis verbis: *Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel*: nimirum propter peccatum cædis Sichimitarum. Ipse autem misertus Tribui Leui, & nõ immemor vaticinij Iacob, hoc voluit impleri denegando Leui possessionem in terra Israelitica, & misereri dignatus est ferendo legẽ de decimis ipsi pendendis, qua mediante licèt diuisio terræ ad præfatam Tribum non pertingeret, diuisio vero fructuum ab eis non abesset, & & in ea æqualitate, aut ferè qua ad cæteras Tribus spectabat.

Igitur decimæ in illo populo considerabantur, vt quædam partitio hæreditatis inter fratres, & sub hac ratione debuit esse æqualis, vel quasi æqualis: quæ æqualitas reperiebatur ad modum explicatum in disputatione tertia circa articulũ primum huius quæstionis. *Secundò* cõsiderabantur, vt sustentationi Leuitarum necessariæ, & sub ista ratione propter nobilitatem officij debuit plura possidere Tribus Leui, quã cæteræ Tribus. *Tertiò* considerabantur decimæ vt stipendium, & sub hac ratione propter ministerium excellẽtius maiori portione erant digni Leuitæ.

His præmissis *respondetur ad primum*, negando consequentiam. Etenim æqualitas illa & proportio Leuitarum ad reliquas Tribus consideranda fuit 6

fuit, qua ratione per legem decimarum facta est quasi diuisio hæreditatis inter Tribum Leui, & cæteras ad modum explicatum: quæ consideratio non habet locum in decimis populi Christiani, sed duntaxat in eis consideranda est ratio sustentationis, quæ non attendit secundum æqualitatem inter dantem & accipientem, & multo min' ratio stipēdij, quæ pcipuè expēditur in decimis. Opima namque stipendia plusquam necesse sit ad sustentationem conferri solent, & debent, artificibus elegantioribus, magistratibus, & alijs huiusmodi, & maxime clero, qui minister est sacrarum actionum, nempe diuini cultus, dispensationis Sacramentorum, aut sacrorū dogmatum.

Igitur admisso antecedenti argumenti, quantum attinet ad æqualitatem seruatam inter Leuitas, & etiam admisso excessu in proportione numeri ad numerum, id est, quod laici comparati clericis sint in multo maiori numero, quam vndecim Tribus comparatæ Leuitis, adhuc tamē in lege gratiæ æquitate plenū est clericos accipere decimas neque illæ excedunt iustū & debitum stipendium: tum primo propter maiorem laborem, & curam, quàm Leuitarum: In lege enim veteri tantum erat vnicum templum, quo omnes duodecim Tribus ad sacra conueniebant quater in anno: quia totidem erant præcipuæ solemnitates: at in nostra Ecclesia vix sunt centum domus, quæ non habeant vnum templum, cui quotidie ab omnibus Sacerdotibus ministratur; cum tamen Sacerdotes veteris legis pauci ex sola familia Aaron per vices in templo ministrabant, reliqui omnes erant turba famulorum dispersi per omnes Tribus: ac proinde raro templo deseruiebant. Igitur meritò propter multo maiorem laborem, ac curam maiora debentur stipendia, quam Leuitis.

Secundo, propter maiorem ac incomparabi-
7 lem dignitatem nostri cleri, quam Leuitarum, dicati non solum ministerijs diuini cultus, vt Leuitæ, verum & diuinis dogmatibus euulgandis, ac Sacramentorum confectioni, ac dispensationi, maxime sacræ Eucharistiæ conficiendæ, aut dispensandæ.

Tertio, propter magnos, ac maiores sumptus, quos necesse est fieri ab eis, qui in Ecclesia cupiunt sacerdotio initiari: cùm enim docti ac periti in sacra scientia esse debeant, in studijs ac Academijs antequam in clerum cooptentur, nō paruam horum bonorum partem insumunt. Igitur opimi stipendij spe debent allici, aliàs quis solo amore virtutis sua patrimonia in his consumeret? certè pauci.

Quarto: quia propter maiorem dignitatem nostrorum Sacerdotum amplior, & honorificétior eis debetur sustentatio, nō tantū ad vitam tuendam parca ac frugali alimonia, verum etiam ad decentiam status honorifici, necessarij sunt famulorum comitatus, ornatus, & suppellex domus elegantior, quæ sine pingui stipendio nequeunt conseruari.

Quinto item, Leuitæ non prohibebantur negotiari, causidicos esse, aut tabelliones, aut artificia exercere, siue nobilia sint, siue ignobilia, & ex quibus poterant magna sibi lucra comparare: à quibus arcentur nostri Sacerdotes: tum vt liberius ministerijs diuinis vacent: tū propter ministeriorum nobilitatem: igitur ab Ecclesia debuit illis non mediocre, sed magnum stipendium designari.

His accedit, Ecclesiam quando decimas instituit præuidisse multos priuilegio Pontificum, aut consuetudine fore liberandos à decimis soluendis, multos ex malitia non soluturos, aut certè non plenè & fideliter; Reges etiam ac Principes impetraturos ab Ecclesia decimarum partem non modicam in subsidium belli, aliorumq; publicorum sumptuum. Denique cum plebs Christiana perfectioni maiori pollere debeat, quam Iudaica, vt dicitur *Matth.* 5. si hæc decimam suorum bonorum dabat Deo, cur non tantundem erogabit Christianus populus? Ex his facile perspicies quam considerate D. Thom. *in artic.* 1. dixerit hanc determinationem Ecclesiæ de decimis pendendis respectu populi esse humaniorem, & benigniorem quam rigor iustitiæ absolutè pateretur. *Matth.* 5.

Ad secundum bene & vere respondetur, quod decimæ, esto excederent in ratione stipendij, tamen habita consideratione ad obligationem, qua adstringuuntur Ecclesiarum Prælati ac Rectores subueniendi pauperum indigentijs, quæ sine numero sunt, siue ea obligatio sit iustitiæ, siue misericordiæ, nequaquam excedere, imò neque attingere dicenda sunt. *Secundo resp.* Ecclesiæ decorem ac dignitatem decet, Ecclesiasticos hoc tempore non negligi præ paupertate, sicut videmus pauperes despici: tum maximè Episcopos, qui sæpe habent vassallos, arces munitas, ac ciuitates defendendas ab hostibus, magna collecta militum manu, ingentibus sumptibus, quibus non sat sunt mediocres redditus, sed copiosi, ac pinguissimi necessarij sunt. 8

Ad tertium respond. fuisse aliquos censentes decimas personales debitas fuisse Leuitis in lege veteri. Ita Innocentius *in l. fin. numer.* 2. *de parochis, vbi numer.* 3. inquit esse quasi insanos, & hæreticos, qui asserunt decimas personales non esse de iure diuino. Sequuntur Innocentium multi alij antiqui, & moderni Canonistæ, quos citat Gutierez *lib.* 2. *Canon. quæst. cap.* 21. *numer.* 4. *&* 5. cuius sententiæ non inuenio nec apparens argumentum. Nisi forsan illud Deut. 12. *Illuc omnia, quæ præcipio, conferetis holocausta, & hostias, ac decimas, & primitias manuū vestrarū*: id est eorum, quæ manibus vestris ac labore acquiritis, date decimas, ac primitias. 9 *Innocen.* *Gutier.* *Deut.* 12.

Nihilominus audax, & insana est censura Innocentij; opposita enim sententia vera est, & tenetur communiter à Theologis & Canonistis: sufficiat pro mille D. Thom. *artic.* 2. *ad primum*, Testimonium verò allatum *ex Deut.* facilem habet intelligentiam, appellantur enim fructus terræ opera manuum cultorum terræ propter agriculturam exercitam, sic solet ille locus communiter interpretari, estque phrasis frequens in sacris litteris. *D. Thom.*

10 Quod superest explicandum in hoc argumento illud est, *quare in noua lege inductæ sint*, cum in lege veteri non fuerint præceptæ: ex quo apparebit æquitas legis Ecclesiasticæ de soluendis decimis personalibus. *Prima ratio* sumitur ex parte populi, etenim populus Hebraicus intra vnum Regnum continebatur; in quo nulla Tribus præter Leuiticam carebat possessionibus, ex quarum fructibus decimalibus, vtpote sitarum in terra melle & lacte manante abunde poterant Leuitæ sustentari: ac proinde solæ decimæ prædiales in ea lege institutæ sunt. At verò populus Christianus est per totum orbem longè lateque diffusus, & inter eos plurimi possessiones non habent, sed de negotiatione aut artificio viuunt, qui nihil cõferrent in subsidium ministrorum Dei, si decimas de eorum negotiatione, aut artificio nõ redderent, vt patet in Venetensibus, ac Genuensib⁹: atque ideo necessarium fuit, vt decimæ personales in noua lege indicerentur.

Secunda ratio sumitur ex parte ministrorum: nam ministris veteris legis maximè Leuitis, nulla ars, nullum negotium, nullus lucrandi modus eis prohibebatur plusquam cæteris Hebræis, præter quam possidere partem in terra promissionis: vnde & legitur Num. 35. eos habuisse ciuitates, ac suburbana earum ad alenda pecora: & ideò ex huiusmodi lucris poterant ditescere, si his adiungerentur decimæ prædiales: at verò ministris Euangelicis arctius interdicitur, ne se ingerant negotijs lucratiuis, iuxta illud secundæ ad Thimo. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus*, quod adeò rigorosè obseruatum fuit in tempore D. Cyprian. *vt in Epist. 66.* patet, quod quidã, qui designauit quendam clericum in tutorem sui testamenti priuatus fuerit oblationibus, & orationibus communibus, eo quod prohibitum erat clericis negotijs secularibus implicari Legendus est Cyprianus *ibidem*, quia eleganter de hac re disserit. Et ideò cum ministri Euangelici non haberent, vnde viuant, nisi ex oblationibus fidelium, debuerunt indici personales decimæ, vt pro dignitate alerentur.

2. ad Th. 2.

Cyprian.

11 *Ad quartum resp.* suauitatem legis nouæ potissime in spiritualibus debere expendi: habet enim pauca præcepta præter iuris naturalis, vt sacramentorũ, lex vetus sexcenta præcepta indispensabilia. Et in temporalibus etiam suauior est lex gratiæ: liberauit namque nos Christus Dominus onere incõportabili sacrificiorũ carnalium, innumeris expensis ꝓ oblationibus, pro sacrificijs, ꝓ profectione necessaria ad templũ Hierosolymitanũ, ꝓ redemptione primo genitorũ, & alijs huiusmodi: quid ergo mirũ si Ecclesia nos adstrinxerit decimarũ pẽsione ad alẽdos ministros diuini cult⁹, sacramẽtorũ, ac diuinorũ dogmatũ?

12 *Ad quintum respond.* Si possibile esset, vt tantus numerus sacerdotum, ac clericorum, quantus reperitur, & necessarius est ꝓ Ecclesiastis functionibus; perfectam semitam paupertatis sectaretur alijs sanctitatis ornamentis decoratus; citra dubium melius esset, & à populo in pretio haberentur: at hoc perdurare non potuisse, præuidens Ecclesia stipendia pinguia, ac honorifica illis decreuit, indulgens fragilitati humanæ conditionis, tum ministrorum, tum populi: Ministrorum quidem deuiantium à perfecto paupertatis statu Christi, & Apostolorum: Populi autem, quia eos quos pauperes videt, despicit: & experientia constat, in eis Prouincijs, vbi clerici nimia egestate premuntur despectui haberi, (nisi ingens sanctitas æstimationem, ac respectum augeat) & consequenter sacramenta, & sacræ actiones per eos exhibitæ vilescunt: quare iam aucta Ecclesia, & sanctitate indies labante necessarium est Episcopos nobilem familiam alere: sacerdotes verò reliquos honorificè degere: eò vel maximè, quia vt dicebamus, prohibitum est nostris sacerdotibus se ingerere negotijs lucrationis, maximè manualibus artificijs, quæ non decent ingenuos.

Circa solutionẽ ad secũdũ, D. Th. sũmatim docet quibus locis, & ratione locorum quibus personis decimæ soluendæ sint. Nos verò eius decisionem sequentes, quia verissima est, & multum iuribus consentanea paulò fusius tractabimus: & ideò sit

DISPVTATIO VI.

De locis in quibus decimæ soluendæ sint?

CERTVM est enim, non omnibus Ecclesijs, non omnibus Episcopis, ac Rectoribus esse pendendas: quare operæ pretium erit scire, quæ decimæ, & quibus pertineant? cũ autem decimæ distinguantur in personales, prædiales, ac mixtas, de singulis dicendum.

Dico primo. Decimæ personales attento iure cõmuni debentur Ecclesiæ, in qua quis tenetur iuxta idem ius, vel Missas debitis temporibus audire; vel sacramenta recipere, cui⁹ parochianus esse dicitur: ita D. Th. hic, & omnes eius discipuli, Abulensis *in c. 23. Mat. q. 196.* & omnes summistæ: expressè hoc habetur in c. *ad Apostolica*, de decimis; & ca. *significauit*, de parochijs. & cap. *quæst.* cap. *statuimus.* cap. *in sacris* 16. quæst. 1. & ratio suffragatur. Quia decimæ dantur in sustentationem ministrantũ spiritualia, tã in ministerio altaris, quàm doctrinæ: vt benè aduertit Caietanus hic: ergo fideles illi tenentur eas soluere, q̃ ex officio hæc munera exercet, nempè Ecclesiæ suæ, id est rectori, & ministratori tali, qui parochus eiusdẽ Ecclesiæ dicitur. *Ex quo infertur*, q̃ si fidelis mutet domicilium in aliam parochiã, licet habeat possessionem in alia, decimas personales debet soluere, vbi habet domicilium, quia ibi suscipit sacramenta, &c. At verò si non mutet domicilium, licet extra suam parochiam laboret, negotietur, aut lucretur etiam ꝑ magnam anni partem, semper soluere debet decimas personales illi Ecclesię vbi habet domiciliũ; quia ibi per se spiritualia recipit, licet ex accidenti contingat ratione absentiæ, seu peregrinationis alibi ea recipere. Hoc totum habetur in dicto cap. *ad Apostolica.* Et confirmatur *ex cap. 3. de sepult. in 6.*

D. Thom.
Abulens.

Quod

Quod si contingat vnam personam habere duo domicilia in diuersis parochijs: tunc si vnum sit principale, aliud minus principale, & quasi accessorium priori Ecclesiæ debentur, decimæ personales, si verò sint æqualia domicilia, æquitas poscere videtur, vt decimæ diuidantur: sed hæ decimæ cum iam in desuetudinem fere abierint, non his explicandis plus nimio immorandum.

2 *Dico secundò.* Iure communi decimæ prædiales illi Ecclesiæ soluendæ sunt, in cuius parochia sũt prędia. *Explicatur assertio.* Sicut diœceses, & territoria Episcopatuum olim diuisa fuere per certos terræ ambitus ac limites, ita in vnaquaque diœcesi diuisi fuerunt termini parochiales, & singulis Ecclesijs fuerunt commissi: qui Ecclesiæ parochiales vocantur, & vnicuiq; Ecclesiæ harum præficitur sacerdos aliquis, tanquam Rector, cui talis Ecclesiæ commissa est cura, omniumque habitantium intra ambitum loci tali Ecclesiæ designatum, & totum illud spatium solet parochia appellari, vt constat ex toto *titulo de parochijs, & ex cap.1.13.quæst.1.* & summistæ *verbo parochia.*

Hoc opposito probatur assertio ex D.Thom. *hic, & cæteris citatis,* & habetur in multis locis iuris capit. *cum contingat,* capit. *cum in tua, de decimis,* & idem supponitur in capit. *quoniam, eodem titulo & capit. vltimo, in fine de parochijs, & cap. vltimo, de restitut. spoliat. in 6.* Ratio huius est, quia sicut Ecclesia diuisit terminos parochiarum gubernandos, & pascendos in spiritualibus ab ijs, qui eis præfecti sunt: sic & sustentationis onus debitum ex decimis iussit distribuendum ex prædijs intra eos terminos contentis: sustentatio enim ministrorum præcipuè ex decimis prædialibus fieri præcepta est. Vnde 16.q.1.ex Conc. Maűgtino sic habetur: *Si quis laicus, vel clericus, vel vtriusque sexus persona proprietatis suæ loca, vel res alicui delegauerit, decimationũ prouentum priori Ecclesiæ legitimè assignatum inde abstrahere nullam habeat potestatẽ, &c.* Quia res transit cum onere suo, vt ibi Glossa aduertit. Fuit ergo hoc onus impositum ipsis terris, seu proprietatibus. Et idẽ habetur ex capit. *Ecclesia,* & c. *quicunque,* eadem causa, & quæstione. Fuitq; institutio, ac diuisio non absque magno consilio facta ad vitandum confusionem, quæ accideret, si non esset facta. Nam si prædiorum iura decimalia cum personis transferrentur, cum personæ quotidie mutentur, vel prædia in hoc territorio existentia vendantur, donentur, & legentur hominibus in alia diœcesi, vel parochia degentibus consequens fieret, vt iura Ecclesiarum essent cõfusa: nam hodie ad hanc, cras ad illam Ecclesiam pertinerent. Quam rationem attigit Alexand. III. in dicto cap. *cum sint homines,* & supponitur in cap. *super eo,* de Parochijs, & in c. *licet.* 16. *q.*3:

Alex.

3 *Sed contra* hanc assertionem arguitur: nam cõtingit aliquem habere domicilium, id est, habitationem stabilem in territorio vnius Parochiæ, & possessiones, ac fructus in alia Parochia eiusdem vel alterius Episcopatus, & tunc non videtur æquum decimas soluere, vbi sunt prædia: sed vbi habet domicilium, quia ibi recipit sacramenta, & spiritualia dogmata, ad quem finem institutæ sunt decimæ, vt late argumentatur Gratianus, causa 13. q.1. *Confirmatur,* quia si ita fieret, vt asserimus in casu argumenti modò positi, iniuria fieret illi Ecclesiæ, quæ sacramenta ministrat personis habentibus prædia in alijs Ecclesijs dũ stipendium sui laboris ulia Ecclesia non laborãs perciperet. *Grat.*

Argumentum adeo difficile iudicauit Alexander III, in cap. *cum sint,* de decimis, vt non aliter responderit, quàm standum esse consuetudini. Et ita verum est, vt adnotauit D.Th. & infra lati⁹ discutiemus. Nihilominus ex iuribus allegatis ꝑ nostra assertione decisio hæc approbata & recepta est. Et ad *argumentum respõd.* Non potuit aliud medium conuenientius excogitari, quàm diuisio Parochiarum ad ministranda spiritualia, neq; congruentius, quàm assignatio decimarum prædialium ad persoluenda stipendia sui laboris ministris. Et ius hoc per se loquendo æquale est in omnibus Ecclesijs, & per accidens est, quod huic vel illi hoc commodum eueniat, potuisset enim alteri accidere, & poterit cursu temporis res è contrario se habere. *Secundò,* quia leges humanæ considerant id, quod frequentius accidit: frequẽtius autem contingit, vt domini prædiorum Parochiani sint illius Ecclesiæ, in cuius territorio prædia existunt: quod autem in hoc contingat mutatio, rarum, & accidentarium est, nec debet præiudicium afferre Ecclesiæ Parochiali, quia ipsa parata est de se administrare sacramenta fidelibus, si in fundis suis voluerint habitare. Hinc etiam patet ad confirmationem.

Sed quid dicendum de decimis mixtis rerũ, quæ fructificant, & se mouent ab vno loco in alium, quales sunt pecora, armenta, & alia huiusmodi? de quorum fructibus, & fœtibus decimæ debentur: Sed cui? Et quidem quando intra limites Parochiæ domini sui habitant, pascuntur & procreant, certum est Ecclesiæ illi Parochiali domini sui esse decimas dandas, quia tũc ibi & personæ, & res fructiferæ domiciliũ habẽt.

Sed difficultas est tacta à D.Thoma hic, quando pastor in vna Parochia habitat, & in aliam gregẽ pascit, aut in alio Episcopatu, vt sæpius contingit famosis pastoribus, qui greges suos pascendos in hyeme ducunt ad loca calidiora, & fertiliora sita in alia Prouincia aut Episcopatu, in æstate verò ad propria remeant. Tunc ergo *difficultas est,* an istæ decimæ mixtæ sequantur conditionem personalium? an prædialium? id est, an solui debeãt vbi fructus dominis obueniunt? an verò vbi recipiunt sacramenta? De quo 5

Dico tertio. In hoc casu decimæ diuidendæ sunt, & pro rata temporis vnicuiq; Ecclesiæ pars fructuum reddenda est, ita vt si per dimidium anni in pascuis alienæ Ecclesiæ oues depastæ sunt, & per aliud dimidium in Ecclesia domicilij pastoris, decimæ inter eas Ecclesias diuidendæ sunt: quod si in alia tertia Ecclesia per notabilem partem anni, verbi gratia, quintam depastæ sunt, illi & pars proportionalis debetur, & diminuatur alteri, in qua etiam temporis diminutio facta est. Hæc assertio non habetur expresse in iure. Assertionem tamen tenet D.Thom. *hic & ibidem* Sotus, & alij, qui putant esse annumerandas

prædialibus potius, quàm personalibus. Alexāder *Alens.* 3. *p. quæst.* 51. *memb.* 4. *art.* 4. *in fi. Rebuf. dicta quæst* 6. *num.* 25. *& sequentibus.* Alens. Reb.

6 *Sed contrà arguitur.* Hæ decimæ mixtæ sunt, ac proinde naturam vtriusq; extremi sapere debēt: & ideo quando dominus ouium habet domicilium in Ecclesia, in qua oues nunquam pascuntur, sed in alia, vel alijs, vna pars fructuum danda est Ecclesiæ domicilij, aliæ verò Ecclesiæ vel Ecclesijs, vbi sunt pascua, quia hæc decima vt personalis est, debet sequi psonā, vt prædialis prædia: ita iudicat Nauarrus Concilio 1. *de decimis.* Certè modus dicendi satis probabilis, nec D. Thom. de hac re expressè locutus est: sed quia hæ decimæ, vel prædiales sunt, vel vix aliquid habent de personalibus, communis est sententia allata, & in praxi tutò potest quiuis fidelis eam sequi. Nauar. Quod diximus de pecoribus, dicendum est de auibus, quæ cicures sunt, vt Gallinæ, anseres, pauones: aliter dicendum de auibus, quæ māsuetæ non sunt: nam de captura harum danda est decima in Parochia, vbi venator domicilium habet, eò quod, quæ venatione capiuntur, pertinent ad decimas personales.

Idem dico de columbis, quæ licet in columbario morentur, tamen in longinquum auolant, & sumunt sibi cibum, modò in huius, modò in illius Parochiæ limitibus: quia cum istæ aues natura sua ferè non sunt cicures, quòd pullos exhibeant, potius industriæ præparantium illis mansiones columbariorum tribuendum est, quam earum fœturæ: quare ad res decimales personales referendæ sunt, ac proinde decimæ ex eis soluendæ non ad Parochiam, vbi columbarium est situm, sed ad eam, in qua dominus columbarij habet domicilium, pertinere dicendæ sunt.

Similiter dico de apibus, melle, & cera: & idē, & propter eandem rationem dicendum censeo de animalibus feris, quæ clausa tenentur locis muratis, caueis, aut viuarijs, cuiusmodi sunt cuniculi, cerui, & similia: quæ si voluptatis gratia custodiuntur, non debentur ex eis decimæ: quia nullum inde lucrum accrescit; secus si lucrum inde captetur. Ex his poteris deducere, quid sit dicendum de alijs, puta de decimis molēdinorum, quia existimo eas esse purè personales: decimæ piscatoris in flumine publico videntur prædiales, secus in stagnis, aut locis applicatis certis personis: & sic de alijs iudicandum est.

7 *Sed nota* cum Nauarro *supra numer.* 3. quod quando greges ducuntur ad pascua ex vno loco ad alium valdè distantem, quamuis multo tempore pascantur in itinere, non habetur ratio pascuorum, neque in illis locis soluitur decima, quia pro nihilo habetur ea pascuatio: *Item* interdum contingere, vt greges ouium vel armentorum pascantur in fundis vnius Parochiæ & accubent in alia, & tunc D. Thom. hic, & eius discipuli, aiunt, magis deberi decimam Ecclesiæ, in cuius territorio greges pascuntur, quàm illi, in cuius territorio, ouile locatur: quia fructus gregis ex pascuis proueniunt. Demum potest contingere, vt greges neque pascantur in vlla anni parte in Ecclesia Parochali sui domini, sed in alijs. Et tunc iuxta dicta nulla pars decimarum danda est Ecclesiæ Parochiali, sed diuidenda inter alias. Nauarrus verò vult, semper esse soluendam saltem quartam partem Ecclesiæ Parochiali, quia putat has decimas partim esse personales: nec videtur mihi eius assertio improbabilis.

Solent quidam Iurisperiti longam texere dubitationem, an decimæ præcipuè prædiales debeantur Ecclesiæ baptismali, quando diuersa est à Parochiali, vt quando fideles in vna baptizantur Ecclesia, & in alia suscipiunt sacramenta, quod raro contingit. Mouetur autem dubitatio propter quædam iura, quæ Ecclesiæ baptismali iubent reddi decimas, cap. 1. §. *in diœces.* 13. quæstion. 2. & cap. *de decimis.* cap. *statuimus.* cap. *in sacris.* 16 quæstio. 1. & c. *nuntios,* de decimis. Casus rarus est, & ideò à viro Theologo relinquendus pro Iurispiritis: vnde & dico, quando constiterit Ecclesiam Parochialem habere territorium proprijs limitibus clausum, ad eam pertinere decimam omnium prædiorum suorum, nisi aliunde constiterit speciali aliquo iure, aut consuetudine ad Ecclesiam baptismalem pertinere. Ita Abbas in capit. *cum contingat,* num. 8. & Archidiaconus. 13. quæstion. 1. Prima pars probatur ex iuribus allegatis in præcedenti disputatione. *Secunda probatur* ex iuribus nuper citatis, quorum pleraque confundunt, & pro eodem accipiunt Ecclesiam baptismalem pro Parochiali, quia ferè semper sunt eædem. 8 Abbas. Arch.

Demum in hac re potissimè considerandæ sunt consuetudines legitimè præscriptæ, quæ in materia decimarum magnam habent efficaciā, iuxta quas contingit decimas vni Parochiæ debitas, in alia esse persoluendas inualescente consuetudine, vt docuit D. Thom. in hac solutione ad secundum multum conforme esse iuribus: & verè ita est; nam sic habetur cap. *ad Apostolica,* & c. *cum sint homines,* de decim. & colligitur ex ca. *ad aures,* de præscriptionibus, & cap. 1. de præscripti. in 6. & merito id fit. Nam sublatis præscriptionibus magna in quauis Republica oriretur cōfusio, dum dominia, & iura rerum manerent incerta: de quo in materia de præscriptionibus. Sed hinc oritur 9

DISPVTATIO VI.

Quantum temporis sit necessarium, vt consuetudo decimandi in aliena Parochia tribuat ius Ecclesiæ, quæ hac vtitur consuetudine?

DVAS reperio sentētias. *Prima* ait decēnium sufficere: ita Pan. c. *cum sint homines,* in fine, quem videtur sequi Couar. cap. 17. sæpius citato nu. 8. §. 4 Gutierrez dicto cap. 21. numer. 58. Ratio eorum est. In consuetudinibus, quæ non sunt contra ius, sed præ- 1 Panor. Couar. Gutier.

præter ius sufficit diuturnum tempus, quod decennium esse censetur, ad ius præscriptionis acquirendum, iuxta doctrinam communiter receptam ex Glossa *in c. vlt. de consuetudinibus in 6.* sed hæc consuetudo non est contra ius, sed præter ius, vel potius est ipsius iuris interpretatio: quia nullum est ius absolutè prohibens prædiales decimas solui Ecclesiæ parochiali, vbi quis habet domicilium, sed potius ipsum ius dicit obscuram esse controuersiam inter Ecclesiam Parochialē, & prædialem, quando sunt distinctæ, & ideò consuetudinem esse seruandam: ergo, &c. Confirmatur ex capit. *ad Apostolicæ. Tu* (inquit) *eligas in hoc, quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noueris obseruatum*: at consuetudo diu durans est, quæ per decennium durauit, iuxta Glossam in l. *de quibus*, verbo, *inueterata*, ff. de legibus. Alia multa allegant præfati Autores apud ipsos videnda.

2 *Oppositam* sententiam tenent multi alij innixi fundamento opposito, scilicet hanc consuetudinem esse contra ius: ergo vt per eam inducatur præscriptio necessarium est tempus. 40. annorum. Consequens expresse asseritur à Glossa in dicto cap. *cum sint homines*, verbo, *ad consuetudinem*, ibi, *per quam iuri communi præiudicatur*: & in capit. *ad Apostolicæ*, verbo, *consuetudo*, ibi, *Ius commune.* In promptu est, quod illi Ecclesiæ debent dari hæ decimæ, in cuius territorio sunt prædia. Consequentia, si antecedens verum est, euidens erit, etiam Autoribus primæ sententiæ: & quia difficultas est de antecedenti, probatur apertè ex capit. *Siquis laicus vel clericus.* 16. quæstion. 1. & expressius ex sequentibus: *Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis nec vlla possessione priuentur, ita vt nouis oratorijs tribuantur*: quod citra dubium intelligitur de sacellis, etiam intra eandem Parochiam erectis: ergo à fortiori prohibet cōcedi extraneis Ecclesijs: & idem habetur in capit. *quicunque* ibidem, Item *in cap.* 1. 13. *quæst.* 1. ita diuiduntur iura Parochialium Ecclesiarum per territoria, vt nullus alterius Parochiæ terminos, aut ius inuadat: ergo recipere decimas ex terminis alterius parochiæ est contra commune ius. Demum *in capite vltimo de restit. spoliat. in 6.* dicitur præsumi eos decimas iniustè occupare qui eas exigunt ex prædijs in aliena Parochia constitutis. Hæc autem præsumptio in hoc fundatur, quod illa exactio est contra ius commune, vnde subiungitur: *sitq; manifestum, nisi aliud ostendatur, eas de iure communi ad eandem Ecclesiam pertinere*: ergo oppositum apertè est contra commune ius.

3 Inter has opiniones eligere non est facile: prior magis autoritate suorum patronorum, quàm iuribus, & rationibus fulcitur. *Secunda* magis conformis iuri, & rationi neruosæ in ipso fundatæ, cui occurrere vix valent autores primæ sententiæ, nisi coarctando illam ad consuetudinem decimandi in ea Parochia, vbi quis suscipit sacramenta & dogmata sacra audit prætermissa Parochia prædiali, id est, vbi sita sunt prædia: tunc enim potest quis duplex ius comminisci, vnum ortum ex diuisione Parochiarum per territoria, ac prædia in eis sita, aliud antiquius, & valde conforme primæuæ institutioni decimarum, vt scilicet, ij qui nobis ministrant spiritualia, sustententur. *Contra primum* citra dubium militat consuetudo decimandi in Parochia, vbi quis habet domicilium, ex prædijs sitis in alia Parochia. *Contra secundum* verò nequaquam, quod videtur principalius, & antiquius: & ideò ad firmandam consuetudinem illam decimandi sufficere decennium non videtur improbabile.

At si diuersæ sint Parochiæ sic adeo, vt vna sit prædialis, & consuetudo versetur circa aliam, in qua dominus prædiorum non habet domiciliū, non puto probabile ad præscriptionem eius cōsuetudinis sufficere decennium: sed necessarium esse spatium. 40. annorum, sicut agentes de priuilegiatis dicemus. Item priorem sententiam reputo verissimam, quando dubium est de prædio ipso, ad quam illarum Ecclesiarum pertineat: tunc enim ipsummet ius commune esset dubium pro vtraque Ecclesia, & iuxta fundamentum primæ sententiæ decennio posset præscribi, & in eo casu si benè aduertantur loquuntur Couarru. & Gutierrez citati: & Couar. paulo superius nu. 7. secundam sententiam in alijs casibus sequitur.

Sed aduertendum circa huiusmodi consuetudines, siue præualeant decennio, siue spatio. 40. annorū non extendi ad noualia antea nullo modo possessa: itaque licet vna Parochia consueuerit per longissimum temp⁹ exigere decimas ex prędijs, quæ coli consueuerunt in alia Parochia: & in hac nunc denuò excolantur, seminentur, vel plantentur agri inculti, non extenditur ad illos ius prioris Ecclesiæ, nec potest ex illis noualibus decimas exigere. Ita tenent Couar. *dict. cap.* 17. *n.* 13. Gutierrez, vbi supra *num.* 78. *& sequentibus*: & probatur ex cap. *contingat.* de decimis, vbi Glossa, verbo *noualium*, & omnes notant. Item ex cap. *tua.* § *nec eodem*, vbi additur in talibus non esse extendendam licentiam, sed potius restringendā. 4 Couar.

Ratio etiam est clara, quia præscriptio supponit possessionem, & per vsum & consuetudinem acquiritur, sed in eo casu Ecclesia, quæ præscripsit prædiales decimas, nunquam possedit terras syluestres, & incultas, neque habuit vsum aliquid ab eis percipiendi: ergo non potuit præscribere decimam, quæ postea debetur de nouis fructibus. *Secundo.* Præscriptio in aliena Parochia non extenditur ab vno prædio ad aliud, sed potest esse circa vnum prædium, & non circa aliud, etiam ex prædijs cultis, vt supponitur in capit. *cum in tua*, de decimis, ex illa ratione, quod non plus præscribitur, quam possideatur, & vsucapiatur: ergo à fortiori idem erit de prædijs incultis: illa ergo noualia non sunt præscripta, ideoq; iure communi debentur illi Ecclesiæ, in cuius territorio sunt sita, iuxta capitulum, *quoniam.* de decimis, & *c. cum contingat.*

Ex præfata ratione colligitur, quod si agri inculti antea possidebantur, & ex herba, vel lignis, vel pastu illorum aliquæ decimæ accipiebantur, tunc licet postea de nouo excolantur, & crescāt decimæ ad omnes illas extenditur præscriptio, quia neque possessio, neque vsus deest: & aliæ condi- 5

conditiones supponuntur, & videtur casus expressus in c. *dudum*, de priuilegijs, & iuuat *cap. 2. §. 1. de decimis in 6.*

Nec varietas in decimis seu fructibus obstat quia præscriptio per se primo; & fundamentaliter est circa ipsum prædium, seu fundum, & ideò quidquid fructificet, præscribenti fructificat quoad decimam: sicut si in eodem prædio culto ab antiquo in seminatione grani, & ita præscriptio postea plantetur vinea, etiam extenditur præscriptio ad decimam vuarum, quia illa varietas est accidentalis, & per se attenditur præscriptio terræ, vt à paritate rationis probatur ex cap. *commissum*, de decimis ibi: *Et sicut de pascuis olim decima persoluebantur, ita nunc de eisdem ad frugum fertilitatem translatis decimas volumus absque diminutione persolui.* vt ibi notat Glossa verbo, *pascuis*. Videndi sunt citati Autores, & Couar. etiam *in practica c. 57. num. 5.* idem existimant dicti Autores, quando præscriptio cadit in fundum, qui simpliciter censetur vnus, quia certis terminis clauditur, & tanquam vnus, & indiuisibilis possidetur: tunc enim licet antea non coleretur in omnibus partibus, & in aliquibus earum postea fiant noualia, ad illa extenditur præscriptio, quia totus simpliciter censetur possessus, licet per partes, vt latè Rebuf. *q. 14. à n. 20* & Gutier. *à n. 101.*

Couar.

Rebuf.
Gutier.

Hæc dicta sint de decimis prædialibus: Nam de personalibus nil dicunt iura de consuetudine eas scribendi fortasse, vt adnotauit, Pan. in c. *cū homines, de decimis. n. 5.* in fine si alicubi soluuntur, (quando raro fit) semper Ecclesiæ domicilij soluuntur: Et in his, vtpote parum vsitatis non audio oppositam consuetudinem irrepsisse.

Sed quid de consuetudine circa decimas quas mixtas appellauimus? *Respond.* Cùm istæ vel prædiales sint, vel ferè nihil de personalibus, iuxta dicta de prædialibus iudicandum est: imò quia de his non reperiuntur tam expressa iura, ferè omnes docent seruandam esse consuetudinem. Fateor. In his decimis mixtis probabile est consuetudinis formam induci per solum decenniū, quia præscriptio in his non est tam clarè contra commune ius, & ita non est certum talem consuetudinem esse contra aliquam Ecclesiam, quia nulla est, quæ ex vi iuris communis habeat certū ius erga decimas has mixtas.

DISPVTATIO VII.

An laici possint exigere & accipere decimas sibi, aut eas retinere?

HAnc tetigit D. Th. solutione ad tertiū. Et videtur vera pars negatiua, primò ex multis iuribus id rigorosè ꝓhibentibus. Alexād. III. in Concilio Lateranensi, parte 1. cap. 14. *Prohibemus* (ait) *ne laici decimas cum animarum suarum periculo retinentes in alios laicos possint aliquo modo transferre. Si quis vero receperit & Ecclesiæ non tradiderit, Ecclesiastica careat sepultura.* Refertur extra de decimis c. *prohibemus*. Et idem Concilium sub eodem Alexandro part. 20. c. 8 seueris verbis ait: *Quamuis sit graue nimis, & diuina dignum animaduersione habeatur, quod laici quidam, quod sacerdotum est, in Ecclesiasticis rebus vsurpant: maiorē tamē metus formidinē, ac dolorē & fomitē sui erroris in ipso clero dicūtur aliquoties inuenire, dū quorundam fratrum, & Coepiscoporū nostrorū, aliorumq́; Prælatorum Ecclesiæ decimas eis, & Ecclesiarum depositiones indulgent: & inde via mortis eos impellunt, &c. & ad iniquitatem prouocant animas eorum. Vnde statuimus, vt si quis alicui laico in seculo remanenti Ecclesiam, vel decimas concesserit à statu suo, tanquam arbor, quæ inutiliter terram occupat, succidatur, & donec emendet ruina sua iaceat dolore prostratus.* Refertur extra de decimis cap. *quamuis*.

Et in eodem Concilio Alexander III: Auiuianensi Episcopo. part. 50. capit. 29. *Quoniam donationem decimæ* (ait) *quam Abbas sancti Saluij & prædecessor eius cuidam laico, iure hæreditario concesserunt tenendam, cum sanctuarium Dei iure possideri non debeat, in irritum penitus reuoces, & viribus carere decernas, & laicis, nisi decimam ipsam Ecclesiæ sancti Saluij liberè, & absolutè restituerent vinculo excommunicationis adstringas.* Refertur extra de decimis, cap. *adhæc*. Et idem Alexander Parmensi Episcopo ait: *Laici, quia decimas detinere non possunt, eas nulla valent præscribere ratione*, refertur c. *eam*; de præscriptionibus.

Cōfirmatur. Laicos acipere, & exigere decimas est intrinsecè malum: ergo nulla via possunt eas retinere, aut accipere. Antecedens patet ex iuribus citatis, vbi non solum prohibetur concessio decimarum facienda laicis, verum & iam factæ irritantur: quod signum apertum est, eas retentiones, & concessiones laicis factas esse intrinsecè malas.

Secundo. Ius decimarum spirituale est, & annexum ministerio spirituali: ergo à laicis possideri non potest, quia iuris spiritualis non sunt capaces. *Antecedens* asseritur à D. Th. in hoc art. & ratio est aperta, quia confertur in stipendium ꝓ ministerio spirituali à ministris Ecclesiæ præstito plebi. Cōfirmatur. Laici non sunt capaces acquirendi, aut retinendi beneficium Ecclesiasticum, quia annexum est ministerio spirituali: sed decimæ etiam sunt annexæ ministerio spirituali diuini cultus, aut sacrorum exhibitionis: etenim ad hoc potissimè, & primariò institutæ sunt; ergo laici non poterunt eas percipere, aut exigere.

Quod si dicatur; argumentum procedere de iure decimarum formaliter cōsiderato, non verò materialiter, vt infra dicemus.

Contra tertio arguitur. Decimæ ex sua primæua institutione, & populi Christiani cōsensu, & applausu sancitæ fuêre in stipendiū ministrorū Ecclesiasticorum ꝓ functionibus sacris, quas erga populū Christianū exercent: ergo nullus Ecclesiæ Prælatus poterit aliorsū diuertere, & in alios vsus applicare: tū quia tolleret decimarū finē, & institutionē: tū quia cōtrairet voluntati populi, qui sub ea conditione earum institutioni annuit antiquitus: & postea eadē subintellecta cōditione eas persoluit: ergo nisi illa conditio adsit, non poterunt decimæ ab aliquo possideri: cū conditionales vel causales donationes nō valeant, nisi cōditione impleta: vt patet ex iure ciuili C. *de donationibus*

nationibus, q̃ sub modo, vel sub cõditione, &c. &
ex Canonico Can. *verum extra de cõditionibus*, *ap-*
positis. Quod si asseras decimarum ius in laicis e-
tiam seruare illũ finẽ, & respectũ stipẽdij, ꝓ mini-
stris sacris. Certè nõ apparet, quo modo possit à
laicis possideri, q̃a incapaces sũt iuris spiritualis.
Num. 18. *Quarto*. In populo Hebræorũ nullus nisi Leuitæ
poterãt retinere ius decimarũ, vt patet *Nu.* 18. &
alijs in locis, vbi decimæ illis adiudicatæ sunt: er-
go in populo Christiano idẽ ius nequaquam ad
Laicos pertinere potest: quia nobilius & spiritu-
alius est in nostris clericis, quàm in Leuitis.

Pro parte affirmatiua facit q̃ plures laicos maxi-
mè Reges, Principesq; decimas possidere ferè in
toto orbe in Hispania, Gallia, Burgũdia, Alema-
nia, quos omnes dãnare temerarium esset: maxi-
mè eos q ex beneficio, & priuilegio Pontificis
decimas obtinent, vt Rex Hispaniæ tertias deci-
marũ, & in Regno Granatẽsi, omnes decimas, &
omnes equites militiarũ, quos Hispano sermo-
ne vocamus *Comẽdadores*, & alij decimas possidẽt.

4 Frater Emanuel Rodriguez Franciscanus, ac
Ema. Ro. vir doctus *tom. 2. quæst. regu. ar.* 3. miratur quo mo-
dò hæc disputatio multis negotium facessiuit, q̃
ipse existimat solutu facilẽ, ac tandẽ asserit falsũ
esse id, quo Autores cespitant in hac cõtrouersia,
videlicet laicos esse incapaces iuris spiritualis ca-
pessendi, ac ꝓinde iuris decimarũ: & pro se citat
Rebuf. *de decimis q.* 3. *n.* 100. Sed quidquid sit de a-
lijs iuribus spiritualibus, negari nõ potest ius de-
cimarũ collatum ꝓ ministerio spirituali catechi-
zandi, ac sacramẽta ministrandi esse incõmuni-
cabile laicis, sicut & quælibet beneficia Ecclesia-
stica: quare hac via nõ euaditur difficultas ꝓpo-
sita. Mitto modo D. Th. asserentẽ in *hoc articulo*,
& *quodlib. citato*, ius decimarũ esse spirituale, eo ꝙ
debetur ꝓpter ministeriũ altaris, & spiritualiũ, ac
ꝓinde solis clericis curã animarũ habẽtibus con-
ueniẽs: omnes itẽ ferè Doctores Canonistas idẽ
fere sentire notat Couar. lib. 1. Var. c. 19. num. 5.
Couar. Pro decisione huius dubitationis *præmittenda est*
5 distinctio D. Th. nomine decimarũ posse intelli-
gi ipsos fructus decimales, & ius exigendi, & per-
cipiendi eos. *Secundo*. Id ipsum ius potest cõside-
rari formaliter, ac materialiter. Ius exigendi, &
percipiendi decimas formale est: ius exigendi: &
ꝑcipiendi decimas ꝓpter Ecclesiasticũ mun⁹, aut
officiũ ꝙ quis exercet in Parochia: cui præest, vo-
catur autem formale hoc ius, quia decimæ ex sua
primæua, & principali institutione in stipendiũ
harũ functionũ institutæ sunt, vt vidimus supe-
rius. Materialiter vero cõsideratur illud ius quã-
do decimæ exiguntur, & possidentur propter a-
liꝙ corporale, aut nõ spirituale munus, putà ꝓ
reb⁹ in fauorẽ Ecclesiæ gestis, aut gerẽdis, ꝓ pau-
pertate aliquorũ subleuanda. Vocatur autem ius
materiale exigendi decimas, quia in eo nõ inclu-
ditur respectus ad aliquod officium spirituale,
propter quod præcipuè decimæ institutæ sunt.

His præmissis, *primo assero*. Ipsos decimales fru-
6 ctus laici quiq; possidere possunt emptione, do-
natione, vel alio licito cõtractu. Hæc res nõ indi-
get aliqua probatione præter Ecclesiæ praxim, &
quia sub hac cõsideratione nihil spiritualitatis
habent, magis quàm fructus laicales.

Secundo assero. Laici nequaquam possunt deti-
nere, aut capere decimas, id est, ius formale eas
exigendi, aut possidendi, quia ius hoc formaliter
consideratũ, sacrũ est, ac merè spirituale, cuius
sunt laici incapaces. *Probatur argumentis factis* in
principio ꝓ parte negatiua. Hanc assertionẽ in-
telligo esse veram nõ solũ secũdum *Canonicũ* ius,
verum & secundum naturale fundatũ in naturali
ratione supposita institutione decimarũ, ita vt ꝑ
nullam ꝑscriptionẽ, vel humanam cõcessionem
mutari possit. *Probat.* quia ratio naturalis dictat,
neminẽ esse capacẽ stipẽdij, q nõ est capax mini-
sterij, cui stipẽdiũ respõdet: sed laici iure diuino
sunt incapaces spiritualis ministerij, vt cõstat in
iure: ergo sunt incapaces decimarum formaliter
loquendo. Ex hoc asserto *infertur* eos laicos qui
hoc ius vsurpant, aut vsurpare intẽdunt nõ tantũ
iniustos, verum & sacrilegos esse, vt testatur Gre-
gor. 16. q. 7. Can. *decimas*, & in 1. c. stabilitur no-
strũ assertum. *Infertur etiam ius* decimarũ nequa-
quam vẽdi, aut emi posse sine simoniæ labe: imò
neq; cõmutari ꝓ aliquo tẽporali, vt ait Alexand.
III. in Concilio Latera. *parte* 4 *c.* 1. Insuper neq;
decimas accipere, & exigere quoquo modò à lai-
cis posse præscribi, aut consuetudine obtineri. Ita
in capit. *causam quæ*, de præscriptionibus.

Tertio assero. Laici multis vijs possibilibus ac li-
citis possunt obtinere, & de facto obtinuerũt de- 7
cimas, id est ius exigendi, ac recipiendi eas, mate-
rialiter tamen consideratum.

Prima via est, titulo locationis, aut cõductionis:
etenim potest ius Ecclesiasticum ꝙ habet Præses
Ecclesiæ ad decimas laico locare, & laicũ eodem
iure Ecclesiastico cõducere. *Probat*, ex c. *vestra*, de
locato & cõducto. Aduertendum tamen, talem
locationẽ, si fiat in perpetuum nõ esse licitã, neq;
validã, vt tradit Syluester, verbo, *decima n.* 16. & Syluest.
alij. Sed de hoc latius infra.

Secunda via, qua laicis cõcedi possunt decimæ,
& ius exigẽdi eas, est, ꝑ concessionẽ, aut priuile-
giũ Ecclesiæ ad tẽpus, vel in perpetuũ, ꝓpter bo-
num aliquod in Ecclesiã redundãs. Quis autem
hoc priuilegium largiri possit in dubitatione se-
quẽti, & quo modo hoc fieri potest, in argumen-
torũ solutionibus dicetur. *Explicatur quod dicimus*.
Si quis laicus sit de Ecclesia Dei benemerit⁹, putà
quia Ecclesias Catholicorũ ab hæreticis defẽde-
rit, Christianorũ Prouincias à Saracenorũ ma-
nib⁹, & potestate eripuerit, aut bellum fœliciter
cõtra paganos suis sumptibus gesserit, solet à Põ-
tificib⁹ iure decimarũ accipiendarũ donari: &
hoc modo Romani Pontificis beneficio multæ
decimæ Imperatoribus, Regibus, Principib⁹, a-
lijsq; ꝓceribus donatæ sunt. Itẽ interdũ donatæ
sunt ꝓ pauperibus alẽdis, & pro Religiosis: tum
quia pauperes: tũ quia Ecclesiæ Dei vtiles sunt:
vt notat D. Th. ad tertium. *Tertia via*, per conces-
sionem Ecclesiæ in feudum perpetuum: cuius-
modi concessiones multæ reperiuntur: & talem
esse censeo eã, qua milites ordinum militarium,
quos vulgus Hispanum *Commendadores* vocat,
exigunt, & recipiunt decimas, hac scilicet feudali
conditione, vt parati sint eas Prouincias, à qui-
bus decimas exigunt, ab hostibus, maximè à Sar-
racenorum incursibus defendere.

8 Ad argumenta posita in principio respondetur. *Ad primum*, illa iura esse intelligenda de iure exigendi & possidédi decimas formaliter: idest, ea ratione, qua spirituale est, & annexum officio spirituali ministrorum Ecclesiasticorum: cuius iam diximus laicos esse incapaces. Cæterũ quando laicis cõmunicatur ius exigẽdi decimas, nõ esse illud ius spirituale, quod reperitur in ministris sacris, sed alterius rationis, quod vocabimus ius decimarum materiale: pariter & eodem modo, *respondetur ad secundum* cum sua confirmatione.

Ad tertium argumentum negatur consequentia. Ad primam probationem respondetur, iustis de
9 causis posse Ecclesiam decimarum finem præcipuum suspendere, & in alium finem earum vsum retorquere, dissociando scilicet, & separando à decimis illum ordinem ad alendos Ecclesiæ ministros, quia ista antiqua decimarum deputatio pro ministris sacris ex iure positiuo, & per Ecclesiæ voluntatem facta est: vnde non mirum si per idem ius, & eandem voluntatem dissociatio, & separatio ab eodem fine fiat, & alteri temporali deputetur. Exemplũ simile est in pensionibus pro titulo temporali, quæ à beneficijs dissociantur; & in beneficijs pro Doctoribus, & Cantoribus, quæ designantur pro officijs temporalibus.

Hinc poteris percipere, quare mediante Summi Pontificis concessione valeant laici decimas percipere, aut retinere: non autem præscriptione mediante, vt diximus supra. *Ratio discriminis est*, quia priuilegium, aut concessio Pontificis, mediante eius voluntate, concedendo laicis decimas eas dissociat à fine, quem à principio & absolutè decimæ habuerunt, & eas destinat pro alijs ministris profanis. At præscriptio non potest hanc dissociationem facere, sed decimæ in sua priori institutione manent, idest in iure spirituali, quod includunt. cuius laici non sunt capaces: atque adeò præscriptionis tempus, ergo ipsos, vtpote incapaces nihil operatur, de quo cito latius.

Ad secundam probationem consequentiæ. respondetur, primò. Esto decimas populus obtulerit clericis præstandas eo animo, vt essent stipendia sacrarum functionum: tamen totam distributionem, & in quos vsus secundariò essent applicandæ Ecclesiasticis prælatis reliquit. *Secundo respondetur*, decimarum institutionem non eguisse consensu plebis, sed velint nolint, poterunt Pastores Ecclesiæ condere legem iustissimam de decimis præstandis, primò & principaliter pro sustentatione clericorum, secundariò pro alijs pijs vsibus, ac denique pro vt benè visum fuisset Episcopis, & alijs Ecclesiæ prælatis.

Ad quartum nego consequentiam, eo quod decimæ veteris legis diuina iussione Leuitis sint
10 applicatæ, & nullo modo alijs: in diuinis autem præceptis nequit Ecclesia vel apicem immutare, at vero decimæ legis nouæ institutæ sunt humano iure. vnde per humanam potestatem huic, vel illi vsui adaptari possunt.

Sed adhuc explicatione eget, quo modo decimarum ius communicari possit laicis. Quidam vt Frater Emanuel præfatus, dicunt eo quod decimæ, cum etiam pro pauperibus institutæ sint, quando laicis dantur, vt pauperibus dantur. Hæc solutio in duobus deficit. *Primo*, quia sæpè diuitibus ius decimarum confertur, imò omnes ferè concessiones decimarũ, quarum memoria extat Regibus, & viris primarijs, qui abundant diuitijs factæ sunt. *Secundo*, quia estò decimæ institutæ sunt pro pauperibus, secundario & minus principaliter: primario tamen & principaliter pro ministerio sacrorum, quod Ecclesiastici exhibent populo, & inde accipit illud ius decimarum suam spiritualitatem, quare adhuc restat explicandum quomodo spirituale cum sit, possit laicis communicari.

Igitur *respondetur primo*. Quando ex Eccle-
siæ concessione aliquis laicus habet ius exigendi, 11
& accipiendi decimas: ius spirituale decimarum retinetur ab Ecclesia, siue Ecclesiæ ministris: & laici vice, & nomine eorum decimas exigunt & recipiunt: sicut œconomi Episcoporum, nomine eorum decimas colligunt, ita D. Thom. ad tertium. Et quidem quando laici accipiunt decimas ex conductione, aut in feudum, clarum est quod dicimus: quia in conductione dominium illius iuris apud ministros Ecclesiæ locantes manet, & solum fructus eius apud laicum conductorem: & quando dantur decimæ laico in feudum, dominium directum manet apud ministrum Ecclesiæ, vtilè verò apud laicum feudatarium.

Eodem modo poterimus philosophari, quãdo decimæ exhibentur laico propter obsequiũ Ecclesiæ præstitum, aut præstandum, dominium directum illius iuris manere apud Ecclesiæ ministros dantes decimas, vtile verò dominium, id est, fructus illius iuris, esse apud laicum, qui nomine & vice Ecclesiæ illas decimas exigit, & percipit. Huius signum est, quia si fortè aliquando laicus huiusmodi decimas retinens cadat à tali priuilegio, aut talẽ concessionem perdat: is minister Ecclesiæ ad quem aliàs de iure spectabat eas decimas percipere, fruetur decimis sine noua institutione, aut nouo iure. Ex quo apertè colligitur non abdicasse à se illud antiquũ ius, sed retinuisse, & dũtaxat laico cõcessũ fuisse, vt nomine Ecclesiæ, & ministrorum eius fructus decimales exigeret, ac perciperet.

Sex autem modis contingit laicos talia priui-
legia, aut concessiones perdere. *Primo* si abutãtur 12
priuilegio, vt Ecclesiam impugnando. 11.q.3.c. *priuilegiũ*, & 63.§.*verũ*. & argumentũ de donationibus c.vlt. vel si laicus non facit id ꝓpter q̃ decimæ sunt eis concessæ, extra de donationibus c. *cũ dilectus*, & extra de cõditionibus appos. c. *verũ*. Secundo, si prædicti laici non vtãtur priuilegio suo sustinentes Ecclesiã, ad q̃ decimæ spectant percipere eas per triginta annos, extra de priuil. c. *si de terra*. Tertio, si priuilegio tali laicorũ valdè lædatur ius Ecclesiæ Parochialis: nã quãdo priuilegiũ incipit esse valdè præiudiciale, reuocatur, extra de decimis c. *suggestum*. Quartò, quãdo priuilegiati renunciant expressè priuilegio suo, extra de reg. §. *statuimus*, & 7.q.1.c. *quam periculosum*

Quintò.

Quintò quando laici priuilegiati intercedente autoritate, & consensu Episcopi ius suum contulerunt alicui loco religioso, vel Ecclesiæ extra de his, quæ fiunt à Prælato c. *cum Apostolica* & 16. q. 1. Can. *quoniam quidquid*. Sexto, si priuilegiati aliquod enorme delictum contra Ecclesiam commiserint, cuius decimas habebant, vel feudum: vt vel occidendo, vel mutilando Prælatum vel Rectorem Clericum, extra de pœnis cap. *in quibusdam*, & extra de priuilegijs cap. *ad curas* & 32. q. 5. Can. *ita nos*.

Secundo respond. & explicatur concedendo, laicos habentes decimas ex concessione Ecclesiæ
13 habere ius aliq. exigẽdi & accipiẽdi eas: est tamẽ ius alteri' rationis ab eo, quod ministri Ecclesiæ habent ad eas exigendas, & possidendas: etenim hoc est annexum sacris ministerijs, ac proinde spirituale, cuius laici sunt incapaces: illud verò est annexum alicui ministerio temporali, ac proinde temporale, & non sacrum, cuius capaces sunt laici. In locatione quidem datur conductori ius ad decimas ratione pretij exhibiti, quo locati sunt & conducti fructus decimarum: quando autem quis laicus ratione feudi accipit decimas, habet ius ad illas ratione seruitij præstandi Ecclesiæ, quæ dedit decimas in feudum, quod seruitium iura homagium appellant: quando autem ex concessione absoluta, aut donatione decimæ laico conceduntur ab Ecclesia, habet ius ad illas ratione obsequij præstiti, aut præstandi, vt exposuimus circa tertium modum seu viam, qua laicis decimæ conceduntur.

Itaque in his casibus ius habent exigendi, & accipiendi decimas, sed temporale, vt pote annexum officio temporali, instar eius iuris, quo percipit quispiam certi beneficij fructus annuos ob laborem, & operam, quam impendit in Ecclesiæ Cathedralis Clericis cantu, aut Latinis literis instituendis: quod ius non est beneficium, neque ius spirituale, eo quod eius beneficij fructus nequaquam accipit ministerij Ecclesiastici causa: quapropter sicut ius patronatus habere potest laicus, sed non nisi Ecclesiæ concessione: ita ius decimæ aliquo modo potest esse penes laicum, at non sine Ecclesiæ autoritate atque consensu.

DISPVTATIO VIII.

Quisnam possit laicis concedere decimas, id est ius illud materiale decimas accipiendi?

1 IAM diximus formale non esse concessibile ab vlla humana potestate: & à certioribus incipientes.

Dico primo. Principes seculares etiam Imperatores, neque possunt alijs concedere decimas, neque sibi retinere propria autoritate: quo fit, vt si id faciant, res Ecclesiæ rapiunt, & restituere tenentur ac varias censuras incurrunt. *Probatur* ex omnibus titulis de reb. Eccles. non alienandis, & cap. *prohibemus*, & cap. *tua*, 1. de decimis & in Bulla Cœnæ, clausula 17.

Dico secundo. Indubitatum est Sũmum Põtificem habere hanc potestatem. *Probatur*, quia tales concessiones seu dationes possibiles sunt, vt ostẽdi disputatione præcedenti, propter bonos fines concernentes gubernationem bonam Ecclesiæ: sed in his Summus Præsul habet supremam potestatem: ergo. *Secundo* ex vsu id constat, cum videamus Summos Pontifices hac fuisse vsos potestate ac concessisse multis hoc decimarum ius, vt tradunt latè Couar. *lib. practic. quæst. cap. 35.* Rebufus *quæst. 10. de decimis.* Quomodo autem id debeat fieri, aliquibus iustis de causis, vidimus supra, & latius post finẽ art. 4. agentes de priuilegiatis circa decimas. 2 Couarr. Rebuf.

Dico tertio. Attenta potestate ordinaria Prælatorum Ecclesiasticorum, & seclusa prohibitione non solum Pontifex Summus, verum etiam alij Episcopi singuli in suis diœcesibus possunt propter vrgentes causas, verbi gratia, propter magnum obsequium Ecclesiæ præstitum eam à tyranno defendendo, vel propter aliud simile concedere laicis decimas, vel ad tempus, vel in perpetuum, siue sit sermo de concessione per viam locationis, siue per concessionem remuneratiuã siue feudalem: Ita ex multorum relatorum sententia tenet Couar. *dicto cap. 17. num. 5.* & ratione cõfirmatur. Quia quiuis Episcopus potestate ordinaria potest in suo Episcopatu, quidquid potest Pontifex in tota Ecclesia, præter diffiniendi res fidei facultatem, & nisi prohibeatur: sed concessionem præfatam decimarum potest Sũmus Põtifex conferre laicis, vt dixi in præcedenti dicto: ergo, &c. Videatur Felinus in capit. *qua in Ecclesiarum*, de constitu. numer. 69. §. quinta declaratio. 3 Felin.

Dico quarto. Modò nostro seculo, & multis retro tẽporibus prohibitæ sunt & inualidatæ omnes concessiones decimarum in feudum perpetuum laicis concessæ sine Summi Pontificis autoritate: ita tenent communiter omnes Doctores Theologi & Iurisperiti. 4

Sed quando & quomodo lata fuerit hæc prohibitio, & coarctatio autoritatis Episcoporum res valde dubia, & inter Doctores maximè Iurisperitos controuersa. Multi inter quos Couarru. *dicto num. 5.* quem sequitur Aragon Theologus *secunda secundæ, quæst. 87. art. hoc 3.* censent hãc prohibitionem incœpisse à tempore Concilij Lateranensis sub Alexandro III. Alij verò antiquiorem esse, imò nullam inueniri specialiter ab Alexandro III. factam. Ita multi præcipuè Rebuf. *quæstione 10. a num. 11.* Sed diligentia Rebufi hanc eius sententiam veriorem esse ostendam, nam in in cap. *prohibemus* de decimis ex Concilio Lateranensi, sub Alexandro III. part. 1. cap. 14. in fine sic dicitur: *Prohibemus, ne laici decimas cum animarum suarum periculo detinentes in alios laicos possint aliquo modo transferre, si quis verò acceperit, & Ecclesiæ non reddiderit, Christiana sepultura priuetur.* Quæ verba, si attente considerentur, non continent prohibitionem vniuersalem simpliciter, nec ad Episcopos directè spectat, vt non possint decimas in feudum concedere, sicut antea poterant, quia nulla mentio Couarr. Aragon. Rebuf.

Episco-

Episcoporum ibi fit, sed prohibitio directè ad laicos tendit, & non ad omnes indiscriminatim, sed ad eos, qui decimas detinent illicitè, & ait Rebufus: *Quia illas de manu Principum secularium acceperunt, præsertim cuiusdam Regis Franciæ, & non de manu Episcoporũ: vel quia acceperũt ab illis, qui dare non poterant, quicunque sint illi: hi enim qui decimas sic receperant, eas retinere non poterant, & in malo statu erant eas occupando, iuxta c.2. de rebus Ecclesiæ nõ alienandis.* Vnde etiam sine prohibitione noua Cõcilij Lateranensis eas non poterant transferre in alios, sed tenebantur statim eas Ecclesiæ restituere.

Sed dices. Concilium non iubet eas statim restituere, sed duntaxat, ne possint in alios laicos *transferre. Respondetur.* Iustis de causis, & fortasse ad vitanda scandala noluit Synodus eos cogere restituere per Ecclesiasticam suam iussionem, sed solùm prohibere, ne illas in alios transferrent, vt saltem per mortem eorum ad Ecclesiã redirent: nec tamen propterea eis concessit, vt licite in vita retinerent, quæ malè acceperant, sed in hoc permissiue se habuit, vt benè notauit Rebufus, num.22.

5 *Ex dictis sequitur,* in illis verbis Concilij nullam fuisse factam prohibitionem Episcopis, ne decimas dare possint in feudum perpetuum, vnde si antea licebat, nihil circa hoc videtur innouasse Concilium, & consequenter nec prohibuisse, quin in posterum Episcoporum etiam autoritate similia fieri posset: alibi ergo quærẽda est ꝓhibitio vniuersalis, quæ etiã dirigatur ad Episcopos: & videtur fuisse factam ab Vrbano II. vt refertur in lege de vsibus feudorum sub Rubricis Episcopum, vel Abbatem, vbi sic dicitur: *Item si Episcopus vel Abbas, vel Abbatissa, vel Dominus plebis feudum dederit de rebus Ecclesiarum, quæ ei subiectæ sunt, & tituli vocantur, nullum habere vigorem, secundum hoc quod constitutum est à Papa Vrbano in sancta Synodo, hoc est illud quod post eius decretum fuerit datum: quod autem ante fuerit datum firmiter permanere debere*: fuit autẽ illud decretum editum ab Vrbano in Concilio Turonico, *anno* 906. vt ex Archidiacono, & Hẽrico refert Rebufus numer. 23. qui inde colligit prohibitionem illam factam esse Episcopis ante Alexandrum III.

Rebuf.

6 Sed in verbis relatis ex Rubricis citatis *primo aduertendum*, quod licet ibi absolutè fiat sermo de feudorum prohibitione, siue illa sint temporanea, siue perpetua, sunt tamen intelligẽda de perpetuis, quia illa sunt absolutè & simpliciter talia, & lex illa rigorosa restrictè intelligẽda venit. Secundo, ibi sermonem fieri de feudis concessis, siue laicis, siue Ecclesiasticis, sed tamen communiter, & præcipuè de feudis concessis laicis intelligitur. Igitur in Cõc. Lateran. sub Alexãdro III. videtur hæc ꝓhibitio potius supponi, q̃ de nouo fieri, vt patet ex dicto cap. *prohibemus*, *& ex ca. quãuis* de decimis. Quod etiam ex Alexandro refertur, in dicto Concilio non inuenitur, sed ante illud fuisse ab Alexandro editum Rebuf. insinuat: in illo ergo textu grauiter conqueritur Alexander, quod cum laicis non liceat decimas Ecclesiarum tenere, nonnulli Prælati Ecclesias eas illis conferunt, & ideò suspensionis pœna imponitur ei, qui alicui laico in seculo remanenti Ecclesiam, decimam, oblationemque cõcesserit: quod de decimis quoad feudum perpetuum glossa exponit ibi, & colligitur etiam ex capit. *ad hæc* eodem titulo, vbi dicitur non licere laicis ita decimas possidere, vt iure hæreditario illas ad hæredes transmittant: & cap. *cum Apostolica.* de his, quę fiunt à Prælatis, &c. in fine, de feudo perpetuo expresse loquitur: vnde per argumentum à contrario glossa & Doctores colligunt, concessionem decimarum non perpetuam, nec ad posteros transfundendam non esse illo iure prohibitam: habetur autem illud ius in dicto Concil. Lateranen. sub Alexandro III. *part.* 50. *cap.* 39. Ex dictis probatur nostra assertio, siue illa prohibitio incœperit à Concil. Lateranen. siue à Concilio Turonensi, sub Vrbano II. quod videtur probabilius.

Ex his infertur corollarium, concessiones factas ab Episcopis ante hanc prohibitionem firmas permansisse, & vsque nunc permanere, sed factas post illam prohibitionem irritas esse & nullius valoris. 7

An verò illarum tempus computandum sit à tempore Alexandri III. vel Vrbani II. dignum est scitu, & pro praxi valde necessarium, & videtur esse computandum à tempore Vrbani II. si verum est ab eo tempore incœpisse præfatam prohibitionem, & inualidationem: & in dicta Rubrica de vsibus feudorum: ita deciditur, quæ habet autoritatem teste Ioanne Andrea & alijs ibi, & ita tenet Hostiensis in summa. Hostiens.

Sed oppositum dicitur, imò & supponitur in cap. 2. §. *sane de decimis in* 6. nam ibi dicitur concessiones decimarum factas ante Concilium Lateranense posse ab eisdem laicis Ecclesiæ, vel alicui Religioni tribui de licentia Episcopi: vnde supponitur ibi licitè detineri à laicis nunc, quæ factæ sunt post Concilium Turonense, & ante Concilium Lateranen. quod indubitatum censet Couarru. citatus, & communiter tenetur, vt ait Sylucster: ex quo. §. non mediocre sumitur argumentum ad probandum prohibitionem eam incœpisse in Concilio Lateranensi, non in Turonico. Sed quidquid de antiquitate prohibitionis sit, in praxi standum est decisioni factæ in dicto. §. *sanè*, & ad illam declarationem factam in tit. de vsibus feudorum, *respondetur*, eam extensam fuisse vsque ad tempus Concilij Lateranensis, siuè hoc sit factum consuetudine, & quasi præscriptione, siue expressa eiusdem Concilij Lateranensis indulgentia propter aliquas causas iustas, siue vt ait Syluester, verbo *decima*, quæstione 10. quia credit tempore Vrbani omnes, vel ferè omnes, qui iniustè decimas possidebant, eas restituisse Ecclesiæ: & ideò præsumitur omnes decimarum concessiones, quas laici ante habuerant, & vsque ad Concil. Lateranen. ab eis retentæ fuerunt, licitas fuisse.

Quod si aliquis sciscitetur, an laici, qui decimas posident, censendi sint eas habere titulo feudi ante Concil. Lateran. vel post illud? Aliqui vt Abu- 8

Abulens. vt Abulensis *super cap.23. Matth, quæst* 178. aiunt q; si laicus non ostendit priuilegium, siue concessionem Ecclesiæ nulla temporis diuturnitate iuuatur: maximè quia in decimis, vt dictum est, locum non habet præscriptio, aut consuetudo etiam longissimi temporis: & in hoc casu non pôtest probari titulus acquisitus ante Concilium præfatum sine titulo, aut non procedit præscriptio. Hanc sententiam videntur tenuisse Hostiens. vt refert Ioannes Andreas in capit. *cum Apostolica* de his, quæ fiunt à prælatis. & Archidia. & Ioannes Monachus *in cap.2. de decim. lib.6.*

Andreas. Monach.

Opposita tamen sententia communior & verior est, considerandam scilicet esse antiquitatem possessionis, q̃ si immemorabilis temporis fuerit, magnam præsumptionem inducit, ac sufficientem probationem tituli ante Concil. Lateranen. acquisiti: quod in specie expresse tradidere Ioannes Andreas, Antonius Cardinalis, & Imola in capit. *cum Apostolica*: & Ancharranus, & Cardinalis in capit. *causam quæ*, & alij multi, quos refert & sequitur Couarru. vbi supra. Addit tamen contra Abbatem in capit. *Apostolica*, & alios, non esse necessarium probationem famæ, ex qua deducatur has decimas ante Concil. Lateranen. fuisse cõcessas, satis enim est possessionẽ probari eius temporis, cuius initium memoriam hominum excedit: illud tamen fortasse requiritur, quod saltem ex fama constet laicos eas decimas titulo feudi possedisse, & antiquitas possessionis inducit præsumptionem, quod ille titulus feudi licitus fuit, nempe ante Concilium Lateranen. acquisitus, quod ego verum existimo. An verò laici possidendi decimas expoliati, & agentes interdicto recuperandæ, sint ante omnia restituendi? quæstio est satis controuersa inter Iurisperitos, quam discutiendam ab eis, vt alienam à Theologo relinquo, cupidus poterit videre Couarru. vbi supra, & Gutierrez à numer. 72. vsque 77.

Cardina. Imola. Anchar.

Gutier.

9 *Dico vltimo*. Etiam post prohibitionem, relatã, siue ab Vrbano, siue ab Alexandro Prælati inferiores Summo Pontifice, imò & Ecclesiarum parochi, vel quiuis alij habentes legitimum ius ad capiendas decimas possunt propria autoritate concedere laicis ius decimarum ad breue tempus. Probatur ex prima Clementina *de rebus Ecclesiæ non alienandis, in fine*, vbi id expresse conceditur de locatione, ac venditione: & eadem ratio est de quolibet alio iusto contractu, vel in se, vel quia iure Canonico non est prohibitus: est autem prohibitus omnis per quem iura Ecclesiæ siue bona immobilia ad alios transferuntur: & ideo quando locatio est perpetua, seu ad longum tempus, reputatur alienatio, ac propterea dixi in asserto, posse fieri ad breue tempus.

Quod autem dicatur longum tempus, communiter Doctores dicunt esse decennium: nam infra illud ex iure communi tempus reputatur breue, vt de septennio habetur capit. vltimo. ne Prælati vices suas, & notat glossa in dicta Clementina prima: at verò Paulus secundus in extrauaganti *ambitiose* de rebus Ecclesiæ non alienandis, hoc tempus contraxit ad triennium, & irritauit omnem locationem, aut venditionem longioris temporis. Sed notat Caiet. verbo *excõmunicatio*, & Nauarrus in Manuali, cap.27. num. 149. multis in locis non esse receptam extrauagantem, saltem quoad annexas pœnas, sed seruanda vbi non fuerit contraria consuetudine abrogata. Nauar.

10 *Sed rogas*, an iure communi Episcopus laico decimas dare possit ex iusta causa, vel eas locare, vel vendere ad vitam ipsius laici? id concedit glossa in capit. *quamuis* de decimis, quia vita hominis cum sit dubia, tanquam tempus modicum reputari debet: & idem diceret de vita ipsius Episcopi, vel parochi. *Opposita tamen sententia* verior est, tradita ab Abbate in eodem capit. *quamuis* quia vita hominis ad multum tempus protendi potest.

11 *Sed contra* hoc extat vsus receptus in Ecclesia conducendi laicos in Cantores, pulsatores organorum Magistrorum Grammaticæ edocendę in stipendium dando illis ad vitam certam partem decimarum, putà octauã, aut nonam: ergo idem erit de locatione decimarum. Negatur cõsequentia, quia per locationem intelligitur locans alienare bona, saltem quoad dominium vtile, quando fit per longum tempus: omnis autem alienatio bonorum Ecclesiæ prohibita est, in conductione autem operarum alicuius non sic, sed potius Ecclesia quasi emit alterius operas, quod non est prohibitum, etiã ad longum tempus, dat autem in stipendium partem aliquam decimarum, non quasi alienans ius, sed quasi soluens in fructibus collectis, & seperatis à iure decimarum operas laici stipendiati.

12 *Et aduerte*, has prohibitiones non solùm erga laicos, verum etiam erga clericos intelligi debere. Demum notare oportet quæ nouissime Synodus Tridẽtina *Sessio.25. c.11. de reformatione* statuit dicens: locationes vero rerum Ecclesiasticarũ, etiã autoritate Apostolica cõfirmatas sancta Synodus irritas decernit quas à triginta annis citra ad longum tempus, seu vt in nonnullis partibus ad viginti nouem, seu bis viginti nouem annos vocant factas, Synodus prouincialis, vel deputandi ab ea in damnum Ecclesiæ, & contra Canonicas sanctiones cõtracta fuisse iudicabũt.

DISPVTATIO IX

Vtrum laici, qui licitè retinent decimas in feudum perpetuũ, vel quia per feudum iustũ ante Concilium Lateranense, vel à Papa concessum, possint iustè, ac licitè in alios laicos illas transferre?

1 DIXI, qui licitè retinent decimas, nam si iniustè detinent, certum est ex omnium Doctorum sententia, non posse

posse eas trásferre in alium laicum, etiam interueniente autoritate, & consensu Episcopi: & habetur apertè cap. *cum Apost.* de his quæ à prælatis fiunt, &c. *prohibemus*, &c. *ad hæc*.

Circa hanc disputationem duas reperio sententias. *Prima asserens* laicos nequaquã posse transmittere in alios laicos eas decimas, quas licitè possident, etiam de consensu Episcopi: ita Abbas in capit. *prohibemus*, de decimis: & dicit esse communem sententiam Doctorum, quam tenet etiam Hostiensis, in dicto cap. *cum Apost.* Archidiaconus in capit. 2. de decimis in 6. & Ioannes Monachus ibidem & Rebufus, quæst. 10. à num. 26: fundatur in prohibitione capituli, *prohibemus*, & in cap. *quamuis*, de decimis, vbi generaliter prohibetur omnis translatio decimarum in laicos feudo perpetuo: quare capitulum, *prohibemus*, licet non ita vniuersaliter loquatur extendẽdum est, & declarandum per capitulum *graue nimis*, quod est Alexandri III. sicut capitulum *prohibemus* Concilij Lateranensis, sub eodem Alexandro.

Abbas. Host. Archid. Monach. Reb.

2 *Secunda* sententia tenet, id posse fieri, saltem de Episcopi consensu: ita Glossa in dicto cap. *prohibemus*, quam sequitur Cardinalis ibi, & Syluester num. 26. cum Raymundo summa confessorum, & Pisana, & idem tenet Ioannes Andreas *in cap. 1. de præscriptione in 6.* & hanc opinionem præualuisse in consuetudine ait Felinus in cap. *quæ in Ecclesiarum*. de constitutionibus num. 69. & in cap: *causam*, eodẽ titul. num. 4. & Couarru. vbi supra numer. 8. § præter hæc, & probant ex dicto cap. *prohibemus*, vbi non prohibetur generaliter, ne laici decimas in alios laicos transferant, sed sub coarctatione, ne laici decimas cum animarum suarum periculo retinentes, in alios laicos transmittant: quæ prohibitio non dirigitur ad omnes laicos tenentes decimas in feudum, sed duntaxat ad eos qui iniustè detinent. *Confirmatur ratione*, quia ex dictis Pontificum, quæ citauimus in præcedenti disputatione, habetur, feudum decimarum concessum ante Concilium Lateranense, in suo robore parmansisse, ac consequenter cum eisdem conditionibus, & qualitatibus, vt antea erat: sed antea erat perpetuum: ergo & modò: tunc sic, si non posset transferri saltem in hæredes necessarios, non posset dici perpetuum, sed vitalitium: ergo adhuc post illã prohibitionem potest in alios transferri laicos.

Syluest.

3 *Ista secunda sententia* mihi visa est probabilior, præcipuè quia capitulum, *prohibemus*, allegatum pro prima sententia non prohibet omnem translationem feudorum in laicos, sed eam duntaxat, quæ est feudorum illicitè à laicis occupatorum, capitulum autem, *quamuis graue nimis*, licet inuehatur in Ecclesiasticos, concedentes feuda bonorum Ecclesiasticorum laicis, intelligendus tamen venit de feudis illicitis, vel post Concilium Lateranense concessis: quando igitur feuda licitè retinentur à laicis, cùm non videam ius prohibens eam translationem in eam sententiam inclino, vt possit talis translatio licitè fieri, saltem de consensu Episcopi.

Confirm. quia cum transfertur feudum licitum adhuc in suo esse permanens, reuera nõ erigitur de nouo: ergo non comprehenditur hæc translatio sub prohibitione Vrbani, & Concilij Lateranensis: ergo feudatarius potest de eo disponere, sicut poterat ante latas leges ab illis Põtificibus & Concilio: ergo consentiente Episcopo feudatarius potest illud transferre in alium, etiam laicum. *Confirmatur secundo*, quia decimæ licitè infeudatæ, vel per Romanum Pontificem, vel per ius antiquius Concilio Lateranensi, non sunt sub dominio vtili Ecclesiæ, sed solùm sub directo: ergo per translationem illam non magis alienantur ab Ecclesia, quàm antea essent: ergo quantum adhoc non cadunt sub ꝓhibitione de non alienandis rebus Ecclesiæ sine consensu Episcopi: neque etiam cadunt sub prohibitione non dandi illa in feudum, vt enim dicebamus talis prohibitio circa feuda decimarum licita nullibi in toto iure habetur. Probatur denique hæc sententia ex praxi timoratorum, quos sæpe ad alios transmittere videmus huiuscemodi feuda.

Sed dubitas, an etiam post Concilium Lateranense, & Turonense possit Episcopus in alios transferre feudum perpetuum, quod vacauit per mortem feudatarij, qui decessit sine successoribus & sine eo quod feudum in alios transtulerit viuens. 4

Et videtur vera negatiua pars: nam illud feudum, eo ipso quod vacauit, ad Ecclesiam deuolutum est: ergo si denuò concedatur alicui laico necessaria est noua erectio, & concessio feudi: at hanc nequit efficere Episcopus, prohibentibus iuribus citatis ex Alexandro, & Vrbano: ergo.

In oppositum est Innocentius tertius in cap. 2. *de feudis*, vbi interrogatus ab Episcopo Mediolanensi, an cum contingit vasallum eius decedere, & ad feudum ipsius redire feudum eius, liceret alij dare, quamuis iuramento tenebatur adstrictus non infeudare de nouo, Romano Pontifice inconsulto: & respondet Pontifex Archiepiscopo, in eo casu feudum decedentis posse liberè Episcopum concedere, si ita viderit expedire. Quidam hoc argumento, & efficacia textus conuicti dicunt, id posse Episcopum: & ad argumentum factum pro parte negatiua respondent, illas decimas sic infeudatas non incorporari Ecclesiæ, quoad dominium vtile ipso facto per mortem vassalli, sed necessariã esse acceptationem Episcopi, vnde prius quam acceptet potest infeudare alteri: si autem semel eas decimas incorporauit, iam non poterit iuxta doctrinam Abbatis in capit. *vt super*. 5

Nihilominus non planè video dissolui argumentum: nam vacante feudo ius decimandi ad Ecclesiam reuertitur, siue acceptet Episcopus, siue non acceptet, vnde sine noua concessione, aut erectione non potest dari laico in feudum perpetuum. Quare nos negatiuam partem tenemus vt tutiorem, & consultiorem: vt ferè in simili casu dixit Cœlestinus III. in dicto capit. *vt super*. Et ad textum ex cap. 2. de feudis, *respond. primo*, eã eius texus prolationem potius esse indulgentiam factam Archiepiscopo Mediolanensi, quàm decisi-

decisionem vniuersalem; vt patet in simili casu proposito ibidem in tertio loco: *Secundo respondetur*. Cum ibi non dicatur, an liceat illud feudum concedere laico, an personæ Ecclesiasticæ, de cōcessione facienda Ecclesiasticis personis intelligenda est, ne Innocentius videatur derogare iuribus prohibentibus, vt post Concilium Lateranense, ius decimarum in perpetuum feudum ab alio, quàm à Summo Pontifice concedi non possit.

DISPVTATIO X.

An laici qui ab antiquo licitè retinent decimas in feudum perpetuum, siue propter ius antiquius Concilio Lateranensi, siue ex concessione Summi Pontificis possint iustè in alios, qui sint Ecclesiastici, transferre?

1 ET quidem ex communi omnium Doctorum sententia vera est pars affirmatiua, & maximè accedente consensu Episcopi eius diœcesis, ad quam pertinent decimæ: Ita habetur expresse in cap. *cum Apostolica* de his quæ fiunt à Prælatis, & cap. *cum & plantare* de priuilegijs: Quin imo addit glossa, & benè in cap. 2. §. *sane* de decimis in Sexto, quando laicus habens feudum Ecclesiæ alicuius, vult eidemmet Ecclesiæ, cuius est vasallus, restituere decimas, quas in feudum habet, tunc, ait, non est necessarius consensus Episcopi, quia nihil vlli Ecclesiæ subtrahitur, sed acquiritur. Secus quando laicus possidens decimas non vult illas reunire Ecclesiæ, cui ex iure communi debebantur, sed alteri: tunc enim necessarius est Episcopi consensus, quia tunc fit quædam alienatio ab vna Ecclesia in aliam, & ideò meritò Episcopi consensus postulatur in dictis capitibus, & in dicto. §. *sanè*.

2 Sed hæc quæstionis resolutio maiorem difficultatem excitat, vt disputatio plus habeat in recessu, quàm in fronte, ea est, an quando feudatarius non est verus, & iustus possessor, sed intrusus, ac iniustus detentor decimarum, & non vult eas illi Ecclesiæ restituere, cuius erant, sed alteri, an in hoc casu possit translatio fieri de consensu Episcopi: *Et videtur vera pars negatiua*: Nā ille sic trāsferens iniuriā facit Ecclesiæ priori, cui debitæ erant decimæ: ergo etiam si consentiat Episcopus, non poterit ea trāslatio iustificari, & consequenter neque erit valida: quia Episcopus non habet potestatem priuandi Ecclesias suis decimis, sicut neque bona vnius Ecclesiæ valet ad aliam transferre, vt diffinitur capite. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis. Illæ autem decimæ sic erant vnius Ecclesiæ, vt alterius non sint neque possint fieri ab iniusto detentore, & hoc videtur sentire glossa vltima in dicto cap. t. *cum Apostolica*. Panormitanus, & alij ibi: & idem sumitur ex Panorm. in cap. *prohibemus* de decimis.

Opposita sententia videtur probari ex dicto cap. *cum Apostolica*, cuius verba singula ponderanda sunt ad hunc modum: Quæstio fuerat proposita Innocentio III. de decimis detentis à laicis, dicuntur autem detineri, quæ non possidentur iustè, sed per vim detinentur: Nam detinere ad factum refertur, possidere ad ius, vt ponderauit Rebufus circa caput, *prohibemus*, dicta quæstion. 10. num. 24. præcipuè quia Hieronymus citatus in eodem cap. *cum Apostolica*, expresse dicit, *si fuerint à laicis malè detenta*, & nihilominus ait sufficere consensum Episcopi, cuius sententiam in hoc Innocentius III. sequitur. Præterea idem videtur colligi ex illis verbis: *Monendus est laicus, qui decimā detinet, vt eam restituat Ecclesiæ, ad quam spectat*: ergo loquitur de eo, qui iniustè detinet, & restituere tenetur, vt ibidem glossa animaduertit, ac de illo subditur: *Si induci non poßit, vt illi Ecclesiæ restituat; & alteri det, de consensu Episcopi, donatio valeat*. Item Pontifex ibi videtur intendere, vt in eo casu sufficiat consensus Episcopi in ordine ad locum religiosum, in quo non sufficeret respectu alterius laici, vt patet ex illa ratione, *Cum per vtrumque vtilitati Ecclesiæ consulatur*, sed quando Laicus iustè possidet, potest in alium laicum ius suum de consensu Episcopi transferre, vt præcedenti disputatione docuimus: ergo vt aliquid speciale ibi concedatur locis religiosis, oportet dicere, quod licèt restitutio fiat de iniustè detentis, applicatio fieri potest de consensu Episcopi. 3 Rebuf.

4 *Certe prior sententia* adeò forti innititur fundamento, vt nisi autoritas & diffinitio Pontificia Innocentij ex dicto c. *cum Apostolica*; obstitisset, ego minimè à priori sententia discederem: sicut discedo, quia in ea decisione fieri sermonem de iniustè detinentibus decimas, aut Ecclesiæ fructus, videtur non posse negari; quidquid Panor. & alij prioris sententiæ Autores conentur verba præfati Innocentij; imo & capitul. *prohibemus* adaptare ad iustam possessionem decimarum in verum, & validum feudum.

5 *Quare ad argumenta* pro priori sententia respondetur, illud procedere secundum regulas cōmunes iustitiæ, & iura communia de rebus Ecclesiasticis non alienandis, & decisio Innocentij specialis est, & præter cōmunes regulas: cuius decisionis possumus rationem colligere ex verbis textus, videlicet id fuisse concessum à Pontifice ad maiora mala vitanda, & damna Ecclesiæ aliquo modo reparanda, qua ratione, & modo id posset fieri, quia minus inconueniens est decimas mutari ab vna Ecclesia in aliam, quàm à laico possideri: neque per hoc fouet Ecclesia peccatūm aliquod, sed per piam Ecclesiæ dispensationém indulget, vt materia iniustitiæ subtrahatur, etiam si restitutio fiat aliter; quam in rigore, & secundum cōmmunes regulas iustitiæ fieri deberet, non interueniente prouidentia Ecclesiæ. Nā qui tenetur alicui restituere, si à creditore obtineat facultatem dandi illa debita bona pauperibus, vel alicui Ecclesiæ, liber erit à restitutione alio

modo facienda: sic licet alicui Ecclesiæ debeantur decimæ retentæ, quas iniustè ab ea tulit laicus, vniuersalis Ecclesiæ Præsul, qui est veluti principalis creditor, potest indulgere, & concedere, vt alteri Ecclesiæ dentur, & illam restitutionem prò sufficiẽte haberi: & sic fit in casu nostræ dubitationis, cũ hac conditione, vt cũ Episcopi assensu, & autoritate applicatio decimarũ alteri Ecclesiæ fieret. Nã omninò prohibitũ est, vt laici sua autoritate de rebus Ecclesiasticis disponant. 16. q. 7. *per tot.im*, vnde etiam in feudis, vel decimis, iustè possessis à laicis seruãdũ est, vt sine cõsẽsu Episcopi nulli religioso loco eas audeant applicare, iuxta c. *cũ & plātare*, de priu. sed cũ decisio de qua in c. *cum Apostolica*, sit extra regulas cõmunes iustitiæ, ac iuris, neq; latum vnguem extẽdendam censeo vltra casus in ea expressos: quapropter hac limitatione tenẽda est, quæ habetur in c. 2. §. *sanè*, de decimis in 6. vbi postquam declarauit Pontifex Religiosos non posse habere decimas, nisi de consẽsu Episcopi, subiungit: *illas autem decimas intelligimus, quæ ante Lateranense Concilium ipsis laicis in feudum perpetuò fuere concessæ.* Itaque pia indulgentia Innocentij, ac concessio de applicandis decimis antea etiam iniustè retentis alicui Ecclesiæ, cuius antea non erant, intelligenda tantùm est de decimis, quæ ante Concilium Lateranense à laicis detentæ fuère.

Fortassè ratio est: quia de talibus decimis vix constare potest, an iustè vel iniustè concessæ fuerint, & ideo indistinctè concessum est, vt omnes illæ restitui possint Ecclesijs quibuscunque, dummodo id fiat ex consensu Episcopi. Secus erit de decimis à laicis occupatis post Lateranense Concilium sine titulo iusto, quas non esse, restituendas Ecclesiæ, cuius antea erant non diffiniuit Innocẽtius: & ideo alteri Ecclesiæ nõ poterunt applicari, etiam de consensu Episcopi, cum id non habeatur ex iuribus citatis, imò ex. §. *sane*, citato præfata apertè colliguntur: nec ratio adhibita pro applicatione decimarum retentarum ante Concilium Lateranense militat in alijs postea retentis, neque hæc indulgentia, quæ videtur esse in præiudicium aliarum Ecclesiarum, est amplianda sine firmissimo fundamento, & expresso iure.

DISPVTATIO XI.

An præter vias licitas, quibus diximus laicos posse sibi acquirere decimas, adhuc alia supersit via licita ad idem? Præcipuè id quæritur de consuetudine, & præscriptione, hoc est, vtrum laici possint consuetudine, seu præscriptione decimas acquirere?

1\. QVam dubitationẽ partim tetigimus supra circa articulum primum, modò vero est exactius inuestigãda: & quæstio non procedit de præscriptione decimarum percipiendarum, vt ius spirituale est, & à spirituali procedens. Sic enim iam docui ex omnium sententia nõ posse laicos eas percipere, & illarum comparare dominium: quia illius iuris sunt incapaces, sed dubitatio procedit de ipsis decimis, vt materialiter considerantur, vt percipi possunt per priuilegium, aut illis tribus vijs licitis.

2\. Et videtur vera pars negatiua *ex capite, causam, de præscriptione*, vbi absolutè dicitur, laicos decimas præscribere non posse, & fit sermo non de spirituali iure decimarum: quia nõ eget hoc diffinitione, sed de decimis, id est actione, & iure percipiendi eas sine spirituali titulo. Hæc est cõmunis opinio Doctorum in eo cap. Felini, Abbatis, & aliorum.

In oppositum est: quia præscriptio legitimi temporis, seu immemorialis æquiparatur priuilegio, cap. *super quibusdam*, de verborum significatione, vbi Glossa notat consuetudinem, cuius memoria non extat priuilegium inducere, neque indigere alio titulo, & ad hoc multa allegat, & notatur etiam à Doctoribus in leg. *hoc iure*. §. *primo, verbo, ductus aquæ, ff. de aqua quotidiana, & æstiua*: sed laicus potest per priuilegium decimas obtinere: ergo & præscriptione. Respondet Felinus dicto cap. *causam*, nu. 2. cum Abbate, & multis alijs illam æquiparationem procedere in persona capaci, non verò quando præscribens est incapax, vt est in præsenti ratione decimarum. Sed contrà: quia licèt laicus sit incapax iuris spiritualis, non est incapax iuris ad percipiendam commoditatem temporalem in decimarum perceptione, quod in præsentiarum cõtrouertitur. *Cõfirmatur*: quia per priuilegium non dantur decimæ laico vt incapaci iuris spiritualis, non enim tale illi conceditur per priuilegium, imò neque forsan concedi potest, sed datur ius ad tẽporale illud commodum, cuius capax esse supponitur: ergo eodem modo dicere poterimus de præscriptione. *Felin.*

3\. *Dico primò*. Sola consuetudo etiam immemorialis non est sufficiens ad præscribendas legitimè decimas. *Probatur*: quia decimę intrinsecè imbibunt quandam spiritualitatem, quæ non potest ab illis separari, nisi per legem, aut dispositionem valentis facere hanc separationem: sed nulla extat lex, quæ decernat prẹscriptionem hanc habere vim erga decimas, & nulla concessio, iam. n. hoc ad priuilegium pertinet: ergo sola præscriptio non habet, neque habere potest talem effectum inducendi vim.

4\. Et ad argumentum in oppositum, & eius cõfirmationem *respondetur*, non omninò æquiparari præscriptionem, & priuilegiũ erga decimas: nec est verum facultatẽ, quæ per priuilegiũ solet laicis concedi ad possidendas, & acquirendas decimas, etiam posse ijsdem dari, in vi præscriptionis: tum quia tota vis præscriptionis est à lege instituente talem modum transferendi rerum dominia,

minia, vel iurisdictionem vel alia similia, nulla aũt extat lex, in cuius virtute hæc facultas laicis concedatur ex vi solius consuetudinis: tùm etiam: quia præscriptio prærequirit bonam fidem, & possessionem: decimæ autem non possunt à laicis possideri propria, & ciuili possessione, quæ requirit vt proprio nomine iure ac titulo res ipsa, vel ius ad illam habeatur, laicus autem non est capax, vt proprio nomine & iure decimas habeat. *Dicet quis*, habebit nomine Ecclesiæ, vel autoritate eius dissociabitur, & mutabitur ius illud spirituale in temporale, sicut supra circa finem disputationis explicui. *Respondetur*. Id nequaquam in casu solius præscriptionis, aut consuetudinis potest stare: quia iã supponitur facultas Ecclesiæ, nostrum autem assertum de præscriptione sola procedit.

5 *Dico secundò*. Quamuis consuetudo immemorialis non sufficiat in vi solius præscriptionis ad exigendas decimas, vt modò dicebamus: tamen sufficit in vi cuiusdã probationis, sufficientis priuilegii, in cuius virtute illa consuetudo inchoata, & continuata creditur, etiam si tale priuilegium nec inueniatur scriptum, nec aliter probari possit, quàm per diuturnam famam, & opinionẽ. Ita sentiunt multi Doctores, Felinus in dicto cap. *causam*, nu. 3. cum Cardinali ibi, & in dicto c. *cum Apostolica*, de his, quæ fiunt à Prælatis, vbi etiam idem tenent Baldus, & Imola, & Dominicus in cap. 2. § *sanè*, de decimis in 6. Syluest. verbo *decima* q. 10. dicto 2. refertque Ioannem Andream in cap. *de præscriptionibus*, in 6. & in cap. *super quibusdã* de verb. signif. dicentem, quando consuetudo illa immemorialis introducta est cum opinione & fama, quod ex aliqua concessione legitima petuntur decimæ à laico, & antecessoribus eius, tunc præsumi probatum priuilegium, vel inuestituram feudi debita autoritate factam, scilicet Põtificis vel Episcopi ante Concil. Lateranense: de qua re dixi.

Felin. *Baldus.* *Imola.* *Dominicus.* *Syluest.*

Et probatur hoc assertum argumento legis vltimæ. ff. de aquæ pluuia arcenda, vbi sic habetur. *Scæuola dixit solere eos, qui iuri dicundo præsunt, tueri aquæ ductus, quibus autoritatem vetustas daret, tametsi non probaretur*. ergo pari ratione licet consuetudo non det ius præscriptionis, dat tamen sufficientem autoritatẽ, seu probationẽ priuilegij, sub cuius opinione, & fama continuata est. *Confirmatur* à simili, facultas eligendi confessorem consuetudine acquiri non potest, sed tamẽ consuetudo probat talem facultatem esse legitimam, & ex priuilegio manasse: ergo idem in nostro casu est dicendum. *Item*. Vnio Ecclesiarum præscriptione non procedit, potest tamen consuetudine probari à superiore aliquo factam esse, vt ex Ioanne Andrea, & alijs notat Felinus vbi supra, *Demum*: quia nisi oppositum constet credendum est istum laicum possidentem decimas, & eius antecessores aliquo iusto titulo (quorum multi possibiles sunt) eas possedisse iam ab antiquo: ergo ex tali consuetudine simul adiuncta fama, & opinione, quod ita sit, præsumendum est pro possidente. Quare si cum tali cõsuetudine nõ coniungerentur fama constans, & opinio, quod in virtute alicuius litę concessionis, seu priuilegij reciperetur, cessaret præsumptio priuilegij, & præscriptio non sufficeret.

Felin.

DISPVTATIO XII.

An id, quod diximus de præscriptione laicorum erga decimas, verum etiã habeat in clericis, vel personis Ecclesiasticis omnibus?

ET quidem quod attinet ad decimarum detentionem, id est liberationem ab onere soluendi, manifesta est pars affirmatiua, etenim si laici hanc immunitatem possunt sibi præscriptione & consuetudine comparare, vt supra docuimus circa articulum primũ cur non potiori ratione id poterunt Ecclesiastici? Sed disputatio est, an clerici, vel Ecclesiasticæ personæ possint sibi præscriptione comparare ius exigendi decimas, sibi aliàs non debitas? 1

De qua re tres reperio sententias. *Prima est*, Religiosos, aut clericos mercenarios non posse pręscriptione tale ius acquirere, nisi aliunde habeant vnitam aliquam Parochiam, vel beneficium, ratione cuius præscribant decimas in alia Parochia: ita sentit Hostiensis in Summa titulo primo de decimis. §. *an præscribi possint*, Abulensis in *cap. 23. Matt. q. 188. D. Antoni. 2. p. cap. 4. titulo. 3. §. 3.* itaque inquirunt isti, habentem ius ad percipiendas decimas posse illud extendere pręscriptione ad sibi alias non debitas, quo fit vt vna Parochia possit præscribere decimas alterius Parochiæ, & vnus Parochus decimas alterius Parochi: at qui non habet ius percipiendi decimas, vt Religiosi, & alij clerici, si non habeant Parochiam, vel beneficium Ecclesiasticum, ratione quorum recipiant decimas, non valent præscriptione sibi vendicare decimas aliquas. *Prior pars nota* est ex dictis in disputatione præcedenti, & quia omnia iura, quæ de hac re extant, loquuntur de præscriptione (vt ita dicam extensiua) eius, qui habebat legitimum ius commune pro se ad percipiendas aliquas decimas, sine vlla præscriptione, vt patebit consideranti cap. *Cum sint homines*, de decimis, c. *ad Aposto*. & cap. *ad aures*, de præscriptione: idem videre licet in cap. *de quarta*, de præscriptione, & cap. 1. in 6. eodem titulo.

Hostiens. *Abulens.*

Secũda pars, in qua est difficultas suadetur: quia in toto iure non habetur exemplum præscriptionis decimarum in eo, qui nullum habet beneficium, neque Parochiam, ratione quorum possit recipere decimas: quod si aliquando insinuatur posse religiosos præscribere decimas, illud est ratione alicuius Parochiæ, vel facultatis, quam ex priuilegio videntur habere. Nam supposito iure ad aliquas decimas per priuilegium obtento non est inconueniens, quod sub illius colore possint alias 2

alias præscribere: & ita videtur supponi in c. *dudum*, de decimis, & fatentur Hostiens. & Abulens. supra. & potest etiam sumi ex c. *cum contingat*, & cap. *cum in tua*, de decimis.

3. *Oppositam sententiam* alij tuentur, videlicet posse Religiosos præscriptione acquirere ius percipiendi decimas, etiam si Ecclesias Parochiales nõ habeant, aut alia beneficia, vnde accipiant decimas. Ita Rebufus. *q.13. de decimis n.63.* qui & alios citat: & in eandem sententiam videtur inclinare Couarr. c.17. *n.8.* §.3. & expressè hanc sententiam tuetur Gutierrez. *ca.21. sæpe citato n.60.* Probatur hæc sententia: quia iura & dominia humana, quæ nullo iure prohibentur præscribi, præscriptione comparari possunt: tale est ius decimarũ respectu personæ Ecclesiasticæ, vel monasterij religiosi: ergo, &c. Maior ab omnibus acceptatur in materia de prescriptionibus: quia leges ciuiles & Canonicæ eã admittunt, etiam in spiritualibus iuribus, vt patet in c. *auditis*, de præscriptione. Minor probatur, quia in iure decimandi supposita capacitate personæ (quę deest laicis) nulla est prohibitio, neque ex natura rei, cum hoc non sit intrinsece malum, neque iure Canonico. *Confirmatur*: quia in iure duntaxat prohibetur, ne laici præscribant ius decimarum, non ob aliud nisi quia incapaces sunt: ergo cum Ecclesiastici capaces sint, poterunt præscribere, per argumentum à contrario sensu. *Confirmatur secundò*: quia præscriptio, & priuilegium æquiparantur: sed religiosi possunt habere ius decimarum percipiendarum ex priuilegio, vt infra dicetur: ergo etiam poterunt præscriptione illud acquirere.

Rebuf.

Couarr.

Gutier.

4. *Tertia sententia*, in præscriptione decimarum idem iudicium fert de Ecclesiasticis non habentibus Parochiam, aut titulum, ratione cuius percipiant decimas, atque de laicis. Itaque asserit Ecclesiasticos præfatos non posse sola prescriptione sibi acquirere ius decimarum, at verò per talem præscriptioné, seu consuetudiné potest sufficienter probari, seu præsumi priuilegiũ, ratione cuius tales decimę postulẽtur licitè. Posterior pars probatur eisdé rationibus, & iuribus, quibus in præcedenti disputatione de laicis id asseuerauimus. Nã si in laicis incapacibus iuris decimarum sufficiens est consuetudo longissimi temporis ad inducendam probationem, vel præsumptionem legitimam priuilegij, aut alterius tituli iusti ad præscribendas decimas: ergo à fortiori eundem effectum inducet in Ecclesiasticis, qui capaces sunt iuris decimarum. *Prior verò pars probatur* argumento primæ sententiæ.

Secundò: quia secluso priuilegio non potest decima exigi iustè ab eo, qui non seruit, vel laborat: quia decimæ intrinsecè habent, vt sint stipendium spiritualis ministerij, & ideò non possunt aliter iustè peti nisi ratione concessionis, vel donationis à domino vel dispensatore factæ, quam nomine priuilegij comprehẽdimus: sed in eo casu constat talem personam, vel monasterium non accipere decimas vt stipendium: quia supponimus non suscepisse in se onus Ecclesiæ seu beneficij, sed tantum commodum: ideòque nõ habet locum ibi ratio stipendij: ergo non possunt aliter iustè peti nisi ratione priuilegij. *Confirmatur*: quia non præcedit præscriptio sine bona fide, sed in hoc casu non potest præsumi bona fides, cum accipere decimas sine vllo onere, aut priuilegio sit actio illicita, & iniusta, per quam non præscribitur: ergo.

Ad argumentũ secũda sẽtẽtia respondẽt in his casibus non esse necessariam specialem prohibitionem præscribendi: quia modus hic continet iniustitiã, & excludit bonã fidé. Et *ad confirmationẽ primã respondẽt*, laicis satis superque sufficere incapacitaté ad inualidandam præscriptionem decimarum: sed præterea etiam reperitur iniustitiæ modus, & quia nequit haberi bona fides, vt de Ecclesiasticis dicebamus. Ad *secundam confirmationem respondetur*, quidquid præscriptione acquiri potest, potest etiam priuilegio comparari, non tamen è contrario, vt apertè probatur ex cap. *accedentes*, de præscriptione, vbi dicitur posse aliquem priuilegio eximi à procurationibus pro visitatione soluendis, & non posse eximi præscriptione. 5.

Hæc tertia sententia nihil, aut parum differt à prima, & mihi probatur valde quoad posteriorem eius partem, quatenus contendit eam consuetudinem inducere sufficientem probationem, aut priuilegij præsumptionem. *Sed aduertendum*, eam consuetudinem non esse propriè præscriptionem rei, seu iuris decimarum; sed est quasi præscriptio priuilegij, seu talis præsumptio eius, quæ & conscientiam reddat securem, & det etiam actionem, & ius in foro exteriori. Insuper notandum, ad hoc genus præscriptionis, eo quod in ea non potest allegari, & ostendi titulus præter priuilegium ipsum, de quo dubitatur, & sola consuetudine ostenditur, seu præsumitur, requiri immemorialem cõsuetudinem, sicut dictũ est de laicis, & habetur *c.1. de decimis in 6.* videndus est Couarr. *c.17. nu.7.* 6.

Couar.

At verò quoad priorẽ eius partem, in qua consistit prima sententia, non placet. Tum propter primum argumẽtum, & secundam confirmationem secundæ sententiæ, quæ meo iudicio non soluuntur: tùm quia non video benè cohærere hæc duo, & quòd Ecclesiastici præhabentes aliquod ius decimarum, putà ratione Parochiæ, aut priuilegij possint præscribere decimas alienę Parochiæ per extensionem ad eas, & quod Ecclesiastici non habentes aliquod ius decimarum, non valeant eas præscribere. Et arguitur sic, Ecclesiasticos habere ius decimarum aliquarum firmum, verbi gratia, ex priuilegio, non tribuit capacitatem Ecclesiasticis ad ius spirituale decimarum percipiendum, quia Ecclesiasticæ personæ sunt, quæ ob id ea capacitate gaudent, neque tribuit bonam fidem ad percipiendas decimas alienæ Parochiæ, quam non possint habere Ecclesiastici, qui alio titulo non præhabent decimas: quod enim dicitur ab autoribus primæ sententiæ eam habere quia putant comprehendi sub iure sui tituli, inane est: præcipuè quia continget quosdam esse priuilegiatos apud Indos, & præscriptione gaudere apud decimas Hispaniæ: in quo casu vana fides est, titulum sui priuilegij extendi ad decimas Hispaniæ. 7.

Præ-

8 *Præterea*: quia ad præscriptionem tantum requiritur non adesse malam fidem, cuius carentia in vtriusque Ecclesiasticis esse potest. *Quod si dicat*. Si nō prçhabeatur titulus aliquis decimarum possidendarum possessio per solā præscriptionē iniusta est: quia recipitur stipendium debitum sine onere officij, cui debetur stipendium. Idem prorsus argumentum fit, quando præhabens titulum decimarum prçscribit extensionem ad eas percipiendas in Parochia, vel Episcopatu valde distanti, cui in nihilo laborat; & nulli ministerio seruit: & tamen actio illa non est iniusta: sicut ergo per priuilegium accipiendi decimas in aliena diœcesi, cui priuilegiatus non inseruit, receptio decimarum honestatur ex concessione Prælati: sic in præscriptione hac, quam censemus esse iustam cum autoribus secundæ sententiæ, exactio & receptio honestatur ex lege præscriptionis transferentis dominia rerum propter bonum publicum, & ne iura maneant incerta: maximè quia in hac materia nulla extat lex, talem modum præscribendi vetans. Certè præhabere ius ad decimas parum videtur facere ad præscribendam extensionem ad decimas alienæ diœcesis, sicut præhabere fundos in vna ciuitate parum aut nil refert ad præscribendos fundos in altera ciuitate.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm clerici teneantur decimas dare?

Summa Articuli.

1 PRIMA conclusio. Clerici in quantum clerici, id est, in quantum habent Ecclesiasticas possessiones, non tenentur soluere decimas.

Secunda. Clerici, non in quantum clerici, id est quatenus iure proprio, putà iure hçreditario propinquorū, vel emptionis, aut alio simili modo possessiones seculares retinēt, ex earum fructibus tenentur decimas soluere. *Probatur prima conclusio*. Idem, in quantum idem, non potest esse causa dandi, & accipiendi, sicut neque agendi, & patiendi: sed clerici propter spiritualia munia habent ius recipiendi decimas, & fructus prædiorū, quæ Ecclesia possidet, & deputat pro talibus functionibus: ergo sub ea ratione non tenentur decimas soluere: videtur enim impertinens, & irrationabile accipere decimas, vt sibi soluant easdem. *Probatur secunda conclusio*. Sicut respectu diuersorum vna persona potest esse agens, & patiens, sic dans, & recipiens: ergo nihil obstat quominus clericus ex possessionibus Ecclesiasticis recipiat fructus decimales, & ex possessionibus proprijs eas largiatur.

2 Vna ex præcipuis considerationibus in materia decimarum, est de subiecto obnoxio decimarum solutioni, id est, qui sunt illæ personæ, quæ tenentur decimas soluere. De qua re nullum specialem D. Thom. edidit articulum, licet virtualiter in 1. & hoc 4. docuerit: Nimirum, quia res comperta est, sed rem magis dubiā de exemptione clericorum à decimis præstandis in hoc articulo discussit. Nos verò vtrumque & multa concernentia ad eas personas, quæ tenentur decimas soluere, & ad illas, quæ ab ea obligatione eximuntur fusius disputabimus.

Sit ergo basis, & fundamentum dicendorum circa hunc articulum, omnes fideles baptizatos per se loquendo, & attento iure communi, teneri ad decimas soluendas nisi aliquo legitimo titulo exempti fuerint. Ita diffinitur in multis iuribus citatis ad stabiliendum præceptum decimarum in lege gratiæ, præcipuè in cap. *transmissa*, & cap. *à nobis* de decimis: in priori dicitur omnes fideles teneri ad decimas soluendas: in posteriori additur exceptio: *Nisi quis se exemptum ostendat*. Singula verba huius fundamēti expēdenda sunt. 3

Dicitur, fideles teneri: quia infideles non adstringuntur Ecclesiæ legibus. Iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 15. *De his qui foris sunt, nihil ad nos*. Præceptum autem decimarum ad præcepta Ecclesiæ referri supra docuimus. Imò præceptum naturale obligans fideles ad alendos ministros Ecclesiæ, infideles non obligat: quia tales ministri non sunt infidelium ministri, nec eorum pastores: vnde neque eos tenentur alere. Dictum est autē, fideles baptizatos: quia per baptismū fideles subijciūtur Ecclesiæ, & pceptis eius: Quapropter catechumeni nondū baptizati nō tenētur ad soluēdas decimas in rigore loquēdo: quia sola fides absq; charactere, & solenni professione fidei, quæ in baptismo fit, non subijcit homines præceptis Ecclesiæ. Et sermo est de catechumenis filijs infidelium: nam filij Christianorum ex vi natiuitatis subduntur Ecclesiæ propter parentes suos, & per voluntatem, seu obligationem eorum: & ideò si contingat eos habere dominia rerum, & fructus antequam baptizentur, tenentur decimas soluere, ac si baptizati essent. *Sed quid de hæreticis baptizatis*? Tenentur decimas soluere: quia ratione characteris, & baptismi tenentur Ecclesiæ legibus. *Secundò*, quia ante hæresim erant obligati, à qua obligatione sua iniquitate non eximuntur. *Tertiò*, quia licèt de facto non sint fideles, iure tenentur esse, & per Ecclesiam cogi possunt, vt ad fidem reuertantur: & quamuis de facto non recipiant spiritualia à ministris Ecclesiæ, tenentur recipere, & ministri parati sunt ad ministrandum, & ex officio eis incumbit, & ad hoc debent conari monendo, docendo & interdum cogendo, & puniendo. Hoc fundamento posito aliqua sunt disputanda circa illud.

1. ad Cor. 15.

DISPVTATIO I.

An Iudæi, Sarraceni, & Pagani in ditione Christianorum degentes teneantur decimas soluere?

1. ET pars negatiua ex præiacto fundamento videtur apertè colligi:sed affirmatiuā suadent cap. *de terris*, titulo de decimis, & cap. *quanto* de vsuris.

Dico primò. Infideles præfati degentes in ditionibus, aut terris Christianorum non tenentur decimas merè personales soluere. Hæc assertio communis est, habetur à Tancredo, Bernardo, Innocentio, Alano, 16.q.1.c.*decimas*: ac etiā tenetur à Glossa in *dicto ca. de terris*, & conuincitur ex rationibus allatis in præiacto fundamento: licèt oppositum teneat Panor. in citato c.*de terris*, n.6. sed cum limitatione, videlicet non teneri eos infideles ad decimas personales per se, & formaliter, sed per modū cōpēsationis, scilicet teneri ad soluēdū valorē decimarū personaliū, quas Christiani inhabitātes possent soluere: nā infidelis habitando ibi impedit, ne Christianus aliquis ibidē habitet, & cōsequēter defraudat Ecclesiā personali decima, quā esset receptura fideli ibi habitante, & ideò cogi potest ad soluēdum interesse: & iuuatur hæc sententia *ex c. quanto de vsuris*, *vbi* dicitur Iudæos compellēdos ad satisfaciendum Ecclesijs pro decimis, & oblationibus debitis, quas à Christianis, & domibus, & possessionibus alijs percipere consueuerāt, antequam ad Iudæos quocunq; titulo deuenirent, vt sic Ecclesiæ conseruentur indemnes. Ecce decimas ex domibus iubentur Iudæi soluere, quæ ad personales spectant.

Tancred. Bernard. Innocent. Alanus.

Sententia tamen Panormitani meritò reijcitur à Soto *lib.9. de iustitia quæst.4. articulo* 4. & ab alijs: quia cum nemo teneatur negotiari, aut lucrari ad decimas persolanes soluendas, non dicitur infidelis habitans in terris Christianorum eos impedire à lucris: quia ipsi possent non lucrari, si vellent: & estò aliquo modo impediret, accidentarium est: quia aliquando non impediret. Item, quia Ecclesia non habet ius acquisitum, vt eius Parochiani laborent pro decimis soluendis. Nec adiuuat Panormitanum capitulum allatum ex titulo de vsuris, quin potius nocet: nam ibi de decimis ratione rerum loquitur textus, non ratione personarum, neque illæ decimæ de domibus sunt merè personales, sed potius ad prædiales reducuntur: quare ratione rerum iubentur infideles de eis decimas soluere.

Sotus.

3. *Dico secundò*. Iudæi, & alij Pagani non baptizati viuentes in terris Christianorum tenentur soluere decimas de prędijs, quę in ditione Christianorum possidēt, aut quouis modo compararūt, aut prædia relinquere coguntur. Expressè hoc diffinitur cap. *de terris*, extra de decimis. Et probatur ex eodem textu: Nam aliàs posset Ecclesia suis iuribus defraudari, si aliquo contractu, aut via possessiones ad infideles trāsferrentur. *Secundò*. Decimæ sunt veluti quædam seruitus, & onus annexum prædijs, quę sunt in Christianorum ditionibus, vt supra sæpe docuimus: ergo is ad quem quocunque modo prædia transferuntur, tenebitur decimas soluere: quia res cum suo onere in quēlibet possessorem iure transmittitur, & habetur cap. *si quis laicus*, & capit. *Ecclesiæ*, & cap. *quicunque*. 19. quæstione prima, & clarius in cap. *cum non sint in homine*, de decimis & alibi sæpe.

Hinc patet ad argumentum pro parte negatiua ex doctrina Glossæ in dicto cap. *de terris*, infideles ratione personæ suæ neutiquam posse obligari præceptis decimarum, vnde neque ad soluendas decimas vt sic: sed ad soluēda onera affixa prędiis q̄ possident, quod nō est per se, & directè soluere decimas, sed potius ratione rei obnoxiæ decimationi decimam partem fructuum per modum satisfactionis, & interesse, ne Ecclesia suo iure defraudetur, persoluere. Et hoc bene declaratur in cap. citato *de terris*, cùm dicitur: *Ne forte illa occasione Ecclesiæ valeant suo iure defraudari*. Itaque supponit Pontifex, Ecclesiæ esse ius acquisitum in tali fundo, quoad decimas, & Iudæos cogi nō ad decimam vt sic, sed ad non damnificandam Ecclesiam, quod & notauit Gloss. in capite *quanto*, de vsuris. 4.

Ex his iuribus apertè cōuincitur falsitatis sententia Abbatis vbi supra, & Oldrandi *consilio* 91. videlicet omnes infideles, vbicunque degant, debere Ecclesiæ prædiales decimas, & iure ad eas soluendas cogi posse, si id esset possibile, & si nunc conuertantur teneri in conscientia ad soluendas omnes decimas, quas ante non soluerant. Fundamentum Abbatis est: quia Deus est dominus totius orbis, & omnium terrarum decimas sibi reseruauit, & hoc iure iniquè ab infidelibus impeditur Ecclesia. Hanc improbabilem sententiam censet Soto, & meritò, ac sufficienter reijcitur ex capite *quanto*, de vsuris, vbi dicitur, cogendos esse Iudæos ad satisfaciendum Ecclesijs pro decimis, & oblationibus debitis, quas de domibus, & possessionibus alijs accipere consueuerant, antequam ad Iudæos quocunque titulo deuenissent: ergo alij infideles non possunt obligari pro decimis prædiorum, quę ad Ecclesiam nunquam pertinuerunt. 5.

Abbas. Oldrand.

Sotus.

Ex quo sumitur argumentum. Illa prædia nūquam habuerunt tale onus reale, neque cum illo peruenerunt ad Paganos, à quibus possidentur: ergo illi non tenentur ad tales decimas, neque ratione suarum personarū, neq; ratione prędiorum: ac ex consequenti nullo titulo obligantur. *Ad argumentum* Panormitani *respondetur*, Ecclesiam non habere proprium iustitiæ ius ad terras infidelium, quæ nunquam in ditionem Christianorum deuenēre: nec peccāt contra iustitiam eas occupando, vel fidem non recipiendo, sed tantum contra fidem, & salutē spiritualē propriam: quapropter non habet in eis locum obligatio per modum satisfactionis, seu restitutionis, quæ est obligatio iustitiæ.

Ex prædicta ratione, & iuribus infertur; quod si aliqua Regio, siue Prouincia, quæ nunquam ad Christianos pertinuit, à Christianis debellaretur, infideles ibi relicti ex suis prædijs, vt pote cum nullo onere possessis non essent cogendi decimas soluere. *Sed inquiris vltra*, quid si præfati infideles plantent vineam, aut oliuetum in terra illa debellata, quæ antea nulli vsui erat apta? *Respondetur*: inde sunt soluendæ decimæ, si nouale illud sit situm intra alicuius diœcesis 6.

cessis terminum; eò quòd quamuis antea nullæ solebant de illo agro infructuoso solui decimæ: tamē quia eius agri possessio ad Christianos pertinebat, qui poterant illum colere, & soluere decimas; si infidelis eum excolat, tenetur decimas dare, ne per hoc Ecclesiæ præiudicetur.

7. Quinimò etiam ex iam relatis infertur. Si Pagani aliquod Regnum, Prouinciāmve Christianorum occupauerint, quam successu temporis rursus Christiani recuperauêre, ita tamē vt multa prædia quidā Paganorum Christianis subiecti possideant, ex quibus nunquam consueuit solui decima (casus fuit frequens in Regno Granatæ nostro seculo à Mauris recuperato) illi Pagani de suis prædijs non tenentur vllas decimas soluere, propter textum, & rationem allatam, quæ etiam in casu hoc militat.

Sed maior difficultas est, an in terris, quę aliquando fuerunt in ditione Christianorum, & in eis fuerūt erectæ Ecclesiæ, & prædia in ius decimarum attributa, postea verò ab infidelbus per iniusta bella occupata sunt, an infideles teneantur decimas præteritas, & futuras, quibus defraudarunt Ecclesiam, restituere? *Respondetur affirmatiuè*: quia Ecclesia nunquam hoc iure priuata fuit, neque ab infidelibus potuit contra illud ius præscribi: ergo semper manet ea obligatio iuris naturalis restituendi damnum illatum: & si facultas esset in Ecclesia, ad id possent cogi, sed non decet, ne infidelibus in sua infidelitate existentibus præstetur fidei susceptioni impedimentum: & iam conuersis vertatur in scandalum, dum tam graue onus subire cogūtur. Quare Ecclesia non consueuit tales exigere decimas, sed potius videtur condonare.

Resolutio huius disputationis aliam excitat: an dato infideles non teneri soluere decimam quoad quottam, quod est præceptum Ecclesiasticum teneanturne quoad sustentationem, quod est iuris naturalis ac diuini? Ideò sit

DISPVTATIO II.

An teneātur infideles ex decimis vel alio tributo alere ministros Ecclesiæ?

1. ET videtur vera pars affirmatiua: quia omnes infideles tenentur audire fidem, & fidei Prædicatores recipere, insuper & ad hoc cogi à Pōtifice Sūmo possunt: ergo etiam cogi possunt ad alendos huiusmodi Prædicatores. Confirmatur: quia ad eos Prædicatores mittendos in partes longinquas, & ibidem alendos, magnæ expensæ sunt faciendæ: ergo ab infidelibus erudiendis exigi possunt: cum nemo militet suis stipendijs vnquam. Nec huic obiectioni videtur satis fecisse Sotus *vbi supra*, dū respondens, & sugillans Panormitanum, inquit, eū non attendisse, nullum teneri obedire mādatis Ecclesiæ; imò neque diuinis positiuis Sacramentorum, nisi mediante suscepta fide: sicut vouens esse religiosum non tenetur ad opera religiosa nisi mediante susceptione, ac professione status religiosi. Non, inquā, satisfacit Sotus obiectioni, quæ non procedit de pręcepto decimarum quoad quottam, sed de eo quoad sustentationē, quod naturale est, & annexū præcepto recipiendi fidem, & baptismum: quia qui præcipit actum fidei, præcipit subinde omnia, quæ ad id necessaria sunt: tunc sic: Deus imposuit obligationē omnibus gentibus, vt tenerentur prædicationem Euangelij audire à ministris suæ Ecclesiæ, & ad susceptionē fidei, si eis ostendatur credibilis: sed ad hoc necessarij sunt ministri, & consequenter eorum sustentatio: ergo.

Sotus.

Pro decisione *dico primò*. Quamuis esset in Ecclesia potestas imponēdi tributa infidelibus pro alendis Prædicatoribus Euangelij, qui eos instruant, & edoceant fidem, non esset licitum hac vti potestate: quia inde magnum offendiculum præstaretur ad suscipiendam fidem: dum infideles viderent vi se cogi, vt alerent ministros, quos ipsi exosos habent, ac consequenter exosam haberent fidem. 2.

Dico secundò. Existimo non esse in Ecclesia potestatem imponendi tributa infidelibus ad alendum Euāgelij ministros, qui eis prædicent Christianam fidem. *Probatur primò*: quia infideles nequeunt compelli ad susceptionem fidei: imò neque vt audiant fidem, vt docetur cōmuniter ab omnibus, maximè à D. Tho. discipulis *circa art. 8. quæstionis decimæ in 2.2.* ergo neque tributa imponere, vt ministri Euangelici eis annuntient Christianam fidem: quia qui non tenentur ad finem, neq; ad media ad illum ordinata obligantur, atque adeò neq; poterunt eis iniungi. *Confirmatur*. Tributa iniuncta fidelibus pro obsequijs ministrorum Ecclesiæ, imponuntur in stipendiū debitum ex iustitia: sed hoc debitum non est in pure infidelibus erga Prędicatores Euangelij: ergo.

Secundò. Potestas Ecclesiæ data est ad mittendos Prædicatores pro infidelibus, iuxta normā, & exemplar quo vsus est Christus, & Apostoli, hanc exercentes potestatem: sed Christus; & Apostoli prædicauerunt Euangelium sine vi, sine armis, sine impositione tributorum pro sui sustentatione: quod præclarè significatur in multis Euangelij locis, præcipuè Lucæ 9. vbi cùm Samaritani noluissent recipere Christum, indignati Discipuli dixerunt: *Domine vis dicamus, vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos: & conuersus increpauit illos dicens? nescitis cuius spiritus estis filij*: Nimirum quia infideles neque ad audiendā fidem, neque ad aliquid ei annexum compellendi sunt: ergo non est in Ecclesia potestas ad imponendū eis aliqua tributa pro Prædicatoribus Euangelij. 3. Lucæ. 9.

Tertiò. Potestas Ecclesiæ data est in ædificationem non in destructionem: at si præfata potestas cogendi infideles per tributa ad sustentationem eorum, qui illos edocturi sunt fidem, cōcessa esset, vergeret in destructionem ipsiusmet fidei: ergo, &c. Minor probatur: quia non benè con-

sonat cum mansuetudine Christi, & cum illo: *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum*, & cum patientia prædicata Martyrum compulsio ad reddenda tributa pro Prædicatoribus: & ea tributorum per vim exactio, scandalum potius generaret ad susceptionē fidei, quàm idoneitatē.

4 Ad primum argumentum *respondetur*, infideles non teneri recipere fidem nisi sufficienter propositam, neque audire Prædicatores eius, nisi præcesserint aliquot testimonia ostendentia eius credibilitatem, vt dicitur in materia de fide: quod si nolint audire, non sunt cogendi, ac proinde neque imponenda tributa pro cóncionantibus. *Secundò respondetur*. Transeat antecedens, & nego consequentiam: tùm quia ostensio credibilitatis fidei, (si fiat à Prædicatore Euangelij) modicum temporis spatium exposcit, ad quod impositio tributi non est necessaria: ac proinde neque per vim exigenda. Quod si infideles credant concionanti: tunc si opus fuerit maiori temporis mora ad eos instruendos, ipsi tenebuntur ministros alere, sed ab Ecclesia nequibunt compelli ante baptismum susceptum. Tum etiam, quia esto tenerentur credere, & Euangeliũ audire, & Prædicatores alere, & pręceptum sit naturale, nō tamen est in Ecclesia potestas ad cogendos infideles, præcipue degentes extra ditionem Christianorum Principum, vt præcepta legis naturæ seruent. Imò neque infideles subditi poterunt ad tributa præfata soluenda compelli propter scandalum, quod moraliter loquendo sequetur in ordine ad susceptionem fidei: eo vel maxime, quia esto tenerentur naturali præcepto ad alendos eos Euangelij Prædicatores, illud fundaretur in supernaturali præcepto de suscipienda supernaturali fide, & sicut ad hoc non possunt compelli, ita neque ad illud.

5 Circa confirmationem argumenti oportet lectorem monere, non multo ante hæc tempora fuisse quendam, qui in Curia Regis Hispaniæ magno conatu nisus est suadere præfectis Regijs erga res Indorum, tanquam rem factu, & Rege Catholico dignā, colligere magnam militũ manum, quibus stipati Prædicatores Euangelij gentibus, quæ non nouerunt Christum, Euangelium prędicaturi pergerēt. Fit mihi vero simile, diceret & exigenda tributa pro militibus comitantibus. Nouum genus prædicandi Euangelium, & alienum ab exemplo Christi, & Apostolorum, & Patrum nostrorum, qui Euangelica vestigia sunt secuti. Imò & scandalosum, & iniuriosum fidei: quia non solùm infidelibus esset impedimento recipiendi fidem, verùm etiam recens conuersis habitam dimittendi pręberet occasionem, videntibus sibi prædicari fidem voluntariam, & mansuetudinem Christi, de quo scriptum est: *Non erit tristis, neque turbulentus, calamum quassatum non confringet, & lignum fumigans non extinguet*, & illud: *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum*: audientes patientiam Martyrum, & ex alia parte audirent tubam resonantem, armorum strepitum, ferocientes milites, ac vim inferentes passim, insuper & tributa exigentes pro se suisque Prædicatoribus, certè execrarentur fidem, & eius Autorem blasphemarent, nedum voluntariè tributa persoluerent. Huius hominis conatibus restiterunt multi ex nostris eo fidei zelo, quo Indos ad fidem conuersos iam pridem à tyrannide liberarunt, ac in libertatem asseruerunt. *Ad confirmationem igitur respondetur*. Si necessariæ sunt expensæ, & magni sumptus ad fidem prædicandam, Principes, qui zelo Dei pollent, eos efficiant, & non exigant per vim ab eis, erga quos non habent potestatem: & estò haberent, adhuc non essent exigendi propter scandalum certò affuturum, & impedimentum præstandum circa dubium susceptioni fidei. *Et ad replicas*, quas nos contra Sotum fecimus, ex dictis clara est solutio. Circa idem fundamentum est

DISPVTATIO III.

An obligatio decimarum ad pauperes extendatur?

QVia videtur crudele eos ad decimas soluendas obligari, qui vix possunt se ipsos, suamque familiam alere. Item, quia decimæ exiguntur, partim ad pauperum sustentationem, vt supra docuimus: ergo non debent earũ solutione grauari. Quidā Iurisperiti, quos refert Innocentius *in cap. Licèt, de censibus*. tenent partem negatiuam, si sit sermo de ijs, qui si soluent decimas, carere debent sibi necessarijs ita vt necesse sit eos mendicare. 1.

Partem affirmatiuam tenent communiter Theologi, & Canonistæ, D. Thom. hîc *ad quartum*, & Sotus; & aliqui eius discipuli Alensis. 3. *par. quæst. 51. membro. 7. artic. 1.* & Syluest. Angelus, & alij Summistæ, Rebufus *quæst. 5. num. 14.* cũ Panor. & *alijs in cap. Cũ homines, de decimis*. Hostiē. *in summa. §. de decimis*. Probatur, quia præceptũ decimatũ generale est, & generalibus verbis expressum, vt patet ex iuribus sæpè citatis; & non solùm in diuitibus, verũ & in pauperibus inuenitur fundamentum, & motiuũ obligationis decimarum: nam omnes fruuntur, etiam pauperes, opera & ministerijs ministrorum Ecclesiæ: ergo æquum est, vt omnes ad eorum sustentationem concurrant: ergo omnes obligantur ad soluendas decimas, quę ad hunc finem proximè, ac pręcipuè ordinantur. *D. Thom. Alensis. Syluest. Rebuf. Hostien.*

Secundò. Decimæ debentur titulo iustitiæ, vt habetur in *cap. Parochianos de decimis*, & nos circa articulum primum latè probauimus: sed propter inopiam non potest committi iniustitia. Hinc inferunt præfati Canonistæ quædam, quæ excussione indigent. *Primum*, decimas non posse detineri à paupere, nisi fortasse in casu extremæ necessitatis: in quo omnia sunt communia: & ita solùm illum casum excipiendum esse tenet in specie Rebufus *vbi supra*. Imò addit, etiam in illo casu debere pauperem habere propositum reddendi, cum venerit ad pinguiorem fortunam; & in confessione id detegere, ac promittere. *Secundò* dicunt. Extra casum extremæ necessitatis, 2

putà

puta in grauibus, pauper debet suam necessitatem ostēdere Ecclesiæ; id est, pastoribus Ecclesiæ eam comprobare; & tunc ipsi pastores tenentur decimam remittere, non tamen posse pauperem sua autoritate eam retinere.

3. *Primum corollarium* quoad vltimam, partem est apertè falsum; quia in extrema necessitate omnia communia sunt; & ideò qui accipit aliàs alienum, ac consumit, non tenetur posteà aliquid restituere; quia non consumit illam rem vt alienam sed vt propriam.

Consilium autem, quod apponitur in secundo corollario, scilicèt pauperem debere suam necessitatem Ecclesiæ ostendere, placet, & illud; quod pastores Ecclesiæ tenentur, saltem ex charitate remittere decimas. Cæterùm illud quod dicunt non posse sibi retinere decimas, si sunt in graui necessitate constituti, aut si propter solutionem in eam inciderent falsum puto; quia siue decimæ antequam soluantur dicantur esse sub dominio Ecclesiæ, siue non: de quo latè supra egimus: sicut qui possidet rem alienam, & non potest reddere statim sine magna iactura personæ, vel status, potest differre restitutionem, quousque ad pinguiorem fortunam venerit; sic potest facere is pauper, qui si soluat, incidet in grauem necessitatem, putà non habendi vnde alat se & suam familiam, sed necesse sit à mendicato viuere.

DISPVTATIO IV.

An clerici, & Ecclesiastici teneantur decimas soluere?

1. HAnc præcipuè versat D. Thom. in *hoc art.* 4. estq; antiqua inter Theologos, & Iurisperitos concertatio, desumpta ex cap. *nouum genus*, de decimis, vbi sic habetur: *Nouum genus exactionis est, id est insolitum, & præter ius, vt clerici à clericis decimas exigant: cùm nusquam in lege Domini hoc legamus: non enim Leuitæ à Leuitis decimas accepisse leguntur.* Et subditur: *Illi profectò clerici, qui à clericis spiritualiū ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent.* Hæc Paschalis secundus. Ex cuius textus priori parte sumitur argumētum pro parte negatiua: ex posteriori pro affirmatiua, quæ videntur prima facie contrariæ decisiones. Ac subinde vt ostendatur nullam in eo textu inueniri contrarietatem omnes Iurisperiti, & D. Thom. in art. adinuenerunt illam distinctionem clericorum, vt clerici sunt, id est ministri rerum spiritualium, vel quatenus fideles sunt, & à sacerdotibus possunt Sacramenta percipere. Sub priori consideratione, id est, in quantū habent Ecclesiasticas possessiones, nō tenētur soluere decimas, Posteriori modo, id est, ex hoc quod possident ꝓprio iure, id est, ex successione parētum, vel exemptione, vel alio modo simili, sunt ad decimarū solutionē obligati. Hanc doctrinam sub eisdē terminis recipiunt omnes Theologi, & sub æquipollentibus Iurisperiti in *dicto cap. Nouum genus*, & Summistæ in verbo *decima*, Couar. *lib. 1. variarum, cap.* 17. *num.* 8. Gutierrez. *lib. 2. canonicarum. c.* 21. *n.* 52. & alij ab his relati. Couarru. Gutierrez.

Ex hac distinctione, & doctrina sumitur ferè tota huius disputationis explanatio, quam per sequētia dicta declaro.

Prima assertio. Clerici tenentur soluere decimas ex prædijs patrimonialibus, vel quacunque alia via laicali acquisitis: putà per emptionē, lucrum, & similia: si tamen sita sint in aliena parochia. Hoc commune est apud omnes, & habetur à D. Thom. in *conclusione* 2. Innocen. & abbate, ac *Glo.* super præfatum caput, *Nouum genus.* Nam talis decima est onus, quod ipsis prædijs adhæret. Item. Nam prædia habent hoc onus affixum, vt de eis soluantur decimæ in parochia, vbi sita sunt: ergo ex hoc, quod eorum domini fiant clerici, non liberantur ab illo onere; quia semper sunt laicalia bona, & in his habet se dominus vt merè laicus. 2.

Secunda assertio. Clerici tenentur decimas soluere ex prædijs proprijs, id est, quæ non pertinent ad Ecclesiam, sitis etiam in propria parochia. Hæc ferè communis assertio est; contra quam tamen sentiunt nonnulli in cap. *Nouum genus* quibus fauere videtur ipsa Decretalis, quæ vniuersaliter ait, clericos non debere clericis decimas soluere: & verba vltima cap. citati, quando ait, illos clericos debere soluere decimas, qui à clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt: sed clerici eiusdem Ecclesiæ non accipiunt ministeria spiritualia à clericis, sed simul sibi, & populo ea ministrant: ergo non sunt obligandi ad decimas soluendas ex proprijs prædijs intra suam parochiam sitis. Secundò. Quia si beneficiatus ex prædiis propriis sitis intra parochiam suam teneretur soluere decimas, sibi ipsi solueret: & per hoc confunderetur actio, quando idem est, qui debet, & cui debetur: quod non admittitur, vt *patet ff. ad Velleia.* l. *Tutor.* Respondetur, illa Decretali solùm prohiberi, ne clerici petant decimas ex bonis, quæ hi habent tanquam clerici: id est, quæ acquisiuerunt per spiritale ministerium, non verò vetantur, ne eas petant ex bonis aliunde habitis: & hoc apertè habetur ex cap: *Siquis laicus, vel clericus.* 16. q. 1. Et ad vltima verba Decretalis citata respondetur. Decretalis non asserit eos solos teneri soluere decimas, qui à Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, sed quod illi tenentur. Cùm quo stat, quod alij etiam teneantur. 3.

Ratio D. Thomæ profundior est, quæ desumitur ex modo habendi vt commune, & vt proprium: habere vt proprium est habere titulo laicali, & eo modo, ac si clericus esset merè laicus: ac proinde non fit immunis à decimis eorum propriorum prædiorum. Item. Frequentiùs inter multos Ecclesiæ ministros decimæ diuiduntur: at si clericus dominus fundi non teneretur ex eo decimas soluere, cæteri comministri suis portionibus fraudarentur; nempè parte decimarum, quæ ad illos pertinet ex fructibus prædij, quod iure hæreditario habet clericus socius eorum in eadem Ecclesia: & estò vnus esset tantum minister, qui integras decimas deberet accipere; cum per accidens iste dominus agri fit clericus, non debet liberari ab onere decimarum, cui per se subijcitur ille ager. 4.

Ita

Caiet. Soto. Ita Caietanus hic, & Sotus *lib. 9. de iustitia, quæstione 3. art. 4. & alij*: neque hoc negat *Glossa in c. citato*; quæ & notat nomine clericorum posse intelligi illic clericos coniugatos: hoc est habentes primam tonsuram, vel minores ordines in statu coniugali. Nec abnuo quo minus hi intelligantur, dummodò quoque intelligantur etiam alij clerici: & debere intelligi satis colligitur ex ipsa Decretali.

5. *Ad secundum respondetur*, eundem sub eadem ratione non esse dantem, & recipientem decimas, atque adeò non confunditur actio: nam clericus dans decimas, largitur de prædijs proprijs, non vt clericus, sed quasi esset laicus, de bonis proprijs eas dat: recipit verò vt clericus, cui decimæ debentur: potest enim quis vt priuata persona sibi ipsi tãquã publicè obligari, sicut tutor tanquam debitor pupillo, soluit sibi ipsi tanquam tutori, l. *Quoties, ff. de administratoribus tutellæ*, & potest Rex filios suos legitimos efficere non tanquam pater, sed tanquã Rex, Similiter in l. *Si Consul. ff. de adoptionibus*, Consul tanquam priuatus manumittit seruum apud se ipsum, tanquam magistratum.

6 *Tertiò dico*. Ex prædijs Ecclesiæ intra propriam parochiã sitis; hoc est in ea, in qua clerici inseruiũt, non tenentur eiusdẽ parochiæ clerici decimas soluere: Ita D. Thom. in *solutione ad primũ*, & omnes eius discipuli; non alia ratione, nisi ea, quæ adducta est in corpore articuli. Nimirum, quia talia prædia addicta sunt Ecclesiæ, vt ex eis ministros alat, fabricã tueatur, necessaria cultui diuino suppeditet. Non est igitur æquum, vt ex eis petat decimas, cum omnes eorum fructus in eiusdem Ecclesiæ vsus refundẽdi sint: esset enim actiones confundere, cũ idem esset dans, & recipiens sub eadem ratione, nempè daret pro Ecclesiasticis functionibus, & reciperet pro eisdem: & hoc est, quod voluit prohibere Paschalis secundus, cap. *Nouum genus*, extra de decimis.

7 *Quod si obijciat quispiam*; parochus vt est persona priuata ex prædijs proprijs tenetur decimas dare sibi ipsi, vt persona publica, & minister Ecclesiæ est: ergo non erit absonum, vt de prædijs Ecclesiæ tanquam eorum administrator det sibi ipsi decimas tanquam ministro sacrorum. *Negatur* consequentia. Nam ex solutione decimarum in casu antecedẽtis nõ sequitur per se, sed per accidens eandẽ personã esse dantem, & recipiẽtem decimas: at in casu consequentis per se sequitur, quod absurdum est. *Explico quod dicitur*. Prædia quæ parochus possidet iure hæreditario, simul & eorum fructus non sunt per se deputati vsibus sacris, neque ministris altaris: sed tantum per accidens, eo quod casu accidentaliter contingit habentem dominium prædiorum esse Ecclesiæ ministrum: vnde etiam fit, vt per accidens subsequatur hunc esse dantem, & recipientem decimas suorum prædiorum: at verò prædia Ecclesiastica, & eorum fructus per se deputata sunt pro ministris Ecclesiasticis: vnde si idem daret decimas, & recipieret, per se sequeretur eundem esse dantem, & accipientem: quod non est admittendum. In hoc dicto tertio nobiscum sentiunt plures Iuris Canonici interpretes, Panor. vbi sup. sequutus Innocen. quem citat.

Quartò dico. Clerici non tenentur soluere decimas ex prædijs Ecclesiasticis, etiam si sita sint in aliena parochia, vel in ea, in qua non inseruiunt. Ita expressè D. Th. in solutione ad primum, & omnes eius discipuli, & Glossa in cap. *Nouum genus*, citato; cui innititur D. Tho. positio: videlicet: Paschalem Pontificem dicere de omni prædio Ecclesiastico, hoc ipso quod ministerio Ecclesiastico deputatum est non debere esse obnoxium decimationis: sed cum non ita expressè loquatur Pontifex, probatur ex cap. *Conquesti*; vbi aliquanto clarius id videtur dici, sed vt rerum fatear non expresse. At D. Thomæ sententia, quæ etiam est Glossæ, vsu, & consuetudine recepta est, vt testantur Couarruuias, & Gutierrez in locis citandis. Huic assertioni refragatur phalanx Canonistarum oppositum sentientium, quos citat Couarruuias *lib. 1. variarum solut. cap. 17. num* 8. & Ioannes Gutier. *in suis canonicis lib. 2. cap. 21. à nume 54. vsque ad 57.* Rationes pro hac sententia non desunt. 8 Couarru. Gutier.

Prima. Quia etsi dotalia sint Ecclesiæ prædia, sunt tamen ei oneri subiecta, & ea seruitute affecta soluendi decimas, nisi ministri accepturi Ecclesiæ inseruiant, vbi sita sunt prædia; quia superflua esset talis exhibitio, vt vidimus in præcedenti asserto. 9. *Secunda*. Quia aliter non potuit prædium in Ecclesia transferri nisi cum hoc onere. *Tertia*. Quia vna Ecclesia non potest cum alterius Ecclesiæ damno extrui, fundari, dotarive. *Quarta*. Quia sequeretur posse contingere, quod vna Ecclesia omnibus suis decimis, aut maiori earum parte defraudaretur, si accideret aliam Parochiam donari omnibus illius Ecclesiæ prædijs, aut maiori parte, vel ea emere; etenim tunc, si vera est sententia D. Thom. omnia illius Ecclesiæ prædia immunia essent à decimarum onere: quod tamen illatum videtur non admittendum. *Quinta*: ex cap. *Ecclesia*, & c. *Quicunque*. 16. q. 1. & c. *Nuper*. de decimis colligitur prædia collata ad monasteria fundanda nõ liberari ab obligatione pendendæ decimæ.

Ad primam, & secundam rationem respondetur. 10 Fortassè ante tempora Paschasij secundi omnia prædia Ecclesiæ, maximè existentia in aliena parochia non erant exempta à decimarum vinculo: postea verò idem Pontifex ea exemit in cap. *Nouum genus*. *Sed melius respondetur*, hoc ipso quod prædia alicui Ecclesiæ applicata sunt; deberi liberari à decimarum onere, & de facto liberantur, vt declarauit præfatus Paschasius in cap. citato; non quasi rem nouam instituens, sed ius antiquum declarans, quod indicant illa verba, *Nouum genus*, & probatio adducta ex Leuitis.

Ad tertiam, & quartam rationes respondetur cum domino Caietano, sententiam D. Thom. cum grano salis intelligendam esse, videlicet, nisi ex hac immunitate à decimis notabile damnum Ecclesiæ, in qua sita sũt prędia, inferretur, vt in casu quartæ rationis, quare in tali casu, & similibus prædia extraneis Ecclesiis donata debeat cum suo onere transferri: videlicet vt solitas parochiali Ecclesiæ decimas soluant; & tunc clerici per accidens à clericis decimas exigerent, scilicet ratione prædiorum sibi annexorum; nec obstaret cap. *Nouum genus*, quod intelligendum est de eo, quod per se & regulariter contingit.

Ad iu-

Ad iura citata pariter respondetur, esse intelligenda, quando ex applicatione prædiorum ad monasteria fundanda, magnum damnum Ecclesijs parochialibus generaretur. Explicatio hæc intelligitur ex cap. *Suggestum*, de decimis, vbi cum cuidam Religiosorum ordini concessum esset priuilegium, ne decimas solueret; & tanta deinceps illis fieret prædiorum accessio, vt aliæ parecciæ magnum damnum acciperent, visum est, vt fieret super hoc recompensatio, ne contingeret, quod vnus esuriret, alius verò ebrius esset.

11. *Sed quid dicendum* est de decimis personalibus, teneturne eas soluere clerici: Pari tenore *respondetur*; nam clericus potest lucrari aliqua vt clericus, id est, titulo, & actione spirituali, verbi gratia, pro Missa, vel officiando Anniuersario, & similibus: aliqua verò lucratur, vt artifex, vel corporaliter laborans: de priori lucro non debet clericus personales decimas; quia illud conuenit sibi vt clericus. Ita Couarruuias vbi supra, numero octauo, verbo, *Pritium*, vbi absolutè dicit esse clericos imunes à personalibus decimis soluendis, sed intelligendus respectu lucrorum, quę titulo clericali obueniunt. Si posteriori modo lucretur, debet decimam personalem, si ab alio parocho Sacramenta percipiat: nec est textus in iure, vnde colligatur eos clericos esse ab illis personalibus decimis immunes. Ita sentit apertè Syluester, verbo, *Decima, num. 3.* Excipit tamen clericos in communi viuentes, quod & insinuat Abbas. Sed de hoc inferius.

Covarr.

Hæc quæ dicta sunt vera esse existimo, & communiter acceptata à Theologis, & Canonistis: sed maiori examine discutienda sunt, præcipuè litera, & doctrina D. Th. De quo instituitur

DISPVTATIO V.

An litera D. Thom. in articulo sit vera?

1. ET *primò arguitur* contra primam eius conclusionem, qua dicitur clericos, vt sic, nō obligari ad soluendas decimas. *Contrà*, quia clerici, vt clerici sunt, suscipiunt Sacramenta, & alia spiritualia à suis superioribus, vt videre licet in clericis inferioribus Summo Pontifice: Nam ab Episcopis ordinantur, & consequenter Sacramenta ab eis suscipiunt, etiam vt clerici sunt. Item inferiores omnes reguntur spiritualiter à superioribus, vt sacerdotes simplices à parochis, hi ab Episcopis, & omnes à Summo Pontifice. Regimen autem illud spirituale est, & competit clericis formaliter, vt clerici sunt: sic enim subijciuntur Ecclesiasticæ potestati, & regimini: ergo ratione illius debent decimas, etiam vt sunt clerici.

Quod si dicas, clericos esse debitores decimarum, etiam vt clerici sunt; sed non tenentur eas soluere ex spiritualibus reditibus. *Contrà arguitur secundò*. Si debent illas vt clerici propter exhibitum officium spirituale à suis superioribus: ergo vndecunque habeát siue ex prędijs Ecclesiasticis, siue laicalibus tenentur huic debito satis facere. Hoc enim valde accõmodatarium videtur ad rationem illius debiti, & ad solutionem eius: vt si clericus debeat famulo stipendium, & non habeat vnde soluat, nisi ex fructibus sui beneficij, ex illis tenebitur soluere.

Dices cum Diuo Thoma. Tunc solueret decimas, vt clericus est, quādo ex reditibus Ecclesiasticis soluit; non verò quando ex prædijs laicalibus. *Contra tertiò*. Quia ista locutio non est propria, aut formalis. Nam hęc formalitas nō est attēdēda ex titulo, quo acquirūtur bona, ex quibus soluūtur decimę; sed ex titulo, propter quem decima soluitur, quia ista est ratio soluēdi & nō alia, & per illā reduplicationē in quātū clericus, ratio soluēdi significatur; sicut licet mercator soluat decimas ex lucro suę negotiationis, & agricola ex fructibus sui agri, & piscator ex captura pisciū, omnes soluūt sub eadē ratione; videlicet fidelis subditi; quia hoc titulo debent, non sub ratione venatoris, aut agricolæ, &c. quia hoc materiale est ad rationem soluendi decimas. *Ex his argumentum conficitur.* 2.

Clericus debet decimam, non solùm quia recipit Sacramenta modo communi alijs fidelibus; sed etiam quia speciali modo, vel Sacramēta, vel alia spiritualia recipit ab alio sibi superiori: ergo dicendus est debere decimas, vt clericus, & vt talis soluere, etiam si ex patrimonialibus bonis, vel laicalibus illas soluat: ergo illa distinctio clericorum, vt clerici sunt, & vt fideles subditi Ecclesiæ sunt, fictitia apparet: sed potius dicendum esse clericos communi ratione, & titulo quo obligantur fideles ad soluendas decimas, & ipsos clericos teneri; & speciali ac proprio clericorum recipientium ab alijs sibi superioribus Sacramenta specialia & spiritualia ad quas soluendas tenebantur, vndecunque habeant, siue ex prædijs laicalibus, siue ex Ecclesiasticis:

Confirmatur, quia D. Thom. in articulo æquiuocè procedit, dum sic infert: *Clericis, in quantum sunt ministri altaris spiritualia populo seminantes, decimæ à fidelibus debentur: ergò tales clerici in quantum clerici sunt*; id est, in quantum habent Ecclesiasticas possessiones *decimas soluere non tenentur:* quæ argumētatio primò deficit in illatione; quia deberet inferre in quantum actiuè se habent, nō se debent habere passiuè. *Secundò*. In explicatione illa clerici vt clericus, per hoc quod est, in quantum clericus, habet Ecclesiasticam possessionē; quod est longe diuersum à ratione clerici, vt clericus est; quia estò nō debeat decimas; in quātum habet illas possessiones, id est, licet inde non nascatur obligatio soluēdi decimas; potest nihilominus eas debere ratione ministerij passiui, quod recipit à suis superioribus, & tunc debet illas vt clericus.

Doctrina D. Thom. solida est, & distinctio præfata acceptatur communiter à Theologis, & Iurisperitis, licèt aliqui horum sub alijs terminis eam tradant; quare solum superest ad argumenta contra illam facta respondere.

Ad primum conceditur consequentia, & consequens inde illatum: pro quo *notandum* decimas dupli- 5.

dupliciter posse deberi à clericis; *vno modo* ratione personæ, quæ se habet passiuè in receptione Sacramentorum, & quarundam functionum spiritualium respectu superiorum, quibus subijciuntur; & isto pacto, vt argumentum probat, clerici etiam, vt clerici, possunt obligari ad soluendas decimas; sed de facto non obligantur in iure, non enim à Summis Pontificibus, aut aliquo Concilio generali id onus impositum est, licet posset imponi, maximè à Summo Pontifice: neque hoc negauit D. Tho. sed potius adstruit in solutione ad tertium. *Secundo modo*, decimæ deberi possunt à clericis debito quodam reali: id est, obligatione proueniente à rebus ipsis, ex quarũ fructib. penduntur decimæ; & isto pacto dicitur clericos, in quantũ clericos, id est, in quãtum habẽt deputata pdia, p suo ministerio non debere decimas: & isto modo loquitur D. Th. & desumpsit ex Decretali paschalis secundi suam doctrinam, quam vt explicaret vsus est ea distinctione de clericis in quantum clerici sunt, id est, in quantum habent deputata pro suo ministerio prædia Ecclesiastica, siue per donationem, siue per legatũ, vel quouis alio modo, & sic non tenentur decimas soluere: secus de prædijs laicalibus.

Et *si roges*, quare hęc non sunt libera à decimatione, sicut & illa? *Respondetur*. Quia illa potius inter decimas computantur, saltem inter necessaria ad sustentationem ministrorum; & dissonum rationi est, ac superfluum, vt ea, quæ sunt sustentationis materies eidem sustentationi rursus subijciantur; sicut ex his, quæ deputata sunt pro famulis alendis superfluum, & dissonum rationi est, vt portio subtrahatur pro eisdem famulis alendis. At vero prædia laicalia cum non sint deputata pro ministris sacris, iustum est, & ita fit, vt oneri decimarum apud quemcunque possessorem sint obnoxia.

Ad *secundum respondetur*, probare id fieri posse, quod si clerici inferiores etiam parochi obligarentur ad decimas soluendas suis superioribus propter titulum, & rationem ibi narratam, tenerentur certè de fructibus Ecclesiasticorum prædiorum soluere, si aliunde non haberent: nec hoc est contra D. Thom. doctrinam, vt modo explicabamus.

4. Ad tertiũ respondetur, Diuum Tho. non negasse, vt aliqui putãt, clericos vt clericos nõ teneri soluere decimas pro sustentatione suorũ superiorum, à quibus spiritualia suscipiunt: licet de facto illas non soluant pro hoc debito personali: sed loquitur de solutione decimarum, vt de facto contingit ex debito reali ratione possessionum. Et dicuntur illas clericos non soluere, quia non soluunt ex Ecclesiasticis bonis, sed ex laicalibus. In quã formalitate loquendi magis attenditur ad bona, ex quibus fit solutio, quam ad debitum personale sustentandi sibi superiores propter ministeria spiritualia, ac regimen, quæ erga clericos exercent. Ad *confirmationem respondetur*. Virtualiter fit similis illatio, quia si soluerent ex prædijs Ecclesiasticis per se loquendo idem esset agens, & patiens. Item si ratio clerici sumeretur in tota sua latitudine, non esset adæquata illa reduplicatio; sed tamen sumitur contracta ad propositum de clerico, scilicèt vt exercet ministerium clerici: cuius est quasi propria passio, vt ei deputentur necessaria ad sustentationem, & ideò si quæ prædia illis ministerijs sacris deputentur, vt clericus est, habet illa, & exempta à solutione decimarum: tum propter congruentiam datam: tum quia Pontifices meritò ab eo onere liberarunt.

DISPVTATIO VI.

An doctrina huius articuli, & circa illum tradita, verum habeant in omnibus clericis? & qui sint illi;

ET videtur vera pars negatiua primo. In Summo Pontifice, quem esse obligatum ad decimam soluendam non est æquum asserere? eo quod decimæ quoddam genus tributi, & seruitutis est, quam subire principem supremum non decet. *Confirmatur*. quia non est cui possit soluere: non superiori: quia nullus extat: non Ecclesiæ; cum ipse supra illam sit: neque sibi ipsi: quia hoc ridiculum videretur: ergo. 1.

Secundo. Quia omnes Ecclesiastici, etiam Episcopi inferiores Summo Pontifice recipiunt multa Sacramenta, multa spiritualia in regimine, & doctrina à suis superioribus: singuli Episcopi à summo Præsule, parochi ab Episcopis, & sic de alijs: ergo ratione huius ministerij passiui tenebuntur suis superioribus decimas soluere; quæ ad sustentationem ministrantium spiritualia institutæ sunt: *Confirmatur* ex cap. *Quæsti.* 16. quæst. 1. quod Gratianus refert. ex Concilio Maguntino, inuenitur tamen in Cabilonensi 2. cap. 19. vbi sic dicitur: *Quæsti sunt quidam fratres, quod essent aliqui Episcopi & Abbates, qui decimas non sinunt dari Ecclesijs, vbi illi coloni Missas audiunt: proinde decreuit sacer iste Conuentus, vt Episcopi & Abbates de agris, & vineis, quæ ad suum, & fratrum stipendium habent, decimas ad Ecclesiam dari faciant: familia verò ibi dent decimas suas, vbi infantes eorum baptizantur, & vbi per totum anni circulum Missas audiunt.* En Concilium iubet Episcopis, vt dent decimas etiam ex prædijs sibi deputatis pro stipendio ministerij sacri: quod est contra dicta in præcedentibus. Idem argumentum fit de parochis.

Quidam Canonistæ existimarunt Summum Pontificem teneri ad decimarum solutionem. 2. Ita Rebufus *quæstione* 5. *numero* 26. cum Andrea Hispano *Reg.* 10. *quæstione*. 11. Alij tenuerunt Papã non teneri ratione suæ personæ, id est, quia ipse obligatus sit lege decimas soluere; sed tantum vi directiua, sicut & Principes suis legibus obligantur. Alij quod tenentur soluere decimas prædiales, & nullas alias. Alij quod nullas, vt Abulensis *Matthæi*. 23. *quæstione*. 193. *Rebuf. Hispan.*

Pro solutione *aduertendum*, quod supra tetigimus decimam duplici titulo deberi, vel ratione perso-

personæ vel ratione prædij. Hæc distinctio colligitur in cap. *Tua nobis*, in fine de decimis. *Primo modo* oritur obligatio ex eo, quod persona fidelis, quæcunque sit illa, recipit spiritualia ab alijs, siue Sacramenta, siue doctrinam, siue quæcunq; alia ad regimen spirituale concernentia. *Secundo modo* obligatio oritur ex re accepta, vel retenta: quia secum affert onus decimarum, vt de omnibus prædijs laicalibus supra docuimus.

His suppositis *dico primo*. Pōtifex nō tenetur de-
4 cimam soluere ratione personæ. *Probatur* primo argumēto facto in disputationis initio cum sua confirmatione. Secundo. Obligatio ad reddēdas decimas ratione debiti personalis, oritur ex regimine passiuo in spiritualib', v.g. in Sacramētorū receptione, & aliorum huiusmodi. Itaq; hoc debitum superiori debetur; sed in nullo horum Pōtifex est inferior alicui: ergo, &c. *Nec obstat*, quod Pontifex ab alijs recipit Sacramenta vel confessionis, vel extremæ vnctionis: imò, & ordinem, & consecrationem recipere potest, & ad hæc suscipienda habet ministros deputatos. *Cui obiectioni respondetur*. Omnes isti ministri sunt commissarij Pontificis, & illo inferiores, ac proinde non tenetur Pontifex illis dare decimas, quæ institutæ sunt ꝓ ministris, quibus incumbit ex officio Sacramenta, & alia spiritualia sibi inferioribus ministrare. Fateor, tenebitur istos ministros pro se, & à se deputatos alere, sicut alios officiales suos, non quidem soluendo illis decimas, sed applicādo eis partem vel decimarum, quas reliqui fideles soluunt, vel aliorum Ecclesiasticorum redituum, vel certū stipendium: quia hoc ad præceptum naturale alendi famulos pertinet, non ad præceptum decimarum, quod Iuris positiui humani est.

Vnde sumitur tertia probatio pro nostra assertione, quia Papa non tenetur legibus humanis, cum sit eis superior: ergo neq; præcepto decimarum. *Dicet fortassis quispiam*, non teneri quoad vim coerciuam, benè tamen quoad directiuam, vt dicitur in materia de legibus. *respondetur*, id esse intelligendum quando res respicit rationem vniuersalem; & honestatem communem Principi, & subditis; vt lex ieiuniorum, & similes; lex autem decimarum non est huiusmodi, sed directè respicit fideles aliquo modo subditos in spiritualibus, vt dictum est. Illud verò, quod adducunt citati Canonistæ, & Rebufus Pontificem obligari ad soluendas decimas in recognitionem dominij diuini ergà omnes, nullius momēti est: tum, quia decimæ nō sunt primò & per se ad hoc institutę: tum, quia hæc recognitio Deo debita non necessariò per decimas soluitur, sed multis alijs modis, puta sacrificio, oratione, & similibus.

Dico secundo. Summus Pontifex nisi secum di-
5 spenset, tenetur dare decimas de prædijs patrimonialibus suis, aut alia via non Ecclesiastica cōparatis ei Ecclesiæ, in cuius territorio prædia illa sita sunt. *Probatur*, quia illa prædia post Parochiarum, vel diœcesum diuisionem, alicui Ecclesiæ deputata, habent annexum tanquam onus reale debitum decimarum, respectu talis, vel talis Ecclesiæ; vt sæpè docuimus, & amplius dicetur infra: ergo tenetur ex ijs prædijs soluere decimas Ecclesijs illis, quibus antea debebantur. *Confirmatur*, quia licet Summus Pontifex sit supremus dispensator decimarum, & iurium ad eas, nō tamen est dominus, ita vt pro arbitratu suo possit illas sibi vsurpare. *Dixi tamen*, nisi secum dispēset: quia id poterit efficere ex causa iusta, quæ erga se non minorem efficaciam habebit, quàm erga alios, cum quibus ex causa sæpè dispensat. Itē consultò dixi, teneri de prædijs non Ecclesiasticis, nā si prædia pertineant ad Pontificem, vt Pontifex est, qualia sunt pertinentia ad patrimonium D. Petri, perspicuum est eas non debere, sicut neq; alij clerici.

Hoc secundum dictum non placet Abulensi 6
super c.23. Matth. q.393. vbi censet oppositum; sci- Abulen.
licet quia præceptum decimarum ad ius positiuum humanum pertinet, vt supra docuimus: sed supremus Princeps non obligatur legibus suis, neque sui prædecessoris, quia par in parem non habet imperium: ergo Summus Pontifex nullo modo dicendus est obligari lege decimarum. *Respondetur*. argumentum probare præceptum decimarum, nō obligare directè personam Pontificis obligatione, & debito, quod oritur ratione personæ: at verò cum hoc stat obligari ad reddēdas decimas ratione rei, quam possidet, & quæ habet affixum onus soluendi decimas; cum quo onere manet apud quemcunque possessorem: sicut infideles habentes prædia in ditionib' Christianorum, non obligantur præcepto decimarū, neq; naturali, neq; positiuo humano; quia eo nō adstringuntur ante baptismum susceptum: at ratione rei apud se retentæ, & obligatione reali tenentur eas soluere ex prædijs, quæ in terris Christianorum possident. *Et si adhuc vrgeat quis*. Obligatio hæc ratione rei possessæ in materia decimarum, pendet á Iure humano positiuo Pontificum, qui olim diuiserunt parochias, & diœceses, atque illis applicarunt prædia in eis sita, obnoxia decimationi; sed Summus Pontifex non est subiectus legibus, & ordinationibus suorum prædecessorum: ergo neque illi ordinationi, & diuisioni prædiorum cum onere decimationis. *Respondetur*. Illa facta diuisione, fortasse nō posset Ponti-
fex omninò tollere, ne confunderentur limites 7
parochiarum, & diœcesum, & status Ecclesiæ deformaretur: quia eius potestas non in destructionem, sed in ædificationē cōcessa est, & ea admissa oblatione nō solum á prædijs Pontificum tolleretur onus illud decimādi, verum & à ꝓdijs omnibus: & ferè totum ius decimarum rueret, & medium antiquissimum ad sustentationem ministrorum excogitatum, omnium mediorum congruentius è medio tolleretur.

Vnde probabiliter suprà intulim', non posse Pontificē à toto terrarum orbe onus decimandi tollere: & ferè idem inconueniens sequeretur, si diuisionem parochiarum, & diœcesum, & onus impositum prædijs cuiusq; auferret, vel confunderet. Quod si vellet duntaxat sua prædia ab hoc onere liberare, posset quidem, sed secum dispensando ex legitima causa, sicut cum alijs solet: nostra verò assertio seclusa dispensatione intelligēda est.

da est. Habemus ergo Sũmũ Pontificẽ nõ teneri ad decimas debitas ratione personæ, neque ratione ministerij passiui, aut subiectionis spiritualis ad aliquem (cum nullam habeat) neque propter lucra etiam temporali titulo acquisita, quia lege illa non ligatur: tenetur tamen reddere decimas ex prædijs non Ecclesiasticis ratione rei, quæ secum onus decimandi fert apud quemcunque possessorem.

8 *Dico tertio.* Episcopi nullas debent decimas ratione personæ, ac subinde neq; personales decimas: at vero tenentur prædiales soluere ex prædiis, quæ titulo laicali possident. *Prima pars probat.* Non quidem ea ratione, qua respectu Summi Pontificis probata est similis assertio, népè, quia Episcopi non habent superiorem, à quo recipiant Sacramenta, quem teneantur alere, habent enim superiorem Summum Pontificem, qui ex officio & potestate suprema eis Sacramenta ministrat, & in spiritualibus gubernat: ac proinde si vellet, posset etiam ex vi naturalis iuris sustentationis ab eis exigere decimas, vt adnotauit D. Thom. *in solutione ad tertium.* Imò si necessitas postularet, posset maiorem quottam imponere. *Sed probatur.* Quia de facto Pontifex non est vsus hac potestate quoad quottam decimarum Episcopalium, nec reperitur tale ius in Pontificis iussionibus, neque vsus illud ostendit, vt idem sanctus Doctor animaduertit; sed Pontifex alitur, & sustentat onera sui status ex tributis, & reditibus sui dominatus temporalis, quod vocant patrimonium D. Petri; & etiam ex quibusdam vacantibus quorundam Episcopatuum, ac beneficiorum; & partim ex aliis multis iuribus, circa expeditiones quarundam concessionum, ac Bullarum, & huiusmodi. *Secunda pars asserti* communis est Theologis, præcipuè D. Th. in hoc art. & Iurisperitis in c. *de decimis*, & probatur eadem ratione, qua de Sũmo Pontifice idem adstruximus: quia illa prædia habent affixũ onus decimãdi apud quẽcunque maneant; & quia dato opposito Ecclesia in iuribus suis valdè læderetur, si prædia laicalia, eo quod transeunt ad Episcopos, non essent obnoxia decimationi.

9 *Quod diximus* de Episcopis, respectu Sũmi Põtificis, etiam asserendum est de parochis respectu Episcoporum, quibus non debẽt decimas obligatione orta ex personis; quamuis enim propter gubernationem in spiritualibus digni sunt Episcopi, vt à parochis sibi subditis alantur, non tamen extat ius hoc præcipiens, sine quo non licet eis tale onus imponere, cùm aliunde Episcoporũ sustentationi prouisum sit per communium decimarum portionem eis iuxta sacros Canones designatũ, vel per alios Ecclesiasticos reditus eis applicatos. Igitur ratione personæ nullas debent parochis, Episcopis, aut Pontifici decimas personales, siue temporali titulo acquisierint, siue spirituali. Dices: debent suæ Ecclesiæ, vt in cumulum redactæ cum aliis decimis, posteà omnes, cũ proportione diuidantur iuxta ius commune, vel consuetudinem. Respõdetur. Neque suæ Ecclesiæ debent, ad quam, vt benè notauit Soto, non comparatur parochus vt recipiens, sed vt conferens sacra: tenentur verò parochi decimas prædiales soluere ex prædiis patrimonialibus, aut alio titulo laicali acquisitas, vt D. Thom. docet in artic.

Est tamen vnum discrimen inter Pontificem, & Episcopũ, quod Põtifex habet potestatẽ imponẽdi decimas parochis, sicut & Episcopis. Episcop⁹ autẽ nõ potest illas imponere parochis sibi subiectis, nec tributũ aliquod aut subsidiũ ab illis exigere, præter id quod iure communi sancitũ est: vt patet ex c. *constitutum.* c. *nonnulli Episcoporum.* c. *ad hoc.* c. *Prædicator.* 16. q. 1. & non solum Episcopus hoc non potest erga clericos, verum neque erga laicos; quia hæc impositio reseruata est supremo Pastori, & dispensatori, vt constat ex iuribus citatis. 10

Dico quarto. Alii clerici simplices, q vt Religiosi, & mercenarii, & si qui sunt alii non sunt pastores Ecclesiæ, neq; ex officio diuina ministrant aliis fidelibus, attento iure cõmuni, & per se loquendo, ac seclusis priuilegiis tenentur ad soluendas decimas, non solum reali debito, quando contigerit eos aliquot habere laicalia prædia, sed etiam debito personali personales decimas. Hoc assertum habetur à D. Thom. *in solu. ad* 2. Estque communis omnium sententia in præfato *cap. 2. de decimis*, vbi Hostiensis, Antonius, Abbas, Henr. Cardinalis *consil. 90.* Couar. Soto Gutierrez. Rebufus, & alii supra citati: & probatur ex secunda parte illius textus citati, in qua dicitur clericos, qui ab aliis clericis recipiunt spiritualia, decimas debere. Intellige non ratione rei possessæ, quæ interdum nulla est, sed ratione operis & laboris ministrantium, ex quo oritur personale debitũ: quare sine causa glossa ibi limitat eam secundam textus partem ad clericos coniugatos, qui in nullo sunt liberi à solutione decimarum, vt habetur *c. 1. de clericis coniugatis in 6.* tum quia textus absolutè loquitur: tum quia ratio ibi assignata in omnibus clericis recipientibus ab aliis diuina, locum habet, vt notauit Rebufus, vbi supra. 11

Item neque limitanda est ad clericos inferiores primæ tonsuræ, vel tantùm minoribus ordinibus initiatos, quia eadem ratio textus est, & militat de clericis in sacris, etiã si sacerdotes sint: vt D. Antoninus, & alij ibi dixerunt, quia licet sacerdotes à se, & non ab alijs Sacramentum Eucharistiæ suscipiant, in alijs verò subduntur parochis quoad spiritualia, vt communiter notant Iusperiti in cap. *omnis vtriusq; sexus:* omnes ergo isti clerici etiam sacerdotes simplices sub præcepto soluendi decimas personales, & prædiales comprehenduntur.

Ab hac tamen obligatione quidam excipiunt clericos alicui Ecclesiæ inseruientes, cui, inquiũt, non tenentur tales clerici decimas soluere, etiam de patrimonialibus bonis. Ita Alensis supra, quẽ Syluester, & Angelus sequuntur, & probant ex cap. 2. de decimis. Sed probatio infirma est, si sit sermo de decimis ex prædijs patrimonialibus, vt patet ex dictis: & est expressè contra D. Thom. hic. Præterea parochus tenetur de his prædijs decimas soluere: ergo à fortiori quilibet alii; clerici, quamuis eidem Ecclesiæ inseruiant. Idem argumentum 12 Alens.

mentum sumitur ex parte Pontificis, aut Episcoporum, qui propter onus affixum prædijs laicalibus teneri diximus ex eis decimas soluere. Item quia alias grauiter læderetur Ecclesia, quia possent clerici inseruientes ei multas possessiones acquirere, & eam decimis priuare. Præterea hoc inconueniens cauetur in cap. *si quis Laicus, vel clericus 16. quæst. 1.* At verò, si hæc sententia intelligatur de decimis personalibus, etiam est falsa, neque habet in iure fundamentum, non in priori parte textus allegati, quia ibi tractat de clericis vt clerici sunt: id est, vt habent possessiones Ecclesiasticas, neq; in secunda parte, vt vidimus. Sunt igitur hi clerici obligati, sicut quiuis alij nō inseruientes Ecclesiæ alicui.

13 Sed quid de his clericis simplicibus si habeant prædia Ecclesiastica, aut aliquos fructus Ecclesiasticos percipiant? *Respondetur* cum D.Th. communiter recepto non debere decimā, quia prædia Ecclesiastica sunt libera ab hoc onere, vt superius docuimus, Ecclesiastici reditus similiter, vt in ca. sæpè citato, exemplo Leuitarum diffinitur: ergo non tenentur hi clerici debito reali, neque etiam tenentur debito personali, quia illud etiam apud laicos perseuerat de lucris laicali titulo acquisitis: ergo non est cur amplius extendatur in clericis inseruientibus Ecclesiæ: maximè quia eos reditus, aut prædia accipiunt in sustentationem, & stipendium: ac consequenter debēt accipere integrum, & liberum ab omni onere Ecclesiastico, & hoc est quod in prima par. capitis citati insinuatur.

14 Ad primum positū in initio quæstionis *Resp.* ex traditis teneri Pontificē reddere decimas prædiales laicales Ecclesiæ, vbi sita sunt prædia: & illi Rectori ad cuius limites ea prædia pertinent, non tanquam superiori, sed ratione prædiorum, quibus annexum est ius decimandi in tali, vel tali Ecclesia quod ius non perdiderunt ex eo, quod ad Summum Præsulem translata sunt.

Similiter Resp. ad secundum. *Ad confirm. respond.* illum Canonem subobscurum esse, sed tamen nō facit sensum propositum in argumento, ita quod iubeat Concilium Abbates dare decimas sibi deputatas in stipendium, sed quod iubeant suis colonis, & familiæ, vt decimas, quæ debentur in stipendium eorum, & suorum fratrum clericorū, non detineant, sed dent Ecclesijs, quibus debentur. Et colligitur explicatio ex Canone Vrbani Papæ, q. sub dicto ca. *questi*, refertur in nouo decreto Gregoriano, vbi sic habetur. *Perlatū est ad sanctam Synodum, quod sint quidam Episcopi, & Abbates, qui colonos ad se pertinentes non sinant dare decimas ad Ecclesias, vbi Missas audiunt, & infantes eorum baptizantur: proinde decreuit sacer iste conuentus, vt Episcopi, & Abbates de vineis, vel agris, ac frugibus, quæ ad suum, vel fratrum vsum laborant, decimas, sibi pro benedictione, vel hospitum susceptione habeant, familia verò ibi dent decimas suas, vbi per totum anni circulum Missas audiunt, & infantes eorum baptizantur.* Hæc de hac disputat.

15 Circa eundem articulum, vbi egimus de subiecto obnoxio decimationi, & ijs, quæ illud circumstant, operæ pretium erit agere de exemptis ab hoc onere per concessionem Pontificiam, quæ priuilegium appellatur: nam de exemptione per consuetudinem, aut præscriptionem multa in præcedentibus dicta sunt. Et modo lectorem moneo, non esse mihi animum enarrandi priuilegia actualiter concessa siue priuatis personis, siue communitatibus: tum quia ferè innumera sunt: tum quia post commentaria nostra circa quatuor articulos huius q. 87 vice appendicis ea enarrare conabor; præcipuè concessa Religiosis: adiunctis glossulis, & disputationibus, sicut iudicauero expedire: sed duntaxat hic disputabo de quibusdam necessariò sciendis circa priuilegia in generali, siue concessa fuerint, vel concedenda, siue possibilia, & nunquam concessa. Et ideò sit

DISPVTATIO VII.

An possit Pontifex aliquos priuilegiare, vt non soluant decimas, vel vt eas sibi alias non debitas vsurpent?

ET videtur vera pars negatiua. *Primo*, quia decimæ dantur in recognitionē dominij diuini, vt in c. *tua nobis*, dicitur: sed nullus potest humana potestate eximi ab hac recognitione, quæ de iure naturæ est: ergo, &c. Confirmatur, quia præceptum decimas dandi naturale est, saltem quoad decimam sustentationis: ergo priuilegium Summi Pontificis nō poterit aliquos eximere à decimis soluendis, saltem quoad sustentationem. 1

Secundo, vt minimum sequitur non posse tale priuilegium concedi laicis, quia per illud totum Ecclesiasticum corpus illis Ecclesiasticis reditibus priuatur, quod videtur esse in magnum præiudicium Ecclesiæ, & contra institutionem decimarum, nempè pro clericis vt sacra ministrent. *Confirmatur*. Collatis beneficijs Rectoribus Ecclesiarum, & Episcopis, istius iuris percipiendi decimas, & prouentuū veri domini efficiuntur, at Pontifex non potest citra culpam eorum priuare legitimo dominio, quia cōtra ius naturę faceret: ergo.

In oppositum facit vsus, & praxis Pontificum frequenter hæc priuilegia concedentiū: & colligitur ex c. *à nobis c. ex parte de decimis, & cap. nuper, eodem titul.* quamuis similia priuilegia ibi aliquo modo restringantur: & idem habetur ex ca. 2 de Ecclesijs ædificandis, & cap. vltimo, vt lite pendente. Colligitur etiam ex amplissimis priuilegijs cōcessis Religiosis, de quibus inferius. *Secundo*, quia ius decimarum quoad quottam esse de iure positiuo, superius circa articulum primum latè probaui: sed Summus Pontifex, sicut potuit ius positiuū concedere, potest & abrogare, vt ibidē docuimus: ergo poterit quosdam eximere à solutione decimarum per sua priuilegia ad eum effectum concessa. 2

Hæc pars indubitata est apud Theologos, & Iurispe- 3

Iurisperitos: qua autem via aut modo id efficiat Pontifex, declaratione, eget. Quidam aiunt, do- 3
nando decimas his, quibus priuilegium exemptionis decimarum conferre vult. Sed quamuis id efficere potest Pontifex per modum donationis, seu concessionis erga decimas, pertinentes, & applicatas Pontifici, quarum est dominus: tamen cum constet multa priuilegia concedi respectu cuiuscunque Ecclesiæ, Episcopatus, vel beneficij, alia via talia priuilegia iustificanda sūt.

Existimo autem esse concessa per modum dispensationis in lege communi de soluendis decimis, vel si mauis per modum applicationis earū ad vsum, & sustentationem eorum, quibus tale priuilegium conceditur, vt in priuilegijs Religiosorum insinuatur.

Aduertendum tamen, quod & superius circa ar-
4 ticulum primum tetigimus, circa huiusmodi exemptiones & priuilegia, vt licitè concedantur esse necessariam causam iustam, sicut dicitur de quibuscunque dispensationibus in materia de legibus. Præcipuè verò necessaria est talis causa iusta, quando dispensatio redundat in aliquod præiudicium, vel grauamen aliorum, vt in præsenti cōtingit. Nam exemptio aliquorum à decimarū solutione minuit reditus Ecclesiasticorum: quare etiam si hæc dispensatio consideretur vt distributio, & applicatio redituum Ecclesiasticorum, magnam causam requirit, vt alijs applicentur, q̃ illis, quibus ex cōmuni & ordinario iure competebant. Quo fit, vt multo maior causa requiratur ad applicandum decimas vnius parochiæ, vel partem earum alicui Ecclesiæ, vel priuatis, quib⁹ de iure non cōpetunt, quam ad liberandum aliquos ab onere soluendi decimas, cui de iure debebantur: quia in liberatione hac solùm diminuitur portio decimarum conferendarum ab hoc, vel illo priuilegiato. In applicatione verò illa decimæ omnes, vel notabilis pars totius territorij aufertur ab eo, cui de iure attinebant.

Rursus *cōsiderandum*, applicationē decimarū extra Ecclesiam parochialē propriā posse duob⁹ modis fieri. Vno modo transferendo ius decimādi ad Ecclesias alterius territorij siue parochiales sint, siue non parochiales, vel ad quosdam priuatos alterius territorij. *Secundo modo.* Ad Ecclesias eiusdem parochiæ non parochiales, vel curam animarū non habentes, vt applicatio priori modo fiat, vrgentior causa requiritur, quia decimæ vni⁹ Ecclesiæ distrahuntur ad aliā, in qua fideles, qui decimas illas soluunt nullam spiritualem vtilitatem, vel ministerium accipiunt. In posteriori verò cum Ecclesia, cui applicantur decimæ, maneat intra eandem parochiam, semper possunt illi⁹ parochiani diuinis officijs, quæ in illa fiunt interesse, & aliquod spirituale commodum ab illa reportare. Ideòq; hoc posterius minus exorbitat à communi iure, & à fine propter quem decimæ à fidelibus soluuntur: vnde in illo genere dispensationis, quò fuerit minor separatio Ecclesiarum, eò facilius priuilegium poterit iustificari: vt si pars decimarum vnius parochiæ applicetur Ecclesiæ alterius parochiæ, vel Ecclesiæ regulari intra eandem ciuitatem, seu populum. Hoc enim minus in commodum affert parochianis, quàm si in diuersis populis fiat: & quando fit applicatio ad Ecclesiam alterius populi intra eandem diœcesim minor causa requiritur quam si fiat ad Ecclesiam alterius diœcesis, quia in iure difficile iudicatur, q̄ fructus vnius diœcesis in aliam trāsferantur, vt colligitur ex cap. *cum sint* de decimis.

Et hinc fit, vt in iure vniones perpetuæ beneficiorum iudicentur difficiles, vt videre licet in Concilio Tridentino *session. 6. cap. 7. de reformat.* 5
præcipuè illæ, quæ inter Ecclesias distinctarum diœcesum fiunt, ex eodem Concilio *session. 14. c. 9.* nihilominus licèt sint difficiles, & ideò non debeant nisi raro, & magna vrgente causa fieri, tamen non sunt impossibiles, vt notauit glossa *in præfato cap. non sint*, & potestatem Summi Pontificis non subterfugiunt: maxime quia hæc dispensatio quandoque necessaria est propter motiua valdè conducentia ad bonam gubernationem Ecclesiæ. *Nec obstat*, quod Ecclesia, seu Princeps, cui applicantur decimæ aliquorum fidelium, illis immediatè non seruiat, neque immediatè spiritualia ministret, tum quia mediatè seruit, vel in doctrina, vel in protectione vel aliquo simili: tum quia omnes sumus vnum corpus in Christo, & membra se debent iuuare inuicem, quando indigent: tum tertiò, quia Pontifex qui præest illi corpori mystico, potest, & debet bona Ecclesiæ ad vniuersale regimē accōmodare, & in omnia membra influere, pro vt viderit expedire. Et ideò potest etiam partem decimarum huic vel illi Ecclesiæ, aut membro præcipuo applicare, prout necessarium iudicauerit.

Ex dictis etiā sequitur, omnia priuilegia, vel exemptionis decimarum, vel applicationis ad aliā 6
Ecclesiam, Communitatē, aut Principē semper esse interpretanda strictè, quia odiosa sunt, etiam concessa religiosis aut locis pijs, quia simpliciter derogant iuri communi, & habent annexū præiudicium tertij, scilicet Ecclesiarum, & clericorū, qui illis decimis priuantur, ideòq; simpliciter odiosa reputantur: vt notarunt Oldra. *cons. 268.* Oldrald.
Gutierrez *cons. 5. num. 25. & alij.* Itaque strictè in- Gutier.
terpretanda, quia odio restringi debent, ita vt quam minimum fieri possit, & iuri communi legis derogent, & iuri alterius noceant: vt in simili Respondet Pontifex in c. *cum capella*, de priuilegijs: ita enim solet Princeps priuilegium concedere, vt quantum fieri possit, sine cuiusquā præiudicio obseruetur, vt dixit Iurisconsultus in l. *prætor ait. §. si quis primo & secundo. ff. ne quid in loco publico.* Semper tamen ita est facienda restrictio, vt verba priuilegij in sua proprietate saluentur, & secundum illam significationem priuilegium seruetur, vt notauit Decius *cons. 115. num. vltimo,* & Decius.
Bald⁹, *cons. 271. in primo volumine*: quia volūtas su- Baldus.
perioris seruāda est, & ea ex verbis ꝓprie intellectis colligi debet, nisi aliunde de eius intentione constet.

Et iuxta hoc videtur intelligenda glossa in ca. *ad audientiam. de decimis*, quando dicit, priuilegia esse latissime interpretanda, nimirum quantum ad proprietatem verborum retinendā, & complendam mentem, quæ fuerit, ne dum strictè interpre-

tari

tari volumus, voluntati dispensatoris contraueniamus, eius verba violentè & impropriè interpretando. Et hęc benè nota pro tota materia priuilegiorū, de quo latius in materia de legibus.

Ad argumenta pro parte negatiua *respondetur*.

7 Ad primum eò motos fuisse Panormitanum, & Hostiensem in c. *licet*, & c. *ad audientiam*, & c. *ex parte tua*, de decimis, vt teneant parté negatiuam huius dubitationis, quibus respondetur admisso antecedenti, & negando consequētiam, quia ad hanc recognitionem non est vnicum, & necessarium medium solutio decimarum: potest enim fieri oblationibus, orationibus, sacrificijs, & huiusmodi.

Ad confirm. negatur consequentia, quia ius naturæ dictans dandam esse ministris congruentem sustentationem, non dictat, vt detur ab omnibus & singulis membris communitatis, & propterea potest Pontifex eximere aliqua membra in particulari, dummodo ex decimis, quas alij soluunt, habeant ministri congruam sustentationem, vel aliunde eis sufficienter prouideatur.

Ad secundum resp. Vnum & non minimum motiuum considerandum à Pontifice, quando vult

8 concedere aliquibus priuilegium de non soluendis decimis, est qualitas personæ, & præcipuè an sit Ecclesiastica vel laica: nam de Ecclesiasticis indubitatum est apud omnes multò maiorem causam exigi ad ea priuilegia cōcedenda. Ita aduertunt Antonius, & Panormit. *in capit. à nobis, de decimis*. Imò si quis benè perpendat iura omnia citata, & priuilegia indulta, de quibus in iure fit mentio, solis Ecclesiasticis cōcessa leguntur, ad q̄ concessionem sat erit, & iusta causa iudicabitur subuentio personarū Ecclesiasticarum, vel alicuius particularis Ecclesiæ. Et idem *confirmat*. quia per priuilegium concessum Ecclesiasticis personis non immutatur adæquatus finis, & præcipuè intentus in decimis, qui est diuinus cultus, & sustentatio ministrorum Dei ac pauperum, sed immutatur particulare ius applicandi hanc partem decimarum huic Ecclesiæ, vel illi, his personis, vel illis: hoc autem licèt aliquam causam requirat, quatenus per tale priuilegium aliquo modo ius cōmune immutatur, sed tanto minor causa sufficiet, quanto minor est immutatio: præcipuè tamen cauendum est, ne tale priuilegium cedat in aliorum scandalum, vel rationabilem querelam, *iuxta cap. suggestum, de decimis*. Nihilominus tamen etiam si Summus Pōtifex excedat iustitiam causæ, & licèt in tali concessione peccet, priuilegium validum est: quia non est contra aliquod ius naturale, aut diuinum, supposito Ecclesiæ & clericis relinqui sufficientes reditus.

Anton. *Panor.*

9 Et ita in rigore non fit illis iniuria cōtra iustitiā, licet fiat cōtra legalē & fortasse cōtra prudentem, ac fidelē dispēsationē. Et hæc loquendo de priuilegijs Ecclesiasticis cōcessis, de laicis verò maior est difficultas, ꝑpter argumentū secundū factū nihilominus etiam asserendum est, ex iusta causa eis posse talia priuilegia concedi propter rationes factas; sed multo maior causa requiritur, q̄ ad cōcessionem priuilegiorum eorundem erga Ecclesiasticos.

Ad confirm. resp. in tali concessione & exemptione Sūmum Pontificem non priuare quēquam suo iure, decimæ enim & alia bona cōmunia Ecclesiæ sub hac conditione implicita applicantur clericis q̄ diu summus Ecclesiæ Presul non reuocauerit, aut aliter rationabili causa disposuerit.

DISPVTATIO VIII.

An priuilegiorum cōcessio alicui communitati, aut etiam priuatis personis de non soluēdis decimis, aut accipiendis ijs, quæ secundum ius cōmune ad alios pertinebāt, si fiat sine causa, non solum sit illicita, vt nuper docebamus, verùm etiam sit inualida? Ita vt tam concedens priuilegiū, quàm recipiens teneātur ei Ecclesiæ seu Rectori, à quo sublatæ sunt decimæ, restituere?

ET videtur eam concessionē esse validam, quia Sūmus Pōtifex habet potestatem circa Ecclesiæ bona distribuenda ita amplam & pfectam, sicut Princeps perfect⁹ 1 in sua Republica: sed distributio eorum bonorū facta à Principe seculari sine causa valida est, vt patet in Prætorijs, & Magistratibus: ergo idē & potiori ratione dicendū est de Summo Pōtifice, erga decimarum exēptionem. *Confirmatur*. Prouisio Beneficiorū facta indignis, vbi nullam adesse causam certo certius est, valida est, aliàs haberemus incertos ministros sacrorum, q̄ nō mediocrem pareret confusionem in Ecclesia Dei: ergo idem dicendum de exēptione à decimis soluendis, & de priuilegijs eas accipiendi.

Secundo. Summus Pontifex in ijs quæ iuris sūt positiui, dispensare potest, sic adeò, vt si dispen- 2 set sine causa mouente, dispēsatio illicitè fiat: sed dispensatio valida est, vt patet in dispēsatione ieiuniorum, cæremoniarū, & huiusmodi, sed institutio & præceptum soluendi decimas ad ius humanum positiuum pertenet, vt supra cōtra multos Iurisperitos docuimus: ergo dispensatio, quę in his fieret, etiam sine causa valida erit. Maior nota est legenti quæ dicuntur à D. Th. & eius di- *D. Thom.* scipulis. 1. 2. q. 90. Confirmatur, quia in exemptione à decimis soluendis locum habet consuetudo, & præscriptio, vt supra docuimus: at præscriptio, & consuetudo sine causa interueniēte præualēt: ergo Pōtifex, cui⁹ autoritate leges decimarū cōditæ sūt, sine vlla causa potest, quos voluerit, ab onere decimarū eximere, & ab vno in alterū id iuris transferre, licèt nō licitè, saltē validè.

Tertio. Si Summus Pontifex sine causa exime- 3 ret totum orbem à solutione decimarum, licèt pecca-

peccaret, sed tamen exemptio valida esset, vt supra docui probabiliter: ergo multo magis valida erit exēptio aliquorum, siue secularium, siue Ecclesiasticorum, quantumcunque sine causa fiat. Hæc sententia videtur esse communis doctoribus modernis asserentibus posse Summum Præsulem eximere quoscunq; fideles à solutione decimarum, dummodò id fiat sine præiudicio naturalis iuris sustentandi ministros Ecclesiæ.

Partem negatiuam tenēt multi Iurisperiti, Antonius de Butrio in cap. *a nobis*, de decimis, & Panormitanus, ibidem, & eum sequi videtur Syluester, *verbo decima quæst.* 5. vbi refert Innocentiū, & alios. Antonius ducitur sua illa opinione, decimarum ius ad diuinum pertinere, in quo dispensando nil potest Pontifex, Panor. verò inquit: *Licet Papa habeat plenitudinem potestatis, debet tamen facere, sicut diligens pater familias dispensando vnicuiq; sicut opus est*, & citat primum capitulum 16. quæst. 7. sed ibi nil de hoc decernitur.

Antonius. *Panorm.*

4 Sed pro hac sententia nos argumentamur. Supposita lege decimarum, dominium decimarum residet in singulis Ecclesijs, iuxta diuersitatē applicationum ad hanc, vel illam Ecclesiam, ad hūc vel illum parochum, vel in vniuersali Ecclesia, cuius singulæ aliæ sunt partes: at Summus Pontifex non dominus bonorum Ecclesiæ (inter quæ ius decimarum cōputatur,) sed duntaxat dispensator est: ergo non potest dominium ab vna Ecclesia ad aliam transferre, & multo minus ab Ecclesia vniuersali auellere, & in laicos sine vrgente causa transferre. Probatur consequentia, quia ius naturæ violaret auferendo dominium ab eo, cuius est, quod pertinet ad verum dominum, nō ad dispensatorem. *Confirmatur.* Si Summus Pōtifex, sine causa dispenset Ecclesiæ thesaurum per indulgentiam, ea dispensatio nulla est, quia thesauri Ecclesiæ non est dominus, vt dicitur in materia de indulgentijs: ergo neq; si dispenset alia bona temporalia, quarum non est dominus, quale censetur esse ius decimarum.

Pro decisione huius grauis difficultatis *dico primo*.
5 Si quando Pōtifex concederet laicis sine causa, & pro suo arbitratu priuilegium non soluendi decimas, aut ius ad eas percipiendas, (quod de Præsule Summo nō est præsumendum) tale priuilegium in conscientia nullius valoris esset, nec esset tutus in conscientia Pōtifex illud concedēs, neq; laicus illud priuilegiū acceptans, & eo vtēs.

Hanc assertionem tenemus non propter fundamentum Iurisperitorum citatorum pro secunda sententia; iam enim supra illud sæpè refutauimus: sed mouemur argumento secundo à nobis prolato, & eius confirmatione. Eandem sententiam tenet Nauarrus in *Oposc. de Spolijs Clericorū* §. *secundo, num.* 7. & Ludouicus Molina, 1. *tom. de iustitia, tract.* 2. *disp.* 142. & nouissimè Suarez *in libro primo de diuino cultu necessario ex præcepto c.* 15. & nō est intelligenda assertio de decimis, quæ Pontifici in particulari ratione suæ dignitatis, & officij, seu beneficij applicatæ sunt, quarum domin⁹ est, sed de decimis, quæ communiter soluuntur parochis, aut Episcopis, propter ministeria spiritualia, quæ exercent in Ecclesiæ obsequium. *Deinde probatur.* Quia decimæ ex sua primæua institutione tributæ sunt à fidelibus ad sustentationē ministrorum, qua ratione in diuino cultu, & sacrorū collatione occupantur: ergo q sine causa eas à tali fine diuertit in vsus profanos, non solum prodigus est, verum & iniustus: tum quia contra iustam intentionem eorum, qui decimas soluunt. & præcipuè contra voluntatem veri domini, & sine potestate ei concessa: quia Christus non dedit Pontifici potestatem dispensandi bona Ecclesiæ in dissipationē, sed in ædificationē.

Nauar. *Molin.* *Suarez.*

Secundo dico. Si Sūmus Pontifex etiā sine causa dispenset cum aliquibus personis, aut communitatibus Ecclesiasticis, vt non soluant decimas, aut verò alteri Ecclesiæ, vel personis debitas in eosdem Ecclesiasticos ministros transferat, talis dispensatio & applicatio valida est. Hæc assertio communiter à Iurisperitis tenetur, præcipuè ab Antonio, & Panormitano in c. *à nobis de decimis*. 6

Sed contra eam obijcit & tenet Molina vbi supra, dicens: quod quando absque rationabili causa, quod est vnius Ecclesiæ, aut pij loci autoritate Summi Pontificis tribueretur alteri Ecclesiæ, aut pio loco, non minus teneri accipientem, ac summum ipsum Pontificem in accipientis defectum illud restituere Ecclesiæ, aut pio loco, à quo ablatum est, quam si alicui seculari esset collatum. *Ratio eius est* allata pro proximè præcedenti assertione: etenim vt dictum est, dominium illius rei pertinet ad Ecclesiam, à qua ablatum est: at contra iustitiam peccatur, quam restituendi onus comitatur dispensatorem absq; rationabili causa spoliare communitatem dominio rei, quā possidet.

Anton. *Panorm.*

Respondetur, esse disparem rationem, quando priuilegium decimarum conceditur laico, & quando conceditur alicui ex ministrorum Ecclesiæ gremio. Nam in priori casu bona Ecclesiæ extrahuntur totaliter à dominio Ecclesiæ, & ad seculare deuoluuntur sine rationabili causa, quod manifestam iniustitiam continet, non minus quàm spoliare verum dominū rebus suis, & alteri tradere. Item finis primæuus decimarum, nēpè esse stipendium p sacris functionib⁹, sine causa turbatur, & aboletur. At verò in secundo casu non extrahitur dominium ab Ecclesia, sed siue huic siue illi Ecclesiastico decimæ applicentur, in dominio Ecclesiæ vniuersalis permanent.

Dices, Saltem ab vna communitate vel persona in alteram transfertur, vbi concessio erga vnum est expoliatio erga alterum, quod nequit fieri sine iniustitia. Respondetur, fatemur talem concessionem sine causa etiam si à Summo Pontifice fiat, contra iustitiam legalem fieri, & fortasse contra prudentem dispensationem, sed non contra iustitiam commutatiuam: eo quod dominium Ecclesiasticorum bonorum communium non applicatur cum tanto rigore cuiuis Ecclesiastico, vt non posset supremus dispensator sine iniuria vnius membri Ecclesiastici ad aliud trāsferre, Ecclesiæ autem palam est non fieri iniuriam, quia non spoliatur dominio, quod habet, sed ab vno suo membro ad aliud transfertur. Rursus neque 7

neq; finis primæuus decimarum turbatur, aut mutatur, sed particulare ius huius vel illius, quod totũ ad ius positiuũ spectat: has ambas assertiones, & eorum rationes approbat Nauarrus in Opusc. de spolijs Clericorum. §. 3. num. 7. Nauar.

8 *Dico tertio.* Causa finalis, quæ requiritur, vt priuilegium de non soluendis decimis, aut ijs applicandis laicis, quibus non debebantur, sit rectum & validum, debet esse causa concernens bonum commune, & publicum Ecclesiæ, & non sufficit indigentia duntaxat priuilegiati. *Probatur.* Per tale priuilegium communicantur bona communia Ecclesiæ, & alienantur à dominio eius: immutatur item, ac perturbatur finis præcipuus, ad quem instituta sunt: ergo sine causa magna, & ea concernente bonum publicum, ac commune non debent dispensari. *Secundo.* Exemptio à decimarum solutione, aut earum applicatio secularibus non legitur concessa, nisi Regibus, aut proceribus, aut verò propter edita facinora in Ecclesiæ fauorem: verbi gratia, Regibus Hispaniæ concessæ sunt decimæ Regni Granatẽsis, propter Regnum illud ereptum à potestate Maurorum: Regibus Galliæ ꝓpter ingentẽ cladẽ Maurorũ, & similia: ergo signum est exigi causam publicã, & concernentem commune bonum.

9 *Dico quarto.* Ad concedenda prædicta priuilegia Ecclesiasticis, siue sint communitates, siue priuatæ personæ, satis esse censeo indigentiam priuilegiandorum. *Probatur:* tum quia neq; finis decimarum perturbatur, neq; dominium ab Ecclesia aufertur: tum quia Ecclesiasticas personas, vtpotè dicatas diuino cultui, & sacris functionib⁹ de bonis Ecclesiæ sustẽtari valdè decẽs est.

Dico vltimo. Semper præsumendum est Pontificem Summum talia priuilegia concedere iustis vrgentibus causis: quinimò quamuis re ipsa non sit legitima causa ad talem concessionem, tamen si pensatis rationibus Pontifex prudenter existimet eam esse veram, ac legitimam causam, licet in re fallatur, priuilegium validum est, ac licitum. Luc. 12. *Probatur,* nam Christus Lucæ 12. describens boni dispensatoris conditiones, ait: *Quis putas est fidelis dispensator, & prudens? quem constituit dominus super familiam, vt det illis*, &c. *Fidelis* dicitur, quia stat promissis, neminem fallens: *prudens,* quia non fallitur iuxta Regulas Prudentiæ. *Confirmat.* quia aliàs semper essemus dubij, an benè, & valide dispensauerit bona Ecclesiæ, quod in eius confusionem & turbationem vergeret.

Ad argumenta pro prima sententia *respondetur.*

10 Ad primum, quidquid sit de Principe seculari, Summus Pontifex constitutus est à Christo dispensator bonorum Ecclesię, non dominus: quia vel ipse Christus, vel sua Ecclesia domina est: inde debet iuxta leges boni dispensatoris procedere, & non spolians quemquam dominio, quod erga rem suam habet, ne dum Ecclesiam. mitto modò excellentiam Ecclesiasticæ potestatis supra secularem: tum quia ordinatur ad finem excellentiorem, idest spiritualem: tum quia versatur circa media accomodata fini supernaturali consequendo: nobilitas verò cuiusq; facultatis ex obiecto & fine pensãda est.

Ad confirmationem, quæ non mediocrem ingerit difficultatem, eo quod si concessio beneficij facta indigno valida est, non solum Pontifex dispensaret in iure positiuo, sed etiam in naturali, & diuino. Quare fertur de Magistro Melchiore Cano, in Academia Salmantina Primariæ Cathedræ præfecto, censuisse, eam concessionem nullam esse, quia contra ius diuinum. Nihilominus aliter omninò dicendum est, & ad argumentum respondetur, Christum talem potestatem dedisse Petro, & eius successoribus, & Coepiscopis, ne Ecclesiæ status turbaretur: commoueretur autẽ non parum si dubios haberet Prælatos ac dispensatores sacramentorum, sicut etiam propter bonum Ecclesiæ reliquit eis potestatem dispensandi in obligatione votorum, quæ est de iure diuino. Hæc autem ratio nõ militat in concessione decimarum, quæ si fiat laicis absque legitima causa, præsentaneum adest remedium, scilicet, restituendo bona, aut decimas cõcessas.

Ad secundum. Canonistæ citati negant decimarum obligationem esse tantum de iure positiuo humano, sed de iure diuino, & ideò dispensatio facta à Papa est inualida sine causa. Sed hoc fundamentum sæpè explosimus: vnde & respondemus, dispensationem & priuilegia circà decimas, etiam sine legitima causa validam esse, si tantùm spectemus Pontificiam sanctionẽ de decimis soluendis: at nõ potest omnibus pensatis, quia in eo positiuo iure, & ex eo originatur quoddam naturale ius, vt nemo spolietur dominio rei suæ, quod vt explicui in prima assertione, violatur, si priuilegia præfata concedantur sine causa. Nec est mirabile, aut inauditum, vt supposito aliquo humano positiuo iure, inde nascatur diuinum aut naturale ius: verbi gratia, beneficia Ecclesiastica sunt instituta iure humano, at inde resultat spiritualitas, ratione cuius ex iure diuino inuendibilia sunt. Idem dico de calice consecrato. 11

Ad confirmationem negatur consequentia, quia propter bonum Ecclesiæ, & ne dominia maneant incerta, voluntaria censetur Ecclesia, vt consuetudo & præscriptio etiam in bonis suis præualeat: at non ita de dispẽsatione sui dispensatoris, aliàs in eius arbitratu constitueretur prodigere Ecclesiæ bona.

Ad tertium respondetur, negando antecedens iuxta satis probabilem sententiam, de qua supra: sed eo admisso negatur consequentia, quia si totum orbem eximeret à solutione decimarum, abrogaret legem de eis soluendis, quod sine ea potest facere, cum eius sit abrogare leges, cuius est condere: at si quosdam eximeret, id facere necesse est per dispẽsationem bonorum, quorum non est dominus, quod contra ius naturæ est, vt docui in prima assertione.

Hæc quæ diximus in proximè præcedenti disputatione probabiliora iudico: at certò certius tenendum est, si ex concessione priuilegij de non soluendis decimis, aut de applicando eas, siue alios beneficij fructus ijs, quibus non 12

sunt

sunt aliàs debita, sequatur vt beneficiatus, seu minister Ecclesiæ debita sustentatione priuetur, iniustum esse priuilegium, & nullum, saltem quoad partem necessariam ad congruam sustentationem ministri. *Ratio est*, quia tale priuilegium est contra naturalem iustitiam, quæ dictat dignum esse operarium mercede sua.

Quæ ratio procedit etiam si is, cui applicatæ decimæ, vel fructus sit persona Ecclesiastica, vel locus pius: vnde fit, vt non obstante tali priuilegio teneatur priuilegiatus alere beneficiatum, nisi fortè Pontifex aliter illi prouideat, vel conferendo ei aliud beneficium sufficiens, vel pensionem, vel ex proprijs bonis illum sustentando.

13 Notabile hoc nobis occasionem præbet dubitandi, an parochiani, qui soluunt decimas sufficientes pro suorum ministrorum sustentatione, teneantur aliunde, putà ex oblationibus, & similibus, prouidere suo parocho redacto ad eũ statum, vt non possit congruè sustentari, nimirum quia per priuilegium Põtificium in toto vel in parte fructibus sui beneficij priuatus est?

Hanc dubitationem insinuat Couarr. *lib. 5. variarum ca. 17. nu. 3.* & alij: ac videtur vera pars affirmatiua.

Couar.

Primo ex D. Thom. *in quæst. immediatè præcedenti artic. 1.* vbi ait, populum teneri ad alendum ministrum ex oblationibus, quando indiget: qui est casus nostræ disputationis. *Et secundo* ratione: quia ille parochus nõ potest licitè deserere ministerium suũ, est enim pastor ouium, nec tenetur gratis ministrare & aliunde quærere sibi necessaria: nã qui altario deseruit de altario debet viuere: ergo tenentur parochiani eum alere. Et idem argumentum procedit de Episcopis, & alijs Ecclesiæ ministris. *Dicet quispiam.* Iam fidelis populus soluit decimas destinatas & sufficientes ad pastoris sui sustentationem.

D. Thom.

Contrà arguitur tertio. Ille populus simpliciter, & absolutè debet huic ministro sustentationem,

14 & licet soluerit decimas, illæ tamen cum effectu non peruenerunt ad eum, nec ex illis sustentatur: ergo nõ satisfit obligationi debitæ, ac ꝑinde semper perseuerat apud populum obligatio implendi tale debitum. *Confirmatur* à simili. Si debitor mittat ꝑ famulum pecunias debitas creditori, & famulus ei non tribuat, sed sibi vsurpet, tenebitur debitor iterum eas soluere: ergo eodem modo iudicandum est in nostro casu, tenebitur nãque populus sustentationem congruam ministri denuò soluere.

Quarto. Si tempestas valida vastet fruges, depopuletur arbores, & earũ fruct⁹, ita vt illo anno nullæ prouenant ex prædijs decimæ pro sustentatione ministri, tenetur populus fidelis ex oblationibus, vel aliunde præbere suis ministris Ecclesiasticis sustentationem congruam. Et idẽ est si fur, aut homo iniquus omnes fructus perdat: ergo si Pontificis iniuria concedentis priuilegiũ eadem damna inferantur, putà ne soluantur ministris decimæ designatæ, & sufficientes pro eorum sustentatione, ad eam congruam sustentationem largiendam adhuc tenebitur fidelis populus. Antecedẽs patet, quia iuris naturæ debitum est, vt ministri Ecclesiastici ex bonis populi alantur, vt superius docuimus: at hoc debitum in casu antecedentis nequaquam est solutum: ergo populus non est liber ab hac obligatione, quia nec populus potest eos ministros iam institutos à suo ministerio ablegare, neque ministri talem curam à se abdicare, atque adeò ipsi manent cũ obligatione ministrandi, & populus cum debito alendi eos.

Oppositam sententiam alij tenent, quia cùm ille populus iam soluerit debitum stipendium suorum ministrorum per decimarum exhibitionem, videtur non posse obligari iustè, vt iterum ministros alat, quia nemo tenetur duplicatum stipẽdium pro ministerio præstare. *Secundo.* Qui semel misit pecuniam debitam creditori per ministrum ab eo designatum, vel admissum; vel publica autoritate constitutum, etiam si per iniquitatem ministri talis pecunia cum effectu non soluatur creditori, non tenetur debitor iterum eam soluere: ergo idem dicendum est in præsentiarũ, quia re benè perpensa idem omnino fit. Tertio, Onus sustentandi ministros Ecclesiasticos est quasi reale, & inhærens decimis: ergo cũ eis transeunt ad eum, cui conferuntur, vel ad Pontificẽ, per quem applicantur: ergo non potest simul manere in populo. 15

Certè in hac re nollem præcipitare sententiam, res enim hæc valdè dubia est: & à certioribus procedendo.

Dico primo. Certum existimo teneri populum ad sustentandum suos Ecclesiasticos ministros, quãdo decimæ nulli soluuntur, vel quia per furtum seu rapiam sine culpa populi surripiuntur, vel quando casu merè fortuito fruges deuastãtur. *Probat.* ex ratione allata circa quartũ argumentũ ꝑ parte affirmatiua in principio positũ. 16

Dico secundo. In nullo casu accidente absq; ministri culpa tenetur ipse suis stipendijs ministrare populo: *Quis enim militat suis stipendijs vnquam?* sed illi debetur de iustitia sustentatio.

Dico tertio. Primus debitor congruæ sustentationis restituẽdæ in casu nostræ disputationis est ille priuilegiatus, qui decimas recipit. *Probat.* quia decimæ ad eum transeunt cum onere sustentationis congruæ. Secũdus verò debitor est Põtifex, qui priuilegium illud concessit (vt supponimus in casu) sine legitima causa, & defraudando ministros sua congrua sustentatione. *Probatur*, quia secundo loco tenetur ad ministrum alendum in defectũ alterius, cui applicatæ sunt decimæ, quando neque ipse præbet congruam sustentationem, nec Pontifex vult eum cogere: tũc enim Pontifex tenetur tanquam prima causa illius damnificationis, quia q; non potest iterum grauare populum sine grauissima causa ad commune bonum pertinente.

Quod tamẽ difficile dissoluendũ restat, illud est, an quando neuter satisfacit huic obligationi, populus obligetur. De qua re

Dico quarto. Probabilis est sententia negatiua propter argumenta facta pro eadem in initio disputationis, quam tenet Couar. vbi supra, & citat Sotum in eandem *lib. 9. de Iustitia, quæstione 3. artic.* 17

Couar. Sotus.

3. *art.* 1. qui non tam clarè loquitur: imò ego certam existimo, quando ille, qui seruit beneficio sine congrua sustentatione, est vicarius alterius proprij beneficiarij, qui ex rescripto Pontificis cōparat sibi omnes beneficij fructus, non tenetur populus vicarium alere ex iustitia. Et ratio est clara. Quia iam populus satisfacit proprio Pastori: & Vicarius nō cum populo, sed cum ipso beneficiario pascitur, proprieq; est minister eius, & ideo ab illo, & non à populo iniuriam patitur: quare populum grauare non potest: & propterea Synodus Tridentina, sæpius prouidit de congrua sustētatione Vicarijs designāda, ac soluēda, *sessi.* 6. *c.* 2. *de reforma. ses.* 7. *c.* 5. *&* 7. *& sessio.* 25. *c.* 16.

18 *Dico vltimo*. In cæteris casib⁹ magis arridet mihi pars affirmatiua, itaq; assero. Etiam quando decimæ, aut alij beneficij fructus ex priuilegio Pōtificis personis, aut communitatibus aliàs non debiti applicati fuerint per priuilegiū, ministro vel ministris defraudatis per iniuriam congrua sustentatione, teneri populum ex iustitia eos alere. Hæc assertio probatur argumentis factis pro parte affirmatiua. Præterea, quia in eo casu, nec populus potest à se ablegare ministros, cùm sine illis Ecclesia non possit gubernari, neq; ipsi possunt renuntiare officio, quia contra cōmune bonum Ecclesiæ est, vt relinquant oues sibi creditas: neque tenentur suis sumptibus ministrare, vt dixi: ergo adhuc populus manet obligatus.

Dicet quis. Non populus, sed Pontifex, & priuilegiat⁹ sine causa manent obligati. *Contra*. Populus tenetur per se ei, qui seruit, sustentationem præstare, non Pontifici, aut priuilegiato, sed hāc obligationem non persoluit, quia non dedit ei mercedem debitam: nec sat est Summum Pontificem posse esse immediatum pastorem, si vult: quia de facto non est, nec seruit populo in eo ministerio, ratione cuius debetur stipendium. Fateor teneri priuilegiatum, & Pontificem, sed mediatè, & per accidens: Hunc quia spoliauit ministrū sua debita mercede, illum verò ratione mercedis eiusdē retentæ apud se. Populus est qui per se & immediatius tenetur ratione ministerij præstiti: quapropter apud eum manet ius ad recuperandos huiusmodi sumptus. Et è conuerso is qui recepit decimas, & in eius defectum Pontifex tenetur ad resarciendum populo damnum illud, quia est causa eius contra iustitiam.

Ad argumenta pro sententia negatiua. *Ad primum respondetur*. Populus (licet coactus à potestate superiori) non soluit debitam mercedem, cui tenebatur soluere, id est ministro sibi seruienti, & stipendium merenti, sicut si cogeretur à raptore sibi decimas solui: Quare suas iustas querelas deberet coram Pontifice proponere, confidens eas Summum Præsulem exauditurum: quod si non faciat, ministro sibi inseruienti debet necessaria ad victum, & vestitum ministrare.

Ad secundum negatur consequentia, propter disparitatem: Nam in casu antecedentis, is cui pecunia immediate debetur, hoc ipso quod designat famulum, vel publica autoritate designatur ad recuperandum debitum, sibi satisfieri vult, si ille accipiat: at in nostro casu minister Ecclesiasticus, cui immediate à Populo stipendium debetur, non vult sibi satisfieri, quādo datur priuilegiato: nec Pontifex ipse designatur Christi autoritate ad accipiendum necessariam sustentationem ministrorum, aut aliis applicandam, sed potius ad prouidendum ne ministris Ecclesiæ necessaria deficiant: quare populus per talem iniustam applicationem licèt iniuriam patiatur, non tamen manet liber ab obligatione alendi suos ministros, puiuilegiato non restituente, vel Pontifice aliunde necessariam sustentationem non prouidente.

Ad tertium negatur consequentia: quin potius populus per se tenetur, & primariò ad ministros alēdos: at p accidēs supposita iniuria facta populo & ministris per substractionem debitæ portionis congruæ: tenentur priuilegiati ratione detentionis decimæ obnoxiæ sustentationi: Pontifex ratione iniustæ damnificationis.

HÆC dicta sint circa istam quæstionē, de decimis: quam Diuus Thomas, quatuor articulis cōprehēdit: nos verò, vt tractatum de decimis, pro nostra exiguitate absoluamus, in finem tria discutienda reseruamus. *Primum* est de priuilegiatis circa decimas. *Secundum*, ad quem iudicem pertineat cognitio causarum, quæ circa decimas, in litem vocantur. *Tertium*, quæ pœnæ iure impositæ sunt, his qui decimas non soluunt. De his suo ordine disseremus.

De priuilegiatis, circa decimas.

IN huius rei resolutione præmittendum est vt fundamentum firmum, posse Summum Pontificem iustis de causis largiri quibusdam priuilegia, vt sint immunes à soluēdis decimis, ex toto, aut parte, & vt percipiant decimas, alijs Ecclesijs debitas. Nec obstat huic potestati, ex ea generari magnū præiudicium parochis, dum hisce priuilegijs priuātur decimis sibi aliàs debitis: etenim Sūmus Pontifex ea concedens vtitur iure suo. Decimæ enim, & alia bona cōmunia Ecclesiæ, sub hac conditione implicita clericis conferuntur, quamdiu ipse summus Ecclesiæ prælatus non reuocauerit, aut aliter disposuerit. Hoc supposito de ipsis priuilegiatis de facto dicendū est. Et in primis laicos priuilegiatos, vt & ipsi nō soluant decimas: quinimo, vt ipsis pendantur, certò numero comprehendere non esse possibile, cum priuilegia omnia maximè in regnis exteris, non licuerit videre aut audire in nostra Hispania relatione fide digna. Scimus Regi Catholico Ferdināndo concessas esse decimas Regni Granatæ, ob illud ereptum à Saracenis. Pius Quintus Regi Philippo Secundo concessit subsidiū decimale, quod excusatum Hispani vocant, id est vt præcipuus parochian⁹, quē in singulis beneficijs elegerit Rex, ipsi decimas soluat. Simile subsidium ex terris, quæ olim extiterant sub ditione Sarracenorum, concessit Clemens Septimus Carolo Quinto Imperatori, anno 1524. vt refert Ioannes diaconus Cardinalis, & Alexander Sextus,

tus, Gregorius Septimus, Vbanus Secundus, cōcesserunt Regi Aragonum, & successoribus: idē refert Zurita *lib.1.chronic.c.32.* Mitto modò, priuilegia circa decimas cōcessa Xenodochijs pauperum, seminarijs pupillorum, de quibus non valemus, nec necessum est, dicere per singula: ea verò priuilegia potissimè recensebimus, quæ religiosorum ordinibus, ac cœnobijs concessere Summi Pontifices multis ac iustissimis de causis, quas Summi Pontifices procemijs præfatorum priuilegorum præfigunt.

De priuilegijs Religiosorum erga decimas.

Ab initio nascentis Ecclesiæ, & per multos annos, quando Episcopi vitam verè Apostolicam ducebant, & re ac nomine patres pauperum, ac Religiosorum erant, sub iurisdictione, & ductu Episcoporum Religiosi militabant, à quibus proinde discebant diuina dogmata, audiebant diuina, & sacramenta recipiebant: & meritò illis decimas, sicut reliquus populus præstabant. Postea verò Summorum Pontificum munere à iurisdictione Episcoporū, & à decimarum vinculo ex parte eximi cœperunt, vt videre licet, c. *cōquesti*, & seq. 16.q.1. Item Paschalis quartus, & Gregorius Magnus, vt refertur. c. *decimas*. 16.q.1 concessit monachis, ac clericis cōmuniter viuentibus, non soluere decimas de laboribus, & nutrimentis suis proprijs: & Alexander Tertius, Tarracon. Archiepiscopo, & refertur extra de decimi. c. *ex parte*, el primero, sic ait; *Sane nolumus, te latere quod prædecessores nostri* (putà Paschalis secundus, in Canone proximè citato, & Gregori⁹ Magn⁹ 12.q.1. Can. *quia tua.*) *ferè omnibus Religiosis, decimas laborum suorum concesserant, sed prædecessor noster Adrianus solis fratribus Cisterciensis ordinis, & Templarijs, & hospitalarijs, decimas laborum suorum, quos proprijs manibus, vel sumptibus colunt, indulsit. Cæteris verò, vt de noualibus suis, quæ proprijs manibus, vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis, decimas non persoluant:* (hæc concessio non inuenitur in corpore iuris) *quem sumus super his imitati, &c.* Postea verò Innocentius Tertius, vt refertur c. *nuper*, extra de decimis, hoc priuilegium abstulit in Concilio generali Lateranensi, circa annū Domini. Hæc dicta sint de priuilegijs Religiosorum quoad decimas, quæ habētur in corpore iuris, de quibus latius Rebuf. in tractatu *nomi.q.14.*

Rebuf. Postea vero temporū successū, videntes Sūmi Pontifices, quantū emolumentū Ecclesia Dei in-
4 dies perciperet, ob egregiam nauatam operam à Religiosis, erga Dei, ac Ecclesiæ obsequia, ipsos fauoribus, & indultis prosequi decreuerunt, & inter alia, exéptiones nō modicas à solutione decimarum larga manu cōcessēre. Clemens quart⁹ cōcessit fratribus Minoribus, vt de hortis, & virgultis suis, nulli decimā teneantur exhibere: & di-
5 strictè prohibuit, ne quis ab eis de præmissis aliquid exigere, aut extorquere præsumat: ita habetur in libro qui dicitur monumenta ordinū, circa priuilegia decimarum. Et Sixtus IV. extendit indultum præfatū ad quæcunq; bona dictorū fratrum, & quascunq; decimas etiā Papales, fortissimis adhibitis clausulis, pro ei⁹ priuilegij defensione, q̄ videda sunt, in Marimagno Minorū Carmelitarum, ac Prædicatorum. Idē concesserunt Martin⁹ V. monasterio S. Mariæ de Guadalupe, ex ordine D. Hieronymi, apud Hispanos. Paulus III. ac deniq; Pius V. monasterio S. Laurētii. vulgò del *Escurial*: ferè in hæc verba: Bona quæcunq; mobilia, & immobilia, annuos reditus, collata, seu conferenda, empta, seu emenda à solutione decimarum eximit, etiam facta mentione capituli nuper citati, & fortissimas clausulas ad conseruationem priuilegij apposuit.

Videnda sunt in cōpendio illius ordinis. Et aduerte, præfata, & similia priuilegia, concessa vni monasterio de facto cōmunicari omnibus alijs, quibus in specie concessa non sint, vt benè *probat*. frater Emanuel Rodriguez, Franciscanus. 1. *tom. qq. reg. q. 45. art. 9.*

Lucius Tertius, & Bonifacius Octauus, præceperunt vniuersis Ecclesiarum Prælatis, quatenus eorum subditis autoritate Apostolica inhiberent, ne à fratribus hospitalis sancti Ioannis, in eorum Episcopatibus cōmorantibus, de nouali- Emanuel. Rodrigu. 6
bus, seu alijs terris, quas proprijs manibus aut sūptibus excoluut, vel per suos arrendatores, aut alios quoscunq; cultores, ad tempus, & nō in perpetuum excoli faciunt, vel de animalium nutrimentis, seu aliorum in suis territorijs nascētium, vel de hortis, virgultis, & piscationibus suis, decimas exigere aliquatenus præsumant: contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, non obstante longa præscriptione, sed potius violētia super dictis exactionibus, eisdem fratribus irrogata: ita refertur, vt authenticum in compendio ordinum mēdicantium titul. *decima*. §.17. Idem fermè priuilegium concessit Clemens Septimus ordini militari D. Iacobi, cum hac tamen exceptione, salua in noualibus, & laboribus moderatione Cōcilij Generalis.

Deinde Pius V. concesit amplissima priuilegia, quibus non solum ab onere decimarum,
verum etiam ab alijs exactionibus liberauit 7
mendicantes: ita habetur constitutione eius 14. quæ incipit, *Ad vberes*, & constitutione 38. quæ incipit, *& si mendicantium*: sed hæ constitutiones reuocatæ sunt, ac reductæ ad terminos iuris, & Concilio Trident. per Gregorium XIII. constitutione sua 15. quæ incipit, *in tanta*. Omitta modò eiusdem Pontificis constitutionem trigesimam primam, pro ditionibus Italiæ, vbi imposuit decimas super beneficijs, etiam religiosorum, quam postea constitutione. 51. quæ incipit *cum nos*, moderatus est quoad mendicantes, exigens ab illis tres tantum decimas. His tamen reuocationibus non comprehensa sunt priuilegia aliis ordinibus non mendicantibus data, neque ab aliis Pontificibus supra concessa, sed tantum, quæ à Pio V. largita fuēre.

Nouissimè verò religiosis Societatis Iesu, plenissima priuilegia concessere Romani Pontifices, eximentes eos à solutione decimarum, quæ digna scitu sunt, pro illis, & pro eis, qui communi-

communicant in priuilegijs eorum. Paulus III. pro vt refertur in compendio Societatis, verbo, *exemptio*.§.4.& 5.concessit eisdem ordinis Religiosis, vt de domibus, monasterijs, ac collegijs, & eorum prædijs, hortis, & alijs locis, quæ iuxta eorum institutionem habere possunt, aut de his, quæ pro eisdem emendis, ipsis pro tempore legari, aut donari contigerit: & deniq; de alijs bonis per Societatem, eiusq; collegia, possessis, & obtentis, non teneantur soluere aliquam decimam, etiam Papalem, seu Canonicam portionem exhibere: nec ad præstationem procurationum, aut exactionum collectarum, vel prouisionum quarumcunq; : nec ad id etiam per litteras Apostolicas compelli, nisi huiusmodi literæ de hoc indulto, de verbo ad verbum, & de Societate fecerint mentionem. Quod si per sedem Apostolicam, ex pijs legatis dispositis, vel relictis, aliqua pars sit, pia causa, concessa aut concedatur, legata Societati, & relicta, aut aliàs in fauorem Societatis personarum disposita fuerit, sub his concessionibus non comprehendantur, nisi de ipsa Societate, & de hoc indulto, & Pontificis voluntate fiat mentio in eisdem, & non per clausulas generales idem importantes. In eodem cōpendio dicitur, Pium IIII. præfacta confirmasse concedendo, à quibusuis decimis, & Papalibus prædialibus, personalibus, quartis, medietatibus, & aliis fructuum partibus, subsidiis etiam charitatiuis, & aliis ordinariis oneribus etiam pro expeditione contra infideles, defensionemque patriæ, ac alias quomodolibet, etiam ad imperatorum, & inferiorum principum instantiam impositis: & quamuis in ipsa impositione caueatur, quod nulla prorsus exemptio aduersus illa suffragetur. Idem per omnia confirmauit Gregor. XIII. & derogat expresse dispositionem cap. *nuper*, de decimis, ex Concilio generali Lateranensi.

De monialibus verò extat Extrauagans, quæ incipit, *decimas*, vbi Bonifacius VIII. ait, moniales aliasq; personas regulares, quarum reditus, & prouentus Ecclesiastici adeò sunt tenues, quod de illis sustentari non possunt, sed pro habenda vitæ suæ sustentatione necesse habent mendicare, decimam non persoluant: & idem Bonif. pro vt refertur à Hieron. Sorbo in compendio priuilegiorum mendicantium tit. *decimæ*, §.3. hanc eādem concessionem largitus est sine vlla limitatione: & similiter fecit Leo X. & Alexander VI. Eugenius IIII. & Sixtus IIII. quoad moniales sanctæ Claræ: & Eugenius IIII. dedit plenissimam exēptionem monialibus, & fratribus ordinis Prædicarorum, à decimis soluendis, quæ omnia videnda sunt in eodem compendio. Circa isthæc priuilegia aliquæ difficultates discutiendæ sunt. Sorbus.

DISPVTATIO I.

An priuilegia concessa alicui monasterio, aut alteri cuiuis, de recipiendo decimas alicuius parochiæ, extendantur ad noualia?

DICO *primò*, Priuilegium laicis concessum de decimis percipiendis non extenditur ad noualia : ita habetur 1
in capit. *tua*. §. fin. de decimis. *Secundo dico*. Priuilegium concessum alicui Ecclesiasticæ personæ, aut ordini regularium, de decimis aliquibus percipiendis ex aliqua parochia, nisi oppositum exprimatur in priuilegio, non extenditur ad noualia. Hæc prob. primo *ex c. 2. de decim. lib. 6. ibi definitur* nostrum assertum. *Secundo*, quia priuilegia sunt interpretanda, quantum verborū proprietas sinit cum minori præiudicio tertii, & in eo sensu, qui minus alterum lædat, vt habetur ex regula iuris in 6. cap. *cum olim*, & ibi doctores. Sed priuilegium concedens decimas alicui lædit ius eius, qui ante priuilegii concessionē percipiebat eas: ergo satis est ad veteres decimas extendi, & non est necesse, vt ad noualia extendatur. *Tertio*, quia quod nō est non intelligitur concessum l. *eius qui in prouincia* §. *quas vero*. Sed tempore concessionis priuilegii, supponimus nō esse decimas noualium : ergo concessæ non videntur. *Quarto*, quia priuilegia, quando tantum vergunt in detrimentum concedentis, sunt latè interpretanda; at quando in præiudicium tertii strictè, vt ait Abbas c. *olim, de verborum significatione*: ergo cum decimarum concessio, cui aliàs non erant debitę, vergat in detrimentum eius, qui eas antiquitus possidebat, non est extendeda ad noualia, satis fuerit ad veteres decimas extendi. *Confirm.* quia odia sunt restringenda, vt habet iuris regula in 6. sed quod quis occupet decimas veteres, & noualium, odiosum est, & contra ius commune, vt dicitur in c. *ad decimas*, de restitutione spoliatorum: ergo &c. Hoc assertū placuit multis doctissimis iuris Canonici interpretibus, Io. And. & Anch. in c. *ex parte* & c. *cum cōtingat*. Fort. Garsiæ, in l. *Gallus*. Rebuf. *de decimis. q.* 14. *n.* 29. & *seq.* Cou. vbi *sup. n.* 13. Gutier. *n.* 120. & *sequentibus*. Andr. Anch. Garsi. Rebuf. Couar. Gutier.

Sed tamen nobis aduersatur tota Canonistarum caterua, & non sine fundamento desumpto 2
ex c. *ex parte tua*, el. 2. de decimis, vbi inquit Innocen. III. Abbati sanctæ Columbæ: *Cum tibi quod maius est sit concessum, vt videlicet decimas de laboribus terræ parochiarum tuarum cum integritate percipias, de noualibus eas exigere satis potes: quia vbi maius conceditur, minus concessum esse videtur.* Ex quo textu colligunt communiter doctores oppositum nostri asserti, glossa verbo, *noualium*, in c. *cum contingat*, & ibi communiter doctores, vt testatur Abbas ibi, id referente Couarruuia *vbi supra, num.* 13. Couar.
nos verò in nostra permanentes sententia, respondemus ad cap. *ex parte*, citatum, esse intelligendum de priuilegio concesso ei, cui iure communi, & ordinario, decimæ competebant, vt patet ex illis verbis: *Decimas de laboribus terræ parochiarū tuarum*, licet ab eo ius eas percipiēdi pscriptione iure speciali sublatum sit: quod quidem priuilegium, cum fauorabilem causam habeat,

priuilegijs, esse intelligēdum, vbi possessio percipiendi decimas ex agris antiquitus cultis est apud eum, cui iure communi, & ordinario, minimè cōpetebat, sed ex priuilegio, cōsuetudine, aut præscriptione, (quale apparet fuisse illud, de quo fit mentio, in c. *dudum* citato: erat enim cōtentio inter Priorem vnius conuentus, & Priorissam alterius, quorum nulli decimas habebant iure cōmuni, & ordinario) & tunc priuilegium prædictum etiam simpliciter concessum, non præiudicabit antiquis possessoribus, eo quod huius quasi possessionis iuris extraordinarij percipiēdi decimas Sūmus Pont. ignarus esse credēdus est: neq; eius; mētionē fecerit in priuilegio, ideoq; eā tollere in dubio non præsumitur: at verò, quādo prædicta quasi possessio percipiendi decimas, est apud eum, ad quē iure cōmuni spectat, quia huiusmodi quasi possessionis sciētia, & præsumitur esse nota, & re vera est Pōtifici, qui commune ius præsumitur habere in scrinio pectoris sui: quod si absolutè priuilegium concedit, iuri possesso ab alio vult derogare: & ita accidit in casu nostræ dubitationis, quando Religiosis conceditur immunitas nullas soluendi decimas, etiam prædiales, Pontifex vult non obstante præiudicio Rectorum parochialium, ad nullas teneri præfatos religiosos.

DISPVTATIO IIII.

An sufficienter explicētur dicta priuilegia & similia, si intelligātur de decimis personalibus, ad quas fortè reducuntur decimæ mixtæ ex fœtura pecorum: an verò etiam sint intelligenda de decimis prædialibus?

1 EPiscopi, ac Rectores Ecclesiarum Parochialium magno clamore conantur persuadere præfata & similia priuilegia tantum esse trahenda ad decimas personales, & nequaquam ad prædiales. Quorum sententia à nobis iuuanda est, vt veritas innotescat, & primò, quia decimæ prædiales iure communi parochijs, & Ecclesijs debentur, quarum iuri Pontifex non censetur derogare, maximè cum tanto præiudicio earum. *Secundò*. Priuilegium quoddam de non soluendis decimis reuocatur in c. *suggestum* de decimis, quia incipit nociuum esse: ergo saltem quando præfata priuilegia cœperint esse nociua parochijs & Ecclesijs, non sunt seruanda: sunt autem nociua sæpe, quia continget à Religiosis tot prædia comparari, vt decimæ debitæ Rectoribus Ecclesiarum, in magnam exiguitatem reducantur. *Tertiò*, quia iure naturali, & diuino tenetur populus Christianus suos pastores, nempe Episcopos, & Rectores alere, pro dignitate munerum, quibus funguntur: sed ex concessione tam ampla eximendi Religiosos à decimarum solutione, dimanare potest læsio istius naturalis iuris; vt in casu secundi præcedentis argumenti: ergo necesse est, vt non tam amplè præfata priuilegia interpretemur.

Nihilominus reor nulli legenti attente priuilegia relata, maximè illud Hieronymianorum, & Iesuitarum potest esse dubium (nisi de potestate Summi Pontificis dubitet, quod fas non erit) quin vigore eorum immunes sint à solutione omnium decimarum, etiam prædialium, quotquot eisdem fruuntur. Expenduntur verba singula, nam generatim priuilegium habet. *A quibusuis decimis*, quæ verba vniuersaliter dicta nil excipiunt: deinde etiam in priuilegio dicitur: *A decimis prædialibus*. Quod si obijcias in priuilegio dici: *à quibusuis decimis, etiam Papalibus, prædialibus, personalibus*: ergo verba illa *prædialibus, & personalibus* referuntur ad proximè præcedens verbum, *papalibus*, ita vt sit sensus liberari Religiosos à decimis personalibus, siue prædialibus, quæ Romano Pontifici debentur, non autem ab his, quæ debentur parochijs. Hæc obiectio nullam habet apparentiam, etenim priuilegium esse simpliciter intelligendum, nequit sub dubio cadere: verba enim sic habent, *à quibusuis decimis, etiam Papalibus*, quæ nimirum solent esse extraordinariæ: ac ne quis dubitaret de his, additum est, *etiam Papalibus*: ac deinde subiungitur *prædialibus, personalibus, & alijs ordinarijs oneribus*: quibus verbis priuilegium extenditur, videlicet ad prædialem, personalem, & extraordinariam. 2

Ad argumenta in oppositum *respondetur* Summum Pontificem posse, & velle iustis de causis, illi iuri parochiarum, & Ecclesiarum derogare, in fauorem Religionum: & apposuit verba sufficientissima, quibus talem derogationem expressit, quare non est de eo obmurmurandum. Ad *secundum respondetur*. Prædicta priuilegia huc vsq; non fuisse nociua parochijs, seu Ecclesijs, etenim etiam si regulares quidam mendicantes non soluant decimas ex his prædijs, adhuc supersunt pro Episcopis, ac Rectoribus parochiarum decimæ pingues, quibus satis honorifici victitant, vt palam est. *Secundò respondetur*. Priuilegia decimas non soluendi fuere antiquitus Religiosis concessa ad eorum egestatem subleuandam: tuncq; quia pauca monasteria erant, nullum, aut paruum præiudicium parochijs, Ecclesijs Cathedralibus, aut Vniuersitatibus, ex immunitate religiosorum parabatur: at post cœnobia ditata, multisque prædijs euecta iura, iusserunt priuilegia concessa cessare, vt apertè colligitur, ex cap. *suggestum*, & cap. *nuper*. de decimis. 3

Quapropter in casu argumenti secundi, citra dubium, stando in iure communi, priuilegia concedentia immunitatē decimarum non erant in praxim deducenda: sic notarunt multi Iurisperiti, super capitula præfata: signanter Panormitan. *in ca. quia circa, de priuilegijs*. Astensis *libr. 6. tit.* 49. Rebuf. *q.* 14. *nu.* 30. *cum seq.* qui omnes sunt intelligendi, attento iure communi. Cæterum extra illud Pōtifices Summi citata per rara, & am- *Panor.* *Astensis.* *Rebuf.*

& amplissima priuilegia concessere, non ad paupertatem Religiosorum subleuandā: sciebant enim Summi Pontifices, eos Religiosos, quibus priuilegia sunt donata, habere multa cœnobia, multis reditibus dotata, in multisque prædijs aucta: & tamen his non obstantibus propter iustissimas causas, sicut potuerunt, sic & voluerunt, eos eorumque prædia à decimarum onere liberare, cum expressa derogatione ca. *nuper*. Igitur verè liberi sunt, quidquid præiudicij parochijs inde sequatur.

Bone Deus! quibusdam proceribus omnes decimæ ex integro meritò sunt applicatæ, propter Prouinciam antiquitus ab hostibus ereptam; & cur Religiosis, propter fœliciter exhaustos labores in obsequium Ecclesiæ Dei: in conuersione infidelium, hæreticorum expugnatione, fidei defensione, propter vigilias assumptas in Dei laudibus concinandis, in diuinis dogmatibus edocendis, concionandis, propter egregiam nauatā operam in confessionum audientia, & sacramētorum administratione, & propter spem similia indies peragendi: cur, inquam, non eos fauoribus, & immunitatibus non prosequentur Pontifices Summi? Fateor, tot tāque ingētes possessiones possent sibi comparare Religiosi, vt mercede vacuos relinquerent Ecclesiarum Rectores defraudando maiori parte decimarum: quo in casu meritò Summi Pontifices deberent priuilegia collata reuocare, aut verò temperare, sed nondum ad hunc necessitatis articulum deuentum est.

Ad tertium similiter respondetur, & negatur diuinum, ac naturale ius de alendis Rectoribus Ecclesiarum, per immunitatem Religiosorum à decimis violari; tum quia aliunde possent sustentari, quam ex decimis: tum quia decimæ residuæ, quæ à populo recipiuntur, satis superque sufficientes sunt pro honorifica clericorum sustentatione.

Ex his manet decisa dubitatiuncula, an prædicta, & similia priuilegia, sint intelligenda de prædijs, quæ obtinuerint Religiosi ante Concil. Lateran. sub Innocen. 3. non verò de possessionibus post illud Concilium acquisitis, vt traditur in c. *nuper*, citato. Respondetur stando in iure cōmuni, ad vnguem seruandum est præfatum capitulum: at verò priuilegia citata exorbitant à iure communi: & illud priuilegium Societati concessum expresè derogauit dispositioni illius capituli: quare priuilegia de omnibus intelligenda erunt.

DISPVTATIO V.

An priuilegia, quibus cōceditur aliquibus religiosis, vt decimas non soluant prædiales, eos duntaxat eximant à decimis soluēdis ex his prædijs, quæ eo tempore quo priuilegium impetrarunt possidebant? An etiam à decimis ex prædijs, quæ postea in ipsorum dominium peruenerunt?

OLdradus, cōs. 268. putat ea priuilegia tantum habere locum in primis decimis, non in secundis: argumētū sumit, ex c. *dudum* de priuilegijs: cui argumēto iam respōsum est. Secundum argu. quia in c. *si quis laicus*, & c. *quicunq;*. 16. q. 1. & cap. *cum non sit in homine*, de decimis, & c. *ex literis*, de pignoribus, vbi dicitur, rem in quēcunque possessorē deuenerit, cum suo onere transire: ergo si prædium in Religiosos trāslatū decimā soluebat, manet sicut antea obnoxium. Sed tamē lōgè probabilius est, priuilegia præfata extendi ad q̄libet prædia siue antea, siue postea acquisita: ratio est. quia tale priuilegiū nō est personale solū, quo personę à decimis eximuntur, sed etiam reale, quo generaliter quælibet prędia, & bona excipiuntur, & liberantur à decimis: & vbi priuilegij verba nil distinguunt; neque nos distinguere debemus. Oldrad. 1

Et ad *argum. secundum Oldradi resp.* rem transire cum suo onere in possessorem, locum habere in priuilegijs personalibus, quibus personæ fiunt immunes ab onere, ac proinde si res oneri subiecta ad eas personas deuenerit, obligatur sicut antea: v.g. Petro est concessum priuilegium personale, immunitatis à tributo soluendo, donatione tamen rem tributo subiectam acquisiuit, debet eiusmodi tributum soluere, non commune personæ, sed rei tantùm, quæ est in ipsum donatione translata, secus si priuilegium eximeret à tributo illum, & omnia illius bona.

DISPVTATIO. VI.

An coloni, qui prædia Religiosorum conducunt, vt ea colant parte vna fructuum sibi retenta, & altera ipsis Religiosis soluta, sint liberi, & exempti à decimis soluendis?

IN cap. *licet*, de decimis exprefsè dicitur priuilegium monachis, aut regularibus concessum, vt à decima soluenda liberentur, non trahi ad eos, qui ipsorum prædia excolenda conduxerint: nihilominus dicendum videtur esse expendenda verba priuilegiorum: nam si priuilegium sit personale tantum, non se extendit ad conductores prædiorum: secus si reale sit: *Ancharr. su gloss. in Clem. 1. de decimis. in verbo. excolendus*. & ibi Ancharran. Imola, Cardinalis. *quæst. 23.* Abbas *in cap. ex parte de decimis. 1. numer. 3.* Quod probant, 1 Gl ssa. Anchar. Imola. Cardin. Abbas.

probat, quia prædia à decima eximuntur. ergo etiam eorum conductor soluere decimam non debet. Ad id verò, quod obijciebatur ex ca. *licet* de decimis. respondetur, ibi sermonem fieri de priuilegio, quod fuerat concessum Cistercienfibus, Templarijs, & hospitalarijs, ne decimam soluerent ex prædijs, quæ proprijs manibus, & sumptibus colerent: ac proinde priuilegium dictum non debuit trahi ad conductores, qui sibi fructus, vel ex toto, vel ex parte acquirunt: at verò priuilegia quædam relata generaliora sunt, & in vniuersum concedunt, vt prædia certorum ordinum regularium sint libera, & exempta à decimis. Sed de hac re grauis lis inter Iesuitas, & clericos Hispaniæ exorta est, nescio quem exitum habuerit.

DISPVTATIO VII.

An etiam agri, seu prædia, si quæ ipse monachorum, siue regularium ordo in emphyteusim habet, libera sint à decima: ea item quæ ab alijs conducta habet?

HAbetur in ca. *dilecti* de decimis, vt regulares decimam soluant ex prædijs, quæ sibi laici locauerant, & ex quibus antea decima soluebatur. Respondēt quidam si priuilegia dicant eximere à decimis omnia Religiosorum propria bona: debent quidem ex agris conductitijs decimam soluere, quia bona emphyteutica, aut conductitia non sunt Religiosorum bona: & sic est intelligendum capitulum citatum *dilecti*: at si verba priuilegii sint, *ne quis soluat decimam ex prædijs, quæ habet*, ad emphyteuticos, & conductitios probabiliter extēduntur, & ad cap. *dilecti*. secundò respondetur, sicut in præcedenti disputatione, Pontificem loqui de priuilegiis quibusdam, in quibus duntaxat concedebatur, ne regulares decimas soluerent ex fundis, quos proprijs laboribus, & sumptibus colerent, & ideo ait Pontifex, eiusce modi priuilegium ad agros conductitios minimè protendi.

DISPVTATIO VIII.

Circa secundum, quod promisimus in fine huius quæstionis tractare, nempe, In quorum iudicium tribunalibus, laicorū ne an Ecclesiasticorum decimæ sint exigendæ ac controuersiæ inde exortæ definiendæ?

DIco primò. Ad tribunal Ecclesiasticum, 1
non ad ciuile: ita habet communis
sententia, glossa ad *summam*, 10. q. 1. *Glossa.*
Calderinus, *in consilio*. 15. *an iudex, tit. de* *Calderin.*
foro competenti, Iason, *in consilio*. 23. *volumine*. 1. Re- *Iason.*
buf. *de decimis. q. 1. nu.* 38. Et probatur: nam causa *Rebuf.*
decimarum est supernaturalis, siue Ecclesia-
stica, c. *parochianos*. de decimis, & docet glossa
in c. *ex tenore* de foro competenti. Cumanus, *in* *Cumanus*
consilio: 28. Fulgosius, *in consilio*, 126. causa verò *Fulgos.*
spiritualis, & Ecclesiastica ad iudicem Ecclesia-
sticum tantummodo pertinet, Clementina *di-*
spendiosa de iudicijs, & cap. *decernimus*, de iudicijs,
ita vt iudex ciuilis, simul etiam cum Ecclesiasti-
co, de causa spirituali cognoscere, & iudicare
non possit, etiam ratione compromissi, cap. *con-*
tingit de arbitris. Hinc infertur, etenim si tribunal
ciuile clericis in toto, vel ex parte conflatum sit,
vt sæpè contingit in prætorijs supremi senatus
Hispaniensis, non posse de decimarum causis
cognoscere: quia cum istorum potestas à Princi-
pe seculari processerit, sicut Princeps secularis
non valet iudicare de causis decimarum, sic neq;
ipsi auditores Regij, ita Reb. *de decimis. q.* 10. *n.* 36. *Rebuf.*
Sed quid dicendum est, quando decimæ in laicos 2
sunt translatæ. nomine & iure feudi? quam quæ-
stionem vt intelligas, aduerte aliquando decimas
Principibus, & Regibus esse debitas Romani
Pontificis concessione nomine feudi, vel ad tē-
pus, vel ad tertiam, vel ad quartam generationē,
vel in perpetuum, eo pacto, vt ipsi eas alia re ma-
iori, vel æquali compensent, hoc est, vt Ecclesiæ
ipsorum cura, & opera dotem habeant idoneā,
& Rectores Ecclesiarum, ac cæteri ministri Ec-
clesiastici commoda vitæ subsidia aliunde perci-
piant; vnde alantur. & ita ex Romani Pontificis
concessione datæ sunt Regi Hispaniæ Catholi-
co Ferdinando, huius nominis V. decimæ in to-
to regno Granatensi, vt testatur Couar. *in pract.* *Couarr.*
qq. c. 35. *n.* 2. quoniam suis expensis, sumptibus, &
magnis laboribus Regnum illud de Sarracenis
eripuit. Similiter Regibus Hispaniæ datæ sunt
decimæ in Regione America, vulgò, *Las Indias*,
quia nauigationibus, & auspiciis eorundem Re-
gum, illa Regio fermè tota inuenta est. Item in
Galliis decimæ concessæ sunt, Regibus Galliarū,
Pontificis munere; & annuentibus omnibus
Franciæ Præsulibus, Carolus Martellus, Caroli
Magni auus, eas proceribus Francorum assigna-
uit; eo quod duobus prælijs innumeram Sarra-
cenorum multitudinem fuderant, qui ex Hi-
spania in Galliam irruperant, templa diripuerāt,
& agros vastauerant; sed sine dote sufficienti
pro alimoniis ministrorum, propter quod acri
plaga punitus est à Deo. De quo alibi.
His positis dico secundò. Quando decimæ, 3
nomine feudi collatæ sunt laicis autoritate Pon-
tificis, earum exactio, & lites circa eas exortæ, co-
ram iudice Ecclesiastico tractari debent, non co-
ram seculari magistratu. Consultò apposui, *Si no-*
mine feudi autoritate Pontificis Laicis sunt collatæ; quia
si ea autoritas desit, etiam si consentiant cæteri
Præsules, neque iustè à laicis detinentur, neque
corā laicis iudicibus, de istarū decimarū litibus

Federi. Rebuf. controuertendum est. Nostram assertionem tenent Federi. *consi*:254. Rebuf. de *decim*.*q*.10.*n*.35. & probat. quia nisi Pontifex in suo priuilegio trãslationis decimarum ad laicos, id expresserit, non fit commune, vt talium decimarum causas ad magistratus, aut iudices ciuiles transtulerit, nõ enim, si vnum priuilegium beneficio principis conceditur alicui, eo ipso alteri datum esse creditur; cum ab inuicem possint separari.

Confirm. in quibusdam tributis, concessis à Summo Pontifice erga clericos, Hispanè, *La Sissa*, quorum exactio, & lites coram iudicibus Ecclesiasticis agitandæ sunt. *Secundò*. Iuxta commune ius, causa decimarum, ad tribunalia Ecclesiastica spectat: ergo quamuis priuilegium Principis plenissimè interpretandum sit, cum Iure cõmuni non derogatur, non tamen si deroget Iuri communi. *Tertiò*. Quamuis decimæ in feudum datæ sint, nihilominus ipsum feudum ex iure decimarum oritur; at ius decimarum Ecclesiasticum est, non ciuile, aut profanum: ergo, &c.

Nec multum probat oppositum decerni in Curijs, & Prætorijs ciuilium Principum, vidente, & dissimulante Summo Pontifice; quia aut non tolerat, sed sæpius reclamat, aut si tacet, ac tolerat id facit, quia commode impedire nequit, aut ignorat, quod laicorum autoritate, & consensu fit. Benè scio multos oppositum nostri as-

4 Rupellius. Guilliel. Cassan. Couarr. serti opinari ita Ioan. Rupel. *in lib*.1.*forens*. *institu*-*ti*, *c*.25. Gulliel. Bened. ad c. *Raynuntius*, de testam. in verb. *Si absque*, *n*. 45. Cassan. *in consuet*. *Burgun*. §.6.*n*.350. Couarr. *in pract*. *qq*. *c*.35. *nu*. 2. Sed vt reor debili ratione nituntur: nimirum, quia multũ detraheretur iuri laicorum. Etenim Iudices Ecclesiastici facilè deluderent laicos, & qua possent ratione, id priuilegium labefactarent, cum illud, vel ex toto, vel ex parte abrogare niterentur; sed isthæc horum formido certè non tribuit Ius ciuilibus iudicibus, quod antea non habebant.

Nobis verò propter rationes factas, opposita sententia arridet; fatebimur tamen prędictis Autoribus, decimas autoritate Rom. Pont. in Principes ciuiles translatas cõtractu permutationis; videlicet, quia ipsi Principes eas re alia, vel maioris æstimationis, vel pretij, & vtilitatis, vel æqualis compensant; tunc causa decimarum, quæ Principi debentur, coram ciuili magistratu cognosci, & tractari iure debet; quoniam ratione permutationis legitimè factæ Principi debentur decimæ, & Ecclesia suum ius integrum retinet in re, cum qua decimam permutauit, & in quam fuit decima subrogata: quod enim substituitur in locum alterius, sortitur conditionem, & ius eius, in quod subrogatur.

5 *Ex dictis* in hac dubitatione poteris iudicare, quid sit dicendum in alijs casibus, in quibus par dubium est, an causa decimarum ad iudicem ciuilé, an ad Ecclesiasticum pertineat. Coua. namque *vbi sup*. colligit alios etiam casus præter relatum, in quibus decimarum causæ ad magistratus, & iudices ciuiles deferri possint; nempè quãdo laici coguntur à clericis soluere decimam contra præscriptionem, vel consuetudinem, cuius initium non extat. *Secundò*. Quando quæstio est facti, non iuris: putà, an Petrus soluerit decimas debitas, vel non, sit ne soluenda potius à Petro, quàm à Caio; etiam quando agitur contra quempiam propter decimas furto sublatas, vel retentas. *Tertiò*. Quãdo laicus cõductor decimæ init cũ clerico pactũ, vt coram ciuili iudice conueniri possit. *Quartò*. Quando causa agitur contra laicos fures de fructibus decimæ soluendis, reddendisve, non de ipso decimarum iure seruando, & tuendo. Sed vt dixi, fundamẽtum huius sententię exile est, nititur enim vsui prętoriorum Regiorum, qui fortassis abusus potius, quàm vsus est: & rationes factæ in dubitatione præcedenti non mediocriter vrgent, & facilè adaptari possunt præfatis casibus, vt persuadeant oppositam sentẽtiam. Accedit, quod illæ causæ, vel sunt causæ decimarum, quæ ad iudicem Ecclesiasticum spectant, vel ortum habent ex iure decimarum; quapropter ad tribunal Ecclesiasticum, non ad profanum pertinet.

DISPVTATIO IX.

IN vltimo loco agere decreui de pœnis eorũ, 1
qui non soluunt decimas debitas, aut eas soluere impediunt. Istę autem sunt in duplici genere; quædam à Deo inflictæ, in vtraq; enim lege solet Deus, istius criminis reos punire etiam in hoc seculo: in veteri lege, Malach. 3. illius populi gentem affiictam esse sterilitate terræ propter non solutas decimas; & temporibus legis gratiæ, id accidisse Historiographi referunt. Cũ enim Carolus Martellus Gallorum Rex, quandoque ad remunerandum proceres de quadam parta victoria ex Saracenis, decimas ab Ecclesijs abstulisset, & inter nobiles diuisisset, iure iurando affirmans eas decimas se Ecclesiæ redditurum, aut re alia æquali, vel maiori compensaturum; posteà tamen promissum non impleuit; propter quod aiunt historici perpetuò ignis supplicio damnatum fuisse: scribit enim Paulus Aemilius *lib*.2.*de rebus gestis Francorum*, in Childerico III: ex Eucherio Aurelianensi Episcopo; eius cadauer sepultum in æde S. Dionysij post aliquot annos inuentum non esse, sed serpentem magnũ in eius sepulchro repertum, & credidisse tunc multos, cum corpore, & anima esse ad inferos damnatum; quia Eucherius præfatus vir magnus tunc testatus est, se per quietem vidisse eius animam sempiternis supplicijs destinatam. Hoc idem narrat Gaguinus historicus, & refert Rebufus, *tractatu de deci*.*q*.12.*n*.3.

Malac. 3. Paul. Aemil. Gaguin. Rebuf.

Sed de his à Deo inflictis pœnis non est nobis 2
in præsentiarum præcipuus sermo; sed de pœnis legitimis, quibus Ecclesiæ Prælati ferire solent non soluentes decimas, aut eas quoquo modo impediẽtes; potissima autẽ pœna excommunicatio est, & satis proportionata crimini huic, decet enim, vt qui nõ soluũt pensum debitum ministris sacris, vt sacra ministrent, & exerceant, ab eisdem sacris per excommunicationem arceantur, & ideò in cap. *Statuimus*, 16.*quæstio*.1. & in Conci-

Concilio Matisconensi.2. dicitur, vt omnes cuiuscunq; gradus, & conditionis sint decimas integras soluant ijs, quibus iure debētur, alioquin excommunicationi subijciantur; vnde Tridentina Synodus *sess.25. c.12. de reform.* eandem pœnam confirmat his verbis; *Qui decimas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, neque ab hoc crimine, nisi plena restitutione soluta absoluantur.*

3 Quæres, an remissio decimæ facta ab eo cui debetur, sufficiat, vt quis tum à peccato, tum à pœna iuris liberetur? Respondet Nauar. in manua.c.21. Gloss. in c. *Peccatum* in 6. verb. *Restitutio*, eam sufficere, *Clemen.1. de decimis*, excommunicatione feriuntur religiosi quicunque sint, qui decimas Ecclesijs debitas, & ad ipsos iure aliquo vel causa legitima non pertinentes, sibi vendicare, tanquam proprias audent, aut qui dolis, & malis artibus vsurpant; & ij, qui non permittunt, & prohibent Ecclesijs decimas solui ex animalibus suorum familiarium, vel pastorum; vel ex alijs animalibus, quæ suis permiscentur; vel ex animalibus, quæ in Ecclesiarum fraudem emunt, & committunt venditoribus, vel alijs, vt ea teneant, & custodiant: aut ex terris, quas colendas alijs committunt, si admoniti ab his, quorum hoc interest intra mensem ab his non desistant, aut si id, quod sibi ausu temerario vsurparunt, non restituerint intra duos menses Ecclesijs, quibus iure debentur: quæ excommunicatio nulli communi iure reseruatur.

Nauar.

Item in Clement. *cupientes*, de pœnis, excommunicantur omnes Religiosi, qui suis concionibus, vel aliàs aliquid proferūt, vt auditores auertant à soluendis decimis, eis Ecclesijs, quibus iure debētur. Item omnes Religiosi, qui in sacris peccatorum confessionibus, quas audiunt, nullā animæ scrupulum inijciunt ijs, quorum confessiones excipiunt de soluendis decimis, tamdiù ipso facto suspenduntur, donec eos, quorum confessiones audiuere admonuerint, si commodè possunt, vti decimas debitas soluant, alioqui id non faciētes ipso facto excommunicationem incurrunt, si concionari audeant, prædicta negligentia non expiata, eo modo quo diximus. Hæc satis dicta sint circa decimas.

QVAESTIO. LXXXVIII.

DE VOTO, PER QVOD DEO ALIQVID PROMITTITVR.



Consultò sanctus Doctor limitauit quæstionem ad votū, per quod Deo aliquid promittitur ad insinuandam duplicē significationem huius vocis, *Votum*: nam apud Latinos non solùm profanos, verum etiam Ecclesiasticos accipitur, *Votum*, pro desiderio: vnde & dicitur quis voti compos, id est, desiderij, & aliquid esse in votis, & successisse ex voto: & Prouer.31. *Quid dilecte mi, quid dilecte vteri mei, quid dilecte votorum meorum*: id est, desideriorum. Secūdò accipitur, *Votum*, & frequentius pro Deo facta promissione. Ps.49. *Redde altissimo vota tua*; & 65. *Reddam tibi vota mea*. Et alibi sæpè, & in hac significatione tractat D.Th. de voto in hac quæst. & DD. *in 4. d.38.* Sotus *de iust. lib.7.* Nauar. *in manu. c.12. à n.24.* Summistæ, verbo, *Votum*, & Iuris Canonici periti in tit. de voto, & voti redemptione, & alibi sparsim.

Prouer.31

Ps.49.65

Sotus. Nauar.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm votum consistat in solo proposito voluntatis?

Summa Articuli.

1 Prima conclusio. Ad votum necessariò requiruntur tria: scilicet deliberatio, propositū voluntatis, & promissio; in qua voti ratio perficitur. *Probatur.* Votum est promissio facta Deo, aut homini ex proposito aliquid faciendi procedēs: sed hoc propositum præcedit deliberatio rationis, cùm propositum sit actus voluntatis, qui sēper præsupponit deliberationē: ergo in voto illa tria necessariò inueniuntur. *Maior prob.* (nam cætera nota sunt) votum importat obligationem ad aliquid faciendum, vel dimittendum: sed homo obligat se homini per modum promissionis ordinando se ad aliquid faciendum vel dimittēdum, quæ promissio semper præsupponit propositum id faciendi: sicut enim homo imperando, aut deprecādo ordinat, vt per alios fiat, quod ipse vult: ita etiam promittendo ordinat se, vt faciat, vel euitet aliquod propter alios, quæ promissio quando est vera procedit ex proposito id faciēdi: ergo votū est promissio facta Deo, aut homini ex proposito aliquid faciendi.

Secunda conclusio. Promissio, quæ fit homini nō potest esse, nisi per verba aut signa exteriora: at promissio, quæ fit Deo potest esse per solam cogitationem: quia vt dicitur. 1. Reg.16. *Homines vident ea quæ patent, sed Deus intuetur cor.*

Tertia conclusio. Licèt votum, quod Deo fit solo actu interno fieri possit, adiunguntur tamē quādoq; à vouentibus alia duo ad quandam voti confirmationem: nempè oris pronuntiatio, & aliorum testimonium. Probatur ex Magist. in 4. d.38. dicente: *Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de his quæ sunt Dei, fieri debet*: & addit D.Th. *Quamuis testificatio possit ad interiorem testificationem propriè referri.* 2

Magist.

Circa primam conclusionem est

DISPVTATIO I.

An illi tres actus necessarij ad votum bene enumerati sint?

4 Videtur, multo plures esse necessarios: puta consiliationem de medijs, iudicium de eligendo medio conuenientiori, imperium intellectus præcedens promissionem: ergo. Secundò videtur non esse tot actus necessarios: nam deliberatio, & propositum idem sunt, cum vtrumque sit actus voluntatis, qui est electio: ergo non benè numerantur, vt actus distincti.

Tota hæc disput. versabitur in explicatione eorum actuum, quos Doctor Angelicus ait esse ad votum necessarios: quæ explanatio si suis numeris esset absoluenda magna machina extrueretur, quod nos recusamus; ne vt sæpè monuimus controuersias à proprijs sedibus extrahamus; agitur enim ex professo de hac re 1.2. *à q.9. vsq. ad 17. & 2.2.q.47. ar.8.* modo verò ex doctrina eiusdem S. Doctoris iuxta mentem discipulorum eius communiorem, libet adnotare quendam discursum prudentialem non solùm in vouendo factum verum in omni opere studioso exercitum. Habet autem discursus in hunc modum.

Supposita intentione finis, & boni faciendi procedit ratio tanquam ex principio ad consiliandũ de medijs per virtutẽ quandã, quæ Eubulia dicitur, id est, bona consiliatrix: deinde iudicat eadẽ ratio per virtutem, quæ dicitur Synesis, id est bona sensatio, vnum certum medium esse acceptandum: & tota hæc eubuliæ, & synesis actio dicitur à quibusdam deliberatio: deinde voluntas eligit per virtutem, quæ versatur circa talem materiam, illud medium, quod per synesim iudicatum est melius: & talis electio dicitur à D.Th. propositũ voluntatis: deinde sequitur prudẽtiæ actus, qui dicitur imperium, per quod ratio exequitur id, quod iudicatum est melius per rationem, & electũ per voluntatẽ. *Esto exemplum in hac materia.* Intẽdit quis vacare religioso cultui, & vt eum finem assequatur consulit de medijs ad illũ: deinde iudicat sibi magis conuenire vouere: postea voluntas per religionis virtutem eligit illud: ac demum; prudentia per imperium iubet promittere: ergo & vltimis fit ipsa promissio, in qua consistere essentiam voti dicemus.

5 Discursus iste crasso penicillo depictus est cõtra mentem multorum modernorum, quos ex professo impugnare nõ vacat: imò in quo discrepãt etiã ipsi Thomistæ; nos breuiter & perfũctoriè aliqua adnotabimus. *Primò.* Cuius potẽtiæ actus sit deliberatio. Cai. in *Cõm. huius art.* ait importare actũ intellectus & volũtatis. Nã quia ratione includit discursũ, seu collationẽ inter multa, & iudiciũ intellectus practici determinãs hoc mediũ esse eligẽdũ, ad intellectũ pertinet cõprehẽdẽs eubuliæ, & synesis officia relata: at quatenus includit determinationẽ volũtatis ad vnum mediorũ, ad volũtatẽ spectat volẽtis eligere potius hoc medium sibi ostensum vt melius, quã aliud: quantumcunq; enim ratio ostenderit melius hoc mediũ, quã illud, nisi voluntas eligat illud nõ dicimur illud deliberasse: & addit Caiet. licèt deliberatio vtriusq; potentiæ actus includat, supponere tamen pro determinatione voluntatis ad vnum mediorum eligendum non absolute, sed vt ex collatione præfata procedit.

Et si obijcias; vt in secundo argumẽto, hanc determinationem ad propositũ pertinere, ac proinde non ad deliberationẽ. Respondetur ex doctrina eiusdem Cai. propositũ, & deliberationẽ differre, eo quòd deliberatio importat determinationem voluntatis indifferenter, siue rei futuræ, siue præsentis: deliberamus enim pulsare, & pulsaturos: at propositum tantum refertur ad futura: non enim proponimus agere, nisi id quod futurum est. Secũdò differunt in eo, quod determinatio voluntatis, quæ est deliberatio sẽper necessariò præsupponit discursũ, & collationem rationis: at propositũ non ita, sed tantum dicit simplicem actum voluntatis rei agẽdæ vel fugiẽdæ.

Alij censent deliberatione esse actum volũtatis rei agendæ, vel fugiendæ. Alij censent deliberationẽ esse actũ intellectus practici, id est, collationem, & iudicium, vt ex his infertur determinatio voluntatis ad hoc vel illud medium, quæ determinatio propositũ dicitur: & non videtur hoc alienũ à D.Th qui in hoc art. apertè distinguit deliberationẽ à proposito dicẽs; propositũ præexigere deliberationem, cum sit actus voluntatis deliberatę: quasi dicat sicut voluntatis actus supponit rationis iudicium tanquam distinctum realiter: sic propositũ deliberatum supponit rationis deliberationem. Certè D.Th. loquitur de proposito, & deliberatione sicut de actibus realiter distinctis, quorum vnus supponit alium: & tamen secundum Caiet. tantum formaliter distinguit, & in vno coincidũt. Itẽ, illa duo discrimina Caiet. inter deliberationem, & propositum non placent. 6

Primum quidem, quia deliberatio rei faciendæ, si res benè inspiciatur, semper est respectu operis futuri, sicut propositũ: etenim quãdo deliberamus pulsare nunc, deliberatio opus ipsum præcedit, vel natura, vel quod certius est tempore, saltem imperceptibili: & propterea dicimus deliberare nũc pulsare. At quãdo deliberamus nos pulsaturos, intellige transacto aliquo tempore, & mora perceptibili. *Secunda item differentia* non est vera: quia si sit sermo de proposito, quod actus liber, & humanus est (sicut re vera in præsentiarum loquimur) non potest esse sine aliquali præuia deliberatione; vt ipsemet Caiet. fatetur:) quare licèt quod attinet ad voti materiam declarandam parum referat, sic vel sic loqui, modò asseras deliberationem vtrumq; includere, & collationem rationis, & determinationem voluntatis: puto tamen verius loqui, & formalius, qui dicunt deliberationem esse actũ intellectus, comprehẽdẽtẽ discursũ & collationẽ intellectus, simul & iudiciũ quo iudicatur tale mediũ esse cõuenientius ad finẽ, vt ex his infertur determinatio voluntatis ad idem medium: quæ determinatio, & voluntatis consensus propositum dicitur: & sic pa-

sic patet ad secūdum initio disputationis positū.

Circa alium actum nostri discursus, putà *Imperium*, multi ex antiquis inferioris notæ, & multi ex modernis omninò abijciunt tale imperium, vt inutile: aut dicunt ad voluntatem pertinere, non ad intellectum. At D. Tho. & omnes eius discipuli illud expresse ponunt cum Arist. 1. *Ethic. c.* 15. & 6. *cap.* 10. vbi prudentiam præceptiuam esse asserit: prudentiam verò virtutem esse intellectualem nullus hucusque ambegit. *Secundò probatur* ratione D. Thom. 1. 2. *q.* 17. *art.* 1. inferius adducenda. *Tertiò.* Ex parte intellectus requiritur aliqua efficacia, vt voluntas eliciat actū circa hoc obiectum, & reliquæ potentiæ executiuæ id ipsum requirunt: sed nulla alia efficacia assignari potest ex parte intellectus, nisi imperiū: ergo. *Maior* admittitur etiā ab Autoribus oppositæ sententiæ: sed aiunt hanc efficaciam habere intellectum per iudicium, quo intellectus iudicat aliquid esse faciendum. *Contrà*: nam hoc iudicium prout explicatur per modum indicatiui: putà hoc est tibi faciendum, non magis inclinat voluntatem ad operandum, circa suū obiectum, quàm ad non operandum, cùm relinquat illam cum eadem indifferentia, quam antea habebat: vnde ex duobus hominibus cum illo eodem iudicio alter de facto operatur, alter verò non: ergo requiritur ex parte intellectus imperium efficax, quod intimetur per modum imperatiui; putà fac hoc. *Nec satis est, dicere*, quod illa efficacia tribuitur voluntati; quia vt dicebamus præcipere ad intellectum pertinet. Hæc satis sit vel summis labijs attigisse pro stabiliendo imperio intellectus, nam copiosior huius rei disputatio ad loca indicata spectat, & ad eadem pertinet celebris disputatio: An imperium sequatur vel præcedat electionem? à qua disputatione nos modò supersedemus properantes ad explicandum vltimum nostri discursus actum: qui est promissio, & in quo perfici essentiam voti ait D. Th. Ex his manifesta ē solutio ad argumtēa posita in initio.

D. Thom.
Aristotel.

DISPVTATIO II.

In quo consistat ratio, seu essentia voti, & pro quo supponat?

1 Communis omnium sententia est in promissione consistere: itaque actus vouendi, & promittendi idem sunt. Probatur Deut. 23. *Cum votum voueris domino Deo tuo, non tardabis reddere.* & infra, *Facies sicut promisisti.* vbi vouere per promittere explicatur: & Eccl. 5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim illi infidelis, & stulta promissio*; & eodē modo loquuntur Patres: Isid. lib. synon. & habetur c. *in malis.* 22. q. 4. & Aug. epist. 47. *Iam vouisti, iam te astrinxisti, tenetur apud Deum sponsio tua.* Secundò. Voti fractio infidelitas quædam est; infidelitas autem moralis promissioni contraria est: ergo votum est promissio. Discursus hic egregiè insinuatur in verbis citatis ex Sapiente. & 1. ad Tim. 5. *Habentes (inquit) damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*: id est, quia votum castitatis violarunt, vt August. & alij exponunt. Clem. lib. 3. const. c. 1. ait, *Rationem Deo reddet, non quia iterum nupsit, sed quia promissionem non seruauit*: illa ergo fides est promissio, eademque est votum. De qua re nullum vidi dubitantem præter Canonistas quosdam, qui aiebant essentiam voti in solo proposito voluntatis consistere: An verò alicuius voti essentia consistat in traditione sui ipsius, dicemus infra.

Deut. 23.
Eccl. 5.
Isidor.
August.
1. ad Tim 5.
Clemens.

DISPVTATIO III.

An promißio hæc, & essentia voti sit actus intellectus, an voluntatis?

1 Videtur non esse actum intellectus, cū hic triplex sit: simplicium scilicet apprehensio, compositio, & ratiocinatio, nil autem horum est votum aut promissio, vt patet. *Dices*, illam partitionem actuum intellectus fieri de actibus intellectus speculatiui non de intellectus practici actibus, qualis est votum, & promissio. *Contra secundò.* Nam in prima secundæ D. Thom. agens de actibus intellectus practici vltimum posuit imperium, ꝙ non esse promittere certò certius est *Resp. Caiet.* respectu electionis absolutè, qua aliquis eligit sibi ipsi præcipere, imperium est vltimus actus rationis practicæ ad agendum aliquid, vel faciendum; at verò respectu aliorum sunt plures actus intellectus practici, putà præcipere, deprecari, promittere, & si quæ sunt alia huiusmodi, quibus homo ad alterum ordinetur. *Et notat* idem Caietanus, quod hi tres actus distinguuntur à præcipere primo modo, ad cuius rectificationē ponitur; prudentia est causa electionis, hi autem tres actus sunt materia, & effectus electionis: nā postquam homo consultè egit imperandum alijs, aut orandum, aut promittendum, imperat, orat, & promittit.

2 *Tertiò.* Supposito eo, quod omnes sentiunt, in voto scilicet reperiri voluntatem se obligandi Deo, *arguitur sic*: Votum non est actus intellectus tēpore vel natura antecedens voluntatem se obligandi, nec etiam est actus ea posterior: ergo. Antec. quo ad *primam partem* prob. quia ante voluntatem se obligandi Deo nullum est votum. Quoad *secundam partem* prob. quia omnis actus intellectus vel est cognitio vel locutio: votum non est cognitio: quia hic actus speculatiuus intellectus est: votum verò (si actus intellectus est) ad rationem practicam pertinet, vt D. Tho. hic docuit: quod verò non sit locutio prob. quia locutio quæ actus intellectus est, fit ad manifestandum ei cui loquimur nostram voluntatem, seu desiderium. Hæc autem manifestatio superflua est respectu Dei, cui votū fit: cùm omnia sint manifesta oculis eius, siue homo loquatur vocaliter siue mentaliter: ergo hæc locutio non est actus in quo cōsistit essentia voti. *Conf.* Angelorū locutiones ad Deū nō sunt actus intellectus sed volūtatis, dicente D. Tho. 1. *p. q.* 107. *art.* 3. Angelos ad

D. Thom

Deum solum loqui ordinando per voluntatem conceptionem suam ad Deum, nō vt illi aliquid communicent, sed vt ab eo aliquid accipiant: ergo idem dicendum est de quacunque locutione purè spirituali hominis ad Deum: etenim in hoc modo alloquendi Deum spiritualiter homo imitatur modum loquendi Angelorum. *In oppositum* est D.Th. in hoc art. expresse dicens essentiam voti consistere in promissione, & promissionem esse actum intellectus.

3 De hac re sunt duæ sententiæ oppositæ. *Prima asserit* votum mentale esse actum voluntatis non intellectus. Hanc tenuerunt quidam antiqui. *Maior in 4.d.38.q.1.* vbi ait votum supponere pro actu voluntatis, & Scot. *ibi.q.* qui non satis explicant, quis sit iste actus voluntatis: nouissimè verò Franc. Suar. *è societate Iesu in 2.to.de Relig.* agens de voto *li.1.c.13.* acerrimè conatur persuadere hanc sententiam dicens: votum neutiquam esse actum intellectus, sed solius voluntatis, quatenus homo vult se efficaciter Deo obligare ad hoc vel illud in honorē ipsius faciēdū. Et pro intelligentia suæ opinionis aduertit actum istum. *Volo obligari Deo ad hoc vel illud agendū*, dupliciter posse accipi. *Primò*, tanquam solum propositum de futuro; ita vt licèt actus voluntatis sit de præsenti, obiectum eius sit tantum aliquid faciendum futuro tempore; vt cum dico, volo seruare præcepta: & similia: & in hoc sensu constat talem actū voluntatis non esse votum, nec promissionem, sed tantum propositum vouendi, vel promittendi: vnde sicut infra adnotabimus, si quis dicat, volo promittere, in eodem sensu de futuro, non promittit, neq; illa verba æquiualent huic verbo, *promitto. Secundo modo* potest intelligi pręfatus actus voluntatis se obligandi efficaciter ex tunc, & ex vi talis actus: ita vt idem sit volo obligari, quod volo manere obligatus, seu volo vt ex nunc oriatur in me vinculum, & obligatio: & in isto actu asserit hæc opinio esse essentiam voti, & non dependere in esse voti ab aliquo subsequenti actu intellectus.

Maior.
Scot.
Suarez.

4 *Probat primo.* Illa volitio per se ipsam statim inducit obligationem in ordine ad Deum: ergo est votū: nā voti effect⁹ ē inducere spōtaneā obligationē. *Antecedēs verò probatur*, quia ille effect⁹ obligādi se, est in hominis potestate, & illa volūtas est absoluta, & efficax, & quātū est ex parte illius, & ex parte hominis, statim per se ipsi inducit obligationē. *Dices.* Licet ex parte illi⁹ volūtatis statim & efficaciter sequatur obligatio, nō tamē immediatè, sed mediante facultate ad illam inducendam apta, quæ est intellectus: sicut ex hoc actu efficaci volo moueri, statim sequitur motus; non tamē immediatè, sed per motiuam potentiam: *sed contra obijcit præfatus Autor*: quia post illum actum voluntatis nullus potest intelligi in intellectu, qui necessarius sit, nec per se conferat ad faciendum obligationem apud Deum. *Probat*, quia cognitio non est ille actus, neque iudicium, neque locutio, neque alius potest fingi: sed hic labor, hoc opus. *Secundò*, quia in promissione, quæ fit homini promitto tibi hāc rem, nil aliud st, nisi volo me tibi obligare ad dandā hanc rem: ergo idem est in promissione, quæ fit homini.

Altera sententia & vera est: votum esse quendam actum intellectus posteriorem voluntate promittendi, iste actus est *promitto Deo.* Hæc sententia est expressa D.Th. *in hoc. art.* & omnium discipulorum eius, & aliorum modernorū, præter paucos, qui opinionem oppositam ferè iam sepultam extumularunt. Sed pro huius sententiæ explanatione *prænotandum* est, obligationem ad aliquid faciendum esse de genere rerum, quæ ad alias consequuntur ad modum propriæ passionis, aut effectus cuiusdam, quasi intrinsecè consecuti: etenim huiusce modi obligatio, vel nascitur à natura rerum creatarum; vt obligatio seruandi naturalia præcepta nascitur à natura intellectuali creata, quæ hoc ipso quod talis est adstringitur quasi quodā nexu ac vinculo, suo creatori obedire in omnibus, in quibus lumē naturale dictauerit obediēdū: obligatio nāq; nexus quidā & vinculū est. Aliquādo verò nascitur ex aliqua actione, vt ex furto nascitur obligatio restituēdi rem furtiuā, ex testamēto obligatio implēdi voluntatem testatoris, & in præsenti materia ex promissione obligatio implendi promissa. 5

Et ex hoc infertur, si rectus seruetur ordo voluntatem non posse immediatè ferri ad inducendam obligationem aliquid faciēdi, nisi prius natura velit, saltem implicitè id, à quo nascitur obligatio: sicut non potest velle absoluto actu risibile esse, nisi prius velit hominem esse; & in præsenti non potest immediatè velle obligari hominem per promissionem, nisi prius velit ipsum actum promissionis, à quo ea obligatio dimanat. Probatur, quia ad propriam passionem, neque ad relationem non potest esse per se, & immediatè motus: ergo neque ad obligationem aliquid faciēdi potest immediatè ferri volūtas, sed prius ad id vnde ea obligatio nascitur. His præmissis 6

Dico primò contra præfatum autorem. Essentia voti non potest consistere in voluntate se obligādi Deo. *Probatur.* Obligatio est effectus voti, & quid consequutum ad actionē, quæ votum est: ergo voluntas obligandi se præsupponit ipsum votum factum, à quo oriatur ille effectus volitus: totus discursus patet ex prænotatis. *Secundò.* Votum ex omnium sententia est, promissio, sed promissio, siue sit actus intellectus, siue voluntatis, non habet pro obiecto obligationem, aliàs haberet pro obiecto effectum ab ipsa dimanantē, quod est impossibile: quia promissionis natura ante suum effectū intelligitur in suo esse cōpleta, vt ab eo dimanet effectus: ergo voluntas promittendi, & se obligandi distinctæ sunt propter distincta obiecta, in quæ feruntur: ac ex consequēti si voluntas efficax promittendi sit votum, impossibile est eam voluntatem se obligandi, quam præfatus Autor ponit esse votum. 7

Scio præfatum Autorem dicere illam voluntatem, in qua ait ipse consistere essentiā voti, non habere pro obiecto aliquē actū humanū, sed obligationem ipsam, seu vinculum efficiendi per actū vouēdi: sed fallitur, quia ea obligatio est effectus voti; vt probauimus: ergo antequam intelligatur, intelligitur actus, qui est votum, completus cum

cũ suo termino; ac ex consequenti in illa voluntate se obligandi non consistit essentia voti. *Item*, non est credibile, illud quod asserit , velle promittere non habere pro obiecto actum humanum, cum promittere actus humanus sit: neque illud est verosimile, velle promittere esse idem, quod volo esse obligatum: tum quia hoc posterius est, & ad prius necessariò consequutum: tum quia obiectum vnius volitionis actus est, alterius verò minimè, sed cuiusdam quasi relationis ab illo actu dimanantis. Concludimus igitur quod estò votum esset actus voluntatis, non tamen ille assignatus ab eo Autore: & quando D. Thom. in hoc art. ait: *votum quandam obligationem importat ad aliquid faciendum, vel non faciendum*, intelligendus est, non de actu religioso, qui est vouere, sed de effectu intrinseco ad votum consequuto, qui propter colligantiam necessariam cum actu vouendi, vocatur votum.

8 *Secundò dico*. Quamuis votum prærequirat multos actus voluntatis, est tamen essentialiter, & formaliter actus intellectus practici. *Prima pars* nota est ex prima disputatione. *Secunda* probatur: quia votum ex omnium consensu est promissio: sed promissio est actus intellectus: ergo & votum. Minor, & consequentia probatur à D. Th. hic: nam promittere est ordinare, quid promittens pro alijs facere debeat; sicut imperare, & deprecari est ordinare, quid sibi ab aliis debeat fieri; sed ordinare est actus rationis: nam ad intellectum pertinet ordinare (quod ita certum
Caieta. cēset Cai. 1. 2. *q.* 17. *a.* 1. vt dicat esse cōmunē animi conceptionem) ergo promissio actus est intellectus practici.

9 Huic rationi occurrit P. Suar. negans solius
Suar. rationis esse ordinare: sed etiam (ait) est actus voluntatis: nā referre ordinare est, voluntas autem refert actiones ad finem, vel ad alterũ; vt qui vult obedire alteri, volũtatē suā volũtati alterius subordinat, & qui vult suũ corpus tradere alteri, vt per matrimoniũ, suũ corpus subijcit potestati alterius, quæ est quædā ordinatio: *Sed certe obijciens* nō attēdit aliud esse ordinare, id est, ordinē constituere: aliud esse ordinatè procedere: sicut prius solius intellectus est, posterius volũtatis, sequētis rationis ductũ, circa ordinata per intellectũ volētis vnum propter aliud. Et hoc clarius apparet in exemplis ab ipso adductis. Nā antequā quis velit spōso suũ corpus tradere, per intellectum ordinauit esse tradendũ, nimirum per sponsalia. *Secundò* prob. nostra assertio, adhuc magis vrgendo rationem præfatam, ex doctrina D. Tho. 1. 2. *vbi sup.* nam per promissionem Deo factā nō solùm promittens ordinat quid alteri sit faciēdum, aut exhibendum, sed hanc ordinationem facit per modum cuiusdam intimationis, & denuntiationis, quæ habent locum etiam erga Deum, vt dicemus. At huiusmodi intimatio citrà dubium actus solius rationis est: ergo. *Confirmatur*, & explicatur vis huius rationis. Nam intimare, & denuntiare aliquid agendum , actus rationis est: quia intimatio hæc est quædam mentis loquutio, cuius est signum loquutio exterior, sed quando quis alicui promittit aliquid, necesse est vt ei colloquatur, siue mentaliter cum Deo, siue vocaliter cum hominibus: ergo promissio actus solius rationis est formaliter.

Tertiò. Ferre legem actus rationis est, vt do- 10
cet D. Th. 1. 2. *q.* 90. *ar.* 1. *& q.* 92. *art.* 2. desumpsit- D. Thom.
q; hoc ex *Arist.* 5. *Ethi. cap.* 1. Sed votum est quasi quædam lex priuata, quam homo sibi imponit, vt rectè deducit Doctor sanctus in hac quæstione, art. 10. ergo votum & promissio, actus intellectus sunt, non voluntatis. Respondet præfatus, dubitās valde de veritate maioris propositionis huius syllogismi, sed necesse est dubitet de veritate dogmatis philosophici. Item dicit, minorem propositionem esse veram metaphoricè, & à metaphora non sumitur efficax argumentum: ego non video metaphoram, sed similitudinem , & proportionem; à proportione autem argumentum satis probabile sumitur. Quod sic ego formo. Imperare alijs, quod præcipuè per legem fit, quæ intimat subditis voluntatem principis , actus rationis est: ergo votum quod fit intimando præfatā voluntatem vouentis non per imperiũ, sed per promissionem, quasi quædam lex est, & actus rationis, sicut imperium legis. Antecedens conceditur etiam à reijcientibus imperium erga proprios actus. Ita Vazquez. 1. 2. *disp.* 49. *cap.* 2. Vazquez.

Ad argumenta P. Suarez *resp. Ad primum ibi* 11
benè resp. Sed vt explicatius procedatur aduertendum illā volitionem se obligādi efficaciter in eo sensu, quo ab eo Autore profertur tripliciter cōsiderari posse in ordine ad promissionem: in qua cōsistit essētia voti. *Primo* modo, vt antecedēs ipsā promissionē. *Secundò*, vt subsequens eā. *Tertiò*, vt cōcomitās. Si cōsideretur priori modo nō potest in ea consistere essētia voti: quia ea efficacia obligādi nascitur à promissione: ergo ante eā nō potest esse volũtas efficaciter obligādi sed ad sũmũ propositũ se obligādi in futurum; quod non esse votum clare constabit ex dicendis. Si consideretur ea volitio vt subsequens promissionem, iam supponit promissionem, quæ est essentia voti: ac proinde in ea volitione non consistit essentia voti. Dicit præfatus, tertio modo accipi: imò in ea acceptione idem est velle promittere , & velle obligari. Sed hoc iam aperte refutauimus circa probationem primæ nostræ assertionis: quare ad argumentum negatur antecedens.

Ad *secundum* etiam negatur antecedens: quia obiecta istorum actuũ distincta sunt: nam promitto hanc rem, habet pro obiecto rem dandam, volo me obligari ad dandum , habet pro obiecto obligationem dandi. Idem ferè dicendum de his actibus, volo promittere, & volo me obligare: prior habet pro obiecto actum promissorium : posterior habet pro obiecto obligationem à promissione dimanantem: & ab vno actu ad alterum est bona consequentia, quia in volitione promissionis includitur volitio se obligandi , & in volitione se obligandi supponitur volitio promittēdi, saltem implicitè.

Ad argumēta posita in principio disputationis, 12
quæ militant contra secundam assertionem.

Ad

Ad *primum* bene ibi: similiter *ad secundum. Ad tertium* respondetur admissa distinctione de voluntate se obligandi in futurum per promissionem, & hæc antecedit votum, & in ea non consistere essentiam voti, vt admittunt etiam oppositæ sententiæ Autores: quare conceditur prima pars antecedentis, secundam partem antecedentis negamus, ad probationem dicimus actum intellectus, in quo consistit essentia voti, & qui sequitur post voluntatem se obligandi, quæ propositum dicitur, esse loquutionem mentalem; necessariam quidem ad votum, non vt Deo manifestetur voluntas promittentis, quia hac extante adhuc potest non esse factum votum, sed quia natura promissionis hæc est, vt per eam ordinet se promittens ei, cui fit promissio per modum intimationis, & denuntiationis: sicut in oratione mentali non satis est desiderium aliquid à Deo obtinendi, vt superius docui: sed præterea necesse est, vt homo ordinet suam petitionem, & deprecationem ad Deum, quem deprecatur; & in hac ordinatione deprecatio consistit, quæ actus intellectus est, non voluntatis. Ad confirmationem si exactè respondendum esset oporteret innumera, & difficillima disputare de loquutione Angelorum: modò breuiter respondetur primò, negando consequentiam: nam sicut alia est natura Angeli, alia hominis: ita est alius modus loquendi, siue loquutio sit corporalis, siue spiritualis.

13 *Secundò respondetur*, negando antecedens: nam licet Angelus Deo loquatur, non vt illi manifestet suos conceptus, quos antea non agnoscebat, tamen loquitur vt ordinet suos conceptus, aut cognitiones suas, seu res cognitas ad Deum, & hæc ordinatio actus est intellectus hominis loquentis: licèt fiat voluntate mouente ad hanc ordinationem, vt ait D. Thom. citatus: & ex hoc tamen non sequitur loquutionem Angelorum esse actum voluntatis: pro quo notandum ex D.Thom doctrina D. Th. 1. 2. *quæst.* 17. *ar.* 1. imperium deprecationem, & promissi nes, & omnem loquutionem esse elicitiuè ab intellectu: quia ad illum spectat ordinare: cum hoc tamen stat eosdem actus esse à voluntate mouente intellectum ad eos perficiendos, omnis enim actus intellectus liber à voluntate mouente est, aliàs non esset humanus: quando ergo dicit D. Thom. in *prima parte* loquutionem Angelorum fieri ad Deum ordinando per voluntatem conceptionem suam ad Deum, loquitur de voluntate concurrente ad ordinationem mouendo, non verò quasi ipsa ordinatio sit actus elicitus à voluntate, sed quia mouet intellectum vt elicitiuè ordinet suas conceptiones ad Deum: itaque omnis loquutio cum Deo siue fiat ab Angelo, siue ab homine elicitiuè est ab intellectu, motiuè à voluntate, quæ concurrit actiuè etiam cum ipso intellectus opere.

DISPVTATIO IIII.

Qua, & qualis deliberatio ad voti consistentiam sufficiat?

SVppositis his, quę diximus in prima disputatione ad explicandum deliberationis naturam, etiam supponendum, vt res sine controuersia, requiri deliberationē ad validè vouendum: quia votum non fit sine consensu libero voluntatis, sed operari non potest sine præuia ratione considerante, & discurrente circa rem volendam: ergo necessaria est ad votum aliqua deliberatio, saltem illa, quæ vt actus sit humanus, requiritur. Sed res in controuersia posita est, qualis ac quanta erga votum sit necessaria, & sufficiat? De quo sunt duæ sententiæ. *Prima asserit* esse necessariā maturam considerationem, & cōsultationē, ita, vt non sufficiat vsus, & iudicium rationis illud, quod ad libertatem, & dominium actus, & ad peccandum mortaliter satis sit, sed ex plena aduertentia, ac consilio: & proinde vota emissa ex animi facilitate repentino timore, aut angustia, & similia non esse verè vota, neque obligationē inducere. Hæc sentētia adscribitur Richardo *in* 4. *dist.* 38. *ar.* 2. *quæst.* 2. & Glossæ in cap. *dudum*, de conuers. coniug. verbo, *calore iracundiæ*, & Panormitano, Hostiensi, Antonio de Butrio, & alijs Iurisperitis, qui tenent, ex iuribus haberi facta calore iracundiæ non valere, l. *quidquid.* 48. *ff. de reg. iuris*, vt videre licet apud Tiraquellum *de pœnis tempor. cap.* 2. *nume.* 26. & 27. qui plures pro hac sententia refert: & possunt pro ea afferri ca. *diuortium*, de pœnitentia distinctione prima, & ca. *si quis iratus*, 2. quæst. 3. & rationibus suadetur. 1

Richard. Glossa. Panor. Hostien. Antoni. Tiraq.

Prima: quia votum est res grauis, & grauissimā inducens obligationem: ergo postulat plenam considerationem, & aduertentiam omniū, quæ possent vouentē arcere à vouendo: quia si aliter fiat, sequerentur multa, & grauissima inconuenientia, & pericula peccandi mortaliter, cum vota sic facta citò displiceant, & difficile impleantur, ac facilè violentur. *Confirmatur*, quia votū actus Religionis est: ergo de se postulat fieri prudenter. Quod si absque matura deliberatione emittatur, non fit prudenter, nec placet Deo, in cuius gratiam vota fiunt, cui displicet stulta promissio, id est, inconsiderata. Eccles. 5. 2

Secundò. Deliberatio maturum consilium, & discursum importat: sed quando homo repentinè vouet ductus aliquo motu repentino, non adest maturum consilium aut discursus: ergo non adest deliberatio, & consequenter neq; votum. Minor probatur, nā agere ex passione, & repentinè, solemus distinguere contra agere ex deliberatione.

Tertiò, Quādo quis passione repētina ductus vouet, non adest plena deliberatio, & cognitio eorū, quæ circūstāt materiā deuotā: & quæ possēt vouētē à vouēdo deterrere: propter repētinū enim motū vel passionē ex illis est discursus, & ignorātia cōditionū rei deuotæ nō modica: ergo vota sic emissa non sunt verè vota, neque obligant. Probatur consequentia: quia vota debent esse voluntaria, & ignorantia voluntarium tollit.

Secunda sententia vera, & quę communiter tenetur, ait, ad votum sufficere illam deliberationem, 3

nem, quæ sat est efficere actum ab ea procedentem absolutè & simpliciter liberum, & absolutè actum humanum, id est, ea libertate pollentem, quæ sufficeret ad peccandū mortaliter, per hanc enim circumloqutionem explicant huius sententiæ autores deliberationem sufficientē ad votū. Non abnuit huic sententiæ D. Th. dum in hoc articulo ait, deliberationem requiri ad votum, eam nimirum, quæ simpliciter deliberatio est: id est, sufficiens ad actū absolutè humanum, & liberum, & ad peccandum mortaliter: ita exponit Caiet. hic, & ante ipsum Palud. *in 4. dist. 38. quæst.* prima: sequūtur omnes discipuli D. Thomæ, & multi alij, Soto, lib. 7. de iustitia, quæstione. 1. articul. secundo, Syluester verb. *iuramentum.* quarto, num. quarto, *votum, 2. quæst.* 13. & alij summistæ, Nauarr. *supra cap. 12. numer. 24. & 25.* Antoninus *secunda parte titulo. 11. ca. 2.* sumiturque ex Glossa prima in cap. *mulier, 32. quæst. 2. & 20. quæst. 1. in principio,* Panorm, cap. *ex literis, de iure iurando num. 2.* vbi Felinus, *num. 3.*

Caiet. Palud. Soto. Syluest. Nauar. Anton. Panor. Felin.

4 Rationibus suadetur, prima à priori: quia præfata deliberatio sufficit ad constituendum actum simpliciter humanum & voluntarium: ergo & votum. Antecedens patet in deliberatione iuramenti in culpa periurij, & alijs contractibus, & operationibus humanis. Hinc fit, vota emissa repentinè ex aliqua passione aut leuitate animi simpliciter esse vota, si tamen adsit deliberatio sufficiens ad actum simpliciter liberum & humanum, quāuis non sit ita exacta, vt omnia, quæ considerabilia erant discusserit, quamuis non omnia inconuenientia prospexerit: ad quam sufficientem deliberationem parum refert in momēto haberi posse: vt dixit Nauarrus vbi supra, siue tēpore imperceptibili, vt rectè dixit Caietanus. Consultò dixi: *Si adsit deliberatio, quæ constituat simpliciter actum humanum:* Nam si actus non sit plenè deliberatus, sed elicitus motu, qui dicitur à Theologis primo primus, in quo propter inaduertentiam nullum peccatum est, vel secundò primus, in quo propter imperfectam valdè aduertentiam, & quæ quodammodo præuenit vsum rationis, duntaxat peccatum veniale est; in his inquam votum nō consistit: quia deliberatio non est, aut efficit simpliciter actum humanum.

5 *Sed inquies.* In motu secundo primo potest esse veniale peccatum: ergo quando adest deliberatio per motum secundum primum erit votum obligans sub veniali; sicut in deliberatione simpliciter libera, vbi potest esse peccatum mortale, etiam est votum obligans sub mortali. Negatur consequentia: quia licèt motus perfectè deliberatus, & imperfectè deliberatus: id est, secundo primus circa idem obiectum fortasse sunt eiusdem speciei, in ratione tamen generica, id est, in modo procedendi genere differunt, sicut sciētia & opinio circa idem obiectum: & præterea onus tam graue, sicut votum, non est æquum hominem sibi imponere, nisi per actum simpliciter humanum. Plus enim requiritur ad rei constructionē (q̄ de genere bonorū est) q̄ ad dissipationē (q̄ de genere malorū) & minus requiritur ad aliqualē violationem voti, quàm ad obligationē.

Sed inquies Qua regula vtemur ad dignoscēdum, quando deliberatio constituit votum, actū humanum potētem ea proprietate, vt sufficeret ad peccatum mortale? Angelus, *votum,* primo, numero 6. ait. Quando voto repentinè facto vouens postea pœnitet cessante passione, signum est fuisse indeliberatum, & consequenter inualidum. Hanc regulā meritò fere omnes citati reijciunt, alioqui multa vota facta cum matura consideratione diceremus esse inualida, quorum vouentes postea pęnitent. *Alij iurisperiti docent:* Quādo passio est tanta, quod sine illa votum non fuisset factum, non est plēna deliberatio: sed hic labor, hoc opus discernere, hoc & iudicare. *Item:* quia multa validè fiunt occasione passionis, quæ sine illa non fierent. *Dico ergo.* Nulla potest assignari regula ad cognoscendum, quando deliberatio fuerit perfectè humana: quare iudicio prudentum relinquitur, quādo passio abstulit vsum plenum rationis, & tunc non erit verè votum, quod si non abstulit, verè votum iudicandum est. 6 Angelus.

Ad argumēta pro priori sententia *respondetur.* Ea iura alligata, & autores ibidem citati intelligendi sunt vt reor, quando vota emissa sunt, aut aliæ promissiones vel iuramenta facta calore iracundiæ perturbante liberum rationis vsum: ita vt non relinqueret potestatem deliberandi sufficienter ad peccandum mortaliter: tunc ea vota (inquiunt) non sunt valida, nisi transacta iracundia rata habeantur: & idem dicendum de quacūque alia passione perturbāte rationis vsū. Quod autē hæc explicatio legitima sit illorū iurium ex iure in alijs locis colligo: nam in cap. *sicut ex literis,* de iureiurando, iuramentum temerarie factum punitur vt graue peccatum: quia factum fuerat de re illicita: & propter hūc posteriorē defectum censetur non obligare; non ex defectu deliberationis, & in cap. *dudum,* de conuers. coniug. votum factum calore iracundiæ, nimirum quæ non abstulit rationis vsum, validum declaratur, & in ca. 2. de voto, votum Hierosolymitanæ peregrinationis factum in puerili ætate, quamuis in eo non fuerit tam exacta deliberatio, validum declaratur. Simile argumentum potest sumi ex casu, qui habetur in cap. *sunt qui opes,* 17. quæstione 4. & iura ipsa nostram sententiam adstruunt, & declarant iura allata in contrarium, & innumeri Iurisperiti eam asseuerant in his textibus citatis. 7

Ad primam rationem *respondetur* negando consequentiam: alioquin vix possent homines firmos cōtractus celebrare, si plenissima deliberatio, & cōsideratio requireretur: satis superque est ea plena deliberatio, quæ sufficiat efficere actū simpliciter liberū, & humanū. Fatemur sæpe ea vota nō prosperè succedere, sed inconueniētibus occurritur per dispensationē valētis dispēsare: causa enim sufficiēs ad dispēsandū in huiusmodi votis erit facta fuisse repētine, & re parum considerata. *Ad confirm. resp.* vota repentinè, & sine matura deliberatione emissa per se ad Religionem pertinere, & quantum ad circunstantiam vitiari: item quantum ad malitiam, & peccatum imprudentiæ, quod in illis inuoluitur à Deo non acceptari, sed tantum 8

quan-

quantum ad obligationem: vt de votis factis propter inanem gloriam dicemus: mitto modo non esse necessariam, vt votum factum repentinè sit peccatum, vt in voto Religionis: quod non indiget sollicita, & præmeditata deliberatione, vt
D.Thom. adnotauit D.Thom. *infra quæst.* 189. *art.* 10. *& opusc.* 17. *ca.* 8. 9. *&* 10. & multa vota repentina tantum abest vt imputentur ad culpam, quod sæpè meritoria sint: quia licet fortasse modus vouendi ex se reprehensibilis sit, vel non aduertitur, vel ignoratur inculpabiliter motiuo studioso, & bona intentione illum modum excusantibus.

9 Ad secundam rationem respondetur, deliberationem vndequaque perfectam requirere maturitatem consilij, & discursus, iuxta proloquiũ: *Postquam consulueris maturè, facto opus est*: at hæc nõ requiritur ad votũ, sed sat est illa, q̃ efficiat actũ humanũ, & quãdo cõdiuiditur agere ex passione cõtra agere deliberatè, sumitur agere ex passione pro actu nõ simpliciter humano: id est pro motu primo primo, aut secũdo primo, vt declaratũ est. Ad *tertiam* ratiõe *resp.* quando deliberatio circa votum est simpliciter actus humanus, benè agnoscitur quid sit id quod vouetur, & conditiones eius substantiales. Et quamuis cætera ignorentur non ob id deliberatio, aut votum inuolũtaria erunt: quia non quæuis ignorantia causat inuoluntarium, vt latius dicitur *in* 1. 2. *q.* 6. *art.* 8. *& quæst.* 76. *art.* 1. & quod ad votum attinet nos copiosius dicemus infra circa articulũ tertium.

DISPVTATIO V.

Affinis præcedenti. Vtrùm ad voti valorem necessaria sit actualis, & formalis deliberatio voti faciendi: An sufficiat virtualis, seu in causa?

1 PRo disputationis elucidatione præmittẽdum deliberationem aliquid faciendi duplicem esse, *quandam actualem*, siue formalem, qua quis confert hinc & inde vtrum opus sit faciendum, ac tandem ex iudicio practico determinatur voluntas ad illud faciendũ. *Altera est virtualis*, quando quis non actu considerat, aut deliberat de opere faciendo, sed tantum virtualiter, & implicitè. Et hæc virtualis deliberatio duplex est: quędã, q̃ fũdatur in p̃cedẽti deliberaratione formali eiusdẽ actus, qui dicitur esse virtualiter deliberatus, & dicitur virtualis: quia non existit eo tempore vel instanti, quo fit actus per illam deliberationem; licet actualiter, & formaliter præcesserit, sed moraliter censetur durare, & influere in eo tempore quo fit actio. Exemplum ponit Caietanus in artifice perito, qui operatur opus facile artis sine actuali deliberatione de singulis: in principijs tamen artis addiscendis actualiter deliberauit. *Altera virtualis* deliberatio est, quando quis propter vehementiam affectus reijcit, vel non curat de consultatione, & deliberatione, sed ita operatur, ac si consultasset, & deliberasset. Exemplum est in illis, qui ex malitia, consuetudine, vel negligentia operantur aliquid, siue bonum, siue malum: actus enim illi dicuntur esse deliberati ex deliberatione virtuali: non quia fundentur in deliberatione formali, quæ præcessit (nam fortasse vt ait Caietanus nulla præcessit) sed quia ita procedunt, ac si præcessisset.

Secundò notandum, duas esse de hac re sententias. *Prima* est tempore, quo votum emittitur esse necessariam formalem deliberationem voti efficiendi, nec sufficere virtualem. Ita Angles *secunda parte, quæst. de voto ar.* 1. *dist.* 3. *c.* 2. *illatione* 2. *concl.* 4. qui ita interpretatur Richardum: & nouissimè eam tenet Suarez *secundo tomo de Religione, lib.* 1. *ca.* 10. *circa finem*, vbi post multa tandem hanc amplectitur. Et *probatur primò*, quia voluntas seu deliberatio in causa non sufficit ad votum, aliàs votum ebrij esset validum, si esset præuisum: quia est deliberatum & voluntarium in causa: at hoc esse falsum certum est: ergo non sufficit virtualis deliberatio. 2 Angles. Suarez.

Secundò. Qui iurat ex consuetudine, licet subitò promittat cum iuramento se aliquid facturũ, non obligatur voto, vel iuramento, & tamen emissum est cum intentione, & deliberatione virtuali illo secundo modo accepta. *Maior patet*: quia sic promittens non habet animum promittendi, qui est de essentia voti, imò fieri potest, vt licet habeat talem consuetudinem, nunquam habuerit propositum vel deliberationem vouendi. *Minor* etiam patet: quia ille peccat sic vouendo vel iurando. Item. Illud votum aut iuramentum est voluntarium, & deliberatum saltem in ipsa consuetudine.

Tertiò. Voti substantia consistit in actu interno voluntatis, quo homo vult se obligare: ergo hic est formaliter necessarius: ergo etiam in eodem instanti est necessarium iudicium sufficiens ad illum actum: quia voluntas non fertur, nisi in obiectum actu cogitatum, & iudicatum. Vel ergo illud iudicium, pro vt tunc formaliter habetur, est sufficiens vt actus voluntatis sit, vel non est sufficiens: si primum dicatur, illa est formalis deliberatio: si verò dicatur secundum, actus voluntatis non erit sufficiens ad obligationem voti, etiamsi deliberatio rationis in intellectu præcesserit. *Probatur* hoc vltimum, in quo difficultas consistit: quia ad votum necessarium est liberum propositum se obligandi, vel saltẽ promittendi vt dictum est: sed illud propositum non est tunc liberum, vt in casu supponitur: ergo non est sufficiens ad obligandum. *Dices*, actum illum esse liberum per relationem ad præcedentem deliberationem. *Sed contrà*: nam hæc est libertas solùm per denominationem extrinsecam, quæ ad moralem affectum non sufficit, vt patet in voluntate ebrij, aut dormientis.

Secunda sententia asserit, ad voti consistentiam, & obligationem sufficere virtualem deliberationem. Ita videtur supponere Caietanus in *hoc articulo*, Aragon, *etiam dub.* 2. *conclusione* 2. *in vltimis verbis*, quatenus ait ad votum necessarium esse quod fuerit volitum in se, formaliter aut virtualiter. Et Nauarrus clarè *cap.* 12. *num.* 26. *verbo.* 5. & 3 Caiet. Aragon. Nauar.

Ludou.

Ludoui. Lopez. Ludo. Lopez *prima parte instruct. cap. 43. vers. 2.* Et probari potest hæc sententia ex dictis in præcedenti disputatione: nam ea deliberatio sufficit ad votum, quæ sufficit ad peccandum mortaliter: sed deliberatio virtuali sufficit ad peccãdum mortaliter, vt cõstat: ergo. *Secundò.* Actus virtualiter deliberatus est perfectè humanus: Nam Sacerdos consecrans ex virtuali intentione, pictor pingens ex vi præcedentis applicationis, actum perfectè humanum facit: ergo etiam qui vouet simili intentione, verum votum emittit. *Tertiò.* Intentio virtualis sufficit ad Sacramentum conficiendum, & accipiendum: item ad orandum, imò ad impetrandum: ergo etiam ad votum sufficiet. *Quarto*, id ipsum palam fit in eadem materia vouendi: nam ferè omnes, qui ordinem sacrum suscipiunt eo tempore, quo sacris ordinibus initiantur, neutiquam de voto castitatis emittendo cogitant: imò neque de ordine quem suscipiunt, & tamen certum est votum validum emittere ex virtute præcedentis deliberationis.

Nobis quædam media sententia inter has tenenda est, pro qua dico primò. Ad votum, & eius valorem sufficit virtualis deliberatio, quæ fundatur in actuali, & formali deliberatione præcedente. *Probatur* argumentis pro secunda sententia, quæ id probant: & eorum efficacia fundatur in eo, quod actio vouendi à deliberatione formali vouendi procedit, & ea moraliter durat, quia retractata nõ est, vt supponimus, & virtualiter influit in totã illã actionẽ, qui influxus ob id dicitur durare fere in omni negotio, vt clarè apparet in spõsalibus per procuratorem, quæ habẽt vim in virtute volũtatis actualis præcedẽtis. *Dices.* In hoc casu votum formaliter dicetur deliberatum à formali præcedente deliberatione: ergo non tantum virtualiter. *Respondetur.* Licet præcesserit formalis deliberatio, votum ab ea deliberationem participans, tãtum dicitur virtualiter deliberatum, quando deliberatio illa non extat formaliter, quando votum emittitur, sed in virtute manet, & ideò virtualis dicitur.

5 *Secundò dico.* Ad votum, & eius valorem sat est procedere ex deliberatione virtuali, nulla præcedente actuali, in qua fundetur. Exemplum est in his, qui ex consuetudine, quam habent aliquid faciendi vouent illud nulla facta collatione, an expediat nec ne: & in eo, qui ex malitia vel negligentia non vult discutere, an expediat hoc vel illud vouere, & de facto vouet. Hæc assertio citra dubium est domini Caietani in Cõmẽtarijs huius articuli: & probatur ratione eiusdem Caietani: nã qui cõsuetudinẽ suã prosequitur in bono vel malo, non est necesse vt deliberet actualiter: imò neque quod aliquando proposuerit vti tali consuetudine, sed quia refutat collationẽ, & illud opus acceptat ac si cõsuluisset, dũ sic acceptat illud, quod fugit oppositum, consequens est, quod ex collatione virtualiter operatur: omnis enim actus voluntarius præter naturales, & primos motus ex collatione est, ac per hoc deliberatus actualiter vel virtualiter, implicitè aut explicitè, positiuè, vt in casu primi asserti, vel negatiuè, vt in casu huius secundi.

6 *Ad primum* arg. pro priori sententia sunt qui cõcedãt votũ in ebrietate emissum, & ante ebrietatem præuisum esse validũ: sed hoc reputatur falsum ferè ab omnibus, tam primæ quàm secũdæ sententiæ assertoribus: & *probatur*, quod in actibus perpetratis in ebrietate, & ante præuisis non est noua culpa, sed est nouus actus externus, qui denominatur peccatum ab interiori voluntate & culpa, quæ præcessit, & cum illa constituit vnum peccatum, quod non habet nouam malitiam, præter eam quæ fuit in voluntate præcedẽti: ergo ibi non est sufficiens volũtas ad peccãdũ de nouo: ergo neq; ad vouendum. *Respondetur igitur* ad argumentum, non satis esse ad votum fuisse deliberatũ in causa, sed necessarium esse fuisse deliberatũ in se per deliberationem actualẽ, vel per virtualem fundatam in actuali eiusdem obiecti: quæ præcessit, vt ex dicendis constabit.

Et si obijciat quis. Ad peccandum mortaliter sat est deliberatio in causa: ergo etiam ad vouendũ: discursus patet ex dictis in præcedenti disputatione, eam scilicet deliberationem sufficere ad votum, quæ sufficit ad peccandum mortaliter. *Respondetur primò*, hanc regulam intelligendam esse in ordine ad ipsam voluntatem internam, nõ in ordine ad denominationem actus externi, sicut contingit in peccatis commissis in ebrietate, sed præuisis: quæ tantum sunt voluntaria denominatione extrinseca: nam in ordine ad internã, nulla culpa de nouo committitur: At in voto in ebrietate emisso non adest voluntas vouendi, sed ad summum proferendi verba votiua, quæ prolatio sine voluntate vouendi non est votum. *Secundò respondetur*, axioma esse intelligendum non omnibus modis, sed cum proportione, cõparãdo, scilicet, volũtatẽ peccãdi ad volũtatẽ vouẽdi, quæ aliàs ex obiectis sufficiunt ad peccãdũ, vel ad vouẽdum: sed tamẽ ex obiectis differentia est: nã ad peccandum non est necesse velle nouo actu malitiam, neque actum vt malum; sed satis est velle actum, cui coniuncta est malitia: ad votum verò non satis est: velle proferre verba votiua, sed necessarium est velle aliquo modo sub ratione voti aut promissionis. Et hoc est quod alij dicunt malum consurgere ex quocunque defectu: votum autem, vtpote de genere bonorum, requirere perfectiorem voluntatem, non tantum indirectam circa verba promissoria, sed circa ipsam promissionem.

7 Sed specialiter ad votum ebrij descendentes, dico, duobus modis posse vouere in ebrietate. *Vno modo*, si præuidens se solere vino occupatum vouere, velit validè vouere, & se obligare, si fortè in ebrietate cõstitutus verba promissoria proferat: & tunc citra dubium, si ea proferat: validè vouet, & voto obligatur: quia habuit deliberationẽ formalẽ vouẽdi, sed cõditionatã, scilicet si verba promissionis in ebrietate proferret, & tũc posito actu prolationis verum extat votum. Nõ enim repugnat votum fieri sub conditione, quæ postea non pendeat ex noua voluntate vouentis, v. g. si peierauero in ebrietate constitutus, soluam centum. *Secundo modo* potest accidere

cidere vt quis ante ebrietatem prævidens, se vino sepultum solere vota emittere, & de hoc non curans inebriatur, & votum emittit: & in hoc casu procedit argumentum primum pro prima sententia.

Ad quod respondetur, tale votum nullo modo fuisse voluntarium, neque etiam in causa. Etenim ex volitione ebrietatis in hoc casu tantùm nascitur prolatio verborum, promissionem importantium: at hæc non est votum, nisi adsit animus interior promittendi: ergo neque etiam in causa dicetur votum talis prolatio verborum. Quod etiā suo modo verificatur in homicidijs, & a lijs peccatis præuisis, & perpetratis in ebrietate. Nam quoad actum externum dicentur volita in ebrietate, quoad internum nequaquam, nisi per quandam denominationem valde extrinsecam: quo fit, vt peccata, quæ solo actu interno consistunt, nequaquam possit esse volita in ebrietate, nec imputari, nisi ante ebrietatem præuisa, & formaliter volita fuerint.

8 *Dices*. Peccata externa imputantur volita in ebrietate, licèt actus interior non sit volitus: ergo verba promissoria imputantur ad votum, licèt promissio interior non sit volita. Negatur consequentia: tùm, quia peccata opere externo consumantur, votum nequaquam: quia de genere bonorum est ad cuius perfectionem multò plura requiruntur, quàm ad peccata: tum, quia vt aliquid indirectè sit volitum in sua causa, necessarium est, vt præter præuisionem effectus teneatur quis vitare causam, ne effectus sequatur: at qui prænouit se in ebrietate constitutum solere dicere verba promissoria, non videtur teneri ad vitādum ebrietatem, ne votum sequatur, vt contingit erga peccata præuisa: fortasse illa verba promissoria proferre nonnullum peccatum irreuerentiæ est, & sub hac ratione indirectè volita, nō verò quia votū cōtineant: quo fit, vt si quis præuideat se in somno solere proferre talia verba, & nihil de illis curet, neque habeat positiuam volitionem se obligandi, nullum votum emittet, neque peccabit: quia non tenetur vitare causam illam, ne talis effectus sequatur.

9 Propter secundum argumentum multi, qui tenent nostrum primum assertum, negant secundum, cuius argumenti vis adhuc magis explicatur. Hæc assertio à quibusdā impugnatur. *Primò*: quia votum debet esse formaliter voluntarium in se, & non sat est esse voluntarium indirectè & in causa, vt de voto ebrij omnes dicunt: ergo vouens ex consuetudine sine deliberatione actuali vel virtuali fundata in actuali præcedente, non erit verum votum, quia non est voluntarium, neque in se, neque ex deliberatione actuali præcedente, quam non præcessisse in casu huius assertionis supponimus: quod autem sit voluntarium in consuetudine non sat est, sicut neq; votum ebrij in ebrietate emissum, & volitum.

10 *Ad hoc argumentum* respondetur eodem modo quo ad primum de ebrio vouente: est tamen aliqualis differentia: quia ebrius in ebrietate vouēs non est mentis suę compos, ac proinde si aliquod voluntarium circa votum illius reperiretur, totū esset referendum ad ebrietatem volitā: at vouens ex consuetudine non redditur impotens ad deliberandum, & volendum (imò aliquando, sed rarò ipsa consuetudo excitat aduertentiam, deliberationem, & voluntatem vouendi formalem) sed consuetudo tollit, vel minuit deliberationē, quoad collationē rationis. Speciali⁹ verò aduerto tripliciter posse contingere, vt quis præuidens se habere consuetudinem vouendi, voueat. *Vno modo* volendo, vt si fortè consuetudine raptus voueat, firma sint, & valida eius vota, & isto modo verè vouet postea, & vota valida sunt sicut de ebrio dicebamus. *Patet*: quia iste sic vouens formaliter deliberauit vouere, & formaliter voluntarius fuit: ergo postea quando vouet tam quoad collationē rationis, quàm quoad electionē voti, deliberatio adfuit, virtualis quidē, sed fundata in actuali præcedēte, iuxta ea, quę docuimus in prima assertione. *Secundo modo* præuidens eam se habere consuetudinē, potest verba promissoria proferre sine vlla aduertentia eius, quod facit, sed consuetudine rapiente linguam: & isto modo credo non emitti verum votū. *Probatur*: quia illa promissio verbalis non est verum votum, neque vera promissio, sed ad summum volita materialiter, vt quædam prolatio verborum est: & hoc probat secundum argumētum initio positum, & idem à me ampliatum; nec credo autores secundæ sententiæ oppositum sentire. *Tertiò modo* potest accidere vt talis vouens præuidens se habere consuetudinem vouendi nulla facta collatione rationis, vtrum expediat vouere hic & nunc, sed potius ea refutata: quia consuetudo aut habitus facit, vt de collatione rationis non curet, vult vouere, & de facto vouet. Et tunc existimo esse verum votum: & in hoc casu Caietanus loquitur, si attentè legatur.

Et ad argumentum secundum in contrarium respondetur, eius autores non exigua laborare æquiuocatione, dum putant nos, & Caiet. existimare sine voluntate formali vouendi in hoc casu reperiri votum: quod neque somniamus, sed asserimus sine deliberatione formali præcedenti, aut actualiter existente, quando votum fit posse votū extare: dūmodo deliberetur saltē negatiue: quia refutatio collationis, & voti acceptatio, ac si de illo consultū esset pro virtuali deliberatione reputatur: & memento deliberationem duo includere; & collationem rationis, & volitionē rei deliberatæ. In hoc tertio casu reperitur hoc vltimum, non verò primum: quare meritò dicitur tale votum esse voluntarium, non verò deliberatum formaliter: quia deliberatio quantum ad collationem rationis formaliter non præcessit. 11

Tertio argumento mouetur Pater Suarez *vbi supra*, vt existimet, nunquam posse fieri votum validum, nisi in eo instanti, seu tempore, quo votū emittitur, sit actualis aduertentia intellectus sufficiens ad humanum actum, & ad peccandum mortaliter, nō exterius tantùm, vel per denominationem à præcedenti actu, sed etiam interius in nouo actu volūtatis. Verba sunt præfati autoris: & 12 Suarez.

ris: & probat, quia votum consistit in voluntate deliberata se obligandi Deo, hæc autem non fuit antea, sed tunc primò habetur, cum fit votum: ergo tunc debet esse sufficienter libera, & humana: ergo requirit actualem aduertentiam: alioqui non erit in se libera, sed ad summũ per denominationem ab aliquo actu præterito.

13 Hoc argumentum, & tertium supra positum procedunt supposita sententia eiusdem autoris putantis voti essentiam consistere in actu voluntatis, quo vouens vult se Deo obligare, imò ait, hoc esse promittere aliquid, ac subinde promittere, actũ esse volũtatis, nõ intellectus. Quã sẽtẽtiam falsam esse probaui supra, & contra D. Th. expresse: quare modò omnes illæ propositiones in argumentis assumptæ, quæ hanc sententiam supponunt, negandæ sunt. Sed quia argumenta illa ferè cum eadem difficultate procedunt supposita vera sententia, videlicet voti essentiam in promissione, quę actus intellectus est, consistere.

Pro solutione *aduertere oportet*, nos libenter concedere voti essentiam, & valorẽ neutiquam extare sine promissione interna, & actuali, & hãc esse, & dici liberũ à libertate, q̃ intellect⁹ quoad exercitium participat à volũtate: sed hæc participatio prouenire potest dupliciter. *Vno modo* à voluntate actualiter volente promissionem in eo temporis instanti, quo votum emittitur: & hoc modo fieri verum votum sine controuersia est. *Altero modo* à voluntate deliberata, quæ præcessit sine interruptione: & hanc dicimus sufficere, vt promissio sit libera non minus, quàm si in eodem instanti, nouo actu voluntas vellet promittere. *Dices*. Hoc posteriori modo promissio non est in se libera, sed ab extrinseco, & per denominationem, sicut promissio, aut votum ebrij. Negatur vtraq; pars assumpti. Quod non debeat dici libertas hæc ab extrinseco, patet: alias nullus actus intellectus diceretur liber, quia à voluntate libertatem participat: imò neque actus ipse voluntatis diceretur liber in se: quia ab intellectu participat libertatem quoad specificationem.

14 Hoc autem alienum est à vero Philosopho, qui docet intellectum, & voluntatem sibi inuicẽ libertatem communicare: intellectus communicat voluntati libertatẽ quoad specificationem: voluntas intellectui quoad exercitium. Itẽ promissio, quæ dimanat à voluntate deliberata, & antecedente per aliquod tempus, nõ dicitur voluntaria denominatiuè tantum, sed formaliter voluntaria ratione formalis deliberationis, quæ durat secundũ suã virtutem. Et quãdiu non fuerit retractata, aut quasi omissa per obliuionem propter moralem colligantiam actuum intellectus, & voluntatis, verè influit in promissionem, vt dicatur in se libera, & voluntaria ratione deliberationis antecedentis: nec ita contingit in voto ebrij, aut promissione, quæ non supponit aliquam deliberationem, aut volitionem voti formalem, à qua virtualiter procedat, & in qua fundetur. *Confirmatur*, & explicatur amplius: nam generatio alicuius viuentis non est minus naturalis quando procedit à vouente mortuo in tempore ipso generationis, sed operante secundum suam virtutem, id est semen ab eo decisum, quàm generante extante actualiter tempore generationis: ergo promissio non minus deliberata, & volita erit, si procedat à voluntate formali præcedente, etiamsi non sit simul cum ipsa promissione & voto, sed tantum virtualiter; eo quod illa prior volitio reuera influit virtualiter in promissionem, efficiens ipsam voluntariam, & deliberatam.

DISPVTATIO VI.

An promissio sic sit de substantia voti, vt etiam sine proposito sufficiat?

VIdetur vera pars affirmatiua: quia interdũ vouentes etiã solenniter carent, imo habẽt propositũ nõ seru. di promissa, vt sæpe contingit in profitentibus statum Religiosum, vt fruantur, & lautè viuant ex prouẽtibus, qui illius Religionis professoribus dari solent, at hos vota vera emisisse certũ est. *Secundò*; quia vouentes raò, aut nunquam habent propositum obligandi se, sed promittunt Deo nulla facta mentione obligationis. In oppositum est D. Thom. *in hoc articulo* dicens promissionem, in qua perficitur essentia voti, procedere ex proposito faciendi 1

Pro expositione *præmittendum*, propositum in voto requisitum posse esse vel promittendi, vel exoluendi promissa, vel obligandi se ad illam exolutionem. Et à certioribus incipiendo 2

Dico primò. Propositum promittendi sic ad votum necessarium est, vt sine illo non valeat consistere essentia, & quidditas voti. *Probatur*: quia essentia voti consistit in promissione: at promissio nisi voluntaria sit non potest constituere votum: quia votum actus voluntarius est: ergo sine proposito & voluntate promittendi non extat votũ.

Dico secũdò. Si aliquis exterius promittit, aut vouet, & tamen non habet propositum, aut animũ 3
promittendi, per se loquendo, id est quãtum est ex vi promissionis, non manet obligatus in foro conscientiæ ad efficiendum, quod promisit. Probatur ex præcedenti assertione: quia illud non est verum votum, sed fictio voti. Dixi: *in foro conscientiæ non obligari*: quia cum Ecclesia non iudicet de occultis, si in exteriori foro constet votum esse factum, Ecclesia vouentem coget ad illud seruandum, iuxta capitulum, *humanæ aures*, 22. quæstione 5. neque vouenti dicenti se non habuisse voluntatem vouendi credet, etiam si iuramento affirmat, vt dicitur in ca. *per tuas*, de probat. *indignum est* (inquit) *iuxta legitimas sanctiones, vt quod quisque sua voce lucidè protestatus est valeat proprio testimonio infirmare*: & ibi dicitur: *etiam si id iuramento attestetur*. Item: quia aliàs ingens esset perturbatio in Ecclesia, dum quilibet conaretur sua pacta infirmare, dicens non habuisse intentionem contrahendi, & sic sponsalia: vota reli-

religiosa, matrimonia, & quæuis alia pacta scinderentur. Poterit igitur Ecclesia si huiusmodi vota ficta ad suum forum adducantur compellere ad eorum impletionem, & vouens tenebitur obedire, non quidem ratione voti, sed ob Ecclesiæ præceptum: quod si aliter non potest benè & licitè implere quod præcipitur, nisi mutando animum, & de nouo vouendo, ad id fortasse poterit consequẽter obligari, saltem in foro conscientiæ: quia licet voti emissio per se loquendo tantum sit sub consilio; at per accidens potest quis ad illud obligari propter vitandam nouam culpam, præcipuè præsupposita priori, & fictione. Item etiam secluso præcepto speciali Ecclesiæ aliquando qui sic fictè vouet tenebitur per accidens ad implenda promissa, vel propter iniuriam ea occasione illatam, aut propter detrimentum inde alteri resultans: vt contingit sæpè in sponsalibus, & alijs promissionibus humanis: & in promissione solemni Religiosorum præcipuè verificabitur: de quo nos, Deo dante, copiosius in 3. to.

4 *Dico tertiò*. Si quis promittit aliquid Deo, etiã si habeat animum seu propositum non implẽdi promissa, verum votum & validum facit: ac subinde manet obligatus ad faciendum opus promissum. Hæc assertio communis est, & eam expresse asseuerant omnes autores infra citandi, quos refert, & sequitur Ioannes Gutierrez, *lib. 2. qu. Canon cap. 22. num. 30.* & explicuit Caieta. *in hoc art. circa finem, & quæst. sequenti art. 7. ad quartum.* vbi idem dicit de iuramento. *Et probatur*: quia ad promissionem factam Deo sequitur obligatio implendi promissa, sed illi, de quibus in assertione, verum votum, & promissionem faciunt: ergo. Respondet Greg. de Valencia *in 3. tomo disp. 6. qu. 6. puncto 1.* (qui solus, quod ego nouerim, negat nostram assertionem; licet ille dicat esse contra sententiam communem) respondet inquam, in hoc casu non esse verum votum, neque veram promissionem: quia repugnat, imò non est intelligibile, quod simul fiat votum, ac promissio & simul adsit voluntas nõ faciendi promissa: sed probatur oppositum, & arguitur secundò, quia voluntas promittendi, & consequenter se obligandi, & voluntas non implendi promissa, non sunt contrariæ, cum nõ sint de obiectis simpliciter repugnantibus, sed quæ possunt esse simul: ergo cum proposito non seruandi castitatem, stat efficax voluntas vouẽdi eam, & consequenter ab ea dimanabit obligatio seruandi castitatem. *Confirm.* quia aliàs multi contractus hominum iniquorum irritarentur, vt venditiones, sponsiones, & vota, quæ emittuntur sine proposito: imò cum proposito non seruandi res deuotas, vt in argumento primo disputationis narratum est.

5 *Sed contra arguit* Valencia ex testimonio D. Thom. *in hoc articulo* dicentis, promissionem procedere ex proposito faciendi. Respondetur esse intelligendum quando votum rectè, religiosè, & sine fictione fit. Ita intellexerunt eum Sotus, Caiet. & alij. *Secundò* arguitur pro Valẽcia Qui dicit, *promitto*, & non habet intentionem faciẽdi quod promittit, mẽdax est: ergo nõ facit, quod dicit: ergo reuera nõ promittit: ergo signum est, promissionẽ essentialiter includere propositũ implendi, & sine illa nullum esse. *Respondetur* negando secundam consequentiam, quia verbum *promitto* duas voluntates includit, scilicet promittendi, & faciendi promissum, priorẽ immediatè, & quasi directè; secundam quasi consequenter: quia qui promittit significat se, & ex animo, & fideliter promittere: qui ergo verè promittit, & sine intentione implendi, in vno verũ dicit, in alio falsum: prior autem veritas sufficit, vt verum votum faciat: posterior autem falsitas non annullat votum, sed facit vt illicitè & indebito modo voueat, & grauiter peccat pernitiose mentiendo. Item: quia habet propositum frãgendi votum in ipsa emissione voti, quod peius est, quàm si post habitum propositum implendi deficeret ab impletione.

Sed maior difficultas est in casu satis trito in hac materia: An si quis votum emittat cum animo 6
promittendi, nõ tamen cum animo se obligandi, imò cum expressa voluntate non se obligandi verum votum emittat obligatoriũ ad seruanda promissa?

Circa quod duas inuenio sententias oppositas. *Prima est negatiua*, quam videtur indicare Syluest. verb. *iuramentum*. 4. quæstion. 7. & verb. *metus, quæst. 8. dicto. 8.* verbo, *pactum, quæst.* 4. & ibi Angelus *num. 4. & votum. 2. num. 7.* & D. Anton. *2. p. tit. 11. cap. 2.* & Nauarr. *in Manuali cap. 12. num 27. & 28.* & Suarez, *in 2. tomo de Relig. lib. 1. de voto cap. 3. num. 12* in hanc inclinat vt veriorem, oppositam tamen affirmatiuam tenent communiter Thomistæ, Caiet. *q. sequenti ar. 7. circa ad quartum*, Soto *lib. 7. de iust. quæst. 1. art 2.* Arag. *22. super hunc articulum*, Gutierrez *lib. 2. qu. Canon. ca. 22. nu. 31.*

Pro hac difficultate enodanda *dico primò*. Nõ est possibile verè vouere, & non obligari ad voti obseruantiam: hoc patet ex sacris literis citatis *Eccl. 5. & Psal. 75.* Prætereà, quia vouere consistit 7
in promissione, vt supra visum est, sed ad promissionem sequitur obligatio seruandi promissa: ergo qui vouet spontaneè, necesse est vt velit se obligare ad soluenda promissa.

Secundò dico. Ad verum votum non est necesse habere formalem intentionem se obligandi ad obseruantiam voti: sat est habere virtualem, quæ includitur in ipso actu vouendi. *Probatur*. Ad votum sequitur obligatio: ergo qui vouet implicitè vult se obligare: sicut qui vult natare, vult implicitè madefieri. *Item*: nam aliàs vota quæ communiter fiunt non essent verè vota, cum pauci sint, qui habeant intentionem formalem se obligandi: omnes verò habeant intentionem vouendi, & promittendi: & idem apparet in alijs contractibus emendi, vendendi, &c.

In his dictis, vt credo nulla est controuersia 8
inter citatos Autores, sed in casu posito de eo, qui habet propositum vouendi & simul intentionem non se obligandi: nam Autores secundæ sentẽtiæ dicunt tunc votum esse validũ. *Prob.* quia obligatio est effectus omninò naturalis promissionis: ergo posita promissione nõ poterit homo

Gutier. Caieta. Valencia. Valencia. Sotus. Caiet. Syluest. Angel. Anton. Nauar. Suarez. Caiet. Soto. Aragon. Gutier.

homo talē effectum impedire sua voluntate, sed ex vi prioris voluntatis ponitur promissio: ergo ex illa oritur obligatio velit nolit promittens: imò in hoc casu, qui conatur nolle obligationē, valdè decipitur: quia licet obligatio actu expresso & in se non sit volita in hoc casu, est tamen volita virtualiter & in sua causa: videlicet in promissione. *Secundò:* nam sequeretur esse in hominis potestate vouendo rem grauem obligari tantum sub veniali culpa: cum iuxta oppositam sententiam tota obligatio in voto sumatur ex volūtate expressa se obligandi: cōsequēs est falsū: aliàs esset positum in hominis voluntate magis & minus obligari per æqualia vota, & minus per id, quod grauius est, magis per leuius: quæ videntur falsa. *Tertiò:* Iuramentum promissorium cum voluntate iurandi validum est, etiam si fiat cum voluntate non se obligandi, vt dicitur in materia de iuramento: ergo idem dicendum est de voto.

Opposita sententia probatur ex capit. *humanæ aures.* 22. quæst. 5. vbi dicitur non esse attendēdū in iuramento ad verba, sed ad intentionem iurātis: ergo idem dicendum est de voto. *Secūdò.* Voti validatiò, imò & emissio, pendet ex intentione vouentis, quia voluntaria debet esse omninò: ergo si quis habeat intentionem non se obligandi, neq; obligatur, neque verum votum obligatoriū emittit. *Tertiò,* Sic vouens vt in casu fingitur habet, vel conatur habere duas voluntates contrarias: ergo impossibile est, vt aliquid operetur, nec possit emitti verum votum: quia vna alteri resistet: sicut in naturalibus posita æqualitate causarum contrariarum non sequitur actio. *Antecedens probatur:* quia substantia voti consistit in obligatione seruandi promissa: ergo velle vouere, & velle non obligari volūtates cōtrariæ sunt: imò de obiectis contradictorijs, ac per consequēs cū illis nō potest stare verum votum, neque vera promissio. *Confirmatur,* quia estò istæ voluntates non sint formaliter contrariæ: quia vna videtur affirmare voluntatem vouendi; altera negare voluntatem obligationis, quæ est effectus, qui ad votum sequitur: sed cùm iste effectus sit intrinsecus, & quasi formalis voti, sunt tamen voluntates incompossibiles, & quæ reducuntur ad contrarias: sicut velle ponere calorem in subiecto, & velle illud non calefacere, sunt voluntates incompossibiles, & reductiuè contrariæ formaliter.

10 Pro solutione tamen aduerte, duobus modis posse fingi casum illum. *Primò modo,* vt vouēs habeat illas duas voluntates, sic oppositas, ex ignorātia vouentis antecedente: & hoc dupliciter, vel quia existimat veram ac validam promissionem posse extare sine obligatione faciendi promissa: vel quia quamuis sciat obligationem nasci ex promissione, sicut effectus ex sua causa, existimat, q̄ sicut intellectus potest intelligere subiectū sine ꝓpria passione, & causā sine effectu intrinseco, ita volūtas potest velle ꝓmissionē voti sine obligatione adimplendi, q̄ potest esse ignorantia alicuius scioli ignorantis, q̄ intellect⁹ abstractione præcisiua potest intelligere subiectū sine ꝓpria passione, voluntas verò q̄ fertur in res sicut sūt à parte rei, nō potest velle v nū sine alio. *Secundo modo* potest fingi casus in eo qui nullā ignorantiā ex præfatis habet, sed ex malitia conatur simul illas duas habere voluntates.

His suppositis *dico tertiò.* Supposita ignorantia aliqua ex præfatis, qui habet propositum vouendi, & voluntatem non se obligandi, non emittit votum verum, neque obligatorium. *Assertio probatur.* Promissio quæ ibi interuenit, non est volūtaria, quia ignorantia maximè consequēs tollit voluntariū: ergo non est illa promissio verum votum, neque vera promissio, sed apparens tantum. Nec est necesse restringere cum Aragonio assertionem ad ignorantiam inuincibilem, quæ ad excusandum à culpa valdè conducit, sed extenditur ad quamcunque ignorantiā, modò non sit affectata, quia ea ignorantia tollit voluntariū, quæ impedit voluntatem alicuius facti, ad hoc autem sufficit ignorantia quæcunque non affectata. *Confirmatur.* Sic ignoranter vouens ignorantia, vel falsa existimatione ductus vult promissionem, quæ non sit obligatoria: at hæc nō est possibilis: ergo vult rem impossibilē, & propter ignoranriā putatam possibile: ergo non facit verum votum, neque veram promissionem, quæ de re impossibili non potest esse. *Item:* estò talis promissio esset possibilis, non tamen sufficeret ad constituendum verum votum, quod sine obligatione subsequente non reperitur. 11 Aragon. 2

Veritas huius asserti maximè locum habet quādo ignorantia sic vouentis est prauæ dispositionis seu erroris quo aliquis existimat vouendo, aut promittendo nō obligari, & ideò vouet, & promittit: quia tunc etiam si non habeat positiuam, & expressam intentionem non se obligādi, sed tantū sic promittēdi, nō manet obligatus: quia neque explicitè vult se obligare vt patet, neq; implicitè, quia ex ignorantia putat se facere actum non obligatorium, & cōsequēter implicitè vult se non obligare: At verò si vouēs habeat solūmodo ignorātiā negatiuā: quia promittēs non scit promissionē aut votū habere vim obligandi, neq; ea carere putat: tūc votū & promissio valida sunt: quia licèt ille ignoret promissionis naturam & annexa illi, vult tamē promissionem sicut in se est, hoc enim est proprium voluntatis velle res sicut in se sunt à parte rei; & hoc satis est vt implicitè velit quod negatiuè ignorat. Item vult promittere, vt alij solent, quæ intentio sufficiens est ad moralem effectum, vt patet in sacramentorum susceptione, & in alijs contractibus.

12 *Sed quid* si ignorantiæ negatiuæ adiūgatur intentio expressa non se obligandi? Existimo votū & promissionē esse valida: quia ignorantia puræ negationis nō aufert, neq; ponit volūtariū: ergo ex defectu volūtarij non erit inualida promissio. *Dices.* Propter adiūctā positiuā intētionem nō se obligandi versatur ꝓmissio circa obiectū impossibile, puta circa ꝓmisionē nō obligatoriā: quia talē vult exercere, certe iā nō extat sola ignorātia negatiua, sed erronea putantis se posse promittere, & non se obligare: salua ergo stat nostra limitatio, assertum tantum esse intelligēdum quādo vouens habet ignorantiam prauæ dispositionis.

13 *Dico quartò*. Si fingatur quis vouens sine vlla ignorantia, sed simul, & ex certa scientia habens propositum vouendi, & non se obligandi, probabile est casum esse impossibilem, & cõsequenter esse impossibile verè vouere, & verè obligari.

D. Thom. Pro hac sentẽtia citatur Diuus Thomas *in quarto dist. 38. quæst. 2. art. 1.* sed nihil minus in ipso reperitur. Richard. Richar. *ibi art. 3. quæst. 3.* qui si attentè legatur hoc non dicit: imò nullam putat repugnãtiam inter promittere, & non obligari: quia ꝑmittere, inquit, non infert obligationẽ necessitatis implẽdi ꝓmissa, sed tãtũ æquitatis & honestatis: neque etiam Nauarrus citatus hoc sentit: Nauar. quia expressè loquitur de eo, qui verbotenus promittit cum animo non se obligandi; qui casus non controuertitur modo.

Nihilominus probatur assertio cuiuscunque illa sit: quia impossibile est voluntatem simul velle voluntate absoluta, & quantum de se est efficaci, ea, quæ repugnantiam inuoluunt, nisi interueniente ignorantia, vt dictum est: sed vouere, & non obligari inuoluunt repugnantiam: vt in argumento tertio, & eius confirmatione pro prima sententia probatum est: ergo impossibilis est casus iste, atque ex consequenti in illo nullum extat votũ aut promissio, neque inde vlla resultat obligatio. Maior clara videtur, quia voluntas non potest ferri absoluto actu & efficaci in obiectũ impossibile cognitum; & idem est duobus actibus absolutis simul ferri in duo obiecta incompossibilia, ac ferri vno actu in obiectum impossibile: sicut in intellectu tanta repugnantia est duobus iudicijs assentiri duabus contradictorijs, ac iudicare vno actu duo contradictoria esse simul vera.

Consultò dixi, *si vterque actus sit absolutus & efficax*: nam si quis conditionato actu velit vouere, absolutè autem nolit obligari nullum votum emittit: verbi gratia, si haberet velleitatem vouendi, & voluntatem absolutam non se obligandi: è contra si quis haberet hos actus, nollem obligari, volo tamen vouere, seu promittere; ille voueret verè, & maneret obligatus, quia voluntas absoluta non opponitur velleitati rei oppositæ: secus si ambæ sint absolutæ.

14 *Dico quinto*, Probabilius existimo, eum, qui sine vlla ignorantia vouet, aut promittit volens promittere, & non se obligare, verum votum emittere, & ad obseruantiam voti manere obligatum. Hæc assertio manifestè *probatur rationibus* allatis pro secunda sententia; si casum esse possibilem declaremus: & ideò huius rei explanationi incumbendum est, adnotando eas duas volitiones promittendi, & obligandi haberi, vel in vno instanti simul, vel in duobus distinctis, vnam post aliam: si in duobus distinctis, rogo, quæ illarum volitionum perimit aliam, accedente promissione, quam supponimus accedere?

Dices: posterior, & si sit de non se obligando extinguit intentionem vouendi, & promittendi sine qua non subsistit votum. *Contra*: à proportione minoris æqualitatis, aut virtutis non fit actio, neque extinctio, aut resistentia: sed illa volitio non se obligandi minoris virtutis est, cum versetur circa propriam passionem, seu effectum promissionis: at volitio promittendi circa substantiam voti, & mediatè circa obligationem: quæ inde sequitur: ergo hæc præualet, non illa. Si verò hæ volitiones habeantur in vno, & eodem instanti existimo præualere voluntatem promittendi propter eandem rationem: & quia voluntas ordinatè fertur in illa duo obiecta: ergo prius natura in promissionem, & obligationem ibi inclusam, quàm in negationem obligationis: ergo in illo priori intelligitur vouere, verum votum emittere, verè promittere, & verè obligari. Hæc assertio est contra Autores primæ sententiæ, & ideò eius argumentis respondetur.

Ad primum respondetur, illum textum & similes esse intelligendos de intentione promittendi: quod si quando loquantur de intentione se obligandi, intelligendi sunt de obligatione, quæ oritur ex promissione, non vt contraponitur intentioni promittendi. 15

Ad secundum respondetur, negando votum pendere ex voluntate vouentis, quomodocunque, sed ex voluntate vouentis, vt ex promissione oritur: itaque vouere & promittere voluntarium est, at his positis velimus nolimus, obligatio suboritur.

Ad tertium, in quo constituitur robur *primæ* opinionis, maxime in casu quintæ assertionis, negatur illas duas volitiones, quæ in casu finguntur, esse æqualis actiuitatis, aut resistentiæ: sed maioris vigoris est intentio promittendi, vt declaratum est. Item negatur, easdem volitiones esse contrarias, aut oppositas formaliter, cum non versentur circa obiecta opposita formaliter. Nam volitio vouendi aut promittendi habet pro obiecto primario promissionẽ aut votũ & secundario obligationem indè resultantem: sed volitio non se obligandi habet pro obiecto negationem obligationis: neque verum est substãtiam voti consistere in obligatione, vt quidam censent à nobis supra impugnati, sed in promissione, quæ non est obligatio, sed causa obligationis.

Dices. Esto non sint oppositæ formaliter, sunt tamen incompossibiles: fateor si simul stare fingerentur, sed non stant simul: quia volitio promittendi perimit volitionem non se obligandi: quare si quis malitiosè & sine ignorantia ad id conetur, non valebit adstruere eam volitionem, impediente volitione circa substantiã voti quæ est promissio, & si appareat esse, interpretanda est conditionatè: id est vellem non me obligare, quæ non tollit substantiam voti, neque eius valorem: quo circa si qui reperiantur sic vouentes in foro conscientiæ obligandi sunt, & etiam in foro externo compellendi ad votorum sic emissorum obseruantiam, quandiu non probetur ignorantia, aut quid tale excusans iuxta ea, quæ dicta sunt in secunda assertione. Hinc patet ad confirmationem.

Circa primam conclusionem D. Thom. est

DISPV-

DISPVTATIO VII.

Vtrùm voti essentia perficiatur, & consistat in solo proposito absoluto voluntatis faciendi aliquid in Dei honorem, & cultum?

1 ET videtur vera pars affirmatiua ex multis iuribus, quæ id videntur adstruere: capit. *super eo*, c. *consulti*, c. *statuimus*, de regularibus, & capit. vltimo de voto, & capit. *non solùm*, de regularibus in sexto: quæ iura aiunt eum, qui in Religione suscepit habitum nouitiorum cum absoluto proposito mutandi vitam, & permanendi in Religione, non valere sine culpa relinquere habitum Religionis, & ad seculum redire, etiam ante professionem emissam. En solum propositum, quod fit per habitus susceptionem, sufficit ad votum. Quibus textibus innixi ferè omnes Canonistæ tenent solum propositum inducere obligationem voti, adiuncta susceptione habitus. In eadem sententia, & vniuersalius de omni voto videntur esse Maior, *in quarto dist.* 38. & D. Anton. *secunda parte tit.* 11. *cap.* 2. & Altisiod. lib. 1. summæ, tit. 28. c. 1. dicens: *Votum est conceptio boni propositi deliberatione firmata, qua quis ad aliquid faciendum, vel non faciendum Deo se obligat.* Confirmatur ex Gregorio super Ezechielem, lib. 1. hom. 3. & refertur in cap. *qui bona.* 17. quæst. 1. *qui bona* (inquit) *agunt, si meliora agere deliberant, & post deliberata non faciũt, licèt in prioribus bonis perseuerent in conspectu tamen Dei ceciderunt.* At hic casus ab obligatione non potest esse nisi contra Religionem: ergo propositum illud ad votum pertinet: non enim apparet qualis actus Religionis sit nisi votum.

Maior. *Antonin.* *Altisiod.* *Greg.*

2 Secundò: Lucæ 9. dicitur. *Nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retrò, aptus est regno Dei.* Sed aliquis ex hoc ipso quod habet propositum benefaciendi, mittit manum ad aratrum: ergo si aspiciat retrò, desistens à bono proposito, non est aptus Regno Dei: ergò solo bono proposito aliquis obligatur apud Deum, etiam nulla promissione facta.

Luc. 9.

3 *Nihilominus dico*, certum esse, & vt tale communiter modò teneri solum propositum aliquid faciendi in Dei cultum non esse votum, neque voti obligationem inducere: ita D. Tho. & omnes eius discipuli circa hunc articulum, omnes Doctores Scholastici *in* 4. *dist.* 38. Sotus *li.* 7. *de iustitia, quæst. prima, art.* 2. Caiet. *lib.* 11. *respons. in* 7. omnes Summistæ verb. *votum*, Gratianus. 17. quæst. 1. circa finem. Nauarrus in summa ca. 12. *num.* 26. qui alios refert Canonistas, Couarr. capit. *quamuis pactum, parte prima*, §. 3. *num.* 12. Et probatur ex vsu & experientia eorum, qui abundant bonis propositis faciendi aliquid, quos certè non censemus statim obligatos ad id faciendum: verbi gratia, eum qui proponit ieiunare non censemus obligatum ad ieiunandum: eum, qui proponit orare, non censemus obligatum ad orandum. *Confirmatur*, nam vt communiter dicitur, & nos copiosè explicauimus, votũ in promissione consistit, non in proposito aliquid faciendi, quod egregiè declaratur ex verbis Deuteron. 23. vbi prius dicitur. *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere:* & subiungitur: *Si volueris polliceri absque peccato eris, &c.* Ecce ad votum non satis est proponere, & in capit. *litterarum*, de voto, ait Pontifex, eum qui proposuit mutare statum, si vlterius non processit, non peccare aut frangere votum, etiam si propositum mutet.

Sotus. *Caiet.* *Grat.* *Nauarr.* *Deut.* 23.

4 Ad argumenta in oppositum *respondetur:* & quidem argumentum primum conflatum ex multis iuribus potissimum sententiæ affirmatiuæ fundamentum scidit eius patronos in varios dicendi modos: nam quidam Iurisperiti, vt Innocent. Hostiens. & alij dicunt, solum propositum profitendi Religionem, si adiungatur susceptio habitus, inducere obligationem voti solemnis: & probant ex capi. *beneficium*, de regularibus in sexto: vbi diffinitur, quod beneficium clerici, qui Religionem est ingressus intra annum probationis, non est alteri conferendum, nisi constet, quod absolutè voluit vitam mutare: ergò propositum mutandi vitam cum habitus Religiosi susceptione censetur à Summo Pontifice votum solemne: aliàs non expoliaretur ille clericus beneficio.

Innoc. *Hostiens.*

Sed hic dicendi modus meritò exploditur ab omnibus recentioribus, tam Theologis, quàm Iurisperitis ex praxi Ecclesiæ, videntibus, & consentientibus eiusdem Ecclesiæ Prælatis quàm plures ingredientes Religionem cum firmo proposito permanendi, quos tamen deserentes habitum & propositum neutiquam compellunt, nec sentiunt obligatos ad iugum Religionis. Item, quia iura in argumento citata tractant de tempore præcedente professionem expressam, aut tacitam, votum autem solemne non fit sine professione. *Præterea*, quia votum solemne non emittitur sine acceptatione ex parte Religionis, iuxta capit. *ad Apostolicam*, de regularibus, quam non adesse in præsentiarum supponimus.

5 *Secundus modus* dicendi Palud. & D. Antonin. & aliorum est, solum propositum non inducere obligationem: si autem proposito adiungatur operis inchoatio, præsertim tam grauis, qualis est susceptio habitus religiosi, inducit (inquiunt) obligationem voti simplicis, magis ex statuto Ecclesiæ significato in præfatis iuribus, quàm ex natura rei: sed hic modus dicendi eisdem ferè rationibus, quibus præcedens confutatur, & confutatio valdè adiuuatur ex decreto Conc. Trid. *session.* 25. *cap.* 15. *&* 16. nec video ius nec nouum neque antiquum, quod talem obligationẽ inducat: nã ea allata ab Autoribus nostræ sentẽtiæ benè & multipliciter explicantur. *Primò* à Caietano hic, de ingresso Religionem, & post annum probationis tacitè profitetur.

Palud. *Anton.*

Secundò respondetur, cum Panormitano

Syluest. citato, & alijs, & cum Soto, & Syluestro verb. *Religio, 3. quæst. 19. & Religio. 5. quæst.* 8. in præcitatis textibus non fieri sermonem de nudo, ac solo proposito permanendi in Religione, sed firmato saltem per simplex votum ante professionem expressam, vel tacitam, quale fieri sæpè ab ingredientibus Religionem illis priscis temporibus verosimile est: & non infimè colligitur ex capit. *super eo* citato, in quo licet simpliciter proponatur dubitatio de clericis, qui habitum Religionis susceperunt, statim in decisione, quæstionis dicitur: *Ne contra votum, quod Deo fecerunt, venire probentur*: ergo supponitur susceptionem habitus fuisse cum aliquo voto. Ita etiam intelligendum est capitulum, *consulti*, vbi votum vocatur propositum absolutum: id est firmum, seu promissione confirmatum, quod tenebitur exequi promittens siue susceperit habitum, siue non; licèt in foro externo multum referat suscepisse habitum: Nam si id constet, & de voto simplici constet, non permittet Ecclesia violari votum sine causa legitima: & iura illa præcipuè in ordine ad externum forum iuxta modum explicatum loquuntur: sicut & cap. *statuimus*, eod. tit. de regularibus, & c. *non solum*, & c. *beneficium*, eod. tit. in sexto, quod licèt adducatur ab aliquibus citatis ad probandum per solum, propositum, adiuncto ingressu Religionis, fieri votum solẽne, vt vidimus, nõ tamen probat: quia in casu illius textus voluit Pontifex, vt etiam ante professionẽ & solemne votum posset quis priuari beneficio, quia constabat Ecclesiæ de voto simplici facto per ipsius personæ protestationem, & habitus susceptionem, voluit, inquam, priuari beneficio, ne fortasse illa occasione omitteret implere obligationem suam.

Ad diffinitionem voti, quam ex Altisiodorensi attulimus, respondetur cum D. Tho. *ad primum*, votum esse propositum deliberatione firmatum, nimirũ promissione, aliàs nõ erit votũ.

6 *Circa confirmationem* primi argumenti mouetur vtilis quædam dubitatio: *An per solum propositum faciendi aliquid boni inducatur obligatio voti, vel aliqua alia obligatio adiungatur: ita quod retrocedens à bono deliberato; & concepto, aliquam culpam incurrat?* Et quidem si loquamur de proposito faciẽdi aliquid debitum, certa res est, à proposito deficere peccatum esse: si propositum est de debito opere necessario ad salutem, ab eo deficere peccatum mortale erit: si verò de opere debito, sed non de necessitate salutis, venialis culpa erit: & in hoc omnes necessariò debent conuenire. Tota controuersia est de proposito operandi aliquod bonum supererogationis, vt de orando, de ieiunando, de ingrediendo Religionem, & similibus, ad quæ homo non tenetur. Item sermo est de propositis absolutis & deliberatis: nã à propositis transeunter habitis, & quasi volitãtibus cessare, cũ innumera sint, nulla culpa est.

In qua controuersia quidam affirmant, nullam esse culpam à propositis etiam firmis circa opera supererogationis desistere. *Probant.* Nullũ peccatum est nolle operari id, quod melius est, si aliàs non sit debitum: ergo non est peccatum nõ exequi, vel desistere ab eodem bono, iam deliberato. Non enim potest esse maior obligatio exequendi propositum circa meliora bona, quã exequendi ipsum melius bonum, cùm propositum boni faciendi propter opus sit, & ad illud ordinetur.

Aliorum sententia, & quæ mihi magis placet est in desistendo à præfatis propositis sine vlla causa rationabili esse peccatum veniale. *Probatur primò* ex autoritate D. Gregorii, citati in cõfirmatione: nec sat est respondere D. Greg. non dixisse sic desistentes à bonis propositis cecidisse ab obligatione, sed à deliberatione: qui casus improprius est, vt ait glossa: nam negari non potest eum casum seu deficientam à proposito bono vituperari à D. Gregorio, vt quid malum. *Secũdò*, nam virtus constantiæ exposcit vt homo, qui consulta deliberatione proponit aliquod bonũ agere, non retrocedat, nisi vrgenti causa motus: ergo oppositum faciens inconstans erit. 7

Sed dices. Hæc desistentia seu cessatio à bonis propositis exequendis ad quod vitium pertinet, & contra quam virtutem? Fortè quis opinabitur in materia Religiosi cultus, de qua præcipuè disputamus, contra Religionem, & in materia temperantiæ, contra temperantiam, & sic de alijs: Ita respondens manifestè fallitur, vt probat ratio pro priori sententia. Item, quia quis dicat cessantem à proposito ieiunij non debiti, & aliàs temperatissimè comedentem esse intemperatum: ergo neque cessantem à proposito Religiosi status non debiti, esse irreligiosum.

Vera sententia est, tales desistentes à propositis boni alicuius supererogationis faciendi, peccare venialiter peccato inconstantiæ, quæ vt docuit D. Thom. supra 2. 2. *quæst.* 53. *art.* 5. consistit in recessu à bono proposito diffinito, & aduersatur constantiæ, quæ est pars prudentiæ: vt ibi sanctus Doctor copiosè disserit, & summariè Cai. verb. *inconstantia.* & intelligitur nostra sententia, nisi recessus à bono proposito supererogationis fiat ex aliqua rationabili causa: licet non sit adeò grauis, sed quæcunque ad discessum à bono supererogationis sufficiet: nam sicut sapientis est mutare consilium, ita prudentis aliquando mutare propositum. Et ad argumentum pro opposita sententia respondetur, negando consequentiam, quia cõtra rectam rationem est, & leuitatem arguit à bono proposito recedere, non verò non operari opera supererogationis. 8 D. Thom.

Secundò respondetur, per se nullum esse peccatum, sed per accidens, id est ratione adiunctę inconstantiæ: adiungitur autem quoties sine causa quis recedit à proposito deliberato, & fortasse hoc volunt Autores primæ sententiæ.

Ad secundum principale respondet D. Thom. in *hoc artic.* quod ille qui mittit manum ad aratrum, iam facit aliquid, sed ille qui solùm proponit nondum aliquid facit, sed quãdo promittit, iam incipit se exhibere ad faciendum, licet nondum impleat, quod promittit, sicut ille, qui ponit manum ad arandum, nondum arat: iam tamen ponit manum ad arandum. Hæc respõsio quibus-

quibusdam displicet, quia (inquiunt) non benè accommodatur testimonio Diui Lucæ: *primo*: qui proponit aliquid facere, licèt exterius nondum faciat quod proponit, re vera corã Deo aliquid fecit, & moraliter rẽ intelligẽdo, vt intelligi debet, manũ adhibet vel facultatem mouendi, & operandi, quæ est voluntas: & ita de proposito volũtatis citat hũc locũ Gregorius *Hom. 3. in Ezech.* & est frequens apud Patres. *Secundò* ex hac responsione sequitur, eum, qui cum solo proposito sine promissione inchoat opus: verbi gratia, qui habitum Religionis suscipit, si retrocedat, & opus non perficiat, hoc ipso fieri ineptum Regno Dei per culpam aliquam, quam retrocedẽdo committat. Sequela probatur, quia tam in argumento, quàm in solutione videtur supponere D. Th. non esse aptum Regno Dei, idẽ esse, quod deficere in eo, ad quod iam erat obligatus: censeri autem obligatum hoc ipso, quod manũ mittit ad aratrum: quod licèt non fiat solo proposito, fit tamen per aliquam operis exhibitionem vltra propositum, vt in eadem solutione dicitur.

Greg.

9 *Pro responsione* ad has obiectiones operæ pretium iudicaui sensum illius breuissimæ parabolæ exponere, qui non vnus, sed multiplex apud Sanctos reperitur. Et præmittenda est Historia, cuius occasione Christus Dominus parabolam prædictam pronuntiauit. Verba sacra sic habẽt: ait alter. *Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renũtiare ijs, qui domi sunt*: & subiunxit Dominus: *Nemo mittens manum suam, &c.* Quidam dicunt istum hominem cupiuisse fieri discipulum Domini, sed ante executionem propositi, petijsse licentiã, vt manifestaret suis cognatis, & familiaribus, quia in discipulatu sequebatur Dominũ: ne fortè solliciti essent de eo, vbi esset: ita D. Augustin. *sermone 7. de verbis domini.* Alij dicunt, istum hominem habuisse propositum sequendi Dominum, sed petijsse à Domino, vt permitteret illum prius non solum valedicere cognatis, sed cum eis tractare & deliberare de sequendo Christum in discipuli munere. Ita Titus Bostrenorum Episcopus super hunc Lucæ locũ his verbis: *Qui dicebat sequar te Domine, promptitudinem sane laude dignam ostendebat: at verò dum ijs renuntiare efflagitat, qui domi erant, animum declarat adhuc ancipitem, & certa quadam ratione diuisum. Nã domesticis, aut propinquis, qui perfectioris vitæ instituta quandoque non probant, eiusmodi consilium velle communicare, istud est mentis etiam fluctuantis, & in Religionis proposito nondum satis firmæ.* Et addit Caietanus, super Euangelium, non solum voluisse hunc hominem valedicere cognatis, sed & sua negotia componere, quod colligit ex eo, quod dicitur ob id ineptum esse Regno Dei euangelizando.

Exponitur testimonium. D. Luc. 9.

August.

Titus.

10 His præmissis erga Historiam: de interpretatione parabolæ sunt multi sensus. *Primus*, vt mittere manũ ad aratrum sit bonũ propositũ maximè perfectioris vitæ cõcipere: & retrò respicere, esse ab eo proposito discedere: & talis dicitur esse ineptus Regno Dei euangelizando. Hoc enim munus erat, ad quod eligebantur discipuli, & in quo vocabantur ad Christi sequelam. Iste sensus attribuitur Diuo Gregorio *homilia tertia in Ezechiel.* sed profectò ibi iste sensus non inuenitur: nam potius agit de his, qui de malis perpetratis dolent, & proponunt bona agere, imo & inchoant, & postea ad mala, quæ iam reliquerant, reuertuntur: quibus accommodat parabolam prædictam.

1. Exposit.

D. Greg.

Fortasse istam interpretationem posset quis attribuere D. Augustino, *vbi supra*: sed vt reor sine fundamento firmo: quia Augustinus non declarat ex professo parabolam, sed totus versatur in exponendo differentiam inter tres iuuenes à Christo vocatos, tam in vocatione, quàm in correspondentia ad vocationes: & ait retrò respicere esse Deo vocanti non respondere. Quid autẽ sit manum mittere ad aratrum, non explicat. Existimo supponere hunc posteriorem, iam in discipulatu Christi esse, & ob id dicitur, retrò respexisse: quia Christo volenti vt omninò renuntiaret curæ cognatorum, non assensit: longè aliter fecere Apostoli, qui nec valedicentes cognatis, sed relictis retibus sequuti sunt Iesum.

Secundus sensus est, vt ille dicatur manũ ad aratrũ mittere, qui bonũ aliquod vouit: & respicere retrò, est ad aliud illicitè conuerti, qui ob id indignus cœlesti Regno iudicatur. Ita Gregorius in tertia parte pastor. capit. 28. in fine. *Quisquis* (inquit) *bonum maius subire proposuit* (id est vouit, vt ex antecedentibus constat) *bonum minus, quod licuit, illicitum fecit*: & subdit: *Scriptum quippe est: Nemo mittens manum, &c.* Iste sensus non directè quadrat Historiæ, cuius occasione Christus protulit parabolam: tamen rectè accommodatur à D. Gregorio, vel quia vnius loci sacri nil vetat esse multos sensus literales, vel quia à Sanctis sæpè verba in quodam sensu dicta in alio benè accõmodantur, quod frequens est apud D. Gregorium: eandem expositionem sequitur Bernardus *Epist. 9.* citans D. Gregorium. 11

2. Exposit.

Gregor.

Bernard.

Tertius sensus est, vt manum mittere ad aratrum sit viam perfectionis assumere, quam assumpserat iuuenis iste: erat enim ex discipulis Christi, vt dicit Basilius citandus, & Caietanus, respicere retro est animi curã in secularibus ponere, quod nõ fit sine peccato: *cum nemò militans Deo implicet se negotiis secularibus.* 1. ad Timo. 2. at ob id talis dicetur nõ esse aptus Regno Dei, vel cõsequendo, vel euangelizando: nimirũ quia sic retrò respicere nonnulla culpa est, vel saltem non mediocris defectus in prædicatore regni Dei. Hanc expositionẽ sequutus est Basilius in cõstitut. Monas. ca. 21. & sequitur illum Caiet. ac videtur esse cõgruentior verbis Christi alloquentis iuuenẽ, qui petijt facultatem componendi res suas; & simul volebat esse discipulus Christi, cui Dominus: *Nemo mittens, &c.* Huic expositioni non parũ fauet textus Græcus, qui potius videtur accõmodãdus rebus familiaribus componendis, & curandis, q̃ personis consulẽdis, vel alloquendis. Ad vos, ô Religionũ, ꝓfessores, parabola hæc præcipuè dirigitur: manũ misistis ad aratrum per Religionis votũ, videte ne respiciatis retrò, per affectũ & curam temporalium, ne efficiamini inepti regno Dei, 12

3. Exposit.

1. ad Th. 2.

Basilius.

Dei, ne imitemini vxorem Loth, conuersam in statuam salis, quia retrò respexit: sed potius Apostolum ad Philip. 3. dicentem: *Vnum quidem quæ retro sunt, obliuiscens, ad ea, quæ sunt priora extendens me ipsum, &c.* Videndus est Basilius, vbi eleganter hoc prosequitur: *Sunt quædam actionũ genera, quæ quoquo versus respicias exercentur: vt loqui, ambulare, ridere. Aliæ vero actiones sunt, quas si retrò aspiciens facias, inutiliter profecto exercebis, vt pingere, scribere, & præcipuè arare: quod si tenens manu stiuam retrò respexeris, inutiles facies sulcos, & interdum arantium bonum vestigia vulnerabis. Non dissimiliter sunt quidam hominum status, aut studia, quæ secum compatiuntur curæ temporalium indulgere, vt vxoratorum, militum, & similia. At qui miserunt manum ad aratrum vitæ perfectioris, sciant se non posse retrò adspicere: id est curis temporalium vacare, insuper & sub vexillis perfectioris vitæ militare, alioquin inutiles facient in Religione progressus, insuper & malis exemplis alios scãdalizabunt, ac tandem Christi domini voce inepti sunt Regno Dei.* Sed vt ad disputationem initam reuertamur. Ad *tertium argumentum* dicito, quomodocunque illud testimonium D. Lucæ interpreteris, non inde colligitur voti essentiam & rationem in solo proposito consistere, sed necessaria est promissio, vt amplius videbimus.

13 Ad obiectiones, quibus D. Thomæ responsio sugillabatur, *respondeo*, sanctum Doctorem potuisse late interpretando illud testimonium respõdere, sed compendio vsus elegit D. Gregorij interpretationem, & meritò, quia in articulo controuertebatur vtrum obligatio voti in proposito consisteret, & solus D. Gregorius interpretans illum locum expresse meminit obligationis quæ ex voto nascitur: & illũ sequut⁹ D. Th. mittere manũ ad aratrũ, dixit parabolicè significare ꝓmissionem alicuius boni agendi; & retro respicere esse promissa non implere. Et ad obiectionem primam respondetur, proponere bona agenda, esse quidem aliquid in conspectu Dei, sed non est aliquid, quod sit intra rationem voti: sicut neque concipere propositum arandi est arare, neque inchoare arationẽ, ad eum modũ quo velle arare nõ ẽ inchoatio operis, qui verò manũ stiuæ aratri applicat, iã agit aliquid, ꝙ sit saltẽ inchoatio arãdi, & huic applicationi ad stiuã comparatur promissio, arationi verò impletio eiusdẽ ꝓmissionis.

14 Ad secundam obiectionem ex modo dictis patet, vnde negatur sequela. Ad probationem fateor ibi D. Th. loqui de ineptitudine ad Regnũ Dei comparandum propter culpam commissam, non quidem in desistendo ab opere inchoato quomodocunque, hoc enim non transcendit obligationem, quæ ex proposito oriatur (si quæ orietur.) sed in desistẽdo ab opere inchoato per promissionem. Hoc enim est iuxta mentem Gregorij manũ ad aratrũ mittere, & retro respicere est ꝓmissa non implere, nec dissonat Historię Gregorii explicatio: quia iuuenis ille iã se tradiderat Christi discipulatui, vt adnotauit Basil. & quasi miles eius sub illius vexillis militabat (quod erat manũ ad aratrum misisse) vbi aliqualis obligatio sequendi Christum sequebatur, à qua deficere culpabiliter retrò respicere erat.

ARTICVLVS II.

Vtrùm votum semper debeat fieri de meliori bono?

Paraphrasis Articuli.



1 Supposito votum esse promissionẽ Deo factam, in hoc articulo tractat D. Th. de materia circa quam versatur votum, siue illa sit proxima: cuiusmodi est actus promissus implẽdus vel fugiendus: siue remota, qualis est obiectũ illius actus promissi, vt in voto recitandi orationem dominicam, materia proxima est recitatio, remota, oratio dominica: & ponit plures conclusiones. Prima est. De re illicita non potest esse votum. *Probatur.* Promissio debet esse de re, quæ non sit odiosa ei, cui promittitur: aliàs potius ea promissio diceretur comminatio: sed omne peccatum est Deo odiosum: ergo de actu illicito nequit fieri votum. Egregiè confirmat hoc illud Isidori. 22. quæstio. 4. *In malis promissis rescinde fidẽ; in turpi voto muta decretũ; quod incautè vouisti, ne facias impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur.* Ex hac cõclusione infertur, de nulla actione prohibita posse fieri votum, tam prohibita mortaliter, quàm venialiter; tam in prohibitis ex diuino aut naturali iure, quàm in vetitis iure humano. *Isid.*

Obijcies. Voti obligatio est de iure naturali ac diuino: ergo quando fit de actu prohibito tantum iure humano validum est, quando enim occurrunt duæ obligationes oppositæ, fortiori stãdum est. *Respondetur.* Etsi voti obligatio sit de iure diuino, tamen propria voluntate & priuata contrahitur: priuata autem voluntas non potest prævalere cõtra voluntatẽ publicæ potestatis ferentis legem humanam: & ideò non valet votum factũ de re prohibita lege humana. Ex eadem conclusione infertur votum factũ contra priùs votum & iuramentũ, vel contra priorẽ promissionem homini factã, si tamẽ valida sint, esse nullũ: quia est de materia illicita. Etenim non impletio prioris voti, aut iuramenti vel promissionis peccatum est: quod intelligitur, nisi in priori voto vel iuramento intelligatur excepta materia posterioris voti: quare si aliquis iuret, vel promittat se perpetuò seruiturum in Hospitali, benè potest vouere ingressum Religionis; & si quis promittat se ducturum Mariam in vxorem, benè potest vouere eundem ingressum: sed de hoc alibi copiosius.

2 *Secunda conclusio.* Votum nequit fieri de opere indifferenti: id est quod nil mali aut boni præ se fert: verbi gratia, votum de scalpenda barba, de secandis vnguibus, & huiusmodi. *Probatur,* quia votum cum sit promissio in Dei gratiam & honorem facta debet esse de re grata illi, aliàs stulta, & vana esset huiusmodi promissio: sed opus indifferens non est Deo gratum: ergo: Deus enim non delectatur vanis, & fine carentibus.

Tertia conclusio. De re absolutè necessaria, vt quod homo sit moriturus, nequit fieri votum.

Proba-

Probatur, quia votum est promissio voluntaria: necessitas autem voluntatem excludit: ergo. Eadem cõclusio propter eandem rationem extenditur ad impossibilia: quare si quis voueat se volaturum, votum inualidum est.

Quarta conclusio. De re non absolutè necessaria sed ex fine, qualia sunt illa, quæ cadunt sub præcepto, potest fieri votum, non in quantum necessaria sunt, sed in quantum libere fiunt. Hãc nõ probat D. Tho. colligitur tamen ex eo probatio: quia opus placens Deo, & quod subest humanæ voluntati est legitima materia voti: huiusmodi sunt actus præcepti, qui licet sint de necessitate finis, non ob id tollitur voluntarium, sicut neque per legis necessitatem: ergo.

3 *Quinta conclusio.* De opere virtutis non necessario ad salutem, qualia sunt opera consiliorum, proprissimè potest fieri votum. *Probatur.* Talia opera placent Deo, & sunt vndequaque libera, & voluntaria: quia neque cadunt sub necessitate absoluta, neque sub necessitate finis: ergo.

Vltima conclusio. Proprie loquendo votum est de meliori bono. *Probatur*, nam ea bona pertinẽtia ad consilia dicuntur meliora in comparatione ad ea, quæ sunt necessaria ad salutem, quia sunt perfectiora: & de his proprissimè est votũ: ergo votum est de meliori bono. Circa primam conclusionem est

---

DISPVTATIO I.

An, & quale peccatum sit vouere actum moraliter malum?

1 SVpposita veritate primæ cõclusionis, quæ extra omnem controuersiam vera est, meritò dubitatur: An si quis voueat & promittat Deo opus illicitum peccet? & quo peccati genere? Et à certioribus incipiendo

Dico primò. Peccatum est vouere Deo actum moraliter malum: tum, quia ille actus est irrationabilis, & vt minimum otiosus, & inutilis, vtpote nullam inducens obligationem: tum, quia est cõtra reuerentiã Deo debitam offerre illi vt rem gratam peccatum: quod summopere execratur Deus. Item est superstitiosus cultus. Assertum intelligitur nisi inaduertentia vel ignorantia excuset: potest enim quis inculpabiliter ignorare actum esse prauũ, aut naturaliter non aduertere.

2 *Dico secundò.* Si votum sit de peccato mortali perpetrando peccatum lethale est contra Religionẽ sic vouere. *Assertio communis est & probatur*, quia illa non est promissio cedens in Dei honorem, cui peccatum mortale summopere displicet. *Secundò*, nã sic vouens eo ipso profitetur gratum esse Deo peccatum mortale. Hæc autẽ professio magna blasphemia est. *Tertiò*, qui sic promittit vel habet animum implendi, & sic peccat mortaliter, non solum quia habet propositum peccandi mortaliter, sed etiam quia illud habet tanquam necessarium ad benè vouendum Deo: & sic qui promittit Deo occisionem inimici cum intentione adimplendi promissa, malitiam grauem homicidij, & irreligiositatis committit: at si id voueat sine intentione faciendi, excusatur quidem ab homicidio, non tamen à culpa ex suo genere graui: quia grauem infert Deo iniuriam, dũ Deo promittit vt gratam rem nimis ei odiosam. Item quia potius comminatur Deo, quàm promittat: vt docet D. Th quare non assentior Angles *q. de voto, art.* 1. *diffi.* 11. *capit.* 1. dicenti tantum esse veniale, quando non adest animus implendi promissa: & pro se adducit Victoriam, sed non ego hoc in ipso reperio.

Maior difficultas est. An sit peccatum mortale vouere Deo aliquod opus, quod duntaxat veniale peccatum est? De qua re duas reperio sententias.

Prima est Caietani in summa verb. *votum* ita dicentis. *Si aliquis sic vouens cognoscit quid facit: hoc est, quod attribuit Deo id, quod ei non conuenit: scilicet, acceptare huiusmodi votum, peccat mortaliter.* Probat, quia videns & sciens attribuit Deo id, quod ei non conuenit: nempè acceptare, & gratum habere peccatum veniale, quod spectat ad quandam blasphemiæ speciem. *Et confirmatur*, quia iurare minimum mendacium peccatum mortale esset. Etenim si Deus minimũ mendaciũ sua autoritate testaretur, non esset summa veritas, & ideo sic iurans quantum est de se & de facto, Deũ ipso facto non esse infallibilem veritatem testaretur. Sed non minus repugnat diuinæ bonitati non acceptare promissionem de peccato etiam minimo: ergo qui voueret illud ipso facto protestaretur Deum acceptare, & gratum habere, & consequenter mortaliter peccaret. Caietanum sequuntur alij moderni.

Secunda sententia est, peccatum veniale vouere, esse tantum peccatum veniale. Hanc tenet Sotus *dicto articul.* 3. & Nauar *cap.* 12. *num.* 28. & 34. insinuat etiam Syluest. verbo *votum.* 1. quæstion. 4. Antoni. 2. *part. titul.* 10. *capit.* 4. §. 1. & probatur, quia materia voti huius etiam respectu Religionis leuis irreuerentia est. *Item*, quia implere huiuscemodi votum non est mortale peccatum: ergo neque illud emittere. *Tertiò*, quia iurare facere aliquod peccatum veniale, est tantum venialis culpa: ergo. *Sotus. Nauarr. Syluest. Antonin.*

Dico tertiò. Communiter huiusmodi vota sunt peccata venialia. *Probatur*, quia communiter adest aliqua ignorantia circa emissionem talium votorum, quæ excuset votum à culpa mortali, licet non à veniali: Exẽplũ ponit Caietanus in eo, qui videns Deo displicere hæc vota, sicut peccata venialia displicent Deo: nihilominus credens votum valere, aut saltem, quod valeat quantum valere potest, faciat huiusmodi vota. *Item*: possunt esse peccatum veniale huiusmodi vota ex surreptione, & naturali inconsideratione, qua vel aliquis non aduertit id, quod facit, an Deo promittat necne, vel saltem non aduertit per promissionem illam significari tale opus esse gratum Deo. Pariter excusandi sunt à peccato mortali, qui indiscretè proferunt hæc, vel similia verba, promitto Deo in tui gratiam mentiri, vel seruum leuiter percutere: Nullã enim intentionem habent diuini cultus, vel promittendi Deo, 4

sed

sed comminandi, vel promittendi alteri, vel explicandi suam voluntatem: nominant autem Deum, vt fidem concilient suis dictis: vnde magis adducunt illum vt testem, quàm vt personã, cui fit promissio: at promissio, quæ fit homini de peccato veniali, benè potest esse venialis. Hanc assertionem, vt reor, cõcedent vtriusque sententiæ Patroni.

Sed totum difficultatis pondus incumbit in hoc, an seclusa ignorantia & omni extrinseco excusante, quando quis videns & sciens quod per tale votum attribuitur Deo, quod ei non conuenit: putà acceptare, & gratum habere peccatũ veniale, peccet mortaliter? Et in hoc casu mihi videtur vera Caietani sententia: quia sic vouens, licèt non verbis, ipso facto protestatur Deo placere peccatum, quæ protestatio blasphemia quędam est: non quidem hæreticalis, sed ex his, quæ simplices blasphemiæ dicuntur: blasphemia autẽ omnis etiam in indiuiduo peccatum mortale est, vt docet D. Thom. *supra qu.* 13. *art.* 3.

5 *Obijciet fortasse* quis ad eneruandam Caiet. rationem. Attribuere Deo quod ei non conuenit verbis enuntiatiuis ad blasphemiam pertinet: at ipso facto & in exercitio nequaquam: aliàs quicunque peccans mortaliter, blasphemus esset: etenim ipso facto, & in exercitio, dũ se ad creaturã conuertit, relicto Deo, protestatur creaturã esse Deum, q̃ sibi in illo actu vltimum finẽ constituit: igitur ex eo q̀ promittens Deo peccatũ veniale in exercitio, illi attribuat q̀ nullo modo ei cõuenit, non prob. blasphemiam committi: vt ait Cai. Certè propter hanc replicam mihi persuadeo vt probabilem sententiam Soti.

Nihilominus respondeo aduertendo, longè differre ipso facto de Deo protestari indigna, & in exercitio actus includi aliquid Deo indignum: prius ad speciem blasphemiæ pertinet, posterius minimè: v.g. qui peccat mortaliter, exercet errorẽ practicum erga Deum: Nam, *errant omnes, qui operantur malum*, Prou. 14. sed non protestantur aliquid Deo indignum, sed id quod malum facto, attestantur sibi placere quod perpetrant. Cæterùm qui vouet Deo peccatum, ipso facto protestatur Deo placere peccatum: nullum enim alium finem intrinsecum habet ille actus: Itaque non solum erratur practicè in eo voto, sicut in quolibet peccato: sed etiam ipso facto fit protestatio Deo esse gratum peccatũ illud promissum: igitur ad obiectionem negatur consequentia propter rationem modò allatam.

Prou. 14.

6 *Ad argumenta Soti respondetur*: ad primum neg. antec. Si sermo sit de peccato veniali, vt est materia circa quam versatur promissio facta Deo: Nam sic id peccatum offerre Deo: grauis irreuerentia est. Itaque licèt peccatum veniale seorsum consideratum, & in propria specie, sit quid leue: tamen vt offerendum Deo in cultum per votum, censetur materia grauis in specie irreligiositatis: & ideò tale votum per se loquendo est peccatum mortale: nisi per ignorantiam, vel inaduertentiam excusetur, vt dictum est. Simile est. Mendacium leue secundum se materia leuis est: at si iuretur materia grauis est.

Ad secundum negatur antecedens, si formaliter loquamur: dupliciter enim potest perpetrari peccatum illud veniale promissum: *vno modo* quasi materialiter, & solùm quatenus talis actus est: & & sic verum est esse tantum peccatum veniale: *Alio modo* potest fieri formaliter, id est intentione cultus, & propter implendam promissionem Deo factam: & sic falsum est quod assumitur: nã sic implere illud votum peccatum mortale est: quia est opere ipso profiteri Deum coli peccatis, & ea grata habere.

Ad tertium non potest exactè responderi vsque ad *quæstionem* 89. interim tamen, admisso antecedenti, negatur consequentia: nam in iuramento promissorio materia iurata non offertur Deo in cultum, sed Deus adducitur in testimonium veritatis: in quo non inuoluitur grauis irreuerentia in Deum: quia non propterea asserimus Deum illam approbare: at per votum materia promissa offertur Deo in cultum eius: & tanquam illi gratum, & ideò videtur esse grandis blasphemia offerre illi aliquod peccatum, quantumuis minimum: quia ex vi, & genere illius actionis tribuitur Deo vt illi gratum.

Ex traditis in hac disputatione poteris agnoscere esse peccatum Deo vouere rem ipso indignam, verbi gratia, rem impossibilem, aut indifferentem: quia offertur Deo vt gratum id, quod non placet ei: at in hoc erit differentia: quia vouere Deo rem impossibilem, rarò, aut nunquam erit peccatum mortale: quia nullus efficaciter promittit id, quod scit esse impossibile fieri: vnde nisi ex falsa existimatione, aut ignorantia non potest de re impossibili fieri votum: & tum veniale peccatum erit sic vouere: quia leuis Deo irrogatur iniuria. Item. Votum de indifferenti fere semper veniale erit, propter leuem iniuriam. De quo copiosius disputatione sequenti. 7

Circa eandem conclusionem est

DISPVTATIO II.

An votum de re moraliter bona emissum, propter malum finẽ sit validum?

ET videtur vera pars negatiua: quia licèt res, quæ vouetur bona sit, votum tamen de illa propter malum finem, malum est: ergo non est conueniens materia voti, iuxta primam conclusionem Diu. Thom. *Secundò*. Sic vouere non est actus Religionis: quia non fit ex motiuo cultus diuini: sed ex aliquo prauo fine: ergo non est verè votum: quia votum est actus Religionis, vt dicetur in articulo quarto. *Tertiò*. Si quis voueat dare eleemosynam, aut orare, vt obtineat vindictam de inimico, vel fœmina aliena potiatur, votum esset execrabile, & inualidum: ergo idem dicendum de quocunque voto propter iniquum finem. 1

In oppo-

In oppositum est. Promissio facta homini ob turpem finem, verbi gratia mulieri vt assentiat libidinoso petenti, valida est: ergo similiter promissio Deo facta, cui non minus seruanda est fides, quàm homini. *Secundò.* Qui eo fine ductus, vt abundet diuitijs, & vt voluptuosè viuat, profitetur Religionem militarem, verè vouet, & votum validum est: & idem est de suscipiente ordinem sacrum: & consequenter emittente votum castitatis propter eũdem prauum finem: ergo prauus finis adiunctus operi bono votiuo non aufert voti valorem.

1. Hoc dubium mouit Richardus *in 4. dist. 38. ar.*
2. *3. quæst. 2.* in fine, sed confusè loquitur, vt monuit Caietanus hic: & ideo pro expositione ipse vtitur diuisione trimembri: scilicet tripliciter potest accidere, vt quis voueat aliquod opus bonum propter malum finem. *Primò*, vt ipse malus finis sit finis eius boni; quod vouetur: vt cum quis vouet dare eleemosynam propter vanam gloriam. *Secundo modo*, ita vt malus finis nõ sit finis eius boni, quod vouetur; sed applicationis ad vouendum; vt cum quis mouetur ad profitendum vitam religiosam ordinis militaris, vt abundet opibus, vnde luxuriosè viuat. *Tertio modo*, ita vt malus finis non sit finis eius rei, quæ vouetur, nec applicationis dumtaxat ad vouẽdũ, sed ipsiusmet voti; eo quod votum ordinatur vt medium ad consequendum illum malum finẽ, vt cum quis vouet se daturum Deo mille, vt consequatur victoriam in bello iniusto.

Hæc diuisio communiter ab omnibus approbatur; sed quibusdam modernis inintelligibilis videtur: eo quod (inquiunt) secundum membrum cum tertio coincidit. Etenim applicari ad vouendum propter malum finem nihil aliud est, quàm velle vouere propter malum finẽ, & hoc est ordinare ipsum votum ad malum finem: ergo non distinguuntur ista duo membra. *Respondetur tamen.* Satis intelligibilis est distinctio inter secũdum & tertium membrum diuisionis Caietanicæ: nam qui vouet secundo modo, mouetur ex fine prauo; sed finis non transit in materiam, quæ vouetur, sed sistit in sola ratione motiui: at qui vouet tertio modo, aliter se habet: Nam finis ille malus, & applicuit ad vouendum, & transijt in rationem materiæ votiuæ, quod colligitur à posteriori ex impletione voti; quæ exercetur sub illo prauo fine, secus est in vouente secundo modo, qui si impleat votum, impletio non fit sub illo malo fine.

Supposita ergo, & approbata distinctione Caietani, *dico primò.* Votum emissum propter
3 malum finem primo modo; ita vt malus finis sit finis rei, quæ vouetur, non est validum. *Probatur*, quia materia illius voti est mala formaliter, vt probatur argumẽto primo in principio disputationis: ergo. Ex quo infertur huiusmodi vota emittere esse peccatum, iuxta dicta in disputatione immediatè præcedenti.

Secundò dico. Votum propter malum finem secundo modo, ita vt malus finis non sit finis rei quæ vouetur, sed applicationis voluntatis ad vouẽdũ, validum est, quamuis sic vouens peccet. *Prima pars probatur*: quia obiectũ illius voti etiam formaliter loquẽdo bonũ est: nã finis prauus, qui motiuũ est ad vouendũ, nõ transit in rationẽ obiecti, sed relinquit votum in sua natura. Deinde probatur argumento primo in oppositum.

Et si obijcias. Votum primo modo emissum, nõ est validum, neq; obligatorium: quia peccatum est: sed votum secundo modo emissum etiam peccatum est: ergo etiam non est validum. *Respõdetur* negando antecedens, si vt iacet consideretur: sed quia peccatũ est intrinsecè & ex obiecto voti, in quo ille malus finis includitur: at votum secundo modo factum est dumtaxat malum ex circunstantia, quæ non vitiat rem promissam, sed tantum actum promittentis: Nam res, quæ promittitur, est bona, obligatio etiã, quæ ex illa voluntate nascitur, bona est: quia non est ad operãdum ex illo prauo fine, sed simpliciter ad operãdum id, quod bonum est, & acceptat Deus illam voluntatem quantùm ad id, quod in ea bonum est: vnde & tota materia voti impleri potest sine peccato. Secus contingit in vouente primo modo: quia finis malus ingreditur rationem obiecti votiui.

Sed rursus instas. Qui promittit aliquid facere propter malum finem, eo ipso promittit propter illum finem: ergo etiam è conuerso, qui ex malo fine motiuo promittit aliquid facere, eo ipso promittit facere propter eundem finem: ergo promittit malè facere, & consequenter votum nullum est. *Respondetur* negando consequentiam: nam qui promittit aliquid facere ob malum finem, verbi gratia, dare Petro gladium, vt occidat Paulum, prius intendit finem illum, & ex illo mouetur ad promittendum, & ordinandum in illum finem, non solum materiam promissam, verum etiam promissionem: Nam illa promissio cadit non solùm in talem materiam, sed etiam in ordinationem eius ad talem finem: vnde necesse est, vt promissio in eundem finem tendat: quia est veluti pars obiecti sui, non verò ita est à contrario: Nã licet homo ex aliquo fine moueatur ad promittendũ, non est necesse, vt eundem finem adiungat materiæ voti, seu executioni promissionis: quia illa actio est posterior, & non necessariò imperatur ab illo fine, sed ille finis sistit mouendo ad promissionem, & non extenditur ad materiam eius: itaque licèt tale votum malè fiat, obligare potest ad rem de se honestam, & quæ possit rectè fieri.

Dico tertiò. Votum emissum propter malum 4
finem tertio modo, ita vt malus finis sit finis voti, non est validum: verbi gratia, votum dandi eleemosynam, vt homo consequatur iniustam victoriam, nullum est. Hoc probatur eisdem rationibus, quibus prima assertio: quia tunc malus finis materia est voti: ergo inualidum est. Assertio intelligenda est pro nunc de voto absolutè emisso: nam si conditionatè consequutio finis apponatur, quid sit sentiendum in disputatione sequenti dicemus.

Ad primum positum initio disputationis, quatenus militat contra secundam conclusionem

respondetur, malum finem appositum siue vt obiectum voti, siue vt motiuum tantum ad vouendum, vitiare actum vouendi: votum autem inualidari dumtaxat, quando finis malus ingreditur rationem obiecti votiui, vt explicatum est circa primam & secundam assertiones.

5. *Ad secundum respondetur.* Quomodocunque vouere propter malum finem actus peccaminosus est, & consequenter non est actus à Religione elicitus, neque eiusdem substantiæ & entitatis cum vero actu virtutis, vt habetur *ex.1.2.* *At* verò votum vt habeat veram rationẽ voti, quoad veritatẽ promissionis, & obligationis inducendæ, non est necessarium vt in indiuiduo sit actus elicitus à Religione: sed sat est, quod promissio & obligatio secundum se considerata rectè & honestè possit per Religionem fieri: & ad argumẽta in forma respondetur negando primam consequẽtiã: ad probationẽ dico votũ esse actũ Religionis per se, & ex natura sua, & secluso impedimento ex parte operantis: in indiuiduo autem non est semper id necessarium, sed sufficit voluntas promittendi, etiam si ex alio fine alieno à Religione moueatur: & cum dicitur, obligationem voti non oriri nisi ex voto, nomine voti non intelligitur illud, quod à Religione elicitur, sed omnis promissio Deo facta, quæ quantum est ex capacitate materiæ posset, & deberet à Religione elici: & talis est promissio, de qua agitur in secunda assertione, quamuis in indiuiduo fuit ex prauo fine operantis.

Dices. Votum placet Deo, at iste actus vouendi displicet Deo, qui actus peccaminosus est: *Respondetur:* non placet Deo vt actus moralis est, placet autem quatenus est vinculum obligans de se ad bonum. Item: non placet quoad modum, placet autem quod ad substantiam, & obseruantiãm eius: sicut non placet Deo consecratio facta ex prauo fine, quatenus inde mala est, placet autem, quatenus consecratio est.

Ad tertium negatur consequentia, quia tunc finis non est tantum motiuum promissionis, sed etiam materiæ promissæ: quæ etiam ad illum finem ordinatur, & propter illum finem facienda promittitur, vt Caietanus notat: inde autem non sequitur idem dicendum esse quoties finis est tantum motiuum ad applicationem: quia in rationem obiecti, & materiæ voti non redundat. Ad argumenta in oppositum, respondetur probare nostram secundam assertionem. Et de materia primi argumenti in disputatione sequenti redibit sermo.

DISPVTATIO III.

An votum emissum pro cõditione turpi obtinenda validum & obligatorium sit?

1. HAEc disputatio non est multum dissimilis præcedenti: vnde Caietanus, sub eodem titulo quo præcedens eam discutit: nobis autem placet eam fusius agitare, & sub vniuersaliori ratione: nempe quid sentiendum sit de votis, quæ fiunt adiuncta conditione turpi. Et à facilioribus incipiendo:

Dico primò. Votum sub conditione turpis actus ad puniendum & vitandum illum, non solum est validum, sed etiam rectè, & honestè fit: verbi gratia, cum quis promittit dare eleemosynam, si malè luserit, si iurauerit, vel fornicatus fuerit. Assertio communis est, & clara: quia quod directè promittitur est bonum, vt supponitur: & finis etiam vouentis, & voti etiam est bonus: scilicet vitare actum turpem: ergo. *Secundò.* Votum illud est de materia quasi disiuncta sub quodam ordine, scilicet, vel vitabo tale peccatum; aut si in hoc defecero, faciam talem actum bonum: qui semper est afflictiuus, vt inde homo à peccando retrahatur.

Dico secundò. Votum factum pro effectu bono qui ex actu turpi sequitur, supponendo tamen actum turpem, & non ordinando promissionem voti ad ipsum actum turpem, validum est, & materia illius apta ad votum: verbi gratia, si quis promittat aliquid, si filius sibi ex meretrice nascatur. Ita Caietanus in Summa verbo *votum* & in hòc ariculo, Aragon, & alij, Soto dicto *articulo tertio.* Nauarr. *capitu.22.numero.31.& 32.* Angles *quæstione de voto, articulo.1.diff.11.* Ratio est, quia in tali voto non est per se ordo ad actum turpem, sed illo supposito est ordo ad effectum eius, qui bonus est: ergo tale votum, neque in se, neque in materia habet circumstantiam malam: antecedens patet, quia qui sic vouet, non intendit Deum facere autorem suæ iniquæ actionis, neque vult per votum obtinere auxilium ad illum; sed cum alias supponat se facturum talem actionem, cupit obtinere à Deo; vt ex illo turpi actu tale bonum eliciat. 2.

Caiet. Aragon. Sotus. Nauarr. Angles.

Dico tertio. Votum factum ad consequendum à Deo auxilium pro malo seu turpi facto, non est validum: verbi gratia, si me de inimico vindicauerim, aut victoriam consequutus fuero, in bello iniusto, talem porrigam eleemosynam. Hæc est communis sententia, & tenetur à supra citatis Autoribus: & probatur ex doctrina Caietani allata: Nam finis huius voti non solum iniquus est, vt motiuum ad votum: sed quia votũ ad illum finem vt medium assumitur. 3.

Secundò, & in idem redit: quia ista conditio voti, non solum est finis mouens ad promittendum, sed etiam ad exequendum rem promissam ex praua illa conditione, ergo est pars obiecti promissi, quæ reddit obiectum formaliter malũ. Antecedens colligitur à posteriori: nam quando aliquid est finis applicationis ad vouendum, siue solius promissionis, & non etiam ingreditur obiectum promissum, ex se non mouet ad propositum faciendi rem, sed solum ad promittendi; vt patet in eo, qui propter honores, aut diuitias comparandas in Religione, vouet Religionem: at verò in præsenti turpis actus, propter quem obtinendum fit votum, non vtcumque ad vouendum, sed præcipuè ad vouendum cum proposito faciendi, mouet: nam quo-

quomodo quis putaret se consequuturum à Deo aliquid per promissionem sine proposito faciendi rem promissam.

4 *Sed contra* istam assertionem multa obijciuntur. Præcipuè ex Caietano in his commentarijs: *Prima obiectio est*: quia obiectum illius voti bonũ est; verbi gratia, eleemosyna: ergo quamuis conditio sit turpis, benè potest postea impleri sine vlla habitudine ad turpem finem. *Respondetur* negando antecedens; sed est eleemosyna sub fine illo impetrandi à Deo auxilium ad opus malum: vnde obiectum est formaliter malum. Secunda obiectio. In eo voto promissio est de re bona, conditio item apposita bona est, & non apponitur à vouente ipsi promissioni malus finis: ergo votum validum est. *Probantur* singulæ antecedentis partes. *Prima* nota est in casu posito de eleemosyna largienda. *Secunda* probatur, nam non postulatur à Deo, vt auxilium ferat ad opus iniustum; sed tantùm vt actionẽ illam materialem ita dirigat, vt quamuis vouens iniustè agat, nihilominus victor euedat: in quo nihil petitur à Deo, quod ipse facere non possit, & soleat facere: Nam constat ex sacris literis, v.g. *Danielis* 1.& 2. & Iudith.16. Deum sua prouidentia sæpe ita ordinare cursum rerum, vt iniustè bellantes victoriam obtineant: Imò sæpe illis vt instrumẽtis vti ad sumendum vindictam de alijs, qui licèt respectu inuadentium se, sint innoxij, & se iustè ab illis defendant, respectu Dei sunt peccatores, quos Deus vult punire per alios iniustè contra eos bellantes. *Tertia etiam pars* antecedentis probatur, supposito quod talis vouens non expressè petit à Deo victoriam iniustam: Nam tunc non procedit obiectio, sed quãdo petit à Deo victoriã hãc subintelligẽdo scilicet petitionem dirigi ad victoriam, eo modo, quo Deus licitè & sanctè præstare potest, quamuis ipse vouens illam procurando victoriam grauiter peccet.

Daniel 1. & 12. Iudith 16.

Caietanus hic, & alii ipsum sequuti communiter respondent obiectioni dicentes, illud votum non esse validum: quia qui sic vouet, quantum

5 ex se est, facit Deum autorem peccati: & hoc necessariò intendere saltem interpretatiuè per tale votum: sicut qui promittit homini aliquid, vt se iuuet ad homicidium, intendere necesse est constituere illum cooperatorem homicidii. Vnde potius isti Autores constituunt discrimen inter votum, & promissionem humanam: quod respectu hominis valida est talis promissio, & si alius adiuuet, debetur illi stipendium promissum: quia ille est capax inductionis, & cooperationis ad malum: & ideò etiam capax est illius stipendij ratione laboris, pretio æstimabilis de se: At Deus incapax est illius cooperationis, & consequenter etiam turpis promissionis. Franciscus Suarez *tomo* 2. *de Religione, libro* 2. *de voto, cap.* 5. *num.* 13. non approbat hanc solutionem, motus obiectione facta, præcipuè probatione secundæ & tertiæ partis antecedentis: & *num.* 14. ait, etiam si per tale votum non petatur à Deo, vt cooperetur, vel inducat ad malum (quod ipse existimat non peti neque implicite, neque explicitè in casu obiectionis atque adeò neq; sic vouentem Deum facere autorem mali, quòd censet Caiet. & alij) nihilominus tale votum iniquum est: quia vouens desiderat, & ordinat quantum in se est totam illam Dei actionem & promissionem ad prauum finem: quod certè iniuriosum Deo est, à quo non solum alienum est esse peccati autorem, & cooperatorem: verùm & ordinare suam iustam actionem ad opus malum: & hoc illi attribuit vouens eleemosynam pro actione iusta, quã Deus potest præstare, & sæpe præstat in executione multorum peccatorum, & propter hoc votum illud inualidum est, non propter Caietani rationem.

Suarez.

Non placet mihi recedere à sententia communi propter argumenta facta, quæ facilè soluuntur. Pro cuius explanatione, & tuitione *aduerto*: vouentes rem bonam sub conditione turpi futura, verbi gratia, eleemosynam pro consequenda victoria in bello iniusto diuersimodè se habere. *Vno modo* apponendo expressè conditionẽ turpem, v.g. promitto Deo eleemosynã, si victor euasero in hoc bello, quod iniustum est; aut promitto mille aureos Deo, si potitus fuero vxore aliena. Et isto pacto nullus dubitat votum esse iniquum, & inualidum: tum propter rationes allatas circa tertium dictum: tum quia apertum est, sic vouentem hic & nunc postulare à Deo auxiliũ ad opus iniquum, quod est facere Deum autorem peccati. Neque (vt reor) præfatus Suarez, hoc negauit; quamuis prima facie id videatur negare, quod si negetur ex dicendis confutabitur. 6

Secundo modo potest fieri tale votum sub conditione victoriæ nulla facta mentione patrocinij diuini: verbi gratia, dux in bello iniusto vouet se daturum Deo mille aureos, si euenerit victoria, non exprimendo, si Deus dederit, vel non dederit: & isto modo dico, votum esse iniquum, & inualidum; non solum quia vouens ordinat bonam Dei actionem ad malum finem, verum quia interpretatiuè implorat Dei patrociniũ ad malum finem; quod est facere ipsum cooperatorẽ, & autorem peccati: nimirum offerendo Deo eleemosynam, vt effectiuum, vel impetratiuum illius actionis iniquæ, quæ desideratur.

Dices cum præfato autore, non adesse talem intentionem interpretatiuam moraliter loquendo; sed tantum eleemosynæ oblatio fit, vt Deus sanctè & iustè eo modo, quo potest victoriam det: quinimò moraliter loquendo fit tanquam effectiuum vel impetratiuum patrocinij diuini: Nam consideratio separationis auxilij diuini à mala intentione id implorantis, non est morale; sed peregrinum à moribus hominum, Deum interpellantium pro suis finibus malis, & bonis. Pauci enim sunt, qui istam separationem considerent; ferè omnes auxilium & patrocinium petunt eo modo, quo ipsi desiderant: putà ad finem sibi placentem, & interdum prauum consequẽdum: & hoc morale est, non illud. *Ex hoc soluitur obiectio*, negando secundam partem antecedentis assumpti: nam hoc ipso quod sic vouens pe-

tit sibi ad fore auxilium diuinū ad illud iniustum opus, exigit moraliter loquendo nō actionē iustā Dei, quam pauci aduertunt, sed auxilium diuinum, vt opus intentum perficiat. Similiter tertia pars antecedentis negatur: quia hoc ipso quòd intendit talis vouens per eleemosynam sibi conciliare patrocinium diuinum ad opus, quod desiderat, eo modo, quo desiderat perficere opus, eodem modo à Deo postulat sibi concedi: iuxta intentionem enim vouētis id conatur obtinere moraliter loquēdo. *Tertio modo potest* imaginari talem vouentem Deo offerre opus bonū, vt consequatur patrocinium diuinum, discernēdo expresse in eo bonum à malo: vt si voueat offerre mille aureos, solùm ac præcise, vt cōsequatur illud, quod in actione diuina erga prælium, iniustum bonum est: & isto pacto, ait Caietanus, vota huiusceemodi valida sūt, & iusta. Suarez ait neque esse iusta, nec valida. Ego vero assero vota esse valida, illicita tamen. *Probatur prior* pars; quia hæc vota sunt de bono obiecto; & conditio sub illa præcisione bona est, & Dei donū; finis itē illius voti bonus est; quia est impetratio alicuius boni à Deo, q. Deus sine indecētia & dedecore prēstare potest: & quamuis adiungatur illud bonum peccato, hoc non pertinet ad finem voti, sed vouentis: & propter præcisionem expressam vouentis ab illo malo non reputatur peccatum illud ingredi rationem obiectiuam eiusdem voti; & cōsequenter materia voti non est illicita, neque votum inualidum. *Confirmatur*, quia post obtentam victoriam, potest impleri votum illud cùm præcisione præfata: imò & pro eo bono sic præcise considerato Deo possunt fieri gratiarum actiones: ergo signum est materiam voti esse bonam, & votum validum; quidquid sit de malitia vouētis.

Secunda pars, videlicet huiusmodi vota esse illicita propter malum finem appositum ex parte vouentis, qui fuit finis motiuus tantum, probatur: quia illicitum est bonam actionem alterius ad malum finem ordinare, & procurare; vt de se patens est: sed vouens, de quo agimus, etiam si voueat bonum opus sub conditione illa præcisiua, ordinat bonam Dei actionem ad malum finem: verbi gratia, ad consequendam victoriam in prælio iniusto ad concubitum cum aliena, & similibus: ergo sic vouens peccat. *Minor est* manifesta: quia ad quid rogo exigit Dei actionem bonam coniunctam operi malo, nisi ad consequutionem illius mali? aliàs illa actio inutiliter exigeretur à vouente.

8. *Sed dicet quispiam*: ergo votum pro filio obtinendo ex illicito concubitu illicitum erit, siquidem intendit vouens aliquod bonum per turpe medium, quod non minus malum est, quàm obtinere finem prauum per bonum medium. *Respondetur*, negando cōsequentiam, quia medium turpe in generatione filij non assumitur, vt medium ad prolem suscipiendam: quia si sic assumeretur, votum esset illicitum: sed supposito, & decreto concubitu iniquo à fornicatore, vouet pro suscipienda prole: itaque neque ordinat concubitum ad prolem, neque proles est finis concubitus. Hæc omnia, quæ dicta sunt circa hanc assertionem tertiam, de vouente opus bonum propter conditionem turpem, debent dici de vouente propter eandem conditionem in gratiarum actionem: & quidem si votum fiat ante impletam conditionem, res sine controuersia est; si verò fiat post conditionem iam impletam aliqui censent oppositum, sed sine firmo fundamento. Quare existimo idem esse dicendum siue ante, siue post impletam conditionem: quia gratiarum actio pro victoria obtēta, re vera iniqua, illicita est, & Deo iniuriosa: & nisi expresse dirigatur separando bonum à malo, iuxta id, quod intendit, gratias agens, intelligenda est. Intendit autem pro victoria illa cum suis circumstantijs gratias agere.

Sed quid, si in prælio vel duello iniusto præliàns voueat aliquid pro incolumitate, vita, aut alia re, quam licitè optat obtinenda? Videtur nāque ex dictis hoc non licere: quia prædicta incolumitas necessariò ordinatur ad victoriam iniustam: imò est magna pars eius: vnde moraliter loquendo non possunt intentione separari. Caietanus, Sotus, Nauarrus, *capit. 12. numero 32.* censent, tale votum esse validum, & licitum: tum quia duellum, aut prælium iniustum non est medium ad incolumitatem obtinendam, sed potius illi aduersatur, & dumtaxat à Deo exigitur, vt non permittat pugnantem periclitari, quod est per se bonum, & Deum non dedecet: neque etiam ea incolumitas ordinatur de se ad malum finem, neque in eo casu ordinatur à vouente in malum finem (aliàs illicitum esset votum) ex quo colligitur votum illud non esse illicitum ex obiecto, vel fine: ergo validum, & sanctum est. *Explicatur hoc*: etenim non occidi; verbi gratia, quamuis sit vtile ad consequendam victoriam, & veluti quædam pars eius non obstat: quia qui hoc postulat à Deo, & ob id aliquid promittit, non ordinat; & postulat à Deo propriam incolumitatem tanquam medium ad inferendum malum alteri, sed per se tantùm respiciendo ad bonum & commodum propriæ naturæ. In victoria autem duo distingui possunt: immunitas à proprio malo, & offensio alterius: & in hoc posteriori consistit malitia iniustæ victoriæ: quod si ad hoc ordinaret incolumitatem, absque dubio votum esset illicitum. Primum autem per se non est malum, & ad illud spectat non occidi, aut non vulnerari, & ideò propter hoc præcise aliquid vouere non videtur illicitum. 9. Caiet. Nauarr. Sotus.

Sed vrget quispiam: nam licèt allata vera sint, considerando in communi puram defensionem, vel liberationem à morte, vulnere, &c. tamen in indiuiduo & moraliter loquendo, quatenus talis defensio coniuncta est cum offensione alterius, vix est separabilis à malitia illius: quia moraliter loquēdo auxilium est ad offensionem. *Explicatur ex his*, quę apud homines contingunt: nam si quis assistat alteri in duello vt duntaxat eum à malo defendat, censetur homicidio alterius contra pugnantis cooperari, etiam si malum alteri 10.

non

non infestat, neque talem habeat directè intentionem. Similiter: si quis socium se præberet eunt ad adulteriũ, solùm vt eum à malo tueretur, absque vlla alia cooperatione, censeretur illum adiuuare ad malum: ergo idem dicendum est in nostro casu respectu Dei: Nam qui voluntariè se ingerit periculosæ actioni alioqui iniustæ, & in illa vult specialiter protegi à Deo, quoad suam defensionem, virtualiter videtur velle iuuari à Deo ad illam actionem. *Et confir.* ex his, quæ diximus de eo, qui vouet aliquid Deo pro victoria, sed de facto iniusta, qui licèt possit expectare à Deo bonam Dei actionem: tamen quia in indiuiduo victoria illa est coniuncta moraliter loquendo malitiæ iniusti belli, censetur postulare à Deo iniustam victoriam: quę doctrina videtur adæquatè procedere in casu nostræ

11 obiectionis.

Ad argumentum *respondetur*, quod si vouens nõ separet in victoria, aut vindicta iniusta actionem Dei à malitia hominis, & sub illo titulo intendat victoriam, aut vindictam iniustam, grauiter peccabit, & votum erit nullũ: si verò separet & recta intentione procedat votum validum & iustum erit. Nec exempla humana sunt similia: quia homo tenetur non concurrere, non solùm ad malitiam actionis formaliter, verùm neque ad materiale eius, aut ad quodcũque aliud, quouis modo illi coniunctum: aliter tamen se habet Deus: quia non tenetur non concurrere ad bonum coniunctũ malitiæ actus, imò sine eius cõcursu generali res non fient, & ad eum pertinet separare pretiosum à vili, nõ verò ad hominem. *Ad confir.* quæ plusculum difficultatis habet: respondetur negando consequentiam, etenim in victoria iniusta duo licet considerare. *Vnum* est Dei concursus, qui vt à Deo est, bonus est: *alterum est* malitia victoriæ, quæ vt sic ab homine est: & ista duo licèt per intellectum separabilia sint, secundùm rem verò non ita, quare pugnans in prælio iniusto, & vouens aliquid pro victoria consequenda, interpretatiuè vult victoriam iniustã: quia actio Dei malitiæ illi cõiuncta est; nec separabilis, nisi per intellectũ, & postulatio iuxta finem vouentis interpretanda est: at verò defensio, & offensio, incolumitas duellantis, & occisio contrapugnantis secundum rem separabiles sunt: quare qui postulat à Deo incolumitatem, non ob id postulare dicitur occisionem inimici: quia primum sine secundo reperiri potest: vnde non mirum postulari vnum sine altero à vouente aliquo pro sui incolumitate, & libera-

12 tione à morte, & vulneratione.

Vltimò dico. Si votum fiat sub conditione turpi habẽte rationẽ puræ cõditionis, non causæ vel rationis vouendi, putà quia bonũ ordinatur ad malum solo euentu, verbi gratia si sequatur victoria offeram mille, votum validum erit. Sed modus vouendi irrationalis: quia naturæ rationalis est conferre vnum alteri, vt aduertit Caietanus, qui tenet nostrum assertum, & Nauarrus vbi supra. Sed putat Sotus, esse impossibilem modum vouendi: quia nullus (inquit) sub mera conditione vouet, sed Deum sui sceleris patronum compellat: nihilominus hæc impossibilitas nõ ita clarè apparet: quare si in casu raro contingat, votum ita fieri, vt conditio turpis sit duntaxat suspensiua actus, votum validum erit: quia de re bona, & sine malo fine; conditio autem turpis, licèt in matrimonio habeatur pro non adiecta ex præsumptione iuris in fauorem matrimonij: in alijs verò si dura conditio est, suspendit consensum; post impletam verò obligabit votum, quia licitè impleri potest.

Caiet. Nauarr. Sotus.

Circa secundam conclusionem est

DISPVTATIO IIII.
An votum de opere indifferenti valeat?

PRo negatiua arguitur: nam in indiuiduo, & in exercitio nullum opus indifferens est iuxta mentem Diui Thomæ. Etenim cuiuis operi aliquis finis præfigendus est ab operante. At si operi indifferenti apponatur finis malus, opus ipsum malum est, si nullus in particulari, hoc ipso opus malum est, quia caret fine: si verò præfigatur finis bonus, opus bonum est: ergo nullum votum potest fieri de re indifferenti vt sic. Probatur consequentia: quia votum fit de actu aliquo exercendo in indiuiduo, & in exercitio, & sub ista consideratione, si opus malum redditur non erit votum de illo: si verò bonum, iam non est de re indifferenti. 1

Pro parte verò affirmatiua arguitur: quia res indifferens apposito bono fine, cessat esse indifferens, sed hoc ipso quod vouetur apponitur illi bonus finis, scilicet esse materiam voti, & ad Dei cultum referri: ergo votum de re indifferenti validum est.

Pro decisione *dico primò.* Qui vouet opus indifferens vt sic, non emittit votum validum, neque obligatorium. *Probatur ratione* Diui Thomę: quia opus indifferens vt sic, id est manens in sua indifferentia, non est Deo gratum, eo quod caret debito fine: sed vt promissio valida sit, debet esse de re grata ei, cui fit, quo certè caret opus indifferens: cum neque gratum sit Deo, neque in vsum: ergo. Secundò probatur argumento primo posito in principio disputationis. 2

Secundò dico. Si operi ex suo genere indifferenti apponatur finis bonus moraliter, ad cuius assecutionem opus promissum aliàs indifferens habeat proportionem, votum de illo opere sic emissum validum est, & obligatorium. *Probatur,* quia opera indifferentia adiuncto fine proportionato opera virtutis fiunt: ergo de illis vota emissa valida erunt. Sed pro explicatione summoperè *aduertendum est:* quod vt actus ex suo genere indifferens sit materia voti ex appositione finis honesti, non sat est, quod ex libertate, aut falsa apprehensione operantis in eum finem referatur, sed oportet, vt talis relatio prudenter fiat, & cũ proportione, ac fundamento alicuius conuenientiæ inter tale medium, & talem finem: id est quod sit vtile ad illud, vel proximè, vel 3

vel mediantibus alijs: quia aliàs imprudens esset relatio talis medij ad talem finem, & relatio illa esset ficta, aut fundata in falsa apprehensione sic referentis.

Ex hoc resoluuntur multa dubia, v.g. Vota, quæ à fœminis fiunt non nendi, vel non coquẽdi in die Sabbathi in honorem Deiparæ, non sunt valida, neque obligatoria: quia illa relatio sine fundamento fit:quid enim conducit ad honorem Virginis non nere, filare, aut non coquere, si adhuc libera est mulier, vt se in alijs operibus seruilibus exerceat? Quapropter illa opera sic promissa,etiam apposita illa relatione ad talem finem indifferentia manent.Secus autem esset si votum fieret de cessando ab omni opere seruili, vt hac ratione vouens expeditior fieret ad vacandum diuinorum considerationi; tunc enim esset validum votũ,cũ tale opus in illũ finẽ relatũ bonũ efficiatur,& digna materia voti.

4 Vota non loquendi,vel non ludendi cum aliquo,vel ad aliquẽ certum ludum,quando solum fiunt, quia colloquium vel ludus vouẽti sunt ingrata,non sunt valida,nec indigent dispensatione,vt non seruentur: cùm in illum finem relata non cedant in diuinum cultum: secus esset si fierent, quia ex talibus actionibus datur occasio peccandi,vel dilapidandi substantiam vouentis. Imò si ex his actionibus cũ vno exercitis sequeretur occasio rixandi, iurandi, aut quocunque modo peccandi,votum de non exercendis his actionibus cum illo,validũ esset. Similiter:si quis voueret non ingredi talẽ domum, in qua habet peccandi occasionem, quamuis haberet animũ ingrediendi alias, in quibus habet similes occasiones,votum esset validum, si revera fieret intuitu tollendi tales occasiones:: quia non solùm omninò tollere occasiones peccandi, sed etiam illas minuere honestum est.

Et ad hunc modum iudicandum est de similibus obiectis, quæ videntur indifferentia, consulta,& examinata intentione vouentis,quam in his casibus consulere sæpè necessarium erit.Demum in huiusmodi votis de operibus indifferentibus propter honestos fines considerare oportet:quod quamuis à principio obligent existente fine,illo tamen cessante cessare etiam obligationem voti ex defectu materiæ: vt in exemplo de voto non ingrediendi domum vbi erat occasio peccandi,si ab ea domo auferatur talis occasio, cessat obligatio eam non ingrediendi: quia res ad suam indifferentiam reddit, de qua votum fieri non potest.

5 *Dico vltimò*. Vouere rem indifferentem vt sic, peccatum est duntaxat veniale. *Prior pars patet:* quia offertur Deo vt gratum, & in eius cultum, quod his conditionibus omninò caret, vnde vana est, & stulta huiusmodi promissio. *Secunda pars probatur:* quia licet hæc materia non sit apta voto,non est directè iniuriosa, & contumeliosa Deo. vt supra de vouente opus peccaminosum dicebamus disputatione prima: nam qui vouet actum indifferentem,non vouet positiuè facere actum illum sine fine bono:iam enim votum illud non esset de actu indifferenti , sed de actu malo & otioso: qui ergo vouet actum indifferentem , tantùm negatiuè se habet circa finem, id est , non apponit bonum finem, & ita non est adeò iniuriosus, & contumeliosus in Deum: quia non profitetur aliquid per se contrarium bonitati diuinæ. Etenim Deus potest esse autor actus indifferentis, & velle illum:solũ ergo deficit:quia promittit rem inutilem , vel quia in promittendo omittit bonum finem,quẽ debuisset adhibere,vt promissio esset valida: hic autem defectus leuis est ex leuitate materiæ.

Ad primum in disputationis initio positum, quatenus intendit facere superfluam hanc disputationem,respondetur primò, argumentum non procedere secundum sententiam multorũ Theologorum putantium, etiam in indiuiduo posse reperiri plures actus indifferentes. *Secundò* & melius,supposita sententia D. Th.oppositum sentientis,eum. qui vouet actum indifferentem non vouere facere positiuè illum actum sine fine,sed vouet actum , & negatiuè se habet circa finem:id est non recordatur, quis sit ei finis præfigendus in executione. Hoc tamen non est vouere actum malum,sed indifferentem,qui tamẽ si fiat præcisè,vt promissus est, malus vel inutilis est futurus. 6

Ad secundum,quatenus militat contra secundã assertionem respondetur,non quamcunque appositionem finis reddere actum indifferentem materiam legitimam voti: Nam vt dixi potest apponi finis ex apprehensione falsa,& libertate vouentis,quæ non tollit indifferentiam actus: imò etiam si tollat eam, & faciat actum esse virtutis,si tamen non sit prudẽter referibilis in Dei cultum,& honorem,non propterea fit legitima materia voti.Huius rei sunt multa exempla,præter allata superius:agitare tauros, esto sit res indifferens,imò quamuis fingatur esse actum virtutis ad exercendum milites (quod falsum esse credo)nõ potest esse legitima materia voti:quia non est referibilis in Dei cultum: vnde votum de ea agitatione nequaquam validum est , sed peccatum eam vouere. Ludere cum debitis circumstantijs pertinet ad quandam virtutem,quę Eutrapelia dicitur,& tamẽ nõ est debita materia voti:quia ad Dei cultum non est prudenter referibilis,neque cum eo habet conuenientiam:quis enim dicat,quod votum de ludendo, & comœdijs,ac cõuiuijs interessendo,sint valida,& obligatoria?Et si obijcias.Omnis actus virtutis Deo placet:ergo talis actus potest esse materia voti. 7

Respondetur negando consequentiam: quia cũ votum sit de numero precipuorum actuum Religionis,quibus Deus colitur,& honoratur,plus requiritur, vt aliquis actus sit materia voti, quã esse virtutis actum: requiritur namque vt inter illos actus , & cultum Dei sit aliqua conuenientia rationabilis, qualis certè non est in actibus præfatis:qui licet ad virtutes spectant eæ tamẽ sunt imperfectorũ hominũ & eliciunt actus, quandam imperfectionem includentes: & ideò ex promissione illorũ non colitur, neq; honoratur Deus,neque actibus imperfectorum,cui sũt quodammodo quasi quædam permissiones. 8

Ali-

Aliter puto iudicandum de voto pergendi in agrum sanitatis consequendæ gratia. nam sanitas medium est ad multa virtutum egregia opera exercenda. Sed de materia huius obiectionis inferius dicemus copiosius.

Circa tertiam conclusionem est

DISPVTATIO V.

An quando votum est de materia partim impoßibili, partim poßibili, & simul incompoßibili sit validum?

1 NOn disputo modò, quando materia voti est impossibilis, & ita vna, vt sit indiuisibilis, votum enim de hac materia est prorsus inualidũ, vt probatũ est circa conclusionẽ tertiam, & citra cõtrouersiam recipitur. Sed disputatio instituitur, vt in titulo sonat quando tota materia voti componitur ex partibus, quarum singulæ, vel omnes, vel aliquæ sunt possibiles, tota verò integra impossibilis est; an tunc votum de toto impossibili obliget ad partem impossibilem?

Et videtur vera pars affirmatiua primò ex regula. *Si non valet, quod ago, vt ago, valet, vt valere potest*, cap. vnico §. primo de despõsatione impub. in 6. quam regulam esse in votis seruandam ait Syluester, *votum*, 4. quæstione 2. dict. 4. & approbat Panormitanus in cap. *quidam*, de conuers. coniug. & facit etiam regula iuris 37. in 6. *vtile per inutile non vitiatur*. Secundò probatur exemplis: nam qui vouet ire genibus flexis Hierosolymam, tenetur ire modo possibili, reiecto impossibili. Item, si quis voueat in triduo ire Romam, tenebitur ire in sufficienti tempore. Præterea si quis vouit ieiunare totam Quadragesimam, & non possit integram, sed potest partem, tenebitur partem possibilem adimplere.

Syluest.
Panor.

2 *Pro parte negatiua* arguitur primò ex his, quæ diximus in præcedenti disputatione, cum qui promisit rem indifferentem vt sic, non teneri illam facere propter bonum finem sublata indifferentia: ergo qui vouet aliquod totum impossibile, non tenetur reiecta parte impossibili ad possibilem seruandam. *Item*: si quis vouet confiteri, & postea non possit, ex vi voti non tenetur de peccatis dolere, licèt dolor vt pars Sacramẽti in Sacramento confessionis fuerit inclusus. *Item*: si quis vouet in designato die ieiunare, in quo nõ potest abstinere à carnibus, non obligabitur in cæteris obseruare ieiunij formam: quia illud non est ieiunium. *Præterea*: vouet quis ædificare templum, quod illi est impossibile, licèt possit ædificare sacellum in alio templo, non tenetur: & sic de alijs.

3 Pro decisione *primò notandum*, dupliciter posse considerari hæc vota de toto aliquo impossibili, cuius aliqua pars possibilis est. *Vno modo* quando materia habet hanc impossibilitatem ante voti emissionem. *Secundò modo*, quando post emissum votum materia, quæ antea possibilis erat, facta fuit impossibilis in totum, vel in partem: & isto posteriori modo non disputo in præsentiarum, acturus cum D. Thom. *articulo immediate sequenti ad tertium*, sed tantum disputamus nunc de his votis priori modo, cuius rei decisio vix potest certis thesibus comprehendi, conabor autem.

Vnde *dico primo*. Quoties materia totalis voti est totum aliquod moraliter, & secundum ordinarium vsum indiuisibile, quamuis aliqua eius pars physicè sit possibilis, votum factum de illo toto nõ obligat. *Explicatur exemplis* partis negatiuæ, vbi clarè liquet, materiam illorum votorum, licet sit diuisibilis physicè, tamen vt componunt partes illud totum, indiuisibilis est: quod à posteriori agnosces. Nã conditio impossibilitatẽ inducens, separari non potest ab actu possibili, eo manente vtili ad componendum totum. *Probatur*: quia in his, & similibus casibus votum directè cadit in totam illam materiam, vt vnum quid est, & indiuisibile moraliter, & secundum ordinarium vsum: aliud signum vnitatis huius compositi adhibent alij, & Sotus insinuat, quãdo voti materia integra ita est impossibilis ratione collectionis partiũ, vt non appareat aliqua maior ratio obligationis in vna parte, quã in alia. Nam si votum non obligat ad collectionem partium propter impossibilitatem, & in vna parte non est maior ratio, quàm in alia, etiam non obligabit ad partem aliquam determinatè: cum non sit maior ratio vnius, quàm alterius: ergo ad nihil obligabit. Sed hoc signum debet expendi per primam regulam, vt verum habeat, quando scilicet vnicum votum fertur in collectionem partium tanquam in vnum obiectum impossibile, vt si quis voueret ieiunare, & per totum diẽ fodere, aut militare, quæ partium collectio incõpossibilis est, & partes singulæ licèt possibiles sint, simul voueantur: nec est maior ratio obligandi ad vnam, quàm ad alteram, tunc votum non valet. Secus dicendum est in voto ieiunandi totam Quadragesimam in eo, qui non potest omnes dies ieiunare, sed tantum partem, ad quam tenebitur, tùm quia satis est numerum dierum posse determinari prudentis consilio, indeterminatio verò quasi materialis est, & propria voluntate potest magis ad hos dies, quam ad alios: tùm quia hoc votum virtute multa sunt, vt statim dicemus.

Secundò dico. Quando materia totalis voti non est totum aliquod moraliter, & secundum vsum ordinarium indiuisibile, vt modò explicabamus, sed est tantum vel species quædam actuum, aut collectio eorum, tunc licet non sit possibile totã materiam, & singulas partes seruare, nihilominus votum obligat ad partes vel collectionem partium possibilem, quando de cõtraria intentione vouẽtis nõ constiterit. Hæc assertio videtur ad mentẽ Diui Th. in *articulo sequenti ad tertiũ*, vbi loquitur de impossibilitate superueniente post votum: sed eadem ratio est de illa, quæ extat, dum votum fit: & nostra assertio communis 4

est Theologi *in 4. dist.* 38. & Summistis verb. *votum*, & alijs, & probatur argumentis factis pro parte affirmatiua: & declaratur ex lege citata, *si quis*: quia in casu assertionis votum licèt vnum appareat virtualiter multa sunt, vt in voto ieiunandi totam Quadragesimam, quod virtualiter complectitur vota singula pro singulis diebus: vnde qui non potest totam ieiunare Quadragesimam tenetur ad eos dies, in quibus potest. De voto verò recitandi officium diuinum ad quid teneatur qui non potest integrum diximus sup. titulo de Horis Canonicis: nam quoad hoc par ratio est de lege Ecclesiastica, & de voto. *Item* votum castitatis, quod emittit vxoratus censetur obligare non ad omnimodam castitatem, quia hoc fit in iniuriam coniugis, sed ad non petendũ debitum, quod fuit in potestate vouentis, vt habetur in iuribus allatis: & ratio est, quia castitas nõ est vnum totum indiuisibile, sed est collectio plurium actuum, quorum singuli per se materia legitima voti sunt: vnde materia illa potest negatiuè explicari, scilicet non vti Venereis quãtum possibile fuerit, & ideò licèt quoad aliquid non sit possibile, quoad cætera obligat.

5 *Tertio dico.* Quando impossibilitas materiæ voti prouenit ex modo accessorio actui principaliter promisso, votum obligat ad actum ipsum secũdùm se secluso modo. Assertio desumpta est ex Nauarro *c. 12.* & probatur rationibus factis pro parte affirmatiua. *Præterea*, quia impossibilitas, aut impedimentum accessorij non redundat in principale, vt habetur *cap. vnico de cons. Eccl. in 6.* Item: quia in huiusmodi votis concurrũt duæ voluntates. *Vna* volendi se obligare ad principalem actum, v.g. peregrinationẽ Hierosolymitanam. *Altera* obligandi se ad modum, putà sine vectore iumento: prior absoluta censetur sine conditione: aliter dicendum erit si actus principaliter promissus inuenitur impossibilis: quia tunc cessant accessoria, etiam si possibilia sint, vt si quis vouet peregrinari sacco indutus, cessante possibilitate peregrinationis cessat obligatio induendi saccum.

Nauar.

Obijcies. Si quis vouet ire Romam equitãdo, aut nauigãdo, quia credidit nec facultatem, nec opportunitatem sibi defuturam ad eundum tali modo, non tenetur postea pedester ire, & tamẽ hoc contingit propter impossibilitatem modi accessorij. *Resp.* Hic modus mutat notabiliter difficultatem materię principalis, & non censetur actus volitus sine tali modo: & licet modus sit accessorius in ordine ad actum principalem, tamen in ordine ad consensum voti, ita est necessarius, vt error circa illum substantialis censeri debeat, & consequenter impossibilitas eius in totam materiam redundat.

6 Hæc asserta intelligenda sunt, nisi aliter constet de intentione vouentis, quæ in votis est tota obligandi ratio: sed quid si post diligentẽ examinationem intentionis vouentis, & circunstantiarum omniũ non potest certò constare de intentione vouẽtis, sed res manet dubia? De hoc dicemus inferius peculiari disputatione, quid agendum sit in votis, quando pendet eorum firmitas ex intentione vouentis, quæ tamen dubia est post diligentem explorationem.

Argumenta partis affirmatiuæ probant secundum dictum, posita verò pro parte negatiua, primum: nec video difficilem solutionem, si expendantur à me dicta. Sed primum pro parte negatiua habet plusculum difficultatis cõtra secundum dictum: ad quod respondetur negando conseq. nam finis & actus propter finẽ promissus non comparantur, vt duæ partes materiæ promissæ per se separabiles, sed finis est tota ratio, & motiuum operandi, & ideo simul cum actu componit votum totum indiuisibile.

Hæc quæ dicta sunt, quando materia voti partim possibilis est, partim impossibilis, cum proportione intelligenda sunt, quando obiectũ voti includit aliquid licitum, & aliquid illicitũ: quia malum reputari debet impossibile in ordine ad votum: vtpote incapax obligationis. Exẽplum sit in voto dandi eleemosynam de omni lucro, etiam iniusto: vel si quis voueat nudus peregrinari: in his enim, & similibus practicanda est doctrina tradita, videlicet quando materia voti includit licitum & illicitum, votum obligat ad licitum, non ad illicitum: nisi principalis ratio vouendi fuerit prauitas materiæ, seu turpe motiuum, vel nisi de intẽtione vouentis constet fuisse non obligari ad vnam partem sine connexione alterius, vel quasi sub conditione illius. Denique omnia, quæ modò dicebamus quando materia integra est impossibilis, & quæ dicemus disputatione sequenti, huic rei applicanda sunt. 7

DISPVTATIO VI.

Affinis præcedenti. An votum de non peccando sit validũ?

ET videtur vera pars affirmatiua: quia nõ peccare subest humanæ voluntati, aliàs peccare non imputaretur volenti delinquere: ergo potest esse materia voti, de cuius ratione est esse voluntarium: confirmatur: quia non peccare est legitima materia præcepti. Certum est enim præceptum esse de non peccando: ergo potest etiam esse materia voti. *Pro parte negatiua facit*: Nam totam collectionem peccatorum vitare est impossibilile fragilitati naturæ lapsæ: at votum de re impossibili non est validum, vt in præcedenti disputatione docuimus: ergo. 1

Pro decisione *dico primò*. Votum nunquam peccandi mortaliter validum est. Ita Soto *lib. 7. de iustitia*, quæst. 1. art. 3. & post eum omnes discipuli D. Tho. Nauarrus *ca. 12. num. 63.* ait huiuscemodi votum esse de re adeò difficili, vt vel non obliget, vel facilè dispensandum. Sed priorem eius dicti partem non approbamus. Etenim quia licèt non peccare mortaliter sit impossibile per naturam, est tamen possibile per Dei gratiã, q̃ præsto adest non reijcientibus ipsam. Quidam sub distinctione loquuntur: nam 2 *Sotus. Nauarr.*

uam si vouens non peccare lethaliter, constans sit, votum validum est: si verò fragilis, & qui sæpe solet occumbere; votum vt pote de re difficili, & moraliter illi impossibile, inualidum est. Distinctio non placet: quia cuique etiam fragili, nisi velit diuinum auxilium paratum abijcere, possibile est etiam moraliter non peccare mortaliter. Assentior autem Nauarro in eo, quod ait, esse sufficientem rationem, vt tale votum dispēsetur propter periculum: Imò consultum est, tale votum non emittere propter idem periculum: quia rari sunt, qui in omni ocasione gratiæ diuinæ auxilium amplectantur, maximè fragiles.

3. *Dico secundò.* Votum nunquam peccandi venialiter inualidum est: quia est de re moraliter impossibili, non solùm per naturam, verùm neque per gratiam ordinariam, secluso specialissimo priuilegio, quod fortassè soli Dei Genitrici concessum est. *Quidam* moderantur hoc dictum & aiunt votum de non peccãdo venialiter ex deliberatione ac plena aduertentia non esse inualidum, licèt sit minus expediens, minusque consulendum, quàm præcedens: ita Suarez *tomo. 2. de Religione lib. 2. de voto cap. 3. numero. 4.* Ratio eius est quia id quod fit deliberate, potest natura humana lapsa vitare, & non vitare, & ex parte diuinæ gratiæ etiam possibile est: nec ad hoc indigēt homines priuilegio, sed sola diuina gratia ordinaria, & quia multi per totam vitam his peccatis venialibus vitatis vixerũt. Mihi verò omnia eius autoris fundamenta falsa videtur, quæ confutare non est huius loci: & censeo absolutè esse dicendum, vota de nunquam peccando venialiter, imò & votum nunquam peccandi venialiter ex deliberatione, nedum ex surreptione, qualis reperitur in motibus primo aut secundò primis, nō esse validũ propter impossibilitatē moralē ea peccata, vitãdi, iuxta illud: *septies in die cadit iustus,* & illud 1. Ioannis 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus ipsi nos seducimus:* quod etiam de tota collectione quorumcunque venialium puto esse intelligendum.

Suarez.

1. Ioan. 1.

4. Et Conciliũ Tridentin. *Sessione 6. can. 23.* multum fauet nostræ assertioni, dum anathema indicit ei, qui dixerit hominem in tota vita posse vitare omnia peccata, etiam venialia, nisi ex speciali Dei priuilegio. Et non distinguit Synodus de collectione deliberatorum venialium, aut ex surreptione: & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Item: quia quidam censēt, & non ineptè, esse moraliter impossibile vitare peccatum omne mortale: ergo potiori ratione id dicendum de peccatis omnibus venialibus, etiã quæ non fiunt ex surreptione.

5. Contra secundum dictum *obijcitur.* Homo ex lege naturali, & diuina tenetur vitare omnia peccata venialia, non solùm diuisiuè, verùm & collectiuè: ergo signum est illud obiectum non esse impossibile; quia lex non est de re impossibili: ergo esse etiam potest materia voti. *Confirmatur:* nam possibile est habere propositum absolutum nunquam peccandi venialiter, qui enim propositum contrarium haberet, non esset immunis à peccato: ergo potest saltem illud propositum esse voti materia. *Respondetur primò*, non dari vnam legem obligantem ad vitanda omnia peccata venialia, atque ita neque posse dari vnum votum. *Respondetur secundò.* Dato posse esse vnam legem de vitandis omnibus venialibus (quæ tamen non extat) & concesso illud obiectum esse possibile metaphysicè loquendo, non tamen est possibile moraliter: quia humano modo fieri nequit, neque fieri vnquam contingit, nisi ex priuilegio speciali: illa prior possibilitas obiecti sat est ad legem diuinam, & naturalem: hæc posterior necessaria est ad votum.

Ratio discriminis est: quia lex naturalis, & diuina dumtaxat respiciunt conuenientiam naturæ humanæ ad obiectum præceptum, non attendentes ad impedimenta ex parte fragilitatis naturæ, & ad rebellionem carnis, & huiusmodi: vnde ea obiecta reputant possibilia, quæ absolutè, & metaphycè sunt possibilia. At verò votũ, sicut & lex humana, nō solũ attēdunt præfatã cōuenientiã naturæ humanæ ad obiectum, verũ & potestatem, ac possibilitatē metiuntur, attenta fragilitate naturę & coniunctione spiritus ad carnē. Quare in suo obiecto exigunt non solùm possibilitatem metaphysicam, sed etiam moralem: id est quod obiectũ sit possibile fieri humano modo: sic autem non est possibile homini in natura lapsa vitare omnia venialia collectiuè, nisi ex priuilegio speciali: vnde neque de hac vitatione potest fieri validum votum. Ad confirmationem negatur antecedens: quia sicut homo non potest vitare omnia venialia, ita neque habere propositum vitandi omnia.

Dices. Potest homo habere propositum vitandi, quantum sibi possibile fuerit omnia venialia, & hoc ipsum vouere: & tunc validum erit votũ: quia de obiecto possibili. *Respondetur* negando consequentiam: quia ad propositum habendum non est necesse hominē agnoscere determinatè, quæ proponuntur facienda, vt quando quis proponit sanctè viuere. Cæterùm ad votum emittēdum non sat est rem esse in communi, & in confuso possibilem; sed vlterius necesse est fieri de rē determinata, quæ moraliter loquendo possit agnosci saltem probabiliter cum impletur: aliàs homo vouēs anxius sēper esset de impletione sui voti. Obiectum autem illius propositi valde cōfusum est, & incertum, quis enim hominum cognoscere valet, an faciat, quod in ipso est ad vitanda omnia venialia peccata, maximè ea, quæ per surreptionem committuntur?

Contra idem secundum dictum est *obiectio:* nam ex eo & dictis in explanatione eius sequitur, non solum votum de nunquam peccando venialiter esse inualidum, sed etiam de non peccando venialiter in certis materijs: verbi gratia votum de vitãdis omnibus motibus secundò primis cōtra castitatē, vel cōtra fidē, vel temerarias cogitationes indeliberatas cōtra proximũ. Cōsequens videtur falsum: ergo. *Probatur* sequela: quia non minus impossibile est homini cauere hos motus in vna materia, quàm in omnibus. Etenim impossibilitas cauendi omnes motus secundò primos in omni materia, non solùm sumitur ratione 6.

rationis in materia, ad quam natura lapsa propensa est. *Probatur* minor, alias votum castitatis non includeret hos motus sub materia sua: & consequenter si quis Religiosus per surreptionẽ peccet venialiter in materia castitatis, non peccabit contra Religionem, neque grauius, quã non habens castitatis votum; quod absurdũ videtur.

Respondetur. Argumento conuincor quod si quis faceret votum seorsum de vitandis motibus secundò primis in materia castitatis: & similium, ita ꝙ tota, & integra materia voti esset vitare eos motus, non esset validũ votum: at si quis emittat votum castitatis, & peccet admittẽdo motus secundò primos contra eandem castitatem, peccabit contra votũ castitatis venialiter propter imperfectã transgressionẽ voti, quod versatur circa materiã studiosã, & de se plenè deliberabilẽ: Nã tunc per naturalem consequutionẽ in actu indeliberato potest inueniri venialis culpa circa tale votum. Ita enim fit de illo obiecto votum, sicut solet præceptum, vel consilium fieri: & ideò sicut præceptum suo modo etiam actus imperfectos prohibet, ita & votum, quod in particulari materia non est inconueniens, esset autem magnũ in vniuersali materia omnium peccatorum.

7 *Tertio dico*. Votum de nunquam peccando absolutè, & quocunque modo non est validum. Ita communiter omnes. Sotus, Nauarrus, Aragon, Valencia, & alij: & videtur sequi manifestè ex præcedenti dicto: quia impossibile est vitare omnia peccata, etiam venialia, nisi ex speciali priuilegio concesso soli Beatæ Virgini, vt Concilium Tridentin. diffinit, & Mileuitanum antea diffinierat *can.6.7.& 8.* ergo tale votum vtpote de re impossibili inualidum est.

Circa hoc tertium dictum est dubitatio mota ab omnibus citatis autoribus. *An isto votum de nũquam peccando non obliget ad obseruationem totius materiæ in eo voto inclusæ, saltem obliget ad partem possibilem*, sicut supra disputatione præcedenti dicebamus de voto, cuius vna pars est impossibilis, & altera possibilis; Et communis sententia est, tale votum non esse validum, neque obligare ad partem possibilem. Oppositam sententiam

Suarez. tuetur Suarez. lib.2. *de voto ca.3 à num.13. vsque in finem*, dicens votum de nunquam peccando obligare ad vitãda omnia peccata deliberata, vel saltem mortalia. *Probat*: quia hæc pars illius obiecti possibilis est, & non est per se connexa cum alia parte impossibili. Item, quia intentio vouentis videtur illo modo interpretanda secundum intellectũ in casu nõ multũ dissimili approbatũ in cap. *ad nostram.3.* de iureiurando. *Tertio*. Qui vouet confiteri omnia peccata venialia, licèt non obligetur ad cõfitẽda omnia, quæ per surreptionẽ committuntur, aut memoriam fugiunt, saltẽ tenetur ad omnia, quæ post moralẽ diligẽtiã memoriæ occurrunt: ergo & votũ nõ peccandi, licèt ad totum non obliget, obligare poterit ad possibile moraliter cum diuina gratia, quale est vitare omnia peccata, quæ cum deliberatione integra & sufficiente ad peccandum mortaliter in materia graui committuntur.

8 Mihi non placet à communi sententia tot & tam insignium virorum recedere, & existimo tale votum non esse validum, neque obligatorium ad seruandum partem possibilem. Rationes quibus mouentur præfati autores libet adducere: præcipuè, quia dicto Suarez displicent, & earum vim conabor ostendere. *Prima ratio*, quia tale votum est adeò imprudens, vt censeri debeat esse nullũ: quæ certè non est efficax, nisi adiunctis sequẽtibus: nã imprudẽtia nõ tollit votorũ valorẽ. *Secunda*: quia hoc votum est de toto illo obiecto impossibili per modum vnius integræ materiæ, cuius partes nõ intenduntur, nisi vt totum componunt, scilicet integram innocentiam, & carẽtiã culpæ. Hoc impugnat præfatus: nam qui sic vouet, potius intendit omnia & singula diuisim vitare; vnde non intẽdit collectionẽ, nisi vt quandã multitudinem, vel numerum, cuius singulæ partes per se intenduntur. *Secundò* conatur vim huius rationis eneruare adductis similibus de vouente castitatem, qui nõ collectionem tantũ, vt sic, sed singula peccata in illa materia vitare promittit; & qui vouet nunquam peccare mortaliter, non solum carentiam totius culpæ collectiuæ, sed etiam singularum intendit ac promittit; nam proprium eius motiui est vitare offensionem Dei, quæ in singulis culpis inuenitur.

Pro solutione horum, & similium, & vt penetres fundamentum sententiæ Soti, & aliorum, aduerte signum ad dignoscẽdũ quando aliquod totum compositum ex possibili, & impossibili est integra materia voti per modũ vnius: an verò totum à vouente per se primò intenditur, secundariò autem partes: tũc materia integra voti est ipsũ totũ; quod si sit impossibile fieri, votũ de illo toto est nullũ: si verò partes per se primò intenduntur, cõpositum verò secundariò: tunc quãuis totũ sit impossibile, si aliquæ partes sint possibiles, voti valor sumitur ex parte, vel partibus possibilibus. *Exemplum* primi est in voto nunquam peccãdi, quod cadit per se primò supra illud totum: *Nunquam peccabo*, quia vouens per tale votum intẽdit per se seruare se immunem ad omni culpa, & quia hoc nequit fieri sine vitatione singularũ culparum, id secundariò intenditur. *Exemplum* secundi, in voto ieiunãdi totam Quadragesimam, quod cadit primò, & per se supra ieiunia singulorum dierum, & secundariò supra illud totum: *Volo ieiunare per totam Quadragesimam*. Hoc autem esse verũ agnoscitur ex fine emittentis illud votũ qui est maceratio carnis, quæ certè non fit per se primò à ieiunio Quadragesimali, vt sic, sed à ieiunio singulorum dierum. 9

Hoc supposito dico ad primam replicam præfati contra secundam rationem nego antecedens, & probationem eius: qui enim facit votum nunquam peccandi, non intendit per se primo vitare singula peccata; sed potius secundariò, vt cõponunt totum; quia finis eius est immunẽ se seruare ab omni labe peccati. *Dices*: ergo qui facit votum de non peccando mortaliter, si semel frangat illud, non tenebitur amplius seruare votum: quia iam impossibile est illi innocentiã seruare. *Respondetur*, negando cõsequentiam, quia communiter mẽs vouẽtis nõ peccare mortaliter, nõ est seruare inno- 10

innocentiam illibatam, ita vt si semel corruat, nõ teneatur voto: sed sic seruare innocentiam, vt si semel succũbat peccato, posteà resurgens à peccato, ad eandem seruandam conetur. Nec similia adducta contra illam rationem probant: nam illud votum de castitate seruanda negatiuè explicatur, id est, *Promitto non vti venereis actibus*; ac proinde immediatius fertur ad actus, & partes ibi inclusas vitandas, quã ad castitatem in communi, vt totum est: finis enim illius voti est munditia mentis, & corporis, quæ per singulorum Venereorum vitationem primò, & per se acquiritur, secundariò, inde resultat castitatem seruare. Secùs contingit in voto nunquã peccandi, vt declaratũ est. Et ad aliud simile de voto non peccãdi mortaliter, iã dictũ est, quæ omnia intelligẽda sunt, vt cõmuniter fiunt, vel intentantur fieri hæc *vota: nam ex* intentione vouentium posset hic ordo immutari, sed nos nõ loquimur in hoc casu.

11. *Tertia ratio* pro sententia Soti, & aliorum egregia est ex regula superius posita. Nã quoties materia voti est totum aliquod impossibile, etiam si constet ex partibus possibilibus, si tamen non est maior ratio vouendi vnam, quàm aliam, votum ipsum inualidum est, & non obligat ad partes possibiles, sed quando emitteretur votum de non peccando, non est maior ratio de vno peccato vitãdo, quam de alio: ergo votum illud non obligat ad vitandum peccatum possibile vitari. Hanc rationem conatur debilitare præfatus dicẽs: regulam esse intelligendam, quando prudenti arbitrio non potest fieri determinatio ad vnã partẽ possibilem magis quam ad aliam: v.g. qui vouit ieiunare totam Quadragesimam, & prudenti arbitrio potest tres dies in qualibet septimana ieiunare, tenetur.

Item si quis vouit alere decem pauperes, & nõ potest alere nisi vnum, tenetur. Ita, inquit, qui vouit nunquam peccare, cùm non possit in hoc totum, prudenti arbitrio potest determinari, quod potest vitare mortalia, & aliqua venialia: & illa ex vi voti præfati tenebitur vitare.

Certè, si res benè inspiciatur, neganda est consecutio ab illis votis ad istud, de quo disputamus: tum propter fines diuersos istius, & illorum votorum, vt dictum est: tum quia moraliter loquẽdo potest prudenti arbitrio determinari possibilitas istius vouẽtis ad tres dies, & alterius ad quinque, &c. & designatio materialis istorum dierũ relinquitur arbitrio vouentis. At vix potest intelligi, quo modo prudenti arbitrio determinetur hunc vouentem posse vitare murmurationes & non mendacia, posse fornicationem, & non superbiam.

12. *Dices*, posse determinari ad hoc quod est non peccare mortaliter, sed iam cessat finis illius voti de nunquam peccando propter seruandam immunitatem ab omni peccato, cuius gratia votũ illud emissũ est. Item præter vitationem peccati mortalis, aliorũ venialiũ vitatio possibilis est: ergo ad eã teneretur vouẽs ex vi illius voti: quæ determinatio etiam prudẽti arbitrio nequibit fieri. Prętereа: quia quãtũ ad obseruationem, idẽ esset vouere nunquã peccare, neque venialiter, & vouere non peccare mortaliter, quæ longe esse diuersa perspicuum est.

Hinc patet ad argumenta præfati Autoris. Ad primum concessa maiore, & minore negatur consequentia. Tum, quia intentio vouentis ad totũ impossibile primò, & per se directa est: vnde cum tota materia impossibilis sit, & votum in illa feratur per modum vnius; si illud impossibile est; obiectum impossibile est, & consequenter votũ nullum: tum, quia cùm non sit maior ratio, quare votum obliget ad vnam partẽ, quam ad alias, ad nullam obligabit. *Ad secundum* negatur antecedens, neque fauet capitulum citatum: quin potiùs, si attẽtè legatur, oppositum colligitur: dicit enim, quod si ille iurans habuit intẽtionem promittendi totum quod in obiecto promissionis includebatur; nempè quoddam illicitum, periurus erat, & iuramentum nullius valoris. *Ad tertiũ* negatur consequentia, quia in casu antecedentis benè fit determinatio ad quædam venialia prudenter arbitrando; non verò in voto non peccandi, vt declaratum est. Circa quartam conclusionem sit 13.

DISPVTATIO VII.

An de actibus, qui sunt in præcepto possit fieri votum?

VIdetur vera pars negatiua, ex c. *Quia circa*, de bigam. vbi accessus clerici ad concubinam simplex fornicatio vocatur, tanquam non comprehensa sub voto, & cap. *Presbyter*, distinct. 28. 1.

Secundò arguitur ratione: votum est opus consilii: ergo vt materia eius sibi proportionetur, etiam debet esse consilij opus, non præcepti.

Tertiò Votum obligationem inducit: ergo nõ supponit illã; nemo enim promittit alteri, quod iam illi debebat. §. *Sed si rem*, & §. *Ex contrario*. instit. de legatis.

Quartò. Qua ratione admittitur votum fieri posse de re, alias præcepta, possent de eadem re innumera vota multiplicari, quod est asurdum. *Confirmatur*. Si esset aliqua lex humana, quæ iuberet non fornicari, nullam obligationem induceret supra diuinam, & naturalem, quæ idem præcipit: sed votum nihil aliud est, quam quædã lex particularis, quã homo sibi imponit: ergo.

Quinto. Vouens rem ante præceptam iure naturali, & diuino irrogat Deo iniuriam: nã sic vouens addere conatur obligationem obligationi pręcepti: ac si legis obligatio non esset sufficiens, & maiorem vim tribuit suæ voluntati, quam diuinæ legi, quod non mediocris iniuria Dei est.

Vltimo. Votum debet esse de meliori, vt ferè omnes Doctores infra citandi dicunt: at opera consilij, & supererogationis dicuntur meliora bona: ergo.

De hac re quorundam antiquorum opinio fuit. Actus virtutum, qui in præcepto sunt, non posse cadere sub voto. Ita Gerson. 3. *p. alphab. 67. liter. S. & latius. 2. p. alpha. 25. T.* vbi concludit vxoratum habentem votum castitatis non peccare 2. *Gerson.*

care petendo debitum. Item Religiosum, vel Sacerdotem fornicantem, non agere contra votũ. Tabien. Idem tenet Tabiena, *Votum.1.num.2.&* Supplem. Supplementum Gabrielis *in 4. distin.38.q.1.art.3.dub.3.* D.Tho. *concl. 5. & distinctio. 24. articul. 3. dub. 3. in fin.* Imòquod magis vrget D. Tho. in 4.*d.38.q.1.art.* 1. ait de necessarijs ex præcepto non fieri proprium votum, sed commune, & improprium, & votum analogicè dici de voto rei aliàs præceptæ, & de voto rei, quæ tantum est in consilio: & in solutione ad secundum, indicat peccatum contra tale votum non addere specialem deformitatem. Idem sentiunt Albertus, & Richardus.

Pro decisione sit *prima assertio* Catholica. De actibus virtutum, qui sunt in præcepto, vera vota laudabiliter emittuntur. Ita D.Tho. in hoc art. & omnes post ipsum, & ex vsu ab Ecclesia approbato habetur; præcipuè constat ex vsu Ecclesiæ approbantis votum castitatis, cuius obiectum aliàs in præcepto est: quare sententia Gersonis sustineri nequit, quam meritò erroneam vocat Castro *lib.1. de lege pœnali, c.10. non longè* Castro. *à principio.* Ex qua assertione colligitur, violationem præcepti voto confirmati addere nouam malitiam contra religionem, & fidelitatem Deo debitam, vt est certum de fornicatione contra votum castitatis ex cap. *Impudicas.*27. quæstio.1. vbi fornicatio monachi sacrilega contagio dicitur, & in cap. *Virgines.* eadem, &c. *Sciendum*, eadem causa, & quæstione. sacrilegi vocantur violatores sacrarum virginum: ergo à fortiori etiam ipsæ sacrilegæ sunt: vide ad hoc multa *distinct.*81. Similiter sequitur coniugem vouentem castitatem, vel eum qui post votum castitatis, vxorem duxit, teneri ad non petendum debitum, quod receptum est à Theologis *in 4. distinct.32. &* Iurisperitis in cap. *Rursus*, qui clerici, vel vouentes, & in cap.3. de conuersi. coniug. quare etiam in hoc fœdè errauit Gerson allatus.

Secunda assertio. Votum de actibus, qui sunt in
3 præcepto, est verè, & propriè votum, & vniuocè cum votis, quæ fiunt de operibus supererogationis. *Probatur*, ex D.Th. in hoc articulo expresse asserente de necessarijs ex præcepto fieri votum; & addit ea esse materiam voti, non vt necessaria sunt, sed vt sunt voluntaria. Ex quo sumitur argumentum; quia ea vota voluntaria sunt: ergo sunt vera vota. Item, quia veræ promissiones, & voluntariæ de his emittuntur: ergo vniuoce vota sunt cum alijs, quæ fiunt de bonis supererogationis. Huic assertioni aliqui contradicunt moti testimonio citato *ex 4. sentent.* & aliis Doctoribus scholasticis *ibidem.*

Respondetur tamen D. Tho. in 4. vocare ea vota non propria, vt proprium opponitur metaphorico, sed vt opponitur communi. Itaque vota huiusmodi vocantur cõmunia, quia materia illorum cõmunis est præceptis, & votis: at verò votorũ circa cõsilia materia, propria est votis: nõ verò præceptis: quia ante votum tantum erat materia supererogationis. Illud verò, q dicit nõ esse vniuocè vota cum his, quæ de bonis supererogationis fiunt, intelligendum est de vniuocatione quadam physica, & imperfecta; iuxta ea quæ modò dicebamus. Id verò quod insinuat non addere hæc vota nouam speciem honestatis, non sunt intelligenda de votis circa materiã aliàs præceptam, sed loquitur de voto, quod dicitur fieri in baptismo, vt patebit attentè legenti: quia hoc non est verè, & propriè votum, vt dicemus: & similiter interpretandi sunt Autores alij in contrarium citati, & alij, si quid simile videantur dicere.

Ad primum initio positum conflatum ex mul- 4
tis iuribus, respondetur. Ad capitulum. *Quia circa.* dico accessum clerici ad concubinam vocari simplicem fornicationem in ordine ad bigamiam inducendam: simplicem, inquam, ex parte affectus, & modi talis culpæ, & vt distinguitur à copula maritali, vel quæ fit cũ affectu maritali, iuxta capitulum, *Nuper*, eodem titulo de bigamis; non tamen dicitur simplex ad excludendam malitiam contra religionem: quod bene aduerterunt Hostiens. Panormit. & alij Iurisperiti docentes clericum in sacris accedentem ad solutam, peccare contra Religionem. Item cap. *Presbyter*, dicitur fornicari cum soluta congrediens, ad distinguendum talem accessum ab adulterio eiusdem. In vtroque enim peccato inuenitur materia sacrilegij, & supponitur in vtraque voce; solum ergo vsurpantur ad explicandum differentiam in materia iniustitiæ.

Ad secundum negatur consequentia: quia pro- 5
portio in hoc seruari debet, vt sicut votum est voluntarium, & liberum, ita & materia eius: saltem quãtum ad modum, qui non est præceptus: putà vt quid pertinens ad Religionem: actus enim alias præceptus post emissum de illo votum ad Religionem pertinet.

Ad tertium negatur consequentia: quia frequens est obligationem superaddi obligationi, maximè quando sunt diuersarum rationum: nam ad ea quę aliàs seruare tenebamur, superaddimus iuramentum: vt patet in cap. *Ego enim*, de iureiurando, cap. *Cum in Ecclesia*, de maior. & ob id cõfessores sæpè in pœnitentẽ iniungunt auditionẽ Missæ, vel aliud onus pertinẽs ad Religionẽ.

Circa *quartum argumentum* aliqui concedunt quod pro inconuenienti infertur: maxime si repetens sæpè idem votum, intendat nouam super se obligationem imponere. Sed *melius respondetur* negando illatum: nam obligationes si sunt omninò eiusdem rationis, non multiplicantur circa idem: vt inter homines, si rem vendidi, aut promisi Petro: licet iterum vendam, aut iterum promittam non additur noua obligatio, neque alter acquirit nouum ius: sicut etiam si semel rem donaui, non possum iterum donare. *Ratio est*: quia primus actus efficit totam obligationem possibilem in illa specie, & ideò nouus actus similis non inducit nouam obligationem. Et sic sunt interpretanda iura allata in argumento præcedenti.

Dices: ergo inutiliter à quibusdam vota iam facta repetuntur. Negatur consequentia, quia id fit non ad superaddendam nouam obligationem, sed ad firmandam priorem; & vt meminerint vouentes, cuius rei debitores sunt.

Ad

6 *Ad confirmat.* vt respondeamus est *aduertendũ*, quod leges humanæ de nouo positæ ad præcipiendum id, quod lege naturali, aut diuina erat præceptum, sunt in duplici differentia. *Quædam* enim sunt, quæ actum præceptum non transferunt in aliam speciem sed in eadem relinquunt. Et huiusmodi leges nullam aliam obligationem inducunt vltra naturalem, aut diuinam; vt v.g. est lex naturalis, quæ præcipit non occidere, & præterea lex humana idem præcipit grauissimis impositis pœnis contra occisores: & quia huiusmodi lex posterior non transfert priorem actum in aliam speciem, nullam aliam obligationem inducit vltra naturalem: & sic peccans contra has leges tantum peccat vno peccato. *Aliæ autem leges* humanæ sunt, quæ adiunctæ legibus naturalibus: actus illarum transferunt in aliam speciem: & hæ nouam obligationem inducunt supra legem naturalem, vt v g. est lex naturalis præcipiens alienum restituere: si postea Prælat[9] in virtute obedientiæ præcipiat, vt ablatæ rei fiat restitutio: quia huiusmodi præceptũ, & lex mutat speciem prioris actus, fit, vt nouam inducat obligationem supra legem naturalem. Quare nõ restituens peccabit duplici peccato, vnum iniustitiæ, alterum inobedientiæ; quorum quodlibet debet necessario in confessione explicari. Vnde quia votum accedens ad id, quod homines ex lege naturali facere tenentur, mutat actus speciẽ, & facit quod id, quod antea erat in virtute temperantiæ, fit in virtute religionis, fit, vt inducat nouam obligationem: & per hoc patet solutio ad argumentum.

7 *Huic responsioni videtur obstare.* Nam ex ea sequitur, quod si votum emittatur de actu Religionis præcepto, vt de audienda Missa in die festo, non inducit nouam obligationem: quia obligatio præcedens: & subsequens sunt eiusdem rationis: scilicet religionis. Consequens videtur falsum quia aliàs violans illud votum non teneretur pandere eam circumstantiam in confessione: quod non videtur admittendum. *Respondetur* cõcedendo sequelam; nõ enim qui tenetur recitare Horas Canonicas, si faciat votum, nouam super se inducit obligationem: nihilominus circunstãtia hæc aperienda esset in confessione; quia notabiliter aggrauat intra eandem speciem.

8 *Ad quintum*, nego vouentes rem alias præceptam vllam Deo irrogare iniuriam: imò non mediocrem honorem. Et ad probationem, quod profitentur legem Dei esse insufficientem ad nos Deo obligandum, respondetur esse sufficientissimã de se, & potente ad Deo nos obligandum, sicut ipse vult nos obligare relinquendo nos in libertate obediendi, & non obediendi legi: at verò non est sufficiens ad vim inferendum, & velimus nolimus nos Deo religare; neque hanc sufficientiã Deus suis legibus indidit cũ posset: & ideò nos consulentes nostræ fragilitati varijs, ac multis nos Deo religam[9], quãdo obligationi legis superaddimus voluntariè aliam obligationem, scilicet voti.

9 *In vltimo* argumento exigitur explicatio illius communis dicti, votum necessariò debet esse de meliori bono; quod receperunt omnes Doctores scholastici *in 4.d.38.* præcipuè D. Tho. à qua sententia non abhorret in hoc articulo, quando in fine ait, votum propriè debere esse de meliori bono. Prima expositio est nomine melioris boni esse intelligenda opera supererogationis, & consilij: quæ ideò dicuntur esse meliora bona: quia ad melius esse cõsuluntur, sed nõ præcipiuntur. *Ista expositio*, si vt iacet sumatur, falsissima est, vt patet ex dictis. Etenim ea, quæ sunt de necessitate præcepti, cadunt sub legitima materia voti. Secunda expositio est, vt per maius bonum intelligatur opus supererogationis: quæ explicatio citrà dubium est D.Th. in hoc artic. vt patebit legenti: sed axioma profert cum limitatione, videlicet votum propriè loquẽdo debere esse de meliori bono, id est, de opere supererogationis: illud aduerbium, *proprie*, limitat primam expositionem: quod vt bene notauit Caiet. nõ accipitur, vt opponitur metaphorico, sed vt opponitur cõmuni: & sensus: est materia propria voti, id est nõ communis præceptis, & votis, debet esse de opere supererogationis: cum quo tamen stat, vt de præceptis fiat proprium votum: id est, non metaphoricum. *Tertia expositio est*, vt per melius bonum intelligatur quodcunque opus bonum, quod sine impedimento maioris boni fieri valet: ita vt illa cõparatio nõ fiat ad præceptũ, nec ad quodvis aliud maius bonum; sed ad oppositum, & ad repugnans tali bono. Videtur hoc insinuare D. Bonauent. *in 4. dist.38.* valeat quantũ valere potest. Nam licèt veram contineat doctrinam interpretatio, nõ vsque adeo germana apparet: mihi magis arridet expositio D.Tho. qua admissa nil contra doctrinam traditam. Circa quintam conclusionem est Bonau.

DISPVTATIO VIII.

An de operibus, quæ consilijs opponuntur, possit emitti votum?

HVius disputationis materiam nobis suppeditat expositio illa Bonauenturæ nuper allata circa finem præcedẽtis disputationis, & quinta conclusio D.Th. dicentis votum debere esse de meliori bono: certum est autem opera consilijs opposita non esse meliora bona. 1

Et videtur vera pars affirmatiua: quia quod licet facere cum merito corã Deo, & in eius gloriam referre est legitima materia voti: sed multa sunt opera studiosa, quæ Deo placent, & in Dei gloriam referũtur, vt ducere vxorem, nõ mutuare, quæ certum est aduersari operibus consilij, & supererogationis: ergo de his validè & licitè possunt emitti vota. *Maior probatur*: quia non est maior ratio de promissione, quàm de donatione, seu actuali obligatione: imò videtur esse minor, cum promissio ad donationem ordinetur: ergo id, quod licet facere, quod est quasi donare, licet promittere, quod est vouere. 2

Secundo. Si non liceret vouere opera opposita consilijs, ob id esset quia sunt impeditiua maioris boni; sed hoc nō obstat; aliàs quotiescunque actus bonus impedit meliorem, votum de illo factum non obligaret, vt si quis vouit legere impedit contemplationem, & si vouit eleemosynam tali pauperi, fortasse esset melius dare magis indigenti: & sic de alijs: consequens autē falsū videtur, aliàs vix reperiretur votum de opere supererogationis stabile, quia nullus ferè actus est, qui non impediat meliorem.

Tertio. Votum de seruiendo perpetuò in hospitali est validum, vt constat apud omnes, & tamen impeditiuum est cōsilij Euangelici, videlicet ingressus in Religionem.

Quarto. Nullus actus magis impeditiuus est maioris boni, putà status religiosi, quàm matrimonium contrahere, sed de hoc potest fieri votum: ergo.

3 Pro decisione præmittenda est declaratio tituli disputationis, *& aduertendum primo*: quid nomine consiliorum intelligatur: etenim consilia; id est opera studiosa, quæ non sunt in præcepto quodam tantùm abest vt sint impeditiua maioris boni, quod sunt aptissima instrumenta ad cōsequendum vitæ spiritualis perfectionem. Huiusmodi sunt abrenuntiatio tēporalium, custodia castitatis, & obedientiæ, ꝓfessio; quæ per anthonomasiam dicuntur consilia Euangelica, & sunt præcipua materia votorum religiosi status. *Alia sunt consilia*, id est opera quædam studiosa, quæ nō sunt in præcepto, nec de se impediunt maiora bona, quæ licet non pertineant ad statum perfectionis, vt eius instrumenta, sed ad communem statum virtutis: tamen operibus consiliorum annumerantur, vt ieiunare, eleemosynam facere, orare, & similia: quando ergo in titulo disputationis dicitur, An opera opposita cōsilijs possint esse materia voti? fit sermo de consilijs in vtraq; acceptione.

Secundo nota, aliquem actum bonum, vel saltem nō malum ex obiecto quadrupliciter posse cōsiderari, vt oppositum cōsilio. *Vno modo* contradictoriè: sicut non ingredi Religionē opponitur consilio ingressus religiosi, & nō dare eleemosynā opponitur contradictoriè cōsilio porrigendi eleemosynam. *Secundo modo*, potest esse hęc cōtrarietas non formaliter, sed secundum quandam incōpossibilitatem; eo ꝙ actus vnius virtutis est incōpossibilis cum consilio aliquo: & hoc dupliciter. *Vno modo*, quando actus minoris virtutis nō reponit hominem in statu, vel quasi statu nō exequendi in futurum opus melius, sed duntaxat ꝓ certo tempore, quo exercetur: vt si quis indulget literis, & tunc necesse est nō vacare cōtemplationi. *Secundo modo*. Quando actus minoris virtutis reponit hominem in statu incompossibili, etiam in futurum non exequendi actionē meliorem, vt seruire perpetuò in hospitali impedit ingressum Religionis. *Tertio modo* vnus actus virtutis opponitur cōsilio: quia præstat impedimentum perpetuum ascendendi ad altiorem statum, vt contrahere matrimoniū vetat ne homo possit ad altiorem statum Religionis conuolare.

Loquimur autem in hac diuisione de actionibus, quæ præcisè sunt oppositæ consilijs. Sunt etenim aliquæ ꝗ opponūtur simul cōsilijs, & præceptis, vt nunquam mutuum, aut eleemosynam, etiam in graui necessitate dare. Et de his quatenus præceptis opponuntur suprà dictum est neutiquam esse posse, voti materiam: sed disputatio præsens duntaxat est de his quatenus solum cōsilijs opponuntur.

His prænotatis sit *prima assertio*. Vota de rebus oppositis negatiuè materiæ consiliorum sunt omnino inualida: v.g. votum de non ingrediendo Religionem, vel nō mutuandi. *Probatur*, quia obiectum talium votorum est ingratum Deo ad consilia vocanti, & qui sic voueret poneret obstaculum Spiritui sancto ascensiones ad meliora inspiranti. Item: si Deus acceptaret huiusmodi vota ad duo opposita formaliter inclinaret, nam ex vna parte suadet consilia sequi, & ex alia ad obseruationem voti impelleret. 4

Secunda assertio. Vota eiusmodi possunt esse valida, & licita cum aliqua moderatione, & circūstantia, ratione cuius illud opus, quod prima facie videtur oppositum consilio, nequaquā ei opponitur, sed potius consilium est: v.g. si aliquis nimis præceps in vouendo faciat votum de non vouendo, nisi adhibitis testibus, vel ex consilio prudentū. Item: si quis fideiubendo in discriminatim magnam partem sui census perdidit, poterit iste facere votum validum de nō fideiubendo indiscriminatim pro omnibus, sed attentis circūstantijs temporis, loci, & personarum, sic enim vouere cōsilium est. Item: si quis videns se fragilem valdè in seruanda castitate, aut subiectione, prudenter existimat, sibi Religionem nocituram, poterit emittere votum de nō ingrediendo Religionem, quousq; fragilitati medeatur, & puto votum esse validum. *Præterea*: si quis vouerit nō ingredi Religionem, vbi seruatur paupertas quousq; parentes alendi moriantur; & sic de alijs iudicato. *Probatur assertio*, quia huiusmodi vota nō sunt de operibus oppositis consilijs, sed potius de alijs consilijs. Nam negationes illæ sic moderatæ consilia sunt satis prudentialia.

Tertia assertio, appendix ad immediatè præcedentē. Si quis post emissum votum de nō vouendo, nisi apposita circumstantia, quæ faciat negationem cōsilij esse opus cōsilij, voueat nihilominus prætermissa circūstantia, quamuis sic vouēs peccet grauiter contra primum votum, si tamen voueat rem licitā, votum est validum: quia votū de re licita ex iure diuino, & naturali validū est, & nullus per oppositam conditionem potens est illud abrogare. 5

Quarta assertio. Votum de opere supererogationis quis de pſenti, & quādiu existit, sit incōpossibile cū alio opere meliori, validum est. Huius rei exempla adducta sunt in argumento secundo initio disputationis posito, vt si quis voueat studere, tunc quando studet, auocatur à meliori bono, puta contemplari. *Assertio palam fit* ex citato argumēto secundo, & ratio à priori est: quia huiusmodi vota de actibus minus perfectis non semper reddunt personam impeditam ad meliora, 6

liora, licet actu non sunt compossibiles; cæterum obstante tali voto potest homo relicto minori bono melius exequi: per commutationem, scilicet, quam propria voluntate potest facere (de quo infra) & aliquando per dilationem minoris boni promissi, quando non est præfixum tempus promissionem implendi. *Dices*: ergo iam concedimus ea vota non esse valida, siquidem vouens propter maius bonum potest ea non seruare: negatur consequentia: imò stabilia, & valida sunt; cùm necessariò debeant seruari non interueniēte commutatione: & hinc patet ad secundum initio disputationis positum.

7 *Quinta assertio*. Quando actus, qui est in consilio, reponit hominem in aliquo statu pio vltra communem modum vouendi, quamuis pro illo tempore, quo exercetur inhabilitet personam ad altius consilium, tale votum validum est: v.g. votum de seruiendo perpetuò in hospitali, votum de thesaurizando filijs intuitu verę pietatis, quod videtur opponi consilio distribuendi bona in pauperes; votum ingrediendi laxiorem Religionem quod videtur contrariari consilio de ingrediendo obseruatiorem. Probatur, quia licet huiusmodi vota reponant hominem in statu consilij incompossibilis cū alio pfectiori consilio, sed non immobiliter: quia in his omnib⁹ debet subintelligi conditio, *Nisi occurrat aliud perfectius consilium*: Alias hæ promissiones non essent gratæ Deo meliora cupienti, & ad altiora vocanti.

Sed rogat quis, an ad omittenda huiuscemodi vota propter altius consilium, v.g. seruitij perpetuò in hospitali propter ingressum Religionis sit necessaria commutatio, an sine illa possit omitti? Videtur namq; ex dictis in præcedenti assertione esse necessariam. *Respondetur*, non esse necessariū, eo quod exercitium cōsilij minoris in casu quartæ assertionis non facit personam inhabilem ad meliorem operationem, sed impeditam pro illo modico tempore, quo opera minoris virtutis exercentur: at verò consilia minora in casu vltimæ assertionis inhabilitant personam in perpetuū, si obseruentur. Et ideò si de illis vota ritè fiant, intelligenda sunt sub conditione, *Nisi vouens voluerit ascendere ad altiorem statum*: & sic patet ad tertium positum in principio disputationis.

8 *Ad primum* verò negatur maior: quia licèt facere aliquod opus possit in Dei gloriam ordinari: tamen obligari ad illud, potest non pertinere ad gloriā Dei: & ratio discriminis est: quia simplex operatio sine obligatione non tollit potestatem faciendi melius bonum in futurum, sed solùm includit voluntatem vnius boni sine volitione alterius: quæ volitio nullam habet malam circumstantiā: at verò ꝓmissio seu obligatio tollit potestatem moralem in futurum ad opus melius: & hæc ablatio potestatis Deo non placet, nec cedit in casu ad Dei gloriam. Aliter syllogizandum est de promissionibus hominibus factis, quæ validę sunt, quamuis impediant maiorā bona: quia homo, cui fit promissio, non curat de perfectione promittentis, sed sui commodi: & licet optet ꝙ sibi vtilius est; tamen quando id non offertur, acceptat id quod vtile est. At Deus semper cupit ab homine, quod melius est, & perfectius voueri, & sic acceptat promissionem minoris boni, vt nolit impedire, quòd homo operetur id, quod melius est, à quo auocaretur, & impediretur per votum oppositum maiori bono, si validū esset.

DISPVTATIO IX.
An votum de contrahendo matrimonium sit validum?

INter actus virtutis, qui opponuntur consilijs nullum alium inuenio qui inhabilitet immobiliter personam vouentem ad opera supererogationis, & consilia Euangelica, præter actum contrahendi matrimonium. Nam licèt multi opponantur statui perfectionis, ita vt non possint esse simul cum illo, non tamen inducunt statum immutabilem impedientem transitum ad meliorem: & ideò de matrimonio specialem disputationem instituo. Pro qua explananda *præmittendum est*, nostram dubitationem procedere, quando actus contrahendi matrimonium est in cōsilio, non verò quando est in præcepto: quia tunc certum est posse fieri votum de illo contrahendo: potest enim accidere casus, quo homo teneatur motrimonium contrahere, absolutè, vel cum tali persona: v.g. ob necessitatem generis humani propagandi, qui casus potius imaginabilis est, quàm contingibilis. Item propter commune bonum & pacem alicuius Regni, qui casus rarissimè eueniet. *Præterea* ad legitimandos filios ex concubina genitos, & illius honori consulendū: quæ obligatio maximè ꝓcedit in articulo mortis, & solet sæpè occurrere: & præcipuè quando nocumentum illatū est alicui fœminæ, sub promissione ducendi illàm in vxorem. Igitur quādo matrimonium cadit sub pręcepto, potest cadere sub voto. Patet, quia tunc votum non est impeditiuū maioris boni: nam supponitur homo sufficienter impeditus, vt non possit ad altiorem statum aspirare: qua suppositione facta tale votū redundat in maius bonum vouentis, cum confirmet illum in bono, quod facere tenetur, & confert vt actus meliori modo fiat: ergo laudabiliter potest fieri de illo præcepto seruando votum.

Disputatio igitur nostra est, quando matrimonium nō in pcepto, sed voluntarium est contrahentibus: de quo assertio nostra sit, communis, vt reor, omnibus Theologis, & Summistis. Votū de contrahendo matrimonium per se, & ex genere suo non est validum: quia est de materia incapaci ad votum: etenim non est Deo res grata, vt homo ipsi offerat actionem tanquam sibi valde placentem, per quam homo se constituat in statu, in quo non valeat perfectionem Euangelici status sequi. Huiusmodi autem est votum de contrahendo matrimonium, per quod homo impeditur à duobus consilijs inter Euangelica præcipuis, putà à religioso statu, quem ēsse perfectiorem statu, coniugali fides est: ab statu continentiæ, & cœlibatus, quem esse perfectiorem statu

statu matrimoniali definiuit Synodus Triden. *sess.* 24. *c.* 10. q. & docuerat Paulus 1. *Cor.* 6. ergo. 1. *Cor.* 7.

Solet confirmari hæc ratio: quia qui sic vouet, ponit impedimentum perpetuum Spiritui sancto ad altiora vocanti, quod sine culpa fieri nequit. *Sed contrà*: nam idem impedimentum ponit, qui de facto contrahit matrimonium, quod potest facere sine vlla culpa: imò sæpè benè facit, vt docet Paulus loco citato. *Respondetur*. Ratio adæquata quare nõ liceat, neq; sit validum votum contrahendi matrimonium, non est, quia per illud occluditur via Spiritui sancto ad altiora vocanti, vt replica probat; sed quia quod Deo cupienti, & monenti, vt homo ad altiora se extendat, offertur, vt res gratior facere actum, qui inhabilitat personam, & ponit impedimentũ perpetuum ad altiora ascendendi: etenim sic vouens ipso facto protestatur Deo magis placere matrimonium, quàm status perfectionis.

3 *Contra* hanc assertionem est obiectio: nam eius fundamentum nõ procedit, nisi in matrimonio cõsummato: ergo potest quis vouere matrimonium cum animo nõ consummandi matrimonium; sed statim vt contrahat, vel ante copulæ consummationẽ ad Religionem conuolare; quod esse licitum in materia de matrimonio dicitur. *Explicatur antecedens*: quia tale matrimoniũ nõ impedit transitum ad Religionẽ: & cõsequẽter neque ascensum ad statum cœlibatus, & continentiæ. *Consequentia* etiam apparet bona: quia votum illud est de actu virtutis religioso, qui etiam consistit in susceptione cuiusdam Sacramenti: & ex alia parte nõ impedit maius bonum. *Et confirmatur*: quia possent cõtrahentes inter se pacisci de ꝑpetua castitate seruanda, imò & de voto faciendo de eius perpetua obseruantia; vt creditur fecisse Deiparam, & sanctum Ioseph. Quod matrimonium nulli maiori bono præstitit impedimentum. *Respondetur*, nostram assertionem etiã ꝓcedere in matrimonio rato: itaq; de matrimonio, quale depingitur in obiectione, non potest fieri votũ validũ neq; obligatoriũ. *Tũ* quia si fiat ab vno cõtrahẽte, altero inuito, & ignorante alterũ cõiugẽ cõtraxisse animo transeundi ad Religionẽ, ante matrimonij cõsummationẽ non mediocris coniugi ignoranti fit iniuria: & quodammodo decipitur: si enim hoc sciret, neutiquã contraheret. *Tum* & præcipuè: quia votum illud esset de minori bono, & quantum est de se impeditiuo maioris boni.

Etenim qui contrahit per se loquendo, & ex vi actus seclusa reuelatione (vt excludamus matrimonium Virginis) tradit alteri potestatem sui corporis per matrimonij cõsummationem. *Tum tertio*, quia ex vi voti excluderetur status cœlibatus, qui maius bonum est, quàm matrimonium. Certè hoc matrimonium sic vouere non potest Deo gratum esse; vtpotè de minori bono, & impeditiuo maiorum bonorum.

Nec refert huiusmodi matrimonium esse virtutis actum, & in Sacramento perfici, ac dare gratiam: quia maior gratia poterit per alia Sacramẽta cõparari, & per exercitia consiliorum Euangelicorum, quo priuatur sic vouens: & sic patet ad obiectionem. *Ad confirmationem* respondetur. Possunt quidem contrahentes conuenire inter se de seruanda puritate, vt quosdam laudabiliter egisse legimus: at vouere non possent propter rationem dictã, nisi interueniente reuelatione diuina: vt in matrimonio Virginis, in quo altiora bona à Deo præuisa sunt ad redemptionem generis humani ordinata; & Virgini reuelata.

Nunquid assertio posita irrefragabilis est: ita vt nullam patiatur exceptionem, saltem in aliquo singulari casu? Vnus magna contentione cõtrouertitur, an liceat, & sit validum votum de contrahendo matrimonium emissum ab homine, q ingentibus motibus libidinosis vexatur; quibus vix potest occurrere, nisi per vsum matrimonij. De qua re duas reperio celebres sentẽtias: *prima affirmatiua*, quã sequuntur multi moderni, quos refert, & sequitur Thomas Sanctius *lib.* 1 *de sponsalibus, disputat.* 4. *num.* 7. speciatim eam tenet Caie. *in coment. huius articuli*. Nauar. c. 12. *nu.* 43. Bellarminus *lib. de Monach. cap.* 14. *versus finem* Ludouicus Lopez 1. *p. instruct. c.* 44, vbi ait ita sensisse Canum contra Sotum, *palac. in* 4. *d.* 38. *disp.* 1. Probatur à priori, quia huiusmodi votum in tali persona simpliciter est de meliori bono, cùm Paulus *vbi sup.* dixerit huic esse melius nubere, quàm vri. *Confirmatur*, & explicatur vis argumenti. Nam licèt consilia in vniuersali dentur, tamen in particulari applicanda sunt, maturè consideratis circumstantijs personæ, loci, &c. quare licèt ingredi Religionem absolutè sit egregium cõsilium; nihilominus huic personę fragili, qualis à nobis deputata est, consulendũ non est fieri Monachum nec à matrimonio abstinere: ergo talis persona non aget contra consilium, etiam si contrahat: ergo quamuis id ipsum voueat, nõ vouet aliquid quod sibi est in consilio: ergo huiusmodi votum in ea persona non præstat sibi impedimẽtum maioris boni: ergo est validum, cùm aliàs sit de re bona, & valdè vtili ad salutem animæ eius, qui vouet. 4 Sanctius. Caiet. Nauar. Bellarm. Lud. Lop. Palac.

Secundo. In eo casu possunt tot coniungi circũstantiæ augentes periculum intemperantiæ, vt possit ea persona obligari ad matrimonium contrahendum: putà si arbitrio prudentum iudicetur illud medium moraliter necessarium ad vitãdum periculum ruinæ: ergo eadem ratione poterit votum de ipso factum, & propter eundem finem esse validum, & licitum. *Tertio* probatur exemplis: nam licèt votum non mutuandi absolutè non sit validum, tamen propter quasdã circumstantias adiunctas, verbi gratia vitandi detrimentum filiorum, vel quid simile, potest licitè & validè emitti: idem est in voto ieiunandi. Imò in voto non ingrediendi Religionem, quod absolutè inualidum est: & tamen in homine fragili, cui nocitura est Religio, validum est, vt docui in assertione secunda præcedentis disputationis: ergo id ipsum dicendum est in voto contrahendi matrimoniũ: non enim maiorem habet oppositionem cum consilio Religionis, matrimonium contrahere, quàm negatio Religionis.

Secunda sententia est negatiua, asserens neque propter periculum vitandæ fornicationis esse licitum 5

citũ aut validum votum de contrahendo matrimonium. Hanc tenent Sotus lib. 7. de iustitia q. 1. art. 3. & Aragonius circa hunc articulum, & multi alij moderni. *Probant*, quia in quocũq; casu votum illud est de re impediente ascensum ad perfectiorem statum. *Et si Respondeas*: negatur assumptum: eo quod, quamuis matrimonium semper impediat statum de se perfectiorem: at quando hic status tali personæ non congruit, neque cõsuli potest: tunc est melius consilium respectu eiusdem personæ.

Sotus. Aragon.

Sed nõ propterea euacuatur vis argumenti: nam licèt in præsẽti matrimoniũ in hoc homine fragili sit remedium cõtra cõcupiscentiam, reddit tamen inhabilẽ ad statum perfectionis in futuro tẽpore: quando afflante diuina gratia, fortasse non erit medium necessarium, sed per alia media, putà ieiunia, orationes, & similia; motus illecebrosi carnis, si nõ totaliter, saltem aliquando mitescent: ergo votum de matrimonio contrahendo, etiam propter periculum continentiæ vitandæ, non erit validum: quia ponitur obstaculum inamobile Spiritui sancto, ne perfectioribus medijs possit fragilis hominis motus cõpescere. *Confirmatur*, & explicatur vis huius rationis, quia votum debet esse de re grata Deo, & non impeditiua ascensus ad perfectiorem statum, nõ enim sat est fieri de actu Deo placente: sed iste homo fragilis capax est secluso matrimonio istius ascensus: ergo non debet se inhabilitare per votum ad eum ascensum. *Maior* probatur, quia cùm Deus cupiat homines promouere ad altiora: neutiquam potest illi placere, vt ipsi promittatur, quasi donum id, quod aduersatur ei quod ipse summopere desiderat: imò ad id perpetuo occludit viam. *Minor* etiam probatur, quia de nullo quantumuis fragili desperandum est, quin aliquando igne sancti Spiritus vrente renes, vel temperante eorum errorem, ac ministrante suũ diuinum auxilium, quod præsto est volenti cooperari opera concupiscentiæ frænatiua, possit se à libidine continere. *Confirmatur secundo*, quia non obstante voto contrahendi matrimonium potest homo fragilis ad Religionem conuolare: signum ergo est huiusmodi votum fuisse inualidum. *Secundo*, intendere matrimonij actum propter fornicationem vitandam est peccatum veniale: vt ait D. Thom. *in 4. dist. 32. q. 2. art. 2. ad secundum*: ergo sub hoc fine non potest matrimonium esse licita materia voti.

6 Certè sedere arbitrum inter has sententias difficile erit propter rationes fortes hinc, & inde allatas; & propter tot & tantorum virorum autoritatem in hac re dissidentium. Nihilominus meum proferens iudicium, *dico primo*. Quamuis aliquis fragilis emittat votum de contrahendo matrimonium, siue illud votum validum sit, vt asserit prima sententia, siue non sit validum, vt asserit secunda, ferè semper licitum erit ei qui tale votum emisit ingredi Religionem, & tentare alia media ad sedandam ferocitatem carnis, atque ita omittere, vel suspendere talis voti executionem. Hoc dictum probant argumenta secundæ sententiæ, nec puto reluctare primæ sententiæ patronos: quia tunc non solum in generali, verum etiam in particulari melius est non contrahere matrimonium, sed alia via perfectiori vincere fragilitatem suam.

Sed totum difficultatis pondus incumbit in eo casu, quo prudenter iudicaretur hominem fragilem multo melius suæ fragilitati medicaturum contrahendo matrimonium, quàm per quæcunque alia media; etiam quam per religiosum statum: verbi gratia, si quis longo tempore expertus est fragilitatem suam, vel longam consuetudinem cum concubina, à qua difficilimè dimoueri possit: at in hoc casu & similibus dico cum secunda sententia nequaquam licere votum de contrahendo emittere propter rationes pro ea factas, quarum vis plus ostendetur respondendo ad argumenta pro prima sententia

Ad primum respondetur primò pro tempore præsenti, & secundum dispositionem, quæ apparet in homine fragili, melius est illi contrahere matrimonium: at attenta Dei benignitate, qua sæpè solet vti cum his libidinosis, non est melius illi contrahere sed potius prudenter ageret si inuocato Dei adiutorio, & corpore per opera afflictiua macerato, ad castitatem seruandam conaretur: præcipuè p ingressum Religionis austerioris, vbi his exercitijs, & alijs valde ad hoc conducentibus incũbitur. Nec sententia Pauli adducta huic doctrinæ contradicit: Nam Apostolus non dixit: *Melius est nubere, quam se ipsum vincere, & contra se pugnare per alia media diuina gratia*; sed *quam vri*: id est quam ex propria fragilitate tentationi consentire: ac si dicat, fœmina, quæ propter suam fragilitatem non proponit firmiter facere quod in se est, vt continentiam seruet, melius est nubere, quam vri: sic enim proxime præmiserat; *quod si non continent, nubant.* 7

Secundo respondetur, sicut ad confirmationẽ, cui respondeo posse reperiri casum, in quo homini fragili possit cõsuli matrimoniũ; vt melius bonũ illi, quã alia media de se pfectiora; nõ tamen potest reperiri casus citra præceptũ, & reuelationẽ (de quo modò nõ disputamus) in quo matrimonium contrahere nõ sit impeditiuum ascensus ad perfectiorem statum; & ob id nequit esse materia voti: itaque non sat est ad voti valorem esse de meliori bono personæ vouenti, sed vlterius necesse est, vt illud bonũ melius huic nõ sit impeditiuum ascensus ad perfectiorẽ statum: aliàs illud bonum, ꝙ sine voto valde placet, si fiat materia voti, displicet, vt circa assertionem principalẽ explicabã, & in argumẽto ꝓ secunda sententia, Quare ad argumentũ admisso antecedente negatur cõsequentia: similiter ad confirmationem negatur secunda cõsequẽtia, & sequentes.

Ad secundum respondetur nostram sententiam nõ procedere quando ad vitandam incontinentiam instat præceptum matrimonij, sicut monui in principio disputationis, & in casu argumenti instare credimus: quia tunc matrimoniũ nõ est impeditiuum maioris boni: supponitur enim præcepti vi personam iam esse impeditam ad altiorẽ statum procedit autem nostra sententia; quando duntaxat consilium est contrahere matrimoniũ ad vitandum incontinentiam, ꝙ non tollit quin possit sperare remedium incontinentiæ per alia per-

perfectiora media: vnde tunc nõ debet fieri votum. *Dices:* quo modo potest esse sanum consilium contrahere, nisi sit melius bonum? quia magis proportionatum est hic &. nunc fragilitati, & perturbationi huius hominis. Consulunt autem homines interdum non meliora, sed magis proportionata remedia: Deus autem non acceptat promissionem quamcunque de quauis re bona oblata in illius obsequium, & cultum: sed vltra requirit, per eam non occludi viam suis miserationibus, quibus ex luto sordido libidinis solet extrahere & in sublimi statu collocare: vt in Magdalena fecit, & passim videmus fieri in alijs libidinosis: quæ occlusio citra dubium fit per matrimonium: vnde nequaquam de eo acceptat votũ.

9 *Ad tertium* negatur consequẽtia: quia licèt oppositio negatiua & formalis maior appareat, quàm matrimonij oppositio cum statu perfectionis: sed tamen non reponit hominem in statu inhabilitante personam ad perfectiorem statum. Etenim vt illud votum negatiuum de non ingrediendo Religionem validum sit, necessarium est apponere cõditionem, quãdiu durat motiuum rationabile nõ ingrediendi: at verò votũ de cõtrahendo, si semel matrimonium contrahatur, facit personam per totum vitæ tempus inhabilẽ ad altiorẽ statũ, & ideò nequit de illo fieri votũ.

10 *Ex dictis collige*, votu emissum de matrimonio contrahendo intuitu pietatis erga alios non esse validum: verbi gratia, siquis voueat ducere meretricem in vxorẽ, vt eam liberet à malo statu: si quis voueat ducere fœminam nubilem, & pauperem; cuius integritas periclitatur, si non nubat; & similia. *Hoc est contra* quosdam paucos, sed rationes allatæ ad ꝓbandum votum de contrahẽdo matrimonium ad vitandum incontinentiã propriam: à fortiori probant de facto ad fugandam alienam. In quo sensu adduci solet illud Eccl. 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Id est, tu qui vis Deo placere miserere in primis animæ tuæ, quã alienæ: quòd si votum, quod Deo facis de cõtrahendo matrimonium, non est validum propter incontinentiam propriam, ne impediaris ascendere ad altiora: ergo propter eandem rationem neq; propter incontinentiam alienam, quæ timetur. *Sed obijcies:* quia licitè & validè fit iuramẽtum de ducenda vxore: ergo & votum, cuius maior obligatio est, quàm iuramenti. *Respondetur:* si iuramentum soli Deo fiat, negatur antecedens: si verò fiat homini, negatur consequentia: quia iuramentum sequitur naturã promissionis, cui adiungitur: natura autem promissionis homini factæ est obligare ad id, ꝙ homini ꝓmittitur, si est illi proficuum, etiam si non sit ex melioribus bonis. Secus in ꝓmissione voti, in qua diuinus cultus, & quod est Deo gratius per se intenditur, vt aliquantulum fusius in præcedenti disputatione tractaui. *Sed rogas:* an sit peccatum vouere ea, quæ dicimus non esse legitimam voti materiam: quia impediunt alia maiora? Peccatum esse nõ dubito; quia Deo promittitur materia Deo indigna; puto tamen esse tantum veniale; quia leuis Deo irrogatur iniuria, si actus minus bonus ei offeratur nisi nequiter vouens intendat in hoc ipso voto emittendo ei displicere, quod nisi in valde scelerato non inuenietur: tunc enim grandis erit blasphemia sic vouere.

Eccles. 30.

DISPVTATIO X.

An omnis actus virtutis sit legitima materia voti?

1 DVbitatio hæc à me superius tacta est, dum agerem de voto operum indifferentium; modò à me copiosius elucidanda; & mouetur ꝓpter quosdã virtutis actus in generali differentes, & in indiuiduo ex bono fine honestati; vt ludere actus indifferens est; & tamen ob recreationem rationi cõsentaneam potest honestari. *Itẽ* propter aliquos virtutis actus, qui propter periculum, vel aliquid simile sonant potius in malum, quam in bonum; vt exercere mercaturam, gerere officium militis, qui in indiuiduo possunt studiose fieri: hic ad defensionem reipublicæ; ille intuitu thesaurizandi pro filijs *Et idem quæritur* de alijs similibus operibus pertinentibus ad honestam recreationem, & ad virtutem Eutrapeliæ: de qua D. Tho. infra q. 168. Et videtur vera pars affirmatiua: quia nullum opus bonum est, ꝙ quatenus tale, nequeat in Dei gloriam referri, iuxta illud: *Omnia in gloriam Dei facite:* ergo propter eandem rationem potest esse materia voti: maximè quia hi actus non impediunt transitũ ad meliores. *Confirmatur* ex his, quæ fiunt passim in Religionibus, in quib⁹, sæpe Prælati præcipiunt suis subditis honestas recreationes: Igitur quod est legitima materia præcepti, potest esse materia voti: Imò subditi tenentur ex voto huiusmodi iussionibus obedire.

2 Pro parte negatiua *primo arguitur* de actibus honestis ad Eutrapeliam pertinentibus: Nam sequeretur vota de his emissa esse valida, verbi gratia vota de interessendo comœdijs, conuiuijs, ludis: quia id fit cõsentaneè, & secundũ rationẽ interdum dictantẽ bonum esse præfatis & similib⁹ interesse. Cõsequens tamen nõ videtur admittẽdum: quia hæc vota ridicula essent. Idẽ argumẽtum fit de alijs actibus, q̃ aliquando ordinantur ad cõmodiorem vitæ conseruationem; vt vti cibis pretiosioribus, & delicatioribus: qui, vt dicebant quidã, salubriores sunt, & bonę capitis valetudini accõmodatiores: vti vestibus calefactorijs tẽpore hyemis, vti potu niue infrigidato tẽpore æstatis; quæ ad votum pertinere nullus cordatus sentiet: quia nil ad Dei cultum pertinens in his actibus inuenitur. *Probatur* cõsequentia, & confirmatur argumẽtũ: quia poti⁹ vota de negationib⁹ taliũ actuũ valida sũt, & sępè studiosè emittũtur.

3 Gabriel Vazquez 1. 2. *d.* 52. tenet partẽ affirmatiuã: in quo impugnando nõ moror: quia nititur quodã fundamento: opera omnia indifferẽtia ex genere; esse etiã indifferentia indiuiduo: ꝙ fundamẽtum impugnare nõ est huius loci. Maiorem difficultatem nobis ingerunt Caiet. Sotus, & alij qui licèt speciatim de his actibus nõ tractent, aiunt tamẽ sine distinctone omnẽ virtutis actum, modò nõ prohibeat transitum ad meliorẽ, esse posse materiam voti.

Vazquez.

Caiet. Sotus.

Pro

Pro explanatione *dico primo*. Regulariter loquẽdo actus p̄fati & similes nequeunt esse legitima
4 materia voti; etiam si cõsentanei sint, & ratione regulati. Ratio à priori est: quia Deo per promissionẽ, & in eius cultũ; nõ debent offerri act⁹ includentes imperfectionem, & quasi per indulgentiam subiecti imperfecti, p̄missi: Deo enim, q̃ selectioribus colitur, non sunt imperfectiora offerenda: sed tales sunt p̄fati actus; vt patet ex D. Th. *in quæst.* citata: ergo. *Cõfirmatur*, & explicatur vis argumenti: quia votum debet esse de meliori bono, nõ ita vt actus deuotus sit optimus, sed ita vt carentia actus nõ sit melior, q̃ ipse act⁹: sed vota præfata, si fierent, non essent de opere cui⁹ carentia non esset melior, q̃ actus: ergo nõ sunt valida, neq; obligatoria. *Maior probat.* quia si carentia actus melior est, & perfectior, ipse actus etiam honestus imperfectionẽ includit: ac p̄inde non est materia Deo digna, cui in obsequium & cultum non debent offerri nostra imperfecta (vt ita dicã.) Minor etiam patet: quia alias vota de carendo illis actibus, vt de non ludendo, &c. non anteferrentur actib⁹. *Et si obijcias*. Quando aliquis vouet minora bona, vt dare eleemosynam votũ est validum: quia est de actu bono qui non impedit, vt eo bono relicto ad melius properet: ergo vota, de quib⁹ disputamus, valida erunt: quia eorum obiecta bona sunt, & virtutis actus, & non impediunt, quin postea votum emittatur de carentia absoluta eorum: negatur consequentia, quia in casu antecedentis comparatio fit inter actus positiuos, quorũ licèt vnus sit melior alio, tamen simpliciter est melius alterutrum illorum facere q̃ neutrum: & ideo votum potest obligare ad minus bonum absolutè, quãuis cum libertate transeundi ad meliorem: at verò quando carentia actus est melior, q̃ actus: nõ potest votum obligare ad actum etiam absolutè; quia semper liberum erit p̄ferre carentiam actus ipsi actui: ergo nunquam relinquitur obligatio ad actum,

5 *Dico secũdo*. In aliquo casu nõ frequenti tales circumstantiæ possunt adiungi præfatis actibus, vt vota de illis emissa sint valida, & ideò in præcedenti assertione dixi regulariter ea vota non esse valida. *Probat.* assertio hæc in exemplis allatis. Nã si vti cibis pretiosis iudicetur necessarium ad sanitatem, eo modo, quo sanitas est in p̄cepto, attentis circumstantijs p̄sonę, & huiusmodi votum de illo medio erit legitimum. *Præterea*, tanta potest esse subiecti necessitas, vt quamuis eo medio vti non sit in p̄cepto, sit tamen in cõsilio ob sanitatem hominis valde necessarij ad Rẽpublicam: & tunc etiam votum obligabit. *Ratio est*, quia tũc votum esset de meliori bono, & in tali subiecto nõ erit melior carentia omnimoda talis actus, q̃ ipse actus. Credo tamen quod in alijs actibus ad ad Eutrapeliam pertinentibus, rarò aut nunquam occurret casus huius assertionis.

6 *Ex his patet ad argumẽta* pro parte negatiua: q̃ p̄bant primam assertionẽ, & nõ reddunt falsam secundam. Ad argumentũ pro parte affirmatiua, quatenus p̄cedit cõtra primã assertionẽ negatur cõsequentia: etenim iã supra explicui aliqua posse in Dei gloriã referri, q̃ nõ sunt illi offerẽda per p̄missionẽ: & huiusmodi sunt actus p̄fati imperfectiores, qui regulariter non cadunt sub voto p̄pter rationẽ datam, cui addo, quia in se includunt quasi quoddam nocumentũ ad vitam spirituale p adhæsionẽ reb⁹ temporalibus, vt exercere mercaturam &c. *Ad confirmationẽ resp.* procedere iuxta nostram assertionẽ secundam, quia accedente superioris iussione, tales actus censendi sunt esse in præcepto, vel in consilio, propter aliquod bonum maius consequendum, quàm sit carentia eorum actuum.

DISPVTATIO XI.

Circa solutionem ad primum, An fideles omnes faciant votum in Baptismo de seruanda professione fidei?

ET videtur vera pars affirmatiua: quia quando paruuli baptizantur, interrogãtur; an abrenuntiet Diabolo, & pompis eius, & respõdent patrini se spõdere hoc vice infãtulorũ, vt fieri videmus, & animaduertit D. Aug. Epist. 23. & multi ex Patribus idem vidẽtur dicere: & ne quis dicat ipsos vti voce abrenũciandi Diabolo vel alia simili in prõptu est Hieron. Amos 6. in fine vtitur verbo *promittimus*, in quo consistit essentia voti: similiter D. Greg. *Ho. 29. in Euang. & ex* Doctoribus Scholasticis quam plures hoc votum agnouere, signanter Magister *in 4. d. 38.* & D. Thomas ibidem *q. 1. art. 2. q. 1.* D. Bonau. *art. 1. q. 2.* 1 *August.* *Hieron.* *Gregorius* *Magister.* *D.Thom.* *Bonau.*

Nihilominus certum putamus, neq; adultos neq; paruulos emittere proprium votum in susceptione Baptismi. Ita omnes D. Th. discipuli in solutione ad primum huius articuli Nauar. *c. 12. n. 32.* Bellar. *lib. 2. de monach. c. 19.* Probatur primò, quia nullum in Baptismo profertur verbum indicans votum. *Secundo*, quia nulla autoritate aut traditione constat præcepisse tale votum. *Tertio*, quia esset potius in laqueum, quam in vtilitatẽ. Has rationes egregie ac copiose tractat & prosequitur Caiet. in hoc loco. Quartò, alias omnia peccata Christianorum essent sacrilegia, quod absurdum censeo. 2 *Nauar.* *Bellarm.*

Ad testimonia Patrum, & aliorum *respondetur*, esse locutos impropriè de voto pro legis Euangelicæ professione, non pro aliqua promissione: in qua consistere essentiam voti superius docuimus, ꝙ colligitur ex dictis Scholasticorũ dicẽtiũ votum Baptismi analogicè sic appellari, & non addere specialem obligationẽ p̄tinentem ad virtutem Religionis, neq; transgressionem illi⁹ addere specialem malitiam cõtra Religionẽ: Nam fornicatio baptizati nõ est alterius speciei, quàm fornicatio non baptizati: licèt accidentaliter sit grauior in eadem specie propter maiorem cognitionem & voluntatem. Ita loquitur D. Thom. *vbi supra & August. super psalm. 75.* *August.*

DISPVTATIO XII.

De voto Iephte.

CIRCA solutionem ad secundum D. Thom. tractat de voto Iephte, quale fuerit: at nos idipsum discutiemus: Et habetur Iud. 11. vbi de Iephte. Igitur. *Votũ vouit Domino dicens: si tradideris filios Amon in* 3 *Iudic. 11.*

manu mea, quicunq; primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihiq; occurrerit reuertenti cum pace à filijs Amon, eum holocaustum offeram Domino: Et postea dicitur sibi occurrisse filiam, cui ille dixit: *Aperui os meum Domino, & aliud facere non potero, & tandem fecit ei sicut vouerat.*

Circa hoc votum valde controuersum apud
2 Patres antiquos & modernos, prius expedire oportet; an verè & realiter Iephte sacrificauerit filiam suam occidendo eam corporaliter; & postea de qualitate voti dicemus. Multi extiterunt negantes Iephte interfecisse filiam suam: quia sacra Scriptura id non exprimit, sed duntaxat dicit vouisse in holocaustum Domino quod primò occurreret. Deinde subiungit: *Cum filia vnigenita ei occurrisset, fecisse ei, sicut vouerat*: nimirum offerendo in holocaustum: quod benè verificatur in creatura rationali per totalem abstractionem à curis seculi, ad eum modum, quo nunc moniales Deo consecrantur per Religionis professionem: ita exposuerunt Lyra, & Vatablus, sed ille non *Lyra.* adducit firmum fundamentum: & hic recurrit *Vatablus.* ad aliam lectionem diuersam à vulgata, quam nos facile reijcimus.

3 Quapropter improbabilem & fortè peiori nota dignam censemus hanc expositionem: cum sit contra communem sensum Patrum asseuerantium Iephte verè & corporaliter interfecisse *Athanas.* filiam suam: Athanasius in synopsi sacræ Scripturæ *lib. 7.* Augu. q. 49. in Iud. vbi ex professo *August.* reprobat Lyræ expositionem, *Hieron.* Hier. *lib. 1. contra Iouinia.* *Theodot.* Theodoretus *quæstione vltima in lib. Iud.* Ansel. *ad Hebr. 11.* *Anselm.* & D. Thom. hic, & cum eo omnes Doctores *D. Thom.* Scholastici. Et probatur: quia in sacra pagina omne quod in holocaustum offerebatur, mactabatur, imò totum cremabatur. Interpretari autem holocaustum de consecratione filiæ Iephte; impropria interpretatio est, quæ summopere fugienda est in sacra pagina. Accedit quod dicitur in fine illius capitis consuetudine introductũ fuisse vt singulis annis filiæ Israel plangerent filiam Iephte: nimirum tanquam revera mortuam, & occisam. *Dices*: in sacro textu non dicitur eam deplorasse mortem suam, sed virginitatẽ suam. *Respondetur*, quia in Populo illo plus pœnitebat mori sine filijs quàm mori: & ideò plus dolebat de illo quàm de hoc. Hæc de primo.

4 De qualitate verò voti respondetur votũ fuisse temerarium, vel quia absolutè vouit occisionẽ primi egredientis, & occurrentis sibi; & poterat occurrere asinus, aut canis, aut homo, quæ nõ erant mactabilia in holocaustum: præcipuè homo, cuius occisio contra legem naturalem est; & eiusdem oblatio piè exercita apud Gentiles, vt in secundo tomo dicemus; vel quia vt Aug. *q. 49. in* *August.* *Iud.* probabile censet Iephte directa & speciali intentione vouisse in sacrificium primũ hominẽ domus suæ, qui sibi occurreret &c. Acuteque expendit non solere homini reuertenti in domum suam cum victoria exire obuiam pecora, aut alia animalia apta ad holocaustum, sed canes, qui blando famulatu solent dominis occurrere, de quibus non potuit Iephte cogitare; quia vile votum fuisset, & de re immunda: videtur ergo cogitasse de hominibus, & ideò non dixit; *quodcunque* sed; *quicunq;*.

Sed dubitas. An Iephte excusetur à culpa in mactando filiam suam? Ratio dubitandi est ipsum 5
fuisse annumeratum à D. Paulo ad *Heb. 11.* in Cathalogo sanctorum. *Respondet* D. Tho. hic etiam ibi numerari Dauid. & alios qui peccatores fuere; nihilominus sancti sunt, quia egerunt pœnitentiam. Hanc sententiam tribuit D. Tho. Hie- *D. Thom.* ronymo. ex quo hæc verba refert. *In vouendo fuit stultus, quia discretionem non habuit, & in reddẽdo impius.* Et D. Augu. in lib. quæst. vtriusq; testamenti *August.* (si tamen Augustini liber est) *part. 1. q. 34.* acerbè inuehitur in Iephte. Alij cẽsent ipsum nõ peccasse, quia iussu Dei occidit filiam, Ita insinuat Aug. *lib. 1. de Ciuit. c. 21.* & Hieron. *Epist. 34.* Alij sub iudice rem relinquunt, maximè dicentẽ sacro textu. *Factus est ergo super Iephte Spiritus Domini, & votum vouit.* Ita insinuat Hieron. *Hieremiæ.* 70. circa finẽ *Hieron.* & Augu. *in quæstione super lib. 1. Iud.* Nihilominus cõmunis sententia est ipsum peccasse vouendo indiscretè, & impiè votum exequendo, & præter citatos tenet Chrysost. *Hom. 10. ad Rom. & 14. ad* *Chrysost.* *Populum*, Ambros. *lib. 1. de officijs ca. vltimo, & l. 3. c.* *Ambro.* *12. & lib. 3. de virginibus* ante medium, eiusque verba mutuo accepit Concil. *Tolet. 8. c. 12. Tertullian.* *Tertullia.* *lib. 3.* Poematum contra Marcio. *Abulens. Iud. 11.* *& Matth. 14. q. 32.* Probaturq; hæc sententia: quia *Abulens.* ab hoc impio facto excusandus esset, vel propterea quod fecit instinctu Spiritus sancti, quod indicant illa verba: *Factus est Spiritus Domini super Iephte ad vouendum.* Quæ tamen verba exponit, & benè August. vbi supra, non esse referendum illum instinctum ad votum, & multo minus ad executionem; sed ad pugnandum contra Ammonitas, vel ad sperandam vel postulandam à Deo victoriam; nõ verò ad votum, quod indiscretè emisit. Vel excusandus esset propter ignorantiam: quæ certè in re tam clara non potuit non esse cupabilis, maximè in Principe, qui debuit esse instruct' in lege Dei prohibentis occisionem innocentis.

Demum circa finem huius articuli in solutione 6
ad tertium valde nota, doctrinam D. Thom. videlicet macerationẽ proprij corporis (quam esse materiã legitimam voti compertum est) non cadere sub voto, nisi in quantum cum debita discretione fit, videlicet vt concupiscẽtia frænetur, & natura non nimis grauetur: quia si hac discretione careat, nõ est opus virtutis, sed vitij: & ideò nequit esse materia voti. *Secundo* dicit quod quia in his, quæ ad se ipsum pertinent de facili fallitur homo in iudicando, talia vota congruentius secundũ arbitriũ superioris sunt vel seruanda, vel pmittẽda. Ita tamẽ, quod si ex obseruatione talis voti magnũ & manifestũ grauamẽ sentiret, & nõ esset facultas ad superiorẽ recurrẽdi, nõ debet homo tale votũ seruare. Et notat Caiet. nõ dixisse sanctum Doctorem, quod quando obseruatio voti est manifestè nociua notabiliter, requiratur recursus ad superiorem, etiam in promptu habitum: sed dicet, *quod congruentius id fit.* Et ratio est desumpta ex eodem D. Thom. quia res promissa in tali casu pro tunc desinit esse materia voti: eo quod non est virtutis opus, sed vitij.

Et nos

Et nos addimus, hanc doctrinam esse notandam, vt valde necessariam, & applicādam votis, quæ fiunt erga opera consiliorum. Ponamus exemplū in voto status religiosi, qui inter consilia euangelica primatum tenet: Nam licèt hoc votum absolutè emissum egregium sit; tamen si ille status in detrimentum personæ vouentis cedat, vel quia notabiliter bonę eius valetudini nocet; aut fortè quia persona vehementibus motibus luxuriæ vexatur, quibus experitur sæpissimè succumbere; & in hoc casu si ante voti emissionē præsciatur subiecti fragilitas, votum non esse validum credo: quia non est de opere virtutis, sed vitij in hac persona: at si post voti emissionē præsciatur existimo votum fuisse validum; & postea agnita fragilitate subiecti suspensam manere talis voti obligationem, nec esse seruandum: quia bonitas obiecti votiui in vitium transiuit: quod si rerum vicissitudo mutetur, & bona valetudo restituatur, & motus Venerei mitescāt, votum in suum statum priorē redibit: esset tamen consultius voti huiusmodi petere dispensationē, vt dixit D.Thom. & adnotauit Caiet.

Sed hæc doctrina intelligenda tantùm est de votis simplicibus, nam in solemnibus alia est ratio: etenim post emissam professionem religiosā, vel post sacrum ordinem susceptum, quantumuis mala valetudo adsit; & quamuis tentetur, qui votum emisit crebris motibus fornicationis, non licebit à voto recedere: aliàs quamplures monachi & clerici seculares ab instituto recederent: & in hoc casu instar status coniugalis iudicandum est; à quo si propter inconuenientia liceret recedere vix reperiretur coniugium stabile.

ARTICVLVS III.

Vtrùm omne votum obliget ad sui obseruationem?

Paraphasis Articuli.

DIVVS Tho. respondet affirmatiuè; & probat in argumēto; sed cōtra, ex Ecclesi. 5. *Quodcunq; voueris redde*: & post
1 pauca, *Multo melius est non vouere, quam* (Eccles. 5.)
post votum promissa non reddere; Et ratione: quia homo tenetur Deo maximè fidelitatem seruare ratione dominij erga nos, & ratione beneficij suscepti; sed seruare Deo promissum pertinet ad fidelitatē debitā Deo ab homine, iuxta illud Salomonis: *Displicet Deo infidelis promissio*: Ergo omne votum cū sit promissio Deo facta obligat ad sui obseruationem. Hanc cōclusionē esse de fide asserit idem Doctor Sanctus, & *quodlib.3.ar.11. & opusc.18.c.12.* contra quosdam hæreticos infra citandos: & licet ibi specialiter loquatur de voto ingrediendi Religionē, rationes tamen ab eo allatæ de omni voto probant. Eandem conclusionē vt de fide admittūt omnes Patres quos refert Bellarminus *lib.2. de monach.c.16. & seq.* Medina *li.4. de continentia sacerdo. controuers.7.* & vide alia in Decreto. 20.q.3. & 27.q.1.33.q.5. & habetur eadē conclusio ex sacra Scriptura in locis sæpè citatis, & in Psal.75. *Vouete, & reddite, &c.* Primum verbū (Bellarm. Medina.) consilij est, secundum pceptū; vt adnotauit Glossa: & approbat Innocentius III. c. *magno* de voto & Deuter.23. Eccles.5. idem habetur Iob.22. *Rogabis Deum & exaudiet te, & vota tua reddes*: Et rationem in articul. amplificat idem Sanctus infra quæst.189. art.3. ex Augustino, quē ex epistola ad Bonifacium refert sic loquentē: *Si inter homines solent bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui; quanto magis pollicitatio, quam cū Deo pepigit, solui sine vindicta non poterit*? Similia habentur apud Leonem Papam epist.90. alias 92. ad Rusticum c.14. *si humana* (inquit) *pacta nō possunt impunè calcari, quid eis manebit, qui corruperint fœdera diuini sacramenti*? Circa quā rationē nota, ideo adduci à D. Aug. Leone & D.Tho. nō vt æquiparent pmissiones factas Deo & hominibus: certum est enim illam esse maiorem; sed supposito fidelitatem esse hominibus præstandam (siue ex iustitia, siue ex veracitate modò non disputo) faciunt argumentum à fortiori. (Psal. 75. Innocen. Deut. 23. Eccles. 5. Iob. 22. Leo Papa.)

Nec est cur solicitus sis optime lector, an requiratur Dei acceptatio, vt votum obligatorium 2
sit, sicut in promissione humana necessaria est. Certum est enim, acceptationē diuinam in omni voto valido interuenire, vt ex testimonijs allatis ex Augustino & Leone videtur colligi: ea tamen acceptatio satis clarè habetur in sacra Scriptura: quia Deus reuelauit sibi placere; imò & iubere, vt talia vota impleantur.

Et si obijcias c. *scimus* 12.q.1. vbi votum *pollicitatio* dicitur: sed pollicitatio nuda nō includit acceptationē pmissarij, vt habetur in l.3. ff. de pollicitationibus. *Respondetur*. Iurisperiti accōmodarunt vocē pollicitationis pro pura pmissione, sine acceptatione promissarij: sed tamen hæc accōmodatio nō ad vnguē obseruatur, sed nomen pmissionis, & pollicitationis cōfundūtur, & certè in rigore Latino idē significant: & ita in illo capite sumitur pollicitatio p promissione, vt patebit intuenti textum. Itaq; dicimus in omni voto reperiri Dei acceptationē, quidquid dixerint aliqui Iurisperiti; qui nō adducunt p se aliquid firmum: & ideo illos omittendos censeo. Et hæc satis sint p litera D.Tho. si tamen animaduertamus circa eam esse à nobis submouendas disputationes plures concernentes obligationem verorum votorum: & adijciem9 aliquas circa promissiones quasdam, quæ vera vota non sunt, apparent tamen esse.

DISPVTATIO I.

Vtrùm vota coacta, id est facta metu alicuius mali vrgentis, sint valida, & obligatoria?

VIDETVR vera pars negatiua: quia 3
metus voluntarium tollit, vt docet Aristo.3. *Ethico.* sed votum inuolūtariū non est votum, vt de se patet: ergo. *In oppositum* est quia nullo metu potest homo excusari ab obseruantia legis naturalis, & diuinæ: implere autem votum est de lege naturali, ac diuina: ergo. (Arist.)

Pro

manu mea, quicunq; primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihiq; occurrerit reuertenti cum pace à filijs Amon, eum holocaustum offeram Domino: Et postea dicitur sibi occurrisse filiam, cui ille dixit: *Aperui os meum Domino, & aliud facere non potero, & tandem fecit ei sicut vouerat.*

Circa hoc votum valde controuersum apud
a Patres antiquos & modernos, prius expedite oportet; an verè & realiter Iephte sacrificauerit filiam suam occidendo eam corporaliter; & postea de qualitate voti dicemus. Multi extiterunt negantes Iephte interfecisse filiam suam: quia sacra Scriptura id non exprimit, sed duntaxat dicit vouisse in holocaustum Domino quod primò occurrreret. Deinde subiungit: *Cum filia vnigenita ei occurrisset, fecisse ei, sicut vouerat*: nimirum offerendo in holocaustum: quod benè verificatur in creatura rationali per totalem abstractionem à curis seculi, ad eum modum, quo nunc moniales Deo consecrantur per Religionis professionem: ita exposuerunt Lyra, & Vatablus, sed ille non
Lyra. adducit firmum fundamentum: & hic recurrit
Vatablus. ad aliam lectionem diuersam à vulgata, quam nos facile reijcimus?

Quapropter improbabilem & fortè peiori
3 nota dignam censemus hanc expositionem: cum sit contra communem sensum Patrum asseuerantium Iephte verè & corporaliter interfecisse
Athanas. filiam suam: Athanasius in synopsi sacræ Scriptu-
August. ræ lib.7. Augu.q.49. in Iud. vbi ex professo repro-
Hieron. bat Lyræ expositionem, Hier. *lib.1. contra Iouinia.*
Theodor. Theodoretus *quæstione vltima in lib. Iud.* Ansel. *ad*
Anselm. *Hebr.*11. & D. Thom. hic, & cum eo omnes Do-
D. Thom. ctores Scholastici. Et probatur: quia in sacra pagina omne quod in holocaustum offerebatur, mactabatur, imò totum cremabatur. Interpretari autem holocaustum de consecratione filiæ Iephte; impropria interpretatio est, quæ summopere fugienda est in sacra pagina. Accedit quod dicitur in fine illius capitis consuetudine introductũ fuisse vt singulis annis filiæ Israel plangerent filiam Iephte: nimirum tanquam reuera mortuam, & occisam. *Dices*: in sacro textu non dicitur eam deplorasse mortem suam, sed virginitatẽ suam. *Respondetur*, quia in Populo illo plus pœnitebat mori sine filijs quàm mori: & ideò plus dolebat de illo quàm de hoc. Hæc de primo.

4 De qualitate verò voti respondetur votũ fuisse temerarium, vel quia absolutè vouit occisionẽ primi egredientis, & occurrentis sibi; & poterat occurrere asinus, aut canis, aut homo, quæ nõ erant mactabilia in holocaustum: præcipuè homo, cuius occisio contra legem naturalem est; & eiusdem oblatio piè exercita apud Gentiles, vt in secundo tomo dicemus; vel quia vt Aug.*q.*49. *in*
August. *Iud.* probabile censet Iephte directa & speciali intentione vouisse in sacrificium primũ hominẽ domus suæ, qui sibi occurreret &c. Acuteque expendit non solere homini reuertenti in domum suam cum victoria exire obuiam pecora, aut alia animalia apta ad holocaustum, sed canes, qui blando famulatu solent dominis occurrere, de quibus non potuit Iephte cogitare; quia vile votum fuisset, & de re immunda: videtur ergo cogitasse de hominibus, & ideò non dixit; *quodcunque* sed; *quicunq;*.

Sed dubitas, An Iephte excusetur à culpa in mactando filiam suam? Ratio dubitandi est ipsum 5
fuisse annumeratum à D. Paulo ad *Heb.*11. in Cathalogo sanctorum. *Respondet* D. Tho. hic etiam ibi numerari Dauid. & alios qui peccatores fuere; nihilominus sancti sunt, quia egerunt pœnitentiam. Hanc sententiam tribuit D. Tho. Hie- D. Thom.
ronymo, ex quo hæc verba refert. *In vouendo fuit stultus, quia discretionem non habuit, & in reddẽdo impius.* Et D. Augu. in lib. quæst. vtriusq; testamenti August.
(si tamen Augustini liber est) *part.*1.*q.*34. acerbè inuehitur in Iephte. Alij cẽsent ipsum nõ peccasse, quia iussu Dei occidit filiam, Ita insinuat Aug. *lib.*1. *de Ciuit.c.*21. & Hieron. *Epist.*34. Alij sub iudice rem relinquunt, maximè dicentè sacro textu. *Factus est ergo super Iephte Spiritus Domini, & votum vouit.* Ita insinuat Hieron. *Hieremia.* 70. circa finẽ Hieron.
& Augu. *in quæstione. super lib.*1. *Iud.* Nihilominus cõmunis sententia est ipsum peccasse vouendo indiscretè, & impiè votum exequendo, & præter
citatos tenet Chrysost. *Hom.*10. *ad Rom. &* 14. *ad* Chrysost.
Populum, Ambros. *lib.*1. *de officijs ca. vltimo, & l.*3.*c.* Ambro.
12. *& lib.*3. *de virginibus* ante medium, eiusque ver- Tertullia.
ba mutuo accepit Concil. *Tolet.*8.*c.*12. *Tertullian. lib.*3. Poematum contra Marcio. Abulens. *Iud.*11.
*& Matth.*14.*q.*32. Probaturq; hæc sententia: quia Abulens.
ab hoc impio facto excusandus esset, vel propterea quod fecit instinctu Spiritus sancti, quod indicant illa verba: *Factus est Spiritus Domini super Iephte ad vouendum.* Quæ tamen verba exponit, & benè August. vbi supra, non esse referendum illum instinctum ad votum, & multo minus ad executionem; sed ad pugnandum contra Ammonitas, vel ad sperandam vel postulandam à Deo victoriam; nõ verò ad votum, quod indiscretè emisit. Vel excusandus esset propter ignorantiam: quæ certè in re tam clara non potuit non esse cupabilis, maximè in Principe, qui debuit esse instruct⁹ in lege Dei prohibentis occisionem innocentis.

Demum circa finem huius articuli in solutione 6
ad tertium valde nota, doctrinam D. Thom. videlicet macerationẽ proprij corporis (quam esse materiã legitimam voti compertum est) non cadere sub voto, nisi in quantum cum debita discretione fit, videlicet vt concupiscẽtia frænetur, & natura non nimis grauetur: quia si hac discretione careat, nõ est opus virtutis, sed vitij: & ideò nequit esse materia voti. *Secundo* dicit quod quia in his, quæ ad se ipsum pertinent de facili fallitur homo in iudicando, talia vota congruentius secundũ arbitriũ superioris sunt vel seruanda, vel pmittẽda. Ita tamẽ, quod si ex obseruatione talis voti magnũ & manifestũ grauamẽ sentiret, & nõ esset facultas ad superiorẽ recurrẽdi, nõ debet homo tale votũ seruare. Et notat Caiet. nõ dixisse sanctum Doctorem, quod quando obseruatio voti est manifestè nociua notabiliter, requiratur recursus ad superiorem, etiam in promptu habitum: sed dicer, *quod congruentius id fit.* Et ratio est desumpta ex eodem D. Thom. quia res promissa in tali casu pro tunc desinit esse materia voti: eo quod non est virtutis opus, sed vitij.

Et nos

Et nos addimus, hanc doctrinam esse notandam, vt valde necessariam, & applicãdam votis, quæ fiunt erga opera consiliorum. Ponamus exemplũ in voto status religiosi, qui inter consilia euangelica primatum tenet: Nam licèt hoc votum absolutè emissum egregium sit; tamen si ille status in detrimentum personæ vouentis cedat, vel quia notabiliter bonę eius valetudini nocet; aut fortè quia persona vehementibus motibus luxuriæ vexatur; quibus experitur sæpissimè succumbere; & in hoc casu si ante voti emissionẽ præsciatur subiecti fragilitas, votum non esse validum credo: quia non est de opere virtutis, sed vitij in hac persona: at si post voti emissionẽ præsciatur existimo votum fuisse validum; & postea agnita fragilitate subiecti suspensam manere talis voti obligationem, nec esse seruandum: quia bonitas obiecti votiui in vitium transiuit: quod si rerum vicissitudo mutetur, & bona valetudo restituatur, & motus Venerei mitescãt, votum in suum statum priorẽ redibit: esset tamen consultius voti huiusmodi petere dispensationẽ, vt dixit D. Thom. & adnotauit Caiet.

Sed hæc doctrina intelligenda tantùm est de votis simplicibus, nam in solemnibus alia est ratio: etenim post emissam professionem religiosã, vel post sacrum ordinem susceptum, quantumuis mala valetudo adsit; & quamuis tentetur, qui votum emisit crebris motibus fornicationis, non licebit à voto recedere: aliàs quamplures monachi & clerici seculares ab instituto recederent: & in hoc casu instar status coniugalis iudicandum est; à quo si propter inconuenientia liceret recedere vix reperiretur coniugium stabile.

ARTICVLVS III.

Vtrùm omne votum obliget ad sui obseruationem?

Paraphasis Articuli.

DIVVS Tho. respondet affirmatiuè; & probat in argumẽto; sed cõtra, ex Eccles. 5. *Quodcunq; voueris redde*: & post pauca, *Multo melius est non vouere, quam* 1 Eccles. 5. *post votum promissa non reddere*; Et ratione: quia homo tenetur Deo maximè fidelitatem seruare ratione dominij erga nos, & ratione beneficij suscepti; sed seruare Deo promissum pertinet ad fidelitatẽ debitã Deo ab homine, iuxta illud Salomonis: *Displicet Deo infidelis promissio*: Ergo omne votum cũ sit promissio Deo facta obligat ad sui obseruationem. Hanc cõclusionẽ esse de fide asserit idem Doctor Sanctus, & *quodlib. 3. ar. 11. & opusc. 18. c. 12.* contra quosdam hæreticos infra citandos: & licet ibi specialiter loquatur de voto ingrediendi Religionẽ, rationes tamen ab eo allatæ de omni voto probant. Eandem conclusionẽ vt de fide admittũt omnes Patres quos refert Bellarminus *lib. 2. de monach. c. 16. & seq.* Medina *li. 4. de continentia sacerdo. controuers. 7. &* vide alia in Bellarm. Medina. Decreto. 20. *q.* 3. *&* 27. *q.* 1. 33. *q.* 5. & habetur eadẽ conclusio ex sacra Scriptura in locis sæpè citatis, & in Psal. 75. *Vouete, & reddite, &c.* Primum verbũ consilij est, secundum pcepti; vt adnotauit Glossa: & approbat Innocentius III. c. *magno* de voto & Deuter. 23. Eccles. 5. idem habetur Iob. 22. *Rogabis Deum & exaudiet te, & vota tua reddes*: Et rationem in articul. amplificat idem Sanctus infra quæst. 189. art. 3. ex Augustino, quẽ ex epistola ad Bonifacium refert sic loquentẽ: *Si inter homines solent bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui; quanto magis pollicitatio, quam cũ Deo pepigit, solui sine vindicta non poterit*? Similia habentur apud Leonem Papam epist. 90. alias 92. ad Rusticum c. 14. *si humana* (inquit) *pacta nõ possunt impunè calcari, quid eis manebit, qui corruperint fœdera diuini sacramenti*? Circa quã rationẽ nota, ideo adduci à D. Aug. Leone & D. Tho. nõ vt æquiparent pmissiones factas Deo & hominibus: certum est enim illam esse maiorem; sed supposito fidelitatem esse hominibus præstandam (siue ex iustitia, siue ex veracitate modò non disputo) faciunt argumentum à fortiori.

Psal. 75. Innocen. Deut. 23. Eccles. 5. Iob. 22. Leo Papa.

Nec est cur solicitus sis optime lector, an requiratur Dei acceptatio, vt votum obligatorium sit, sicut in promissione humana necessaria est. 2 Certum est enim, acceptationẽ diuinam in omni voto valido interuenire, vt ex testimonijs allatis ex Augustino & Leone videtur colligi: ea tamen acceptatio satis clarè habetur in sacra Scriptura: quia Deus reuelauit sibi placere; imò & iubere, vt talia vota impleantur.

Et si obijcias c. *scimus* 12. q. 1. vbi votum *pollicitatio* dicitur: sed pollicitatio nuda nõ includit acceptationẽ pmissarij, vt habetur in l. 3. ff. de pollicitationibus. *Respondetur*. Iurisperiti accõmodarunt vocẽ pollicitationis pro pura pmissione, sine acceptatione promissarij: sed tamen hæc accõmodatio nõ ad vnguẽ obseruatur, sed nomen pmissionis, & pollicitationis cõfundũtur, & certè in rigore Latino idẽ significant: & ita in illo capite sumitur pollicitatio p promissione, vt patebit intuenti textum. Itaq; dicimus in omni voto reperiri Dei acceptationẽ, quidquid dixerint aliqui Iurisperiti; qui nõ adducunt p se aliquid firmum: & ideo illos omittendos censeo. Et hæc satis sint p litera D. Tho. si tamen animaduertamus circa eam esse à nobis submouendas disputationes plures concernentes obligationem verorum votorum: & adijciem⁹ aliquas circa promissiones quasdam, quæ vera vota non sunt, apparent tamen esse.

DISPVTATIO I.

Vtrùm vota coacta, id est facta metu alicuius mali vrgentis, sint valida, & obligatoria?

VIDETVR vera pars negatiua: quia metus voluntarium tollit, vt docet Aristo. 3. *Ethico.* sed votum inuolũtariũ non est votum, vt de se patet: ergo. *In oppositum* est quia nullo metu potest homo excusari ab obseruantia legis naturalis, & diuinæ: implere autem votum est de lege naturali, ac diuina: ergo. 5 Arist.

Pro

Pro resolutione præmittẽdũ metũ interdũ oriri ex eo quod imminet aliquod mal à cãusis naturalibus, vt à graui morbo, à naufragio, & similibus. Interdum ortum habet ab hominis actione violenta, quæ aliquando iusta est, aliquando iniusta. Deniq; interdum potest homini metus incuti directè ad extorquendum votum: vt si pater minetur filiæ grauem vexationem, nisi voueat castitatem, aut religionẽ. Interdum verò metus potest esse occasio voti, licèt directè nõ incutiatur ob illum finem: vt si quis minetur alicui mortem, & inde alter moueatur ad vouendum, vt ab illo periculo à Deo liberetur.

4 *Prima assertio.* Stando in solo iure naturæ aut diuino, votum factum ex metu proueniente à causis naturalibus, etiam si grauissimus sit, validum est, & obligatorium. *Probatur*, quia metus nõ tollit libertatem simpliciter, nec voluntarium: ergo nõ obstante metu homo per talẽ voluntatẽ obligatur. Antecedens habetur ex D.Th. 1.2.*q.6. art.6.* Quod sic explico, supponendo ex eodem sancto Doctore voluntati quoad actum internum ab ea elicitum nõ posse violentiam inferri absolutè loquendo: nihilominus potest quodãmodo cogi coactione quadã morali: id est persuaderi & inclinari ad actum, vel promissione alicuius boni, vel terrore alicuius infligendi mali, nisi voluntas ad volendum applicetur; & talis actus absolutè liber est, habens tamen admixtum aliquid inuoluntarij. *Exemplum tritũ* est in eo, qui timore naufragij perterritus vult, & proijcit merces in mare: nam absolutè vult proijcere, vellet autẽ nõ proijcere: & terror iste absolutè nõ aufert voluntariũ, sed dũtaxat diminuit illud: quia homo ratione illius vult, quod aliàs nollet si esset liber à tali metu. Sic dicendum est de vouente ex metu proueniente à naturalibus causis: votum enim illud voluntarium est absolutè, & inuoluntarium secundum quid: & ideò nõ obstante tali metu validum est, & obligatorium. *Confirmatur*; quia nõ obstante metu illo posset votum illud nõ fieri: signum ergo est esse simpliciter, & absolutè voluntarium. *Secundo*, quia voluntarium quod se cõpatitur cũ eo metu, sufficit vt homini ex metu operanti malũ imputaretur ad peccatũ; vt Augu. ait in c. *merito* 15.*q.*1.1.*& q.*24. *in Nu.* dicens peccata per metũ cõmissa nõ esse peccata nollentiũ sed volentiũ: ergo idẽ dicendũ est de vouẽdi actu ex metu: etenim voluntas ad obligandum hominẽ Diabolo sufficiet ad obligandum Deo. August.

5 *Dicet quis*, hanc consequutionem claudicare: quia Deus nullo modo offendi vult ab homine, neq; voluntate omninò spontanea, neq; illo modo coacta: quia meritò vult offensionem suam maiori odio haberi quam quodcunq; aliud malum. Et ita execratur quodcunq; peccatum: etiã illo modo coactum. Secus videtur dicendum in obsequijs, inter quæ votum computatur; vult enim Deus obsequia spontanea, non autem coacta: ideò licèt homo absolutè velit se obligare coactus tantùm ex metu, Deus non acceptat illud obsequium, & ex hac parte non valet votum ex eo metu emissum. *Respondet.* negando nunquã Deum velle acceptare obsequia metu facta, quin potius communis modus trahendi homines ad se est incutiendo timorem; vt docuit Synodus Trident. *sess.6. canone.6. & sess.24. cap.4.* non enim trahuntur homines solo amore; sed etiam timore. *Et confirmatur*, aliàs vota innumera laudata, vt nulla haberẽtur. N.12. Israelitæ victi à Chananæis votò se adstrinxerunt. Et Dauid Psal.65. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Et subiungit dicens, quale fuerit votum. *Et loquutum est os meum in tribulatione mea.* Item nihil consuetius apud Christianos, quam in naufragijs, infirmitatibus, & alijs mortis periculis emittere vota cupiditate euadendi ea. Deniq; iste est communis vsus, & sensus Ecclesiæ; & sumitur ex cap. *sicut* 1. & 2. de reg. & cap. *literaturam*, de voto: videndi sunt glossatores. Num. 21. Psal. 65.

Obijcient Iurisperiti c. *Gonsaldus*. 17.q.2. de quo ibi dicitur in infirmitate feruore passionis pressum monachum se fieri promisisse; nõ tamen se tradidisse Abbati, aut monasterio, nec promissionem scripsisse, sed beneficium, quod habebat renuntiasse: & tamen respondet Pontifex illi esse beneficium restituendum, vt quiete retineat. Sentit ergo professionẽ metu mortis factam nõ fuisse validam: alioqui non esset ille Gõsaldus liberè permittendus in seculo permanere cum beneficio seculari. 6

Respondetur. Põtificem tantum docere, illum per eum actum vouendi nõ assumpsisse statum religiosi, quod nõ fundat in metu, sed quia nõ exegerat probationis annum, neq; aliud, quod illo tẽpore professionis obligationem inducebat. De promissione autem & voto simplici nihil dixit Pontifex; non quia per se non obligat, sed quia non reddit personam beneficij incapacem: de qua re ibi agebatur: fit autẽ ibi mentio de metu, & passionis feruore; vel vt narretur quomodo casus acciderit; vel quia cum non solum dicatur votum factum fuisse in infirmitate, sed etiam in feruore passionis, quæ poterat esse tanta, vt iudicium rationis obscuraret: & ideò de illo Pontifex (vt pote cui hæc obscuratio non constabat) nihil dixit; & meritò quia de voto simplici non fuerat interrogatus, sed de beneficio, quod non amittitur per votum simplex Religionis.

Secunda assertio. Etiam si metus oriatur ab actione hominis iniuriosa, si non sit directè ad extorquendum votum, non obstat quominus votum occasione illius metus emissum sit validum, & obligatorium. Hæc probatur eisdem rationibus, quibus præcedens, & manifestatur exẽplis à fidelibus acceptatis, vt si quis emittat votũ occasione vitandi carceris, exilij, aut belli iniusti; talia vota valida, & obligatoria sunt. Hæ duæ præfatæ assertiones indubitatæ sunt apud Theologos, & Iurisperitos. 7

Sed non mediocris controuersia est, quid sit dicẽdum quãdo metus directè immittitur ad extorquẽdum votum: De qua re duę sunt sententię. *Prima est*, in eo casu votum esse validũ stando in solo iure naturali & diuino. Ita Syluester verbo *metus* quæst.8. & nouissimè Suarez *li.1. de voto ca. 7. num.12.* & sequentibus, & fauere videtur Aragon. circa articulũ hunc; & de matrimonio multi id di- 8 Sylu. Suarez. Aragon.

Sanctius. id dicunt quos refert Thomas Sāctius *lib 4. citato* & inde patroni huius sententiæ consequentiam faciunt ad votum; sed cum controuersia hæc sit duntaxat de naturali iure, ac diuino, solis rationibus agendum est. *Prima*, & fundamentalis, quia ad valorē & obligationē voti defectus volūtarij omninò & vndequaq; non obstat; vt in primis duabus assertionibus probatum est, sed sufficit voluntarium absolutè: at in hoc euentu reperitur voluntarium absolutè & simpliciter, licet coactū: & ideo ad mixtum inuoluntario, vt supponimus: ergo stando in iure naturæ votum ex prędicto emissum validum, & obligatorium est.

Secunda ratio, quia in hoc casu, si votum esset inualidum, vel sumeretur hæc inualiditas ex parte iniuriæ quæ fit vouenti, vt voueat: aut ex inuoluntario, quod ex illa resultat: neutrum istorum sufficit: ergo. *Probatur minor* quoad *primam partem* de iniuria: quia in casu secundæ assertionis interuenit iniuria, quamuis non sit ordinata ad extorquendum votum: & tamen ea non obstante votum validum est. Quoad *secundam partem*, quia absolutè vota sic emissa voluntaria sunt: ergo absolutè valida. *Confirm.* quia in huiusmodi votis reperitur duplex voluntas: vna absoluta, & positiua: scilicet, *volo vouere*: altera secundum quid, & conditionata, puta, *vellem non vouere*: sed hæc posterior debilior est, & potius designat quendam displicentiæ affectum: ergo à priori vincitur & superatur: vnde effectus eius, scilicet validū, reddere votum nō impeditur propter illam imperfectam nolleitatem, seu displicentiam.

Tertia ratio: nam matrimonium contractum metu mortis validum esse communis tenet sententia: ergo & votum. *Quarta*. Iuramentum per iniuriam extortum ad confirmandam promissionem homini factam validum est, & obligat propter Dei reuerentiam: iuxta capit. *si debitores*, cap. *si vero*, de iureiurando: ergo etiam votum directè extortum per iniuriosam vim validum est propter diuinam reuerentiam: quia non minus spectat ad reuerentiam Dei obseruantia voti, quàm iuramenti: tum: quia sicut iniuria ab homine facta in extorsione iuramenti non tollit, quin Deus honoretur sui nominis obseruantia: ita in voto non obstat, quominus Deus illud accepiet.

9 Bonau. Sotus. Gloss. Abbas. Panom. Angel. Nauar. *Secunda sententia* tenet votum factum ex metu incusso ad illud extorquendum esse nullum iure naturæ. Ita Diuus Bonauentura, *in tertio, dist. 36. artic. 3. quæst. 2. ad primum, & copiosius* & clarius Soto *lib. 7. de iustitia, quæst. 2. art. primo ad secundum*: eādem insinuant glossa in capite primo, & in capit. *Abbas*, de his, q̄ vi. vbi. Panormit. n. 11. Angelus verbo, *metus*, numer. 7 & 8. Nauarrus capit. 12. n. 52. & 54. sed hi Iurisperiti cum allegent multa iura fortasse loquuntur de iure positiuo: nos verò in præsentiarum agimus tantùm de iure naturæ, & diuino.

10 Hæc sententia nobis magis arridet, & sit nostra tertia assertio: quæ probatur primò ratione Diui Bonauenturæ, quæ fundamentalis est. Nam Deus non acceptat sacrificia coacta: sine acceptione verò diuina non extat votum. Explicatur vis huius rationis: nam vouere Deo inter obsequia Deo exhibita computatur, sed quando ab aliquo metu extorquetur votum, nō habet rationem obsequij Deo præstiti: ergo neque rationem voti. Probatur minor, quia vouēs in hoc casu tantum abest vt Deo obsequium exhibeat: quod potius id ipsum vouere habeat exosum, velletque nullo modo tale Deo obsequium exhibere, vult autem absolutè, quia nullo alio modo potest votum euadere.

Dicet quis: poterit euadere proferendo exterius verba promissoria: ergo si absolutè interius vult vouere prorsus voluntarium est. *Respondetur*, fuga est hæc, non argumenti solutio: nam licet conatus iniuriose petentis votum possit deludi per sola verba promissoria, tamen is, qui illa profert, nequit absque peccato & mendacio illa proferre, non habens propositum vouendi, aut implendi promissum: ergo ex vi illius metus cogitur habere propositum vouendi, vt possit exteriorem promissionem verè & sine peccato proferre, & cum ex alia parte permaneat indisplicentia voti, non potest illud habere rationē obsequij diuini: atq; adeò neq; rationē voti.

Adhuc amplius explicatur à simili. Si quis pœniteat peccati cōmissi propter inferni pœnas, opus gratum Deo exercet: vt diffinit Synodus Tridenti. *session. 6. Can. 8.* at si pœniteat propter easdem pœnas, dicens interius: si non essent pœnæ gehennales nequaquam pœniterem, neque propter Deum, neque propter homines: ista pœnitentia non est grata Deo, vt latius dicitur supra *quæst. 19. art. 4.* Non valdè dissimiliter, ille, qui vouet metu coactus, si abijciat à se displicentiam, & nolleitatem, obsequium exhibet Deo: ac proinde potest ritè emittere votum: at si retinens displicentiam, & nolleitatem vouendi, quia votum habet exosum, nequaquam opus obsequij exhibet Deo, neque legitimum votum. *Confirmatur*, quia de ratione voti est vt sit voluntarium & placidum vouenti, saltem in ipso tēporis momento, quo fit: ergo si tunc ingratum est, & displicet vouenti non est legitimum votum. Secundò, quia matrimonium, metu graui celebratum censetur à multis iure naturæ inualidum, vt videre licet apud D. Thom. Scotum, & alios *in 4. dist. 29.* ergo idem dicendum est de voto. Tertiò. Votum non obligat ad sui obseruantiam imminente metu mortis, vt compertum est: ergo neq; obligat factum ex tali metu. 11

Dicet quispiam. His rationibus, si quid ꝓbarent, subinde ꝓbaretur quotiescunq; votum emitteretur per metum iniuriosum, vt in casu primæ & secundæ assertionis, votū illud esse inualidum: ꝙ tamen nō admittitur. *Contrà arguitur* quartò quia in hoc casu multò magis est votū inuoluntariū, q̄ in casu primæ & secundæ assertionis. Nam in illo licet votum videatur emissum ex timore mali, ꝙ homo vitare cupit; tamen supposito illo timore, qui hominem induxit ad vouendum, votum nō solum est simpliciter verum, sed & omninò voluntarium, sine admixtione alicuius inuoluntarij per aliquam nolitionem vel simplicem displicentiam; nam qui in naufragio, vel alio similis 12

morti

mortis periculo, etiam proueniente ex actione hominis alia de causa mortem inferre volentis promittit, aliquid Deo, vt se à tali periculo liberet, non habet hunc actum *nollem vouere*, neque hunc, *si non essem in hoc periculo non vouerem*: & multo minus hunc: *exosum est mihi votum*: cum enim intendat placare Deum potius conatur hic & nunc facere votum, eo modo, quo Deo placet, & gratanter acceptet: & ideo fieri nequit, vt illum actum audeat habere spontaneæ promissioni, & obsequio diuino valdè repugnantem, & ostendentem votum illud procedere ex timore purè seruili: est ergo illud votum in se omninò voluntariũ, quamuis occasio emittendi illud sit inuoluntaria. At verò in hoc vltimo casu, de quo controuertimus, votum illud est mixtum formali in voluntario: nam revera ille homo nollet votum emittere, & per formalem affectum solet illud explicare, quia per votum illud nõ intendit placare Deum, sed solùm satisfacere voluntati hominis comminantis mortem nisi votum emittat; & ideo solum id facit quia ad hunc finem necessarium est, miscetque de inuoluntario quantum potest: ergo non videtur tale votum fieri cum voluntate ad obligandum sufficiente.

Ad argumenta pro opposita sententia, *respondetur*.
13 *Ad primum* negatur maior: necesse est enim votum, id est vouere, in eo temporis puncto, quo exercetur esse omninò voluntarium: & in casibus primæ & secundæ assertionis ita contingit: secus in casu, de quo modo controuertimus, vt in vltimo argumento pro secunda sententia explicabamus.

Ad secundum respondetur, inualiditatem talis voti prouenire ab inuoluntario procedente ex actione hominis iniuriosa, volentis ea mediante extorquere votum: itaque præcipua ratio, quare votum illud nõ sit validum, sumitur ex eo, quod licèt sit absolutè voluntarium, tamen non omninò, cum habeat adiunctam displicentiam, & nolleitatem, ratione cuius sit illi ingratum, & exosum vouere: quod genus obsequij non acceptat Deus: quinimò crediderim, si homo metu proueniente à causis naturalibus ad hunc modum voueret, loquens internè cum Deo: ego domine nollem vouere, sed displicet mihi, & ingratum habeo tale votum, sed metu coactus modò voueo, crediderim, inquam, votum non esse validum, quia non est omninò voluntarium, sed habet inuoluntarium admixtum eo tempore quo fit.

Sed dices. Votum illud acceptat Deus quoad meritum: est enim ille actus meritorius: ergo etiam acceptat quoad votum. *Respondetur* negando consequentiam: iam enim in præcedenti articulo multa in medium attulimus; quæ cum meritò fiunt, non sunt tamen legitima materia voti. *Secundo dico*: fortè ille actus esset otiosus: nam si non valet in ratione promissionis Deo factæ, ad quid valet? Ad confirmationem secundi argumenti resp. illam nolleitatem seu displicentiam vinci quidem à voluntate absoluta promittendi quantum ad hoc, quod illa est voluntas conditionata, & secundum quid; hæc absoluta: non verò vincitur illa, id est extinguitur, sed in eo temporis puncto, quo votum emittitur permanet, & est sufficiens actum illum vouendi inuoluntarium quodammodo constituere, quod sufficit ad inualiditatem voti, vt explicabam: nam si quis, cui metus mali incutitur, nisi voueat, velit absolutè vouere, & excutere à se nolleitatem, & displicentiam vouendi, vt Deo opus eius gratiosius fiat, absque dubio validum erit votum.

Ad tertium dicitur fortasse esse probabilius matrimonium extortum per iniuriam esse inualidũ, 14
de quo in materia de matrimonio. *Secundo*, admisso antecedenti neg. conseq. quia matrimonium & alij humani contractus celebrantur per promissionem hominibus factam, quibus res promissæ vtiles sunt: ac proinde eorum parum interest, quod promittentes sint omninò voluntari, si tamen absolutè promittant. Aliter de Deo iudicandum est, vtpotè qui bonorum nostrorum non indiget, & ideò generosum eius animum non decet acceptare obsequia coacta.

Ad quartum negatur consequentia. Ad primam probationem concedimus, iuramentum metu extortum esse validum propter reuerentiam diuini nominis, quæ deficeret, si non valeret adducendo primam veritatem in testem. At hæc consideratio non habet locum in voto, quod est quoddam obsequij genus, quod Deus non acceptat, nisi omninò voluntarium sit. *Ad secundam* probationem respondetur, eam procedere attendendo tantum rationem iniuriæ extorquentis votũ; nos vero præcipuè attendimus rationẽ voluntarij omninò, quod in casu controuersiæ deficit. Hæc dicta sint attento solo iure naturæ, & diuino.

Sed rogabit meritò quispiam: An aliqua vota ex 15
metu facta sint irrita, & nulla iure Ecclesiastico? *Sit quarta assertio.* Vota emissa ex metu cadente in virum constantem iure Ecclesiastico sunt irrita. Explicatur assertio supponendo Ecclesiam posse irritare vota simplicia antequam emittantur: verbi gratia, præscribendo certam ætatem, antequam *vota facta* non valeant, inhabilitando personas quasdam ad vouendum; aut verò vota metu facta annullando, quod fecisse in assertione diximus. *Item declarare oportet*, quid sit metus cadens in constantem virum, siue (quod idem est) metus iustus: quæ voces vsurpantur sæpè in iure, vt patet toto titulo de his, quæ vi metusve causa fiunt. Metus cadens in constantem virum est ille, qui non est alienus à viro constanti & forti: & agnosci poterit primò ex obiecto, vt si malum comminatum est graue, qualia sunt mors, graues cruciatus, diuturnus carcer, seruitus, grauissima infirmitas, omissio status, vel magnæ partis sui census, metus stupri, metus infamiæ, quæ facilè resarciri non potest. *Secundo*, potest agnosci ex parte modi, vt si metum incutit vnus, aut plures armati: nam si incutiat illum puer, aut mulier, &c. non erit metus cadens in constantem virum. *Tertio*, dignosci poterit ex parte subiecti: fieri enim potest, vt metus, qui respectu vnius dicitur cadẽs in constantem virum, respectu alterius non sit:

vt metus qui respectu alicuius puellæ, vel alterius fœminæ, dicitur cadens in virum constantem, respectu viri nō dicetur talis. Hoc supposito probatur assertio ex capit. *perlatum*, de his quæ vi, & cap. *cum dilectus*, eodem: ibi enim votum per metum factum censetur obligare, quia non fuit tantus, vt caderet in virum constantem: ergo à contrario sensu, si talis fuisset metus, votum non fuisset validum: & capit. *Abbas*, eodem: vbi dicitur quæ metu fiunt debere irritari: & capit. *ad audientiam*, dicitur, quæ metu fiunt debere carere robore firmitatis. Secundò probatur, ex capit. *cum locum*, de sponsalibus, vbi dicitur: *Cum locum non habeat consensus, vbi metus vel coactio intercedit, necesse est, vt vbi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur*: & hæc ratio in voto etiam procedit. Hanc assertionem tenent communiter Doctores: signanter Glossa, Panormit. & alij Iurisperiti, Nauarr. *cons.* 12. *&* 22. de his quæ vi, dicens esse opinionem communem. Hostiens. titulo de regularibus. §. & qualiter. Richard. in 4. distinctio. 29. articul. 1. & ibi Palud. quæstion. 1. Sotus ibi, & alij etiam summistæ verbo, *metus*, seu *coactio*, qui de metu cadente in virum constantem intelligendi sunt, cum allegent iura, quæ de hoc metu loquuntur.

Glossa. Panor. Nauarr. Hostien. Richard. Palud. Sotus.

16 Oppositū nostræ assertionis tenet Cardinalis in capit. *Abbas*, citato, vbi ait, nullo iure probari vota metu facta esse irrita, etiamsi cadat metus in virum constantem, & insinuat idem Syluester vbi supra, & *votum* 2. quæstion. 12. & *iuramentum*. 7. quæst. 7. & nouissimè eam sententiam tuetur Suarez *lib.* 1. *de voto cap.* 8. *à numero.* 6. & conatur ostendere iura allegata non probare nostram assertionem: nam capit. *perlatum*, tantùm loquitur de voto solemni, & professione religiosa. *Respondetur*: ita verum est, sed meritò ad omnia vota facta ex metu cadente in virum constantem extenditur: quia procedit eadem ratio, ait cap. *cum dilectus*, non probare: quia argumentum à contrario sensu non est satis firmum: sed sæpè validum est, maximè adiunctis alijs capitibus, videlicet capi. *Abbas*, capit. *ad audientiam*, quæ licèt loquantur de alijs contractibus, reddunt tamen rationem generalem, quæ votis optimè adaptantur.

Card. Syluest. Suarez.

Idem dico ad capitulum, *cum locum*, certè ita interpretantur, & ita adaptant Iurisperiti graues citati. Quibus in iuribus interpretandis ego magnam adhibeo fidem, à quibus nolo recedere propter cauilos, & ratiunculas, & propter vnius aut duorum dissensum. Item, quia votum simplex Religionis emissum ex metu cadente in virum constantem irritum est, vt omnes fatentur: cur ergo non idem dicendum de omni consimili voto? Ad argumenta initio disputationis posita patet ex dictis.

DISPVTATIO II.

Vtrùm vota emissa ex dolo, ignorantia, aut errore, sint obligatoria?

1 HAEc disputatio nimis affinis est præcedenti, & pro parte affirmatiua arguitur primò: nam vota emissa ex metu valida sunt, & obligatoria: saltē illa, quæ nō dant causam voto, vt nuperrimè dicebamus: ergo & vota facta ex ignorantia, præcipuè illa, quæ causātur ex dolo & deceptione, quæ videntur æquiparari metui ab extrinseco incusso. *Secundò*: id videtur diffiniti in c. *dudum*, de cōuers. cōiug. vbi approbatur votum ex deceptione factum, & Glossa, Panormita. & Imola, & addit Glossa dolum inducens ad bonum, non obstare voto: & explicatius in cap. *cū dilectus*, de his quæ vi. In oppositū est, quia omnis promissio gratuita, & præcipuè votū, debet esse omnino volūtaria: sed votum ex deceptione, errore, aut ignorantia factum est inuoluntarium, quia vt habetur cōmuniter, ignorantia causat inuolūtariū: ergo.

Gloss. Panor. Imola.

2 *Dico primò.* Votū emissum ex ignorantia quidditatis voti aut proprietatum eius substantialiū non est obligatorium: verbi gratia, si quis voueat putans se ad nil obligari. *Assertio certa est*, & communis: & probatur: quia ignorātia illa tollit voluntariū, cùm iste vouens nesciat quid sit votum, voluntas autem non fertur nisi in cognitū. Hinc colliges multa apparētia vota homines emittere, quæ reuera vota nō sūt, & cōsequēter neque obligatoria, vt si quis voueat putās per votū non fieri Deo promissionē, iste censendus est vel iurare, vel proponere rem, quàm vouet faciendā. Item, quando solent dicere voueo Deo me vindicaturū, non promittendo aliquid Deo, potius indicatur pertinacia in vindicta sumenda, &c.

3 *Secundo dico.* Vota emissa ex ignorantia circa conditiones vel circumstantias rei votiuæ adeò graues, vt moraliter existimentur pertinere ad rei votiuæ substantiā, nō sunt valida, neque obligatoria. Hæc est communis omnibus Doctoribus Theologis, & omnibus Iurisperitis, paucissimis exceptis. Exēplū sit in eo qui voueret ire Romā putans distare à ciuitate vouentis per decem leucas. Item votum de ingrediendo Religionem Dominicanam, aut Carthusiensem ignoratis asperitatibus illius Religionis: putà abstinere à carnibus. *Probatur assertio*: quia qui cum hac ignorantia vouet, meritò censebitur ignorare quid voueat, & sine hac cognitione non est voluntas vouendi.

Obijcies. Ignorantia circumstantiarum nō reddit inuoluntariā actionem, quoad substātiā eius: sed in præfatis casibus non ignoratur materia substantialis voti, sed quædā eius circumstantiæ: ergo talis ignorantia nō reddit votū inuolūtariū quoad substantiam eius: ergo erit validū quoad illam, & consequenter quoad reliqua: quia accidentia substātiā cōsequūtur. *Maior patet*: nā ignorantia eatenus causat inuolūtariū, quatenus occultat obiectū volēdū, non autē occultat, nisi illud, de quo ignorantia est: ergo si tantùm est de circumstantijs, non de substantia actionis, non occultat actionē quoad substātiā: ergo neque facit illā inuolūtariā. *Minor* etiā clara est: quia substantia Religionis non est ieiunium aut abstinentia à carnibus. Idem est de voto peregrinationis, cuius substantialis materia est visitare hūc

vel illum locum pium, distantia autem, aut modus itineris est accidentalis circumstantia. *Respondetur*. Illę circumstantiæ graues accidentia sunt in ordine ad honestaté rei votiuæ: at verò in ordine ad actionem vouendi, quando graues sunt moraliter censentur pertinere ad substantiam voti: vouens enim non intendit obiectum illud nudũ promittere, sed suis circunstantijs vestitum: quapropter quando sunt graues non censetur vouens obiecti substantiam vouere, quando errat circa eas circunstantias.

4 *Dico tertiò*. Quando circa materiam voti adest ignorantia, vel deceptio circa aliquas circunstãtias, vel impertinentes, vel leuioris momenti, talis ignorantia, qualiscũque illa sit, nõ impedit valorem, & obligationẽ voti. Ita communiter tenent Doctores: & ratio est: quia parum pro nihilo reputatur; ideòque moraliter nõ existimatur sufficiens ad mutandam volũtatẽ, neque ad causandum involuntarium simpliciter, vel multum illud minuendum: quod autem perfectionem eius aliquantulum minuat, vel aliquale inuoluntarium secundum quid causet, nõ satis est ad impediendum votum: quando verò conditio ignorata huiusmodi sit, arbitrio prudẽtis Theologi relinquitur. *Obijcies* ex præcedenti disputatione, vbi diximus inuoluntarium secũdũ quid sufficere ad inualidandum votum: ergo idem dicendum est in casu huius assertionis. Negatur consequentia, quia displicentia voti per metum facti in ipsa actuali emissione voti reperitur: at in casu huius assertionis nequaquam, sed tantum habitualiter, vel ad summum in ignorantia dans causam, vel occasionem voti: & cum sit quasi nihilum ea circumstantia ignorantia pro nullo impedimento debet reputari.

5 *Dico quartò*. Quando conditio ignorata non spectat ad materiã voti, sed ad causam eius, tunc impediet valorem eius, quando fuerit propria, & finalis causa voti. Iurisperiti vocant finalem, vel impulsiuã, nos clarius dicimus, quando fuerit quasi ratio formalis mouẽs in tali materia ad eã promittẽdã. Si verò fuerit tantũ occasio, siue ratio secundaria mouens, ignorantia illius non impediet valorem voti. *Exemplum primæ* partis, quando quis putans Petrum esse pauperẽ vouet dare illi certam summam. *Exemplum secundæ*, quando quis occasione accepta existimatæ paupertatis eius, vouet dare pauperibus eleemosynam. Probatur vtraque pars: quia finis est qui voluntatem mouet: ergo si circa finem erratur per ignorãtiam, voluntas ipsa etiam inuoluntaria est circa rem volitam propter illum finem.

Secunda pars de fine secundario patet, quia illa non pertinet ad essentiam voti, & sine illa manet integer consensus: & iuxta hanc assertionem intelligendus est capit *ex parte*, secundo, de cõuers. coniug. vbi dicitur, quod mulier maritata matrimonio rato, quæ vouerat castitatem, mota verò fuerat ad vouendum, eo quod credebat maritum esse leprosum, in quo tamen fuerat decepta: & nihilominus respondet Pontifex, votum esse validum, & seruandum, cum sine qualibet causa id ipsum Religionis obtentu facere potuisset, nimirum quia ignorantia illa non fuerat de re pertinente ad substantiam voti, sed de motiuo quodam, vel occasione valdè extrinseca: quæ potuit quidem excitare vel applicare voluntatem mulieris ad vouendum, non tamen pertinet ad obiectum, seu materiam, neq; ad intrinsecum finẽ, seu motiuũ talis voti, q̃ est Religio, & cultus Dei. Et eodem modo intelligi potest c. *magnæ*, de voto, vbi Panorm. & alij dicunt ignorantiam illam fuisse de causa impulsiua, & remota. Et hæc dicta sint de ignorantia interueniente in voto simplici: nam de voto solemni inferius disputabimus.

Sed rogas. Cum ignorantia sit multiplex, vt habetur. 1. 2. *q.6. art.8. & q.76. ar.*1. quædam consistens in sola scientiæ priuatione, quædam puræ negationis, quædam in errore positiuo, quæ dicitur prauę dispositionis: item alia antecedens, alia concomitans, alia consequens: præterea quædam vincibilis, seu culpabilis, alia inuincibilis, seu inculpabilis; cum, inquam, sit multiplex ignorãtia, de qua istarum verificantur præfatæ assertiones? Respondetur: quatenus asserunt vota esse inualida, de quacunque causante inuoluntariũ: at quatenus affirmant aliquem voti valorem nõ auferre, de quacunque similiter: quod agnoscetur ex ijs, quæ dicuntur prima secundæ locis citatis: modò verò breuiter dico. De ignorantia inuincibili procedunt præfatæ assertiones: quia interdum faciunt actum inuoluntarium, interdũ non: vt dicitur in eisdem assertionibus. 6

De ignorantia verò vincibili, & culpabili posset quis fortasse existimare nunquam auferre voluntarium: cùm relinquat tantum voluntarium, quantum sufficiat ad peccandum mortaliter. Dicimus autem, plus volũtarij requiritur ad votum, quàm ad peccandum mortaliter, vt declaraui superius circa articulum primum, disputat. quinta. Præterea dico. Si ignorantia est affectata non tollit voluntarium, sed relinquitur actus in natura suæ formæ: id est eodem modo, ac si de illo ignorantia non haberetur: & sic de voti valore cũ illa ignorantia iudicandum est, ac si emitteretur sine illa.

De ignorantia verò purè concomitante dico, non auferre voluntarium, neque ponere; quare ad valorem vel nullitatem voti impertinens est. Ignorantia concomitans dicitur, quando homo est ita dispositus, quod licèt talem ignorantiam non habeat, idem esset operaturus: quod cum illud iudicio Dei reseruetur, neque voluntarium ponit, neque aufert. Ignorantiam prauæ dispositionis certum est tollere voluntarium, si fiat circa substãtialia voti, aut rei votiuæ proprietates graues, aut circa finem primum vouentis: & de hac antecedẽter se habẽte præcipuè intelligũtur præfatæ assertiones. Ignorãtia puræ negationis licèt nõ causet inuoluntarium, tamẽ causat nõ voluntariũ: quare huiusmodi ignorãtia nõ tollit valorem voti, eo quod conditio ignorata sola ignorantia negationis implicitè continetur in obiecto absolutè volito: v.g. vouet quis absolutè Religionem Carthusiensem, ignorans an in illa sit esus carnis, nec ne, votum est validum: ita Caiet. *Caiet.*
verb.

verb. *votorum emissio*, in fine, Sotus supra quæst. 2. ar. 1. ad tertium, & alij.

Ad *primum* initio disputationis positum quatenus procedit contra primam & secundam assertiones, respõdetur, negando consequentiam, propter differentiam inter metum & ignorantiã: Nam metus non tollit voluntarium simpliciter, sed potius ad illud inducit, quamuis etiam admittat, vel moraliter afferat inuoluntarium secundum, quid; ignorantia autem tollit voluntatem absolutam, & directã obiecti ignorati. *Cuius discriminis ratio est*: quia metus non tollit volũtati obiectum, sed potius applicat illud, & facit iudicari bonũ (saltem sub ratione vtilis) id quod aliàs censeretur malum, ignorantia autem occultat obiectum: quo occultato non potest voluntas ferri in illud, quia nil est volitum, quin præcognitum: & hac ratione metus per se non sufficit ad votum annullandum, sufficit autem ignorantia per se solam, si sufficienter occultet vel mutet obiectum, iuxta dicta in assertionibus. Ad secundum ex c. *dudum*, respondetur ex traditis circa quartam assertionem. Secundò respond. Pontificem in eo casu nec verbum quidem de valore voti volentis continere, & viuere in hospitali: sed tantùm quæsitus, an mulier, quæ ex licentia viri votum solemne Religionis emisit teneretur ad virum redire, respõdet non teneri. Ad argumentum in oppositum respondetur probare nostras assertiones.

DISPVTATIO III.

De obligatione voti, de quo dubitatur, an factum sit?

DVplex potest esse dubium circa votũ. *Vnum est*, an factum fuerit, an nõ? *Alterum est*, an votum quod esse factũ certò cõstat, obligat an non? & si obliget, quomodo obliget? Quæ quæstiones alicui fortasse videbitur esse determinandas ex regulis generalibus, quæ adhiberi solent circa dubios quosque contractus: nihilominus quia in votis frequentius solent huiusmodi dubitationes oriri: & quia aliquid speciale de his occurrit dicendum, vtrumq; exactè disputabimus. *Primum* in hac disputatione, posterius in sequenti. Et videtur votũ, de quo dubitatur an emissum fuerit, esse obligatorium, vt obseruetur. Primò in dubijs tutior pars est eligenda, vt praxi mandatur c. *iuuenis*. de spons. & c. *ad audientiam*, de homicidio, cap. *significasti*, 2. eodem. At in casu disputationis tutius est seruare dubium votum, quia in hoc nihil est periculi, in transgressione est periculum non implendi promissum: ergo. *Si obijcias* cõtra axioma relatum aliud axioma, in dubijs melior est conditio possidentis suam libertatem, ac proinde non est iste dubius obligandus ad obseruantiam voti. *Respondent* fautores partis affirmatiuæ solum habere locum in materia iustitiæ, de qua obligatione hic non tractamus, sed de periculo violandi Religionem: in dubio autem fauendũ est Religioni, & diuino cultui, l. *sunt personæ. ff. de Relig. & sumpt.* funer. Consi. arg. in casu dubitatio de facto est, vt de se patet, sed in dubio facti tutior pars est eligenda, etiam in materia Religionis: ergo. minor exemplis probat. nam dubitans de veritate matrimonij, & an hæc sit vxor sua nõ potest petere debitum: quia ibi interuenit dubiũ facti, putà an contraxerint coniuges, & accedẽdo ad vxorem dubiam exponit se periculo trãsgrediendi naturale ius de nonfornicando. Idẽ fermè periculum videtur esse, si quis dubitans de voto à se facto, agat contra illud: nam exponit se periculo agendi cõtra naturale ius reddẽdi Domino vota sua, seu non violãdi illa. Item probatur eadẽ minor: nam in dubio facti tenetur dubitans se gerere ac si irregularis indubitatus esset, iuxta c. citatũ, *ad audientiam*. Secundo: possessio non dat ius spirituale, neq; proprie habet locum nisi in materia iustitiæ: ergo quamuis dubitans de emissione voti admittatur esse in possessione suæ libertatis, non tamen ob id dicetur eius conditionem esse præferendam Religioni, & cultui diuino. Hanc partem tenent multi, Cord. in summa *q.* 147. *refert. q.* 3. *pro se* Caiet. & Syl. & Sotũ: sed in eis hoc nõ reperitur, licet Syl. insinuet, eandem tenet Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 19. *q.* 10. *Vazq. acerius* 1. 2. *disputation.* 65. *cap.* 3. Cordub. Azor. Vazquez

2 Pro decisione *dico primò*. Si dubium sit positiuum de factione voti, id est per iudicium probabile vtriusq; partis, si homo iudicet probabiliter se non emisisse votum, non obligatur tali voto: etiam si fortasse habeat rationes probabiles, quæ contrarium suadeant: nam inter probabilia potest homo tuta conscientia sequi quam maluerit partẽ: quod certũ est, quando probabilitas est vtrinq; æqualis, & hoc præsẽti proposito sufficit. Hæc assertio, vt reor, omnib⁹ ẽ cõmunis.

3 *Secundo dico*. Si iudicium positiuum sit votum fuisse factum, & dubium sit tantum formidinis, tũc tenetur homo seruare votũ. Patet quia huiuscemodi dubium non sufficit ad constituendum hominem in vero dubio morali: vt si quis probabiliter credat se emisisse votum, & ad contrariũ credendũ non habeat probabilia motiua, sed solam formidinem: quia non habet euidẽtiam, sed probabiles cõiecturas, *Prob. assertio*: quia illa probabilitas facit certitudinem moralem, quando non est alia similis in contrarium. Etenim in rebus humanis non est maior certitudo postulãda, cum vix aliquid per infallibilem certitudinẽ cognoscamus. Præfatæ assertiones vt reor ferè omnibus debent esse cõmunes: tota difficultas in hac materia est, quando dubium negatiuum est: id est quando intellectus ita est in vtramque partẽ suspẽsus, vt neutri det assẽsũ: quia ꝓ neutro habet rationes, q̃ ad iudiciũ saltem ꝓbabile meritò inducãt, quãuis fortè cõtingat ꝓ altera parte habere plures, aut pauciores cõiecturas, nõ valẽtes vnã partẽ probabilẽ efficere, sed duntaxat animi suspensionem. Item quando homo sic dubius fecit diligentiam sufficientem ad pellendum illud dubiũ: nã si talẽ diligẽtiã nõ egerit, cũ possit, certum credo nõ licere votũ trãsgredi, quia trãsgressor se euidenti periculo errãdi exponeret. Vnde

4 *Dico tertiò*. Qui potest moralem factam diligentiam dubius manet de voto emisso, & non

potest ferre probabile iudicium, quod illud emiserit, non tenetur ad huiusmodi voti obseruationem. Hanc assertionem tenent ferè omnes moderni, præter citatos in oppositum, Sotus *li. 7. de iustitia.qu.3.art.2.* Medina *in summa lib.1.cap. 14. §. 7.* Angles *quæst.9. de ieiunio art.1. dif.dub. 2.prop.3. & alij videndi* apud Thomam Sanchez *lib.1.de sponf.dis.9.& prob.* ex communi axiomate, in dubijs melior est possidentis conditio: sed dubitans de voto an factum sit, post appositam diligentiam necessariam possidet suam libertatem: ergo est melioris conditionis, vt non subijciatur obligationi voti propter solam dubitationem. Scio fautores oppositæ sententiæ dicere, illud axioma solùm habere verum in materia iustitiæ, non in materia Religionis: sed non video quare sic restringatur, præcipuè, quia possessio vera non solùm est circa res corporales, sed etiam circa iura incorporalia, cuiusmodi sūt actiones quæcunque votiuæ: vt mittamus modò vota posse esse realia: id est circa quasdam res promissas. *Dicent fortasse*, in dubio potius standū est pro Deo, & eius cultu, quàm pro hominibus. *Respondetur*, non sunt cætera paria: quia constat de hominis libertate adhuc non amota per dubium, non verò de Dei iure, in hoc casu, quod ostēditur argumento secundo. *Secundò*, quia ante emissionem voti homo libertatem suam possidebat ad faciendum aliquid, vel non faciendū in Dei cultum: ergo propter dubium non debet cogi ad vnam partem, cùm dubium vtrumque sit æquale. *Tertiò*, quia obligatio voti valdè onerosa est: ergo restringenda est, & non amplianda ad casum dubium. Demum roboratur hæc assertio respondendo ad argumenta posita initio disputationis.

Ad primum resp illud axioma, in dubijs tutior pars est eligenda, vt verum habeat, intelligendū est de dubio practico, non verò de speculatiuo. Dubium practicum est, quando quis dubitat, an benè vel malè faciat exercendo aliquam actionem, vel omittendo: verbi gratia, quando quis tenetur præcepto ieiunij, & dubitat an hic, & nunc teneatur ieiunare, si non deponat dubium, tenetur ieiunare, ne se exponat periculo peccandi. Et hoc modo in votis dubijs nostri casus non potest homo operari contra votum, cum dubio practico, an benè vel malè faciat agendo contra votum: sed dubium est speculatiuum, an votum factum fuerit nec ne, & cum illo stat dictamen certum practicè non esse peccatum non seruare tale votum, sicut cum dubio an hæc res sit aliena, stat practica certitudo nullum esse peccatum illam non restituere eū, qui bona fide possidet, & non potest pellere dubium etiam facta diligentia, nec hoc est in præiudicium diuini cultus: Deus enim vtpote nostrorum bonorum non egens nostra vota dubia non exigit, neque cupit.

Ex hoc patet ad cap. *iuuenis*, in contrarium allatum: ibi enim sermo est de dubio practico, vt patet ex cōtextu. Item in casu illius textus nullus extitit possessor bonæ fidei: nam dubium de impedimento publicæ honestatis præcessit secundum matrimonium, & ideo iudicatum est pro parte certiori & pertinente ad Ecclesiæ honestatem: at in casu voti, de quo disputamus, homo est possessor suæ libertatis: vnde inter ipsum & Deum nō sunt omnia paria, quod necesse est, vt pars selectior alteri præferatur. *Ad exemplum* de matrimonio adductum in confirmatione respondetur, si dubium antecessit matrimonium, exemplum non est ad propositum: si verò antecessit matrimonij contractum, & dubitatur an legitimè initum fuerit, & facta diligentia dubiū pelli non potest, licitum est petere, & reddere debitum, de quo in materia matrimonij. *Ad secūdum* exemplum de irregularitate, respondetur illud esse peculiare in dubio de irregularitate homicidij & in casibus à iure expressis: quia sicut ius Canonicum potuit imponere irregularitatē pro homicidio, ita potuit statuere, vt homicidiū dubium sufficeret ad talem irregularitatem cōtrahendam, vel ad obligationem seruandi illās nec refert, quod iura id statuentia fundentur in illo principio, in dubijs tutior pars est eligenda: quia licèt illud principium mouerit Pontificem ad legem ferendam, non tamen est titulus sufficiens ad obligandum hominem in eo casu seclusa tali lege: & sic patet ad c. *ad audientiam.*

DISPVTATIO IV.

De obligatione voti dubij quoad valorem eius?

HÆc mouetur propter vota de quibus constat esse emissa: dubitatur autē de valore vel duratione eorum; id est an fuerint legitima vota? quæ dubitatio ferè decisa est ex modo dictis, sed in re frequenti & necessaria, specialius dicendum est circa casus aliquos occurrentes, in quibus dubitatur de quibusdam impedimentis, quæ impediunt valorem voti emissi, & consequenter obligationē voti. *& primò de intentione vouentis*, quæ si desit, votum nullū est: & si deesse dubitatur, inquirimus modò *an votum validum, & obligatorium sit*: Et dico. Quando votum certò emissum est, & dubitat vouens de sua intētione an fuerit promittēdi, vel se obligādi, an verba dicta fuerint ad significandum promissionē, vel propositum, vel quid simile, si non potest vouenti hoc constare facto diligenti examine suæ intentionis tunc ad verba recurrēdū est: nā si in rigore nō significent promissionē, certum est nō obligare. Itē: si sunt ambigua, in fauorē vouentis interpretanda sunt, vt nō censeatur obligatus, quia vouens non est deturbandus à possessione suæ libertatis per iudicium, & votū dubiū, cū in dubijs melior sit possidentis conditio. At si verba in rigore significāt promissione, & nō constat de intentione extrahendi illa è propria significatione, licèt non cōstet positiuè de intentione se obligandi, aut verè promittēdi tale votum obligat: quia votū illud certum est, nō dubium: aliàs innumera vota dubia censerentur, & obligatione carerent, si esset necessaria actualis recordatio vouentium de intentione positiua se obligandi, aut promittendi.

Secun-

2 *Secundus casus* est, quando pueri ante annos pubertatis vota emittunt, & dubitatur, an habuerint plenum vsum rationis, qualem esse necessarium, & sufficere diximus ad voti valorem: & si reuera dubitatio est de vsu rationis, votum nullum est: sed inquit Sotus *vbi supra articulo secund*o, semper toto tempore pubertatis præsumendum est defuisse rationis vsum: nisi oppositum certissimè constiterit. *Alij verò oppositum censent* de votis factis in secundo septennio pubertatis, nisi oppositum certissimè constiterit. Vnusquisque in hac parte in suo sensu abundet, quod nos modò dicimus, illud est, non obligare vota puerorum, siue in primo siue in secundo septennio: modò verò dubietas sit, an habuerint vsu rationis, nec ne quando vota emiserunt propter rationem primi casus? Sotus.

3 *Tertius casus est*, quando emittitur votum, & dubitatur de vsu rationis in vouente quando vouet propter defectum accidentarium, vt propter somnum, ebrietatem, aut febrem vel quid simile; in quo casu idem dico quod in præcedenti.

4 *Quartus casus est*, quando quis vouet in medio feruore iracundiæ, aut præcipitationis, & idem dicendum est: nam si reuera dubitatur de vsu actuali rationis pro eo tempore, votum emissum nullum est, sed tamen non debet talis vouens censeri priuatus fuisse rationis vsu in eo passionis tempore (quia raro id contingit, nisi probabiles conjecturæ adsint ad iudicãdũ talem passionem sum rationis pro eo tempore abstulisse.

5 *Quintus casus est*, quando dubitat vouens, an materia voti à se emissi sit licita, vel illicita. Quidam censent facto examine, si non potest pelli dubium votum esse validum: sed oppositum censeo verius: quia seruando tale votum homo se exponeret periculo peccandi: etenim ad implendum illud votum facturus est rem, de qua dubitat an sit peccatum.

Sextus casus est, quando post votum certum, & obligatorium oritur dubium de obligatione aut valore voti propter mutationem materiæ: nam facta diligentia ad pellendum dubiũ, si nõ potest vinci cauendum est periculum peccandi, si extat; vt in casu præcedenti: si autem non imminet periculum peccandi, aut subeundi aliquod graue malum subsecuturum ex impletione voti, seruãdum est votum: quia cum supponamus hominem verè vouisse; & id constare, principium illud: *In dubijs melior est conditio possidentis*, non fauet dubitanti: quia verè vouendo suam libertatem circa voti impletionem amisit: & ideo in fauorem diuini cultus declinandum est: & idem dico, quando votum certum est ex omni parte, & duntaxat dubitatur de impletione voti: nam manente dubio tenetur is, qui vouit illud implere: quia dubium certum est, & solutio incerta: quare fauendum est creditori. Ex dictis in hac disputatione, & præcedenti iudicato de alijs votis dubijs, si occurrerint.

DISPVTATIO V.

An voti obligatio sit personalis tantùm, ita quod obliget tantùm vouentem?

PRo decisione præmittendum dupliciter posse titulum disputationis intelligi. *Vno modo*, an obligatio voti formaliter, quam ad Religionem pertinere dicemus, ad alios præter vouentem transeat? *Altero modo*, an ex voto vnius, alius maneat obligatus; non voti, aut Religionis virtute, sed iustitiæ, vel alterius præcepti? Hoc supposito 1

Dico primò. Votum duntaxat obligat vouentẽ propria Religionis, & voluntatis ad Deum obligatione. Hęc assertio cõmunis est omnibus Doctoribus Theologis, & Iurisperitis, specialiter Abbati in capite *Olim*, de restitutione spoliatorum, Glossæ, Archidiacono, & alijs in capite *Quicunque*, 2. quæstione 1. & colligitur ex D. Thom. *in solutione ad tertium huius articuli*. Ratio fundamentalis est: quia votum actio est purè personalis, eo quod à voluntate vouentis totum suum robur habet, & ideò vnus sine propria volũtate nequit alterius voto obligari; quod egregiè insinuauit Dauid *Psalmo*. 75. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea*: & Deuteronomij 23. *Quod semel egressum de labijs tuis obseruabis*. Aduerte tamen, posse fieri, vt vnus faciat suum votum alterius per proprium consensum. Ita in capite *Licet*, de voto, ibi. *Onus tibi à Patre iniunctum, & a te sponte susceptũ*. Quod non est obligari voto alterius, sed propria voluntate emissum est: quod accidit in casu illius textus; & colligitur ex illis verbis: *Et tunc assumpto Crucis signaculo* (quod erat signum voti Deo facti) *te impleturum sine dilatione qualibet promisisti*. Abbas. Glossa. Archid. Psalm. 75 Deute. 23.

Contra hanc assertionem se offert obiectio de quibusdam votis, quæ à populis fiunt, vt perpetuo obligent successores, qui censentur obligati ex vsu, & omniũ sententia, quamuis ipsi votum non emiserint, & augetur difficultas in eisdẽ votis, quando primo fiunt contradicentibus quibusdam ex populo, & consentiente maiori parte. *Obiectioni omnes respondent*, incolas illius populi talibus votis teneri, sed an ex vi voti, & Religionis; an ex fidelitate, & pacto, vel alio modo, non concordant, sed in varios dicendi modos abiere: & quia responsiones non mihi adeò firmæ apparent, puto breuiter dicendum consequenter ad nostram assertionem. Vota hæc à populo facta non obligant singulos in vi voti, nisi à singulis fiant, vel acceptentur: nihilominus obligant singulos ad obseruantiam actus promissi, in vi præcepti, quod possunt imponere populi gubernatores singulis ciuibus, siue illud præceptum pertineat ad Religionis virtutem, siue ad obedientiam, vel quid simile. Prima pars dicti probatur ex assertione principali: 2

cipali secunda, quia in Republica potestas est ad imponenda præcepta, quæ ad bonam Reipublicæ gubernationem spectant; quale est, actus quoscunque religiosos, & ad Religionem conducentes seruare.

Quod si sermo sit de potestate ordinandi pertinentia ad Religionẽ naturalẽ, certum est in laicis Reipublicæ Rectoribus residere: si verò de infusa, ad Prælatos Ecclesiasticos spectat: & ideò existimo ea vota non posse iuberi, vt seruentur, nisi interueniente Episcopi autoritate, & approbatione, & tunc obligabuntur illi, qui non vouerunt, nõ in vi voti, sed in vi pręcepti Ecclesiastici. Et si sciscitetis: An vota fieri possint per procuratorem? Glossa in cap. *Sciendum* 27. *quæst.* 1. *negat.* & ibi Turrecrem. sed certius censeo oppositum cũ Archidiano *ibidem*. Nam potest quis suas vices vouendi alteri committere, præbendo tamen suum consensum: sicut sæpè contingit in matrimonio, & alijs contractibus, & tunc non obligatur quis voto alieno, sed proprio: tum quia q̃ alter facit nomine meo, ego facio: tum maximè: quia obligatio nascitur ex proprio consensu, quem ego præsto; actio autem procuratoris est veluti conditio requisita, vt ex meo consensu obligatio oriatur.

Glossa. Turrecre.

DISPVTATIO VI.

An obligatio voti possit, vel debeat in alium traduci?

1 PRO decisione *nota*. Non hic quæri de obligatione formali voti; quam in præcedẽti disputatione diximus esse purè personalem, sed de obligatione implendi rem promissam per votum. *Secundò* præmittenda est celebris distinctio voti in reale, personale, & mixtum: votum reale dicitur, quo promittitur pecunia, vel aliquid pecunia ęstimabile, quod actio hominis vouentis non sit: personale verò, quod solum est de aliqua actione personali ipsius vouentis (sub actione etiam comprehendo omissionem, seu priuationem) vt sunt vota orandi, ieiunandi, &c. Votum mixtum vocatur quod præter actionem hominis, etiam reales sumptus includit, vt est votum peregrinationis.

2 His præmissis *dico primò*. Nemo tenetur implere votum personale per alium, si non potest per se ipsum. Hæc est communis assertio Theologis *in* 4. *distinct.* 38. & alibi, & Canonistis *in cap. Licèt*, de voto. *Probaturque*: nam votum personale est de actione ipsius vouentis: ergo non obligat ad actionem alterius; quinimò addiderim eum, qui vouit simpliciter aliquid facere, non solùm non teneri, verum etiam nec posse suum votum per alium implere. *Prior pars patet*: quia si potest per se ipsum implere, non potest licitè implere per alium; quia vouet scilicet per se ipsum facere: si non potest implere, & velit per alium implere, non satisfaciet suæ obligationi: quia nõ vouit iubere, sed facere, quod valde diuersum est. Quod si à principio votum vouit de opere proprio: verbi gratia ieiunare, aut si non posset, procurare, vt alius pro se ieiunet; tunc per se ipsũ implet votum: quia per se procurat, aut exercet actionem, qua immediatè votum impletur; etiam si alius, qui rogatur ieiunare, nolit id facere.

Ex hac assertione sequitur, eum, qui vouit absolutè aliquid facere, si posteà factus est impotens ad votum per se ipsum implendum, etiam si culpa sua eam impotentiam contraxerit, non teneri per alium implere, quando aliud expressè non vouit. Ita Syluester, *Votum.* 2. quæstione 6. & 10. in fine. Nauarrus *ca.* 12. *nu.* 55. & 56. Sotus, & alij multi. *Prob.* quia culpa commissa nõ obligat ad aliquid, quod promissum non fuit, neque in re promissa continetur. *Praterea*, quia votũ, vt dictum est, opere promisso exercito per alium non persoluitur votum. Oppositum huius corollarij tenet Angelus, *Votum* tertiò: videlicet si vouens fuit in mora implendi, teneri ad implendum per alium, quia tenetur compensare: sed valde decipitur: tum, quia in sola materia iustitiæ habet locum compensatio, non in materia Religionis; vt infrà docebo circa solutionem ad tertium D. Th. tũ, quia lex illa 2 *ff. si quis cautionibus*, ab Angelo citata extra casum nostræ disputationis procedit: & dũtaxat quoad forum externũ disponit delictum puniri debere; vt patebit legẽti. Hoc Corollariũ extenditur ad votum emissum, quando impotentia extabat, siue esset cognita, siue non: licèt oppositum sentiant Hostiensis in capite *Licèt*, de voto, numero quarto, & quinto. & Nauarrus *dicto numero*. 55. & alij: præcipuè si eam impotentiã sciuit tempore, quo emittebat votum: quia si non teneretur per alium implere, votum esset irrisorium; sed hoc procedit ex præsumptione. Nihilominus, quæ hominum malitia est, potuit quis agnita sua impotentia temerariè vouere aliquid faciendum absolutè, in quo casu licet peccauerit, & votum irrisorium fecerit non puto esse obligandum in foro conscientiæ ad implendum per alium, vt rationes allatæ videntur probare. 3

Syluest. Nauar. Sotus.

Angelus.

Hostien.

Nauar.

Secundò dico. Quando quis per se ipsum non valet votũ reale implere, tenetur per aliũ: v.g. vouit quis dare eleemosynã pauperi: si nõ potest per se ipsũ, tenetur per famulũ vel ministrũ: vouit ædificare templum, data pecunia, per alios rite votum impletur. *Nota tamen*, non esse nostræ mẽtis asserere, eũ qui vouit aliquid dare, putà eleemosynam, si fiat pauper, aut aliàs impotens, teneri eleemosynam petere, aut alios rogare, vt pro se dent: quia ex vi voti ad hoc non tenetur. Sed sensus assertionis est, vt si promisit aliquam rem in Dei cultum, si habeat de suo potest delegare alteri, vt soluat rem promissam. Ista assertio communis est. 4

Dico tertiò. Quando votum mixtũ est ex personali & reali iudicãdũ est ex dictis in prima, & secunda assertionibus. Nã quoad partẽ personalẽ, non potest impleri per aliũ, quoad realem verò tenebitur, iuxta secundam assertionem. Sed claritatis gratia distinctione vtendum est. Nam 5

illa

illa mixtio dupliciter fieri potest. *Vno modo* per se, & quasi intrinsecè ex conditione ipsius operis personalis, vt sunt in peregrinatione sumptus itineris; in militia alimenta personæ: vt si quis vouerit personaliter militare contra infideles sine stipendio, sed proprijs sumptibus *Alio modo* contingit mixtio quasi per accidens ex intentione vouentis, vt si quis vouit peregrinari ad limina Apostolorum: & ibi tot Missas, eleemosynam, aut lampadem offerre: vel militare in bello pio, & secum deferre suis sumptibus tot milites.

In priori casu cessante obligatione personali, cessat realis. Tum quia accessoriũ sequitur principale, & illud reale in tali voto est ita accessorium, vt in tali actu omninò nitatur: tum etiam, quia illi sumptus non tam ex voto debentur, quàm ex naturali conditione personæ, ac necessitate. *In posteriori* verò casu, quamuis quis non possit implere votum quoad partem personalẽ, tenetur quoad partem realem; vt si non possit visitare limina Apostolorum, tenetur mittere eleemosynam, quam promiserat: & si non potest personaliter præliare, tenetur mittere quos secum deferre promiserat, non in proprium famulatum, sed in subsidium belli. *Ratio est*, quia illa duo licet fuerint coniuncta, non sunt connexa, nec vnum est propriè accessorium alterius: & ita in virtute, illa sunt duo vota distincta: & ideò si vnum impleri non potest, & aliud potest, illud seruandum est. Similiter si quis artifex promisit suis manibus, & suis sumptibus ædificare templum, licet laborare non possit, tenetur suis sumptibus ædificare. Item qui promisit suis manibus porrigere eleemosynam, licèt non valeat primũ infirmitate detentus, alia via tenetur ad secundũ: ita Innocentius cap. *Licèt*, de voto, & Panormit. *num*. 12. *& seq*. Syluest, Angelus, Antoninus, & alij. Sed hæc intelligenda sunt per se, & considerata materia, & natura talium votorum: nam ex intentione vouentis possunt hæc ita colligari, vt vnum ponatur tanquam conditio necessaria ad obligationem alterius: & tunc non aliter obligaret votum, vt si voueret ire ad sanctum Iacobum: & si illuc perueniret dare eleemosynam & non aliter: & sic de alijs.

Innoc. *Syluest.* *Panorm.*

DISPVTATIO VII.
An obligatio voti transeat ad hæredes?

HÆc disputatio affinis, & connexa est præcedenti; & titulus intelligendus non de obligatione voti, vt votũ est: quia cum hæc personalis sit, nequaquam ad alios præterquam ad vouentem extẽditur, vt nuper dicebamus: sed intelligendus de obligatione voti, id est, rei promissæ per votum; siue ea obligatio deriuetur ad hæredes ex iustitiæ vi, aut alia via: & præmittendum dupliciter posse imaginari eam obligationem ad hæredes transire. *Vno modo* ex voluntate testatoris, delegantis alicui sua bona, vel partem eorum, sub hac conditione, vt sua vota impleat. *Secundo modo* potest imaginari vota defuncti transire ad hæredes, hoc ipso, quod hæredes illius sunt. Et à certioribus incipiendo;

Dico primò. Vota personalia non transeunt ad hæredes necessarios, etiam volente, & præcipiẽte testatore; nisi hæredes sponte sua acceptent, & faciant suam promissionem defuncti: iuxta c. *Licèt*, de voto, & dicta supra disputatione præcedenti. *Probatur*: quia hæc obligatio personalis nõ est coniuncta cum hæreditate, sed cum persona: ergo testator non potest pro suo arbitrio eã imponere hæredibus renuentibus acceptare. Hæc assertio communis est.

Secundo dico. Si testator relinquat suam hæreditatem hæredi non necessario, sub conditione, vt vota sua personalia impleat, verbi gratia militare in bello pio personaliter, ire ad sanctum Iacobum: tunc hæredes tenerentur vota testatoris implere, non absolutè, sed vt possint hæreditatem obtinere iuxta modum in testamento præscriptum: res clara est, sed dubitabile, an si relinquat hæreditatem, non apposita conditione expressa, videlicet si non impleant, sed apposita iussione implendi, teneantur implere? rem hanc decidendam Iurisperitis relinquo; partem affirmatiuam amplectitur *Abulens*. 3. *Reg*. 15. *quæst*. 19. *Abulens.* Alij negatiuam dicentes illam iussionem testatoris potius pertinere ad modum hæreditatis capessendæ, quàm ad conditionem: aut verò si aliqua inde oritur obligatio ad gratitudinem potiùs spectat, quàm ad iustitiam. Et quod diximus de hæredibus applicandum est pari tenore ad legatarios. Et à fortiori hæc omnia intelligenda veniunt de votis realibus, quorum implementionem potest testator suis hæredibus imponere, quando bona hæreditaria libera sunt: potest enim illa delegare sub eo onere, quod sibi placuerit imponere.

In hac disputatione obscurius est de votis realibus, & mixtis: quoad partem realem, an ex vi hæreditatis, id est, hoc ipso quod hæredes aliqui teneantur ea implere? Et *videtur vera pars negatiua*: quia sola debita ex iustitia transeũt ad hæredes ex vi hæreditatis: sed obligatio voti nõ est ex iustitia: ergo. *Confirmatur*, quia illa obligatio, vt personalis non transit ad hæredes, sed cum persona extinguitur: nec etiam transit vt realis; quia non adhæret rebus ipsis: ita vt dicantur trãsire ad hæredes cum tali onere: ergo. Minor patet ex l. 2. ff. de pollicit. dicente: *Si quis rem aliquã vouerit, voto obligatur, quæ res personam vouentis, non rem, quæ vouetur, obligat*: & infrà. *Vt ipsa sacra non efficiatur*. Cõfirmatur secundò, quia dato opposito, etiam si testator declaret suam voluntatem esse, vt tale votum non impleretur, hæres ex vi hæreditatis teneretur illud implere. Cõseq. videtur falsum: quia tunc hæres nõ tenetur ex vi Religionis, vt constat, neque etiam ex vi iustitiæ: quia non potest obligari ex iustitia, nisi ex quasi contractu cum testatore, qui ibi non inuenitur: cum testator remiserit, & suam voluntatem declarauerit: ergo.

Nihilominus *dico tertiò*. Obligatio voti realis transit ad hæredes ex vi hæreditatis re-

ceptæ, id est, hoc ipso quod adeunt hęreditatem: ita tenetur communiter: Abulens. in *cap. 30. num. quæst.* 8. Palud. *in 4. dist. 38. qu. 3. ar. 3.* Sotus vbi sup. *qu. 2. art. 1. in fine*, & communiter Summistæ, verbo *Votum*, Hostiensis, Panormitanus, & alij in capite *Licet*, citato: & probatur capite *Ex parte*, de censibus, & cap. 1. de solutione, & expressiùs l. 2. ff. de pollicit. vbi dicitur: *Qui decimam partem bonorum vouit, si decesserit ante solutionem, hæredem illius hæreditario nomine decimus obstrictum esse*; & pro ratione subditur: *Voti enim obligationem ad hæredem transire constat.* Ratio est, quia per votũ reale fit homo debitor Deo illius rei, in quam votum cadit: sed bona defuncti sunt obnoxia solutioni debitorum eius. *Aduertendum tamen* hãc obligationem non transire ad hæredes, nisi pro sufficientia hæreditatis, & habita ratione aliorũ onerum, & debitorum iuxta ordinem seruandũ in soluendis debitis: de quo alibi.

Abulen. Palud. Sotus. Hostiens. Panorm.

5 *Ad argumenta* contra hanc partem, ad primũ nego minorem, si sermo sit de hæredibus capientibus hæreditatem: illi enim tenentur soluere omnia defuncti debita bona, ex tacito quasi contractu cum vouente iam mortuo, qui celebratur hoc ipso, quod adeunt eius hæreditatem. Ita Panormit. & Antonin. dicto capite *Licet*, & consequenter etiam tenentur respectu eius, cui res promissa est propter voluntatem defuncti. Itaque licèt obligatio voti personalis sit, & in vouente ad Religionem pertineat, in hærede transit in obligationem iustitiæ, ratione bonorum acceptorum cum illo onere; & hinc patet ad primam confirmationem. Lex enim illa loquitur de obligatione vouentis, non de obligatione hæredis, ad quem transire eadem lex affirmat. *Ad secundam confirmationem respondetur.* Supposita emissione voti realis simpliciter, & absolutè, non esse in potestate testatoris dum vouebat sua bona, vt non sint debitis suis soluendis, etiam si ex voto debeantur: sicut neque potest ea liberare ab onere soluendi alia debita; vnde quantumuis postea reluctetur, & declaret suam voluntatem esse, vt non soluantur: nihilominus hæredes ratione aditæ hæreditatis tenentur ea soluere.

Panorm. Antonin.

9 *Dico quartò.* Vota mixta per accidens ex intentione vouentis, quoad partem realem non impletam, transeunt ad hæredes. At verò si vota sunt mixta per se, & quasi per intrinsecam connexionem, neutiquam ad hæredes transeunt. Prior pars assertionis patet ex dictis: quia tale votum mixtum est quasi duplex: & pars realis est per se distincta, & potest per se impleri: quia solùm per accidens coniunguntur, & concomitantur: ergo idem iudicium ferendum est de illa parte, quod de voto purè personali tulimus. *Secunda pars probatur*, quia talia mixta vota per se sunt simplicissima; nec propriè ex partibus componuntur: imò personalia debent censeri: & esto componerentur ex partibus, realis accessoria est; & ideò si vouens excusatur à personali, à reali etiam excusatur, vt docuimus in disputatione præcedenti: sed hæres excusatur à personali: ergo & à reali accessorio. *Exemplum est*, quãdo pater hæredis iam defunctus vouit suis sumptibus ire ad sanctum Iacobum, & in vita sua nõ perfecit, non tenetur hæres sumptus illos expendere in honorem Ecclesiæ sancti Iacobi.

Contra hanc partem videtur esse caput *Quod super his*, de voto, vbi de his, qui pro opitulatione Terræ sanctæ, signum Crucis assumpserunt: id est, vouerunt ire ad succurrendum Terræ sanctæ, dicitur, quod si propter impedimentum ire non possunt, nihilominus tenentur expensas, quas eundo facturi erant, mittere in subsidium eiusdem terræ: & tamen illæ expensæ pertinent ad votum mixtum, tanquam reali per se coniunctum, & accessorium personali: ergo & vouens ipse tenetur explere tale votum, quo ad partem realem: & similiter hæres ad hanc partem. Iurisperiti valdè laborant in explicando hoc textu: nos contenti sumus communi expositione, quam tenent Innocentius, Panormitanus, Hostiensis, & alij, caput illud non procedere de impotentia per se excusante ab obligatione voti, sed de impedimento reddente difficilẽ, aut minus vtilem voti obseruationem, quo ad commutationem, vel redemptionem.

Innocec. Panorm. Hostiens.

Circa solutionem ad primum sanctus Doctor tetigit dubium celebre: an promissio simplex, seu pollicitatio homini facta obliget ex honestate tantum, an ex iustitia, an sub mortali, an sub veniali? nos aũt propria sede, videlicet infra, *quæst. 113. art. 1.* disputandum reseruamus cum domino Caietano ibidem, vbi ex professo de veracitate, seu fidelitate disseritur. 7

Circa solutionem ad secundum, multa ait D. Thom. vnde erui possent non contemnendæ dubitationes: videlicet de voto, cuius impletio facta est vouenti impossibilis in toto, vel in parte: & ponit exemplum satis frequens de eo, qui vouet Monasterium intrare, cuius Monachi nolunt eum recipere: quod copiosè discutit Caietanus in commentarijs huius articuli; nos copiosius in tractatu de statu Religioso: ponit item exemplum de fœmina, quæ vouit virginitatem seruare, & postea corrumpitur; & de viro, qui vouit pecuniam dare, & postea amittit pecuniã. Et licet de hac re egerim fusè circa articulum secundum:

Ex doctrina huius solutionis aliqua assumam denuo adnotanda. *Primum est*, an quando circũstantiæ materiæ votiuæ à vouente non possunt seruari cesset obligatio voti: *Respondet* D. Tho. in in materia duorum exemplorum relatorum, sed eius responsio vniuersalior est: videlicet, si illa circunstantia, quæ impleri non potest, ita fuit principaliter intenta, vt vouens non habuerit animum se obligandi sine illa, tanquam conditione necessaria ad substantialem obligationem voti; tunc illa deficiente causat obligatio voti. At verò si non fuerit principaliter intenta ea non cessat obligatio. Duobus exemplis relatis ostenditur in D. Thom. nam si iste, qui vouit assumere statum Religiosum in tali Monasterio, principalem intentionem direxerit ad illud propter complacentiam, quam ad illud habet, solum tenetur facere quod in se est, vt in eo recipiatur, 8

An quãdo circũstãtiæ materiæ votiuæ non possunt seruari cesset obligatio voti?

piatur, quod si non possit, quia non recipitur, liber manet à voto: secus verò esset, si principaliter intenderit illam Religionem, & secundariò talem locum. *Secundum exemplum*, de fœmina vouente perpetuam virginitatem: de qua ait D. Th. si violetur, teneri ad castitatem seruãdã: quia id principaliter præsumitur intendere. Addit verò Caie. si ex intẽtione sic vouentis esset promissio determinata ad solam violationem claustri virginalis, & non esset extensa ad omnem priuationem actus libidinosi: tunc amissa semel virginitate, cessare omninò obligationem illius voti: quia materia eius facta est impossibilis.

Ex quo colligere licet, quam potens sit, & quantum consideranda intentio vouentis: quia illa est radix, & origo obligationis in voto repertæ. Quod vsq; adeò verum est, vt si illa virgo frangeret votum ex directa intentione, vt libera maneret ad contrahendum matrimonium, nihilominus post corruptionẽ non obligaretur voto; quia de facto nihil aliud vouit, vel intendit.

9 *An circũstantiæ nõ determinatæ cadant sub voto?*

Sed rogas. Quando intentio vouentis expresſè, ac formaliter non determinat actuum deuotorum particulares circumstantias, sed simpliciter fertur in talem actum, illæ ne circumstantiæ cadunt sub voto, an non? *Respondetur.* Tunc ad materiam voti attendendum est: & iuxta exigentiam eius, considerata eius intrinseca natura, vel institutione determinandæ sunt aliæ circumstantiæ quoad fieri possit. *Ratio est*: quia accessorium sequitur principale: materia autem voti est id, in quo primò fertur intentio vouentis: ergo consequenter etiam fertur in circumstantias; prout ex natura rei cõsequuntur, aut comitantur talem materiam: ergo eo ipso, quod vouens non excludit illas, aut mutat speciali intentione, implicitè censetur illas promittere, prout materia postulat. *Explicatur exemplis. Primum* sit de voto sæpè allato virginitatis: nam si non constet de intentione vouentis limitante illã materiã modo nuper declarato, votum illud obligat ad abstinendum ab omni actu libidinoso sufficiente ad tollendum virginitatem, & consequenter ab omni actu turpi qui de se ad ablationem virginitatis tendit, vt sentit Diuus Thomas *in hac solutione ad secundum*, & multi alij, præcipuè Caietanus qui benè hoc explicat ex materia talis voti, quæ est virginitas: nam illa includit negationem Venereæ voluptatis simpliciter, & absolutè: & ideo votum virginitatis absolutè prolatum includit votum castitatis ex omnium consensu.

D. Thom. Caiet. in.

Quare sicut qui votum castitatis emisit, licet semel, aut iterum illud frangat, semper manet obligatus ad seruandam illam in posterum: ita qui vouit virginitatem, licet illam perdat tenetur ex voto abstinere ab omni actu libidinoso: quia ille sufficit ad illam perdendam, vel eo tendit, & per accidens est, quod illam materialiter non tollat: quia in subiecto non præsupponitur. Et addit Diuus Thomas, virginem post illud votum lapsam non solum teneri ad seruandam continentiam, sed etiam ad agendum pœnitentiam prioris lapsus. Hoc non eodem modo accipiendum est: nam ad continentiam tenetur ex voto, ad pœnitentiam verò lapsus prioris non tenetur ex voto: quia hec in voto virginitatis nõ includitur, sed ex præcepto pœnitentiæ. *Secundum exemplum* sit de voto ieiunandi hoc vel illo die: nam si nihil peculiare per intentionem vouentis determinetur, obligat iuxta materiam ieiunij Ecclesiastici: quæ in institutione eius consistit facta ab Ecclesia, & exigente has, vel illas conditiones. Quæ autem sint hæ conditiones, non est huius loci exprimere, pertinet enim hæc consideratio ad materiam de ieiunio. 10

Sed quærit quis: quando non satis constat ex intentione vouentis, neque ex materia voti, quæ sint circumstantiæ seruandæ? qua regula vtendũ? Respondetur: ad verba vouentis recurrendum, & cum proprietate seruanda: quod si etiam consultis verbis adhuc circumstantiæ voti in ambiguo manent, variæ sunt sententiæ Iurisperitorum circa capitulum, *Cum dilecti*, de donation. & cap. *Ex parte*, de censibus, cap. *Iuuenis*, cap. *Ad audientiam.* His huius rei discussionem relinquo: quia ad alia propero: mihi verius videtur tunc in fauorem vouentis verba esse interpretanda; verbis non extractis à propria significatione; & optioni vouentis esse standum, vt eligat sibi fauorabiliorem partem. Ita multi Iurisperiti: & videtur clarè sumi ex dicto cap. *Ex parte.* Et si dicas. In pari causa & dubio in Dei fauorem & cultum esse inclinandum. Respondetur. In Dei cultum propendit, qui vota verè dubia in fauorem vouentium interpretatur: aliàs si vota dubia ista strictè interpretarentur, fierent exosæ promissiones & homines vouere formidarent, scientes cum illis rigorosè agendum esse. His benè notatis non erit difficile dubias circumstantias votorum diffinire.

DISPVTATO VIII.

Pro quo tempore vota obligent?

DIVVS Thomas in solutione ad tertiũ huic dubitationi respondet sub his verbis: *Si in intentione, & voluntate vouẽtis est obligare se ad statim soluendũ, tenetur statim soluere; si autem ad certum tempus, vel sub certa conditione, non statim tenetur soluere, sed nec debet tardare vltra quam intendit se obligare.* Pro quorum verborum ampliori explicatione, & dubitationis decisione *notandum est*: quòd cum votum sit quasi quædam lex, & præceptum, quod sibi quisque propria voluntate imponit; sicut præceptum quoddam est affirmatiuum, quod versatur circa aliquid agendum, aliud negatiuum circa aliquid omittendum: ita & votum duplex est; videlicet *affirmatiuum, & negatiuum*, quæ diuisio sumenda est ex parte obiecti, seu materiæ, circa quam versatur votum, non ex parte operantis: nam isto pacto omne votum affirmatiuum esset; cum sit promissio Deo facta: & sicut præceptum affirmatiuum obligat semper, sed non pro 1 D. Thom.

pro semper; negatiuum verò semper, & pro semper, sic de voto negatiuo, & affirmatiuo sentiēdum est: nam negatiuum votum sic obligat, vt in nullo temporis momento liceat agere id, quod voto sibi quisque prohibuit; affirmatiuū verò semper dicitur obligare: quia semel suscepta obligatio non cessat: sed dicitur non obligare pro semper: quia non in qualibet parte signata illius temporis necessario implendum est.

2 *Sed difficultas*, quam mouet Caietanus in hoc loco, adhuc explananda superest; *an votum affirmatiuum absolutum obligat pro statim*, an verò pro prima opportunitate exercendi actum promissum? Et, vt difficultatem penetres, *aduerte*, nos in præsentiarum non dubitare de voto affirmatiuo, cuius impletio ex vouentis expressa intentione determinatur, vsque ad tale tempus. De hoc enim voto certum est non obligare ad eius impletionem, nisi intra illud tempus præfixum; neque de eo voto, cuius impletio ex eadem intentione vouentis obligat ad statim; sed de eo voto absoluto, in quo non fit mentio, neque certi tēporis præfixi: neque statim: adimpletio, verbi gratia, de voto ingrediendi Religionem, dandi eleemosynam, & alijs indefinitè factis sine alia temporis designatione.

3 Aliquis fortè posset existimare iuxta prædicta, tempus obligationis huiusce modi votorū esse pensandum, sicut tempus obligationis præcepti affirmatiui; quod expenditur penes necessitatis articulum, aut occasionis. Sed decipietur: quia id, quod dicitur votum esse quandam legē, non est ad vnguem resecandum: tum quia lex imponitur cōmuniter hominibus, in quibus est tanta varietas, vt vnum omnibus designare tempus pro impletione præcepti, vix esset possibile: votum autem est lex singularis obligans vouentem spōtaneè tempore ab ipso electo: tum quia legis votiuæ obligatio tota pendet ex intentione vouentis, quæ certè non restringitur ad tempus necessitatis, maximè quia communiter vota fiūt de his, quæ non sunt secluso voto necessaria ad salutem: quare falsum apparet ex articulo necessitatis esse præfigendum tempus votorum affirmatiuorum executioni.

4 *Dico* ergò cum omnibus ferè Theologis in 4. d. 3. & Palud. *ibi q. 3. ar. 2.* & Syluest. *Votum 2. q. 3.* & Panor. c. *Non est, de voto*: huiusmodi vota obligare ad statim, nō minus quam alia vota, in quibus vouens expressit se promittere ad statim: & colligitur ex verbis citatis D. Tho. nam licèt solum dicat: *Si de intentione vouentis sit obligare se ad statim, teneri: secùs si ad certum tempus*: nihilominus cum non faciat mentionem de alio modo vouendi indefinitè, satis indicat eo ipso, quod vouens non differt obligationem, pro certo tempore votum obligare ad statim. Hoc verò *quod dicitur statim*, intelligendum est moraliter, non metaphysicè: id est pro prima opportunitate congrua; sic enim iura loquuntur in similibus euentibus, & opportunitas hæc prudentis arbitrio iudicanda est: nam diuersa esse potest iuxta diuersitatem personarum, ac negotiorum: nam dilatio, quæ est commoda respectu vnius, nō est

Palud. Syluest. Panorm.

respectu alterius: & hunc dicendi modum puto non aduersari Caietano dicenti, in hoc casu esse consulendam intentionem vouentis: nam si illa dictat non esse contra vinculum voti expectare vnum, vel duos annos, non erit in mora culpabili, qui hoc tempore distulerit solutionē.

Quia verò obijci poterat tale dictamen conscientiæ posse esse irrationabile; subiungit indicia, quibus rationabile iudicetur. *Primū*: si quoties occurrit illi memoria illius vinculi non remordet conscientia, illud non esse impletum. *Secundum*: si non consueuit promittere cum tāta restrictione, sed cum maiori impletionis dilatione. Tertium: si tempus illud statim non erat sibi commodum; nullus autem præsumitur se obligare pro tempore sibi incommodo. Et tandem dicit Caietanus, si nihil horum occurrat, ex quo possit intentio vouentis colligi, arbitrio prudentis determinandum esse tempus, in quo obliget votum, pensatis circumstantijs personarum, materiæ, &c. quod si non potest hoc fieri, tutior pars est eligenda in his adimplendis votis.

Nihilominus puto Caietanum nobiscum, & cum alijs citatis sentire; qui requirunt aliquod prudens arbitrium ad determinandum tēpus habita potissimum attentione ad intentionem vouentis. quod arbitrium, & quam intentionem sumendam esse ait ex præfatis coniecturis, quæ in bono sensu intelligendæ sunt. *Prima* de conscientiæ remorsu in homine probo, & timorato, & sciente, non in scelerato, aut ignaro. *Secūda* in homine diligenti, & nauante operam diligētem operibus studiosis. *Tertia* similiter intellida est.

Demum nota, hanc moralem prudentiam non solū habere locū in voto, in quo nulla fit mentio temporis; sed etiam in voto, quod expresè determinat ad statim, certum diem nō declarādo: nam qui sic vouet, & aliud expresè non declarat, virtualiter siue implicitè intelligit illud statim moraliter, & iuxta humanam congruentiā, seu commoditatem: quare parua est moralis differentia inter votum in actu signato, & expresè determinans obligationē ad statim, & inter votū absolutū, & indiffinitū. In vtroque enim casu est obligatio ad statim subintellecta morali opportunitate, & commoditate: quapropter D. Tho. breuitatis in summa amator, postquam dixit eū, qui habet intentionem se obligandi ad statim, teneri ad statim implendum votum, non meminit voti absoluti, & indiffinitè emissi; nimirum, quia in hac parte idem de eo iudicium ferendū est: aliàs diminutus fuisset. *Aduertendum* tamen, quod si vouens dicat, *Promitto hodie, &c.* non debet amplius differre: quia iam cessat prudens arbitrium circa temporis designationem: etenim vt dicitur in l. *Continuus.* 2. ff. de verborum obligatione, in eo, quod tempore atque facto finitum est, nullus est cōiecturæ locus, solùm possent admitti coniecturæ ad iudicandum, an tāta restrictio fuerit imprudens, ac temeria.

DISPV-

DISPVTATIO IX.

An elapso tempore obligationis voti, obligatio eius perseueret?

1 DVbitatio nō intelligitur quando materia voti mutatur, aut causa cessat. De hoc enim agendum in sequentibus, sed præcisè, an per lapsum temporis, quo diximus vota obligate, cesset eorum obligatio? Et vt certiora supponamus, *dico*. Vota negatiua, ex vi suæ formæ, perpetua sunt, nec vnquam cessat eorum obligatio, nisi ex mutatione materiæ, aut aliunde extinguantur. *Patet*, quia negant omne tempus futurum. Ad hæc reduco tria vota status religiosi: item vota affirmatiua, quæ absolutè fiunt sine certa temporis determinatione, absolutè durat eorum obligatio, quamdiu non implentur, nisi fuerint limitata ex intentione vouentis: sed tota difficultas est de votis, quibus certus terminus temporis est præfixus; an illo termino elapso cesset eorum obligatio?

2 Et videtur vera *pars negatiua*: quia maior est obligatio voti, quàm iustitiæ commutatiuæ, sed per hoc, quod elabatur tempus solutionis alicuius debiti ex iustitia commutatiua, non cessat obligatio reddendi id, quod aliàs debitum erat: ergo neque obligatio, quæ oritur ex voto, per hoc, quod transierit tempus præfixum ad votum implendum. *Dices* fortassè, maiorem esse obligationem voti: at in ordine ad compensandum debita, minor est: quia compensatio actus est iustitiæ propriè dictæ: Religio autem non est propriè species iustitiæ, sed pars eius potentialis.

Contra arguitur secundò. Religio non deficit à ratione iustitiæ propriè dictæ: quia impropria iustitia est; neque quia non respicit debitum, sed quia debitum illud est tam excellens, vt non possit ab homine reddi æquale; vt circa quæstionem 80. adnotabam: ergo compensatio, quæ attendit debitum, potiùs locum habet in Religione, quā in iustitia commutatiua.

Tertiò. Quidquid sit de hac comparatione debiti Religionis, & iustitiæ commutatiuæ, sic arguitur. *Maior est* obligatio voti ad certum diē, quàm obligatio voti simpliciter: nam hæc est vna tantùm, scilicet ad faciendum quod promissum est: illa est duplex: vna ad faciendum promissum: altera ad faciendum tali die: ergo licèt hæc secunda non impleatur, semper manet prima, ac si illa sola esset simpliciter promissa. Simili argumento vtitur Pontifex in capite *Cum dilecti*, de dolo, & contumacia, & Iurisconsultus in l. *Celsus*, ff. de recept. *arbit.*

3 Panormitanus in cap. *Per tuas*, de voto, simpliciter affirmat votum ad certum diem factum obligare transacto illo die; sequuntur communiter Summistæ. Caiet. verò melius dubitationem dissoluit in *dub. vlt. circa articulum* 12. & in Summa, verb. *Votum*, c. vlti. dicens, duobus modis posse alicuius voti impletioni præfigi certum tempus. *Vno modo* quando actio intenditur aut imponitur tanquam proprium onus illius diei designati, vt ieiunium in die Sabbathi in honorem Deiparæ, aut in vigilijs Sanctorum &c. *Secundo modo* quando actio principaliter intenditur, & terminus temporis secundariò, & minus principaliter, ad quod vsque extenditur obligatio. *Quando ergo priori modo* fit votum, tunc ait Caietanus cessare obligationem voti: quia iam pertransiuit tempus, pro quo præcisè voluit se vouens obligare: tanquam pro onere illius diei, & non aliter. *Quando autem designatur posteriori modo*, tunc lapso termino, tantùm abest, vt finiatur obligatio, quod ipso præterito, magis vrget ad vitandam moram solutionis, siue lapsum fuerit præfixum tempus culpabiliter, siue sine culpa, vt benè notauit Nauarrus *de oratione cap.* 10. *num.* 53.

Panorm. Caiet. Nauar.

4 *Sed rogas.* Quomodo scire possimus, quando tempus aut dies designetur voto, priori, aut posteriori modo? *Respondetur.* Id potissimè ex intentione vouentis colligendum est: quod si nesciat vouens suam declarare intentionem, tunc coniecturis agendum, consideratis verbis, & materia. Præcipua coniectura est, quando intentio fertur principaliter in deuotionē talis diei, propter venerationem alicuius mysterij quod in eo accidit, vt in ieiunio feriæ sextæ, in vigilijs Sanctorum, &c. tunc signum est, tempus voto esse præfixum priori modo. *Sed oportet etiam aduertere*, vt illa deuotio & affectio ad illum diem sit causa totalis, vel saltem sine qua non in præfigendo tēpore illius voti: quia licèt habeatur ratio deuotionis illius diei, si sit tantū secundariò, non sufficiet, vt extinguatur obligatio: vt si quis vouit ingredi Religionem in die Parasceues ob deuotionem mysterij Passionis Dominicæ, q̃ in eo die celebratur, licèt illo die fuerit impeditus, vel culpabiliter distulerit, non extinguitur obligatio: quia in eo voto ille respectus ad temporis solēnitatem est tantùm secundarius, & principaliter respicitur status religiosus.

5 *Sed rogas*, an doctrina modò tradita verum habeat de votis realibus, nam de personalibus hucusque pcessit. Sotus *li.* 7. *q.* 2. *ar.* 1. ait terminū, aut tempus præfixum persolutioni voti emissi, in votis realibus, nunquam extinguere obligationem, etiam elapso eo tempore, sed onus eorum transferri in tempus subsequens. Idem Aragon in hoc articulo dub. 1. post conclusionem tertiā: fortassè, quia in votis personalibus materia promissa est actio, ex qua nullum euenit emolumētum externum. In voto autem reali aliter se habet res: quia relinquitur realis effectus, aut emolumentum, à quo is, in cuius vtilitatem redūdat, priuabitur immeritò, si post elapsum tēpus præfixum non teneatur vouens votum implere: tùm etiam quia votum reale semper fit in vtilitatem alterius proximi, vel in ornatum templi, vel quid simile: ergo hic finis est principaliter intentus, & circumstantia diei, etiam si illius aliqua ratio habeatur, semper est secundaria, & ideò non sufficit ad extingnendum obligationem.

Sotus. Aragon.

6 Aliquibus non placet hæc sententia: aiunt doctri-

doctrinam nuper traditam habere etiam verũ in votis realibus:ita Vazquez 1.2.*disp.*146.*c.*2. in fine.quid enim vetat (inquit) vt aliquis voueat quotidie facere vnam eleemosynam sub hac intentione,vt eleemosyna vnius diei eo transacto, iam amplius nõ obliget, etiam si omittatur culpabiliter, aut inculpabiliter.Ecce voti illius realis impletio eo die elapso non cadet sub obligatione.Item si quis voueat tali die festo expendere tot nummos in honorem talis Sancti , vt solẽnius Missa cantetur,ornetur templum, & c.illud est votum reale,vt constat, & tamen si omittatur,non relinquit vllam obligationem expendẽdi in alios pios vsus:quia hoc non fuit promissũ: neque etiam potest expendi in id,quod fuit promissum,cùm occasio præterierit. Certè iste doctus Pater nõ impugnat Sotum, qui loquitur de votis,quæ fiunt rationabiliter secundùm cõmunem vsum fidelium in emittendo vota realia;illud aũt votum in primo exemplo allatum non repugnat fieri;sed tamen peregrinum est,& aliquid præter communem vsum cõtinens: votum autem in secundo exemplo adductum,si res benè inspiciatur,votum mixtum est:imò potius inter personalia computandum:& in eo reales expensæ ordinantur ad actiones personales. Idem dico de voto dandi eleemosynam in eo die,quo iubilei indulgentia acquiritur.

Vazquez

7 *Ad argumenta* posita in principio disputationis respondetur primo , quatenus intendit probare in omni voto , cui certum tempus præfixũ est,permanere obligationem,nec cessasse, patet ex dictis.Etenim in huiusmodi votis tẽpus præfixum est,vt limes obligationis , quo limite trãsacto non extat amplior obligatio: quia suum finem attigit,secus in obligatione soluendi debita creditoribus,vbi terminus temporis nõ est ad finiendum obligationem , sed ad dandum spatium debitoribus: quo tempore transacto propter moram soluendi, magis vrget obligatio. In votis verò realibus pari passu currunt obligatio erga creditorem,& obligatio votorum, vt dictum est.

In eodem argumento tangitur altera dubitatio:esto in huiuscemodi votis cesset obligatio voti,id est non permaneat in voto , an teneatur transgressor illius voti, vel vouens factus impotens ad implendum? *Vtrum, inquam , teneatur implere per viam compensationis, & restitutionis,* vt dicitur de creditore non soluente tempore præfixo solutioni? Suarez *li.*4.*de voto,ca.*15. multos refert partem affirmatiuam tenentes. Nihilominus *dico primò*. In huiusmodi votis quotiescunq; sine transgressione culpabili non impletur votũ tempore præfixo,vel sine aliqua culpa fit homo impotens ad illud implendum,non tenetur amplius ad aliquam recompensationem faciendã. Hæc est cõmunis assertio:& probatur: quia nemo censetur se obligare cum tanto rigore. *Item:* quia in illo casu non est obligatio recompensandi ratione acceptionis, seu iniustæ non solutionis,nec ratione rei acceptæ:quia trãsgressor voti nihil inde acquisiuit,neque factus est ditior,neque alium fructum reportauit per se loquendo:

Suarez.

Dico.1.

8

id est attenta intentione vouentis: ergo idem dicẽdũ est in votis: psonalib⁹,licèt culpabiliter non impleantur intra terminũ prędxũ,quo transacto diximus cessare obligationem. *Dico itaque*, tunc transgressorem voti nõ teneri ad aliquam recõpensationem:ita communiter tenetur.

Illustratur assertio exemplis. Qui omisit ieiuniũ, vel missam in die præcepto , non obligatur postea ad aliquam recompensationem. Item: qui omisit horas Canonicas, vel se reddidit impotentem ad recitandum,non tenetur postea ad aliquam recõpensationem , nisi ex iustitia teneatur recitare. Tunc enim diximus teneri restituere fructus: ergo idem est dicendum de his votis, quæ sunt quasi quædam leges & præcepta. Item: quia in his votis terminus præfixus est ad extinguendum obligationem: ergo sine fundamento firmo dicitur manere obligationem ad recompensationem, aliàs nõ esset obligatio voti omninò extincta.

Dico secundò. Etiam in votis realibus nulla est obligatio recompensandi , quando obligatio propria voti extincta est , vel per impotentiam, 9
vel quia terminus præfixus obligationi lapsus est. Hoc dictum non est ita certum, sicut proximè præcedentia:est tamen probabile , & declaratur exemplis.Si quis soli Deo voueat dare hospitali seruum suum,& postea illum occidat,nõ tenetur ad aliquam recõpensationem, nisi pœnitẽtiam agere , & pro peccato satisfacere,vt ratio sequens ostendit. Qui fecit votum reale,& postea factus est impotens sine culpa,non tenetur ad aliquam compensationem, vt omnes fatentur,in hoc enim non est dissensio: ergo nec tenetur etiam si culpa intercesserit:quia culpa illa tantum contra Deum est, & culpa contra solum Deum ad satisfactionem , non verò ad aliã compensationem obligat, vt explicabo statim. Imò verò vt supra tetigi ad illam satisfactionẽ, quæ per pœnitentiam fit non obligat in præsẽti votum præcedens , sed præceptum pœnitentiæ.

*Ad argum.*igitur primum in principio dispu- 10
tationis ibi benè *resp.*non procedere efficaciter argumentum à propriæ iustitiæ debito ad debitum impropriæ:id est Religionis.Nam quamuis hoc sit excellentius: non tamen in eius transgressione damnificatur Deus in bonis, qui nostrorũ non eget:secus homines creditores. Et hinc potest colligi ratio à priori: quare licet Religionis obligatio sit excellentior obligatione iustitiæ humanæ,violatio illius non obliget ad aliquam restitutionem,sicut istius: nam Deus non potest propriè damnum pati in bonis suis sibi vtilibus, sed duntaxat potest offendi per negationem debiti cultus,vel amoris, aut præferendo illi creaturam in honore , vel amore: & ideò respectu Dei solùm est obligatio ad satisfactionem pro iniurijs illatis, nimirum per conuersionem ad ipsum,per amorem,& pœnitentiam , & vindictam pro culpa commissa. Homo verò damnũ patitur in suis bonis , & illis priuatur per actiones iniuriosas,& inde nascitur restituendi obligatio, quæ propterea propria, dicitur esse iustitię commu-

commutatiuæ. Ad Doctores oppositum sentiẽtes *respondetur*, quosdam non ita clare nobis contradicere, aliorum sententiam relinquimus non sine firma ratione. Ad secundum respondetur; tunc non esse duo præcepta, vel promissa vt separabilia, sed vnum quasi compositum indiuisibile.

DISPVTATIO X.

An qui nequit implere votum in tempore præfinito teneatur illud præuenire, & votum prius implere?

1. VIdetur vera pars affirmatiua ex D.Th. *in 4.dist.*38.*quæst.*1.*art.*3.*quæst.*1.*ad* 7. dicente, eum qui vouit si timeat perpetuum impedimentum, teneri ad præueniendũ tempus, cum sequitur Syluester, *votum.* 2.quæst.3. Tabiena, *votum.*1.num.3. ergo seruata proportione, quandocunque præuidetur impedimentum, tenetur quis præuenire. *Secundò*, qui non valet implere votum quoad totum, tenetur implere quoad partem: præcipuè quando illa principalis est, & separabilis à circumstantia impossibili, sic autẽ contingit in proposito: Nam qui nõ potest implere votum eodem die, in quo promisit implere, si potest substantiã operis implere variata solùm temporis circumstantia, tenebitur id facere præueniendo tempus.

D.Thom. Syluest. Tabiena.

In oppositum est, quia nemo obligatur ad id, ꝙ vouendo non intendit: sed qui sibi præstituit certum diem, vt terminum sui voti, intendit se antea obligare: ergo non tenetur. *Secundò*. Qui emittit votum conditionatum, non tenetur præuenire solutionem ante impletam conditionem, etiam si præuideat futurum impedimentũ, si ex pectat, vt impleatur conditio: sed temporis designatio æquiualet huic conditioni, si ad talem diem peruenero hoc faciam: ergo ante illam conditionẽ expletam, non tenetur præuenire, etiam si postea futurum esse impedimentum præuideat.

2. Disputatio hæc nõ habet locum in votis, quibus expressè declaratur obligatio ad statim: imò neque in votis absolutis, & indefinitis, quæ nullum designant tẽpus: nam de illis dictum est obligare ad statim moraliter: obligatio autem ad statim, licèt moraliter patiatur diuisionem, semper tamen est quasi de præsenti respectu cuius non habet locum præuentio: procedit ergo disputatio, quando ad votum implendum certus terminus, vel dies præscribitur.

3. Hæc dubitatio facta proportione ad præcepta, quę ad sui impletionem afferunt certum tempus dissoluenda est, nihilominus breuiter dissoluo per sequentia dicta.

Dico primò. Quando opus vouetur vt proprium onus certi diei, seu temporis, non tenetur vouens illud tempus præuenire, etiam si præuideat impedimentum pro illo die. *Probatur à simili* præceptorum eiusdem temporis: v.g. non tenetur quis præuenire Missam debitam in die Dominico: quia præuidet ad futuram infirmitatẽ impedituram, ne possit audire in die Dominico, & sic de alijs. *Secundo*: quia qui promisit, ieiunare in vigilia alicuius Sancti, si præueniat ieiunium, non implet quod promisit, nempè ieiunare in vigilia propter honorem Sancti, & cultum illius diei. *Tertio*: eadem est ratio de postpositione, & præuentione: sicut ergo non tenetur postponere, vt docui, neque præuenire. Et intelligitur assertio, etiam si circũstantia talis diei sit tantum secundario intenta per votũ: sicut in præcepto communionis in Paschate, circumstantia diei non est principaliter intenta, sed actus, cui non satis fit, si quis anticipet communionem. Idẽ dicito in votis: & intelligendum seclusa commutatione, qua mediante potest præueniri id tempus: de quo infra.

Dico secundò. Si tempus seu dies, in quo implendum est votum, assignatur non solum ad differẽdum solutionem, sed etiam ad suspendendam obligationem vsque ad talem terminũ, tunc nulla potest esse obligatio præueniendi solutionem, etiam si futurum impedimentum præuideatur. *Probatur* argumentis factis pro parte negatiua, præcipuè secundò: & intelligitur assertio siue impedimentum fuerit perpetuum, siue temporale. 4.

Dico tertio. Quando terminus solùm præfigitur ad differendum solutionem, & non ad suspẽdendam obligationem voti: tunc obligat ad solutionem præueniendo terminum, si impedimẽtum postea futurum præuideatur. *Probatur à simili* præceptorum: Nam qui tenetur intra annum confiteri, si præuideat futurum impedimentum in fine anni, tenetur cõfiteri antea: & qui tenetur audire Missam in die festo, si præuideat non habiturum occasionem audiẽdi circa horam duodecimam, tenetur anticipato audire: idem dicitur de eo, qui tenetur dicere horas Canonicas: ergo idem dicendum est in votis, quæ sub eadem forma, & tenore fiunt. *Secundo probatur* argumento secundo facto in principio disputationis pro parte affirmatiua, quod benè applicatur ad stabiliendum hoc assertum, quod intelligitur siue impedimentum præuisum sit perpetuum, siue temporaneum.

Dico quartò. Quamuis terminus temporis sit assignatus ad finiendam obligationem voti, si opus promissum est peculiare onus alicuius determinatæ partis totius temporis, vsque ad illum terminum, tenetur vouẽs præuenire solutionem ante terminum illum, si præuideat ante illum aliquod impedimentum affuturum: v.g. vouit quis ieiunare quolibet mense quatuor dies, non designando illos, limitando tamen obligationem ad mensem, ita vt cum illo extinguatur in omni euentu, si præuideat futurum, vt post quintum decimum diem mensis extabit impedimentum ieiunandi, tenetur in prioribus diebus suum votũ implere. *Probatur ratione facta*: quia tunc totus mensis est tempus obligationis, quæ debet impleri in parte eius possibili. Item exemplis præceptorum idem comprobatur. Circa omnes 5.

has assertiones aduertendum, teneri vouentem vitare impedimentum, vt votum suum tempore promisso implere possit. Quare si ex industria afsectet impedimentum, agit contra votum: quia licèt votum non obliget ad implendum illud ante tempus præfixum, obligat tamen ad non ponendum impedimentum: quia hoc necessarium est ad efficaciam prioris obligationis, aliàs esset inanis, vt non solùm si affectet impedimentum, verum etiam si voluntariè admittat, si quis potest illud procurare sine magno discrimine, & adhibita mediocri morali diligentia.

6. *Hinc patet* ad argumenta initio disputationis posita. Ad *primũ ex* D. Thom. *respõdetur* probare tertiã assertionem, & quartam, sed quia ibi Sanctus Doctor sermonem facit de voto ingrediendi statim Religionem, nos eius doctrinæ discussionem plenam vsque ad tractatum de statu religioso differimus. *Ad secundum respondetur* procedere iuxta tertiam & quartam assertiones: alia verò argumenta in oppositum probant primam & secundam, neque impugnant reliquas.

DISPVTATIO XI.

An vota conditionata obligent, & quo modo?

1. DIuus Thomas in solutione *ad tertium huius articuli* meminit voti conditionati, quasi æquiparans illud voto, cuius impletioni affigitur certum tempus: & ideò nos naturam similium votorum discutere decreuimus, præmittendo, eorum naturã non consistere in inclusione quarundam conditionũ generaliũ, quæ in omni voto includuntur. Prima, *si potuero*: id est si opus promissum possibile fuerit: quia nemo obligatur ad impossibile. Secunda, *si mihi licuerit*: quia de re illicita non est votũ. Tertia, *si superior non abstulerit obligationẽ*, nimirum irritando vel dispensando. Hæ conditiones non faciunt votum conditionatum, etiam si exprimantur: quia non suspendunt obligationem, seu executionẽ, sed præsupponitur potius, vt votum habeat debitas cõditiones, & ideò licèt votum omnes illas cõditiones includat, poterit esse absolutum: igitur votum conditionatũ est, quod suspendit obligationem, quousque conditio ponatur in esse. Quod non est ita intelligendum, ac si statim vt emissum est, nõ sequatur ad illud obligatio: Nam hoc ipso quod votum aliquod verum, & legitimum est, obligationem infert, vt proprium effectum, seu propriam passionem, sed intelligitur suspendere obligationem quantum ad actualem executionem, quousque ponatur in

Catherin. esse cõditio *apposita*. Quare fœdè cespitauit Catherinus quãdo contra Caietanum dixit votum

Couarr. hoc, *si tale peccatum commisero, promitto ingredi Religionem*, non obligare etiam post impletam conditionem: quem benè impugnat Couarruuias in cap. *quamuis pactum*, prima parte. §. 3. num. vltimo & alii communiter.

2. Viso quid sit votum conditionatum, inquirẽdũ superest ad quid obliget. In qua re certum est, statim ac votum conditionatum emittitur, teneri vouentem habere propositum exequendi actum promissum, si conditio impleatur. Ad implendam autem hanc obligationem sufficit emisisse votum cum hac intentione, & postea non habere propositum contrarium: quia hoc satis est: vt virtualis voluntas perseueret, & repetitio formalium actuum non cadit sub obligatione, nisi specialiter promissa sit.

Totum difficultatis pondus in hoc inclinat: 3
an homo ex vi facti voti teneatur non impedire conditionis successum? & an si ob culpam vouentis conditio in esse non ponatur, votum nihilominus obliget? Variè autores sentiunt. *Quidam* absolutè docent contra votum peccare, qui impedit, vel procurat, ne conditio impleatur. *Item* aiunt, si ob eam causam conditio non eueniat, teneri nihilominus ad votum implendum. *Primum* illis videtur clarum: quia is impediens fraudulenter agit contra fidelitatem ex voto debitam. *Secundum* etiam: quia malitia & culpa sic impedientis, non est æquum, vt illi patrocinetur. Item: quia vouens sub conditione, remittendo postea conditionem, non minus obligatur, quam si cõditio postea esset impleta: sed qui voluntariè impedit conditionẽ illam, remittit saltem æquiualenter: ergo obligatur. Et confirmatur ex cap. *sicut ex terminis*, de sponsalibus ibi: *super eum non stetit*. Ex quo à contrario sensu colligitur, quod si per eum stetisset obligaretur, sed quando quis impedit conditionem, per eum stat: ergo. Hæc sententia præcipuè tribuitur Richardo Richar.
in 4. *dist*. 38. *art*. 5. *quæst*. 3. quam etiam sequuntur ferè omnes Summistæ, & Nauarrus *ca*. 12. Nauarr.
num. 42. licet cum aliquali limitatione: nihilominus per sequentia nodum hunc dissoluo.

Dico primò. Quando votum conditionatum est 4
merè pœnale, licitum est voluntariè non ponere conditionem: etiam si fugiatur conditio ad fugiendam obligationem voti: v.g. si fornicatus fuero ingrediar Religionem. *Probatur*: quia sic vouentes non amore actus faciendi, sed potius quasi illius displicentia ducti, sibi eum objiciunt quasi frænum: vnde præcipuè intendunt vitare conditionem, ne incidant in actus sibi exosi obligationem. *Confirmatur* à simili, nam si quis vouit: si iurauerò dabo eleemosynam, etiam si hac ratione sola vitet iuramentum, ne cogatur eleemosynam dare, non agit contra votum: quia non intendit vouere, vt eleemosynam det, sed potius voluit cohiberi à iurando timore eleemosynæ: ergo voti illo fræno non est contra intentionem vouentis, & consequenter nec contra votum.

Dico secundò. Qui promittit Deo aliquod opus 5
apponendo conditionem, quam licitè amat, vt ad illam consequendam Deus suum præbeat auxilium, & postea impedit illam, peccat contra votum, si in vouentis potestate est conditionem apponere, aut verò in potestate vouentis sit conditionem impedire. *Exemplum sit* in eo, qui vouit sic, si vitauero hoc peccatum per annum, ingrediar Religionem: & probatur: quia si eam conditionem impediat, agit contra pa-

ctum

ctum initum cum Deo, & in eo voto inclusum faciendi quod bono modo potest pro implenda conditione,& ad non vtendum dolo, & fraude, nec resistendum auxilio Dei,quod semper,quantum est ex parte Dei,prǫsto est. Ad hoc explicandum vtor exemplo, quo vtitur Palacius *in 3. dist.*
Palacius. 38.*disp.1.si* Titius promittit Sempronio decem,si eum in domo sua visitauerit,& postea iubeat fores occludi Sempronio venienti,contra promissionem agit Titius: quia in pacto erat tacitè inclusum,ne illa vis,vel fraus Sempronio fieret,ita cum proportione in prǫsenti ratiocinandum est. Sed de hoc exemplo infra: nam nō est ad vnguē resecandum.

Dico tertiò. Quando votum fit sub conditione
6 dependente à libero arbitrio alterius sine alio respectu,tunc cōtra votum erit per vim,aut fraudem impedire liberum consensum, vel dissensū eius,non tamen erit contra votum inducere illū, ne consentiat, morali modo & licito, procurando ne conditio impleatur. *Prior pars probatur:* quia qui vouet hoc facere,si Titius voluerit, virtualiter constituit illum, vt electorem suæ obligationis:ergo virtualiter se obligat ad relinquendum illi liberam optionem:ergo si per vim, vel fraudem illum cogat,ne conditioni consentiat, facit contra pactum cum Deo initum,& in voto implicitè contentum expectandi, scilicet liberam determinationem alterius, à quo pacto recedit per illam vim vel fraudem.

Secunda pars probatur: nam inducere alterum communibus suasionibus ad oppositum conditionis appositæ,non est absolutè contra liberam electionem eius:ergo hæc suasio non repugnat tali voto, neque pacto ibi contento. Accedit, quod materia talis voti, non est de procurando vt talis conditio impleatur, nec de nō procurando:ergo ex vi conditionis non ostēditur talis intentio vouentis:ergo nisi aliunde de illa constet, non est obligand⁹ ad hoc ex vi voti:quo fit, vt si filius voueat ingredi Religionem,si pater eius licentiam dederit, dūmodo sit paratus ad ingressum habita licentia,non peccabit contra votum, etiam si ostendat desideriū vt Pater nō cōsentiat: nec de facto obligabitur ad ingresū, si pater talem facultatem non concesserit:nam qui constituit rem in arbitrio alterius, non ob id obligatur ad nō petēdū,vt hoc vel illud iudicet,aut cōsentiat,vel ad non ostendendum suum desiderium, vel quid simile.Idem puto dicendum cum proportione,vbi conditio ponitur per modum consilij,v.g.si Titius hoc iudicauerit,&c.

Dico quartò Quando votum est purè conditio-
7 nale pendens ex conditione libera vouentis, quā apponit non eius amore,aut cupiditate,sed tantum vt præfigatur actu promisso, vt terminus obligationis, tūc non ponere conditionem:imò neque illam impedire ad vitandū obligationem voti,est peccatū contra votum:v.g. si abiero domum dabo eleemosynam. *Probatur:* quia per tale votum non obligatur quis ad faciendum, vel nō faciendum actum illum,quē sub conditione posuit:ergo quidquid in hoc faciat,non frangit votum. *Antecedens patet*: tum quia in forma sic vouendi hoc non continetur,non enim promittitur cōditio,sed aliud, si cōditio adfuerit:tùm etiam, quia illa cōditio nō apponitur in casu hui⁹ asserti, vt sit occasio vitādi, vel faciēdi actum,sed solum vt suspēdat obligationē exequēdi votum:ergo signum est,ideò aliquē sub conditione vouere, & non absolute, vt liberum illi sit postea implere vel non implere conditionem. *Explicatur* in promissionibus humanis:nam si alicui promitto, si domo exiero,videbo te in tua domo, quamuis me domi contineam,non ero infidelis: imò etsi ex proposito me domi contineam, vt excutiam à me obligationem alloquendi alterum, cui promisi.

Et idem dicendum in promissionibus diuinis: Nam si sic voueam, quandiù mansero in hac ciuitate decem quotidie in eleemosynam porrigam,quamuis à ciuitate discedam, imò & ob id discedā,ne teneatur prǫfata obligatione,nō peccat contra votum. *Aduertendum tamen*, in hoc, & similibus esse intelligenda ex vi talis modi vouendi: Nam vouens poterit aliter exprimere, & iuxta intentionem,& verba eius obligabitur. Ex dictis respondebis ad casum frequentem in vouentibus,qui interdū sic vouent:si Deus salutem concesserit ingrediar Religionem, cui⁹ voti cōditio non est in potestate vouentis, est tamen eius impeditio,& tunc affirmo non teneri vouentem ad non impediendam illam conditionem omni modo possibili, nec ad mutandum suum modum ordinarium procedendi, ne conditio impediatur:sat erit procedere bona fide, non vtendo medijs extraordinarijs ad impediendam salutem:quare licèt comedat aut bibat largè non censetur agere contra votum, nisi ad incurrendum morbum propter vitandam conditionem id faciat.

Vltimò dico. Quomodocunque impletio con- 8
ditionis voti conditionati non sit possibilis,etiāsi impossibilitas eueniat ex culpa impedientis eam cōditionem,nulla super est obligatio in vouente ad actū promisū.Hæc assertio est cōtra Richardū,& alios:sed probatur,nam si cōditio nō eueniat citra culpam vouentis,sine cōtrouersia conceditur:si autem mediante culpa vouētis, etiam vera est; nā vouens nō intēdit se obligare ad executionē rei promissæ,nisi impleta cōditione:ergo quomodocunq; impediatur euentus cōditionis,non nascitur obligatio ex vi voti: neque etiā ratione peccati oriri non potest:quia voti fractio non obligat ad recompensationem, vt dictum est: quo fit,vt si quis voueat ingredi Religionem si per annum integrum à fornicatione abstineat, si malitiose,aut quocunque modo luxuriæ se dedat, licèt peccet contra pactum in voto inclusum,postea non tenetur ingredi: quia conditio illa non fuit impleta, neque potest impleri: nec sequitur tale votum esse frustra:nā satis est quod obliget,si conditio ponatur,&ad non procedendum cum fraude & dolo.

Ad argumenta posita in principio pro priori as- 9
serto præfatorum autorum *respondetur*,quandoque habere verum iuxta nostra priora dicta. Ad argumenta pro secundo asserto eorundem respon-

ſpondetur. *Ad primum per* accidens reportare exemptioné ab obligatione mediáte malitia: quia hæc eſt natura voti conditionati, vt non impleta conditione non obliget. *Ad ſecundum reſp.* negando min: nã qui frauduléter impedit cõditionem, nõ remittit illam, imò vult firmam permanere, vt ſuſpendat obligationem voti, aut verò vult illã deſtruere, vt extinguat obligationẽ eiuſdem voti: neq; caput, *ſicut ex terminis*, facit ad propoſitum: quia ibi eſt ſermo de promiſſione humana, quæ ſemel violata poteſt obligare ad aliquam recompenſationem. Sic etiã patet ad exemplum adductum ex Doctore Palacios: in illo enim & ſimilibus interuenit iniuria eludendo promiſſionem, & occludendo fores: & & ideò naſcitur obligatio reſtituendi; quod non contingit reſpectu Dei.

DISPVTATIO XII.

An aliquando, & per quid ceſſet obligatio voti?

1 Non erit abs re in hoc articulo, vbi agit D.Tho. de obligatione voti, etiam diſſerere, an & per quid ceſſet obligatio voti, quod ſemel habuit firmam obligationem? Pro cuius deciſione præmittendum me nolle in præſentiarum agere de ceſſatione præfatæ obligationis per irritationem, aut diſpenſationem ſuperioris. De hoc enim latè in hac *quæſt.* 88. *ar.* 10. *& ſequentibus*. Sed de ceſſatione per mutationem alicuius intrinſeci ipſi, aut quaſi intrinſeci ipſi voto. Et quidem non ceſſare per mutationem voluntatis eius, qui emiſit votum, certum eſt: aliàs nulla vota eſſent firma: ſupereſt ergo vt per mutationem cauſæ finalis aut formalis, id eſt materiæ, circa quam ceſſare poſſit, ſi ceſſare valeat. Hoc ſuppoſito.

2 *Dico primò.* Ceſſante cauſa finali voti ceſſat obligatio voti. *Probatur*: quia ſi in initio emiſſi voti non extitiſſet cauſa finalis vouendi non extaret obligatio voti, non enim eſſet votũ, quod actus humanus eſt, qui ſine fine nequit eſſe: ergo ea cauſa ceſſante ceſſat obligatio voti. Conſequẽtia videtur clara, non enim minus requiritur vt res conſiſtat, quàm vt fiat, & per quas cauſas res naſcitur per eaſdem ſublatas diſſoluitur.

Sed contra hanc aſſertionem obijciunt multi cap. *magnæ*, de voto, adiuncta Gloſſa verbo, *vt venires*, vbi dicitur de quodam Epiſcopo, qui vouit in terram Sanctam pergere ad impetrandum auxilium cuiuſdam Comitis ibi commorantis, vt Eccleſiam Trecenſem liberaret à grauantibus: & mortuo Comite dubitatur, an ille Epiſcopus voto adſtringatur? & Pontifex ait teneri, ac commutat in alia opera pia. Item c. *ex parte*, de conuerſ. coniug. ait, votum factum propter infirmitatem vitandam de ingreſſu Religionis, ceſſante illo fine, adhuc eſſe validum. Huic obiectioni ſuccumbunt multi Iuriſperiti, Gloſſa citata, Ancharranus, Hoſtienſis, & alij, & tenent contra *Claſſa. Anchar. Hoſtienſ.* noſtram aſſertionem.

Nihilominus pro *defenſione eius notandum eſt*, duplicem eſſe poſſe cauſam finalem voti: vnam primariam, & per ſe coniunctam, ac requiſitam in voto; alteram ſecundariam, & per accidens in voti emiſſione repertam. *Primaria cauſa finalis eſt* ipſe finis intrinſecus voti, & actus promiſſi, vt ſi voueam dare eleemoſynam in Dei obſequium, & cultum: & hæc eſt finis operis ipſi intrinſecus, ſine quo non conſiſtit votum. *Secundaria verò cauſa finalis* non ſe tenet ex parte voti, ſed ex parte operantis, vt motiuum ad vouendum: vt ſi quis voueat facere ſacrum pro ſalute amici, finis primarius eſt ſacrum facere, finis ſecundarius appoſitus ex parte operantis eſt ſalus amici obtinenda.

Noſtra igitur aſſertio intelligenda eſt de cauſa finali primaria, qua ceſſante ceſſat voti obligatio, non de cauſa ſecundaria, quam Canoniſtæ quidam appellant impulſiuam: & de hac loquuntur iura in cõtrariũ allata, vt patebit attentè legenti: cuius etiam eſſe poteſt exemplum in eo, qui vouit Religionem, vt pauperiem effugeret, & lautè viueret: qui ſi fiat diues, & alias habeat vnde lautè viuat, nõ ob id ceſſat obligatio voti, ſicut neque ille finis obſtitit valori voti quando initio emiſſum fuit, vt ſupra docui circa articulũ ſecundum.

Et ſic explicata noſtra aſſertio tenetur à multis Iuriſperitis, Panormitano, Cardinali, in explanatione prædictorum textuum, Syluest. *votum* 2. quæſt. 8. ſicque eſſe intelligendum illud axioma, ceſſante cauſa ceſſat effectus tradit Tiraquel. Sed adhuc ſubobſcurum eſt noſſe, quãdo cauſa finalis ſit primaria: ita vt ea ceſſãte ceſſet voti obligatio. Panormitanus ait, & alij, cauſam finalem voti eſſe, vt votum ſit de re placente Deo: quod ſi ceſſet, clarũ eſt ceſſare voti obligationem. Curta explicatio noſtræ aſſertionis: nam ex ea ſequitur, eum qui vouit peregrinari pro ſalute amici, & amicus moriatur ante inchoatam peregrinationem, obligari Deo: quia peregrinatio etiam tunc poſſet placere Deo: Conſequens videtur falſum, & videtur colligi ex cap. *magnæ*, de voto in cuius fine ſic ait Pontifex: *Ad hanc indulgentiam tibi faciendam ſpecialiter nos induxit, quod cum pro libertate Trecenn. Eccleſiæ per dictum comitem aſſequenda, præcipuè votum peregrinationis emiſeris, eo ſublato de medio, quia ceſſauere cauſa, facilius ceſſare potuit & effectus.* Quare dicendum eſt nomine cauſæ finalis primariæ intelligendum eſſe proprium motiuum actus promiſſi, & quaſi ſpecificans illum: v.g. voui dare eleemoſynam Petro, quia pauper, ſi poſtea diteſcat, ceſſat obligatio voti: quia ab hoc fine quaſi ſpecificatur ille actus, & eo ſublato fine ceſſat etiã obligatio voti. At cauſæ ſecundariæ impulſiuæ nomine intelligitur omne motiuũ extrinſecũ actui promiſſo, ſed tantũ ſe tenens ex parte operantis ad impellendum voluntatẽ eius, & hac ceſſante dicimus non ceſſare obligationẽ voti: & ſic fortè ſunt intelligendi ij, qui abſolutè aiunt ceſſante cauſa finali non ceſſare obligationem voti. *Fateor*, dicernere inter cauſam finalem primariam, & ſecundariam non eſſe vſque adeò

3 *Panormit. Cardinalis, Syluester. Tiraquel.*

adeò facile: & ideò ad hoc agnoscendum recurrendum est ad intentionem vouentis: quod si ea consulta nequit res determinari, in casu dubij ex coniecturis res desinienda est: quod si nec hæ suppetant, in fauorem voti, & Religionis, si cætera sint paria declinandum, & quod tutius reor superior flagitandus erit, qui per commutationem, vel dispẽsationem quieti vouentis prouideat. Sic factum fuisse in dicto cap. *magnæ*, perspiciet lector, præcipuè ex verbis citatis ex fine capitis: vbi indicatur Pontificem propter casus dubietatem voluisse votum illud commutare.

Dico secundò. Quando materia voti sic mutatur,
4 vt re sic mutata votum à principio emissum non consisteret, cessat obligatio voti. Hoc videtur notum: quia quod necessarium est ad rei dignitatem (vt ita dicam) sibinde necessarium est ad rei consistentiam: ergo ea mutatio, quæ sufficeret impedire obligationem voti in principio, & fundatione eius, sufficeret etiã impedire obligationẽ voti iã facti. *Explicatur* amplius assertio: nam quandò actus promissus temporis tractu non potest licitè fieri: tunc iam cessat obligatio voti: imò & oritur obligatio non faciendi: quia votum de re illicita non obligat. *Exemplum sit in eo* qui vouit Deo rem quam postea agnoscit esse alienam; & in eo, qui vouit opus, & postea ab habente potestatem prohibetur. Item si materia voti ita mutatur, vt quamuis non sit illicita, desinit tamen includi, & vestiri fine principali voti incluso in materia voti. Exẽpla sunt multa in præcedenti dicto. Item quando materia voti tractu temporis, ex circumstantijs facta est impossibilis, aut simpliciter, aut moraliter: quia est valde obseruatu difficilis: quia de re impossibili non est votum.

Si aũt hæc impossibilitas seu impotentia perpetua est, omninò extinguitur obligatio voti, si autem temporanea est, suspẽditur pro toto tempore impossibilitatis obligatio voti. Item si voti materia partim reddatur impossibilis, parte remanente possibili; cessat obligatio quantum ad partem impossibilem, & permanet quantum ad partem possibilem: & hoc intelligendum est siue mutatio illa fuerit voluntaria, siue non: siue fuerit præuisa, siue non: siue cum culpa, siue sine illa:
Abbas. etiam si oppositum sentiat Abbas in capite *licet* de voto: quia tunc non excusat culpa præcedens, sed in potentia præsens: verbi gratia, si quis habens votum castitatis duxit vxorem, non peccat reddendo debitum, licèt peccet mutando statum.

5 *Sed argues* contra probationem huius assertionis: nam contingit aliquando in materia voti reperiri mutationem, quæ si antea quam votum emitteretur extitisset, homo non vouisset: & tamen obligatio voti emissi non cessat, nisi interueniente ignorantia, vel errore circa substantialia vot i, vt supra docebamus. *Respondetur*, si possibilis est impletio voti, adhuc eius obligatio manet: quare si quis voueat castitatem, & postea experiatur se fragilem, & vix potentem se à Venereis cohibere, quam difficultatem si sciret, nõ vouisset, nihilominus obligatus manet: quia ea difficultas prouenit ex dispositione subiecti cooperante libera voluntate eius. Accedit, quod si in his casibus concederetur licentia non seruandi vota, quot labefactarentur? *Sed inquies*, etiam seclusa impotentia, nonne esset habenda ratio intentionis vouentis? Vtique, si agnosceretur: hæc enim est, quæ posset limitare obligationem, & cessationem voti pro suo arbitratu: sed nisi hæc intentio apertè constaret, non esset illi nimis fidendum, nam (quæ est hominum ignauia volentium à se excludere onus voti) sibimet ipsis facilè persuaderent, se noluisse obligari, si hæc vel illa tantilla mutatio materiæ eueniret: quare tutius reor in casu dubij ad superiorem recurrere, vt iudicet de intentione, aut verò vt dispenset in voto facto: aliàs standum est in fauorem voti, & Religionis, quidquid alij comminiscantur.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm expediat aliquid vouere?

Summa Articuli.

CONCLVSIO est affirmatiua. Probatur in argumento, *sed contra*, ex Psalm. 75. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro*: & in corpore articuli: quia votum est promissio Deo facta, sed hæc cedit in vtilitatem eius, qui vouit: ergo expedit Deo vouere. *Minor probatur* ex differentia inter promissionem homini factã, & eam, quæ fit Deo: prior enim cedit in vtilitatem eius, cui fit promissio, ipsi enim vtile est, vt ei aliquid exhibeamus, & quod eum de futura exhibitione prius certificemus: at promissio, quæ Deo fit, non cedit in eius vtilitatem, vtpotè qui nec crescit ex nostris datis, nec certificatur ex nostris promissis, sed tota cedit in nostram vtilitatem, in quantum vouendo voluntatem, nostram immobiliter firmamus ad id, quod expedit facere. Psalm. 75

DISPVTATIO VNICA.

An expediat vouere?

Disputatio hæc potius videtur pertinere ad quæstionem an sit votum, quam ad eius vtilitatem: sed cum D. Thom. cõpendij amator benè nosset in actibus studiosis eos, qui homini ad vitam spiritualem non sunt vtiles, esse dicendas vanas quasdam operationes, meritò inquirit, an expediat vouere? Hoc enim determinato rectè colligitur actũ vouẽdi esse in specie studiosi actus, de qua existẽtia quæstio est pertinens ad an est, vt aiunt morales Philosophi. Quare nos sub vniuersaliori titulo tractãtes quærimus, an votũ sit vel in se perfectus act', vel ordinat' ad finẽ virtutis assequẽdũ? Et

2 *Et videtur vera pars negatiua argumentis Haereticorum*: nam promissio, si quã conetur homo Deo facere, vana est, & nullam inducẽs obligationẽ: ergo. *Antecedens prob.* quia quidquid homines possunt Deo exhibere, ipsi iã debet ratione creationis, cõseruationis, redemptionis, & aliorum beneficiorum: ergo vane conamur nos ei denuò obligare: cũ iã pridẽ obligati fuerimus. *Cõfi.* quia serui ad dominũ nulla potest esse vera promissio, quia cũ seruus nihil habet quod non sit domini sui: iuxta leg. *placet*, ff. de acquir. vel omit. hęred. nihil potest domino conferre, & consequenter nec aliquid promittere: quare si interdũ promittit domino suo aliquid, perinde valet ac proponere aliquid agẽdum in obsequium domini sui. *Cõfir. secundo*, quia cũ promissio ordinetur ad donationẽ, cũ homo Deo nil donare possit: quia omnia sunt eius, neq; promittere poterit; secũdo, quia in illo magno praecepto: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.* includitur debitum faciendi omnia, quae ad Dei obsequium spectãt: ergo frustra apponuntur aliae obligationes. *Tertio*, per votũ adimitur hominibus libertas, quae magnum bonum est, & spectans ad legem gratiae: quia vbi spiritus Dñi ibi libertas: ergo statui legis gratiae vota repugnant.

3 Aduersus vota Haeretici moderni, & antiqui debacchati sunt: vt videre est apud Castrum in verb. *votum*, & Bell. *lib. 2. de Monac. c. 15.* Lutherus, & Caluinus solum negarunt vota de operibus supererogationis, Petrus Martyr in lege veteri pertinuisse ad caeremonialia, & in lege gratiae esse relegata. Alij absolutè negarunt, vt Pseudo apostoli Lamperiani, Vvicleph. videndi sunt Castro verbo. *votum*. Prateolus, proprijs eorũ nominibus. VValdensis *tomo. 3. de Sacramentalibus*.

Castrus. *Bellarm.* *Prateol.* *Vvald.*

4 *Dico primò*, Contra Haereticos; vota laudabiliter facta fuere in lege veteri, & modo in lege noua. *Prior pars* constat ex multis sacrae Scripturae locis *Psalm. 75. Eccles. 5. Deut. 23.* Secunda pars patet ex vsu & approbatione Ecclesiae. Itẽ, quia testimonia citata Sancti Patres de vtriusque testamenti cultoribus intelligũt, & Esai. c. 19. prophetauit. *Colent eum in hostijs & muneribus, & vota vouebunt, & soluent*: vbi sermo est de vocatione gentium, de statu Ecclesiae post Christi aduentum. Praetereà D. Paul 1. ad Tim. 5. de quibusdã dixit. *Habentes damnationem, quia contra fidem irritam fecerunt*: Id est, quia votum castitatis violarunt. Ita exponit August. & alij quos refert Bellarm. *cap. 24.* Dicit Petrus Martyr vota pertinere ad caeremonialia veteris legis, quae iam cessarũt, imò prohibita sunt. Certè nescio, vndè hoc collegerit, cum vota antiquiora fuisse, quàm Moyses, constet Genesis *vigesimo octauo*: nec est in nouo testamento, aut lege Pontificia, aut Conciliali talis reprobatio.

Psalm. 75 *Eccle. 5.* *Esai. 19.* *1. ad Ti. 5.* *Bellarm.* *Genes. 28.*

Haeretici parum curant de Ecclesiae Catholicae vsu, & approbatione, sed de sola sacra Scriptura, & aiunt quamuis haec cõsuetudo Ecclesiae Romanae non sit expressè reprobata in testamento nouo, sed tamen eo ipso, quod non est praecepta, phibita est: quia in lege gratiae omnis Religio voluntaria, quae sub praecepto non est, debet censeri prohibita, attestante D. Paulo ad *Coloss. 2.* vbi voluntariam Religionem nomine superstitionis damnat, vbi enim legitur, *in superstitione*, Graecè habetur, *in Religione voluntaria*: sic legunt non solum Haeretici, sed etiam aliqui Catholici. *Respond.* falsum esse assumptum Hęreticorum, & contra illud Pauli 1. ad Cor. 7. *Praeceptum Domini non habeo, consilium autem do*, & illud Christi Matt. 19. *Qui potest capere capiat*: quod dixi quia non de praeceptis, sed de consilijs agebat. *Itẽ* multa bona & studiosa sunt, quae non sunt praecepta, cur ea in lege gratiae non licebit facere? Videndi sunt de hoc argumento Bell. *in 1. tom. Turr. lib. 5. pro Epist. Ponti. c. 7.*

Coloss. 2. *1. ad Cor. 7.* *Mat. 19.* *Bellarm.* *Turrian.*

Illa verò translatione secundi ad Coloss. admissã, id est, *in Religione voluntaria*. Resp. non dici voluntariam, id est sine obligatione praecepti: sed quia proprio cerebro & voluntate praeter rationem, & Ecclesiae vsus inuenta sit: quem colendi modum damnat Paulus, non secundum. Certe melius vulgatus interpres vertit *in superstitione*, quae per anthonomasiam potest dici voluntarius cultus: quia à propria voluntate, & cerebro habuit originem: ita notarunt Chrysost. & alij eo loco, & Hieron. ad *Algasiam q. 10.* Votum ergo quamuis voluntaria sit eius emissio non posteriori modo, sed priori approbatur, & recipitur in Ecclesia Christi.

Chrysost. *Hieron.*

Dico secundò. Vsus votorum non solùm licitus est, verum & expediens vouentibus. Haec assertio ex priori infertur, & probat demonstratiuè ratione D. Tho. & ex Patribus in multis locis optimè Fulgentius, lib. de fide ad Petrum ca. 3. in fine: *Tunc vnusquisq; Regnum coelorum possidebit, si obliuiscens quae retrò sunt, & in anteriora extẽdens se ipsũ secundùm quod in Psalmis dicitur: Vouete & reddite, quod scit esse licitum, & ad profectum melioris vitae pertinere cognoscit, & libenter voueat, & celeriter reddat.* Contra hanc assertionem referente Vvald. *lib. 3. doct. fidei cap. 21.* tenet Armachanus, vsum votorũ per se non expedire: & ideò frequentiam eius nõ debere consuli, sed potius abstinentiam & raritatem suaderi; solumq; in casu necessitatis, vel magnae vtilitatis promitti: & probat: quia iuramentum quamuis sit actus Religionis, propter periculum non expedit per se fieri, & consulitur simpliciter, vt non fiat sine magna causa, & necessitate, sed non minus periculi est in vsu vouẽdi, quia facile promittitur, & difficile impletur: & ita occasione votorum frequenter augentur peccata. 5

Fulg. *Vvald.*

Hoc argumentum tetigit D. Th. & ad secundum respondere videtur: hoc periculum nõ nasci ex voto, sed ex hominis fragilitate. *Contrà*: nam si reuera periculum in opere vouendi interueniat vndecunque proueniat, si commodè potest, vitandum est.

Nihilominus sententia Armachani omninò reijciẽda, vt periculosa & valdè accedẽs ad Haereticorum sensum de votis, & aliena à communi Catholicorum dogmate: quare ad eius argumẽtũ respondetur negando paritatẽ rationis in voto & iuramento, cuius signum est Christum Dominum consuluisse, vt iuramenta raro fierent: at non

at non ita in votis: quin potius consuluit sæpè perfectionis viã, quæ in votis consistit: præcipuè vt Matt.19. *Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter Regnum cælorum*, vtique per votum castitatis: & subdit: *qui potest capere capiat*, quasi excitans ad id faciendum, & laudans facientem: vt ibi notant Chrysost. & alij, & D. Hieron, *contra Iouin.* August. *de sancta Virginit. cap.* 24. Fulgentius, *lib. de fide ad Petrum cap.* 3. *in fine.*

Matt. 19. Chrysost. Hieron. August. D. Fulg.

Deinde differentia magna sumitur in hac parte inter iuramentum, & votum: sumpta ex proprio fine vtriusque actus: nam iuramentum per se primò ordinatur ad confirmandam veritatem humanam, & non ad cultum, nisi supposita eius necessitate ad alium finem: votum autẽ per se primò est propter cultũ diuinũ, & nullã aliam rationem aut necessitatẽ exigit præter eã, quæ est firmandi voluntatem in proposito de meliori bono, vel in offerendo Deo liberaliter eandem volũtatẽ. Ex quo liquet, iuramẽtum nõ solũ propter periculũ expedire sæpè fieri (ꝙ frequentius est in iuramentis, quã in votis,) sed etiã ex natura suæ institutionis, vt dicebamus.

6 Ad illud verò quod de periculo obijcitur *resp. ex doctrina D. Tho. ad secundum:* quando periculum ex facto nascitur, tunc factum illud non est expediens, aut verò rarò consulendum, vt exercere mercatoris officium, conuersari frequenter cum iuuenculis alienis; transire per pontem ruinosũ: sed si factum est de se laudabile, quale est votum à Sanctis sæpè commendatum non est factum illud dissuadendum propter periculum labendi, alioquin oporteret ferè ab omnibus abstinere. Egregiè D. Ambr. li. de viduis prope finem: *Ergo nemo militet, ne aliquando vincatur, nec pedis vtatur obsequio qui gradiendi periculum reformidat, nec oculi intendat officio, qui concupiscentiæ timet lapsum*: præcipuè quia vouentes debent de adiutorio Dei valdè confidere, de sua fragilitate timere: vnde August. Psalm. 75. cùm dixisset: *Non sitis pigri ad vouendum, non enim viribus vestris implebitis*: subiungit: *deficietis, si de vobis præsumitis, si autem de illo, cui vouetis, vouete, securi reddite:* & Psal. 131. prope initium. *nemo præsumat viribus suis reddere quod vouerit: qui te hortatur, vt voueas, ipse adiuuat, vt reddas.*

D. Ambr. August.

Itaque periculum voti nullum, aut paruũ est, nisi periculum appelles illud quod ex quacunq; obligatione nascitur: quod si hoc formidandum esset, nullum deberet præceptum hominibus imponi; nulla pacta inter homines incunda; nulla fides danda: nam in omnibus obligationibus est periculum peccandi: non tamen hoc oritur ex obligatione, sed ex culpa hominis, qui voluntatẽ mutat. Hæc autem mutatio ad mutabilitatẽ naturæ humanæ pertinet, non ad periculum voti: nec D. Paulus 1. Cor. 7. nobis contradicit inquiens: *non vt laqueum vobis inijciam*: in quo videtur significare votum castitatis laqueum esse: nequaquam votum vocauit laqueum, sed inuolũtariam necessitatem: quasi dixerit: hęc consulendo dico, non cogendo: non enim laqueum vobis iniJcio: quale esset præceptum inuoluntariũ apponere in tali materia.

7 Hæc dicta sint de vsu vouendi rationabili, & secundum prudentiã: neque qualiscunque metus fractionis voti debet à vouendo retardare: iuxta illud Sap. Eccl. 11. *qui obseruat ventum, non seminat, &c.* allatum à D. Tho. id est ꝙ si quis probabiliter timeat sæpè violaturum votum, eique potius futurum in laqueum, quàm in subsidium: tunc non ei expediet vouere, vt insinuauit Paulus, vbi supra dicens: *Melius est nubere, quàm vri*, & si quis emissurus est votum, multa ab eo expendenda sunt. Eccl. 11.

Ad argumenta initio disputationis posita *respondetur*, non repugnare vnam & eandem rem multis titulis deberi: sed Deus pro sua benignitate multa à nobis non exigit in vi præcepti, ad quæ præstanda homo per votum se potest obligare in Dei non mediocre obsequium. Dicere autem, ea duntaxat nos debere facere, quæ præcepta sunt error est Hæreticorum: de cuius confutatione alibi dicẽdum, interim videantur Autores citati.

Ad primam confirm. negatur, seruum non posse promittere aliquid domino suo: potest quidem promissionem facere inducentem saltem obligationem fidelitatis, quidquid sit de obligatione iustitiæ: de quo alibi.

Ad secundam confirm. resp. non esse necesse promissionem ordinari ad donationem, sicut de promissione serui dicebamus: sat est ordinari ad fidelitatem protestandam, ad cultum exhibendum, & similia.

Ad secundum latè Aragonius disputatione prima circa primum articulum: nos breuius, præceptum de Deo diligendo non obligare ad operationes omnes studiosas præstandum: sed ad nihil agendum, quod eidem amori repugnet, atq; ad præferendum Deum omnibus creaturis: ꝙ est verè eum super omnia diligere. *Ad tertium resp.* inferius circa articulum sextum. Aragon.

8 In solutione ad tertium huius articuli Diu. Thom. dubitat, *an Christus, & Apostoli votum emiserint?* & de Apostolis affirmatiuè respondet, ipsos, scilicet, vouisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum relictis omnibus sunt secuti: de qua re nos latius in tractatu de statũ Religioso, quem sæpè polliciti sumus. De Christo verò ait idem Sanctus Doctor, quod non ei competebat vouere: tum quia Deus erat: Deus autem sibi ipsi non vouet: tum quia in quantum viator homo habebat firmatam voluntatem in bono quasi comprehensor existens, Sotus verò *quæ. 2. art. 2. ad tertium* addit, quod Christo nulla ratione vouere congruit. Sotus.

Contra hanc tamen sententiam, & rationem D. Thom. arguunt quidam: quia voluntas Christi licèt in bono firmata sit, tamen potuit firmari in obsequijs Deo præstandis nouo titulo, Religionis, scilicet, & cultus diuini, qui in voto expenditur, & non solum firmitas voluntatis. *Conf.* quia Christo conueniunt plerique Religionis actus, vt orare, sacrificium offerre, cur non etiam vouere? *Confirm. secundò*, quia Christus fuit capax præcepti, cur non voti?

Secundò argumentãtur testimonijs Patrum asserentium Christum vota aliqua emisisse Diu. Hila-

Hilar. Psalm. 21 Hilarius, in illud Psalm. 131. *sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob.* Et verba illa Psam. 21. *Vota mea reddam in conspectu timentium eum*, de Christo esse intelligenda patet ex testimonio Euangelistarum, & D. Pauli intelligentium illum Psalmũ in persona Christi, vt Iansenius & Genebrardus aiunt, esse communem sensum Ecclesiæ, & Hebræorum doctiorum. (Iansenius Genebra:) Nihilominus verum censeo, Christum nullum verum & proprium votum emisisse, neque congruum esse tale votum. Hoc probat ratio D. Thom. cuius vis magis ostendetur respondendo ad argumenta posita.

9 *Ad primum & eius confirm. resp.* cultum diuinum in votis fundari supra promissionem Deo factam: quod si hæc in Christo congruè reperiri nequit, neque etiam rationem cultus reperiri oportet: promissio autem quæcunque etiam hominis ad hominem, duo ex natura sua postulat: videlicet vt per eam voluntas promittentis firmetur ad rem promissam, præstandam: & estò hæc firmitas præhabeatur, quod ei cui fit promissio innotescat. Quod si hæc de medio auferas, nescio ad quid deseruiat promissio: in promissione autem Christi si Deo fieret hæc deficere perspicuum est: tum quia voluntas eius in omni bono firmata & prompta est: tum quia Deo hoc satis innotescit. *Dices*: ad cultum Deo exhibendum, quod dicitur in confirmatione, certè cultus fundatus in promissione, nisi hæc adsint, non est cultus: nam deficiente promissione, etiam cultum, qui in promissione fundatur, ruere necesse est. *Et si dicas* omnia opera spontanea ad cultum Dei Christus referre poterat, respondetur, non per promissionem, quia incongrua esset, sed per relationem charitatis, aut alterius virtutis.

Ad secundam confirm. resp. rationem magnam diuersitatis interuenire inter præceptum & promissionem: nam ratio præcepti ex voluntate imponentis præceptum ei, qui obedire tenetur, sumitur, Christus autem in quantum homo Deo obedire tenetur, & ideo capax pcepti est: at ratio promissionis sumitur ex illis duobus relatis, quæ cum in Christo deficiant, etiam promissionem deficere necesse est. Fatebor, non implicare contradictionem Christum Deo aliquid promittere, nego verò id fecisse, & assero id facere incongruum esse. Ad D. Hylarium, & alios Patres si quando videantur Deo attribuere vota, respondetur, non loqui rigore scholastico de voto, sed similitudinariè de præcepto Christo à Patre imposito de quo latius, in tertia parte: illud verò Psal. 21. *Vota mea reddam, &c.* fatemur cũ D. Thom. hîc dictum esse à Christo Domino in persona Ecclesiæ, cuius vota vocat sua: sicut in eodem psalmo delicta populi, vocat sua, dicens: *Longè à salute mea verba delictorum meorum.* Quod dico de Christo, de Angelis, & Beatis Deo fruentibus dicendum reor, & propter eandem rationem: videlicet neque vouisse, neque congruũ esse vt voueant: multis alijs modis possunt Deũ colere orando, precando, se Deo offerendo; nequaquam autem vota emittendo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm votum sit actus Latriæ, seu Religionis?

Summa Articuli.



R Espondetur affirmatiuè, & probatur ex illo Isai. 19. *Colent eum in hostijs, & muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent.* vbi Propheta inter actus Religionis collocat vouere Deo. (Isai. 9. 1) *Deinde ratione idem probatur*: nam votũ est ordinatio eorum, quæ quis vouet in diuinum cultum, seu obsequium: sed ordinare in diuinũ cultum pertinet ad Religionem: quia hic finis est, & ratio formalis Religionis: ergo & votum ad Religionem pertinet. *Maior prob.* Votum est promissio Deo facta, & promissio nil aliud est, quàm ordinatio quædam eius, quod promittitur in eum cui promittitur; cum duplex sit actus alicuius virtutis, scilicet, imperatus & elicitus: vt *supra docui circa q.* 81. interrogatio & responsio articuli de actu elicito intelligenda est: itaque votum esse dicitur actus à Religione elicitus. Contra quod est

DISPVTATIO I.

An votum sit actus Religionis?

V Idetur enim non esse actum à Religionis virtute eliciriuè procedentẽ. 2 *Primò*, quia Religio in lege gratiæ reddit Deo debitum cultum: sed vouere est omninò spontaneum; maximè circa bona supererogationis: ergo non pertinet ad Religionem. *Secundò*. Inter homines promittere & implere promissum non sunt actus eiusdem virtutis, sed implere votum est Religionis: ergo facere votum non est actus Religionis. *Maior* patet: quia promittere est liberalitatis, misericordiæ, aut amicitiæ: implere autem est iustitiæ, aut fidelitatis. *Minor* etiam, quia seruare Deo fidelitatem pertinet ad honorem, & cultum eius: seruare autem votum fidelitatis est, promittere autem non spectat ad fidelitatem.

3 *Tertiò*. Promissio in humanis non sortitur certam speciem virtutis, sed iuxta diuersa motiua promittentis diuersificatur: nam si fiat ex compassione ad misericordiam spectat: si ob dilectionem cui fit promissio, ad amicitiam, si propter beneficium acceptum, ad gratitudinẽ: nunquam autem videtur esse actus obseruantiæ, aut cultus humani: ergo pari forma promissio ad Deum non habet certam speciem studiositatis, sed potest esse charitatis, & amicitiæ erga Deũ, si ex puro illius amore fiat, vel gratitudinis, si ꝑpter susceptum beneficium, vel quid simile.

Quartò. Votum est actus intellectus siquidẽ est promissio, Religio est in voluntate; ergo votum non est elicitiuè à Religione, sicut neque actus intellectus potest elici à voluntate.

Quintò arguitur contra processum D. Thom. in hoc

in hoc articulo: nam ex eo quod votum est promissio facta Deo, & ex hoc quod promittere est ordinare id, quod promittitur in illum, cui fit promissio, colligit Sãctus Doctor votum esse actum Religionis, cuius est ordinare in diuinum cultum. *Sed contrà* est argumentum. Ordinare, & referre aliquid in Deum, nõ solum conuenit virtuti Religionis, sed etiam charitati, & huic præcipuè conuenit, cuius finis & obiectum est Deus: ergo ex eo quod votũ est promissio, cuius est ordinare, id quod promittitur, in illum cui fit promissio, nõ magis colligitur vouere esse Religionis actum, quàm charitatis.

3 *Conclusio* D. Thom. recepta est ab omnibus Theologis. & ratio eius allata id ostendit, & amplius manifestabitur respondendo ad argumẽta contra eam formata. *Primum est* quorundam Hęreticorum modernorũ, quos retuli in præcedenti articulo, existimantium in lege gratiæ nullum esse cultum spontaneum: de quorum vesano errore multa scripsere Doctores Catholici, quorũ aliquos retulimus in eiusdem articuli commentarijs. & ideò videndi sunt: & nos modò dicimus Religionis virtutem habere actus pertinentes ad cultum debitum, & alios ad spontaneum, nec hoc legi gratiæ repugnat: nec talis repugnantia vel leuissimum fundamentum apparet.

Ad *secundum resp.* eiusdem virtutis esse formaliter loquendo etiam in humanis promittere, & soluere: quia fidelitas humana dirigit promissionem, vt verè, & fideliter, fiat. *Secundò* dato antecedenti in humanis, negatur consequentia, in promissione quæ fit Deo: etenim cum homini possint promitti multa bona, putà pecuniæ, regnũ, & similia, quæ in eius vtilitatem cedant, in eorũ exhibitione possint interuenire varia virtutum officia, vt liberalitatis, misericordię, &c. at ex nostris bonis nil possumus Deo offerre cedens in vtilitatem eius, sed tantum honorem, & cultum: & hæc ipsi exhibemus siue promittendo, siue promissionem implendo.

Ad *tertium respondetur*, motiua ad actus Religionis, imò ad vouendum esse varia: hinc tamen non infertur ipsum vouere non pertinere ad Religionem.

Circa materiam quarti argumenti multa diximus *supra quæst.* 81. *art.* 7. *dispu.* 3. quę recolẽda sunt:
4 & modò dicimus actum vnius potentiæ posse elici ab habitu existente in alia potentia distincta; quo fit, vt vouere, & votum implere actus sint à Religionis virtute eliciti: quod non infimè colligitur ex dictis loco citato, & ex doctrina huius articuli, & ad primum: vbi & promittere Deo, & seruare promissum D. Thom. ait simpliciter ad Religionem pertinere: nimirum elicitiuè: quotiescunque enim Aristoteles, & D. Thom. ex professo pronuntiant aliquem actum ad certam virtutem pertinere, de actu elicito loquuntur.

Ad *quintum resp.* cum Caietano in præsenti: quod quia sermo rei, & non res sermoni subijci debet. & in vnaquaque re sermones sunt intelligendi secundùm subiectã materiã, non est faciẽda vis in verbis quando constat de rebus: Constat autem, quod quidquid Deo promittimus, promittimus sub ratione reuerentiæ, quoniam promittimus vt offerendum Deo. Diuina autem reuerentia certum est quod pertinet ad Dei cultum: atque adeò ad Religionem, cuius est diuinũ cultum respicere, & sic de primo ad vltimũ, votum pertinet ad Religionem. Itaque non infertur, quod votum pertinet ad Religionem ex eo, quod vouere est ordinare, & referre aliquid in Deum sed ex eo, quod est offerre aliquid Deo ad eius cultum, & reuerentiam, quod propriè pertinet ad virtutem Religionis. Hoc enim est discriminis inter charitatem & Religionem, quod charitas refert opera in Deum tãquam in finem: ieiunamus enim, & oramus propter Deum tanquam propter finem. At verò Religio non refert opera in Deũ tãquã in finem, nec sub forma finis; sed sub forma illius, cui aliquid offertur in eius cultum, & reuerentiã. Oriturq; huiusmodi discrimẽ ex eo, quod charitas habet Deũ pro obiecto; tanquam rem amatam: hoc est rem, cui bonum in communi volumus, & nolumus malum. at verò Religio tanquã id, quem reueremur, & cui obsequimur, nos nostraque illi in cultum offerentes. Quia ergo votum non solum ordinatur in Deum, sed etiam in eius cultum, & reuerentiam; non ad charitatem, sed ad Religionem dicitur pertinere.

In solutione ad primum dicit D. Th. quædam verba notatu digna: sic habent. *Ad primum ergo dicendum, illud, quod cadit sub voto, quandoque est actus alterius virtutis, sicut ieiunare, & continentiam seruare: quandoque vero est actus Religionis: sicut sacrificium offerre, vel orare; vtrorumque tamen promissio Deo facta ad Religionem pertinet, ratione iam dicta. Vnde patet: quod votorum quoddam pertinet ad Religionem ratione solius promissionis Deo factæ, quæ est essentia voti: quandoque etiam ratione rei promissæ, quæ est voti materia.* Et circa hæc verba est

---

DISPVTATIO II.

An quotiescunque homo frangit votum peccet duplici peccato?

VNVM contra specialem virtutem, à qua talis actus elicitur; & alterum cõtra Religionem per quam Deo fuit oblatus: verbi gratia, vouet quis ieiunare in die Sabbathi, & non ieiunat: dubium est vtrum illius voti transgressio duas culpas includat: vnã contra abstinentiam, & alterã cõtra Religionem. Et *pro parte affirmatiua est argumentum:* 1
Frangens ieiunium ab Ecclesia præceptum peccat duplex peccatum: vnum contra sobrietatem seu abstinentiam, in qua actus ille per Ecclesiæ præceptum fuit constitutus: & alterum contra obedientiã, vt cõmuniter dicunt Doctores: ergo & qui frangit ieiunium, q ipse vouit, peccat etiã duplici peccato: vno contra tẽperantiam, in qua actus ille per propriũ votũ fuit constitutus: & altero contra Religionẽ. Nã cum votum sit veluti quędã lex particularis quã vouens sibi præscribit; quẽadmodũ lex humana præcipiẽs ieiunare est

suffi-

sufficiens constituere actum illum in materia temperantiæ: sic etiam & proprium votum.

2. Pro explicatione hui⁹ difficultatis *aduertendum est primò* cum Caietano, in præsenti, quod præceptum legis, atque propriũ votum partim conueniunt, & partim differunt. *Conueniunt* quidem in hoc, quod tam materia præcepti, quam materia voti est actus alicuius virtutis: præcipit enim lex, quæ sunt iustitiæ, mansuetudinis, & temperantiæ, &c. sicut & votum eadem promittit. *Differunt* autem in hoc, quod materia præcepti est actus necessarius ad virtutem, & sine quo virtus saluari nõ potest: siue ista necessitas sit ex natura actus absolutè, vt contingit in honoratione parentum, sine qua pietas stare non potest, & in furto & homicidio, &c. cum quibus virtus nõ inuenitur. Siue expositione legis, vt contingit in carnali coniunctione cum consanguineis, vel affinibus in secundo, & alijs gradibus. Est enim huiusmodi abstinentia necessaria ad castitatem, nõ ex natura actus, & virtutis: vt patet ex sanctis antiquorũ matrimonijs in talibus gradibus, sed ex legis determinatione: & simile est de ieiunio respectu abstinentiæ, & de extractione homicidæ ab Ecclesia respectu sacrilegij, & alijs huiusmodi.

Cæterũ materia voti, scilicet ieiunare in Sabbatho, est actus supererogationis: neq; ex voto fit necessarius ad virtutem temperantiæ: non enim respicit votum virtutem illam vt finem, sicut lex cuius est facere homines virtuosos, sed fit ex voto talis actus necessarius ad virtutem Religionis: quia eo ipso, quod assumitur, vt materia voti, fit necessarius respectu operantis, & respectu Religionis, cuius est vouere, & reddere vota, & non est factus necessarius respectu illius virtutis, cuius est ieiunare: putà abstinentiæ.

Secundò est aduertendum, quod sicut promissio
3 facta Deo est actus Religionis, ita etiam promissio facta homini est actus fidei, quæ est virtus moralis. Eiusdem enim virtutis est promittere, & reddere promissum: & fides, vt dicunt Tullius,
Cicer. & Diuus Augustinus, est qua dicta fiunt. Actus
August. ergo fidei est promittere homini, sicut est actus Religionis promittere Deo.

His constitutis, ad propositã difficultatẽ *re-*
4 *spondeo* sub distinct. scilic: quod quãdo actus ille qui voto vt materia substernitur, est constitutus in genere virtutis per aliquã legẽ, siue diuinã, siue naturalem, siue humanam congeminatur peccatum in eius transgressione. Quando autem solũ constituitur in genere virtutis per votum, nõ est duplex peccatum, sed vnũ, v.g. vouisti honorare parentes, aut confiteri, aut ieiunare Quadragesimã: quia iã secluso voto, illa opera erant singulariũ virtutũ, si transgrediaris votum, duplex peccatũ cõmittis: vnum contra illam virtutem, cuius actum vouisti: & alterum contra Religionem, ad quam pertinet violata promissio. Si autem vouisti ieiunare Vigiliam Corporis Christi, quamuis per tuum votum opus illud fuerit constitutum in genere abstinentiæ: quia tamen antea non erat obligatorium, in fractione illius voti non committitur duplex peccatum, sed vnum tantum. Et si puellæ dotẽ promisisti, & cũ iã sis ad id adstrict⁹ humana fide, eãdẽ pollicitationẽ Religionis voto confirmes, tunc effracta fides duplex erit peccatum: vnum contra humanam promissionẽ pertinens ad iniustitiã: alterum cõtra Religionẽ.

Ad *argumentũ* in principio factum *respondeo primò*, quidquid sit de antecedẽti, negando conseq. nam quia ieiunium ab Ecclesia præceptum per se secluso voto pertinet ad materiam temperantię, si postea de illo votum emittatur, & transgrediatur, duplex erit peccatum: vnum cõtra illã virtutẽ, & alterum cõtra Religionẽ: tamẽ quia ieiunium votiuum non est materia necessaria tẽperantiæ, qui illud frangit, solum peccat cõtra Religionẽ ad modum iã explicatum. *Vel secundò resp.* neg. antecedẽs. Falsum est enim, ꝙ qui frangit ieiuniũ ab Ecclesia pręceptum, peccat duplex peccatum. Vnum cõtra sobrietatẽ, seu abstinentiam, in qua actus ille per Ecclesiæ præceptum fuit constitutus: & alterum contra obedientiam: nam quia præceptum illud positiuum substernit actum ieiunij virtuti abstinentiæ tanquam necessarium ad illam, qui frangit illud, peccat cõtra abstinentiam, & non contra obedientiam formaliter, nisi adsit contemptus. Et eadem ratione: quia votum substernit actum ieiunij virtuti Religionis, tanquam necessarium ad illam, qui frangit ieiunium votiuum, peccat contra Religionem, & contra temperantiam formaliter: nisi fortè adsit gulæ superfluitas, temperantiæ opposita.

DISPVTATIO III.

An votum soli Deo fiat: an verò etiam hominibus fieri possit?

ET videtur posse fieri hominibus ex vsu fidelium crebrò emittentium vota Sanctis, imò & Prælatis; nam in professione Dominicarum, & aliorum Religiosorum formulis profitendi dicitur: *Facio professionem & promitto obedientiam Deo, Beatæ Mariæ, & Beato Dominico, & tibi Patri, &c.* Dices fortasse, eas promissiones, quæ fiunt hominibus, non dici, neque esse vota, sed humanas, & ciuiles promissiones. Contra, quia Sanctis multa promittimus nullã illis vtilitatem inferentes, pręter obsequium, & honorem propter eorum excellentiam in ordine gratiæ: hæ autem promissiones nequaquam sunt promissiones ciuiles, sed sacræ, ac religiosæ: ergo vera vota sunt. In oppositum est D. Tho. in articulo dicens: *Votum esse actum Religionis, siue Latriæ: quæ erga creaturas reperiri nequit.* 1.

Vota Sanctis fieri nullus præter Hæreticos, præcipuè modernos negat, attestante, & approbante Ecclesiæ Vniuersalis cõsuetudine. De qua re videndus est Bellarmin. *lib.3. de cultu Sanct. cap.* Bellar. Tota ergo difficultas inter Catholicos est: an eæ promissiones, quæ Sanctis fiunt, debeant dici propriè vota, & pertinere ad Religionem, seu Latriam.

Diuus

2 Diuus Thomas in solutione ad tertium hunc modum dissoluit dicens: *Votum soli Deo fit, sed promissio etiam potest fieri homini, & ipsa promissio boni, quæ fit homini, potest cadere sub voto, in quantum est quoddam opus virtuosum. Et per hunc modum intelligendum est votum, quo quis vouet aliquid Sanctis vel Prælatis, vt ipsa promissio facta Sanctis vel Prælatis cadat sub voto materialiter: in quantum scilicet homo vouet, se impleturum: quod Sanctis vel Prælatis promittit.* Itaque iuxta istum dicendi modum, quando vota fiunt Sanctis, duæ interueniunt promissiones. *Vna* proximè & directè facta Sancto de hoc vel illo opere faciendo in eius obsequium. *Altera* de adimplendo priorem promissionem Sancto factam. Hæc posterior promissio votum est, non autem prior, nisi materialiter, & quasi denominatiuè. Istū modū interpretādi, quomodo vota fiūt Sanctis, non propriè & formaliter, sed materialiter, ita quod votū propriè soli Deo fiat, expressit D. Thom. hic: & eodem modo Prælatis & hospitali posse fieri promissiones: quas tamē non censet vota. *Contra* quā doctrinam obijcit Caietanus argumenta posita in initio disputationis, vel similia: quibus videtur probari possibilem esse alium modum promittendi Sanctis, vnica duntaxat promissione ad eos immediatè ordinata: & respondet: quod quia Sancti sunt medij inter Deum & homines, & medium vtriusque naturam sapit, ideò de Sanctis dicuntur diuersa in proposito: nam si considerentur Sancti, vt homines; seu creaturæ rationales capaces secundum se honoris, & obedientiæ: sic promissiones, quæ eis fiunt nō sunt vota, sed possunt esse materia voti: & in hoc conueniunt Sancti cum hominibus viatoribus: & sic considerat eos Diuus Thom. in hac solutione: loquiturque ex ea parte, qua à Deo distinguuntur: & in hoc benè ait Caietanus: licet ab aliquibus sugilletur: quasi dixerit promissionem, quę fit Sanctis, illis fieri tantùm, quia creaturæ rationales sunt: quæ sunt tantùm promissiones humanæ & ciuiles: cùm tamen sæpè fiat, quia sancti sunt, & propter eorum excellentem gratiam.

3. Hoc, inquam, non sentit Caietanus: sed apponit quandam rationem generalem promittendi Sanctis, & Prælatis, seu alijs viatoribus propter excellentiam creatam: nimirum quia naturæ sūt rationalis: & sub hac consideratione hæ promissiones non sunt vota, quia creaturis fiunt: & propter eandem rationem promissiones, quæ fiunt Sanctis, quia sancti sunt sanctitate quadam creata, licèt supernaturali, non erunt vota, neque propriè ad Religionem, seu Latriam pertinebūt, sed ad Duliam, vt supra dicebamus de adoratione, quæ fit Sanctis propter eorum creatam, sed sacram excellentiam, non pertinere ad Religionem, sed ad Duliam. *Alio modo*, inquit Caietanus, posse Sanctos considerari, vt sunt Dij participatiuè: imò vt in eis est, & honoratur Deus: & sic promissiones eis factæ vera vota sūt, quādo Deo in ipsis fiunt: & ideò quoniam votum sonat promissionem factam Deo, ideò cùm absolutè quis vouet Sancto alicui, intelligēdus est vouere Deo in illo sancto: sicut & qui blasphemat aliquem Sanctum, intelligitur blasphemare Deum in illo Sancto, est enim blasphemia solius Dei, sicut & soli Deo vota emittimus: & vota isto modo facta actus Latriæ sunt: sicut de actu orandi Deum in Sanctis dixi: & eadem est ratio de Prælatis, quatenus in eis est Deus per dignitatis participationem, & potestatem; quam habent: secundùm quam quasi gerunt vicem illius.

4 Hinc patet ad argumentum factum in initio disputationis: videlicet promissiones factas hominibus sanctis priori modo nō esse propriè vota, licèt aliquando ita dicantur: quia circa sacrū cultum versantur: at secundo modo factas esse vota, quæ soli Deo fieri debent dici: cum fiāt Sāctis, quatenus aliquid Dei sunt, & in honorē Dei referantur. Ad illud verò, quod obijcitur de formulis vouendi Sāctis in Religionibus antiquis, *Respondent quidam* non fieri in illis speciales promissiones Sanctis ibidem nominatis, sed diriguntur illa verba ad Sanctos aduocando eos in testes: nam vulgari etiam loquendi modo, quando promissio humana propter maiorem solemnitatē fit coram multis testibus, dicere solet qui promittit: promitto Petro, & omnibus circumstantibus, vtique vt testibus obligationis, quæ vni principaliter nominato fit: *& ideò* (inquit Suarez) *nostri Religiosi, dum vouent, clarius dicunt, coram Beata Virgine, & Curia cælesti voueo omnipotenti Deo*: benè, sed nos & ferè omnes Religiones antiquæ illum antiquum morem profitendi seruamus, vouentes Deo, & Sāctis, Deo per proprium votum, quod sit Latriæ actus, Sanctis per vota, quæ non sunt Latriæ actus, sed Duliæ: vel dicito, ibi vouere Sanctis, & Prælatis, qua ratione participatiuè Dij sunt. Audiui quendam sæpè dicentem, quoties video Prælatum, veneror ipsum vt Deum, nimirum quia Dei vices gerit, & in eo Deum veneror. Et ita vota ad eos directa, esse verè, & propriè vota, & ad Latriæ cultum pertinere dicendum est. Suarez.

DISPVTATIO IV.

Qualis ac quanta sit obligatio voti?

1 HAEC disputatio videtur pertinere ad articulum tertium præcedentem, vbi nos cum D. Tho. disseruimus de obligatione voti, censentes, de fide certū, contra Hæreticos modernos, ex voto aliquam oriri obligationem ad eius obseruantiam: sed qualis, ac quanta sit hęc obligatio hucusque cōsultò distulimus determinandum: eo quod præcipuè pēdet ex cognitione huius articuli; vbi, cuius virtutis act⁹ sit votū, decernitur: & ideò modo disputatur: an votū sit act⁹ solius veritatis, seu fidelitatis: an verò religionis, quę est pars iustitię an verò vtriusque? ex quo venabimur grauitatē, vel leuitatē obligationis dimanātis à voto. Et videtur voti obligationē ad implēda promissa ad virtutē veracitatis, seu fidelitatis pertinere, & cōsequēter nō esse obligationē grauē: Nā votū est promissio Deo facta: at verò tota ratio obligationis, quæ oritur ex promissione ad veracita-

tem

tem pertinet: ergo. Min. probatur ex D. Thom. qui in art. 3. præcedenti ait: *Soluere promissa ad fidelitatem pertinet: quæ nihil aliud est, quàm veracitas.* Idem dicit Caietanus infra, quæstione. 113. arti. 1.

2 D Thom. Caiet. Quod si *dicas*: seruare fidem in promissis respectu hominum, ad veracitem pertinet; secus respectu Dei. *Contrà*: quod promissio ordinetur ad hanc vel illam personam, non variat rationem formalem promissionis, aut veracitatis, sed ad summum inducit maiorem, vel minorem obligationem in illo ordine: ergo quod promissio fiat Deo, ad fidelitatem, seu veracitatem tantum pertinet.

Tertiò, si seruare promissionem Deo factam ad aliam virtutẽ pertineret, prҿter quã ad veracitatẽ maximè ad iustitiam potentialem; quæ est Religio: hoc non dicitur benè: ergo. *Probatur minor*, quia de ratione iustitiæ est, vt fundetur in iure alterius, ad quem est obligatio eiusdem iustitiæ: sed votum, & vniuersaliter omnis promissio non fundat obligationem suam in iure promissarij; sed in sola veritate, & fidelitate promittentis: quia nec promissio supponit illud ius in alio; cũ sit merè spontanea; nec dat illud, cùm non sit donatio de præsenti; sed sola promissio de futuro: ergo.

3 *In oppositum* est D. Tho. qui in hoc articulo ait votum esse actum Religionis; & consequenter eius obligatio, est obligatio Religionis: quæ pars potentialis est iustitiæ, & inducens debitum legale, & excellentius, quàm debitum iustitiæ propriè dictæ; vt probaui supra, *quæst. 80. disp. 1. & 2.* consequenter eius obligatio grauis est; vt pote pertinens ad virtutem Religionis.

4 Pro decisione *dico*. Votum inducit obligationem fidelitatis ad Deum, & obligationem etiam cultus primum ad fidelitatem pertinet secũdum ad Religionem. Hanc assertionẽ probant argumẽta allata pro vtraq; parte dubitationis: sed nõ ita facile est in vno & eodẽ actu istas duas rationes formales veracitatis, & cultus cõponere. Vidẽtur enim esse longè distinctę; nec vnã ad alterã ordinari: nihilominus dico, cũ promissio necessariò fiat in ordine ad promissarium de aliquo ei vtili, & Deo nil vtile ei dare possimus, nisi honorẽ & cultũ: hoc ipso q̃ ei aliquid promittimus, ex veracitate ei obligamur reddere cultũ, & honorem: vnde licèt in promissionibus humanis ratio cultus nunquam, aut rarò coniungantur per se loquendo: at in promissione facta Deo inseparabilia sunt, promittere, & colere; quare obligatio resultans ex voto, oritur ex duplici honestate virtutis: scilicet veracitate, & religione: vel potius ex vno actu, qui eminenter continet illam duplicem rationem virtutis: sed re vera vnus tantum actus est, & vna obligatio: nam Deo promittere, & seruare promissum, cultus Dei est; & colere Deum per votum, fidelitas erga Deum est.

5 *Ad argumenta* initio posita respondetur probare nostram assertionem: sed quatenus videntur aliquo modo aduersari doctrinæ traditæ explicatius respondetur. *Ad primum* benè ibi: quia fidelitas erga homines vel alterius rationis est à fidelitate debita Deo, vel analogicè se habent. Ad replicam *respondetur* negando non variari rationem promissionis ex hoc, quod fiat Deo, vel homini: quia estò in promissionib⁹ humanis varietur ratio fidelitatis ex diuersa qualitate personarum: de quo modò non disputo; tamen actus obligãdi se Deo vel homini per promissionem actus sunt specie distincti, propter diuersas rationes honestatis, quæ in obiectis inueniuntur. Vnde obligatio erga Deum, & hominẽ non solùm differunt, tanquam maior & minor intra eandem speciem; sed vt specie differentes: Nam obligatio ad Deum sumit suam rationem specificam ex diuina excellentia; ratione cuius debitum eius alterius rationis est; vt latè deduxi circa quæst. 80.

Ad *secundum negatur minor*. Ad probationem *respondetur* discursum procedere in promissione libera, quæ ab homine homini fit, non verò in promissione, quæ fit Deo: quia Deo debitus est honor, & reuerentia ex intrinseco & naturali iure: & licet hoc debitum ex sola rei natura non determinetur ad hũc actum: v. g. ieiunium, quod voto promitti potest: tamẽ postquã Deo promissum est, eo ipso illud diuinum ius requirit illũ determinatum actum, ad seruandum diuinã reuerentiam. Itaque homo non confert Deo ius propriè loquendo, sed quasi determinat materiam illius cultus, eã promittendo, & eam promissionem Deus acceptat; & sic resultat tale debitum. Argumẽtum autẽ in oppositum potius nostram assertionem confirmat. 6

Ex his patet respõsio directa ad disputationem propositam; scilicet obligationem voti esse ex genere suo grauem: & manantem à duplici honestate virtutis; quarum quælibet debitum graue & legale includit, videlicet à fidelitate Deo debita, & à reuerentia, & cultu similiter debito quorum vtrumque in voto includitur.

DISPVTATIO V.

Quale peccatum sit transgreßio Voti, mortale? an veniale?

HANC disputationem ex præcedenti resoluere facile esset: si enim obligatio ad votum implẽdum grauis est ex genere suo, haud dubiũ, quin illam præterire, graue peccatum erit ex genere suo: & si obligatio aliquando leuis fuerit in indiuiduo: etiam tunc votum transgredi non implendo illud, leue peccatum, id est veniale, erit: nihilominus explicatius, & in peculiari disputatione oportet ista discutere. 1.

Et *dico primò*. Violare votum rumpendo, id est non implẽdo obligationem eius, intrinsecè malum, & peccatum est. Assertio est de fide expresse habita in sacra Scriptura Deute. 23. *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Et Ecclesia. 5. *displicet Deo infidelis*, (id est non seruata:) *& stulta promissio.* Et Psal. *vouete, & reddite vota.* Primum verbum consilij est: secundum præcepti, vt aduertit Aug. Deute. 23. Eccles. 5. Psalm. 75.

Aug. Denique votum inducit obligationem in cōscientia ad sui obseruantiam; vt multis ostendimus prima disputatione, circa articulum.3.ergo contra conscientiam, id est peccatum est, illud non implere; peccatum inquam, non multiplicis malitiæ, vt quidam possent opinari; sed vnius, continens eminenter malitiam perfidiæ, & irreuerentiæ contra Deum: sicut in superioribus docebam. Cum quo stat, vt ex parte materiæ aliquando violationi voti adiungatur altera malitia peccaminosa: de quo latè tractaui in disputatione præcedenti.

Secundo dico. Transgressio quæcunque voti, peccatum mortale est ex genere suo. Conclusio cōmunis est Theologis, & Iurisperitis tanquam certa de fide, quam etiam expressit D. Thom *in 4 dist.38.q.1.art.3 q.1.* & videtur colligi ex Psalm.75. vbi post illa verba: *Vouete, & reddite Domino Deo vestro*, subiungit Dauid: *Terribili & ei, qui aufert spiritum Principum, terribili apud Reges terræ.* En ex diuina maiestate, & potestate exaggerat grauitatē peccati non reddendi Deo votum. Aliqui ad hoc probandū vtuntur testimonio Sapientis Prou. 20. *Ruina est homini deuorare sanctos; & post vota retractare.* In cuius testimonij lectione variant sacræ Scripturæ versores: Nam quidam legunt, *Deuotare*, p *Deuorare*. Ita Beda, Lyra, & Carthusianus.

D. Thom.
Psal.75.
Prou.20.

Sed præstat legere sicut in Vulgata *Deuorare Sanctos*, quæ propius accedit ad Hebræam vocem: & tunc iuxta Biblia 70. interpretum sensus est valde accommodatus ad probandū nostram assertionem: videlicet, vt deuorare Sanctos, sit timere vouere: quia inde fit vt vota postea retractentur: id est non impleantur, propositum mutando, & retractando: & hoc dicitur esse ruina hominis: quod citra dubium peccatum mortale significat. Sed siue hac, siue illa lectione vtaris, tot illius testimonij multiplicantur sensus; vt videre est apud Iansenium ibidem: vt ex illo firmam probationem nostræ assertionis eruere non possimus: firmius ex Paulo primæ ad Timoth.5. *Habentes damnationem; quia primam fidem irritam fecerunt*: Id est votum prius factum; vt Concilia, & Patres exponūt: non dicitur autem habere damnationem, nisi qui mortaliter peccat: &. 17.q.1.c. 2. & tribuitur Hieronymo, vouentibus virginitatem nō solum nubere, sed etiam velle, damnabile est: & habetur ex Augustino de bono viduitatis c.9. vnde c.11. subiungit, *Grauius esse violare castitatem contra votum quam adulterare*: Et idem habet Chrys. Epist.6. ad Theo. lapsum: Ambrosius ad Virginē lapsam c.5. vnde l.9. in Luc. c.20. inquit: *Quam grauia vincula promittere Deo, & non soluere*: & Innoc.3.c. licet de voto dicit: *Tam necessariam esse voti solutionem: vt sine dispendio propriæ salutis prætermitti non possit.* Deinde probatur ratione D. Thomæ infra q.89. art.8. quia infidelitas serui ad dominum est magna irreuerentia: ergo hominis ad Deum grauissima iniuria est.

Iansenius.
1.ad Ti.5.
August.
Chrysost.
Ambros.
Innocent.

Sed rogas, contra quod præceptum est transgressio voti? D. Thom. *quodlib.3.art.12.* ait esse cōtra primum præceptum de Deo colendo cultu Latriæ: in quo etiam includitur, vt non simus irreuerentes mediante perfidia fractionis voti. *Alij*

D. Thom.

censent esse contra secundum præceptum de non assumendo nomen Dei in vanum: in voto autem & nomen Dei assumitur, & votum vanum redditur, cùm non impletur. Ita Nauar. c.12 in principio, qui citat Concil. Colonien. & Catechismus Romanus.3.*part. in explicatione. 2. præcepti*; & siue hoc, siue illud dixeris, inde colligitur nostra assertio. Etenim peccata contra præcepta primæ tabulæ grauissima sunt ex suo genere.

Nauar.
Catechis.

4 *Dico tertio*. Transgressio voti potest esse venialis ex surreptione, seu indeliberatione. *Patet*: quia hic modus extenuandi culpam etiam in grauissimis peccatis contra virtutes Theologales reperitur, & de illa iudicandum est iuxta principia generalia; quæ in consimilibus considerantur.

Dico quartò. Transgressio voti potest esse veniale peccatum ex leuitate materiæ: etiam si cum sufficienti deliberatione fiat. Hæc tenetur communiter. Ita Sotus *lib.7. de Iustitia q.2. art.1.* Nau. *c.12. num.40.* & communiter recentiores Theologi, & Summistæ. *Probatur*, quia cum parum pro nihilo in moralibus reputetur, non censetur grauis Dei iniuria, nec contraria charitati offensio circa materiam minimam.

Sotus.
Nauar.

5 *Contra assertionem obijciet quis*: nam periurium in re leui peccatum mortale est: ergo transgressio voti, cuius maior obligatio est, quam iuramenti: vt habetur ex D. Tho. quæstione sequenti. *Confirmatur*, infidelem esse erga Deū, est res grauissima: etiam si in re minima contingat: grauior enim culpa est infidelem esse Deo in re minima; quàm Regi in re graui: quia maior est excessus Dei ad Regem; quàm possit esse inter materias Regi vel Deo promissas; sed negare debitum Regi in graui materia est iniuria grauis: ergo grauior erit erga Deum, etiam in re minima. *Ad argumentum* ergo, quidquid sit de trāsgressione iuramenti promissorij, de quo quæstione sequenti; concesso antecedenti de transgressione iuramenti assertorij negatur consequentia in voto circa materiam leuē. *Ratio discriminis est*, quia in periurio assertorio nulla reperitur leuis materia, sed quæcunque formaliter loquendo, id est relata ad iuramentum, grauis est: eò quod Deus adducitur in testem veritatis prolatæ; quod si hæc deficiat per quodcunque mendacium aliàs leuissimum, grauissima Deo irrogatur iniuria: quia adstruitur Deum testificare, mendacio, quod longè ab eius veritate est: & idem cum proportione inuenitur in blasphemia, & in alijs: si aliquando reperiatur grauitatis ratio in materia, quæ aliàs apparet leuis.

Quod benè nota ad expendendum, quando materia sit grauis, aut leuis: nam interdū primo prospectu materia leuis apparet: id est materialiter considerata, quæ re vera formaliter grauis est: vt in periurio & blasphemia: In voto, & eius transgressione non ita res se habet: quia ea mediante nihil attribuitur Deo repugnans dignitati eius, neque aliquod nocumentum quasi intrinsecum, etiam ex affectu operantis: sed solum negatur ei quoddam debitum extrinsecum, quod pertinet ad extrinsecam iniuriam, quæ recipit magis & minus vsque ad diminutionem venialis culpæ. *Ad confirm.* respōdetur, infidelitatem erga Deum esse val-

se valde grauem malitiā ex suo genere; nihilominus in indiuiduo potest diminui vsq; ad venialem culpam: quia grauitas vel leuitas culpæ non est expendenda ex sola excellentia diuina, sed ex materia vt habentem habitudinem ad Deum: quæ habitudo interdum proportionatur graui culpæ, interdum leui, si materia leuis est.

Ad simile negatur cōsequentia, quia fit comparatio inter res diuersorum ordinum; vnde solum benè infertur infidelitatem ad Deum esse altioris ordinis, & speciei quam ad quemcunq; hominem: non tamen infertur simpliciter & in indiuiduo esse grauius peccatum infidelitatem in re leui respectu Dei, quàm infidelitatē in re graui respectu Regis: quia vnaquęq; augetur vel minuitur in suo ordine, iuxta ꝓportionē suę materię; vt cōstat in omnib⁹ alijs votis diuersorū ordinū: & argumentum verè vniuersaliter fieri potest de omnibus peccatis venialibus ex leuitate materiæ cōparatis ad peccata inferiorū ordinū.

Hanc nostram assertionem non plenè approbat Caietanus *quæst. 89. articulo 7.* dicens verum
6 *Caiet.* habere, quādo materia voti non impleta, partialis est: verbi gratia: quādo quis vouet dicere Psalterium; & omittit vnum versum; tunc ait, eam omissionem esse tantum venialem. At verò quādo votum in tota sua materia non obseruatur; etiam si materia leuis videatur; ait voti transgressionem semper esse peccatum mortale, quàm sententiam secutus est Nauarrus *in manuali, capite 12. num. 10. & 40. & capitu. 18. num* 4. (*Nauar.*) licèt postea illam retractauerit, sequutus est etiam Corduba, in summa quæstione 188. puncto 2. Probat Ca- (*Corduba.*) ietanus suam sententiam; quia quæcunque perfecta transgressio præcepti diuini & naturalis est peccatum mortale; sed ille, qui totam rem promissam non reddit perfectè, transgreditur præceptum diuinum, & naturale de voto implendo. Etenim perfectio actus non sumitur ex quantitate materiæ secundum se, & in cortice considerata: sed ex hoc, quod sit omissio totius sub voto cadentis.

Secundo argumentor ad labefactandum fundamentum oppositæ sententiæ, videlicèt in moralibus modicum pro nihilo reputari: magnum & paruum respectiuè dicuntur; & ideo vbi totalis materia grauis est, minima pars eius poterit dici leuis respectu totius materiæ, quæ grauis est; at vbi materia totalis est, non habet aliam respectu cuius sit leuis: & ideo semper est grauis, & eius omissio perfecta. Et idem Caiet. contra se objcit: quia ex sua prolatione sequitur furtum rei modicæ esse de materia graui, & consequenter esse peccatum mortale. *Respondet* tamen negando sequelam; & constituendo discrimen inter votum, & præceptum, ac materiam eorum: nam materia præcepti diuini & naturalis est quoddam genus: verbi gratia, in præcepto non furandi rem alienā; & respectu illius est materia partialis illa, quæ est materia tantum vnius vel alterius actus, & ita materia talis furti esse potest leuis: quia est partialis respectu materiæ toti⁹ præcepti: at votum est particularis lex, quæ aliquando respicit rem in se paruam, tanquam materiam totalem: & ideò illa non potest dici respectu voti materia leuis, quia nullam habet grauiorem, vel totalem ad quam comparetur: igitur quoties materia voti (inquit Caietanus) totalis est, perfecta est, & grauis, constituitque actum perfectum voti, & consequenter obligat sub præcepto perfecto, & sub mortali.

Mihi studioso doctrinæ Caietanicæ non pla- 7
ceteius secundum dictum. *Tum*, quia opposita sententia communior est Theologis, Iurisperitis ac Summistis. *Tum* quia fundamentum Caietani non mihi apparet firmum, vt videbimus respondentes ad eius argumenta. Dico igitur vniuersaliter verum habere nostram assertionem quartā, votum scilicèt de materia leui tantùm obligare sub veniali, & in hoc nō dissentit Caiet. sed quia putat quotiescunque materia voti quantumuis leuissima, appareat esse totalis materia voti, esse materiam grauem formaliter, & obligare sub mortali: ac subinde talis voti transgressionem esse peccatum mortale, nos vero oppositum censemus cum ferè omnibus, & probatur ex ꝓportione desumpta ab omnibus præceptis positiuis. Nam si Prælatus præcipiat aliquod leue, & si cōfessarius in pœnitentiam imponat, obligatio est tantum sub veniali: ergo idē dicendū est de voto. *Secundo* promissio humana de re leui tantū obligat sub veniali; etiam si teneas cū Soto, & alijs obligare ex genere suo ad mortale: & idem contingit in contractibus promissorijs; quos ex genere, & specie iustitiæ, obligare ad mortale certum est: ergo idem dicendum est in promissione, quæ fit Deo: non enim est Deus magis rigidus exactor, quam homo.

Ad argumenta Caiet. respondetur: ad primum ne- 8
gando minorem: & ad ꝓbationē negatur transgressionē voti dici perfectā, eò ꝙ est in materia totali; quin potius si materia leuis est, dicetur imperfecta; eò quod perfectio actus nō solum ex deliberatione, verum etiam ex parte materiæ sumēda est: ꝙ ad obligationē attinet, nam de perfectione act⁹ in ordine ad virtutē vel vitiū in ordine ad meritū, vel demeritū, modò nō tractamus.

Ad primum, in quo videtur Caietanus fundare suam sententiam, respondetur non esse necessa- 9
rium, vt aliqua materia voti sit grauis, vel leuis, modica, vel magna, quod sumatur comparatiue in ordine ad materiam actu promissam, vel præceptam; sed in ordine ad alteram materiam, quæ præcipi aut promitti possit: verbi gratia, præceptum Prælati aut confessoris recitandi semel orationem Dominicam, leuis materia est, nōn respectu materiæ præceptæ, nulla enim talis extat, sed respectu grauioris, quæ præcipi possit. Illud verò discrimē, quod agnoscit Caiet. inter vota, & ꝑcepta, vel parum refert, vel nullum est, vt patet in ꝑceptis Prelatorū, & cōfessorum circa res minimas, quæ videntur æquiparari votis: Imò & in ꝑceptis diuinis potest fieri æquiparatio: Nam sicùt præceptum nō furandi versatur circa materiam amplam, & in exercitio ad certam determinatur, sic est obligatio voti ampla. *Redde domino vota tua*, determinatur in exercitio ad hanc, vel illam materiam: & ideò sicut furtum vnius ar-

genti

genti venialis transgressio, licèt sit materia totalis, sic & transgressio voti in materia leui: licèt sit totalis erit veniale peccatum.

Sed rogas qua regula vtendū est ad iudicandum, quando materia voti leuis est, vel grauis; vt inde iudicetur de obligatione voti leui vel graui? Iudicio prudentū vtēdū est habita consideratione an ex eius materiæ impletione modicus cultus, aut reuerentia, an grauis Deo tribuatur. Aduerte tamē cum sapientissimo Soto *lib.7. quæst.2. art.1. in fine corporis*, non esse sumendum iudicium de grauitate, & leuitate materiæ: ex eo quod ante votū esset fortassè res indifferens, vel leue peccatum: quia sæpe continget fieri transgressionem mortalē ratione voti, quæ antea venialis erat, aut nullum peccatum: imò interdum bonus actus, vt ludus, matrimonium &c. Sed considerāda est grauitas actionis, de qua tractatur, quæ in ordine ad cultum Dei, vel ad humana pacta potest esse res grauis: etiam si absq; voto non cadat super obligationem grauem, de quo consulendi sunt sapientes timorati.

Sotus.

DISPVTATIO VI.

An ex sola intentione vouentis ex materia graui fieri possit leuis, & ex leui grauis?

1 HÆC disputatio valde affinis est præcedenti. Etenim postquam censuimus obligationem voti esse ex genere suo grauem, & in indiuiduo, quando materia voti leuis est esse lenem; & cōsequenter voti transgressionem interdum esse peccatum mortale, quando materia grauis, & veniale, quando materia voti leuis est: nō abs re dubitatur, an intentio vouentis possit hanc proportionem mutare: & vouens materiam grauem, cum intentione se obligandi ad peccatum veniale, duntaxat ad solum veniale obligetur? & è conuerso vouēs materiam leuem, intendens se obligare ad mortale, eo vinculo obligetur? Et circa primum disputationis membrum duæ sunt sententiæ.

2 *Prima* asserit hoc esse in vouentis potestate. Hanc non inuenio in terminis tenuisse plures antiquos; solus Henricus *quodlib. de pœnitentia cap.21. n.5.* ait posse fieri votum nō obligans ad culpam sed ad solam pœnam ex intentione vouentis. Sed Thomas Sanctius expressè eam tuetur *lib.1. de sponsalib. disp.9. dub.10.* & Henricus Henriquez *lib. de Pontif. & legibus c.7. lit. G.* & nouissimè Suarez *lib.4. de voto c.4.* Et probatur. Legislator potest præcipere in materia graui obligando tantum sub veniali pro suo arbitrio, & intentione: sed votum est quædam lex priuata: ergo id poterit facere vouens, dum sibi talem legem ponit. Maior tenetur à Castro *lib.1. de lege pœnali cap.5.* Naua. *in manuali cap.23. num.49. & alijs.*

Henricus. Sanctius. Henriq. Suarez. Castro. Nauar.

Secundo. Licèt obligatio voti sit de eius essentia, siue quid intrinsecè consequens ad illud: tamen obligatio sub mortali non est de essentia, neque effectus inseparabilis ab illo: ergo per intentionem vouentis poterit minui illa obligatio. *Minor patet* ex dictis disputatione præcedenti: quando vota vera reperiuntur, quæ tantum obligant sub veniali peccato. *Tertio.* Si vouens intēdat se obligare ad solam pœnam, & non ad culpam, verum votum emittit, vt credit Henricus: ergo à fortiori si intendat se obligare tantum ad veniale: quia facilius videtur minuere culpam, quam auferre, & commutare in pœnam.

Secunda sententia est: si materia voti sit capax obligationis sub mortali (nimirum quia materia grauis est) non est in potestate vouentis votum emittere, & sua intentione illud limitare, vt ad veniale obliget & non ad mortale. Ita Sotus *lib. 7. de iustitia quæst.1. art.1. in fine corporis.* Corduba in *summa Hispana q.188. in puncto.1.* idem tenet. & latè prosequitur Vazquez *1.2. disp.158. cap.3. nu.34.* vbi hoc docet de lege, & inde infert idem de iuramento & voto. *Ratio fundamentalis* pro hac sententia est: quia licèt in volūtate vouentis sit, pmittere, vel nó pmittere hāc vel illā rem: tamē facta pmissione nō est in potestate illi⁹ obligatio, nec nascitur pprië ex illi⁹ voluntate, sed ex lege diuina, & naturali: *Redde Domino vota tua.* Sed obligatio illi⁹ legis est grauis ex suo genere: ergo in materia graui necessariò obligabit sub mortali: ergo sicut non est in potestate vouentis stante voto limitare legem illam, ita non est in eius facultate facere, vt illa obligatio non sit sub mortali. 3

Sotus, Corduba. Vazquez

Secundo, quia vel votum factum cum illa intentione est verum votum, vel non: si est verum votum, regulandum est quoad obligationem per illam legem diuinam, & non per aliam intentionem vouentis: si autem non est verum votum, nullam inducet obligationem; sed erit alius actus imperfectus, & extra disputationem, quàm versamus.

Tertio: non est in potestate iurantis promissionem grauem velle iurare, & non obligari sub mortali, etiam si velit: ergo nec est in potestate vouentis facere quid simile.

Quarto. Non est in potestate vouentis nolle obligari, vt supra dicebamus: ergo neq; est in eius potestate minùs obligari, quam votum natura sua poscat.

Quinto, quia aliàs esset in hominis potestate vouere castitatem, & solum obligari ad veniale; & votum solemne cum obligatione ad solum veniale, & contrahere sponsalia cū simili intētione, & in alijs contractibus; etiam in matrimonio: cōsequēs absurdū est, & contra vsū Ecclesiæ: ergo.

Pro huius rei decisione recolenda sunt quæ superius docui *circa articulum primum huius quæstionis* 88. afferent enim non mediocrē lucem modo dicendis. Dico ergo primo. Si quis proposita sibi, vel per intellectum apprehensa materia votiua graui velit illam Deo promittere, & de facto promittat, apponendo tamen mediante sua intentione limitationem obligandi se duntaxat sub veniali, non vero sub mortali, votum illud obligat sub mortali, iuxta materiæ pmissæ grauitatē. *Hæc pars probat.* argumentis factis p secunda sententia, quorum vis confirmatur, & explicatur: nam substantia voti, & essentia consistit in promissione 4

Dico. 1.

missione; obligatio verò inde resultans est effectus eiusdem promissionis intrinsecus, & quasi propria passio ab ea dimanans, vt latè docui cõtra quosdàm circa primum articulum huius quęstionis: ergo supposita vera promissione in materia graui non erit in potestate vouentis obligationem grauem impedire. *Probatur consequentia*: quia sicut obligationem, quæ oritur à vera promissione non potest vouens impedire, & facere votum non obligatorium: quia obligatio inseparabilis est, & naturaliter dimanat à promissione: sic obligatio sub mortali naturaliter dimanat à vera promissione in materia graui: ergo data vera ꝓmissione in materia graui, non erit in potestate vouentis obligationem sub mortali impedire: quia ab ea naturaliter dimanat.

Item in hoc casu duæ volitiones seu intentiones interueniunt: videlicet promittendi, quæ necessariò clauditur in actuali promissione; & volitio non se obligandi, nisi tantum sub veniali: sed prior substantialis est, vtpote inclusa in substantia voti, posterior non est circa substantiam voti, sed circa effectum eius: ergo prior præualebit: & ideò obligatio non est mensuranda penes posteriorem, sed penes priorem. *Prior autem* consideranda est (quidquid sit de posteriori) iuxta naturam promissionis, quæ cum sit in materia graui, etiam obligatio inde naturaliter dimanans grauis erit.

5 *Secundo dico.* Qui proposita sibi vel apprehensa per intellectum materia votiua graui, non se obligare nec promittere sub mortali, sed tantum sub veniali: nullam obligationem incurrit. *Aduerte*, ingeniose lector, differentiam casuum in hac, & præcedenti assertione: nam in præcedenti vouens vult promittere, & de facto promittit: sed obligationem, quæ ex natura rei sequitur ad promissionem, vult minuere, quod diximus non posse fieri. At in casu huius assertionis recusat, imò de facto non promittit, nisi supposita illa limitatione seu diminutione, & tunc dicimus nullam ex hoc voto obligationem oriri: imò dicim⁹ votum illud non esse verum votum, sed apparẽs. *Probatur assertio* argumentis factis pro prima sententia.

Deinde licèt in hominis potestate sit vouere; tamen viam occludere, ne ex voto oriatur obligatio proportionata voto, non est in vouentis potestate: sicut in hominis potestate est natare, sed si natat, nõ madefieri non est in hominis potestate: ergo qui quando vouet promittit sub hac limitatione; aliàs non promissurus: imo & intra se dicens, nolo promittere, nisi sub limitatione præfata, non verè promittit. *Probatur consequentia:* quia votum sub illa limitatione non est possibile, cũ sit quasi agens naturale in ordine ad inducẽdam obligationem, quod operatur iuxta exigentiam suæ naturæ; votum autem cum modo impossibili non est votum; & consequenter nec ad mortale neque ad veniale obligat.

6 *Forte obijciet quispiam* contra primã assertionẽ: illum sic promittentẽ ignorare, quod ille modus vouendi cũ limitatione & diminutione obligationis sit impossibilis, & ignorat etiã quod si sic voueat, illaqueabitur voto obligante ad mortale: quia si hac ignorantia careret, neutiquam voueret; sed ignorantia antecedẽs, maximè de circumstantia & conditione tam substantiali, causat inuoluntarium, & consequenter annullat votum; siue ignorantia habeatur culpabiliter, siue absq; vlla culpa, vt superius docui: ergo etiam in casu primę assertionis votũ illud inualidum est, sicut in casu secundæ. Itẽ quia illa voluntas nõ se obligandi ad mortale, est æquè absoluta ac altera volũtas promittendi: ergo ęquè resistet ne votum validum fiat. *Respondetur*, nostram priorẽ assertionem esse intelligendã per se, & attẽta natura voti, & promissionis: & ꝓinde seclusa ignorantia; nã ea admissa fatemur votũ illud esse inualidũ propter rationẽ factã: at si excludẽs ignorantiã (potest autẽ excludi in vouente, qui scit vtramq; de hac re opinionẽ) & nihilominus conatur promittere, & obligari sub præfata limitatione: tunc enim asserimus in primo dicto obligari sub mortali. Fateor, excusabitur sequendo opinionẽ nõ improbabilẽ, sed meo iudicio falsam. *Ad confirm. respond.* sicut superius loco allegato; eas duas volitiones non esse æqualis actiuitatis: sed ea, quæ versatur circa promissionẽ, in qua essentia voti cõsistit, ꝓualere, & resistere ei q̃ versatur circa obligationẽ, in qua formaliter nõ cõsistit essẽtia voti sed est effect⁹ ei⁹ & quasi passio.

Ex dictis apparet me potius inclinare in secundã sententiam tot Autorũ iudicio cõprobatã. Quia si quando vota fiunt cũ præfata limitatione, iuxta tenorem primæ assertionis fit; & iuxta tenorẽ secundæ rarò ab homine vafro, & sagaci, ac vtẽte illa formalitate, & reflexione: nolo me obligare, & nolo promittere; nisi sub ꝑdicta limitatione: qui sincerius procedunt, promittunt, & addunt limitationem, quos diximus sub mortali teneri ad impletionem.

Ad argumenta posita ꝓ prima sententia *respond.* maiorem propositionem non esse adeò certam; quin à multis negetur, vt latè dicitur in materia de legibus; sed ea admissa, negatur consequentia: 7
votum enim non æquiparatur in omnibus legi; & in proposito non est eadem ratio: quia obligatio voti est magis diuina, & naturalis, quam obligatio legis humanę quia in lege humana obligatio in cõsciẽtia est immediate ab illa, & à voluntate superioris: quæ est immediata ratio obligationis. Etenim obligatio legis humanæ positiua est, & nõ naturalis: nisi remotè & in radice: at verò obligatio voti, licet supponat voluntatem hominis: nihilominus quatenus est obligatio in conscientia immediatè est ab ipso iure diuino: quia homo non habet iurisdictionem in se ipsũ; sicut Prælatus habet in subditum; sed habet homo potestatem quasi donãdi se, vel res, aut actiones suas: promissio enim est quasi quædam inchoata donatio, dicente D.Thom. hoc art. ad secundum, *Qui promittit, in quantum se obligat ad dandum, iam quodam modo dat.* Supposita verò ꝓmissione, iam voluntas parum vel nihil operatur ad obligationem: sed ius ipsum naturale obligat in cõscientia ad votũ implendũ: & ideò minus videtur posse hanc obligationem per voluntatem vouentis limitari. D.Thom.

Ad secũ-

Ad secundum resp. obligationem voti non pertinere ad essentiam voti, esse tamen effectum inseparabilem ab illo, & ab eo quasi naturaliter dimanantē: & cū ꝓportione dicim⁹ obligationem grauem ad implendum votum inseparabilē esse à voto in materia graui: vnde sicut non valet reperiri votum sine obligatione: ita neq; votum circa materiam grauem sine obligatione graui.

Ad tertium respond. omne votū pœnale esse obligatorium in cōscientia, sed diuersimode: quia si sit purè pœnale: verbi gratia, voueo hanc subire pœnam, si non ieiunauero: obligatio est ad pœnam subeundam: quia votum illud quasi cōditionatum est; vnde posita omissione prioris actionis ad pœnam vel quasi pœnam, tenetur vouēs, à qua liberabitur, si ieiunet. *Secundo modo* potest votum pœnale emitti in sensu absoluto quoad actum, & in conditionali, quoad pœnam: v.g. voueo ieiunare; & pariter si non ieiunauero talē subire pœnam: & tunc votum duplex est, & duplicem inducit obligationem: vnam absolutam ad hoc, vel illud faciendum, alteram conditionatā ad pœnā, si prior ratio violetur: & si vtraq; grauis est, ad mortale obligare dicimus: sicut de alijs votis dictum est.

8 Circa secundum mēbrum dubitationis positum in principio, *An scilicet votum de re leui emissū possit ex intentione vouentis obligare ad mortale?* vt dubitatio locum habeat, supponimus ex præcedenti disputatione, contra Caietanum, votū de materia leui etiam totali obligare tantum sub veniali. In qua re

An votū de re leui ex intentione vouentis possit obligare sub mortali?

Dico tertio. Votum sic emissum non est validū, quoad gradum obligationis grauis, sed duntaxat obligat ad veniale. Prima pars videtur nota ex dictis; quia quantitas obligationis non pendet ex intētione vouentis, sed sola voti emissio. *Secundo,* quia omnis obligatio voti requirit materiā capacem, illa autē materia leuis non est capax obligationis grauis: in quo est magna differentia inter casum hunc, & præcedentē; quia materia capax grauis obligationis nō repugnat esse capacē minoris: nō verò è cōuerso, materia capax tantum leuis obligationis est capax grauioris: quare hæc pars magis certa est, q̄ cōsimilis in alio casu primæ & secundæ assertionis. *Tertio,* quia lex nō potest subditos obligare sub mortali in materia leuissima: ergo nec votū. *Quarto.* quia vt adnotauit Sotus illud votū esset irrationabile, & stultum: nihil proficiens ad salutē animæ, sed potius in laqueum animarū: ergo non est cur placeat Deo.

Secunda pars assertionis videtur clarè colligi ex dictis: quia data illa promissione materiæ leuis sequetur obligatio, cuius materia capax est, id est obligatio leuis ac venialis.

DISPVTATIO VII.

An ex multiplicatis transgreßionibus votorū circa materias leues contingat omitti peccatū mortale?

Dubitatio hæc occasionē sumit ex præcedenti; & habet locum tam in nostra opinione, quàm in domini Caietani. v.g. vouet quis dare quotidiè pauperibus vnum obolum, aut recitare orationē Dominicam, de cui⁹ voti transgressione in vno die certum est iuxta prædicta esse tantum veniale peccatū: dubitatur an procedendo in ea transgressione per singulos anni dies peccetur tantum venialiter, an mortaliter? Pro cuius decisione præmittenda est doctrina certa *in* 1.2.*q.*88.*a.*4. quod licèt multiplicentur peccata venialia non possūt efficere vnum mortale: quia non sunt partes vnius, neq; cōponunt vnum sed tantū vnam collectionem, vel multitudinem venialiū: Nihilominus possunt aliquando præcedentia peccata venialia ita coniungi cū posteriori peccato, vt faciant esse mortale, quod aliàs per se, & solitariè sūptum esse veniale: vt in paruis furtis frequentatis apud omnes certum est. Punctum ergo difficultatis est: An hoc reperiatur in transgressione votorum circa materiam leuem? 1

De qua re sunt variæ sententiæ. *Prima negatiua asserens,* quod in præfato casu transgresio voti hodierna, quæ ex obligatione præsentis diei tantum est venialis, nō augetur propter similes trāsgresiones præcedentes, nisi quando durat obligatio reparandi, & quasi restituendi hodie, quod præteritis diebus omissum est: vt si quis voueat dare quotidie paruam eleemosynam in subuentionē pauperū; at verò quando hæc obligatio nō durat, sed extinguitur, vt si quis voueat agere quotidie cōmemorationem eius Sancti, qui celebratur; omnes transgresiones diurnæ sunt veniales tantum; licet per earū multiplicationem obligatio voti violetur. Hāc sententiā tenet Vazquez 1.2.*disp.*146.*c.*2.*in fine.* Et probatur, quia si onus diei præcedentis nō adiungitur hodierno, vt supponimus, non est vnde augeatur materia præsentis diei, sed permanet leuis, sicut de se erat: & eadem ratio est de singulis, & omnibus. 2 *Vazquez*

*Secunda sententia est Soti lib.*7.*de iustitia q.*2.*art.*1. & Aragon. *circa articulum tertium,* qui distinguunt inter vota realia, & personalia, & de personali aiunt id quod præcedens opinio: de reali verò aiunt, v.g. votum de porrigendo quotidie eleemosynam paruam: licet in principio aliquæ trāsgresiones leues præcedant: cum peruenitur ad statum, in quo grauis quantitas completur: tunc omisionem illam per quam cōpletur illa quantitas, esse peccatum mortale, & à fortiori omnes sequentes. Idem tenet Medina 1.2.*q.* 88, *art.*4. & reddit rationem huius quod per illas transgresiones multiplicatas graue nocumentum infertur ꝓximo: & ideò tunc peccatur mortaliter, quando incipit nocumentum esse graue, & eadem ratione vtitur Aragon: at verò quando transgresiones leues multiplicatæ contingunt in voto personali; aliter dicendum est; v.g. in voto quotidie recitandi salutationem Angelicam, si contingat, numquam peccatur mortaliter; quia in his numquam est obligatio reçitandi hodie: quod heri omissum est: & ita materia singulorum dierum semper leuis perseuerat. 3 *Sotus.* *Aragon.* *Medina.*

Istam distinctionē improbat Vazquez: quia tā
4 votum reale, quam personale fieri potest pro tali die in specialem deuotionem, & cultum eius; v. g. potest quis vouere singulis Sabbathis ieiunare, eleemosynam facere intuitu colendi Deum illo die, & nō alio: & tunc sicut votum personale illo die non impletum, nō obligat pro die sequenti: ita neq; votum reale, & è conuerso: sicut votum reale potest fieri pro singulis diebus, vt non differatur solutio, non verò vt extinguatur: ita etiam potest votum recitandi, & quodcunq; personale eadē intentione fieri: & tūc sicut votū reale obligat ad dandam hodie eleemosynam heri prætermissam; etiam votum personale obligabit ad recitandum, & supplendum, quod fuit prætermissum: ergo nullū est discrimen inter huiusmodi vota cum proportione loquendo: nam si fiant priori modo etiam in realibus materia cuiusq; diei est leuis: si verò fiant posteriori modo, etiam materia voti personalis paulatim aggrauatur ex paruis transgressionibus, & ita peruenietur necessariò ad grauem transgressionem: quòd autē illi duo modi vouendi in vtroq; voto possibiles sint, perspicuum est; quia hoc pendet ex libera intentione vouentium.

5 *Tertia sententia* affirmat: votum tam personale quā reale de parua materia pro singulis dieb9 anni, quæ tota simul facit grauem materiam, non omitti in tota illa materia, vel in graui parte illius sine peccato mortali, etiamsi onus cuiusq; diei voueatur, vt proprium eius, & semel omissum nō maneat obligatio illius pro altero die. Hanc sententiam videtur astruere Gregor. Valen. 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *puncto* 4. & probatur: quia materia posteriorum transgressionum semper augetur ex præcedentibus, etiam si posteriores transgressiones reparandæ nō sint: ergo materia hodiernæ transgressionis post præcedentes, poterit esse grauis; & consequenter materia peccati mortalis: nimirum per relationē & cōiunctionē ad præcedentes: etiam si secundū se leuis videatur. Antecedēs probatur: quia illud votum vnū est; & habet pro materia adæquata cumulū seu collectionē particularū orationū, vel eleemosynarū: ergo inducit obligationē grauē circa totū illud. Quod sicut paulatim per partes impletur, ita etiā violatur: ergo cum multiplicātur partiales transgressiones paulatim augetur transgressio voti: ac proinde quando illis multiplicatis peruenitur ad certum terminum augmenti grauem, iam materia grauis est; & consequenter in eius transgressione peccatur mortaliter: etiam si non relinquatur in voto obligatio faciendi quod omissum fuit, in quo fundātur autores præfatarū opinionū: quod nō esse necessarium multis exēplis ostēditur. Etenim quādo homo leuiter peccat intēperatè comedendo cōtra salutem suam, non tenetur postea reparare illud damnū, tenetur tamē nō augere illud, multiplicando similes actus gulæ. Vnde licet prior excessus fuerit venialis, secundus erit grauior, si homo videt augeri nocumētum, & ita cōtingere poterit primum vel quartum esse mortale, si consummetur nocumentum graue. Idem videre licet cū proportione in præcepto ieiunij leuiter violato per paruam sumptionem cibi, si eodem die sæpius multiplicentur paruæ illæ comestiones.

Secūdo. Si post votū emissū de recitādo quotidie orationē Dominicā, aliquis haberet propositum 6
nō implendi illud, sed potius transgrediēdi per multiplicatas omissiones singulorū dierum, peccaret mortaliter: ergo & postea, quādo peruenit ad terminū, in quo videt consummari transgressionem grauē peccat mortaliter. Antecedens videtur verum: quia votū illud graue est, vtpote quod versatur circa graue Dei obsequiū, illud autem propositum opponitur toti voto, & cōtinet ergo deformitatem grauē. Prima cōsequentia patet: quia propositum illud est peccatum mortale propter grauē læsionē voti, quā homo obiectiuè sibi proponit: sed hanc læsionem voluntariè facit, qui per leues transgressiones videt illā cōsummari, & nihilominus cōsentit, & vult per aliquem actum illam consummare: ergo in illo actu continetur & exercetur tota materia illius propositi. Pro decisione *præmittendum est*, ex superius dictis, in transgressione voti tempore debito, interdum relinqui obligationem ad votum implendum in tempore futuro, interdum verò nō relinqui, sed extingui obligationem eo lapso tempore.

Quo supposito *dico primo.* Quādo votum de quo disputamus tale est, vt licet pro aliquibus diebus nō impleatur, semper durat obligatio implēdi id, quod fuit omissum, tandē peccatur mortaliter, violādo votū in tota materia, vel in graui parte eius: quia licet frangi videatur per paruas transgressiones multiplicatas, necesse est tandē peruenire ad diem & horā, in qua similis transgressio sit peccatum mortale: quāuis enim fiat post actū de simili materia leui, nō versatur circa illā, vt leuis est, sed vt cōplet materiā grauē: v. g. si quis promisit dare quotidie obolū in eleemosynā pro subuentione pauperū, quāuis vno vel alio die id omittat, tenetur in sequentibus diebus supplere: & ideò sēper posterior omissio grauior est, & post aliquod tempus erit peccatum mortale id omittere: quia nō solū omittitur eleemosyna illius diei, sed omnium præcedentium, quæ eodē die simul dandæ essent, & ita iam illa omissio versatur circa materiam grauē. Hāc assertionem ita explicatam existimo communiter acceptari. 7

Dico secundo. Quādo ex transgressione voti nulla relinquitur obligatio reparandi id, quod omissum est, & cōsequenter obligatio voti non durat, sed extinguitur, quantūuis multiplicentur leues trāsgressiones, siue in voto reali, siue in personali, nūquā peccatur mortaliter, quantū est ex natura actus. Probatur hæc assertio: quia trāsgressiones illæ leues nunquā possunt facere materiam grauē, nisi quatenus cōponunt vnū totum, vnde resultet vna transgressio grauis: sed obligationes minutatim extinguūtur, vt supponimus: ergo impossibile est vnam integram grauē obligationē cōponere. Hanc assertionem existimo non esse cōtra mentē Soti, & aliorū, quos citauimus pro secunda sententia: quia Sotus expresse loquitur de voto reali iuxta tenorem primæ assertionis, vt colligitur ex ratione, quā reddit dicens: *Quia quod hodie non tribuis, cras teneris.* En aperte loquitur de trans- 8

transgressione voti realis; cuius obligatio nõ extinguitur singulo quoq; actu, sed vlterius ꝓcedit: tũ quia Sotus, & alij citati non loquuntur ita strictè, sicut nos in hac assertione, sed vniuersalius de votis his, vt communiter fiunt in praxi quæ sic habet regulariter, vt vota personalia fiant cũ obligatione onerosa ꝓ singulo quoque actu, ac subinde per multiplicatas trangressiones non cõponitur vna grauis materia, nec peccatur mortaliter. At vota realia cõmuniter & regulariter fiunt in vtilitatẽ ꝓximorũ, cũ obligatione, quæ procedit vlterius, nec extinguitur in vnoquoq; actu, & ideò transgressiones multiplicatæ cõponunt vnã grauem materiã: & in his casibus nõ loquitur hęc nostra assertio, sed prima. Cũ hoc autem stat veritas nostræ assertionis in omni voto tã personali q̃ reali, cuius obligatio extinguitur in vnoquoq; actu, vel omissione actus, ꝙ reperiri posse existimamus ex libertate vouentis, licèt rarò talia vota emittantur.

9 Illustratur cõclusio exemplis. Vouit quis recitare per annũ singulis diebus orationem Dominicã ad exhibendũ Deo cultum omni die, sed sic vouens prætermittit centies aut pluries eã recitationem, nunquam peccat mortaliter. Item vouit quis recitare diuinũ officiũ, & pretermittit in singulis horis vnum Psalmũ, peccat mortaliter: quia iuxta tenorem primæ assertionis non extinguitur obligatio singula quaq; omissione, & ita iuxta tenorem primæ assertionis omnes illæ transgressiones componũt vnã grauẽ. At verò si in vnoquoque die quis omittat per mẽsem vnũ Psalmum non peccaret mortaliter: quia cũ singulo quoq; die extinguatur obligatio recitãdi ꝓ eo die, trãsgresiones multiplicatæ in diuersis diebus non componunt vnã grauem transgresionem. In votis etiam realibus possumus verificare, licèt rarò, hanc secundam assertionem: v.g. vouet quis singulis diebus porrigere vnam paruam eleemosynam, non pfigendo illũ diem vt terminum solutionis, sed tanquam onus ꝓprium illius diei, etiã si multiplicet transgresiones nõ fit vna materia grauis, nec peccat mortaliter. *Clarius exẽplũ* esto, si quis voueat singulis Sabbathis in honorem Virginis præbere paruam eleemosynam, etiam si omittat millies non fit vna grauis materia, nec peccatur mortaliter, & sic de alijs iudicato.

10 *Ad rationẽ* qua vtuntur Medin. & Arag. à nobis superius allatam, quatenus videtur militare contra hanc assertionem *respond.* & responsio est notanda ꝓ alijs difficultatibus dissoluendis: videlicet non rectè considerari in culpa contra votum nocumentum proximi: tũ quia in transgresione voti realis non fit iniuria proximo: quia respectu illius nõ nascitur obligatio, etiam si materia voti sit illi vtilis, sed solum non redundat in eum vtilitas: quod verò considerari debet est grauitas materiæ, quam non reperiri in casu huius secundæ assertionis, iam ostendimus.

11 *Dico vltimo.* Vltima sententia omninò reijcienda est: quia nimis scrupulosa, & quæ si praxi mãdetur non modicam perturbationem afferet conscientijs timoratis. Quod sic ostendo: nam ex ea sequitur, quod si aliquis fecit votum non mentiẽdi iocose, posset mortaliter peccare propter solam multiplicationem mendacij iocosi: quia multiplicando mendacia lædit votum grauiter, & priuat Deum magno obsequio, quod in tali obsequio simul sumpto reperitur. Consequens autem nullo modo videtur admittendum. Etenim non apparet maior ratio in illo voto, q̃ in lege non mentiendi, vt benè notauit Nauarr. *cap. 12. n. 65.* & Sot. *ind. art. 1.* Item sequitur ex dicta sententia, si quis vouit quotidie recitare rosariũ, & in singulis diebus partẽ leuẽ omittat, inde augeri malitiam posteriorũ transgressionũ, & tãdẽ fieri materiam peccati mortalis in transgressione secundũ se leui ꝓpter relationem ad præcedentes: quia tota illa transgressio simul sumpta grauis læsio est talis voti. Consequens est absurdum, & perturbatiuũ cõsciẽtiarum timoratarũ: & quia illi defectus non vniuntur inter se, alias post semel cõpletã materiam ex successiua multiplicatione taliũ defectuũ sẽper peccaretur mortaliter per similes defectus in se leues, ꝙ concedere absurdissimũ est. Cõsequentia autem patet: quia semper coniungerẽtur præcedentibus, & efficerent transgressionem grauiorem. Idem argumentum fieri posset in voto recitandi Horas Canonicas, in voto ieiunandi omnibus sextis ferijs, & huiusmodi. *Nauar.* *Sotus.*

Ad argumenta pro hac tertia sententia resp. *Ad primum* votum illud in argumento allatum licèt appareat vnum, quia vno actu voluntatis efficitur, est tamen multiplex ex parte obiecti, & æquiualet pluribus, sicut præceptum recitandi diuinum officium potest dici vnum ex parte actus, plura verò vt applicatur ad plures dies. Item illud votum non est graue: id est obligans ad aliquem actum grauem, vel sub mortali: quia non transcendit materiam venialem, etiam si tota simul sumatur, sed intra illam latitudinem potest dici graue extensiuè, id est continens plures obligationes leues, sed sub veniali peccato quod in præceptis de vitandis verbis otiosis, vel non mentiendi leuiter, videre licèt: nam tota materia talis præcepti grauis apparet secundum quandam extensionem, seu multiplicationem, aut multitudinem actuum, non tamen est absolutè grauis: id est quæ per se sufficiat ad augmentum peccati mortalis. 12

Ad exempla vero allata in fauorem eiusdem sententiæ *respondetur*, illas transgressiones dupliciter posse considerari: vel vt relatæ ad votum, cuius obligatio in quacunque transgressione leui extinguitur: & isto pacto non componunt vnam materiam grauem, neque augent præcedentem: & sic in illis transgresionibus multiplicatis non peccatur mortaliter contra votum. *Altero modo* possunt considerari, vt sunt contra charitatem propriã, & contra præceptum de procuranda salute aut cõtra præceptum temperantiæ, vel quid simile: & sub ista consideratione fateor posse cõponere vnam materiam grauem, propter graue nocumentũ, ꝙ infertur; & cõsequenter quando peruenitur ad illud, peccabitur mortaliter, lõge aliter quam in voto: quia leues transgresiones non coniunguntur, vt dictum est.

13 *Ad secundum argumentum respondetur*, habere propositum non implendi votum de leui peccato vitando, vel de paruo opere faciendo singulis diebus esse peccatum mortale, quando transgressiones illæ leues habent inter se connexionē, & cōponunt vnum totum, iuxta tenorem primæ assertionis: nam tunc tota malitia transgresionis futuræ, vel possibilis, iam est in illo proposito, sed illa in se est peccatum mortale vt dictum est: ergo & illud propositum: imò tunc si propositum illud antecedat, & ex illo incipiat votum nō seruari, omnis transgresio à principio est peccatum mortale: etiam si secundum se modicæ materiæ esse videatur: quia iam procedit à ꝓposito grauiter peccaminoso, & ad illius complementum ordinatur, vt in simili notauit Nau. *dict. n.* 65. *Nauar.* At verò si votum est implendum vel omittendum per actus leues multiplicatos sine connexione, vel augmento eorum inter se, iuxta tenorem secundæ assertionis, tunc existimo illud propositum nō esse peccatum mortale: ꝙ sentit Sotus loco citato dicens: *Dum materia leuis est nihil referre totum ne sit obiectum voti, an pars: nam par ratio est de proposito cōtrario.* *Sotus.* Idem colligitur ex Nauarr. *in d. n.* 65. quatenus absolutè dicit transgressionem talis voti esse veniale peccatum, sumens argumentū ex simili lege. Nam propositū mentiendi venialiter quoties occasio se obtulerit, non est peccatum mortale, vt omnes admittunt: ergo idem est de voto circa eandem materiam. Item quia illud propositum non est committendi aliquod peccatum mortale: ergo non habet obiectum, vnde sumat mortalem malitiam.

Dicet quispiam, illud ꝓpositum continere materiā grauem contra Religionem. *Respondetur*, esse grauem intra latitudinem peccati venialis: quia plura venialia confuse complectitur, non tamen est grauis in ordine ad mortalem transgresionē: quia in executione non continet obiectū alicuius peccati mortalis, & ideò nec in ordine ad propositum habet talem grauitatem: debent tamen cauere habentes talia proposita periculum contemptus, & aliarum circumstantiarum, vnde fieri potest, vt illud propositum sit mortale.

ARTICVLVS VI.

Vtrum magis sit laudabile, & meritorium facere aliquid ex voto quam sine voto?

Paraphasis, & explicatio articuli

PRopositæ difficultati respondet D. Tho. conclus. affirmatiua contra Hæreticos: imo & contra Armac. catholicum, qui referente Thoma Vualdensi *lib. 3. doctrinæ fidei c.* 21. putauerunt actum non crescere in perfectione ex additione voti: 1 *Vualdens.* & sumit Armac. argumentum de iuramento, vt inde colligat idem de voto, vt retulimus *circa art.* 4. & modo addo si iuramentum fiat cum debitis circumstantijs, magis laudabile est facere aliquid ex iuramento, quā sine illo: sed quidquid sit de iuramento, conclusio D. Th. in voto communiter acceptatur, & eadem de fide idem S. Doctor docet *opusc. 17. cap. 11. & opusc. 18. cap.* 12. & conclusio intelligēda est, dummodo opus votiuum fiat ex voto, id est ex relatione actuali, vel virtuali ad promissionem, in qua consistit substantia voti: alias etiam si quis habeat votum, non dicetur operari ex voto.

Hanc conclusionem probat D. Th. multiplici ratione. 2 Prima habetur in argumento *sed contra* desumpta ex illo, *vouete & reddite*: vnde sic colligit D. Tho. consilium est de meliori bono: sed Deus consulit facere votum: ergo etiam consulit facere rem ex voto: ergo opus factum ex illo est melius, ꝙ sine voto. Et confirmatur: quia ꝑ illud opus sic factum impletur duplex consilium, vnum faciendi opus, alterū faciēdi ex voto; q si votum sit de re præcepta impletur præceptum, & consilium, quod ex se melius est, quàm solum præceptum implere.

Secunda ratio in corpore art. Ille actus est nobilior: & magis meritorius, qui procedit à nobiliori virtute: sed Religio, cuius actus est votum, nobilior est, quam aliæ virtutes morales: ergo magis laudabile erit & meritoriū facere aliquid ex voto, quàm ex alia virtute. Maiorem manifestat D. Tho. ex hoc, quod actus inferioris virtutis imperetur à superiori virtute, melior est & magis meritorius, sicut actus Fidei, & Spei, melior est, si imperetur à Charitate. Consequens autem huius rationis manifestat Diuus Thomas in actibus virtutū inferiorum ipsa Religione: v.g. ieiunare quod est actus abstinentiæ, & continere quod est actus castitatis sunt meliora, & magis meritoria, si fiant ex voto: quia sic iam pertinent ad diuinum cultum, quasi quædam Dei sacrificia: vnde August. in lib. de virgin. c. 8; sic ait, *Nec ipsa* *August.* *virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur, quā fouet, & conseruat continentia pietatis.* Circa quam rationem obserua, D. Tho. non ob id posuisse exemplum in operibus inferiorū virtutum factis ex voto, quasi censeat nō habere verum suam conclusionem in operibus superiorū virtutū ad Religionē; habet quidem verū saltem de bonitate extensiua. Nihilominus posuit exēplum in actibus inferiorū virtutū: quia hi cōmodius, & certius imperantur à virtute Religionis.

Tertia ratio. Ille actus est nobilior, & magis meritorius, quo homo Deo se magis subijcit: sed 3 quando homo aliquid facit ex voto magis se Deo subijcit, quam si faciat sine voto: ergo magis laudabiliter, & meritorie operatur. Minor probatur: nam subijcit se Deo, non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de cætero non potest aliud facere: sicut plus daret homini, qui daret arborem cum fructibus, quam qui daret fructus tantum. Qua similitudine vtitur *Anselm. ca.* 84. *Anselm.*

Quarta ratio. Ille qui operatur ex voto operatur ex maiore animi firmitate: etenim per votum voluntas immobiliter firmatur in bonum: ergo magis meritoriè: quia facere aliquid ex voluntate firmata in bonum pertinet ad perfectionem virtutis, vt dicit Philosop. 2. Ethi. c. 4. sicut etiam peccare mente obstinata aggrauat peccatum, *Arist.* & dicitur peccatum in Spiritum sanctum.

Ioan.

Maior. Ioan. Maior *in 4 dist.38.q.4.* tenet conclusionem D.Thom.sed rationes eius displicent illi, & primam impugnat: quia sine voto possunt actus aliarum virtutum æquè referri ad diuinum cultum, sicut cum voto: ergo illa ratione nō probatur melius esse opus ex voto, sed melius esse opus relatum ad meliorem finem, vel ad plures actus virtuosos, quod valde diuersum est. Probatur antecedens quia ieiunium spontaneū, & sine voto potest referri ad diuinum honorem: & virginitas potest consecrari Deo per firmum propositum sine voto.

Respondetur, conclusionem, & rationes pro ea esse intelligendas cæteris paribus: quo intellecto efficax est ratio D.Thom. Nam tota illa relatio ad cultum Dei, quæ potest fieri spontaneè in ieiunio, virginitate, & similib⁹, sine voto potest etiam fieri, & fit ex vi voti, si cum perfectione obseruetur, & vltra illam addit votū propriam quādam ordinationem religiosam, quam non habet actus absq; voto factus, etiā si referatur ad cultū Dei: Nimirum seruare Deo fidelitatem, quæ in nulla alia relatione ad cultum Dei reperitur, nisi in obseruatione voti. Et idem colligitur ex tertia, & quarta ratione D.Th. nempè quod per votum firmatur volūtas in bono proposito & perficit ipsum ꝓpositum, & cōsequenter opus eius. Hæc autem non reperiuntur in spōtanea operatione operis supererogationis, etiā si referatur sine voto ad cultum Dei, quidquid dicat Maior.

5 Eadem conclusio solet ab aliquibus probari: quia omissio operis voto promissi est maius peccatum, quam si nō esset ꝓmissum: ergo etiam facere illud est maius bonum: quia oppositorū debet esse ꝓportionalis ratio, & quia maior malitia priuat maiori bonitate: & hæc ratio displicet etiam Maiori, sed immerito: quia si cætera sint paria bona est consequentia.

6 Quamuis conclusio D.Tho. sit certa secundū fidem, & cōmuni sensu Catholicorū approbata; nihilominus ꝓpter importunitatem hæreticorū argumentis impetēda est. *Primo*: quia nō est melius operari ex voto. Antecedens patet: quia melius est opus cōsilij quā præcepti, & ob id cōsilia dicuntur esse de meliori bono. *Secundo*, etiam iuramentum addit actui bonitatem Religionis, & tamen non propterea est opus excellentius implere voluntatem iuratam, quàm simplicem: imò inter homines hoc posterius pluris æstimatur. *Tertio*, quia bonitas actus moralis sicut augetur per libertatem, ita diminuitur per necessitatem. Hanc autem inducit votum circa opus votiuū; ergo valdè diminuitur bonitas act⁹ promissi per votum propter necessitatem impositam.

7 Ad argumenta hæc *continuo resp. Ad primum* negatur opera præcepta esse minus perfecta quàm ea, quæ sunt sub cōsilio, quin potius illa ex genere suo, & cæteris paribus meliora sunt: quia habent fructum obedientiæ, & maiorem connexionem cum charitate, & ideò à fidelibus inprimis exiguntur, vt patet ex illo Euangelij: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Cùm ergo cōsilia dicuntur esse de meliori bono, non cōparantur ad præcepta, sed ad alia bona illis repugnantia, vt superius ex Gersone me adnotasse memini. Quod si fiat cōparatio ad præcepta, intelligenda est cum inclusione, nō cum præcisione: id est melius est, cōsilia simul cum præceptis seruare, quam sola præcepta: ita D. [illegible] *opusc.17 cap.6.* D. Thom.

Ad secundum argumentum Respondetur. Si iuramentum fiat cum debitis circumstantijs, & ex speciali reuerentia iuramenti opus iuratum fiat, citra dubium magis laudabile, & meritorium est. *Ad tertium* nego votum minuere libertatem propriè loquendo, qua ratione libertas consistit in operandi indifferentia, sed solum inducit obligationem: quia non affert secum necessitatem repugnantē prædictæ indifferentiæ. Etenim obligatio cum perfecta indifferentia impletur, aliàs præcepta dicerentur tollere, aut minuere libertatem: itaque votum non minuit libertatem indifferentiæ, licèt minuat, vel tollat libertatē ab obligatione: priuari autem hac libertate propter Deum valde laudabile, & meritorium est. Vnde Augu. ep.45. *Non est*, inquit, *gratulabunda libertas, quæ fit, vt non debeatur, quod cū lucro redditur.* Et addit D.Tho. in artic.4. [illegible] ad primum, quod sicut in Deo & beatis necessitas non peccandi non est diminutio libertatis: ita etiam necessitas firmatæ voluntatis per votum non minuit perfectionem libertatis: est enim quasi quædam participatio necessitatis beatorum: de qua dicit Augustinus epist.cit. *Fœlix necessitas, quæ ad meliora compellit*, & Vvald. vbi supra: *Ligamento confirmationis in Hierarchia cœlesti, correspondet Sacramentum voti*: Videndus est: quia egregiè prosequitur quo modo vinculum voluntatis, quod illam frænat, & in officio continet, nō fit contra libertatis perfectionē, sed ad egregium eius auxilium pertinet. August. Aug. Vvaldens. Prosp.

Obijciet quis D.Prosp. in secundo de vita cōtemplatiua dicentem: *Sic abstinere, vel ieiunare debemus, vt non nos necessitati ieiunandi subdamus, ne iam non deuoti, sed inuiti rem voluntariam faciamus.* Respondet D. Thom. ad 1. D.Prosperum loqui de necessitate coactionis, & fortasse inuehitur aduersus eos, qui temerè & indiscretè vouent, & postea inuiti votum frāgunt. Circa secundum argumentum est

DISPVTATIO VNIC.

An pœnitere de voto facto sit peccatum? & quale?

1 HAnc dubitationem mouet Caietanus circa solutionem ad secundum, quam benè resoluit, licet Sotus, *lib. 7.q. 2. art.4. ad secundum*, illum obscuritatis arguat: sed quidquid sit de obscuritate pro decisione præmittendum est: pœnitudinem circa votum emissum referri posse vel ad propositum seruandi promissum, vel ad applicationem animi ad vouendum, ita vt qui vouit pœniteat se vouisse, quamuis habeat firmum propositum adimplendi promissum: vel potest referri ad opera ipsa, quæ fecit ex voto, vt si quis pœniteat multos annos in Religione vixisse, multaque bona opera fecisse. Quo supposito Caiet. Sotus.

Dico primo. Qui ita pœnitet de voto, vt intendat illud nō adimplere, regulariter peccat mortaliter cōtra votum. *Dixi regulariter*: nam si transgressio

greſſio eſt, & propoſitum non implendi circa materiam leuem erit tantum veniale. Probatur: quia talis pœnitudo includit propoſitum non ſeruandi votum: at tale propoſitum eſt peccatum mortale contra obligationem voti, etenim trãſgreſſio, & propoſitum eius eandem malitiam habent.

2 *Dico ſecundo.* Qui pœnitet de voto facto, ita tamen vt habeat propoſitum illud adimplendi per ſe loquendo non peccat. Hæc aſſertio eſt communis, & D. Thom. in artic. in ſolutione ad ſecundum. Probatur: quia hæc pœnitudo non eſt de obiecto prohibito ex vi obligationis voti: ergo per ſe non eſt peccatum contra votum. Antecedens patet: quia votum ſolum eſt promiſſio faciendi hanc, vel illam rem, non autem eſt promiſſio gaudendi ſemper, aut nunquam dolendi de voto facto: ergo ſi dolor non ſit tantus, vt excludat voluntatem adimplendi promiſſum, non eſt contra votum: imò neque ex genere ſuo contra nullum præceptum: nullum enim de hac re expreſſum inuenitur.

3 *Dico tertio.* Implere votum cum triſtitia de voto emiſſo, & eius obligatione per ſe loquendo nullum peccatum eſt. Hæc eſt D. Tho. in eadem ſolutione ad ſecundum. Et probatur: quia nullũ reperio præceptum, contra quod ſit huiuſmodi pœnitudo. Dixi per ſe loquendo: quia per accidens hæc pœnitudo poteſt eſſe mala, & voto cõtraria, videlicet, ſi ratione illius conſtituatur homo in morali periculo non implendi votum, ꝙ periculum penſandum eſt: quia hæc, quæ diſplicent voluntati facile omittuntur, & difficilè fiunt integræ, ac perfectæ, & ideò timendum eſt ne miſceatur aliqua culpa cum ea pœnitentia. Qualis autẽ illa ſit ex circumſtantijs perſonæ, & qualitatis materiæ libranda eſt. Egregiè Caietanus inquiens in votis leuiorib⁹, & temporalib. facilius poſſe haberi hanc pœnitudinem ſine illo periculo: quia pro aliquo tempore, & in vno, vel alio actu non erit admodum difficile illam pœnitentiam abijcere, ita vt non impediat, nec retardet ab integra obſeruatione voti: at verò in votis grauioribus ac perpetuis, cuiuſmodi ſunt Religionis, & caſtitatis plus periculi eſt: & ideò facilè poteſt admiſceri aliqua culpa ſaltem venialis, & hoc peccatũ nõ erit directè cõtra votũ, ſed præter modum debitum eius: Iuxta illud Apoſtol. *Non ex triſtitia, aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Caiet.

Dices. Si per ſe loquendo nullum eſt peccatum, ex parte obiecti, eſtne actus bonus? *Reſpondetur* ex obiecto nequaquam, ſed potius dolor de bono actu iam facto, erit vel indifferens, vel malè ſonans: imò regulariter erit actus malus, aliquãdo tamen poſſet honeſtari, ſi rationabilis cauſa de nouo occurreret, ob quam meritò iudicaretur fuiſſe magis expediens non vouiſſe.

4 *Dico quarto.* Opus factum ex voto cum illa triſtitia & pœnitudine, dummodo ad propoſitum ſeruandi promiſſum, adhuc eſt magis meritoriũ, quã ſi non fieret ex voto: ita D. Thom. expreſſe in ſolutione ad ſecundum.

Dico vltimo Pœnitere de voto quantum ad opera, quæ quis fecit adimplẽdo votum, aliquando eſt peccatum mortale aliquando veniale, aliquando nullum eſt peccatũ. *Explicatur aſſertio.* Nã poteſt contingere, vt aliquis doleat de bonis factis ex voto, hoc eſt, pœnitet ſe feciſſe illa opera, ad quæ ratione voti tenebatur, & iſta pœnitudo citra dubium peccatum mortale eſt: quia eſt de re neceſſaria ad ſalutem, & eſt dolere de præterita impletione voti: quod ex genere ſuo mortale eſt. *Secundo* poteſt dolere de bonis operibus factis ex voto, non tamen præſuppoſito voto, vt cum quis dolet ſe profeſſum eſſe, & tot annos in Religione vixiſſe, & continentiam ſeruaſſe, qui dolor propriè non eſt de voti obſeruatione, ſed de applicatione animi ad votum, & ſic poteſt eſſe peccatum veniale: vel nullum iuxta doctrinam traditam in prioribus aſſertionibus.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm votum ſolemnizetur per ſacri ordinis ſuſceptionem, & per profeſsionem ad certam regulam?

Summa Articuli.

PRima *concluſio* ſolemnitas voti attenditur ſecundum aliquid ſpirituale, quod ad Deum pertinet ſcilicet ſecundũm ſpiritualẽ aliquam benedictionem, vel conſecrationem. *Probatur.* Solemnitas vniuſcuiuſq; rei adhibetur ſecundum illius rei cõditionem, etenim alia eſt ſolemnitas militiæ, quæ conſiſtit in apparatu armorum, alia eſt ſolemnitas nuptialis in apparatu ſponſi, & ſic ſolemnitas voti debet eſſe illi proportionata: ſed votũ eſt promiſſio facta Deo: ergo eius ſolemnitas debet attendi ſecundum aliquid, quod ad Deum pertineat. 2

Secunda concluſio. Hæc ſolemnitas adhibetur in profeſſione certæ regulæ, & in ſuſceptione ſacri ordinis. *Probatur* ex Dionyſio *lib. de Eccl. Hier. cap. 2.* Item ſolemnitates nõ conſueuerunt adhiberi, niſi quando aliquis totaliter mancipatur alicui rei vt patet in ſolẽnitate matrimonij, ſed per profeſſionem homo renuntiat ſeculo totaliter, & per ſuſceptionem ſacri ordinis mancipatur cultui diuino: ergo per hæc debet ſolemnitas voti celebrari. Dionyſ.

Inter alia, præcipuum motiuum, quod me ad ſcribendum iſthæc commentaria cõpulit, illud fuit, vt multa, quæ meditat⁹ fueram, ſtatum Religioſum concernentia in gratiam Religioſorum in lucem ederem: & ideò poſt commentationem quæſtionis de obedientia, in qua prædictus ſtatus fundatur tractatum integrum de concernentibus perſonas Religioſas, decreui affigere, quare vt ornatior, abſolutior, ac locupletior ꝓdeat, aliqua, quæ circa hunc articulum, & vndecimum ſequentem D. Thomas, & eius interpretes diſcutiunt, in locum commemoratum copioſe diſputanda relinquo.

ARTI-

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm illi, qui sunt alterius potestati subiecti, impediantur à vouendo?

Summa Articuli.

Conclusio est. Qui sunt subditi alterius potestati, de his in quibus subduntur, nō possunt firmum votum emittere, nisi de consensu illorum, quibus subduntur. *Probatur conclusio.* Nullus potest aliena distrahere, vel promittere sine voluntate formali, vel interpretatiua domini: ergo nec subditi de his, in quibus subduntur, possunt aliquid firmiter Deo promittere sine superioris consensu.

Duo sunt (vt colligitur ex D. Thom. in corp. sequentis articuli) quæ homines inhabiles reddunt ad vouendum. *Alterum* prouenit ex rationis defectu & libertatis, ratione cuius promissio, in qua diximus votum essentialiter consistere, desinit esse actio humana, seu deliberata: quia is, qui sic promittit non habet verum dominium supra actionem suam: cum illud fundetur in ratione, & liberi arbitrij facultate: de hoc impedimēto agit D. Thom. ex professo art. sequenti. *Alterum* impedimentum prouenit ex defectu dominatiuæ potestatis supra rem votiuam, ad hoc enim, ꝙ promissio aliqua valida sit, & firma non sufficit eum qui vouit plenam habere rationis, & liberi arbitrij facultatem, sed vltra hoc necessum est, vt verū habeat dominium, & pleno iure possideat rem, quam vouit: nullus enim potest (vt optime dixit D. Tho. in art.) id alicui firmiter promittere, ꝙ non est in eius, sed alterius potestate: & de hoc impedimento disserit D. Tho. in præsenti. D.Thom.

2 *Secundo aduertere* oportet, superiores, quibus alij subduntur esse in multiplici differentia: *Quidam* habēt iurisdictionis polyticam potestatem: siue illa spiritualis sit, vt ea, quam habet Pontifex siue Episcopus supra subditos seculares: siue potestas sit ciuilis, vt ea quā habent Reges, & Principes seculares erga subditos. *Quidam* dominatiuam habent potestatem, vt herus supra mancipium. *Quidā* verò vtraq; simul gaudent potestate: vt Prælati Religiosorū supra sibi subditos Religiosos. Quādo ergo docet D. Th. votū emissum ab eo, qui est in alterius potestate, nō esse firmū sine superioris cōsensu, nō de quocunq; superiori intelligendus est, sed de illo tantum, qui dominatiuā habet potestatē supra rē promissam: quia si solum attēdamus iurisdictionis potestatē, siue ciuilem, siue Ecclesiasticam adhuc manet dominium, & plenum ius in subditis, respectu rerum suarum: poterunt ergo de his non solum validè, sed & firmiter vota emittere, quantumuis alterius sint subiecti potestati.

DISPVTATIO VNIC.

An subditus licitè possit absque superioris cōsensu votū emittere?

3 Pars negatiua probari videtur ex D. Tho. in art. ex quo tale deducitur argumentū. Nulli licet promittere, quod facere nō est in eius potestate: sed quando quis est alterius potestati subiectus, quantum ad id in quo subiicitur, & non est suæ potestatis facere quod maluerit: ergo subditus in eo quod subditus nō potest id licitè promittere, quod adimplere sine alterius consensu non est in eius potestate. *Confirmatur*: nam subditus, v.g. Religiosus totaliter est sub Prælati potestate, ita quod nec velle habet, nec nolle: ergo non licet ei votum emittere sine superioris consensu. *Cōfirmatur Secundo* ex ca. *monach.* 20. q. 4. vbi habetur non licere monacho vota emittere sine superioris consensu, quod si emiserit frangenda esse.

Secundo. Onus Religionis est graue nimis; nam præter tria vota essentialia habent Religiosi orationem continuam, silentium perpetuū, ieiunia, vigilias, & alia innumera his similia: ergo non expedit, imò neq; licet monachis se votis amplius onerare, quibus impediantur, & inhabiles fiāt ad obseruantiam constitutionum, & regulæ.

Tertio, votum solemne Religionis, extinguit omnia vota ante illud emissa: quia in se claudit illa: ergo eadem ratione impedientur vota in futurum emittēda, vtpote iam in voto solemni inclusa, sicut & præterita.

Quarto; vota subditorum emissa sine superioris consensu sunt inualida: ergo illicita. *Probat.* cōsequentia: quia cōtra rationē est votum emittere, ꝙ de se nō est inductiuum alicuius obligationis: cum de ratione voti sit obligationē inducere. Antecedens probatur primò, nam Religiosi, v.g. nihil habent proprium: ergo votum ab illis emissum de aliquo concedendo est omninò inualidum, & illicitū: quia si quis promittat facere eleemosynā de re non sua votū est omnino inualidū. Idem argumentū fieri potest de vxorib⁹, filijs familias, & seruis respectu bonorū, de quibus non habent liberā administrationē, in his alterius subduntur potestati: ergo nec validè, nec licitè possunt votū emittere. *Prob. Secundo* idē antecedēs. Votum subditi, v.g vxoris vel Religiosi, est onerosum viro, aut superiori, & in præiudicium eorum: ergo inualidum & illicitum, est enim veluti de re alterius. Antecedens probatur ex D. Tho. solutione ad 1. vbi loquēs de Religioso habet: *Nullum est tempus exceptum, in quo non possit prælatus eum in alio occupare*: ergo quodcunque votum emissum sine superioris consensu est in eius præiudicium: quia omnis adimpletio voti tempus aliquod requirit.

His argumentis moti Richard. *in 4. distinct.* 38. *articul.* 4. *quæst.* 1. Maior *quæ.* 2. *dub.* 1. Angelus. *verb. votum.* 2. *num.* 5. existimant, subditos non posse sine superioris cōsensu licitè aliquid vouere; quod si vouerint, votum esse inualidum (maximè emissum ab impuberibus) existimarunt quidam relati à Glossa in cap. *mulier* 22. q. 2. 4 Richard. Maior. Angelus.

Pro decisione huius difficultatis *aduerte primo*: votū aliud esse personale, vt votū ieiunij, orationis, castitatis, &c. aliud reale, vt votū de eleemosyna pauperi cōferenda: aliud mixtū, ꝙ vtrumq; inuoluit

inuoluit, vt votum emissum de peregrinatione facienda, includit aliquid personale, nẽpe, quod vouens iter, faciat, & aliquid reale, nimirũ sumptus itineris; quare meritò mixtum appellatur. *Secundo*, quoniam in præsenti de Religiosis præcipuè sermo instituitur adnotandum cum D.Th. solutione ad tertium & Caiet.§.circa conclusionem ipsam: omne votum Religiosi habere pro materia eius operationes: vnde consequens fit, quod Religiosus (si propositio D.Thom. ad tertium quando ait: *Religiosus subditus est Prelato, quãtũ ad suas operationes secundũ professionẽ regula*, intelligatur vniuersaliter de omni opere Religiosi) nullum votum firmum sine superioris consensu possit emittere. *Tertio aduertendum* cum eodẽ D.Th.*quodlib.10.q.5.art.10.ad 3.* Religiosum subditum esse Prælato suo quantum ad generalem dispositionem vitæ, non verò quoad omnes act⁹ in particulari: & in primo differt à secularibus: nam ij solũ tenentur obedire superioribus quantum ad aliquos actus speciales, non quantum ad generalem dispositionem vitæ. Qui verò sint actus isti, in quibus subditus Religiosus nõ tenetur superioribus obedire, non explicat D.Tho. in particulari, solũ supponit in principio illius articuli ex communi omnium consensu, non teneri obedire in his quæ sũt cõtra Deũ, contra regulam, vel quantum ad ea, in quibus Prælatus non habet facultatem dispensandi: similiter in his, q̃ sunt arctiora quam regula, obedire non tenetur, quamuis tunc obedire obedientiæ sit perfectæ: de quo latius infra in materia de obedientia.

D.Thom. Caiet.

5 Modo breuiter cum domino Caie.& Aragonio in præsenti, & Soto 7.*de iust.q.3.art.1.dub.2.* varias distinguimus operationes Religiosi, de quibus in dubium verti potest, an sint debita materia voti? Aliæ sunt actiones, quas subditus exercere tenetur sub præcepto, vt recitare Horas Canonicas, colere Deum, ipsum diligere, &c. *Quædam*, quæ à superioribus siue per constitutiones, siue per regulam, siue per speciale mandatũ proponuntur subditis obseruanda, vt ieiunare, silentium locis ac temporibus statutis obseruare, &c. *Aliæ sunt*, quasi indifferenter ad statum religiosum pertinentes, quatenus nec cadunt sub regula, neq; per illam inhibentur: quia possunt aliàs cadere sub consilio. *Aliæ sunt actiones* honestæ quidem secundum se, prohibitæ tamen absolutè fieri quibusdam appositis circumstantijs: vt orate secundum se licitum est, & laudabile, aliquando tamen prohibitum in tali vel tali occasione. Similiter macerare corp⁹, opus est pœnitentiæ, cõtingit tamen aliquando prohiberi, ne fiat sine superioris consensu. *Vltimo* tandem sunt actiones, quæ ad supererogationem pertinent, & omninò sunt supra regulam, vt transitus ad arctiorem Religionem.

Aragon. Sotus.

6 *Dico primo.* Reale votum religiosi de bonis, quæ non sunt sub libera eius administratione, omninò est illicitum, & inualidum. Dixi, de bonis, quæ non sunt sub libera eius administratione: Nã si inferior Prælatus, v.g. Prior, cui commissa est administratio bonorum temporalium sui Conuentus, promittat Deo se eleemosynam facturum de bonis, quæ communiter solent erogari in Conuentu in subsidium pauperum, votum erit licitum, & validum, quoadusque superior Prælatus contradixerit. Similiter si subditus promittat aliquid dare pauperibus de bonis, quorum vsus sibi à superioribus permissus est, promissio est licita, subintellecta tamen conditione affirmatiua; si Prælatus concesserit facultatem: quia cum nõ habeat verum dominiũ super hæc bona, illa distrahere non potest, nisi obtenta prius à superiori facultate. *Conclusio* ergo sic intellecta clara est, vix aliqua indigens probatione: quia si secularis votum emittat de facienda eleemosyna de bonis non proprijs, sed alterius, potius risu, quàm laude dignum esset huiusmodi votum: ergo idem potiori iure dicendum est de voto religiosi volentis ad libitum disponere de bonis Conuentus, suæ curæ nullo modo commissis. *Assertio extendenda* est ad alios subditos: puta vxorem; seruos, filium familias respectu bonorum, quæ non sunt sub eorum administratione: de illis enim nequeunt disponere; si verò quæ sint alia bona sub eorum dominio, vt castrensia, respectu filij de his validè votum emittere nil vetat.

Dico secundo. Vota religiosi de seruandis constitutionibus, & regula, licèt valida sint, & licita, non tamen absoluta, sed necessario includunt conditionem negatiuã, *Nisi Prelatus contradixerit.* 7
Idem dico, quãdo votum est de bonis supererõgationis; quæ nec inhibentur per regulam, neq; per eandem præcipiuntur. Primam partẽ huius conclusionis negat Suarez 2.*tom.de Relig.lib.3.c.6. n:6.* sed etiam expresse tenet Caiet.hic in solutione ad tertium. §.*Circa conclusionem autem*: & probatur primò. Talia vota nisi præfatam conditionem includant, sunt in præiudicium Prælati, & potestatis ipsius: ergo vt valida sint, & licita, necessario illam debent includere. Consequentia supponitur, & antecedens probatur: quia prælatus habet potestatem faciendi, quod aliqua actio aut omissio illicita, quia contra regulam, fiat licita subdito dispẽsando in regula: v.g. illicitum est alicui ieiunium frangere, quando secundum regulam ieiunare tenetur: quam tamen omissionẽ ieiunij, potest Prælatus dispensando in constitutione efficere subdito esse licitam: sed si subditi votum de ieiunando, quando secundum regulã ieiunare tenetur, validum esset, & firmum nulla adhibita conditione, quantũuis Prælatus dispẽsaret in regula, omissio ieiunij esset illicita huic, qui vouit: ergo votũ religiosi emissum absolutè, nulla adhibita cõditione, derogat Prælati potestati, secundũ quam potest, q̃ secundum se est illicitum, quia contra regulam, licitam facere dispensando in ea. *Secundo probatur* idem antecedẽs: quia Prælatus potest dispensando in regula præcipere subdito actum prohibitum per eam; at si votum subditi de seruando eo, quod in regula continetur, esset omninò validum, nullam includens conditionem, non posset illum præcipere: ergo huiusmodi votum derogat superioris potestati, & consequenter inualidum est nisi præfatam conditionem includat.

Suar. Caiet.

Sed

Suarez. 8 *Sed obijcit* Suarez contra hanc rationem: stante obligatione regulæ non potest Prælatus hos actus prohibere, cum non sit illi concessa potestas in destructionem, sed in ædificationem: & licet Prælatus possit dispensare, subditus non cogitur dispensationem admittere: ergo stāte voto illud obseruare tenetur. *Et præterea*, quia quando Prælatus potest præcipere actum contrarium regulæ, iam in eo casu cessat obligatio regulæ: & tunc actus contentus in regula, non est illa materia voti, de qua est præsens difficultas.

Contra tamen procedit argumentum Caie. quia opera illicita, quia contra regulā, quæ potest Prælatus facere licita dispensando, subsunt Prælati potestati; & supposita dispensatione potest præcipere eorū operū executionem in ordine ad ea, quæ sunt secundum regulam, & subditus ei tenebitur obedire; quia Religiosus nō solum subditur Prælato quoad operationes & omissiones expressas in regula; sed quoad eas omnes, quæ ad contenta sub regula possunt rationabiliter ordinari; at nihil est in regula dispensabile à Prælato, quod dispēsatum nō valeat ad ea, quæ sunt secūdū regulā rationabiliter ordinari: ergo in omnibus his tenetur facta dispensatione subditus obedire: alioquin continua esset inter subditum, & Prælatum disceptatio; an subditus hoc facere, vel illud omittere teneretur. Quod si in his subditur superiori, non posse de illis firmum votum emittere, manifestum erit: & hinc soluta manet prima obiectio Suarez.

Ad *secundū dico*, eo ipso, quod aliquis actus cōtentus in regula est dispensabilis; de licito potest fieri illicitus à Prælato; si præcipiat actum contrarium, & ordinet illum ad ea, quæ sunt secundum regulam: & consequenter votum religiosi: cadens supra talem actum contentum in regula non est absolutum, sed includit conditionem negatiuam, nisi Prælatus contradixerit, aut prohibuerit: quod Prælatus facere potest secundum ordinariam eius potestatem: contra quam constat omne votum subditi esse infirmum.

9 D. Thom. Caietan. Suarez. Secundam partem nostri asserti tenet Suarez *loco citato num.* 7. & habetur in D. Tho. & Caieta. hic: probaturque ratione articuli in corpore, & ad tertiū. Nullus potest se voto firmiter obligare in his, in quibus alteri subijcitur sine superioris consensu; sed Religiosus subditus est Prælato, in quolibet supererogationis opere: potest enim Prælatus suo subdito quodlibet huiusmodi opus inhibere: tum, quia istæ operationes, vel omissiones possunt in obseruantiam regulæ rationabiliter ordinari: in quo directè, & per se Religiosus subditur superiori: tum, quia nullum est tempus exceptum (vt inquit D. Th.) in quo non possit Prælatus eum circa aliud occupare: ergo Religiosus non potest in his se per votum firmiter obligare sine superioris consensu.

Ex hac ratione efficax desumitur argumentū ad hominem contra Suarez, pro prima parte conclusionis. Votum religiosi de actu supererogationis non est firmum sine superioris consensu, vt probauimus, & admittit Suarez: sed votum de seruandis, quæ in regula continentur est supererogationis votum, quando est de his, quæ sunt dispensabilia à Prælato: ergo. Minorem probat Caietan. quia tale votum est de his, quæ sunt licita religioso ex dispensatione, & ad quorum opposita potest cogi à Prælato dispensante cum eo.

Dico tertiò. Votum religiosi de his, quę sunt necessaria ad salutem æternam consequendam; siue votum vitandi ea, quæ sunt peccata venialia; vt non dicere verbū otiosum, aut mendacium iocosum, &c. non est firmū sine superioris consensu, sed necessariò includit cōditionem negatiuā: *Nisi prælatus contradixerit.* Contrarium docet Caiet. in fine articuli, quem sequuntur aliqui recentiores citantes pro hac sententia D. Th. *art. 12. ad secundum.* Sed immeritò, nam potius ex præfato testimonio nostram colligo assertionem. Pro quo aduertendum D. Thom. in principio illius solutionis referre quorundam opinionem assentium, Prælatum posse pro libito dispensare in votis subditorum, cuius rationem assignabant: quia in quolibet voto includitur conditionaliter voluntas Prælati. 10 Caietan.

Hos tamen impugnat D. Th. docens, aliud esse loqui de prælato, qui non est dominus, etiamsi spiritualis Prælatus sit; aliud de eo, qui est dominus. Nam si loquamur de Prælato absolutè, sicut loquitur D. Th. in illo articulo falsum est includi eius voluntatē conditionaliter in quolibet voto inferioris: si tamen sermo sit de Prælato, qui est dominus: libenter admittit D. Th. eius voluntatem includi in quolibet inferioris voto: nā postquam retulit illa verba: *In quolibet voto includitur conditionaliter voluntas Prælati superioris*: quæ præfati Autores vniuersaliter intelligenda esse arbitrabantur: posteà ex propria sententia subiungēs ait: *Sicut suprà dictū est* (articulo videlicet. 8.) *quod in votis subditorum, putà serui, vel filij, &c. intelligetur conditio, si placuerit patri, vel domino; vel si non renitantur*: ergo in doctrina D. Thomæ asserendum est vota subditorum existentium sub dominio, includere præfatam conditionem.

Secundò probatur. Nam in istis votis duo vincula reperiuntur: *alterum* pertinens ad virtutem, supra cuius actum cadit votum: vt si votum fit de non furando, quod pertinet ad iustitiam. *Alterum* vinculum est ipsius voti pertinens ad Religionem. Hoc autem secundum vinculum liberum est omninò subdito: ergo. Prælatus potest illud prohibere, tanquam verus illius dominus: ac per consequens votum emissum in tali materia necessaria semper intelligitur cum prædicta conditione, si Prælatus non contradixerit.

Sed obijcies. Religiosus potest pro suo libito, quodcunque opus bonum, & honestum: exercere: dummodo non sit contrarium regulæ, aut statui religioso: sed votū emittere de seruandis præceptis, & vitandis his, quæ sine peccato nequeūt exerceri, est opus bonū, & honestum, nullo modo contrarium statui religioso: imò valdè conducens ad augendam eius perfectionem: ergo, &c. Secundò. Si aliqua ratione huiuscemodi votum non esset absolutè validum, & firmum ea 11

ea esset; quia religiosus impeditus est, ne voueat ratione obedientiæ Prælato debitæ: at hæc obedientia non impedit: quia tale votum non est de his, quæ cadunt sub potestate Prælati, cùm sit circa materiam necessariam præceptorum; quorum opposita non valet præcipere, nec dispensare Prælatus: ergo absolute erit firmum.

Respondetur tamen ad primam obiectionem, illam efficaciter conuincere, votum sic à religioso emissum, & licitum esse & validum, statimque ac emissum est obligare; non tamen probat, illud esse omninò firmum; sine conditione negatiua in illo inclusa. Nam sicuti quando subditus orat, aut ieiunat liberè potest à Prælato impediri, sic quando religiosus vouet in materia necessaria præceptorum, poterit, quantumuis sit opus bonum, à superioribus impediri: & ideò huiusemodi votum semper includit conditionem negatiuam: nisi Prælatus renuat.

Ad *secundam obiectionem* concedo maiorem; & nego minorem. Ad probationem distinguo antecedens: non est de his, quæ subduntur Prælato, quantum ad vinculum Religionis, nego antecedens: quantũ ad materiam, transeat. Itaque quãtùs materia sit omninò indispensabilis à Prælato: & ex hac parte sit extra ipsius potestatem: tamen quod subditus in hac materia se voto obliget, cadit supra potestatem illius: quia religiosus per votum solemne Religionis tradit se totum Prælato, & omnes operationes deinceps faciendas: excipio tamen cum communi Theologorum, ac Iurisperitorum sententia votum religiosi de transeundo ad altiorem, & arctiorem Religionem: quia respectu illius Prælatus dominium non habet.

Et si obijciat quispiam. Transitus ille ad arctiorẽ Religionem, licèt non sit Prælato subditus absolutè, tamẽ qua ratione inducit Religionis vinculum subijcitur illi: ergo includit conditionem negatiuam; sicuti diximus ob eandem rationem vota in materia necessaria illam includere. Nego tamen conseq. quia materia talis voti omninò exuperat dominium Prælati, etiam quantum ad vinculum; quoniam est alterius Religionis; & de re in qua certum est secundum iura proficere in vita spirituali. Vnde in c. *Licet de regular.* statuitur religiosum non subdi superiori in transitu ad arctiorem Religionem, neque dependere ab eius consensu: quia cùm professio religiosi sit ad perfectionem eius ordinata, non debet bonum maius religiosi, & profectum impedire; impediret autem, si subderet religiosum Prælato in præfato transitu ad arctiorem Religionem,

12 *Dico quartò.* Si religiosus voueat aliquid prohibitum siue in communi, siue in particulari (dũmodo non sit de his, quæ prohibentur in regula) tale votum licèt sit licitum, non tamen est firmũ absolutè, sed includit conditionem affirmatiuã, *si Prælatus consenserit*, vnde donec consentiat, non tenetur exequi quod promisit. *Probatur.* Votum debet esse de re licita, & quæ sit opus virtutis; sed quãdiu res est prohibita nõ est actus virtutis, nisi prius fiat super illam dispensatio; intelligitur ergo in eo voto conditio affirmatiua, si Prælatus consenserit. Dixi, *dummodo non sit de his, quæ prohibentur in regula:* quia si religiosus voueat aliquem actum quantumuis bonum, prohibitum tamen per regulam, tale votum nullum est simpliciter, & absolutè, nullamque obligationem inducit: quia vt votum sit validum debet esse de meliori bono: sed seruare regulã, & vniuersaliter omnia, quæ in regula continentur simpliciter subdito melius est, quam oppositum: ergo votum de actu cõtrario regulæ omninò est inualidũ. *Confir.* In secũda assertione diximus votũ de seruãda regula, cũ omnibus q̃ in regula cõtinẽtur, esse validũ, quamuis subintellecta conditione negatiua, nisi Prælatus renuat: ergo votum de actu contrario his, quæ sunt in regula, per se non est validũ.

Dices. Prælatus potest dispensare in his, quæ sunt secũdum regulam: imò & illa prohibere, & opposita præcipere, vt latiùs adnotauimus dicta secunda concl. ex Cai. ergo subditus potest votũ absolutè emittere de actu contrario regulæ, includẽs tamẽ cõditionem affirmatiuã, si Prælatus cõsẽserit. *Neg. cõseq.* per se loquendo. Quia si Prælatus solũ dispenset in regula non præcipiẽs actũ cõtrariũ, melius est subdito absolutè, & simpliciter regulã obseruare, quã vti tali dispẽsatione, & ideò votũ de actu contrario regulæ, si Prælatus dispensauerit, nullũ est, quia de minori bono: at si cõditio esset, si Prælatus prohibuerit actum contentum in regula præcipiens contrariũ, quãdo rationabiliter iudicauerit contrarium actum ordinari in finem regulæ: præfata obiectio non procedit contra nostram assertionem: tum, quia diximus esse intelligendam per se loquendo; & obiectio procedit suppositis quibusdam circũstantijs rarò, & per accidens contingentibus: tũ, quia in hoc casu votum non esset de actu contra regulam, sed secundum illam: aliàs non caderet sub præcepto Prælati. 13

Sed meritò dubitabis cum Caiet. & alijs, an quãdo Religiosus emittit votum, teneatur illud notum facere Prælato? an sufficiat licentiam petere ad opus promissum subticendo votum? 14 *An Religiosus emittens votum teneatur illud manifestare Prælato?*

Dico primò. Votum religiosi tantum includens conditionẽ negatiuam, nisi Prælatus renuat, cõtinuò obligat illum in conscientia antequã indicet superiori. *Probatur:* quia tale votum est de actu virtutis, & de re, quæ est in potestate vouẽtis: ergo continuò obligat in consciẽtia. Minor probatur: nam superior quamdiu rem licitam non prohibet, interpretatiuè saltem concedit inferiobus facultatem, & vsum illius rei non interdictæ: præterea tale votum & executio eius non lædit superioris potestatem: ergo statim obligat in conscientia.

Dico secundò: Si votum includat conditionem affirmatiuã, scilicet, si Prælatus consenserit; tenetur qui votum emisit superioris consensum requirere, antequam sit in mora soluendi: nisi forsitã subditus nollet expresè ad huiusmodi facultatẽ petẽdã se voto adstringere: tunc enim iuxta intentionẽ, vouentis iudicandum esset. *Probatur;* Promissio Deo facta non debet esse vana, aut ridicula: at nisi inferior requireret superioris consensũ, vana esset, & ridicula: ergo ad id ex vi voti obliga-

obligabitur antequàm sit in mora soluẽdi. *Confi.* quãdo inter homines fit aliqua promissio, q̃ ad sui impletionem exigit alterius consensum, semper intelligitur obligatio aliqua saltem virtualis in promittente ad requirendam huiusmodi cõcessionem: nam qui promittit finem, medium etiam ad illum moraliter requisitum promittit: quale in præsenti est petere superioris consensũ ad faciendum opus promissum, pendens ex libera eius concessione.

Dico tertiò. Si votum à principio fuit de re non prohibita, & posteà prohibetur à Prælato, durante tali prohibitione excusabitur religiosus ab impletione voti. *Prob.* Tunc materia voti facta est illicita: ergo non licèt illam in Dei cultum ordinare.

15 *Dicet quispiam*, tenebitur saltem Prælato votũ indicare: quia si Prælatus subditi votum circa materiam illã præuidisset, forsan non prohibuisset illam; aut post inhibitionem facilè concederet facultatẽ. *Nego* tamen antec. quia ex quo cessat obligatio voti per substractionem materiæ, non tenetur subditus indicare votum superiori: quia tũc solũ indicatione opus est, quando votũ obligat ex vi sua ad executionẽ operis promissi; non verò quãdo cessat obligatio voti, vt contingit in præsenti casu: & præterea, quia de obligatione voti, iudicandum est per se loquendo, secundum conditionẽ, in qua reperitur vouẽs tẽpore omissionis voti: at tunc facultatem petere, aut votum indicare nõ erant media necessaria ad executionẽ operis promissi: quia pro tunc erat opus virtutis: ergo ex vi voti facta prohibitione, non tenetur votum manifestare Prælato, nisi speciali intẽtione vellet etiam ad id se voto adstringere.

16 *Dico quartò.* Ex vi voti præcisè non tenetur religiosus indicare votũ superiori, sed satisfacit obligationi, si facultatem petat operis exequendi. Probatur. Ex vi voti tantũ obligatur ad eleemosynam faciendã v.g. vel ad peregrinandũ, si Prælatus consenserit: ergo satisfaciet obligationi, si petat Prælati consensum. Admonet tamẽ Caiet. & communiter omnes securius esse votum indicare: nam Prælati multa negant absolutè, quæ aliàs concederent, si scirent Deo esse promissa, & quia indicare votum Prælato est medium conuenientius ad obtinendam facultatem à Prælato operis exequendi. Dicet quispiam.

Hæc non solum conuincunt esse securius indicare pollicitationẽ, sed esse omninò necessarium: id existimauit. Sot. *li.* 7. *de iust. q.*3. *art.*1. sed immeritò; quia ex vi voti non tenetur religiosus summam adhibere diligentiam, vt facultatem obtineat: sed quæ regulariter adhiberi solet, & per se includitur in conditione apposita, videlicet, peregrinabor, si Prælatus consenserit: at in hoc per se solum includitur obligatio petendi facultatem ad opus promissum. — *Sotus.*

Quid si semel petitam licentiam negauerit? tenebitur ne eandem licentiam iterum petere ad opus promissum? *Respondetur* cum Caiet. *d. art.*8. *& in Sum. verb. Votum*, teneri subditum eam licentiam petere, quoties prudentia dictauerit esse petẽdã, nisi forsã votũ esset emissũ ad tẽpus: quia tũc trãsacto tempore; cessat totaliter obligatio voti. — *Caiet.*

Vltimò aduerte, quod voto semel emisso obtẽta superioris facultate, si Prælatus eam reuocet facultatem, subditus tutus manet in conscientia; id adnotauit Caie. & sine dubio verissimum est: tum, quia subditus semper est sub dominio Prælati, & nunquam acquirit verum dominium rei promissæ: ergo si Prælatus reuocet facultatem, factum tenebit: tum quia, etiam si Prælatus concesserit facultatem, potest nõ habere ratũ, quod placuerat: ergo tunc subditus manet liber. Doctrina hæc habetur expressa Numer. 30. facto eloquio dicente: *Quod si maritus reuocauerit consensum, portabit ipse iniquitatem suam: vxor verò rea voti non tenebitur.* 17 — *Num.*30.

Quæ diximus de subditis religiosis, ad alios quoscunq; subditos sunt vniuersaliter extendenda, putà ad coniugatos, filios familias, & seruos, quantum ad eas actiones, in quibus non sunt sui iuris: sed sub aliorũ dominio sunt quoad eas constituti. De quibus non possunt firmiter, aut etiam validè votum emittere, nisi subintellecta conditione, vel negatiua, vel affirmatiua, iuxta diuersitatẽ materiæ: de alijs verò actionibus, in quibus sunt sui iuris, validè, & firmiter vota emittunt.

Ad argumẽta in principio disputationis resp. 18 Ad 1. *desumptũ* ex doctrina D. Th. cõuincere nullum votum subditi, in eo, quod subditur superiori esse firmũ iure superioris consẽsu: sed omne includere cõditione, vel affirmatiuã, vel negatiuã, qua supposita votum & licitũ, & obligatoriũ est. Pariter ad *confir. resp.* nõ enim subditus religiosus ita est sub alterius potestate, vt nihil licitè faciat, nisi sibi à Prælato specialiter iniungatur: sed eatenus dicitur propriã resignasse voluntatem, quatenus nihil potest licitè cõtra volũtatẽ superioris: dućtus secũdũ rationẽ operari: sed sẽper paratum esse oportet Religiosum ad quodcunque opus faciẽdum, vel omittẽdum iuxta superioris arbitrium. Quod vno verbo cõplexus est D. Th. dum ait, illã cõditionẽ: *Si superior nõ prohibeat, vel quãdiù nõ prohibuerit*, virtute includi in omni voto inferiorum. Ad caput. *Monacho.* 20. q. 4. resp. Basilium, cuius est textus ille, potius proficere, quã officere: tum quia docet votum Monachi esse frãgẽdum, in quo satis insinuat fuisse validum à principio: tum quia in eo, quod asserit Monacho non licere votum emittere sine superioris consensu, requirit conditionem affirmatiuam ad valorem voti, quam nos supra explicuimus.

Ad *secundum respond.* Onus Religionis non sufficere ad hoc, quod votum emittere sit illicitum, & inualidum: quia satis cõsultũ esse cẽsetur, si de facili possint religiosorũ Prælati eorũ vota irritare, quando rationabiliter iudicauerint non posse subditos sine molestia fratrũ, & grauamine Religionis adimplere promissa. *Ad tertiũ dico*, nõ esse eãdem rationem de votis emissis ante professionem, & de his, quæ post professionem emittuntur; quia priora in melius euidenter commutãtur: & ideo statim cessat eorũ obligatio: posteriora verò addunt nouam obligationem voluntariè susceptam distinctam ab ea, quam inducit solemne votum Religionis, & ideò non 19

possunt in praexistens votum commutari. *Ad quartum negatur* maior, intellecta de his, quae nō prohibentur inferioribus. Nam vt praenotauimus, quamuis subditorum promissiones de his, quae non sunt sibi prohibita, includant cōditionem negatiuam: *nisi Praelatus renuat*; licitae tamen sunt, & validae, quamdiu Praelatus non contradicit; si verò fiant de materia prohibita à superiori, ante superioris consensum non obligant: sed non ideò sunt illicita: quia includunt praefatam conditionem affirmatiuam: *si Praelatus consentiat:* cuius consensum tenetur subditus requirere, ne in cassum votum emiserit. Prima probatio antecedentis confirmat primam partem nostrae primae assertionis, & non impugnat secundam. *Ad alteram* nego antecedens: ad eius probationem concedo antecedens, & nego conseq.

D.Thom. Caiet. Et circa doctrinam D. Thom. adductam in hac probatione nota ex Caiet. ad tertium, quod quando D. Thom. docet non posse Monachum firmiter vouere sine licentia Praelati, vel Praelatum posse irritare Monachorum vota, non assignat pro causa, nullum esse tempus exceptum, in quo non possit Praelatus subditos occupare: nam plures fieri possunt promissiones, quae ad sui obseruationem nullum tempus requirunt, sicut promissio ieiunandi, non mentiendi, &c. Sed ratio à priori est, quam D. Thom. assignat in principio solutionis: nimirum religiosum subditum esse Praelato, quantum ad suas operationes secundùm professionem suae regulae, & paucis interpositis per modum parenthesis, vt respondeat propositae obiectioni in argumento, infert ex praesupposito principio nullum religiosi votum esse firmum sine superioris consensu.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm pueri possint se obligare ad Religionis ingressum.

Summa Articuli.

PRaemissa distinctione voti in simplex, & solemne, quam explicuerat *sup. art.* 7. quatuor statuit D. Th. concl. *Prima est.* Votum pueri siue puellae ante vsum rationis emissum nullum est. *Secunda.* Si habeant vsum rationis ante annos pubertatis quantum est ex se possunt vouere; eorum tamen vota parentes potuerunt irritare. *Tertia conclusio.* Ante annos pubertatis etiam si habeant vsum rationis non possunt facere votum solemne Religionis. *Quarta.* Post annos pubertatis possunt se voto obligare ad Religionem sine voluntate parentum.

Circa istum articulum *nota primò.* Quod si solam rationem naturalem expectes, quicunque habet vsum rationis, cuiuscuis sit aetatis; potest ex hac parte votum emittere: nam vt latè diximus art. 1. ad valorem voti sufficit deliberatio necessaria, & sufficiens ad peccatum mortale, sed quicunque vtitur ratione perfecta, habet sufficientem libertatem: ergo potest votū emittere. E contra verò carens vsu rationis, quantaecunque sit aetatis, non potest votū emittere; quia nullum votum reperiri potest sine libertate, libertatem autē sine ratione esse est impossibile: quia tamen certum tempus praefigi non potest, quo pueri incipiunt vti ratione, & esse doli capaces; Ecclesia id, quod regulariter contingit animaduertens tres distinguit aetates, *Infantiam*, quae durat vsque ad septennium; *Pueritiam*, in qua impubes dicitur homo, & durat vsque ad quartū decimum expletum in viro, vt colligitur ex cap. *Non solùm*, de regularibus in 6. & in foemina vsq; ad duodecimum, vt habetur ex cap. *Puella.* 20. q. 2. in qua aetate sunt doli capaces, habentque vsū rationis, & quantum est de se possunt votum emittere. Tertia aetas est à duodecimo anno in foemina, & à quartodecimo in viro, vsque ad vigesimum quintū, quae appellari solet, *Adolescētia.*

Secundò nota, quod quamuis Ecclesia possit inhabilitare personas, ne validè voueant, siue votum simplex, siue solemne: nusquam tamen reperimus aliquam personam esse inhabilem ad simplex votum emittendum. De voto verò solēni Religionis statutum est secundū ius antiquū ca. *Ad nostram*, de regul. c. 1. esse inualidum emissum ante decimum quartum annum à pueris: & à foeminis ante duodecimum: nouo verò iure, habetur in Conc. Trid. *sess. 25. c. 15.* nullam professionem esse validam ante sextumdecimum annum expletum, nullamque obligationem inducere ad alios quoscunque effectus. Vbi reuocatur ius antiquum quantum ad solemne votū, & viri ac foeminae quantum ad hoc aequiparantur: at secundùm alia ius antiquum manet in suo robore; & quoad simplicia vota emittenda, aut irritanda: & quoad matrimonium contrahēdū.

Obijcies cap. Nisi cum pridem, de renuntiat. &c. *Licet.* § *Si verò*, de regularibus, vbi secundum Richard. *in 4. d. 38. art. 4. q. 2.* Maior *q. 3. dub. 1.* Episcopus prohibetur facere votum simplex de renuntiatione Episcopatus, intuitu etiam ingrediendi Religionem, & similiter idem statutum videtur de voto lōgissimae peregrinationis in c. *Magna*, de voto, respectu Episcopi. Ex quo c. Autores citati deducūt tale votum ab Episcopo emissum sine licentia fuisse inualidum, & in c. *Nō oportet de consec. d. 5.* desumpto ex Conc. Laod. c. 41 & 42. decernitur Clericum non debere aliquo proficisci sine superioris cōsensu: ergo falsū est iure positiuo nullam esse personam inhabilē ad emittenda vota simplicia. Sed nego cons. & ad iura citata resp. ad c. *Nisi cū pridē*, & c. *Licet*, solùm statui illis iuribus renunciationem Episcopatus nō esse faciēdam sine licentia Pōtificis: quia est cōtra bonū Ecclesiae: de voto verò nulla ibi mētio fit: c. *Magna*, tantum abest quod annullēt votū, quin potius supponit esse validum, & causa exigente commutatum: in c. *Non oportet*, nihil de voto clerici statuitur, sed solum prohibetur, ne clerices sine consensu Episcopi ad peregrinandū proficiscatur. Qualiter autem hoc intelligendū sit alibi Deo dante latiùs dicemus.

Circa hos duos articulos, in quibus D. Tho. tradit

Richar. Maior.

tradit principia, in quibus fundatur potestas ad irritanda vota subditorum; disputandum est, quæ nam sit ista potestas? in quibus resideat? & ad quas se extendat promissione?

DISPVTATIO I.

Quid sit irritatio voti? & in quo à dispensatione vel commutatione differat?

4 DIximus in præcedentibus, subditorum vota, in quantum alterius potestati subduntur, non esse omnino firma, & absoluta; sed necessariò pendere ex superioris consensu in firmitate; *vel* quia dominiũ habet superior supra rem promissam: ideoque sine ipsius consensu alienari non potest, *vel* quia dominatiuam habet potestatem supra voluntatem vouentis: ex quo impedire potest eius liberas promissiones, *vel tertiò*, quia superior potest inhibere actum promissum, & contrarium præcipere, faciendo quod ex illicito, quia prohibitum, fiat licitum, quia præceptum: igitur ex his principijs operosius inquirendum est, quænam inferiorum vota possint irritari, & à quibus superioribus: Nam quando votum non est firmũ: quia ad sui firmitatem expectat alterius consensum, vel saltem includit conditionem negatiuã, manifestum est, irritari posse, vel per negationem consensus, vel prohibitionem obligationis voti. Similiter si res promissa non est omnino in potestate vouentis, vel non ita honesta, quin prohiberi possit à superiori, & contraria præcipi: tunc etiam manifestè apparet posse votum cessare ab obligatione, quandiù sic visum fuerit habenti dominium rei promissæ, vel potestatem prohibendi illam.

Caieta. Sed circa hoc vltimum aduerte ex Caiet. art. præced. §. *Ad obiectionem verò*, aliud esse votum irritare; aliud verò votum ab obligatione cessare propter defectum materię, vel totaliter, vel ad tempus: cessatio enim ab obligatione prouenit ex eo, ꝙ dominus siue sciens, siue ignorans votum, auferat materiam illius promissionis, quod non est propriè votum irritare: quia hæc requirit, quod superior expressè, & ex intentione velit infirmare, & annullare vota, siue in particulari dicendo irritum facio tale votum; aut nolo, quod obserues hoc, vel illud votum, siue in communi: si superior dicat irrita facio omnia vota subditorum: ita Caiet. *art.* 8. *Sot. lib.* 7. *art.* 1. cita. *ver. Votum*, 4. *num.* 1. Et probatur. *Num.* 30. ponitur forma ad irritanda subditorum vota: at ibi expresse fit mentio de notitia voti, cum dicitur: *Si cognouerit pater, votum, quod pollicita est*: & iterum: *Si autem vt audierit contradixerit, &c.* ergo ad irritanda vota notitia requiritur superioris:

Caieta. Sotus. Syluest. 6

Secundò. Irritatio nihil aliud est, quam annullatio voti ex beneplacito superioris, ex cuius voluntate pendet: ergo necessariò requirit notitiam voti: quia sicut actus voluntatis dependet ab actu intellectus necessariò: ita actus voluntatis circa aliꝙ obiectũ in particulari, dependet ab actu intellectus circa idem obiectum: nihil enim volitum, quin pręcognitum: ergo cessatio ab obligatione voti, quæ nullam sui notitiam requirit in superiori, nec est dicenda, irritatio nec inter irritationes computanda.

Tertiò. Votum semel irritum nunquam deinceps obligat, aut reuiuiscit: at votum impeditum & solũ cessans ex defectu materiæ propter prohibitionem superioris reuiuiscit, & obligat inferiorem statim ac cessat impedimẽtum: ergo talis cessatio non est dicenda irritatio. Hæc dixerim propterea ꝙ Suar. *li.* 6. *c.* 1. nu. 4. duos distinguit modos irritandi; vel per substractionem materiæ voti, vel etiam ex parte ipsiusmet voti, quatenus ab habente potestatem reuocatur & quasi dissoluitur votum: posteriorem modum appellat irritationem directam: priorem indirectam, quatenus non cadit in ipsum votum, sed fit per substractionem materiæ. Hæc tamen vt dixi non est irritatio, sed potius, vt idem Autor adnotauit, dicetur quædam temporalis suspensio voti.

Ex quo infero, quod quamuis Summi Pontifices aut Episcopi, & quicunque alij superiores, siue Ecclesiastici, siue seculares possint aliquando vota subditorum impedire, & suspendere vel prohibendo rem promissam, vel contrariam præcipiendo, vel tertiò etiam negando propriũ consensum, quando ille exigitur ad valorem voti, nunquã tamẽ possunt vota illorũ subditorum irritare respectu quorum nõ habẽt dominatiuã; sed solum iurisdictionis potestatem. *Primam* partem huius corollarij tenet Sylu. verb. *Votum*. 3. *q*. 1. & alij Summistæ ibi. *Abul. n.* 30. *q.* 66. Et ratio id suadet: nam multi sunt actus de se honesti, & liciti, qui secundum se sunt materia voti, quos tamẽ possunt præfati superiores, vel prohibere; vel præcipere aliquid cũ illis incõpossibile, quando iudicauerint rationabiliter, ita ad bonũ suæ Reipublicę conuenire: ergo si quis subditorũ habeat votum de his actibus exercẽdis, manet pro tunc liber ab obligatione voti. *Posteriorem* verò partẽ defendit M. *Sot.* 7. *de iust. q.* 7. *art.* 1. *secutus* Palu. *in* 4. *d.* 38. *q.* 4. *n.* 20. Et prob. Potestas ad irritandum vota, vbicunque illa sit, sequitur dominatiuam potestatẽ, & non iurisdictionis: ergo superiores qui solum habent iurisdictionis potestatem, non possunt irrita facere subditorũ vota. Antec. prob. Nam hæc potestas conuenit superioribus, quatenus materia, quæ promittitur est ipsorum superiorum: ergo ratione dominatiuæ potestatis. 7

Syluest. Abulens.

Ex dictis haud difficile est tria hæc distinguere, commutationem, dispensationem, & irritationẽ. *Commutatio* enim est annullatio obligationis voti cum ligamine aliquid aliud faciẽdi loco illius, sicut si vouenti peregrinationem, per commutationem imponas præceptum ieiunandi, eleemosynas largiendi, &c. *Dispensatio* verò est annullatio obligationis voti, rationabili causa id exigente. In quo maximè differt ab irritatione: nã *irritatio* nullã aliã causã requirit, quã volũtatẽ eius qui ad irritãdũ habet facultatẽ. Ita Palud. *in* 4. *d.* 38, *q.* 4. Anton. 2. *tit.* 11. *c.* § .6. *ex c. Puella.* 20. q. 2. & c. *Manifestũ.* 33. q. 5. Dispẽsatio verò non solũ requirit auto- 8

toritatem dispensantis, sed etiam legitimā causam ex parte voti dispensabilis.

Dubitabit quispiā merito: an hęc differentia ita sit intelligenda, vt irritatio sine causa non solum sit valida, sed & licitè & absque vllo crimine fiat. *Et videtur vera pars negatiua*: quia superior irritans subditorum vota sine legitima causa abutitur potestate sua, sibi non in destructionem, sed in ædificationem concessa: ergo. *Secundò*. Irritatio est quodammodo actus iurisdictionis: ergo debet fieri iudicio, & ratione præcedente; quod si aliter fieri contingat, peccatum est. *Tertiò*. Subditus petens sine causa irritationem, peccat: tum, quia otiose agit, & deficit à promissione Deo facta respiciēs retro: tum, quia in humanis facta aliqua promissione, si quis absque legitima causa petat suæ promissionis irritationem; indicat manifestè remissionem amicitiæ suæ: ergo superior annuens subdito petenti irritationem voti absque rationabili causa, eodem crimine complicabitur.

Sotus. Abulens. Magister Sotus *lib.7. de iustitia, quæst.3 art.1.* secutus Abulens. *n.30. quæst.443.* affirmat saltem esse actum otiosum, & imprudentem, & consequenter erit peccatum veniale ad minus vota subditorum irritare absque legitima causa.

9 Sed *pro decisione dico*, vix posse contingere moraliter loquendo irritationem fieri absque sufficienti causa: vnde regulariter nō est cur superiores timeant vota subditorum irritare: quin potius seclusa praua intentione superioris; & nisi aliunde irritatio vergat in detrimentum subditi, ex hoc præcise quod sine speciali aliqua causa fiat, nullum peccatum est. *Probatur prima pars.* Ad irritationē voti sufficiens causa censetur ex parte subditi, quod semper sit promptus, atque paratus ad obediendum superiorum iussis, at hæc causa semper adest: ergo. *Secunda pars probatur*, Quicunque dominus nulla existente causa potest irritam facere promissionem, quam alter fecit rei suæ: sed superior est dominus rei, quam promisit subditus: ergo. Antecedens probatur: nam licèt, vt quis sua bona distribuat, exigatur causa, ne prodigus iudicetur: tamen vt deneget rem suam non semper requiritur specialis causa sed sufficit ad eam retinendam, quod sit dominus eius.

Confirmatur. Subditus nō obligat superiorem sua promissione ad non irritandum illam sine causa: ergo. *Probatur* antecedens. Nam obligatio voti est personalis; ergo inferioris votum nō obligat superiorem, vt facultatē concedat, quando ea necessaria est ad valorem voti; vel vt non contradicat, & consequenter liberè poterit absque aliqua speciali causa, subditi votum irritare.

10 *Obijcies.* Demus subditum emisisse votum ex perfecta deliberatione, adhibitis omnibus debitis circumstantijs: si tunc renuente subdito Prælatus irritet votum, vtitur illa potestate in præiudicium subditi: ergo peccat. Antecedens probatur; quia si subditus faceret opus promissum ex voto, maius acquireret meritum; quàm si faceret sine voto: & hoc merito priuat illum Prælatus, irritando votum sine legitima causa: ergo non sine peccato. Consequentia manifestatur ex differentia inter seruitutem religiosi, & mancipij quòd seruitus mancipij ordinatur in vtilitatem heri: & sic herus solo affectu propriæ commoditatis, nulla existente causa ex parte serui potest illius votum irritare; secus videtur in religioso dicendum, cuius subiectio ordinatur in vtilitatem Religionis, & religiosi: nam religiosus dedit superiori dominium sui propter propriam vtilitatem, & vt suis commodis deseruiret.

Propter hoc argumentum consultò addidi in assertione, nisi adsit praua intentio defraudādi subditum suo merito: & nisi aliunde vergat irritatio in præiudicium subditi. *Prima exceptio probatur*: quia si Prælatus sola intentione priuandi subditum merito Religionis in executione operis promissi irritet votum, manifestum est illum peccare mortaliter ex genere suo: quia directè intendit malum subditi, siue mancipij: quia quātum ad hoc in illis nulla est differentia. *Secunda exceptio probatur*: quia tunc superior contra Religionem agit; secundum quam tenetur bonum subditi promouere meliori modo, quo possit, & ideò quamuis votum subditi non possit superiores obligare directè, obligat tamen indirectè, quando actio subditi est in profectum ipsius sine vllo detrimento dominatiuæ potestatis. *Explicatur hoc.* Si filius familias faceret Regi promissionem, ratione cuius magnum emolumentum se recepturū speraret, certè peccaret pater irritam faciens talē promissionē; peccaret, inquā, contra pietatem debitam filijs, qua tenetur prospicere eorum commodis: ergo similiter peccabit Prælatus contra Religionem, ratione cuius tenetur prospicere vtilitati subditorum; si renuente subdito irritam faciat promissionem illius, non intendens aliquem honestum finem: sed tantum suam exercere dominatiuam potestatem: sicuti si præciperet, aut impediret subditos ne aliqua bona opera facerent; Prælatus procul dubiò peccaret. 11

Ad argumenta *respondetur: ad primum & secundum* negatur antecedens. Nam vt diximus potestas ad irritandum vota non sequitur iurisdictionis potestatem, sed dominatiuam; & ideò non semper ad eius executionem exigitur specialis causā. *Ad tertium* sunt qui negant antecedēs & loquentes in particulari de subdito religioso vniuersaliter docent non peccare, si petat irritationem voti sine causa, quæ ad dispensationem sufficeret: tū, quia vtitur iure suo: tum quia proponere votum Prælato, vt de illo disponat prout iudicauerit expedire, per se loquēdo nullum peccatum est: tum tertiò, quia religiosus sentiens onera Religionis, potest sine peccato gaudere cōmodis illius: subditus ergo medijs licitis procurans aliquod leuamen per superiorem potestatē, non peccat; ergo nec petens irritationem voti. 12

Sed argumenta hæc procul dubio infirma sunt ad probandum licere subditus petere irritationem promissionis factæ, sine sufficienti causa: aliud est enim lōgè diuersum votum manifestare Prælato, & promptum se ad irritationem

ex-

exhibere, si id Prælatus iudicauerit expedire: aliud verò absolutè petere irritationem: primum licitum est: imò & necessariũ: oportet enim subditum Religiosum, ratione status talem habere animi promptitudinem: secundum verò propter tertium argumentum existimo non semper esse licitum: Nam Religiosus, qui aliquid Deo promisit, si postea omninò causis immutatis petat suæ promissionis reuocationem, non excusabitur à magna animi leuitate: imò neque à quadam infidelitate erga Deum.

13 *Quare ad tertium argumentum*, admisso antecedenti nego consequentiam, quoniam subditus per promissionem suam inducit supra se obligationem adimplendi promissum: quamuis depẽdẽtem ex superioris consensu; & ideò immutatis causis cessare nõ debet à solutione promissi. Prælatus verò nullam supra se induxit obligationem ex subditi promissione: & ideo eisdem causis inuariatis ex parte subditi potest superior ratione generali ductus liberare subditum ab onere promissionis; vt expeditior, & promptior maneat ad onera Religionis obeunda.

Obijcies contrà. Si subditus faceret opus promissum ex voto, maius acquireret meritum, quam faciens illud sine voto; & hoc merito priuat eum superior sine causa: ergo peccat superior: *sed negatur consequentia*: nam vt dixi sufficiẽs causa ex parte superioris ad irritandum votum indicatur, quod subditus maneat liber ab obligatione voti; vt promptius opera religionis exequatur: eo vel maximè, quia aliunde ei accrescit meritum obedientiæ.

DISPVTATIO II.

Qui poßint religiosorũ vota irritare: & quæ?

1 **D***Ico primò*. Potestas ad irritanda Religiosorum vota principaliter residet in Pontifice: quia ipse est Religiosorum pater generalissimus, habens respectu illorum non solũ supremã iurisdictionis potestatẽ, sed dominatiuam etiam; quatenus vt Ecclesiæ caput acceptat traditionem, quam de se ipso facit Religiosus per solẽne obedientiæ votũ. Ita tenet Sotus *lib.7. de iustitia. q.3. arti.1. §. sciscitaru autem*; & alij communiter. Idem dicendum reor de Episcopis in ordine ad Religiosos sibi immediate subiectos; si ius tantum diuinũ attendamus: modo verò exempti sunt Religiosi ab Episcoporum obedientia iure positiuo: & ideò supra illos non habẽt dominatiuam potestatem: neque possunt illorum vota irritare. Excipio monialium vota sibi immediatè subditarum; & quorumcunque obedientiam sibi præstantium.

Sotus.

2 *Dicò secundò*. Prælati omnes, qui dominatiuam habent potestatem possunt subditorum vota emissa sine superiorum consensu irritare. Habent verò illam Abbates, Priores, Guardiani, & alij ipsis superiores; vt Prouinciales, Visitatores, & Generales Magistri: & si qui sunt alij habentes potestatem superiorẽ, quã Prælati Cõuentus. Inferiores vero Ministri, vt Vicarij, Superiores &c. non habent hanc ordinariam potestatem, nisi quando in absentia Prælatorum accipiunt plenariam potestatem, vt debitè possint regimini, & cõmodis Conuentuũ prospicere. Sed circa hoc cõsulenda erũt vniuscuiusque Religionis statuta.

Si hæc conclusio præcise intelligatur de votis, quæ vergunt in præiudiciũ Prælati; & in materia, quam prohibere, & contrariam præcipere valet Prælatus, clara est, & eam admittit Caiet. & probat: quia omnia huiusmodi vota non sunt firma, sed dependent ex superioris consensu; vt diximus *late art.8. ergo* possunt à superioribus annullari. Intellectam vero de votis religiosorũ in materia necessaria præceptorũ, vel de non mentiendo &c. non admittit Caieta. quia existimat hæc esse omnino firma independenter à superioris voluntate: iam tamen vniuersaliter intellectam tuentur Sotus. *quæst 3. arti.1.* Arag. *artic 8. dub.1. conclu.4.* Ludouic. Lopez. *1. p. cap.48.* Huius assertionis fundamentum insinuatum est artic. præced. quia nullũ votũ religiosi est firmũ sine superioris cõsensu; sed omnia includunt saltẽ conditionem negatiuam, *Nisi prælatus renuat*: (vno excepto voto transeundi ad arctiorem religionem; quod sicut in sua firmitate non dependet à superiori; ita neque ab illo poterit irritari) ergo ex hac parte potest Prælatus irritare omnia subditorũ vota. *Probatur secundo*, quia subditus per professionem solemnem religionis tradit se se totaliter religioni, & superioribus eius: manetq; subiectus illis, *quantũ* (vt inquit D.Tho.) *ad suas operationes secũdum professionem regulæ*: sed vna ex operationibus religiosi est votũ emittere: ergo quantum ad hoc dependet ex superioris cõsensu: & consequenter, quodcunque votum religiosi potest à superiori Prælato irritari. 3

Caieta.

Sotus.

Aragon.

Ludo. Lop.

Obijciet quis contra hanc assertionem. Ecclesia non habet potestatem circa actus purè internos: ergo saltem vota purè interna, & circa actus purè interiores non possunt irritari à religiosorum Prælatis. *Et si dicas*, votum mentale fieri externum, quando subditus petit irritationem: *Hoc non satisfacit argumento*: quia saltem sequitur non posse Prælatum irritare præfatas promissiones; nisi subditus petat illarum irritationem: Ideo respondetur secundo, iurisdictionis potestatem, quæ propria est religiosorum Prælatis non se extendere in exteriori foro supra actus purè internos, qui sunt per se occulti: at dominatiũa potestas fertur supra eosdẽ actus: quatenus superior potest facultatẽ denegare subditis eos actus exercẽdi: & de hac facultate agimus in præsenti: eo vel maximè, quod subditus religiosus per professionem externam tradidit se & omnes operationes suas religiosorum Prælatis. 4

Ex hac ratione *infero primò*, præfatam potestatem competere superioribus religionum iure diuino. Hoc corollarium habet fundamentum in D.Thom. quatenus ex principijs naturæ probat hanc superioribus religionum inesse facultatem: & in argumento sed contra: ex illo *Num. 30.* Etenim quamuis lex illa præcise loquatur de

de puella existéte sub potestate patris; & de vxore sub potestate viri; tamen eadem est ratio de omnibus, qui sunt sub aliorum dominio constituti. *Et præterea*, qui rem alienam distrahit, vel promittit, contra ius naturale peccat: sed religiosus, qui supra se habet dominatiuam potestatem, promittit rem alienam, si desit superioris consensus formalis, vel saltem interpretatiuus: ergo contra ius naturæ peccat: ergo in eodé iure fundatur potestas superiorum ad irritandas subditorũ promissiones. *Confirmatur*. Si seruus, quando laborare tenetur, cesset, & in alijs operib⁹ aliàs licitis se exerceat, procul dubio cõtra ius naturæ peccat: ergo & religiosus &c. *Tandé vltimò*: quia hæc potestas omninò necessaria est ad conuenientem illius status gubernationem: ergo concessa est superioribus: non iure positiuo, quia non legitur aliquod principium huius potestatis concessæ superioribus, siue in decisione Pontificia, siue in Concilio aliquo. Etenim caput *Monacho.20.quæstion.4.* adductum à Richar. nihil probat, vt superius vidimus: ergo indicium manifestũ est, quod præfata potestas ab ipso iure naturæ originem trahit.

5 *Infero secundo ex* eadem ratione, non posse superiorem vota nouitiorum irritare: quia illorum voluntas nondum pendet ex superioris consensu: & ideò firmiter possunt se voto adstringere. Probat Nauar. argumento cap.1. *beneficium* de regularib. lib.6. Syluest. verbo *Votũ 4. quæstio.7.* Aragon. *art.8. concl.3. in fine.* Sed dubitat Ludouicus Lopez cap.47. §. *sed vtrum vota*: vbi quãuis negatiuam tutiorem existimet: tamen absolutè non improbat affirmatiuam, motus tum ex eo, quod Anton. Cordub. *lib.1. Quæstio.30.* tenet probabilius esse, quod Prælatus possit reseruare casus nouitiis sicut professis; tum secundò, quia præfati nouitij secundum Syluestr. verbo *Religio.2. quæsti.10.&.19.* quandiù in nouitiatu manent, liberi sũt à potestate secularium, & parentum: ergo subditi religionis superioribus: ergo possunt illorum vota à superioribus irritari.

Nauar.
Syluest.
Aragon.
Ludo. Lop.
Corduba.

Sed quidquid sit de antecedentibus: de quo infra in materia de obedientia, & de statu religioso: nego consequentiam: quia illud primum solum pertinet ad potestatem iurisdictionis spiritualis, quæ non sufficit ad irritãda vota: postremum verò ad dominatiuã quam acquirunt Prælati per professionem religiosorum: quandiù ergo manent in statu nouitiorum, non sunt sub dominio prælatorum; & ideò neque illorũ vota possunt irritari.

6 *Tertio infero*, eãdem habere potestat[illegible] Abbatissas, & Priorissas ad irritanda vota subditarum sibi per solum votum religionis: eandem, inquã, quæ est in Prælatis religionum. *Probatur*. Nam licet in Abbatissis, & Priorissis non possit esse potestas spiritualis iurisdictionis; vt communiter dicunt Doctores in quarto, in materia de clauibus: inest tamen eis dominatiua potestas; qualis in Abbatibus & Prioribus reperitur: ergo sicut isti ratione dominatiuæ potestatis possunt vota subditorum irritare; ita & illæ. Dices, hanc dominatiuam potestatem non esse necessariam ita perfectè in Abbatissis &c. Sed sufficit, quod Prælati, quibus moniales subduntur, illam habeant potestatem: etenim ab eis spiritualis gubernatio monialium principaliter pendet. Non desunt qui propter hoc argumentum existiment probabile, non posse Abbatissas subditorum sibi vota irritare.

Sed non est ad id sentiendum sufficiens fundamentum: quia certum est moniales seu Beatissas dum emittunt solemne votum Religionis, tradere se totaliter, quantum de iure possunt, Abbatissis & Priorissis; non minus quã religiosi suis superioribus, & Prælatis: ergo ex vi talis traditionis acquirunt dominatiuam potestatem; ex qua nascitur posse easdé subditarum monialium vota cassare. *Confirmatur*. Nã hæc potestas necessaria est ad regimen illius status in Abbatissis: ergo non est illis deneganda. Antecedens probatur: Nam si præfectæ monialium non haberent hanc potestatem, possent moniales se eximere à præfectarum obedientia; allegarent vtique se habere vota incompossibilia his, quæ sibi præcipiuntur: at hoc manifestè præiudicat regimini illius status: ergo non est admittendum. *Confirmatur secundò ratione* D.Tho: quia sicut nullum est tempus, in quo Prælatus vel herus non possit subditum occcupare in obsequijs religionis: sic nullum est tempus, in quo præfectæ monialium nõ possint subditas occupare in obsequijs suæ domus: ergo huiusmodi præfectæ nõ tantum habent potestatem, quàm matres familias supra familiam, sed dominatiuam etiam; quã habent matres naturales, supra filias: at in dominatiua potestate fũdatur facultas, ad irritãda vota.

Maior est difficultas; *an hæc facultas, de qua diximus in assertione extendat se ad vota semel à superioribus confirmata*? Quæ difficultas in duplici sensu potest procedere. Primus, an votum semel confirmatum ab aliquo superiori possit ab eodem, vel à quocunque alio iterum irritari? Secundus est, an non solum validè talis irritatio fiat, verum & licitè? 7

Ratio dubitandi est primò, quia religiosi votum accedente consensu superioris est validum & firmum; non minus, quàm alterius cuiuscunque secularis: ergo sicut hoc nõ est irritabile, ita neque illud. Antecedés probatur: Nã votum factum ex superioris consensu habet maiorem firmitatem, quàm ante consensum illius, vt expressè affirmat D.Thom. in articulo: non aliam nisi quod non potest irritari: ergo. *Confirmatur primò*. Qui semel concessã & trãslata in alterum re sua; si absque causa reuocet postmodum donationem, iniuriam infert alteri; ergo Prælatus si semel concesserit subdito facultatem ad vouendum, iniuriam irrogabit illi, si absque causa talẽ reuocet facultatem. *Confirmatur secundò*. Prælatus reuocãs facultaté, peccat mortaliter, vt videbimus; ergo subditus non tenetur obedire, & non obstante reuocatione tenetur implere promissũ.

D. Thom.

Secundò arguitur. Mancipij promissio facta ex concessione domini, non potest à domino irritari, ergo nec promissio religiosi semel à superiori confirmata. *Probatur antecedens*, Nam si herus

per

per publicum instrumentum concederet prædictam facultatem; is, cui fit promissio, si illam acceptauerit, acquirit ius iustitiæ commutatiuæ ad rem promissam: non poterit ergo herus talem promissionem irritam facere.

8 In hac difficultate quædam sunt certa, quædam verò dubia. Et à certioribus incipiendo *dico primò*.

Votum semel confirmatum ab vno superiori ab alio succedente cum æquali potestate poterit irritari. *Exēplū* sit: emisi votum de recitādis Psalmis pęnitentialibus, quod prior cōfirmauit: subsequens in eodem officio illud poterit irritare. *Probatur*. Præcedens Prælatus nō potest alterius potestatē minuere: ergo subsequēs Prælatus poterit subditorum vota irritare; aliàs eius potestas esset diminuta. Antec. prob. nam par in parem non habet imperiū. *Conf.* nā ita expedit ad debitā illius status gubernationē. *Prob.* quia si subsequēs Prælatus præciperet subdito sic habenti votum confirmatum aliquid in compossibile cum actu promisso, posset imò deberet non obedire Prælato in re illa: quia obediens faceret contra votum: quod haud dubium, quin magnam pareret confusionem, & perturbationem in regimine: ne ergo in hoc inconueniens incidamus; fatendum est subsequentem Prælatum posse annullare subditorum vota: etiam à præcedentibus Prælatis confirmata.

9 *Dico secundò*, certum etiam esse, posse superiorem Prælatum irritare vota subditorum confirmata ab habentibus inferiorem potestatem non tamen è conuerso. *Exemplum sit*: Prouincialis potest irritare promissiones confirmatas à Prioribus conuentualibus: non tamen poterunt Priores conuētuales annullare vota subditorū à Prouincialibus confirmata. *Et ratio vtriusq; partis manifesta est*: Nam sicut superioris potestas indepēdens est omninò ab inferiori; ita inferior à superiori dependet: ergo votū à superiori semel confirmatum, independenter ab inferiori Prælato validum est, & firmum. & consequenter non poterit annullari ab inferiori Prælato: & è contra, quia potestas inferior dependet à superiori, nihil potest per inferiorē potestatem ita firmiter stabiliri, quin possit per superiorem annullari.

10 *Dico tertiò*. Superior, qui semel concessit facultatem subdito ad emissionem voti, vel emissum confirmauit; si postea irritet, factum tenet, & subditus in conscientia manet liber ab obligatione promissi. Hæc assertio non est ita certa, sicut præcedentes: nam contra eam docet Richardus *dist.* 38 *art.* 4. *quæst.* 3. quod si votum sit semel approbatum à superiori, ab eodem non poterit irritari: imò neque super illud cadit illius Prælati dispensatio. Sed nostram assertionem defendit Panorm. in capit. *scriptura.* de voto. Abulensis nū. 2. quæst. 43. Syluester verbo *votum* 4. quæst. 2. circa finem, Sotus *quæstion.* 3. *articul.* 1. §. *maiori autem ambigendi*, Ludouic. Lopez *capit.* 48. §. *peccant Prælati*, Aragon. *articul.* 8. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 73. Caietanus artic, 8. §. *in eodem arti.* qui omninò videndus est. Hæc conclusio intellecta

Richar. *Panorm.* *Abulen.* *Syluest.* *Sotus.* *Ludo. Lop.* *Aragon.* *Nauar.* *Caiet.*

de votis realibus: aut mixtis antequam promissio adimpleatur, manifestè probatur à Caietano, supponendo, quod quando superior consentit voto subditi, non transfert simpliciter rem promissam in dominium subditi, sed limitat ad exhibendum Deo: & ideò dominium rei promissæ simpliciter manet in superiori. Apponit exemplū in vxore ex facultate mariti vouente vas argenteum: non enim potest vxor facere de illo vase, quod voluerit: sed tantum potest ex vi concessæ facultatis illud exhibere Deo.

Ex hoc principio probatur cōclusio. Nā postquam superior semel concessit subdito facultatē, adhuc manet absolutè & simpliciter dominus rei promissæ: ergo absolutè potest irritam facere subditi promissionem. Probatur consequentia, quia irritatio supra dominium fundatur, & ad dominium sequitur.

Si verò conclusio intelligatur de votis merè personalibus, vt quando religiosus vouet ieiunare, aut aliquos Psalmos recitare, probatur etiam, 11
quia superior concedens subdito facultatem ad hæc vota emittenda, non vult abdicare à se dominium, quod habet supra actus inferioris. Nec ex vi facultatis concessæ extrahitur à dominio Prælati: ita quod maneat subditus sui iuris, sed semper intelligitur cum dependentia à superiori: ergo eius votum irritari potest à Prælato.

Ex his colligitur vltima pars conclusionis: videlicet subditum facta reuocatione facultatis à superiori manere tutum in conscientia: quia ex quo subditus non est dominus rei promissæ, & semper est sub dominio superioris; non tenetur illo renuente exhibere id, quod non est in eius potestate. Circa hanc conclusionem *nota*, quod votum semel irritatum ab vno superiori, mortuo illo nō reuiuiscit: sed semper manet irritum iuxta regulam iuris: *Obligatio semel extincta nunquam reuiuiscit*. leg. *cum ex causa*. Cod. de remissione pignoris: & in cap. *quidam*, & in cap. *placet* de conuersione coniugatorum diffinitur, quod votum semel extinctum, nunquam reuiuiscit.

Dico quartò. Prælatus reuocans sine causa facultatem semel concessam, peccat mortaliter. Hanc conclusionem defendunt Autores citati pro præcedenti cōclusione, quia omnes ferè excipiunt casum, quo Prælatus reuocat iusta exigēte causa: & quamuis Caiet. absolutè doceat peccare mortaliter, proculdubio eius doctrina limitāda est iuxta nostram quartam assertionem. *Probatur conclusio primò* ex sacra scriptura Nu. 30. vbi dicitur: quod si vir postquā semel cōsēsit vxoris voto, contradixerit, portabit ipse iniquitatē eius: ex quo loco vtraque nostra conclusio habetur, & quod reuocatione facta, vxor manet libera ab obligatione voti: & quod vir reuocans facultatem peccati. Videndus est D. Ambr. lib. *de paradyso cap.* 10. Augu. *super Num. q.* 59. *relatus.* 33. *quæst.* 5.

Num. 30. *Ambros.* *August.*

12 Deinde probatur ratione Caietan. quia licet Prælatus habeat dominium rei exhibendæ, & promissæ Deo: tamen res illa obligata est Deo per

per votum ſubditi factum ex cõſenſu ſuperioris: ergo ſi irritet votum ſine cauſa, violator eſt fidei, & religionis: & cõſequenter peccat mortaliter in re graui; venialiter verò in leui: cauſa autẽ ad hoc, quod irritatio licitè fiat, maior exigitur, quàm quæ ſufficeret ad denegandam à principio facultatẽ, vt benè adnotauit Suar. *loco citato.* *Suarez.*

Ad argumenta initio diſputationis obiecta *reſpondetur.* Ad primum dupliciter poteſt intelligi votum emiſſum à ſubdito ex ſuperioris conſenſu eſſe magis firmum, quam ante cõſenſum. Primò ita eſſe firmum, & ratum; vt ſine cauſa irritũ fieri non debeat; & hoc verum eſt. Secundò ita firmum, & validum eſſe: vt etiam ſi ſuperior velit illud irritare, non teneat irritatio: & hoc falſum eſt, vt oſtendimus aſſertione tertia.

13 *Ad primam confirm. reſp.* concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia in caſu antecedentis per donationem, & acceptationem illius, acquiſiuit ius iŭſtitiæ donatarius ad rem illam: & conſequenter ei fit iniuria, ſi res iterum ab illo remoueatur: in caſu verò conſequentis ſubditus nullũ ius acquirit ex cõceſſione ſuperioris: quia ſemper eius voluntas conſideratur cum dependentia à ſuperiori; & reuocãs facultatem illi cõceſſam, nullam irrogat illi iniuriam. *Ad ſecundam confirm. reſp.* non ſemper peccat Prælatus reuocãs facultatem: ſed ſi id egerit ſine legitima cauſa: & quando antecedens eſt verum; ſcilicèt quando reuocat ſine cauſa, retinet apud ſe rem, cuius eſt ſimpliciter dominus: & ideò poteſt illi ſubditus licitè obedire: ſicut quis habens pecunias apud alterum depoſitas, ſi eas petat etiam prodigè cõſumpturus, poterit depoſitarius, imò & debet, eius votis annuere.

14 *Secundum argumentum* petit, an dominus poſſit ſeruorum vota irritare? & quæ? Pro cuius deciſione dico primò. Nullum votum reale ſerui eſt validum per ſe loquendo ſine conſenſu heri: & conſequenter poteſt herus quamcunque mãcipij irritam facere promiſſionem. Hoc dictum manifeſtum eſt: quia quidquid ſerui eſt, domini eſt: ergo ſine conſenſu domini, non poteſt validè reale votum emittere, & ſi emiſerit irritari poteſt. *Ad dominus poſſit ſeruorum vota irritare?*

15 *Dico ſecundò.* Herus poteſt irritare vota mancipij perſonalia, quæ vergunt in præiudiciũ domini: v.g. votum peregrinandi, votum ieiunãdi, aut macerandi corpus: ſi his ita attenuaretur, vt exequi non poſſet munera ſibi iniuncta à domino: non tamen poteſt irritare vota perſonalia, q̃ non præiudicant domino, vt votum caſtitatis, audiendi Miſſam diebus feſtis, vel orandi per aliquod breue tẽpus. Prima pars habetur expreſſe à D. Tho. art. 8. ad ſecundum in hæc verba: *Seruus, quia eſt in poteſtate domini, etiam quantum ad perſonales operationes, nõ poteſt ſe voto obligare ad Religionem, per quam ab obſequio domini ſui abſtraheretur.* Hæc ille. In quibus habet primam partem noſtri aſſerti; & rationem pro vtraque: quia herus habet dominium ſupra operationes perſonales mancipij, in quantum per eas poteſt ei obſequiũ præſtare: ergo ſi voueat aliquid, per quod ſe ſubtrahat ab obſequio domini, non habet ſine conſenſu domini firmitatem; & ideò poterit irritari: & è contra: ſi voueat aliquid, quod nullum afferat domino præiudicium, firmum erit, ac ſtabile: quia in hoc non dependet à domino: & conſequenter votum ſic emiſſum non poteſt irritari.

Quid ſi ſeruus voueat aliquid implendum tempore libertatis? numquid poterit irritari? verbi gratia: vouet ſeruus ingredi religionem, ſi libertati donetur, vel ieiunare &c. Negat Caiet. *art.* 8. circà vota ſubditorũ; vbi vniuerſaliter dicit; quod ſi quis ſubditus voueat aliquid tempore, quo eſt ſubditus, implẽdum tamen tempore: quo ſit ſui iuris: v.g. vouit nupta peregrinationem implendam tempore viduitatis, aut filius implendam tempore emancipationis, aut ſeruus poſtquam à ſeruitute liberetur, talia vota non poterunt irritari. Sylu. *verbo relig.* 2. §. 15. *verbo votum.* 4. §. 2. docet vota ſic emiſſa ab impuberibus, & religioſis, poſſe inualidari à ſuperioribus: non verò vota emiſſa ab alijs ſubditis. 16 *Votum serui implendum tempore libertatis an poſſit irritari? Caiet.* *Syluest.*

Exiſtimo tamen ſub diſtinctione dicendum; quod ſi votum ſubditi implendum tempore futuro, pendeat in executione ab aliquo, quod tẽpore emiſſionis voti eſt ſub dominio ſuperioris: poterit irritari votum. Secus autem ſi votum impleri poſſit independenter ab eo, q̃ modo eſt in poteſtate ſuperioris: v.g. vouet mancipium ingredi religionem, ſi fuerit à ſeruitute liberatus: votum hoc in ſui executione ſolum dependet à voluntate mancipij, quæ non eſt ſub domini poteſtate ſimpliciter: ſed ſolùm in quantum poteſt dominus impedire voluntatem ſubditi, ſi eius præiudicet poteſtati, hoc votum validum eſt, & firmum. Hæc doctrina probatur ex præcedenti aſſertione: Nam dominus ſolùm poteſt irritare vota ſubditi, in quantum ei afferunt præiudiciũ: ſed quæ implenda ſunt in futurum independenter: omninò ab eo, quod modò eſt in eius dominio, nullum afferunt præiudicium: ergo irritari non poſſunt: ſi verò in executione pẽdeat ab eo, quod eſt in dominio ſuperioris, præiudicat ſuperiori: & ideò impedire poteſt executionem, vel etiam irritare votum. Dices. Per huiuſcemodi votum promittitur res pro illo tempore, quo non erit in poteſtate ſuperioris: ergo ſine conſenſu ſuperioris eſt firmum, & caſſari nõ poteſt. *Dico*, quod ſi tale votum fuit abſolutum de re, quæ erat in poteſtate ſuperioris: ſatis eſſet vt irritari poſſit, quod tempore promiſſionis res ſit ſub dominio ſuperioris. Cæterum ſi votum eſſet conditionatum, ſi tẽpore futuro habuero in poteſtate mea rem, quæ modò eſt ſub dominio ſuperioris, exhibeam illam Deo &c. adimpleta cõditione votũ eſt firmũ, & annullari non poteſt. 17

Ad ſecundum arg. reſp. neg. anteced. Etenim per promiſſionẽ rei non acquiritur dominiũ illius, ſed manet apud dominũ priorẽ: & ita ſi ſuperior ſibi retineat rẽ ꝓmiſſã, & reuocet facultatẽ; factũ tenet: ſicut ſi aliquis det nũmos, quos dat ꝓcuratori, vt ſoluat creditoribꝰ: etiã ſi procurator ſoluere promiſerit, ſi ãte q̃ de facto exhibeat, auferat

ferat à procuratore, factum tenet. Ad probationem antecedentis reſpondetur: quando dominus per publicum inſtrumentum concedit facultatem, quaſi virtualiter promittit ſe non reuocaturum huiuſmodi facultatem, aliàs fruſtra ſolemnitas illa ad conceſſionem adderetur: & ideò ex vi promiſſionis non reuocandi conceſſam facultatem, obligatur vel ex iuſtitia, vel ſaltem ex fidelitate, ad non reuocandum eam; non verò ex vi conceſſionis præcisè.

DISPVTATIO III.

An vir poſsit in vniuerſum omnia vota vxoris irritare?

1 VIdetur vera pars negatiua primò. In multis mulier non eſt ſubiecta viro; ſed ſine eius licentia poteſt multa facere: ergo à fortiori poterit vouere. *Antecedens probatur*: quia mulier eſt ſocia viri: & ideò poteſt orare, ieiunare, eleemoſynam facere; præſertim ſi ſit nobilis.

Secundò. Vir ſolùm poteſt irritare ea vota, quæ aliquod præiudicium illi afferant, vel in ordine ad vſum matrimonij, vel educationem filiorum, vel gubernationem familiæ: ſed ſunt plura vxoris vota, quæ in ordine ad hæc nullum viro afferunt præiudicium: ergo illa irritari non poſſunt. *Maior probatur*: nam ſubiectio vxoris ad virum naſcitur ex vinculo matrimonij; aliunde enim oriri non poteſt: ſed ex vi talis vinculi ſolùm ſequitur ſubiectio in ordine ad præfata; nam nulla maior neceſſaria eſt. Igitur ſi quæ ſunt, quæ in ordine ad hæc non afferunt præiudicium, in illis ſubiecta non eſt. *Minor probatur* primò in votis caſtitatis coniugalis; vel in voto non petendi debitum: ſecundò in votis de adimplendis præceptis neceſſarijs ad ſalutem: tertiò in votis factis pro tempore viduitatis, quia in his neque quoad præſentem obligationem, neque quoad executionem futuram eſt ſubiecta viro.

2 Sotus *lib.7. de iuſtitia q.3. ar.1. & in 4. d.32. q.1. art.3.* docet virũ in vniuerſum poſſe omnia vxoris vota irritare, etiam vota emiſſa de obſeruatione præceptorum: in omnibus enim his æquiparat virum reſpectu vxoris Prælato reſpectu religioſi. Sequitur Sotum Sanctius *lib.9. de Matrimonio, diſ.39. n.4. & ſeq.* Vterque fundatur in eo quod, quoad nouam, & ſuperadditam obligationem voti in omni materia vxor eſt ſubiecta viro. Caiet. verò art. præced. tenet virum nõ poſſe irritare omnia vxoris vota, maximè quæ habent pro materia præcepta neceſſaria ad ſalutẽ ſpiritualem conſequendam. Sylu. *verbo votum.5. §.1. & 2.* docet vxoris votum de his, quæ poteſt facere ſine licentia mariti, validum eſſe, & firmũ ſine viri conſenſu: & ideò irritari non poſſe.

Hanc eandem ſententiam latius proſequitur Suarez *lib.6. cap.4. num.4. & ſequentib.* reſtringens viri poteſtatem ad irritanda ea vota præciſè, quæ ſibi, ſuæque familiæ, vel gubernationi afferunt præiudicium; quam poteſtatem ineſſe vxori in ordine ad vota viri, quæ in eius cedunt præiudicium incunctanter affirmat, allegans pro ſua ſententia D. Thom. in 4. diſtinct. 88. qu. 1. art.1. q.3. ad 4. quatenus aſſerit. *In his, in quibus vxor viro tenetur, & e conuerſo: neuter poteſt vouere ſine mutuo conſenſu, ſicut patet de voto continentiæ: ſed quia in diſpenſatione domus, & regimine vitæ, mulier eſt ſubiecta viro, & non è conuerſo; ideò vir poteſt in talibus vouere ſine conſenſu vxoris, & non e conuerſo.* Sed ex his inſufficienter colligit præfatus Pater votum viri irritari poſſe ab vxore, ſi ſit in præiudicium eius; ſed ſolum infertur virum nõ poſſe vouere in præiudicium vxoris: quæ omnino eſſe diuerſa quis ambiget? Nam irritatio ſupponit obligationem voti, eamque non omninò firmã. Quando autem vir vouet continentiam ſine conſenſu vxoris, votum eſt nullum; & ideò nulla indiget irritatione, vt expreſſè colligitur ex D. Thom. *in 4. d.32. q.1. art.4. in corp.* vbi ex hoc quod coniuges inuicem tenentur reddere debitum, infert ſubſequentia verba: *Non poteſt vnus abſque conſenſu alterius continentiam vouere, & ſi vouerit peccat: nec debet ſeruare votum, ſed debet agere pœnitentiã de malo voto facto.* En D. Tho. non aſſerit vxorem poſſe irritare votum factum in præiudicium eius; quale eſt votum continentiæ mariti; ſed docet illud abſolutè non eſſe votum, ſed peccatum: immeritò ergo pro hac ſententia adducitur.

3 Pro deciſione *dico primo*. Vir non poteſt irritũ facere votum vxoris de non petendo debitum. Aſſertio hæc communis eſt omnibus autoribus ſecundæ ſententiæ. Sed oportet eam explicare, ſupponendo id, quod ex D. Thom. retulimus. Quod licet neuter coniugum poſſit ſine alterius conſenſu votum caſtitatis emittere; votum tamẽ de non petendo debitum quilibet validè emittet. Ratio vtriuſque partis eſt: Nam redditio debiti eſt ex obligatione iuſtitiæ: petitio verò vnicuique eſt libera: ideoque illa non eſt legitima materia voti: iſta verò ſufficiens eſt. Aſſertio ſic explicata probatur ex Cœleſt. III, in cap. *placet* de conuerſ. coniugat. vbi cùm vxor emiſiſſet ſolẽne votum Religionis viuente viro exiſtimãs tamen eſſe mortuum, huiuſmodi votum iudicatur obligatorium quantum ad non petendum debitum; *Eo quod non exigere debitum carnis, in eius eſt poteſtate.* Hanc eandem aſſertionem tuetur D. Auguſt. ſup. *Num. q. 56.* vbi ex profeſſo diſputat, vtrum poteſtas conceſſa viro ad irritanda vota vxoris, ſit extendenda ad vota continentiæ, & abſtinentiæ à concubitu? Et reſpondet. *Vnde non mihi videtur in huiuſmodi votis, &c. etiam iſta debere accipi, quæ inter ſe vir & vxor de concubendo, vel de abſtinentia concubendi placita habuerint.* Et probatur ratione D. Auguſt. Poteſtas viri ad irritanda vota vxoris eſt in ordine ad ea, in quibus eſt ei ſuperior; vt per ſe conſtat, & Auguſti. expreſſe affirmat: at vir & vxor quoad actum coniugij pares ſunt omninò, & æquales: ergo. Prob. minor ex Apoſt. 1. Cor. 7. vbi ſermonẽ inſtituens de coniugatis, quantũ ad actũ cõiugij nullã agnouit maiorem autoritatem in viro, quàm in fœmina: ſed

Marginalia: Sotus. Sanchez. Caiet. Sylueſt. Suarez. D. Thom. D. Thom. D. Augu. 1. Cor. 7.

ſed vxori,inquit,*vir debitum reddat:ſimiliter & vxor viro:vxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir, ſimiliter autem & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier.* Si ergo in hoc(infert D. Auguſt.) æquiparat coniuges Paulus : non debet nec poteſt vir vota vxoris irritare. Confirmatur ex vſu Eccleſiæ, ſecundùm quem videmus ſæpius peti diſpenſationem à Prælato ſuper huiuſcemodi vota. Eamque ſemper eſſe petendam conſulunt communiter Theologi. Signum ergo eſt irritari non poſſe.

4 *Dices*.facilè ad hæc poſſe reſponderi: maximè ad cap.*placet* citatum, in quo præcipuè aſſertio noſtra fundatur. Reſponderi,inquam, poteſt in præfato capitulo ſolùm haberi, votum ſolemne eſſe validum, quantum ad non petendum debitum:non tamen affirmat Pontifex eſſe omninò firmum: quæ longè inter ſe eſſe diuerſa ex ſuperius dictis manifeſtum eſt : ad hoc autem, quod vir poſſit irritare huiuſmodi votum, *sufficit*,illud quamuis ſit validum, non eſſe omninò

D.Thom. firmum ſine conſenſu mariti. Secundò D. Tho. *in 4. diſt.32. quæſt 1. ar.4. ad tertium,* vbi duas recitat opiniones. Prima eſt quorundam aſſerentium poſſe coniugem votum emittere ſine conſenſu alterius de non petendo debitum: quia in hoc vterque eſt ſui iuris:quam improbat: *Quia,* inquit,*ſi alter nunquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium oneroſum redderetur: dum oporteret, vnum ſemper confuſionem debiti petendi ſubire:* & ſtatim concludit:*Vnde alij probabilius dicunt,quod,neutrum* (ſcilicet non petere,& non reddere) *poteſt vnus abſque conſenſu alterius vouere* Igitur in doctrina Diu. Thom. aſſerendum eſt votum de non petendo debitum ſine conſenſu coniugis,irritari poſſe.

5 *Ad primam obiectionem* fateor ſatis apparenter, & probabiliter ſaluari doctrinam illius capituli:probabilius tamen oppoſitum iudico: quia ex ratione illius deciſionis colligitur, nō ſolum votum fuiſſe validum,ſed omninò firmum ſine cōſenſu viri:ait enim Pontifex : *Eo quod non exigere debitum carnis in eius eſt poteſtate:* Ergo in hoc non dependet à viro,neque eſt illi ſubiecta: & conſequenter non poteſt illud votum irritari, tanquam emiſſum à non ſubdito. *Ad 2. obiectionem* Syluest. docet, quod ſi ſit votum de non petendo debitum abſolutè, non eſt validum propter rationem aſſignatam à D.Thom.ſi verò votum ſit de non petendo debitum ratione ſui, validū eſt:& tenebitur non petere ratione ſui, quamuis poſſit aliquando petere ratione alterius : ſed hoc potius eſt reddere,quàm petere: igitur dicendum eſt votum de non petendo debitum abſolutè eſſe validum, & firmum per ſe loquendo:ſi aliquando verò ex accidenti ob confuſionem,& verecundiam alterius coniugis vergat in præiudicium matrimonij & vſus coniugalis; tūc votum vel nullum eſt;& ſic irritatione non indiget:vel ſi validum fuerit,non obligabit pro tūc ex mutatione materię: quia illicitum eſt conari contra bonum matrimonij. Quando verò votum vergat in pręiudicium matrimonij,arbitrio prudentū relinquendum eſt : & ſic intelligitur D.Tho.loco citato in obiectione ſecunda, quādo dixit; *Probabilius eſſe votum de non petendo debitū eſſe nullum:* Scilicèt ſi ex verecundia alterius coniugis: & maximè mulieris vergat in præiudiciū matrimonij:Secus per ſe loquendo de voto petendi debitum: Nam per ſe validum eſt;& firmum,& ideò irritari non poteſt. Eſt ſimile huic, quod aſſerunt autores exiſtimantes non poſſe virum aliqua vota vxoris irritare:vt ſi voueat ieiunare, eleemoſynam facere &c. Etenim ſi mulier videat virum ęgrè ferre adimpletionem voti,& expreſsè contradicere : ita quod prudenter exiſtimat perturbandam pacem ex adimpletione promiſſionis ſuæ; excuſabitur pro tūc ab impletione:non quia irritetur votum, ſed quia ceſſat obligatio ex mutatione materiæ. Tunc enim non cenſetur votum eſſe de meliori bono. Honeſtius eſt enim inter coniuges pacem conſeruari,quàm eorum alterum ieiunare. Idem nos dicimus in propoſito caſu: Quod ſi vir vouit nō petere debitum; quamuis votum per ſe ſit validum; ſi tamen ex eius impletione videat vxorem contriſtari & verecundiam pati, deobligabitur à ſolutione voti propter bonum matrimonij.

Hinc à fortiori colligitur, quòd ſi coniuges mutuo cōſenſu vouerint continentiam, vel mulier de conſenſu viri:non poteſt vir vxoris votum irritare:neque vxor viri. Sententia eſt M. Soti ſuperius relati: quam probat, quia ille eſt veluti quidam contractus; do, vt des: facio, vt facias; renuncio iuri meo ad exigendum debitum; vt & tu renuncies. Similiter idem confirmatur quando alter coniugum emiſit votum continentiæ ex conſenſu alterius: ex cap. *Mulierem 33. q.5.§. Neq; illud otioſum eſt.* Vbi expreſsè habetur. *Vota verò continentia ita alterius permiſſu ab altero valent offerri: quod poſt promiſſionem non valent in irritum deduci.* 6

Et præterea, quia magna eſt inter Doctores controuerſia,an poſſit Epiſcopus in tali voto diſpenſare: an verò ſit Summo Pontifici reſeruatum; & qui mitius in hac parte loquuntur, docent poſſe Epiſcopum diſpenſare, quando non eſt facilis recurſus ad Pontificem : at ſi maritus poſſet irritare tale votum, neque ius tacuiſſet: neque oporteret in tot anguſtias incidere : cum ergo ius hoc non aſſerat,imò oppoſitum dicat, vt vidimus,dicendum eſt non poſſe virum vxoris votum irritare de ſeruanda continentia. Idē tuetur Syluest.*votum* 5. §.2. addit tamen quod ſi ſtante voto continentiæ vtriuſque vnus illorum petat debitum; alter reddendo peccat mortaliter:quia petens illicitè petit:ergo reddēs cooperatur peccato illius. Hoc tamen intelligēdū eſt: quando ex mutuo conſenſu coniuges vouerint continentiam: quia tunc quilibet cedit iuri ſuo: ſecus, ſi vterque ſeorſum ſine conſenſu alterius votum emiſiſſet continentiæ : quia tunc petens peccabit, reddens autem minimè, vt ſuperius dixi: etenim petenti concedit ius, quod habet ſinè eo quod cooperetur peccato illius. Eſt ſimile,ſi quis habens pecuniam apud me depoſitam, petat eam ad luxuriandum me ſciente; petit Syluest.

tit quidem illicitè, sed nō iniustè: vnde si nō possim illū à proposito auocare, nō pecco reddēdo depositum: neq; cooperor peccato illius.

7 *Dico secundò.* Vir potest quæcūq; alia vota vxoris irritare etiam de rebus necessarijs ad salute. Ita M. Sotus *lib. 7. q. 3. art. 1.* Assertio hæc fūdamētum habet in illo. *Nu. 30.* vbi absolutè, & vniuersaliter viris concessa est facultas irritandi vxorū vota: sed illud secundum veriorem opinionē est morale, quamuis quoad determinationem temporis, in quo sit illa facultas exercenda, sit cæremoniale: ergo &c. Deinde probatur ex D. Th. *ar. 8. solutione ad tertium*, vbi æquiparat viri potestatē ad irritanda vxorum vota ei, quam habet Prælatus respectu religiosi dicens: *Nullum votum religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati, sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris: nec vxoris, nisi sit de cōsensu viri.* Si ergo votum vxoris sine consensu mariti non habet firmitatem, ab eo poterit irritari. Similiter D. August. *q. 56. in Numeros* explicans præfatam legem. *Num. 30.* distinguit duo vxorum vota ea videlicet, quæ in domo patris antequam nuberet, vouit, & quæ postea iam nupta in domo viri emisit: & respectu omnium docet D. Augu. virum habere irritandi facultatem.

Sotus. D. Thom.

Si verò quis respondeat intelligendum esse de votis abstinentiæ in cibo, & potu, quæ possunt vergere in præiudicium viri, & vsus matrimonij, non satisfaciet doctrinæ Augustini: quia ipsius verba vniuersalia sunt. *Quæcunque exierint ex labijs eius, &c.* & rursus: *Omne votum, & omne iusiurandū*: Nomine autem abstinentiæ vtitur Aug. generaliter, non prout coarctatur ad abstinentiam in cibo, & potu: sed cuiuscunque alterius rei etiam licitæ: ait enim: *Fæminam sub patre antequam nubat, & sub viro nuptam voluit lex vouere ita aliquid Deo aduersus animam suam: id est in aliquarum rerum licitarum atque concessarum abstinentia.* En nomine abstinentiæ vtitur vniuersaliter: & subdit: *Vt in eisdem votis fæminea non præualeat autoritas, sed virilis.*

Ratione probatur. *Primò*, quia nullum est tēpus, in quo vir non possit vxoris opera ordinare directè vel indirectè ad gubernationem familię: ergo potest vir omnia vxoris vota irritare. Antecedens probatur: Nam ex communi sententia quantum ad ea, quæ pertinent ad gubernationē familiæ vxor subiecta est viro. *Secundò*, & ferè in idem redit, vxor subiecta est viro, quoad omnes eius actiones, præterquàm in matrimonij vsu: ergo vir potest irrita facere omnia illius vota, si non pertineant ad coniugij actum. Antecedens patet, quoniam vir caput est mulieris; capiti verò omnia corporis mēbra subijciūtur, quātū ad suas operationes. Doctrina est D Aug. *quæst. citata in fine*, vbi rationem in homine respectu omnium animalium motionum, comparat ad virum respectu omnium actionum vxoris. Eius verba sunt: *Tunc ratas esse cum rationabiles fuerint* (loquitur de abstinentia quarundam cæremoniarum) *hoc est cū eas approbauerit ratio, quæ ad vicem viri debet regere omnem animalem motionē, quæ fit non tantum in appetendo, verū etiā in abstinēdo: vt si mente, & ratione decernitur, tunc fiat: si autem improbatur cōsilio rationis, nō fiat: quod si ratio quod prius rectè faciendum esse decreuit, post improbet fit peccatum consilij: sic tamen vt non nisi rationi motio illa consentiat.* En qua ratione D. Augustinus moralizans legem illam Numerorum subijcit omnem hominis actionem rationi, vt ipsa approbet vel improbet, & iuxta eius consilium fiat, vel non fiat: quia habet vicem viri, ad quem pertinet dirigere omnem actionem vxoris, vt iuxta eius consensum & approbationem fiant.

Sed dubitabit quispiam, an votum semel à viro confirmatum possit ab eodem irritari? Cum proportione ad ea, quę de Religiosis diximus in simili dubitatione, *respondēdum* est. Si irritatio fiat voto semel confirmato valida est, sed illicita, vrgente causa eam non exigente. Habetur in lege Numerorum citata, & à D. Augustino, vltimis verbis adductis. Ratio verò eadem est atq; de Religiosis: & ne sæpius eadem repetamus vide ibi. Dixi nulla vrgente causa exigentem irritationem: Nam Diuus Antonin. 3. p. *arte titul. 1. cap. 22.* Maior *in 4. dist. 28. quæst. 4. dubit. 1.* docent licitè posse virum votum vxoris semel confirmatum ex rationabili causa reuocare. 8

D. Anton. Maior.

Dico tertiò. Nullum viri votum potest vxor irritare: quia vxor non est superior viro, sed potius ei subiecta, vt capiti, iuxta dictum Pauli: *Caput vxoris vir, sicut Ecclesia Christus*: ergo vxor non habet facultatem irritandi vota mariti: etenim irritandi facultas superioris non inferioris est. *Sed dices*, irritare absolutè non esse actum superioris, sed cuiuscunque, siue sit æqualis, siue inferioris, habentis tamen dominium rei promissæ: vt si superior voueat rem, quæ est sub dominio inferioris: poterit inferior irritare superioris promissionem derogando facultatem alienandi rem suā: sic in proposito de vxore respectu viri dicendū videtur. *Sed qui sic diceret*, non satisfaciet argumento: & ratio discriminis est, quia in casu antecedentis nō apposita conditione, & cōsensu alterius ad alienandum rem promissam, votum est nullum: non quia propriè votū irritetur: etenim hæc supponit obligationem voti, vt diximus: sed quia votum illud conditionatum est, & non adimpleta conditione non obligat: at in casu assertionis nostræ, supponitur obligatio voti independens à consensu vxoris: qua supposita obligatione argumentum conuincit non posse auferri nisi per superiorem potestatem. *Et confirmatur*: tum ex cap. *mulierem 33. q. 5* vbi habetur nullam inesse mulieri potestatem: sed in omnibus viri dominio subiectam: tum *Num. 30* vbi verba faciens sacer textus de potestate irritandi vota, nullam vxori facultatem concedit respectu viri. 9

Sed obijcit Suarez D. Th. in 4. dist. 38. q. 1. art. 1. q. 3. ad 4 asserentem: *In his in quibus vxor viro tenetur, & è conuerso neuter potest vouere sine mutuo consensu, sicut patet de voto continentiæ*: ergo vota viri emissa de his, in quibus vxori tenetur, sunt irritabilia, vtpote dependentia à consensu vxoris: *Confirmatur.* Nam si vir voueat facere copiosam eleemosynam, vel pium opus: quod implere non possit, nisi alienando aliquid de bonis 10

Suarez. D. Thom.

bonis vxoris, constat tale votum non esse validum, nisi de consensu vxoris: igitur ab ea poterit irritari. Pro solutione horum dico, quod si vir voueat aliquid in præiudicium, vel fraudem matrimonij, votum est nullum: & ideò nulla indiget irritatione: v.g. si longam peregrinationem vouit, (excepta peregrinatione terræ sanctæ, de qua statim,) vel si magnam eleemosynam taliter quod esset prodigalitas adimpletio illius, illa vota essent nulla, nullamque obligationem inducerent: quia de materia illicita: si verò peregrinatio, & eleemosyna pensatis omnibus circunstãtijs essent actus virtutis: vota essent valida & firma: & de his dicimus non posse ab vxoribus irritari.

11 Ex quo ad propositas obiectiones, *respondetur*, Ad primam ex D.Tho. dico expresse illum loqui de materia continentiæ, in qua iam diximus votum viri non esse validum: & ideò nihil contra præfatam doctrinam. Quod si contendas eũ vniuersaliter loquutum nõ solũ in materia cõtinentiæ, sed in quacunque alia, in qua sit subiectus vxori: intelligendus est iuxta ea, quæ diximus: videlicet non solùm non posse firmiter vouere, sed neque validè: & ex hoc ad secundam obiectionem respondetur eodem modo. Ad illud verò de peregrinationis voto, si cedat in vxoris præiudicium similiter dicimus esse nullum: solùm est specialiter adnotandum, id quod habetur in cap. *ex multa.* §. *in tanta*, circa votum peregrinationis in subsidium terræ Sanctæ: vbi dicitur: *Viri præter vxoris assensum huius peregrinationis propositum vouere liberè valent, & quod vouerint liberè adimplere.* Imò si in periculum sit incontinentiæ vxoris, vir poterit votum hoc redimere, vt colligitur ex Diuo Thoma, quodlib. 4. articul. 11. *D. Thom.*

12 Ad argumenta in principio adducta *respondetur*. Ad *primum* nego antecedens: diximus enim in omnibus suis actionibus mulierem viro esse subiectam: exceptis, quæ ad vsum attinent matrimonij, in quibus cum Apostolo coniuges pares iudicauimus: & quamuis possit aliquas eleemosynas facere, sine licentia mariti: tamen non potest ad illas faciendas se voto firmiter obligare, quia quoad nouum vinculum, & obligationem subdita est viro. *Ad secundum respondetur*, concedo maiorem, & nego minorem: ad primã probationem iam dixi in materia castitatis, & continentiæ vtrumque coniugem esse parem, & sic neutrum posse sine alterius consensu validè votum castitatis emittere: sed tale votum esset nullum: si verò votum tantùm sit de non petendo debitum per se loquendo validum est, quia in hoc non subditur vnus alteri. Ad probationẽ distinguo antecedens: non subditur vxor viro in materia necessaria præceptorum quoad nouum vinculum & obligationem nego antecedens: absolutè, transeat: & ex illa parte votum est irritabile. Et eadem solutio applicanda est ad tertiã probationem, pro cuius solutionis ampliori intelligentia, reuocanda sunt in memoriam, quæ supra de Religiosis adnotauimus.

DISPVTATIO IV.

An pater possit filiorum vota irritare?

Videtur quod non, primò quia vel iure positiuo, aut naturali. Non naturali, quia in c. *puella.* 20. q. 2. solùm asseritur posse parentem irritare votum Religionis: *& in titulo de regularibus in Decretis, & in 6.* idem habetur: ergo potestas hæc non fundatur in iure naturali. *Prob. conseq.* quia aliàs extenderet se ad omnia vota filiorum. Sed neque iure positiuo: quia neque Ecclesia, neque eius Prælati habent potestatem, vt supra vidimus ad irritanda secularium vota: ergo non potest Ecclesia tribuere parentibus potestatem ad irritandas promissiones filiorum. 1

Pro decisione *primò notandum est*, filios respectu parentum posse in multiplici statu considerari, vel enim sunt intra annos pubertatis, vel extra illos, similiter aut sunt emancipati à patria potestate, vel nondum sunt emancipati: Annũ pubertatis diximus circa explicationem articuli respectu viri esse quartum decimum, respectu fœminæ duodecimum, in Conc. tamen Trid. statutum est respectu solemnis voti Religionis ãte sextum decimum annum expletum esse omninò inualidum. *Secundò notanda est* doctrina D. Tho. in articulo, in quo docet duplici ex causa infirma esse puerorum vota, vel ex rationis defectu, vel quia non habent dominium supra rem votiuam: ex prima colligitur pueros ante annos pubertatis non habere perfectum dominium etiã actionum personaliũ. Etenim licèt cõpotes sint rationis, ex eo tamen quod imperfectum habent rationis vsum, cõcessit natura parentibus, vt pro eo tẽpore eorum suppleant imperfectionẽ: ac proinde eadem natura dominiũ concedit parẽtibus supra actiones personales filiorum, intra annos pubertatis degentium: sicuti de vxoribus diximus disp. præced. tradidisse per suum cõsensum viro supra omnes actiones personales plenam potestatem. His præhabitis

Dico primò. Parentes non possunt irritare vota filiorũ personalia, emissa post annos pubertatis: benè tamẽ vota realia ante vigesimum quintum annũ expletũ, vel etiã post illum, si tamen fuerint ante emancipationem emissa. Dixi, *ante emancipationem*: quia emãcipati ante vigesimũ quintum annum sunt sui iuris, & suorum bonorũ liberã habent administrationem: ideoque de illis, sicut de non subditis iudicandum est: vt notauit Sylu. verb. *Emancipatio*, verb. *patria potestas*, Cou. in 4. p. c. 7. §. 1. n. 13. Prima pars huius asserti negatur à Tab. verbo. *votũ*. 5. n. 5. existimante patriam potestatem se extendere ad irritandas omnes filij promissiones, etiã post annos pubertatis factas: nisi sit votum Religionis, quod ex speciali priuilegio subtrahendũ est à dominio parẽtũ: cõuincitur ex lege *Nu.* 30. in qua absolutè decernitur posse parẽtẽ irritare promissiones filiæ in puellari ætate existentis: vbi puellaris ætas etiã pubertatẽ com- 3 *Syluest. Couar. Tabien.*

Angles. complectitur. Imò ex hac eadem lege Angl. *q. de voto art. 7. difficult. 12.* docet posse parentē omnia filiorum vota extinguere, nullo (etiam Religionis) excepto, quamtumuis post annos pubertatis fuerint emissa, quia lex (inquit) de votis tantum fœminarum disponit, nō filiorum: sed nostra assertio est expressa D. Th. in fine art. asserētis: *Post annos pubertatis possunt se iam voto Religionis obligare vel simplici, vel solemni absq; voluntate parentum*: vbi D. Th. licèt solùm sit expresse locutus de voto Religionis, absolutè de omnibus personalibus intelligendus est, quia ratio de omnibus procedit æqualiter: D. Tho. sequuntur eius discipuli, Caiet. Sot. Syl. ver. *Religio. 2. q. 15.* & prob. ex c. 1. 20. q. 2 ibi *parentibus sane filios, &c.* & ex 2. c. ead. q. ibi *si verò in fortior ætate* (id est post annos pubertatis; nam contraponit fortiorem ætatem ætati ante annos pubertatis) *adolescentula vel adolescens seruire Deo elegerit, non est potestas parentibus probibendi.* Ecce qua ratione Ang. absq; fundamēto distinguit de promissionibus filiarum: & *probatur*: quia filius post annos pubertatis expletos habet suarum actionum personalium plenum dominium: ergo potest se voto adstringere non solum validè, sed etiam firmiter, absq; parentum consensu, & consequenter huiusmodi vota non poterunt irritari. Antecedens ex eo conuincitur: quia tota subiectio filij ad patrem quoad actiones personales, prouenit ex rationis defectu, sed puer post annos pubertatis habet perfectum vsum rationis: ergo non est subditus patriæ potestati, quantum ad dispositionem personæ: ergo verum habet dominium actionum personalium. Verba verò ex Num. citata. *in ætate adhuc puellari*, de impubertate intelliguntur à Glossa ordin. *Adhuc tenera*, inquit, *cui pater dominatur in votu*: perpende proprietatē vocis, *tenera*: quæ omni dubio procul ætatem infantilem designat: idem colligitur ex interlineali: vel si mauis dicito cum Abul. q. 19. & 20. & legem illam quoad irritationē votorum tempore pubertatis fuisse positiuam: & quoad hoc iam cessasse.

D. Thom. Sotus. Caieta. Syluest. Gloss. Abul.

4 *Secunda pars* nostri asserti manifestior est, vniuersaliq; Ecclesiæ consuetudine, & vsu comprobata: eam tuetur D. Th. *ar. 8. ad secūdum*, Schol. *in 4. dist. 38.* Rich. *a. 4. q. 2.* Pal. *q. 3.* Ant. *2. p. tit. 11. c. 2. §. 6.* summistæ ver. *irritatio*, ver. *votum*, Nau. n. 70. Pan. c. *scriptura*, de voto. Prob. quamuis filius pubes habeat perfectum vsum rationis, & ex hac parte possit validè votum emittere: tamen toto tempore emancipationē antecedenti, subditus est patriæ potestati, quantum necesse est ad bonam familiæ gubernationē: ergo quamdiu filius hanc habet subiectionē, pater potest omnia illius vota irritare, quæ quoquo modo impediunt, aut præiudicium afferunt patriæ potestati. *Confi.* Filij puberes non habent dominium supra bona paterna: ergo si aliquod votum emittant paternis bonis implendum, non erit firmum absque parentis consensu, & ab eo poterit irritari: quia nullus firmiter vouet rem alienam.

D. Thom. Richard. Palud. Anton. Panor.

Ex hac ratione colligitur excipiendum ab hac regula votum filij puberis de bonis, & peculio (vt aiunt castrensi,) quia nec defectus rationis, nec dominij impediunt, quominus huiusmodi vota sint omninò firma, & irritabilia. Excipit etiam Nauar. num. 70. Syluest. verb. *votum. 3. q. 6.* votum peregrinationis in subsidium terræ Sanctæ, conuicti doctrina à nobis tradita ex cap. *ex multa* vbi conceditur viris facultas, vt inuitis etiā vxoribus possint adimplere votū peregrinationis in subsidiū terræ Sanctæ: ergo idem à fortiori dicendum videtur de filio puberi respectu parentum: nimirum quod illis inuitis possit filius hoc votum adimplere: plus enim præiudicat vir vxori: in hoc casu, quàm filius patri. Sed extensio non est admittenda: nisi forsan posset filius assistēs solùm personaliter, nullūq; inferēs præiudiciū patri votum emissum adimplere: secus si bonis paternis implēdū esset: Nec simile de viro quidquā cōuincit: nā vir habet liberā bonorū administrationem, non filius: nec etiam si esset similitudo, ius illud extendendum esset in præiudiciū patris.

Nauar. Syluest.

5 *Dico secūdò.* Pater potest irrita facere omnia vota filiorum siue realia siue personalia ante annos pubertatis emissa. Oppositum tenet Vivald. *in Candel. 3. p. cap. 4. num. 99.* limitans patris potestatem, ad irritanda ea solùm vota filiorum, quæ in præiudicium vergūt patriæ potestatis, eam tamē tenet D. Th. in præsenti: quem omnes eius discipuli sequuntur, Sotus q. sæpè citata, Sylue. verb. *votum. 3. q. 5.* Nau. cap. 12. num. 64. estque cōmunis Scholasticis in 4. dist. 38. cum eodem D. Tho. ibi: & probatur expressis iuribus. 20 q. 2. c. *Puella si ante duodecim annos ætatis sponte sua sacrum sibi velamen assumpserit: possunt statim parentes eius, vel tutores id factum irritum facere si voluerint.* Et ex Concilio Illiberitano relato. 22. q 5. cap. *Pueri ante quatuordecim annos* Idem diffinit Alexan. III. cap. *significatum.* Clem. III. *cum verum.* Probatur secundò ratione, & quidem quoad vota realia eisdem argumentis, quibus præcedentem confirmauimus: quæ efficacius procedunt de votis ante pubertatem, quàm post illam emissis, de personalibus verò, quia filius ante annos pubertatis subditus est naturaliter patriæ potestati quoad omnes eius actiones: ergo nullum eius votum est omninò firmum sine consensu parentis. Antecedens probatur, quia in illa tenera ætate non habent perfectā libertatē: debuit ergo natura illos patriç subijcere potestati, vt commodis filiorum pater prospiceret: maximè quantum ad hoc, quod est nouam super se voti obligationem inducere: ad quam requiritur deliberatio perfecta, & quod ex proposito fiat in vtilitatem vouentis. Ratio hæc, cùm in natura habeat fundamentum, efficaciter conuincit parentum facultatem ad irritanda filiorum vota ex ipsa natura traxisse originem: dependet tamen quoad computandos, & determinandos pubertatis annos ex iure Pontificio: quia cùm non habeatur tempus aliquod præfixum, in quo certum sit pueros perfectam habere libertatem, etenim in alijs citius, in alijs tardius rationis lumen oritur: decuit ab habente potestatem tempus designari, in quo certum sit, vt in plurimum, pueros perfectam potiri libertatem: quod si intra tempus præfixum contigerit aliquando accelerari rationis vsum, etiam si id certò

Vivald. D. Thom. Sotus. Syluest. Nauar.

certò certius cõstiterit, non ideò filium subtrahi à patria potestate censendum est, vt notauit Syl. verb. *Religio.2.q.12.* Palud. *in 4.dist.38.q.* 4. & alij

Syluest. *Palud.* doctores iura citata interpretãtes: in quibus decernitur impuberis voluntatem vsque ad illud simplicieter subdi patris voluntati.

Dico tertiò. Pater potest post annos pubertatis
6 irrita facere omnia filiorum vota siue realia, siue personalia, ante annos tamen pubertatis emissa: v.g. vouit filius ante annos pubertatis castitatẽ, pubes factus incipit obseruare illud existimans ad id teneri, poterit pater votũ illud irritare: nisi filius expletis annis pubertatis idem votum cõfirmauerit. Sententia est *Cai.2.2.q.189. art.5.* quẽ

Caiet. *Nauar.* iuniores communiter sequuntur, & Nau. *c.12.n.* 71: *Prob.* Votum ante tẽpus pubertatis emissum est infirmum, vtpote conditionale depẽdens in sui firmitate à consensu parentum: igitur nisi in debita ætate fuerit confirmatum, semper manet irritabile: ergo si parentes cõtradicant extinguitur votum: quia cessante conditione à qua dependet essentialiter votum, cessat etiã obligatio eius. *Conf.* facultas concessa est parentibus ad irritanda filiorum vota, ante annos pubertatis emissa propter imperfectionẽ filiorum. & vt parentes debitè possent ipsorum cõmodis prospicere: sed ex hoc, quod filij annos pubertatis attigerint, nõ desinit esse temerariũ aut incõsultum, quod ante annos pubertatis promiserant: ergo semper manent patriæ subiecti potestati quoad actiones, & promissiones factas tẽpore impubertatis.

Contra hanc sententiam tenet Sotus, *q.3.ar.2.*
7 *Sotus.* *Arag.* & Arag. hic: quia potestas ad irritanda vota tãtùm durat vsque ad designatum tempus à lege: sed huiusmodi est tempus pubertatis: ergo illo adueniente cessat potestas irritandi. *Conf.* si mancipium dum est sub heri potestate aliquid vouit: herus autem toto seruitutis tempore non irritauit votum, post manumissionem mancipij non potest votum irritari: ergo transacto anno impubertatis idem de patre dicendum est. *Ad argu. neg. min.* Nam nullum est præfixum tẽpus, intra quod pater habeat potestatem irritandi filiorũ vota, & vltra non possit: loquendo de his, quæ emittuntur ante annos pubertatis: quia vota filiorum emissa in illa ætate semper manent subiecta patri, propter rationem assignatam. Est simile in *ca.vlt.de sent.excommunicationis*: vbi facultas concessa Episcopis ad absoluẽdos pueros ab excommunicatione lata in Can. *si quis suadente Diabolo*: quam incurrerunt ante annos pubertatis, extenditur ad quodcunque tempus, in quo petierint absolutionem: idem in præsenti dicendum est. Ad *confirm. neg. conf.* quia filiorum vota emissa ante annum pubertatis, ideò possunt à parentibus irritari: quia pro eo tempore carẽt filij rationis vsu perfecto: & ideò vota sunt infirma ad suam firmitatem exigentia parentum consensum: at seruus post manumissionem est sui iuris; & res deuota est etiã ipsius, & ideò quocunque renuẽte, tenetur promissum adimplere.

8 Nota tamen limitationem additam assertioni: *nisi filius factus pubes confirmauerit votum*, quam meritò apposuit Caiet. loco superius citato. Nã stante præfata conditione de illo voto iudicandum est, ac de alijs omnibus emissis intra annos pubertatis: tunc autem filius votum dicitur confirmare, quando de nouo promittens voti illius supra se obligationem inducit.

Sed rogas, quid si pater votum filij, intra annos impubertatis sciens & prudens confirmauerit? v.g. vouit filius castitatem duodecimo ætatis anno, cõsentiente, & approbante patre, poterit ne pater ante quartum decimum votum illud annullare? *Pars negatiua* probabilior est: quia subiectio filij in illa ætate prouenit ex imperfecto vsu rationis, vt diximus: & ob id eius actiones ad sui firmitatem requirunt consensum, & approbationem patris: vnde eo ipso, quod pater consentit, & approbat promissionem filij, supplet oẽm imperfectionem promissionis: manetque in suo esse completa, & perfectà independens à voluntate patris: Nisi fortè, promissio esset realis, vel mixta: etenim tunc posset pater solutionem impedire, in quantum ei aliquod affert præiudiciũ. Neque est simile de Religiosis, de quibus supra diximus posse Prælatum quodcunque votum ipsorum irritare etiam ab illo cõfirmatum: quia votum Religiosi non pendet ex cõsensu prælati propter imperfectionem actus, sed propter specialem subiectionẽ, secundùm quam tenetur in omnibus, & semper superioribus obedire: & ideò Prælati confirmatio nõ supplet imperfectionem actus, sed concedit facultatem ad exercendum actum promissuum, reuocabilem tamen ex legitima causa.

Dico quartò. Votum solẽne castitatis emissum 9
in sacri ordinis susceptione ab habente vsum rationis, etiam si ante annos pubertatis emittatur inuitis parẽtibus, firmum est, & irritari non potest. *Prob.* ratione Cai. hîc. Ordo sacer est status eximens initiatos à patria potestate: sed votũ solẽne cõtinentiæ illi adiunctũ sequitur illum statum Ecclesiæ statuto: ergo tale votũ est omninò exẽptum à patria potestate: circa quam rationẽ
notat Cai. quod licèt absolutè, & simpliciter sit in- *Caiet.*
cõueniens impuberes eximi à patria potestate, id tamen per accidẽs, siue per aliud: id est ratione status, nõ debet inconueniens iudicari. *Conf.* quia Ecclesia cõpellit sacris initiatos cuiuscunq; ætatis in illo statu permanere, sed ex Ecclesiæ lege statui illi coniunctum est inseparabiliter votũ castitatis: ergo semel initiatur inuitis etiã parẽtibus, votum continentiæ tenebitur obseruare.

Dices. Magis obligatorium est votum solẽne Religionis, quàm clericalis continentiæ votum: sed illud ante pubertatem emissum potest à parentibus irritari: ergo & istud. Minor adeò certa est, quod nec obligationem aliquã inducit, etiã tanquam votum simplex castitatis: vt habetur c. 8. de reg. extra. vbi dicitur: *Puer, qui ante anni quarti decimi consummationem post emissum solemne votũ reliquit habitum, eam quam postquam à Religione exiuit, accipere vxorem iurauit, ducat.* Quod expressius in Conc. Trid. postea declaratum est. *Resp.* neg. cõseq. quia solẽne Religionis votum nõ cõiungitur alicui statui, sed est ipsamet assumptio status, & ideò si eximeretur à patria potestate,

e statu, per se ipsum eximeretur: at votum clericale supponit statum clericale, cui coniungitur, & ideò per aliud eximitur, non per se.

10 *Merito quispiam dubitabit*: an nomine parentis, cui propriam diximus dominatiuam potestatē ad irritanda filiorum vota; sit etiam mater intelligenda? Respondetur viuente viro vxor non
Nauar. habet hanc facultatem. Ita Naua. *c.12.n.64*. Syl.
Syluest. ver. *Religio.2.q.13*. vbi relicta opinione Innocētij existimantis æqualem esse matris cum patre po-
Archid. testatē quantum ad hoc, & secutus Arch. & Pal.
Palud. *in 4.d.38.q.4.art.2.conc.8.n.26*. determinat matrem patre nollente non posse filium à Religione reuocare: mortuo verò, matrem, & auiam posse, si tamen eius habeant tutelam: quibus deficientibus tutor poterit irritare: quia succedit vice patris: vt habetur c. *puella*.20.q.2. Et ratio suffragatur: nam viuente patre voluntas filij non depēdet à voluntate matris, sed vtriusque posita est in voluntate patris: qui tanquam caput familiæ plenariam habet personarum, ac rerum administrationem. Videndus est Syl. ver. *votū*. 4.q. 2. vbi latè id explicat, & benè: & qua ratione votum semel legitimè irritatum, numquā amplius reuiuiscat: de quo nos supra diximus latius.

11 Ad argumenta initio disputationis resp. Ad primum patet ex his, quæ adnotauimus circa secundam assertionem, facultatem parentum ad irritanda filiorum impuberum vota esse à natura concessam: quamuis tēpus intra ꝙ debeat exerceri iure positiuo sit præfixum. Est simile in alijs præceptis, quæ secundum substantiā pertinēt ad ius diuinū, & quātum ad determinationē tēporis ad ius tantum positiuū: vt de præcepto cōfessionis & cōmunionis constat. Ad id ꝙ rursus obijcitur, non inesse Prælatis Ecclesiæ facultatē ad irritādas seculariū ꝑmissiones, possumus secundò respōdere: transeat antec. & nego conseq. quia licet in ordine ad seculares non habeat Ecclesia dominatiuam potestatem, in qua fundatur facultas irritandi: potuit tamen sanctionibus iustis Ecclesia hanc præbere dominatiuam potestatem parentibus supra omnes actiones personales filiorum, propter supremam gubernatiuam potestatem, quam Ecclesia habet.

ARTICVLVS X.
Vtrùm possit in voto dispensari?
Summa Articuli.



1 Onclusio *prima est affir*. Prob. à D.Tho. primò, in argumēto, sed contra. In lege, quæ robur habet ex cōmuni volūtate, potest cadere dispensatio: ergo & in voto: quod est lex quædam particularis. *Conseq. prob.* quia maiorem habet firmitatem ꝙ ex communi voluntate procedit, quàm quod ex speciali alicuius personæ voluntate: & secundò: votum est de his, quæ secundū se, & vt in pluribus bona sunt, sed in aliquo casu potest contingere id, quod vt in pluribus bonum est, esse vel simpliciter malum, vel inutile, vel maioris boni impeditiuū: ergo in tali casu necesse est determinari absolutè votum non esse seruandum: & hoc est propriè in voto dispensare: si verò pro eo, quod seruandum erat, aliquid aliud iniungatur, commutatio dicitur. *Secunda conclusio*. Minus est votum commutare, quàm in eo dispensare.

DISPVTATIO VNICA.
An sit in Ecclesia potestas dispēsandi in votis simplicibus?

Videtur quod non, *primò*. Votum ex iure naturali habet firmitatē: sed in pręceptis diuinis, potissimè legis naturæ, non potest fieri per hominem dispēsatio: ergo nec in voto, cuius obseruatio pertinet ad præcepta primæ Tabulæ: quia est actus Latriæ. Hoc argum. proponit D.Tho. secundo loco, cui respondet, Ecclesiæ Prælatum in voto dispensantem non dispensare in præceptis iuris naturæ, vel diuini, sed tantum determinare, quod continebatur sub voto, in casu dispensationis nō contineri: quia pro tunc non est congrua materia voti. Hanc solutionem explicant nonnulli interpretes D.Tho. adnotātes, ius, & præceptum naturale esse in duplici differentia: vnum absolutè necessarium nulla præsupposita cōditione, cuiusmodi sunt præcepta Decalogi, in quibus non cadit dispensatio: aliud est, quod fundatur in voluntate, & consensione humana: vt obligatio reddendi debitum orta inter cōiuges, ex mutuo vtriusque consensu. Hæc igitur obligatio, quatenus in radice pendet à voluntate humana, tolli potest, sed ex rationabili causa. *Exemplum sit*. In contractu emptionis, & venditionis inter duos, certum est, stante contractu, inesse obligationem naturalem ad solutionem pretij: at si rescindatur contractus, tollitur obligatio, nulla in lege naturæ interueniente dispensatione: sic ergo in proposito philosophandum arbitrantur. Nimirum votum esse quendam cōtractum inter Deū, & hominem, quo permanente naturalis obligatio vrget reddere vota Deo: cæterum si Deus, vel eius vicarius contractum rescindat auferens obligationis radicem, cessat obligatio voti.

Contra hoc arguitur secundò. Nam ex præfata solutione sequitur posse summum Pontificem in matrimonio rato non consummato dispensare, quod non licet admittere. Consequentia probatur ex eo, ꝙ huiusmodi contractus ex mutuo vtriusque coniugis consensu habet firmitatem. Item sequitur iuxta istorum sententiam posse in voto sine causa dispensari: quia non dispensatur in iure naturali, sed positiuo: at dispensatio in iure positiuo etiam nulla existente causa valida est: ergo.

Tertiò arguitur contra rationem D.Tho. adductam in corp. art. Nam ex ea sequitur, quod potestas ad dispensandum in votis, solum sit potestas ad declarandum, quando debeat votum obser-

obseruari, quandove liceat ab obseruatione cessare. *Prob.* quia hæc potestas ex mente D. Thom. tantum habet locum, quando materia voti est mala, vel inutilis, vel maioris boni impeditiua: sed in huiusmodi euentibus, sat est declarare materiam voti esse indebitam, & statim cessat obligatio voti: ergo ratio D. Thom. insufficiẽs est.

3 D.Thom. Duæ sunt in hac disputatione extremæ sententiæ, quas refert D. Tho. *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 4. quæstiun. 1.* Quarum prior docet, quodlibet votũ posse pro libito Prælati dispensari, quatenus in quolibet intelligitur conditionaliter voluntas superioris, scilicet, Papæ, ad quem spectat dispẽsatio supra omnes actus subditorum, & ideò potest Summus Pontifex per solam negationem sui consensus quassare omnia subitorum vota. Sed de hac sententia plura diximus articulo præcedenti, agentes de irritatione. Nunc breuiter impugnatur ratione D. Thom. ibid. quia quædam sunt, in quibus homo est omninò liber, & sui iuris, quæ exequi potest inuito Pontifice: ergò absolutè, & sine illa dependentia à consensu cuiuscunque Prælati potest illa firmiter vouere. Anteced. probatur in continentia, in obseruatione præceptorum, & similium. Ideò alij secundò dicunt, nullum votum posse dispensari per quamcunque Prælati facultatem: secundum quod dispensatio est iuris relaxatio, sed secundùm quod dispensatio est quædam iuris interpretatio, quatenus potest Summus Pontifex declarare, quando quis deobligetur ab obseruatione voti, vel quia materia inutilis facta est, vel maiori bono præstat impedimentum. Hanc sententiam tenet *Glossa capit. 18.* de iureiurando. Sequitur Diuus Bonauentura, *in 4. dist 38. quæst. 1.* Et confirmari potest, quia nullus potest tollere vinculum legis, nisi conditor legis: lex autem de obseruando votum est à Deo: ergo solus Deus potest in illa dispensare. Minor probatur: quia præter istam legem: *Vouete, & reddite vota domino Deo vestro*, quæ est lex diuina, nulla alia interuenit, nisi sola voluntas vouentis, qua se libere legi diuinæ subiecit: ergo tali supposita subiectione solo iure diuino tenetur ad obseruationem voti. Explicatur vis consequentiæ: licèt quis liberè se subijciat legibus Hispaniæ, supposita tamen tali libera subiectione ius Regium Hispaniæ obseruare tenetur: similiter liberè se subijcit quis legi matrimonij, illa tamen subiectione semel admissa, iure naturali illam tenetur obseruare: ergo idem in proposito dicendum est.

Gloss. Bonauẽt.

4 Pro decisione huius difficultatis *prænotandum est*, discrimen superius insinuatum inter dispensationem, commutationem, declarationem, & cessationem voti. *Dispensatio* propriè dicta est ablatio vinculi voti propter aliquam rationabilem causam. *Commutatio* est translatio vinculi, & obligationis voti ab vna in aliam materiam. *Declaratio* est explicatio quædam, quòd id quod erat materia voti, iam desijt ex superuenienti causa esse materia voti. *Cessatio* verò voti est, quod id quod erat materia voti, nulla expositione, aut interpretatione desinat esse materia voti. Itaque in dispensatione aufertur totaliter vinculum, & materia voti, quatenus absolutè decernitur seruandum non esse: in commutatione verò aufertur materia voti, & non vinculum eius: quia idem manet in alia materia, in quam votum commutatur: illud namque in quod votum commutatur ex vi voti obseruare tenetur, quod si transgrediatur agit contra fidelitatem Deo debitã in solutione promissi. Hinc colliges differentiam inter dispensationem, & declarationem, quod illa supponens voti vinculum aufert illud ex rationabili causa, ista verò potius supponit vinculum, & obligationem voti cessasse: sed quia id dubitari potest, ideò necessaria est voti interpretatio, per quam manifestum fiat re ipsa obligationem voti cessasse: vnde dispensatio est actus iurisdictionis, ad iustitiam distributiuam spectans: interpretatio verò est actus specialis virtutis, quæ Epicheia dicitur: de quo vide Magistrum Sotum lib. 7. *qu. 4. artic. 1.* Turrecrem. *in summa de Ecclesiast. lib. 3. cap. 53.* Sotus. Turrecr.
His præmissis

5 *Dico primò*. Certum est secundum fidem esse in Ecclesia potestatem ad dispensandum in votis simplicibus Christianorum. Hæc conclusio probatur, ex communi omnium fidelium traditione ab Apostolis vsque ad hæc nostra tempora deriuata, sæpè etiam in Concilijs, apud Sanctos, & decreta Pontificum dispensationis factam fuisse mentionem nouimus: at Ecclesiam Catholicam in re adeò graui, & tam necessaria ad fidelium mores, errasse, absque erroris piaculo affirmari non potest: ergo absolutè dicendum est, Ecclesiæ hanc dispensandi inesse potestatẽ.

Secundò, certum est esse in Ecclesia potestatem commutandi obligationem voti ab vna in aliam materiam ex legitima causa, vt colligitur ex *cap. 1. 2. 7. & 8. de voto*: ergo ex maiori causa per eandem potestatem poterit in voto dispensari. *Probatur consequentia*, quia dispensatio, & commutatio circa idem ius versantur. *Confirmatur*, quia ex voluntate Summi Pontificis potest obseruatio voti in aliud tempus differri, propter causam temporalem: ergo propter causam perpetuam poterit per eandem voluntatem in perpetuùm votum relaxari. Antecedens probatur ex cap. 5. extra de voto, vbi cuidam Episcopo qui vouerat adire Hierosolymam, indixit Pontifex ne prius iter arriperet, quàm regnum Galliæ pacaretur.

Tertiò. Pontifex potest relaxare iuramentum, vt habetur in cap. *si verò*, de iureiurando, vbi dicitur iuramenta ex metu facta valida esse, relaxanda tamen: ergo etiam poterit in voto dispẽsare. Conseq. prob. quia vt dicitur: *Reddes Domino vota tua*, ita Matt. 5. dicitur: *Reddes Domino iuramẽta tua.*

Quartò probatur, quia Deus sufficienter prouidit Ecclesiæ de necessarijs ad bonam Christianæ Reipublicæ gubernationem: sed multum expedit hanc esse in Ecclesia dispensandi potestatem ad bonam eius gubernationem: ergo. *Minor ostenditur*, quia sæpè homines, qui non possunt

possunt omnia circumspicere, emittunt vota, quæ postea pœnitet emisisse, sæpè dubitatur, an expediat votum obseruare, an non: vt ergo Ecclesia posset his filiorum necessitatibus subuenire, oportuit hanc habere in votis dispensandi facultatem.

6 *Duco secundò*. Potestas hæc propriè est potestas dispensandi, & actus eius propriè dispensatio, secundum quod dispensatio est iuris relaxatio, & non tantum est interpretatio aut declaratio iuris. *Explicatur assertio* ex discrimine inter dispensationem, & declarationem: quia hæc tantum habet locum, quando adimplere votum esset agere contra ius naturæ: illa verò, quando obseruatio voti licèt non sit contra ius naturæ, deficit tamen in particulari casu ratio, & causa voti. *Ex quo rursus sequitur*, per interpretationem voti excusari hominè ab obseruatione voti in tali occasione, tempore, & loco: non tamen tolli absolutè obligationem voti, & ideò cessantibus circumstantijs, ratione quarum locum habebat voti interpretatio, quasi reuiuiscit obligatio voti. & denuò incipit obligare, ac si nulla eius interpretatio præcessisset.

Cæterùm dispensatio voti, in perpetuum aufert obligationem voti qua semel extincta, nunquam iterum reuiuiscit. Exemplis res manifestatur, emisisti votum de non edendis carnibus, incidis in infirmitatem, à qua ita vexaris, quod mors certò affutura timetur, nisi carnes comedas: in hoc casu locum habet voti interpretatio, quæ declarat obseruationem voti esse contra ius naturæ, & ideò omninò relinquendam: at pristinæ valetudini restitutus ad impletionè voti sicut antea teneris. Similiter si quis vouit abstinere ab esu carnium, & decursu temporis experitur, plurimum sibi nocere ouorum, & piscium esus, magnoquè illi esse impedimento ad concionandum, studendum, &c. tunc autoritate superioris habet locum dispensatio, quæ omninò deobligat in perpetuum ab obseruatione voti. Hæc conclusio non est tanta certitudine sicut præcedens admittenda. Existimo tamen oppositum esse omninò improbabile, imò & peiori calculo ac censura dignum: eam tenet expressis verbis Diuus Thomas *in 4. dist. 38. q. 1. art. 4.* vbi reiecta priori sententia, concludit: *Ideò aliter dicendum, quòd in voto potest dispensari, etiam secundùm quod dispensatio est iuris relaxatio ex aliqua legitima causa.* Idem colligitur ex articulo, præcipue in argumento, sed contra. Vbi ex dispensatione legis communis arguit dispensationem voti, quod est lex quædam particularis: at dispensatio legis est propriè obligationis, & iuris relaxatio: ergo, &c. Sequuntur Diuum Thomam omnes eius discipuli, Abulens. *Numer.* 30. *quæstion.* 102. Paludan. *in* 4. *distinct*, 38. *quæstion.* 4. *articul.* 3. Palacius. *disputation.* Nauarr. *dicto cap.* 12. *numer.* 63. & sequentibus Panormit *in cap. Proposuit*, *de concessione præbend. num.* 12. & cõmuniter Summistæ verb. *Dispensatio.*

B. Thom.

7

Abulen. Palud. Palaci.

Probatur. Potestas, quæ est in Ecclesia ad dispensandum in votis est potestas ad tollendum voti vinculum in perpetuum ex rationabili causa, etiam quando votum ad sui obseruationem adstringit: ergo talis potestas propriè dispensatoria est, & eius actus propriè dispensatio, id est, iuris relaxatio. Antecedès probatur: tũ ex vsu Prælatorum dispensantium in votis, quando eorum supponitur obligatio: vt habetur in cap. *Veniens*, extra, qui clerici, vel vou. vbi dispensat Pontifex cum muliere, qui vouerat castitatem, vt nubat; & tamen inde clarè colligitur, illam antea teneri seruare votum: nam inquit Pontifex: *Quod de fide mentita, & voto violato congrua imponatur satisfactio.* Idem habetur c. 1. & 2. de voto. Tum, quia aliàs si hæc potestas tãtum esset ad declarandum, quando cessat obligatio voti, non esset potestas iurisdictionis, nec propria Prælatis Ecclesiasticis: at hoc nullus admittet: ergo. Antecedens probatur. Nam hoc quod est interpretari, quando cesset obligatio voti melius, & securius fiet à viro Theologo per facultatem doctrinæ, quàm à Prælatis. Imò sæpiùs id melius declarabit Medicus, quàm quicunque alius; si votum sit circa materiam, quæ præiudicium possit afferre saluti vouentis.

Argumentum verò primum in principio positum petit grauissimam illam difficultatem: *an quando dispensat Pontifex in voto dispenset in iure naturæ, & diuino?* Plures modos dicendi referunt Aragonius 2. 2. *quæstio.* 88. *artic.* 10. Suarez *lib.* 6. 9. Sotus *ad* hanc difficultatem dicendum existimat, quod obligatio voti ex duabus pendet præmissis. Altera: *Reddes Domino vota tua*: altera: *Quia vouisti*: & in hoc vltimo dispensat Pontifex auferens obligationem voti: quia tu voluntariè vouisti dispensat Pontifex in obligatione, quæ tibi nata est ex tua libera promissione. *Alij* verò absolutè tenent, quòd iure positiuo iste tenetur seruare votum, & in hoc dispensat Pontifex.

8 *Ad Argumenta facta in principio respond.*

Aragon. Suarez. Sotus. Syluest.

Quod si obijcias eis, esse de iure diuino reddere vota Deo. *Respondent*, in communi verum esse, sicut ratio naturalis dictat in communi obediendum esse præpositis: in particulari verò id negant. Quare sicuti qui dispensat in lege aliqua particulari, nõ dispensat in iure diuino, quo præcipitur obediendum esse præpositis: ita qui dispensat in voto, non dispensat in lege illa communi, qua decernitur, vota Deo esse reddenda. Hæc solutio magnum videtur habere fundamẽtũ in solutione ad secundũ D. Th. Neq; ab ea distare videtur Suarez *loco cita. num.* 9. & sequentibus: vbi habet dispensantem in voto non dispensare formaliter in lege diuina de reddendis votis; sed auferre obligationem, & mutare materiam legis naturalis: ad quam mutationem cessat obligatio voti.

Sed contra hanc explicationem obijcit sibi præfatus autor, numero. 14. *tertio loco.* Quod ipsa lex naturalis dictans vota esse reddenda, dictat etiam immutabilitatem ipsorum: quia hoc ipsum in promissione Deo facta essentialiter inclusum est: ergo non potest auferri obligatio voti, quin supra ipsam legem naturalem cadat dispensatio. Huic argumento sui immemor nihil ipse respondet. Sed Syluester verbo,

Votum, quarto, §. tertio, dicto tertio, docet, Pontificem posse auferre obligationem voti: quia licèt non sit in eius potestate mutare ius diuinum naturale, aut omninò tollere; eius tamen determinatio ad ius attinet positiuum, & consequenter ad Papam, vt ad primum legum conditorem. Exemplum apponit in malefactorum punitione; lex naturalis dictat malefactores esse puniẽdos: aliquando tamen propter bonum Reipub. gubernator eius in tali punitione dispensat: numquid in tali casu lædit ius diuinum naturale? minimè gentium: non dissimiliter in proposito; licet votum iure diuino obseruandum sit, si tamẽ illud obseruare non expediat, potest dispensari, vel etiam in aliud commutari, si illud magis cedat in gloriam Dei. Immensum esset referre omnes Theologorum, ac Iurisperitorum sententias in hac parte: qui omnes, licèt multum inter se discrepare videantur in modo loquendi, re tamen ipsa parum, aut nihil differunt. Ego verò meam sententiam sequentibus dictis aperiam.

9 *Dico primò*. Absolutè dicendum est iure diuino, & naturali teneri quemque Deo vota reddere, postquàm semel vouerit. Pro quo aduerte, hoc discrimen versari inter voti obligationem, & eã quæ ex aliqua lege positiua oritur: quod in obligatione humana orta ex lege, tria oportet distinguere. *Primũ est* voluntas istius, qua volunt se subijcere legi. *Secundũ est* lex immediatè directiua, & coactiua, quæ pendet ex voluntate legislatoris. *Tertiũ*, est lex communis naturalis, quæ dictat obediendum esse præpositis, quod pertinet ad ius naturæ. In voto verò non sunt nisi duo tantum distinguenda: nimirum voluntas istius, qua velit vouere, & lex diuina, quæ præcipit reddere vota.

Et ex hoc sequitur euidens discrimen inter vtrãque obligationem, v.g. vouit quis ieiunare tẽpore Quadragesimæ, & præcipitur illi ieiuniũ: lex naturalis dictans obediendum esse præpositis, non dictat immediatè hic, & nunc ieiunandum esse, sed mediatè; non ex eo præcise, quia voluntariè iste subijcitur legi, sed mediante lege humana positiua, quæ determinat hic, & nunc ieiunandũ esse: at lex naturalis de reddendis votis, supposito quod iste se illi subiecit immediatè dictat hic, & nunc ieiunandum esse; & ideò, qui vouit absolutè tenetur iure naturali ieiunium obseruare. *Probatur*, qui immediatè cogitur iure positiuo aliquid facere, absolutè tenetur iure positiuo illud facere: ergo qui immediatè cogitur à iure naturali, absolutè eodem iure tenetur. *Confirmatur*. In omnibus humanis contractibus, pactis, promissionibus, &c. Supposita voluntate contrahentium immediatè consurgit obligatio iuris diuini, qua tenentur stare promissis: ergo in promissione facta Deo immediatè consurgit obligatio naturalis, & diuina reddendi promissa.

10 *Dico secundò*. Absolutè Pontifex potest relaxare ius, quo quis tenetur ad obseruandum votum, siue hoc, siue illo modo fiat. Assertum hoc latè probatum est in secunda nostra assertione.

Dico tertiò. Quando Pontifex aufert ab aliquo obligationem voti dispensando in eo absolutè dicendum videtur relaxare, & dispensare in iure ipso naturali. *Probatur* ex duobus dictis præcedentibus. Qui vouit iure diuino naturali tenetur votum reddere: sed Pontifex aufert hanc obligationem dispensando: ergo absolutè dicendum est dispensationem versari circa ipsam obligationem naturalem: itaque quẽadmodũ Pontifex dispensans in iure positiuo aufert ab eo, cum quo dispensat ieiunij vinculum: v.g. ita dispensans in voto aufert voti vinculum; quod (vt vidimus iuris est naturalis. Fateor veruntamen huiusmodi dispensationem non esse vniuersalem, sed particularem duntaxat. Nam sicuti (vt in eodem exẽplo persistamus) Pontifex cum dispensat in ieiunio cum aliquo in particulari; non tollit in vniuersali vinculum legis de ieiunando: quod est iuris positiui; ac multo minus tollit vinculum legis, qua iure diuino tenemur obedire præpositis. Ita cùm dispensat in voto non tollit vinculum naturale vniuersale, quo tenentur, qui vouent, reddere vota sua, dispensat nihilominus in iure diuino particulari, quo quis tenetur votum obseruare.

11 Et hæc est procul dubio mens Diui Thomæ solutione ad secundũ asserentis, quod qui dispẽsat in iure positiuo, licèt in communi non tollat, quod legi humanæ non obediatur; facit tamen, quod lex in isto casu particulari non sit lex; sic dum Pontifex determinat, quod id, quod cadebat sub voto, iam non continetur, nec est congrua materia voti, non dispensat in præcepto vniuersali iuris diuini naturalis. Dispensat tamen in iure diuino particulari, subtrahendo materiam à voto, & tollendo vinculum voti ab isto saltem indirectè, & mediatè: & consequenter facit, quod votum iam non sit votum respectu huius.

Sed obijciet nobis quispiam D. Thom. in eadem solutione ad secundum, absolutè negare Prælatum dispensantem in voto dispensare in iure diuino naturali: ergo nostra doctrina contraria est menti D. Thom. Nego tamen consequentiam. Nam Diuus Thomas intelligendus est de dispensatione legis naturalis in communi; non verò de dispensatione legis naturalis in particulari; quod explicari potest ex eodem Diuo Thoma 1. 2. *quæstione. 97. art. 4. ad tertium*, asserente, quod in præceptis iuris naturæ nullus dispensat, nisi Deus, vel cui ipse specialiter committeret: at certum est, vt supra ostendimus ad bonam Ecclesiæ gubernationem expedire hanc in ea esse potestatem: ergo de facto Ecclesia ex commissione Dei potest in iure naturali particulari dispensare: & hinc soluitur futile quorũdam argumentũ. Nullus potest tollere vinculum legis, nisi conditor legis, lex autem de reddendo votum est à Deo: ergo solus Deus potest dispensare. Negatur enim maior; si absolutè neget inferiorem non posse etiam ex cõmissione superioris legislatoris dispensare, & tollere vinculum legis: multoties enim contingit Legatum Pontificis dispensare in legibus Pontificijs: sicut ait D. Thom. *quodlib.* 12.

in Republica temporali Vicarius Regis in absentia Regis dispensat in eius legibus, & aliquādo etiam rescindit contractus inter ciues, & ipsū Regem, cùm id iudicat expedire ad bonum Reipublicæ. Sic in proposito Pontifex ex commissione diuina potest in contractibus, & promissionibus Deo factis dispensare.

12 *Ad secundum argumentum* nego primum inconueniens illatum. Non enim reliquit Deus talem facultatem dispensandi in matrimonio rato: nec id expediret ad bonam Ecclesiæ gubernationē: quoniam matrimonium ratum est traditio quædam; votum verò simplex, tantum est promissio: at maximam pareret in Ecclesia perturbationē, si res traditæ à suis dominis auferantur: nullam verò, quod res promissæ non tradantur re ipsa ijs, quibus facta est promissio; id causa legitima exigente: imò in magnam cedit Ecclesiæ vtilitatem hanc ei inesse potestatem: & sic videmus posse Ecclesiam sponsalia dissoluere; quamuis non matrimonium: eò vel maximè, quod dispensatio in voto potest fieri citra iniuriam Dei, cui nullum prouenit ex promissione nostra emolumentum; cæterum dissolutio matrimonij, si alter coniugum dissentiret magna illi irrogaretur iniuria. Similiter nego secundum incōueniēs, quia dispēsatio in voto est relaxatio iuris naturalis nō communis, sed particularis: non expedit autem ad bonam Ecclesiæ gubernationem, huiusmodi dispensationem admittere, absque legitima causa: imò potius hoc ipsam Ecclesiam dissiparet.

13 Ad *tertium argumentum* negatur sequela. Ad probationem dicendum est dupliciter posse materiam esse inutilem, malam, &c. *Vno modò*, quia obseruatio illius materiæ votiuæ est illicita: & sic sicut votum nō est validum, eo quod non est de actu virtutis; sic neque vlla indiget dispensatione, si certò constet, materiam esse malam, vel inutilem. *Secundò modo* materia dicitur mala, vel inutilis, non quia obseruatio illius sit mala, aut inutilis; imò obseruata esset egregiæ laudis: sed quia vouentem manere obligatum ad illam materiam, est illi nociuum: vel ratione status, vt si vxoratus vouit nunquam petere debitum: vel ratione fragilitatis: vt si quis facilè succumbens tentationibus carnis, votum emiserit castitatis, tunc dici potest materia nociua, aut inutilis ad finem principaliter intentum consequendum: vel saltem dici potest maioris boni impeditiua. His præmissis, quando Diuus Thomas docet tunc esse locum dispensationi, si materia est mala, vel inutilis, &c. vtroque modo intelligi potest. Sed diuersimodè iuxta vtriusque materiæ naturam: si enim materia est mala, aut inutilis, si id certò constiterit, statim cessat obligatio voti; si verò de hoc dubitetur, requiritur dispensatio secundùm quod est iuris interpretatio: si tamen materia est mala posteriori modo, locum habet dispensatio secundùm quod est iuris relaxatio: quia tunc reuera votum validum est, nisi per dispensationē eius vinculum auferatur.

14 *Sed dubitabit quispiam*: An hæc autoritas dispensandi necessariò consequatur ad ordinem gratiæ? An vero peculiariter fuerit concessa à Christo Domino ex illis verbis: *Quodcunque solueris super terram, &c.*? Et videtur, quod consequatur in omni lege, ita quod Sacerdotes legis naturæ possent in votis dispensare; quia materia promissa poterat mutari, vel fieri inutilis, aut maioris boni impeditiua: ergo consentaneum erat Deum hanc concedere facultatem Ecclesiæ suæ pro omni statu, vt debitè posset gubernari. Hac enim ratione colligit Diuus Thomas in articulo, necessitatem huius potestatis in Ecclesia in statu legis gatiæ.

In oppositum est, quod potestas dispensandi est spiritualis pertinens ad claues, sed in lege naturæ non fuerunt claues: ergo. Maior ita clara est, quod nulla indiget probatione. Ratio hæc posteriori loco facta cōuincit, eam facultatē dispēsandi, quæ modo est in Ecclesia fuisse specialiter concessam à Christo Domino, illis verbis: *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Quibus, vt constat Ecclesiastica traditione, concessit Christus Apostolo Petro, & successoribus eius spiritualem potestatem absoluendi à peccatis, dispensandi Christi, & Sanctorum merita, indulgentias concedendi: & ad alia, quæ ad pascendum Christi gregem essent necessaria: sed non minus necessaria est potestas spiritualis ad dispensandum in promissionibus Deo factis, vt debitè Respublica Christana gubernetur, quàm facultas concedendi indulgentias: vtraque ergo potestas in præfatis Christi verbis continebitur.

Adhuc nihilominus non soluitur proposita difficultas; procedit enim non de hac potestate, quæ modò de facto est in Ecclesia, sed de alia cōsimili: an scilicet fuerit à Deo concessa consimilis facultas ad dispensandum in votis fidelium vtriusque legis, tam veteris, quàm nouæ? Cui dubitationi (si solùm sit sermo de dispensatione, secundum quod tantum dicit interpretationem voti) satis verosimiliter dicendum videtur, fuisse necessariam in Ecclesia pro omni statu hanc dispensandi facultatem: aliàs enim sæpius posset contingere ex falsa existimatione vouentis aliquid Deo exhibere, vt materiam voti sibi acceptam: quod tamen re ipsa, vel esset inutile, vel maioris boni impeditiuum, vel etiàm omninò illicitum: & quidem id verosimilius dicetur, si loquamur tantùm de fidelibus veteris testamēti. Habemus enim in Leuit. 13. non leuiter insinuatum. *Si difficile* (inquit sacer textus) *atque ambiguum iudicium esse perspexeris, &c. surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus*: & iterum: *Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus.* Quid verò dicendum sit, si loquamur de dispensatione secundum quod tollit vinculum, & obligationem voti, penitus ignoro: quia (vt optimè sæpius docet D. Tho.) de his, quæ ex sola pendent diuina voluntate nihil possumus certò statuere, nisi quod fuerit nobis diuinitus reuelatum: at in præsenti circa præfatam potestatem, nihil certum habemus reuelatione diuina. *Leuit. 13.*

ARTI-

ARTICVLVS XI.

Vtrùm in voto solemni continẽtiæ poßit fieri diſpenſatio?




PRima concluſio. In voto ſolemni cõtinentiæ emiſſo à clericis poteſt Eccleſia diſpẽſare: quia huiuſmodi votum eſt ſolùm ſtatui illi coniunctum ex ſtatuto Eccleſiæ: ergo per eandem poteſt ab illo ſeparari.

Secunda. In voto ſolemni continentiæ à Monacho emiſſo non poteſt Eccleſia diſpenſare. *Probatur*. Eccleſia non poteſt tollere ſtatum, neque efficere, vt id, quod eſt Deo conſecratum, non ſit conſecratum: ergo nec poteſt efficere, vt Monachus Deo conſecratus non teneatur ad id quod eſt eſſentiale ſuæ conſecrationis: ſed ſeruare caſtitatem eſt eſſentiale conſecrationi religioſæ: ergo, &c. *Confirmatur* ex c. *Cùm ad Monaſterium*, de ſtatu Monachorum. Vbi Summo Pontifici denegatur autoritas diſpenſandi ſupra cuſtodiam caſtitatis religioſæ. Materiam huius articuli iam remiſimus ad tractatum de ſtatu Religioſo, quare ab eius copioſa diſputatione ſuperſedemus, vſque ad illum locum

ARTICVLVS XII.

Vtrùm ad commutationem, vel diſpenſationem voti requiratur Prælati autoritas?



PRima concluſio affirmatiua probatur primò in arg. ſed cõtra. Ad diſpenſandum in præcepto legis, requiritur autoritas ſuperioris: ergo pari ratione ad diſpẽſandum in voto: quia ſicut lex obligat ad aliquid faciendum, ita & votum. *Secundò*. Votum eſt promiſſio facta Deo de aliquo, quod ſit acceptum, ſed quid ſit gratum ei, cui fit promiſſio, ex eius pendet arbitrio: ergo ad Prælatum, qui in Eccleſia gerit vicem Dei, pertinet declarare, quænam ſint accepta Deo, quod eſt in votis diſpenſare, aut illa commutare.

Secunda Concluſio. Ad diſpenſationem, & commutationem, ſemper requiritur legitima cauſa. Hanc probat D. Thom. ex illo Paul. 2. ad Cor.
2\. Cor. 2. 2. *Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti. Propter vos, & in perſona Chriſti*. Quia omnis diſpenſatio debet fieri ad honorẽ Chriſti, in cuius perſona diſpenſatio fit: vel ad vtilitatem Eccleſiæ, quæ eſt eius corpus.

Tertia concluſio in ſolutione ad primum. Qui ingreditur religionem, non tenetur implere vota ieiuniorum, vel alia huiuſmodi, quæ emiſit in ſeculo. Probatur primò ex quadam Decretali relata à D. Thom. aſſerente: *Reus voti facti non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam Religionis obſeruantiam commutat*. Secundò probatur, quia homo per Religionis profeſſionem totam vitam Deo deputat: at alia vota facta in ſeculo ſunt de quibuſdam bonis particularibus: ergo incluſa manent in voto Religionis: ſicut particulare in vniuerſali. Et tertiò, quia homo per profeſſionem moritur priori vitæ: ergo non obligatur amplius promiſſionibus antea factis. Circa primam concluſionem D. Thom. eſt

DISPVTATIO I.

Qui Prælati hanc habeãt diſpẽſandi, & cõmutandi autoritatẽ?

PAnormitan. cap. *Propoſuit*, de conceſſione præbend. num. 12. denegat Epiſcopis diſpenſandi autoritatem, & ſolùm conceditad commutandum. Nam ad obeũ- 2 Panorm.
dum munus Epiſcopale, & vt commodè poſſit ouium ſaluti proſpicere: ſufficit poſſe tollere vota, commutando: ergo non eſt fundamentum, vt eis maiorem hac poteſtatem concedamus. In alio extremo videtur eſſe F. Emmanuel Rodrig. Ema. Rod
to. 2. qu. Regul. q. 46 art. 9. aſſerens poſſe parochũ diſpenſare in votis minoribus, vt peregrinationis breuis, &c. quia ſecundum D. Thom. eadem eſt ratio quoad diſpenſationem in votis: & in legibus poſitiuis: ſed poteſt in aliquibus legibus diſpenſare: ergo & in votis minoribus. Palud. *in 4. d. 38. q 4. art. 4. concl. 7.* eam denegat Palud.
religioſorum Prælatis: quia habent facultatem ad irritanda religioſorum vota: ergo poteſtas ad diſpenſandum ſuperfluè in illis conſtituetur.

Pro vera tamen huius deciſione *dicò primò* Sũ-
mus Pontifex poteſt diſpenſare ſuper omnibus 3
votis, ſupra quæ poteſt cadere diſpenſatio. Concluſio certa eſt ſecundum fidem: quia certum eſt, hanc eſſe in Eccleſia poteſtatem; ſed Sũmus Pontifex caput eſt Eccleſiæ vniuerſalis: ergo in ipſo, tanquam in ſupremo capite poteſtas hæc reſidet principaliter, & vniuerſaliter; & ab eo ad oẽs alios, qui hac gaudent poteſtate, deriuatur.

Duo ſecundò. Epiſcopi, & Prælati omnes illis ſuperiores, vt Archiepiſcopi, Patriarchæ, ſi ius tantùm diuinum attendamus, habent poteſtatem diſpenſandi, & commutandi omnia vota ſubditorum: itaque inter Summum Pontificem, & præfatos Prælatos attẽto iure diuino, illud eſt diſcrimen; quod Summus Pontifex in tota vniuerſali Eccleſia hanc poteſt exercere poteſtatẽ: ſinguli verò alij Prælati in ſuis tantùm diœceſibus, & in ordine ad fideles ſibi ſubiectos. Quod addiderim cũ Syl. verb. *Votũ*, 4. q. 3. §. *Quartũ Papa*. propter Archiepiſcopos, quorũ poteſtas ſolũ Syluest.
extẽditur quoad ſubditos ſibi ſuffraganeos, nõ ad ſubditos ſuorũ ſuffraganeorũ, neque etiã ad ſe ipſos: primũ colligitur ex c. *Paſtoralis*, de offic. Ord. vbi habetur Archiepiſcopũ nullam habere poteſtatẽ in ſubditũ ſui ſuffraganei (exceptis quibuſdã articulis) ſed nec hîc, nec alibi excipitur, præfata poteſtas diſpenſandi in votis ſubditorũ ſuffraganei: ergo illam non habent. Secundum

notauit

Syluest. notauit Syluest. verb. *Votum*, 4. q. 3. §. *Vndecimum*. Quia nullus inferior Papa potest secus dispensare in votis emissis, vt habet Glossa 1. in cap. *Magnæ*, de voto, & Panor. ibidem.

Nauar. Nostram assertionem tenet D. Th. *ad tertium*, & omnes eius discipuli, nec Panorm. dissentit *cap. 1. de voto*, Nauar. 12. *n.* 75. & omnes Summistæ, verbo, *Votum* & prob. Nam Episcopis communicata est iure diuino potestas necessaria secūdū exigentiam muneris, & officij Episcopalis: sed facultas absoluendi, & dispēsandi in votis omnibus subditorum est moraliter necessaria ad munus Episcopale debitè exequendum: ergo attento iure diuino, non est cur eis hanc potestatem denegemus. Dixi, *attento iure diuino*: nam vt notauit Nau. n. citat. vsū, & consuetudine quæ iā iuris communis autoritate pollet, Sūmo Pōtifici reseruatur facultas dispēsādi super quinque votis, Religionis continentiæ perpetuæ, peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ, & Compostellanæ: de quibus infra iterum redibit sermo.

4 *Dico tertiò*. Prælati quidam seculares Episcopis inferiores participantes aliqualiter iurisdictionem Episcopalem: & similiter Prælati regulares exempti, possunt cum suis subditis dispēsare in casibus non reseruatis; ex priuilegio tamen, vsu, vel consuetudine. Prima pars huius asserri satis est vsu comprobata in multis Prælatis exēptis, habētibus tamē iurisdictionē quasi Episcopalē: eā tenet Pan. *cap. 1. de voto num. 7*. explicās illa

Panor. verba. *Ab eius, qui præsidet pendet arbitrio*: quæ licèt cōmuniter intelligātur ab interpretibus cū Glossa ibi de Episcopis: non incongruè interpretatur

Abbas. Abbas de his etiam, qui habēt Episcopalē iurisdictionē; de quibus absolutè verificatur in sua quasi diœcesi præsidere: eandē tenet Syluest. docēs esse communē Doctorū; & probat ex Glossa *in Clem. 1. de rebus Ecclesiæ alienam*, vel nō: ex Innoc. c. *Statuimus*. de maio. & obedien. *Et probari potest secundò*. Nā semel supposita institutione illius dignitatis, debuit Summus Pontifex communicare vt ordinariam, iurisdictionem moraliter requisitam ad illius muneris executionem: ne deficeret in necessarijs: at præfata potestas dispensādi in votis subditorum est omninò necessaria ad bonam ipsorum gubernationem: ergo.

Hac eadem ratione conuincitur secunda pars eiusdem assertionis de religiosorum Prælatis.

Syluest. Quam tenet Syluest. verbo *Votum*. 4. q. 3. §. *Quartum*.

Nauar. Nauar. *cap. 12. num. 75. quam* probat ex *Gloss.*

Sotus. *Clem. 1. de rebus Ecclesiæ non alienan.* citata: Sot. *lib. 7. de iust. q. 4. art. 3*. docet, Abbates, Generales, & Priores conuentuales, eadem vigere potestate: quia eo ipso, quod exempti sunt, veluti antistites ordinarij suorum subditorum instituuntur, cum iurisdictione quasi Episcopali; haud tamen præfata potestas extenditur ad secularium vota, quātumuis eis subdantur: vt optimè notauit Sot. nisi ex speciali priuilegio.

5 Maior est difficultas, *an protendatur ad nouitios tempore nouitiatus*; nam pro illo tempore videtur nouitium esse commissum absolutè regimini superioris: ergo potestatem habet iurisdictionis quasi episcopalis respectu illius. Oppositum tribuit Suarez cap. 12. num. 9. Nauarro cap. 12. num 65. immeritò tamen illi adscribitur: quia ibi tantum asserit non posse Prælatos vota nouitiorum irritare, quatenus eorum voluntas est à Prælatis independens. At ab irritatione ad dispensationem inefficax desumitur argumentum: quia ad dispensandum non requiritur dominatiua potestas, quam suprà diximus ad irritationem necessariam, sed sufficit quasi Episcopalis iurisdictio. Hanc tamen non habet Prælatus respectu nouitij de iure communi, quia nouitius nec domicilium, nec statum mutauit simpliciter: & ideò in eius votis non potest Prælatus dispensare. Quam diximus inesse Episcopis, & Prælatis exemptis potestatem ad dispensandum, extendit Nauarrus ex concessione Innocentij Septimi ad confessarios ritè præsentatos ex ordine Fratrum Minorū, & Prædicatorum: ita vt possint in omnibus votis dispensare, in quibus possunt Episcopi, præter in voto peregrinationis vltra duas dietas. Idem habetur in cōpendio priuileg. Religio.

Dico quartò. Parochi curati non habent ordinariam iurisdictionem ad dispensandum in votis fidelium, qui suæ sunt curæ commissi. Sententia est Diui Thomę in articulo, quatenus ad dispensandum exigit autoritatem Prælati: at præfati nō sunt Prælati: ergo non possunt in votis dispensare; D. Antonini *secunda parte, titulo. 11. capite 2. §. octauo, & nono*, Soti *dicto articulo tertio*, Syluestri verbo *Votum quarto, quæstione 3. §. decimum*, Nauarri *capite 12. numero 79*. Qui quamuis loquantur de simplici Sacerdote in ordine ad eum, qui est in articulo mortis, absolutè tamen eadem est de omnibus ratio: imò ad plura protenditur simplicis Sacerdotis autoritas in dicto casu, quam parochi in casibus regulariter occurrentibus. Sumitur hæc sententia ex Innocentio in *dicto capite primo de voto*, ab Hostiensi, & ab alijs communiter recepto, cum Panormitano: quatenus vniuersaliter docent nullum inferiorem Episcopis, non habentem quasi Episcopalem iurisdictionem posse in votis dispensare, nisi, vt diximus, præscriptione, priuilegio ve aliquo gaudeant: sed parochi, neque iurisdictionem habent quasi Episcopalem, cuius iurisdictionis actus est dispensatio: nec priuilegio, vsu, aut consuetudine muniuntur: ergo absque fundamento illis conceditur hæc dispensandi facultas. 6

Anton. Sotus. Syluest. Nauar. Innocen. Hostien.

Quæ diximus de dispensatione sunt vniuersaliter extendenda ad commutationem: quicūq; enim potest in votis dispensare, potest illa commutare, quod minus est. Scio Nauarrum *cap. 12. num. 79*. limitare hanc potestatem ad eos tantū, qui iure communi hanc sortiuntur dispensandi facultatem: negat tamen illam his, qui priuilegio & per delegationē eandem adepti sunt. Sequuntur Nauarr. Gregor. *de Valencia tertio tomo, disput. 6. quæstion. 7.* Sanctius *lib. 8. de matrimonio disputat. 7. numero 5.* Cæterum autoritatem dispensandi sufficere ad commutandum; siue facultas dispensandi sit ordinaria, siue delegata (posse enim delegari supponimus sicut quæcunque 7

Nauar. Valen. Sanctius.

cũq; alia potestas iurisdictionis) nõ est cur modò in dubium reuocetur, cùm fuerit ab antiquis communiter receptum. Et in primis illud colligo ex D.Tho.art.10.in corpore asserente: *Minus est votum commutare, quàm in votis dispensare: vtrumque tamen in Ecclesiæ potestate consistit:* ergo potestas dispensandi ad commutationem extenditur. Eadem ratione ductus Palud.in 4. d.38,q.4.art.3. conclusione 5.hanc partem tuetur: quatenus indistinctè loquitur, dicens: *Quicunque, & quandocunq, potest in votis dispensare quod maius, potest commutare quod est minus.* Sotus *lib.7.de iust.q.4.art.3.*

D.Thom. Palud. Sotus. Suar.

Et ratio pro hac parte à D. Thom. insinuata, & latius à Suar.explicata *lib.6.cap.12.n.9.* & seq. meo iudicio est euidens. Qui potest dispensare in voto, potest illud commutare in minus: ergo à fortiori in maius, vel in æquale poterit commutare: tum, quia minor causa, minor potestas requiritur, ad commutandum in maius, vel in æquale, quàm ad commutandum in minus: tum, quia securius potestas exercetur in maius, vel æquale, quàm in minus commutando. *Antec.prob.* dupliciter. *Primò*, quia, vt optimè docet Caiet. *art.12.* prudens dispensator regulariter, & communiter, vt securius procedat, non vtitur (neq; debet) absoluta autoritate dispensandi, sed aliqualem miscet commutationem; & quis tunc neget validam esse dispensationem, aut commutationem in minus: signum est ergo euidens, dispensandi facultatem commutationem includere. *Secundò prob.* idem anteced. Qui potest totaliter, & simpliciter auferre aliquod vinculum, potest secundum partem: ergo qui potest dispensare, poterit commutare in minus: Nam dispensatio totaliter aufert vinculum voti; commutatio verò in minus aufert secundum partem. Mirum quidem esset posse Prælatum dispensare, vel quemuis habentem potestatem sibi delegatam in voto abstinendi à carnibus: v.g. totaliter aliquem deobligando; & non posse idem vinculum tollere aliquid oneris imponendo dispẽsationem petenti.

8 *Sed obijcit* Nauarrus, priuilegia non esse extẽdenda vltra id, quod sonant: ergo concessa facultate dispensandi non intelligitur ad commutandum concessa: quia dispensatio actus est omninò distinctus à commutatione: hæc enim mutat vinculum ab vna ad aliam materiã; illa aufert totaliter illud: quæ esse distincta nemo ambiget. *Sed nego conseq.* Ad probationem distinguo antecedens. Distinguuntur tanquam actus diuersi generis, nego anteced. tanquam actus secundũ quid ab actu simpliciter, vel secundum magis, & minus intra idem genus, cõcedo antec. diximus enim dispensationem totaliter relaxare votum, commutationem verò aliqualiter, & ideò tanquam dispensatio secundum quid in dispensatione simpliciter comprehenditur, quo admisso nulla est consecutio. Nam priuilegium ad aliquem actum ad omnia in illo actu contenta extendendum est.

Hinc infero Sylu.verb. *Votum.* 4. q.3.in principio asserentem: *Quicunque potest in voto dispensare, potest etiam illud commutare, & è cõtrario,* intelligendum esse de eo qui habet ordinariam potestatem ad commutandum; non verò absolutè de quacunque facultate commutandi etiã delegata; expressè enim asserit, nec iura, nec Doctores discrimen aliquod cõstituere inter commutationẽ, & dispensationẽ, quantum ad autoritatem (scilicet ordinariam; de hac enim loquitur, cum statim subiungat: *Vnde nec est votum, in quo Episcopus non possit sine causa dispensare, si illud potest commutare.* Episcopus autem ordinariam habet potestatẽ. Aliter verò dicendum de eo, qui tantũ habet delegatã facultatẽ ad commutandũ; eam enim ad dispensandum extendi falsum existimo: & ratio discriminis est, quod in ordinaria potestate ista duo se mutuo inferunt, non quod ex vi facultatis ad commutandum, sequatur ad dispẽsandum facultas: sed quia vtraque per se includitur in Episcopali munere: quatenus vtraque per se necessaria est ad debitam illius muneris executionem: cæterũ facultas delegata præcisè fundatur in voluntate delegantis, & ex hoc, quod facultatem concedat ad commutandum, non intelligitur eandem ad dispensandum concedere, quia illud minus est, quàm secundum.

Ad Panorm. initio adductum, quatenus denegat Episcopis facultatem dispensandi, ex dictis 9
respondetur, vtramque facultatem requiri ad munus Episcopale. Nec ratio oppositum conuincit, aliàs idem de Summo Pontifice conuinceret, quod nullus audet admittere: similiter ratio Fr.Emanuel. Rodriguez ad probandum parochum posse in votis quibusdam dispensare est omninò inefficax; quia nec iure, nec consuetudine aliqua fundatur. Et antecedens assumptum de legibus, falsum est. Ad rationem Paludani, conantis persuadere, supposita facultate irritandi in Prælatis religiosorum vota, dispensandi autoritatem esse superfluam; negatur conseq. quia multa sunt religiosorum vota, suprà quæ ex grauissimorum sententia non cadit irritatio: ꝗ de voto transeundi ad arctiorem Religionem vnanimi consensu fatentur omnes: ergo circa hæc poterit dispensandi facultas in actum prodire: eo vel maximè, quod non semper licitum est irritare votum, quando licitè poterit dispensari.

DISPVTATIO II.

An vota facta in commodum tertij possint dispensari, aut commutari?

Diximus disputatione præcedenti circa primam conclusionem, in quibus sit autoritas dispensandi; & quod Summus Pontifex, & inferiores Episcopi iure diuino habent dispensandi facultatem supra omne votum, in quod possit cadere dispẽsatio. Restat igitur explicandum, an super omnia vota possit ferri dispensatio: nec tamen est animus disputandi de voto solemni Religionis, de hoc enim integrum tractatum iam sumus polliciti. 1

In pro-

Archid. Raymūd. Barth. de Caj. Syluest. In proposita disputatione Archid. Raymund. & Dur. in suis summis. Bart. *de Cay.* relati à Sylu. verb. *Votum*, 4. q. 7. d. 4. existimarunt, non posse Episcopum commutare, & multo minus dispēsare in voto facto intuitu alicuius certæ personę, vel loci, v. g. votum dandi eleemosynam tali Ecclesiæ, vel pauperi; nisi forsan Ecclesia iam esset diruta, vel quid simile: imò idē de Pōtifice dicēdum esse nonnulli arbitrantur. Prob. Sūma *in ca.* Rosella. Rosell. *Ex parte*, de cēsibus, vbi statuitur, sic vouētem posse compelli ad exequendum vo tum. Et ratio huius sententiæ esse potest, quia p er tale votum acquisitum est ius illius rei votiuæ Ecclesiæ, cui facta est promissio, aut pauperi: ergo in illorum iniuriam cederet cōmutatio, aut dispēsatio voti sine ipsorum consensu: ergo talis commutatio fieri non potest. Antecedens probari videtur ex lege, *Illud*. Cod. de sacrosanctis Ecclesijs, quia in causa pia ius etiā absenti acquiritur.

Secunda sententia est Syluest. *loco citato*, qui ex mēte Veruc. & Angeli dicit, quod per huiusmodi votum, nec illi loco, aut illi personæ ius acquiritur, quasi res voto promissa sit iam sua: quia promissio eis facta non est: aut alijs pro ipsis acceptantibus eam: ergo ex vi talis promissionis nullum ius manet acquisitum contra vouentem: & sic quantumuis promissio facta Deo sit in commodum tertij, sine consensu alterius ex iusta causa commutari potest.

2 D. Thom. Caiet. Hæc secunda sententia procul dubio est vera, & ideò tenenda; in cuius explicationem prælibandum est ex D. Tho. *in 4. d. 38. q. 1. art. 1. q. 1. ad quintum, hic art. 5. ad tertium*, & ex Caie. *q. 3. de voto duo* esse genera votorum. *Quædam* vnam tantùm continent promissionem Deo immediatè factā, qualia sunt omnia, quibus Deo tantùm aliquid promittimus, vt votum recitandi hoc, vel illud: & hæc soli Deo ius acquirunt. *Quædam* duplici promissione muniuntur; altera, quæ fit Deo, in qua cōsistit essentialiter votū; altera, q̄ fit Ecclesiæ, imagini, vel tertiæ personæ. Quæ duæ promissiones, vel se habent concomitanter, quando vna promissio nō cadit supra aliam, sed vtraque immediatè supra eandem materiam; vt si promisi Petro me illi daturum eleemosynam, & iterum idem Deo promitto: aut promissio Deo facta cadit supra promissionem humanam, sicut supra materiam voti, vt cùm quis vouet Deo adimplere promissionem alicui factam: & talia sunt vota, quibus aliquid Sanctis, aut Prælatis pollicemur: promittimus enim Prælato obediētiam, Sanctis aliquid in eorum cultum; Deo autem promittimus nos id seruaturos; & hæc promissio posterior est, in qua essentialiter consistit votum.

3 *Dico primò.* Votum soli Deo factum, etiamsi materia illius cedat in commodum tertij, Ecclesiæ, verbi gratia, vel pauperis alicuius, est commutabile, & dispensabile per ordinariam potestatem sine consensu tertij. Promisit quis Deo se daturū eleemosynā Petro, aut cereū B. Marię nullū ius acquirit Petrus supra eleemosynā promissam, ratione cuius teneatur vouens requirere eius consensum ad commutationem obtinendā. Quod efficaciter concludit ratio facta pro sententia Syluestri; & ideò, illo irrequisito, poterit commutationem exigere promissionis factæ. Veruntamen aduertere oportet, in huiusmodi commutatione facienda habendam esse rationem ad vtilitatem eius, in cuius fauorem votum fuerat emissum. Sententia est communis, pro qua Caie. loco citato adducit Guillelm. & Summam Pisanam. *verb. votum*, 6. §. 3. Tabien. verbo *dispens. num.* 12. Armil. *num.* 10. Nauar. *cap.* 12. *num.* 78. refert se latè probasse *in Apolog. de reditibus Ecclesiasticis, q. 1. monit. 71. nu.* 1. posse dispensari in voto sine consensu eius, cui factum est. Caiet. Guillel. Pisan. Tabien. Armil. Nauarr.

Dico secundò. Quando promissio fit non solum Deo, sed etiam alicui Sancto in particulari, votum ordinaria potestate est commutabile, & dispensabile: v. g. promittit Petrus Deo, & imagini Crucifixi, aut B. Mariæ cereum, nulli per talem promissionem acquiritur ius, nisi Deo & Sanctis: ergo per ordinariam Ecclesiæ facultatē, qua commutantur promissiones Deo factæ, possunt etiam isthæc commutari: quia non est Ecclesiæ autoritas minor in his, quæ pertinent ad cœlestem Curiam, quàm in spectantibus ad ipsum cœlestis Curiæ Principem. 4

Obijciet quispiam, eo ipso, quod quis promittit imagini Crucifixi in Ecclesia Salmantina existentis, res votiua promissa intelligitur Prælato Salmanticensis Ecclesiæ: ergo sine illius consensu non potest votu m commutari. *Negatur* tamen antecedens cum Caieta. (qui omninò videndus est) quia in huiusmodi voto locus imaginis Crucifixi, in quo votum est implendum, non cadit sub voto, vt persona cui fit promissio, sed vt circumstantia rei promissæ; & consequenter materia illius voti non est promissio aliqua facta Ecclesiæ Prælato, sed res promissa tali loco conferenda: & ideò sic vouens poterit commutationem, vel etiam dispensationem ex iusta causa procurare, ac si voti materia esset à tali circumstantia nuda: vt si quis voueat Deo nutrire pauperes certo aliquo tempore: quia pauperes non concurrunt, vt persona cui fit promissio, sed vt circumstantiæ eleemosynæ promissæ Deo, potest commutationem voti procurare, pauperibus etiam nitentibus in contrarium. Caiet.

Dico tertiò. Quando in voto Deo facto, reperitur specialis promissio facta alicui personæ, vel Ecclesiæ, siue concomitanter, siue vt materia voti, dummodo promissio fuerit acceptata, non potest tale votum commutari sine consensu illius, in cuius fauorem factum est; non ratione vinculi per se ad votum expectantis, sed ratione promissionis adiunctæ. Hæc assertio communis est autoribus secundæ sententiæ, & sequitur ex probatione præcedentis assertionis: quia ex vi promissionis adiunctæ acquiritur ius Ecclesiæ vel personæ, cui facta est promissio: ergo in illorū iniuriam cederet commutatio facta sine ipsorum consensu: ergo esset nulla commutatio: quia autoritas dispensandi aut commutandi non habet vim auferendi ab aliquo, quod suum est. 5

Dicet quispiam, Summus Pontifex potest absol- 6

absoluere ab obligatione, qua quis tenetur alteri homini: ergo etiam si votum includat promissionem factam alteri homini aut Ecclesiæ; poterit Summus Pontifex super tale votum dispensare: nam aliunde non potest oriri impossibilitas. Antecd. supponit Sylu. *verb. Papa.* §.13. ex
Sylueſt. Innoc. Hoſtien. Berna. Innocentio *art.8.q.3.* Host. & Bern.

Secundò sequitur, quòd si quis voueat Deo aliquam Religionem, & eius Prælatus acceptet promissionem, non possit huiusmodi votum cõmutari in arctiorem Religionem. *Prob.* nam ex vi promissionis factæ laxior Religio acquisiuit ius ad illam personam: ergo in præiudicium Religionis non poterit commutari. Cõsequens est improbabile omninò: quia etiam si professionẽ emisisset in laxiori Religione, quæ promissionẽ Deo, & Prælatis illius Religionis includit, petita licentia ob reuerentiam, etiam non obtenta, posset ad arctiorem Religionem transire: ergo.

Resp. ad primam obiectionem distinguo anteced. potest ex plenitudine potestatis, & supposita vrgentissima causa, concedo anteced. absolutè, & ex quacunque causa nego illud, & similiter conseq. quia potestas dispensandi non dicit plenitudinem potestatis, sed quandam eius participationem. Fateor nihilominus, quod si votum includeret promissionem factam Ecclesiæ, posset Pontifex, vel etiam Episcopus, quatenus sunt dispensatores bonorum illius Ecclesiæ ex rationabili causa tale commutare remittendo iura illius Ecclesiæ. Similiter si votum includeret promissionem alicui personæ factam posset in eo voto dispensare Pontifex, quando propter bonum commune posset obligari persona vt cederet iuri suo. Hoc tamen non officit tertiæ nostræ assertioni: quia in his casibus supponitur consensus eius, in cuius fauorem emissum est votũ, vel alterius gerentis vicem illius.

Ad secundam obiectionem resp. ex D. Thom. *q. vlt. huius part.* expresse asserente, quod obligatus alicui Religioni voto simplici, voti fracti reus nõ est, si perfectiorem assumat: quia in maiori clauditur minus. *Ex quo infert. Caiet.* & benè, propositionem assumptam ad probandam sequelam secundæ obiectionis esse falsam. Si enim imperfectiori Religioni ius esset acquisitum non posset vouens proprio motu illam deserere, & aliam assumere, quoniam in his, quæ concernunt ius alterius non habet locum, quod minus includitur in maiori. In promissione verò, quæ fit Prælato Religionis in solemni professione semper vouens intelligitur ius sibi reseruare transeundi ad arctiorem Religionem: quia dissonum esset rationi priuare se iure procurandi meliorem frugem spiritualem.

7 Archid. Syluest. *Ad rationem* adductam pro prima sententia Archid. & aliorum respondet Syluest. vbi supra, iura illa citata nihil aliud concludere, quàm quod is, ad quem res promissa peruentura erat, quandiu votum non commutatur aut dispensatur habet ius agendi apud Episcopum vel alium superiorem, vt vouentem compellat promissum reddere. Hoc autem secundùm doctrinam Ca-
Caiet. ietani dupliciter potest intelligi. *Primò* ita quod Ecclesia vel quæuis alia persona priuata agat pro iure suo contra vouentem: & hoc in casu nostrę secundæ assertionis falsum est: quia tunc Ecclesia vel persona in cuius fauorem cedit votum, nõ se habent, vt persona, cui facta est pollicitatio, sed vt circunstantia rei promissæ: & ideò ex vi illius pollicitationis nullum sibi ius competit ad rem promissam. *Secundo* modo contingit Ecclesiam agere vel personam contra vouentem, procurando in fauorem diuini cultus adimpleri promissa: & hoc verum est, sed nihil contra conclusionem secundam, in qua negamus verum ius agendi pro re promissa, tanquam pro re sua. Ca. *Ex parte*. nihil obstat: quia textus loquitur, quando Ecclesia habebat ius acquisitum ex ipsa vouentium antiqua obseruatione: lex *illud* loquitur solùm de donationibus pijs sine scriptura factis: nec ex illa colligitur ius in absentia acquiri ei, cui fit donatio. Est enim id valdè inter Iurisperitos controuersum; de quo Tiraq. de priuileg. piæ causæ 114. & 115. Tiraq.

DISPVTATIO III.

Quæ sint vota soli Pontifici reseruata, quoad cõmutationẽ, & dispensationem?

CVm autoritas Prælatorum iure diuino ad omnia vota dispensabilia se extendat, ea tantùm non poterunt Episcopi dispensare, quæ sibi expresse & specialiter prohibentur. Hoc ergo modo inquirimus, quæ sint iure Pontificio vsu, aut cõsuetudine ab Episcopali autoritate subtracta, quoad cõmutationẽ & dispẽsationẽ? Cõmunis sentẽt. docet vsu, & cõsuetudine, quę iuris cõmunis autoritate pollent Summo Pontifici reseruari facultatem dispensandi, & cõmutandi super quinque votis Religionis, scilicet continentiæ perpetuæ, peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ, & Compostelanæ. Dixi consuetudine hæc Pontifici reseruari: quia vt notauit Nauar. *ca.12. n.75.* nullus textus reperitur, qui omnia ista vota soli Papæ reseruet præter votum peregrinationis Hierosolymitanæ, quod in *c. ex multa* de voto, Pontifici reseruatur, vt notauit Glossa ver. *incumbit*; Panorm. & Rabenas: videndus est etiã Sylu. *votum.4.q.3.* Sotus, *lib.7.qu.4.art.3.* Suarez, *lib.6 ca.21* hanc consuetudinem roborantes cũ Nauar. ex extrauagan. *& si Dominici*. Nauar. Glossa. Panorm. Raben. Syluest. Sotus. Suar.

Secunda autem ratio huius reseruationis desumitur ex cap. *maiores*, de Baptismo, vbi statuitur maiores causas ad Summum Pontificem esse referendas, & quod commutatio in his votis sit inter grauiores Ecclesiæ causas computanda nemo ambigit. Præter hæc enumerata nulla alia inuenimus Pontifici reseruata; quidquid dicat Nauar. *comment primo de regul. num.21. §. vigesimũ*, annumerantis inter vota reseruata, votum visitandi gloriosissimam Virginem de Loreto; sed singularis est in hac parte. Annumerant etiam non-

nonnulli præfatis votum assumendi ordinem sacrum, denegantes Episcopis facultatem super illo dispensandi, ex eo quod videtur votum perpetuæ castitatis: improbat tamen Nauarr. cons 18. de voto, quem omnes communiter sequuntur: & ratio est in promptu: etenim huiusmodi votum non est votum directum castitatis, sed est votum de vouenda castitate: vouet enim assumere ordinem sacrum, cui ex Ecclesiæ statuto coniungitur castitatis votum, sed hoc non emittitur ante susceptionem ordinis sacri.

2 *Contra obijciet* quispiam D. Thom. infra. *q*: 184. *art*. 6. asserentem in fine corporis articuli, ad solum Summum Pontificē pertinere in votis perpetuis dispensare. Idem confirmare videtur *q*. 185. *art*. 4. *in fine corporis*: ergo ex mente D. Thom. dicendum est votum assumendi ordinem sacrū, quod perpetuum est; & quæcunque alia perpetua Pontifici reseruari. Negatur consequentia, & mens D. Thom. manifesta est: Nam in primo loco loquitur de votis perpetuis pertinentibus per se ad statum perfectionis, & in secundo loco expressè loquitur de voto, quo Episcopus adstringitur ad gerendum curam subditorum. Nam inquit: *Soli enim Papæ licet dispensare in voto perpetuo, quo quis se ad curam subditorum adstrinxit Episcopatum suscipiens*. Quia in hoc quilibet Episcopus soli Pontifici subijcitur immediatè, & ideò ab eo solùm poterit ab hoc onere liberari.

D. Thom.

Scio aliter Caiet. interpretari D. Thom. de voto perpetuo per se, non de eo, qui per accidens perpetuum est: vide illum, Syluester, *votum*, 4. q. 3. §. *sextum*, interpretatur D. Thom. & quemcunque alium asserentem soli Pontifici reseruari quæuis vota perpetua, de votis continentiæ, & Religionis esse intelligēdos. Obiter circa votum Hierosolymitanum aduerte ex Syluest. loco citato. §. *quintum*, quod licèt Panormitan. in d. cap. *ex multa*, concedat Episcopis facultatem dispensandi in voto terræ Sanctæ, si factum sit pro deuotione, non pro subsidio, ex eo quod in d. *cap. & in cap. quod super his* eodem titulo solùm Pontifici reseruatur votum terræ Sanctæ in subsidium eius, oppositum tamen obtinuit consuetudo: & ideò siue votum sit in subsidium, siue ex deuotione solùm Pontifex potest in eo dispensare. Idem de voto Sancti Iacobi dicendum existimo cum Syluestro.

Syluest.

Panor.

Illud in eo valde displicet, quod statim subiūgit in fine. §. *quintum*, ex Summa Rosella, quod votum, quo aliena incerta in subsidium terræ Sanctæ deuouentur, non potest per Episcopum dispensari, vt in alios vsus conuertantur, etiamsi vouens Religionem ingrediatur. Nec minus displicet Host. in *Summ. titulo de voto*. §. *qualiter*: hanc reseruationē extendens ad quæcūque vota in fauoré Crucis emissa: quia reseruationes istæ nec in iure habentur expressæ, nec aliqua sunt consuetudine introductæ: ergo non sunt admittendæ. *Probatur conseq.* Nam cum hæc reseruatio sit valde onerosa, & præiudicium afferat Episcopi autoritati, admittenda non est; nisi in casibus à iure expressis, vel legitima consuetudine introductis. Antecedens ex eo conuincitur, quod Syluest. & Hostien. nullam consuetudinē benè fundatam, iusve pro sua sententia adducunt, nec adducere possūt: quia in cap. *quod super his*. & cap. *ex multa*. in quibus fit specialiter reseruatio voti Hierosolymitani, solùm ibi reseruatur votùm emissum in subsidium terrę Sanctæ, Crucis signo assumpto. De votis sub disiunctione factis de materia reseruata, & non reseruata, nullus dubitat ea non esse Pontifici reseruata, vt si quispiam voueat Religionē, vel bona sua pauperibus erogare, partem quam maluerit potest eligere per regulam, *in alternatiuis*, de regulis iuris in 6. ergo quando altera pars disiunctiuæ est de materia non reseruata, simpliciter sic vouens non obligatur ad materiam reseruatam, & sic per ordinariam Episcopi facultatem potest super istiusmodi vota cadere dispensatio.

Illud in hac disputatione est valde inter Theologos controuersum, an possit Episcopus dispensare super his quinque votis, quando conditionaliter emittuntur? 3

Videtur vera pars negatiua. Votū Religionis sub hac forma: *si pater obierit assumam statum Religionis*, est verè conditionatum, & in eo non valet Episcopus dispēsare: ergo. Minor probatur votum illud æquiualet huic: *Post mortem Patris, Religionem ingrediar*: at nemo ambiget votum hoc esse magis ab Episcopo dispensabile, quam si dixisset post annum, vel post mensem Religionem ingrediar: quod est omninò absolutum & perfectum votum Religionis. *Secundò*: in huiusmodi votis supposita saltem conditione, statim oritur obligatio ad Religionem, nata & confirmata ex vi voti, sed in obligatione Religionis nequit Episcopus dispensare: ergo. *Probatur* consequentia: quia dispensatio non cadit supra actum conditionatum, qui iam non est, sed supra obligationē ab eo derelictam: ergo si conditione supposita inducit obligationem æquè perfectam, ac votū absolutè emissum, eodem modo erit dispensabile. *Maior declaratur*. Alij actus siue contractus sub conditione facti impleta conditione sunt ita perfecti, ac si à principio fuissent omninò absoluti: eosdem pariunt effectus morales etiam odiosos, & pœnales: quæ est ergo inuidia hoc ipsum voto sub conditione emisso denegandi? Antecedens probatur: tum ex leg. *potior*, ad finem. ff. qui in pignore potiores, quæ sic habet: *Cum semel conditio extiterit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est sine conditione facta esset*. Tum etiam inductiuè in sponsalibus sub cōditione, quæ impleta conditione inducunt impedimentum publicæ honestatis, non minus, quàm si fuissent absoluta, cap. *vnico*. §. *ille*, de sponsalibus in 6. Similiter collatio beneficij pretio promisso ante impletam conditionem nullam censuram inducit: at pretio dato statim incurritur pœna à iure lata: idem ergo in proposito dicendum est.

An votū conditionatum in materia reseruata maneat reseruatum?

4

In decisione huius disputationis variant Doctores, tam Theologi, quàm Iurisperiti Gregor. Valen: 2. 2. *disp*. 6. *q*. 6. *puncto*. 7. Aragonius *hic dub. de votis pœn*. Nau. *cap*. 12. *nū*. 43. Ioan. Gutier. *lib*. 2. *quæst*.

Valenc. Aragon. Nauarr. Gutier.

quaest. Canon. cap.22. num. vltimo, docent votum conditionatum in materia reseruata, vt condistinctum à pœnali, etiam ante conditionem impletam, Pontifici reseruari: de pœnali verò existimauit Aragon. etiam impleta conditione posse ordinaria facultate dispēsari, secutus cōmunē vt ipse inquit, Sotus verò *lib.7.q.4.* quamuis admittat in votis pœnalibus ante adimpletam: cōditionem citra dubium posse Episcopum dispensare, conditione verò apposita neutiquam. Nauarr. *vbi supra nu.43.* post relatam sententiam Soti, dupliciter ait posse emitti huiusmodi vota. Primò sub hac forma: *Si tale peccatum commisero, voueo me ingressurum Religionem.* Secundò ad hunc modum: *Voueo me non commissurum tale peccatum sub pœna ingrediendi Religionem.* Votum primo modo emissum, nec ante, neque postea potest ab Episcopo dispensari inquit Nauar. Secundi generis votum continet duo: alterum principale de non admittendo peccatum illud: alterum accessorium de ingressu Religionis: & quia certum est in priori voto principali Episcopum dispensare, poterit etiam in posteriori: quia accessoriū sequitur principale, antea tamen, quàm peccatū admittatur.

Sotus.

5 Pro decisione *notandum est*, vota hæc, quæ in specie conditionata videntur, esse in triplici differentia. *Primò* vt speciem tantum, & figurā habeant conditionatorum, cum tamen re vera sint absoluta omninò. Exemplum sit in eo, qui ex affectu vehementi ad Religionem vouet sub hac forma: *Promitto ingredi Religionem, si pater obierit, vel si frater natu maior habuerit filios.* Hæc, & similia, verè sunt vota absoluta, nam obitus patris, vel filij fratris non sunt motiua, aut conditiones inducentes illius animum ad vouendum Religionem, sed tantùm circunstantia quædam ad implendum Religionis votum, habent tamen speciem conditionatorum: quia partes orationis, per quas emittitur votum, coniunguntur illa dictione *si*, sed reuera, vt dixi, non habet vim conditionis, sed cuiusdam extrinsecæ circunstātiæ ad impletionem voti. *Secundo modo* possunt fieri hæc vota, ita vt re vera conditionata sint, & purè conditionata sine admixtione alicuius pœnæ: vt si quis pro salute obtinenda aliquid voueat Deo, vel magnis tentationibus pressus dicat: *Si Dominus adiuuerit me promitto adire Hierosolymam*, vel *ingredi Religionem*: eiusmodi votum verè conditionatum est, quoniam is, qui vouet, nō habet absolutè animum peregrinandi, sed posito semel, quod ei Deus contulerit postulata: itaque loco beneficij recepti promittit Deo obsequium. Tale fuit votum, quod emisit Anna. 1. Reg. 1. *Si dederis seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino.*

1. Reg. 1.

Tertio modo possunt hæc vota conditionata emitti, admixta aliqua pœna, & hæc dicuntur cōditionata pœnalia: vt si quis exosum habens aliquod crimen, promittat Deo, si tale crimen commisero assumam habitum Religionis: in pœnam, scilicet delicti commissi. Hæc autem vota in eo ab his, quæ sunt secundi generis differunt, quoniam in illis materia voti est gratiarum actio, in pœnalibus verò, est punitio sui ipsius propter admissam culpā. *Secundò*, quod gratiarum actio, quæ est materia votorum secundi generis grata est ipsi vouenti facta suppositione: at materia votorum tertij generis suppositione etiam facta assumitur vt molesta, & pœnalis vouenti ad vindicandam culpam. His præmissis

6 *Dico primò.* Vota conditionata secundùm apparentiam, & speciem tantùm non possunt vlla ratione ab Episcopis dispensari. Probatur. Nam huiusmodi vota sunt omninò absoluta, & temporalia magis quam conditionalia, ly enim *si*, in præfatis votis æquiualet his aduerbijs, *quando, cū, post, &c.* vnde sicut qui post biennium promittit ingredi Religionem, absolutè vouet, & votum Pontifici reseruatur: sic qui vouet post mortem patris habitum Religionis suscipere, absoluè vouet, & eodem modo eius dispensatio soli Pontifici reseruabitur.

7 Dico secundò. Vota pœnalia, nec ante, nec post impletam conditionem sunt Pontifici reseruata. Sententia hæc communis est, quam sequitur Medina in *Summa lib.1. cap.14.§.6.* Ludouic. Lopez *prima parte, cap.44.* Sotus *li.7. quaest.4. art.3.* probabilē eam existimat, quāuis in cōtrariam magis inclinet, Couarr. cap. *quamuis pactū, prima parte.§.3. num.12.* Perez, *leg.37. titulo 19. li.8. ordin.* & ex iunioribus, Sanctius de *matrimonio li.8. disp.10. num.8.* Suarez *cap.23. lib.6. num.6.* Aragon. *hic dubio de votis pœnalibus*, docens eam esse communem. Ratione prob. Qui sibi Religionis ingressum cōminatur in pœnam, si tale crimen admiserit, eius intentio non fertur directè, & per se ad Religionem: quia non ex affectu illius, sed ex odio, & in cautionem criminis, vt à ludo, vel mœchia, v.g. se se cohibeat: ergo tale votum nō est Pontifici reseruatum, quia exceptio debet intelligi de eo quod est simpliciter, & directè votū Religionis, vel peregrinationis Hierosolymitanæ, &c. *Secundò.* Pontifex ea solùm sibi vota reseruauit in præfatis materijs, quando sunt vota absoluta faciendi illa quinque opera, sed quando vouentur in pœnam, non vouentur vt absolutè facienda: ergo non sunt vt sic Pontifici reseruata. *Minor* manifesta est ex eo quod sic vouēs exosam habet, v.g. Religionem: ergo non vouet illam, vt absolutè assumendam. *Maior* etiam manifesta est: quia cùm versemur in materia odiosa, ea tantū Pōtifex sibi intelligitur reseruare, quæ absolutè, & cum omni proprietate talia esse in præfatis materijs iudicentur.

Medina. Lup. Lop. Sotus. Couar. Perez. Sanctius. Suarez. Araon.

8 *Obijci potest* cōtra has rationes, quod si aliquid probarent, conuincerent, etiam votum pœnale sub cōditione de præsenti aut de præterito, vt si quis in pœnam admissi criminis voueat Religionē, posse per Episcopū dispēsari: at hoc non admittitur: ergo nec aliud admittēdum est. *Maior prob.* nam sic vouens non ex affectu Religionis, sed ex odio criminis. & in punitionem delicti Religionem promittit: ergo eandē imperfectionem habet, ac si conditio esset de futuro. *Neg. maior:* ad probationem concedo antec. & distinguo cōseq. eandem imperfectionē, habet ex parte motiui, concedo, ex parte consensus; nego conseq.

Vnde

Vnde fateor argumentum concludere solam imperfectionem motiui, non sufficere vt votum Religionis reseruatū non sit: aliàs si quis, vt vitet periculum vitæ, vel vt honores consequatur, Religionē promittat, & non ex affectu Religionis, huiusmodi votum non esset reseruatum: aliunde ergo maior est imperfectio, scilicet ex parte consensus. Nam quādo conditio est de præsenti, aut præterito, consensus verè absolutus est, omninò independens ab aliquo futuro euentu, & directè tendens in rē promissam: at in pœnalibus pendētibus ex conditione de futuro, non fertur directè consensus in rē promissam, imò conatur, quantū sibi possibile est illam euitare, & ad id tenetur sæpius, quādo conditio apposita de futuro mala est, vt si tale crimen admisero. Igitur ratione huius diuersitatis votum, apposita conditione de præsenti, est vere absolutum: & ideò Pontifici reseruatum, votum verò pendens ex conditione de futuro, reseruatum non est: quia nec absolutū, nec directum est.

9 *Dico tertiò.* Vota verè, & purè conditionalia post impletam conditionem possunt ab Episcopis dispensari. Hāc sententiā tenuit olim doctissimus P. Orellana, quem sequuntur plures ex iunioribus Thomistis: eandē tenet Antonius Gomez *super Bullā Cruciatæ*. Prosequitur late Sāctius *li. 8. de matrimonio disp. 10. nū. 12. & sequētibus.* Probatur: Summus Pontifex tantùm reseruauit sibi illa quinque vota, quando sunt vota absolutè, & simpliciter: sed vota conditionata non sunt vota simpliciter, sed secundum quid, & ex suppositione, vt est per se manifestum: ergo sic non sunt à Pontifice reseruata. *Maior probatur*, nam ius illud, siue vsus, quo Pontifici reseruantur hæc quinque vota, est odiosum, restringens ordinariam Episcopi facultatem sibi iure diuino concessam: ergo tale ius siue consuetudo restringi debet ad ea, quæ sunt vota simpliciter absoluta, & directa, & non ampliari ad ea, quæ secundùm quid indirecta, & conditionata sunt.

Orellan. *An. Gom.* *Sanctius.*

Secundò. Huiusmodi vota ferè ex communi tā Theologorum, quā Iurisperitorū sententia ante impletam conditionē possunt ab Episcopis dispensari: ergo post ipsam positam: Nam apposita conditione non amittit votum naturam voti conditionalis secundū quid, & indirecti: sicut ex eo, quod Petrus currat propositio hæc: *Si Petrus currit mouetur:* naturam propositionis conditionalis non amittit. sed ante cōditionem positam propter naturam voti conditionalis, poterat dispensari in tali voto ab Episcopo: ergo post impletam conditionem.

Tertiò. Vota pœnalia dispensabilia sunt etiam adimpleta conditione, per ordinariam Episcopi facultatem, & non sunt Pontifici reseruata, vt diximus: ergo nec purè conditionalia conditione impleta. Probatur consequentia: quia vnica & fundamentalis ratio, ob quam Suarez admittit antecedens, ea est; quod in voto pœnali, vouens non intendit directè, & per se id, quod vouet in pœnā, putà Religionem, sed intendit vitare culpā, ne subeat pœnam sibi exosam: at hæc eadem ratio militat in pluribus ex conditionatis purè: ergo. Probo minorem, ex sententia eiusdem autoris *cap. 22. num. 4.* in eo, qui in mortis periculo constitutus vouet Religionem, si euadat incolumis, vel si aliqua ægritudine pressus peregrinationem promittat. Huiusmodi enim promissiones non procedunt directè, & per se ex affectu Religionis, & cultus Dei, sed ex affectu vitandi malum, quo premitur, vel timet; & id directè, & per se intendit.

10 *Et si dicas* disparem esse rationem de voto pœnali, & de purè conditionali: quod in illo vouens conatur vitare cōditionē, ne pœnā subire cogatur, scilicet Religionē assumere: in posteriori verò obtinere nititur conditionē; v.g. salutem, incolumitatē vitæ, &c. Fateor diuersitatem; sed insufficientem ad reseruādum vnum, & non aliud: nam ex quo intentio vouentis non dirigitur ad rem promissam, sed ad conditionem siue vitandam, siue assequendam, neutrum est directum votum Religionis, &c. *Confirmatur*: nam intendere vitare culpam, cuius commissio apponitur vt conditio, sufficiens causa est ad non reseruationem voti in sententia præfati autoris: ergo si quis voueat ingredi Religionē, si tale crimen cōmiserit, non assumens Religione vt pœnā vindicatiuam criminis, sed vt medicinalem, tale votum non erit Pontifici reseruatum, quod negat, *cap. 24. num. 13.* Probatur sequela: Nam sic vouēs, per se & directè intendit, imò tenetur vitare oppositam conditionem: ergo non est directū votum Religionis: at est purè conditionale: ergo Episcopus potest de facto vota purè conditionalia dispensare.

Obijciet quispiam. In voto cōditionato est plenus consensus, & omninò absolutus pro tempore, quo in esse conditio ponitur: ergo non est cur non comprehendatur sub communi regula reseruatorum. Nam imperfectio motiui nihil præstat, vt videmus in eo, qui intuitu honoris, & dignitatis obtinēdæ in Religione, promittit eam ingredi, cuius promissio omninò est absoluta, & Pontifici reseruata. *Probatur* antecedens. Conditio de futuro non minuit perfectionem consensus, sicut nec minuit conditio apposita de præsenti, aut de præterito: vt si quis dicat: *Si filius viuit Compostellaneam peregrinationem voueo*: profectò huiusmodi votum conditione existente absolutum est, & omninò reseruatum.

Ad obiectionem nego antecedens: ad probationem disparitas est, quod conditio apposita de præsenti non suspendit consensum, sed est verè absolutus, si conditio existat, vt habetur in leg. *cū ad præsēs. ff. si certū petatur*: at cōditio de futuro perfectionē cōsēsus suspēdit, atque is imperfectus est pēdens ex futuro cōditionis euentu. Et ob id cap. vnico *de spōsalibus. in 6.* apposita cōditio de futuro non inducit publicæ honestatis impedimentū, illud tamen inducit apposita de præsenti: quod verò posita conditione de futuro in esse, sine mutatione aliqua consensus in absolutum transeat, mens non capit: qui enim fieri potest, quod consensus essentialiter imperfectus, & ex natura sua pendens, transeat in consensum perfectum omninò manens immuta-

mutatus? Si ergo consensus pendens ex futuro imperfectus est ex natura sua ante conditionem appositam, & insufficiens ad reseruandum votum, & conditione apposita non mutatur, vt admittunt autores contrariæ sententiæ, cur postea reseruabitur votum talem consensum includens essentialiter?

12 *Ad argumenta in principio resp.* Ad primum iam diximus non esse votum verè conditionatum, sed omninò absolutum, quamuis suspendens executionem in tempus futurum. Idem est, si quis grauatus infirmitate promittat ingredi Religionem si salutem recuperet: si tamen voueat ex affectu Religionis, & solùm addit illam determinationem, non vt veram conditionem ad suspẽdendum consensum, quod est proprium conditionatorum, sed ad commodam voti executionem. *Ad secundum* concedo maiorem, & distinguo minorem: non potest Episcopus dispensare in obligatione castitatis vel Religionis, orta ex voto absoluto castitatis, concedo minorem: orta ex voto, & promissione imperfecta, secundùm quid & inducta, nego minor. Ad probationem nego antec. nam dispensatio non fertur immediatè in obligationem voti, sed in ipsam promissionem: nam impossibile est, quod lege aut voto in sua firmitate manente non oriatur obligatio necessario. vnde dispensator legis, vel voti per se primò respicit legem, aut votum, faciendo, quod lex huic nõ sit lex, vel votum huic, hîc & nunc non sit votum, subtrahendo ab eo debitam materiam voti: & secundario fertur in obligationem voti, quæ statim cessat dispensatione facta. Et ideò illa obligatio, quæ oritur apposita conditione, siue sit tam magna, quàm quæ oritur ex absoluta promissione, siue non, noluit eam sibi Pontifex reseruare quoad dispensationem, & commutationem: quia ortum habet ex consensu quodam imperfecto, & conditionali: illud verò quod adducitur, in dispensationibus non attendi ad radicem obligationis, & originẽ, sed ad ipsam obligationem falsum esse ex dictis conuincitur. Nam non reseruatur per se obligatio, sed votum, sicut irritatio per se non respicit obligationem, sed originem, & promissionem ipsam.

13 *Ad vltimum* de alijs contractibus conditionatis inducentibus eosdẽ effectus morales etiam odiosos apposita conditione, quos inducerent, si absque conditione celebrarentur. *Resp.* eas leges seu pœnas respicere solam facti veritatem, vera scilicet sponsalia; veram beneficiorum venditionem, &c. At reseruatio potestatis respicit, nõ quamcunque, sed perfectam rationem voti. Et ratio discriminis præter superius assignatas reddi potest, quod Ecclesia prohibens venditionẽ rei spiritualis statutis pœnis conatur euellere, ac penitus eradicare ex cordibus hominum vitiũ simoniæ; vnde debuit statutis pœnis, nõ solũ cõprehendere simoniam vndequaque perfectam, sed omnem, quæ verã haberet rationẽ simoniæ: vnde Caiet. vt videbimus infra satis verosimiliter existimauit, simoniam per traditionem rei spiritualis duntaxat consummatam subiectam esse pœnis contra simoniacos latis: aliàs Ecclesia in suis legibus frustraretur, latum cãpum relinquens suis fidelibus, ad quoslibet simoniacos contractus exercendos. At Pontifex reseruans sibi promissiones Deo factas in præfatis materijs nõ conatur à vouẽdo fideles auertere, imò nec debet, sed potius ad vouendum allicere & inuitare: & ideò ne exosas faciat fidelibus promissiones Deo factas quãdocũque eas reseruauerit, in omni rigore interpretandus est, de ea promissione, quæ perfectam, & consummatam rationem habet promissionis in materia reseruata. Loquor de perfectione intrinseca promissionis.

Ex dictis in tota hac disputatione infero corollariũ: quoties dubitatur de valore voti in materia reseruata, siue sit dubium facti, siue iuris, per Episcopum potest huiusmodi votum dispensari: 14
quia votum de cuius valore dubitatur non est simpliciter votum, reseruatio verò intelligitur de votis simpliciter certis & indubitatis. An verò detur casus, in quo possit Episcopus dispensare in votis de materia reseruata, quãdo certò cõstat illa esse reseruata? alia quæstio est. Cui dubitationi ex communi sent. resp. quando nõ est facilis aditus ad Pontificem potest Episcopus dispensare super illis quinque votis, causa existẽte. Sententiam hanc tenet Sylu. verb. *votum* 4. §. 4. clarius verb. *dispensatio.* §. 9. Nauarrus *cap.* 12. *num.* 42. & 75. *cum sequentibus.* Suarez, *lib.* 6. *cap.* 26. *nu.* 9. Sanctius, *lib.* 8. *de matrimonio, disp.* 9. *num.* 22. & *seq.* & videtur etiam Caiet. 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 4. asserentis: in leuibus, in periculosis, in frequentibus causis posse Episcopum dispensare, etiam si aliàs huiusmodi causæ sint Pontifici reseruatæ.

An detur casus in quo possit Episcopus dispensare in votis reseruatis?

Syluest. Nauar. Suarez. Sanctius. Caiet.

Prob. Iure diuino concessa erat facultas dispensandi super omnibus votis dispẽsabilibus, & hæc potestas Summi Pontificis autoritate limitatur, ne in actum exeat respectu aliquorum: sed credendum non est Summum Pontificẽ interdicere hanc potestatem, quando aliàs non patet facilis aditus ad ipsum, vel ad alium habentẽ delegatam potestatem super hæc vota dispensandi: ergo inest modo Episcopis talis potestas. *Probat. minor:* quoniam talis prohibitio esset in graue præiudicium Ecclesiæ, & in Christi offensam: multi siquidem haberent legitimam causam ad dispensationem petendam, nec tamen possent propter difficilem aditum ad Pontificem.

Sed dubitabit quispiam, quis censebitur difficilis aditus, & quæ causa legitima? Qua in re præcipuè standum est arbitrio prudentis viri, qui cõsiderabit locorum distantiã, temporis opportunitatem, personæ qualitatem, aliasque omnes circunstantias, inter quas præcipuè ponderanda erit indigentia, & pecuniæ inopia, si enim quis nummos non habeat pro dispensatione obtinenda, etiam si aliàs facilè posset adire Romam, cum eo poterit Episcopus dispensare: similiter si imminet graue periculum transgressionis voti, & recursus ad Pontificem est quasi moraliter impossibilis. Aduertat tamen Episcopus, quod si vouentis necessitati possit subuenire per solam suspensionem executionis voti, non

non debet totaliter in voto dispensare: quia præfata potestas solùm fundatur in quadam æquitate,& pia interpretatione:ergo extendi non debet vltra id,quod exigit moralis necessitas: quando igitur per solam dilationem executionis voti,satisfit necessitati vouentis,non debet totaliter votum auferri. Circa secundam conclusionem D.Thom. est

DISPVTATIO IIII.

An ad valorem dispensationis requiratur causa legitima?

1 Videtur vera pars negatina,si dispensatio absque legitima causa esset inualida,maximè quia Pontifex Sũmus non est dominus,sed dispensator. Qua ra-
D.Thom. tione vtitur Diuus Thomas ad secundum: sed hæc ratio est inefficax: tum,quia quamuis non sit dominus beneficiorum,si indigno conferat dignori relicto,valida collatio censetur: tum, quia in legibus condendis non est dominus, sed dispensator,quas tamen,& dispensare, & abrogare ad libitum potest. *Dices* hanc potestatem esse concessam Prælatis in ædificationem Corporis Christi,quod est Ecclesia,non in eius destructionem,vergeret autem præfata potestas in destructionem Ecclesiæ,non in ædificationem,si possent Prælati absque legitima causa in votis validè dispensare.

Contra secundò arguitur:quia si solutio hæc aliquid conuinceret,probaret vtique non posse parentes filiorum vota ad libitum irritare, cuius contrarium supra monstratum est. Hæc enim potestas data est illis non in destructionem, sed in ædificationem.*Confirmatur,*In omni fidelium voto intelligitur hæc conditio: *Si Papa consenserit:* quia superior est in vniuersali Ecclesia Christi: ergo pro libito potest proprium denegare consensum,& consequenter auferre totaliter obligationem cuiuscunque voti, nulla subsistente causa.

Tertiò. Lex particularis ab inferiori condita non præiudicat autoritati superioris:sed votum est quædam lex particularis à vouente condita: ergo non præiudicat autoritati superioris:& ideò eam omninò poterit abolere.

Propter hæc,& similia argumenta existimarunt nonnulli relati à Diuo Thoma in articulo, quamcunque dispensationem voti à Pontifice factam pro libito esse validam,& absque legitima causa suum effectum sortiri. Sed in contrarium obstat autoritas Diui Thomæ,& omnium Scholasticorum.

2 *Dico primò.*Dispensatio obtenta absque legitima causa,nulla est,& qui ea vtitur reus fracti voti censendus est. Assertio ad quæcunque Prælatum extenditur,ad Summum etiam Pontificem:& communis est Theologis & Iurisperitis,
Archid. eam defendit Archidiaconus in cap. *autoritatem,*
Gloss. 10.*quæst.* 6. Glossa in capite, *non est*, de voto,
Imola. Imola in capite *cum olim,* de clericis coniugatis, Felinus in capit. *Quæ in Ecclesiarum*, de constitu- Felinus.
tionibus,numero 25. Nauarrus *capit.*12.*num.* 57. Nauar.
& 76. Theologi cum Diuo Thoma *in hoc articulo*,& in 4.*dist.*38. Summistæ verbo, *dispensatio*, & verbo,*votum*,Sotus lib. septimo quæstion. quar- Sotus.
ta articulo tertio:eamque possumus ex communi fidelium sensu comprobare;qui nunquam petunt huiusmodi dispensationes absque legitima causa:quod si absque causa obtineant, nec se esse securos existimant,& eos semper remorsus conscientiæ exagitat.

*Ratione probatur:*Summus Pontifex,& quicunque inferiores Prælati non sunt domini,sed fideles dispensatores,non in destructionem, sed in ædificationem,vt docet Paulus 2. *Corinthio.*3 at 2.Cor.13.
manifesta esset Ecclesiæ destructio, si absque legitima causa Prælati pro libito dispensarent: ergo non habent hanc dispensandi autoritatem. Confirmatur.Si œconomus domini debita remitteret sine causa,omninò remissio esset inualida:at Ecclesiæ Prælati œconomi sunt, non domini:non possunt ergo ea, quæ Deo debentur, remittere sine causa.

*Secundò.*Inferior nõ potest absque causa in ea lege dispensare,quæ à superiori habet firmitatẽ: sed votum est lex quædam particularis à Deo, cui fit,immediatè accipiens firmitatem:ergo Ecclesiæ Prælati, qui omnes Deo inferiores sunt, nequibunt in voto absque subsistente causa dispensare

*Dico secundò.*Ad valorem dispensationis requi- 3
ritur causa obstans,id est impediens executionẽ voti. Assertio est D.Th.in solutione ad secundũ, D.Thom.
vbi asserit,quod si Prælatus cum aliquo dispensaret super voto de ingressu Religionis nulla apparente causa obstante: huiusmodi dispensatio non excusaret à culpa transgressorem voti. Secundò. Idem D.Thom. *artic.*10. tunc docet esse legitimam voti dispensationem: quãdo res promissa est mala,vel inutilis,vel maioris boni impeditiua:sed in omnibus his casibus reperitur causa obstans:ergo dispensatio valida voti semper debet fieri propter obstantem causam. Probatur minor:Nam quando res promissa efficitur inutilis, iam est causa obstans propter defectum materiæ;si verò res promissa noceat:iam est causa obstans propter malitiã rei:id est propter nocumentum:si verò abstinere ab vxore impediat maius Reipublicæ bonum: iam est causa impediens executionẽ voti,vt habetur ex capit.*non est.* capit.*ex multa*, quod etiam extendit Nauarrus *numero*.77.*citato*,ad bonum,& vtilitatem alicuius domus,vel familiæ: esse enim aliquando opus pietatis Religioni præferendum, (maximè si pietas in Dei cultum referatur) nullus est,qui ambigat. Ecce qua ratione D.Tho.per causam obstantem paucis complexus est omnes causas legitimæ dispensationis,quas fuerat prosecutus *art.*10. Tunc autem intelligimus has causas obstare voti executioni,cũ vel vtilitas Ecclesiæ, vel Christi honor exposcit,ne votũ executioni mandetur,quæ sunt duæ aliæ causæ commemoratæ à D.Thom. articul. 11. Sed quia doctrina hæc in

praxim quotidie deducitur, & sermones in particulari vtiliores sunt, quàm in communi, de singulis pauca dicamus.

4 *Dico tertiò*. Quoties ille, qui vouet est in periculo transgrediendi votum, si periculum ortum habeat ex statu vouentis, siue ex fragilitate animi, aut corporis ipsius vouentis, sufficiens causa censetur ad dispensationem legitimè obtinendam: verbi gratia, vouit quis castitatem: sed nihilominus matrimonium contraxit: in magno est periculo constitutus transgrediendi votum, & ideò huiusmodi periculum sufficiens causa est ad dispensandum in debiti petitione. Similiter vouit quis religionē: postea infirmitatibus grauatus vix poterit ob corporis imbecillitatem sustinere onera Religionis, sufficiens causa est ad dispensandum. *Item* qui vouit castitatem, & propter imperfectionem spiritualem, & alias varias tentationes, quibus vexatur, violat castitatem, ita quod melius illi esset nubere, quàm vri, legitimè dispensabitur, vt vxorem ducat. *Exemplum* hoc habetur in cap. *aduentens*, qui clerici vel vouentes, qui textus est apprimè notandus: nam ex illo clarè colligitur potiori iure dispensationē fieri ex eadem causa super alijs minoribus votis peregrinationis, ieiunij, &c.

Doctrina hæc sumitur ex D. Thom. art. 10. asserente, tunc super voto legitimè dispensari: quando res promissa incipit esse mala vel inutilis, id est quando res licet in se bona sit, præbet tamen occasionem mali ex fragilitate, siue spirituali siue corporali subiecti. Vide Sylu. *votum* 4. Richard. *dist.* 38. *art.* 9. *quæst.* 1. Prob. Rationi consonum est, quod in his, & similibus casibus Prælatus gerens vicem Dei, autoritatem habeat dispensandi, & tollendi vinculum, & obligationē voti: tum, quia hoc cedit in honorem Dei, ne frequenter illi irreuerentia fiat: tum in commodū ipsius vouentis; tum tertio, quia cum de ratione voti sit, esse de meliori bono, impediens maius bonum vouentis deniat à fine voti, & consequēter est sufficiens ratio dispensandi. Idem dicendum reor, quando noua oritur difficultas adimplendi votum ex aliqua mutatione materiæ, quæ si tanta sit, vt clarè constet vouentis consensum non ferri à principio supra materiam illam, illa difficultate vestitam, nulla requiritur dispensatio: sed statim cessat vinculum, & obligatio voti ex defectu deliberationis circa materiam talibus indutam circunstantijs.

Syluest. *Richard.*

5 Si autem rationabiliter dubitetur de consensu & voluntate vouentis circa præfatam difficultatem, habet locum dispensatio: vt in communi docet D. Tho. in solutione ad secundum, loquens de causa obstante executioni voti his verbis: *Si autem esset causa apparens per quam saltem in dubium verteretur, posset stare iudicio Prælati dispensantis, vel commutantis, non verò iudicio proprio, quia ipse non gerit vicem Dei. Vide.* Syl. q. 6. Nau. *cap.* 12. *nu.* 77. sed limitat Sotus *lib.* 7. *quæst.* 4. *art.* 3. & meritò limitanda est doctrina in hac assertione expressa ad periculum spirituale vouentis, & difficultatem operis, quando hæc proueniunt ex parte materiæ, status, vel etiam ex fragilitate subiecti: non tamen si ortum habeant ex malitia illius, etiam si aliàs timeatur malus successus in voto: nulli enim debet propria malitia patrocinari; neque ex ea quis commodum reportare: & rursus, quia votum fit, vt consummetur homo in bono, & vt à se malitiam excutiat: ergo malitia non est sufficiens causa ad tollēdam voti obligationem.

Syluest. *Nauar.* *Sotus.*

Dico quartò. Facilitas animi, & insufficiens deliberatio proueniens vel ex passione iracundiæ, vel ex metu, &c. sufficiens causa est ad dispensationem obtinendam. Conclusio sumitur ex Caiet. artic. 1. dubio tertio: vbi loquens de voto: *Quædam*, inquit, *ex facilitate animi, aut passionibus statim fiunt: vt multis pro qualibet re statim vouentibus, contingit: & quidam tot multiplicant faciliter vota, vt nesciant ad quæ vouendo se obligarunt: & talia vota, licet sint verè vota, &c. non sunt tamen vsquequaque obligatoria, pro quanto facilis debet eorum esse dispensatio, redemptio, aut commutatio.* Ex quo formatur argumentum. Ad perfectam obligationem voti requiritur perfecta animi deliberatio: ergo imperfecta deliberatio imperfectam inducit obligationem voti: & consequenter præbet causam dispensandi Videndus est. Syl. verbo. *votum.* 2. *qu.* 13. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 27. Sotus *lib.* 7. *de iust. qu.* 1 *art.* 2. 6

Caiet.

Sed obijcies caput. 2. de voto, vbi Alexander III. votum vltra marinum in ætate puerili factum ex facilitate potius (vt inquit ipse Pontifex,) quàm ex arbitrio, non dispensat, sed commutat in eleemosynas: ergo facilitas in vouendo, aut imperfecta deliberatio non est sufficiens causa ad dispensandum. *Negatur consequentia*: Nam quando subest sufficiens causa ad dispensandum, & commutandum votum, non cogitur Prælatus dispensatione vti, sed potest pro libito vel dispensare, vel commutare votum: quin potius regulariter Pontifex in suis dispensationibus, aliquam intermiscet commutationem: vt videre est *in cap.* 1. *& secundo, de voto, & in cap. magna, eodem titulo*, cum alijs. Idque ita faciendum esse, & vsus comprobat, & sapientium consilium docet, nisi causa dispensationis sit adeò vrgens, vt subditus ius habeat, vt ei dispensationis beneficium impendatur, tunc enim non licet superiori inferiorem cogere, vt aliquam obligationē acceptet pro commutatione voti: & sæpè posse dari huiusmodi causam vrgentem ad solam dispensationem obtinēdam nulla superaddita obligatione suadet potestas dispensandi, à cōmutādi potestate omninò distincta, aliàs si nunquā in proprium actum dispensandi simpliciter à commutatione distinctum exiret, frustra D. Th. & alij Theologi hanc concederent facultatē superioribus. Iuxta quam doctrinam interpretandus est Sotus, lib. 7. quæst. 4. artic. 3. §. *Hinc ergo fidelis dispensator, &c.* vbi habet quoties voti impedimentum satis aufertur per solam cōmutationem, ea vti debere superiorē. *Quia omnimoda*, inquit, *dispensatio citra necessitatem, culpa non caret. Citra necessitatem*, id est, citra vrgentem causam

Sotus.

sam sufficientem ad tollendam totaliter obligationem voti, quia si causa solùm sit sufficiens ad commutandum, vti dispensatione non licet; nec dispensantis reatus tūc petentem excusabit, quin eodem reatu complicetur. Quando verò causa sit ad dispensandum sufficiens, quando verò solùm ad commutandum, non est temere definiendum, sed prudentis arbitrio standum est, qui consideratis omnibus circumstantijs, qualitate vouentis, causa obstante, &c. iudicabit an expediat vti dispensatione, nec ne?

7 Diximus hactenus de causis, quæ ex parte vouentis requiruntur ad dispensationē validè obtinendam, restat vel summis labijs attingere, quę ex parte dispensantis necessaria sunt ad eiusdem dispensationis valorem: fusiorem huius disputationem relinquentes Iurisperitis, & alijs, qui in materia de legibus, & in materia de matrimomonio, hæc minutatim prosequuntur. *Dico igitur*, ad valorem dispensationis requiri ex parte dispensātis verā notitiam voti, causæ obstantis, & impedientis executionem voti, & liberam dispensandi voluntatē sufficientibus signis manifastatā exterius. Assertum hoc ex his, quæ supra diximus manifestissimum est: Nam dispensatio est actus humanus procedens ex libera determinatione volētis tollere obligationē voti ex legitima causa: igitur necesũ est dispensantē habere veram notitiam voti, & causę impedientis. *Prob. conseq.* quia ignorantia, aut error eorū, quæ ad valorem alicuius operationis voluntariæ requiruntur, causant actum inuolūtarium, ac proinde dispensatio procedēs ex errore aut ignorātia eorū, quæ ad substantiā dispēsationis requirūtur, nulla esset, nullūq; sortiretur effectū. Posterior asserti pars ex se est euidens. Nam qua ratione poterit vouenti voluntas dispensantis innotescere, nisi signis quibusdā sensibilibus, cū intimæ cordis cogitationes soli Deo pateant. Vnū

Syluest. autē cū Sylu. verb. *votum*. 4. *q*. 8. adnotare oportet, ex Arch. cum Petro de Palud. *in* 4. *dist*. 38. *q*. 4. *num*. 37. nullam esse perscriptam verborum formam ad actum dispensationis: & ideò quibuscunque verbis, aut etiam nutibus, vti potest dispēsator ad manifestandū animū dispensandi.

8 *Ex hoc infertur*, quod si petens dispensationem occultet veritatem, quoad substātialia voti, vel quoad causam requisitā ad obtinendā dispensationē inualida est dispensatio: verbi gratia, si quis habens votum suscipiendi ordinē sacrum dispēsationem petat supra votum non nubendi, inualida erit sic obtenta dispensatio: quia votum ordinē sacrū suscipiendi est substantialiter diuersū à voto non nubendi, & ideò voluntas dispensantis, licèt feratur ad votū sibi propositū, nō intelligitur dispensare in eo, quod sibi non proponitur: quia in ordine ad illud cùm sit illi incognitū inuoluntarius est: similiter error vel ignorantia causæ necessariò requisitæ ad valorē dispēsationis inducit nullitatē eius, quia dispēsator nō operatur, nec potest, nisi ex cognitione causæ procedat: ergo si vera ac legitima causa occultetur, inualida erit dispensatio. Dixi, *necessariò requisita*, quia si subsint plures causæ, quarum quælibet est sufficiens ad valorem dispensationis, qualibet sufficienti proposita, cæteris sub silentio prætermissis, valida erit dispensatio, quia quæ subticentur, non impedirent manifestatæ, quin potius iuuarent ad facilius impetrandam dispensationē. 9

Imò si occultetur aliquid veri, vel admisceatur falsum circa ea, quæ sunt extra substantiam voti, vel causæ legitimæ, ad dispensationem obtinendam: quamuis aliàs cognita retardarēt animum dispensantis: si tamen non simpliciter impedirent, valida est sic obtenta dispensatio, quia in eo casu dispensator est volūtarius simpliciter: & quod eius animus facilius, vel difficilius inclinetur ad dispensandum, per accidēs est ad valorem dispensationis: ita tenet Philipp. Decius in capit. *postulasti, de rescriptis numer*. 4. *& in capit. super litteris. num*. 9. D. Couarruu. *libr*. 1. *variarum resol. capit*. 10. *numer*. 1. *& 6. versiculo. falsitas verò*. Paul. Paris. *consil*. 4. *num*. 35. *libr*. 4. loquentes de gratijs, & concessionibus vniuersaliter: idem prorsus dicturi de dispensatione voti in particulari. Nec multum dissentit Nauarrus, *cap. si quando, de rescriptis exceptione tertia*, dicens, non officere gratiæ Principis falsitatem [illegible] surreptionem eius conditionis, quæ no[illegible] [illegible]eret Principem notabiliter ad gratiam co[illegible]endam; secus si manifestata, aut verè subsistens moueret notabiliter. Phil. Dec. Couar. Pau. Par. Nauar.

Contrarium huius docet Ioannes Gutierrez *libr*. 2. *Canon. quæst. capit*. 15. *num*. 41. sequutus communem Doctorum *in capit. postulati, citato*, ex quo Panorm. Cardinal. & Felinus deducunt, quòd occultare aliquid in narratione, quod difficiliorem redderet Principem ad concedendum, nullam efficit eius concessionem. Sed quidquid in contrarium conetur Ioann. Gutierrez, *num*. 48. probabilissimè respondet Decius: nempè ibi esse occultatam causam finalem principalem, qua manifestata verosimiliter credimus Pontificem literas negaturum: id autem expressè colligo ex illis verbis: *Quod cum per formam prædictam* (scilicet, *cum secundum Apostolum*,) *necessitatibus pauperum clericorum, qui nullum sunt Ecclesiasticum beneficiū assecuti Sedes Apostolica duxerit succurrendum*. Ecce finis principalis concessionis illarum literarum, subuenire clericis indigentibus, nullumque habentibus beneficium: & statim subdit: *Perpetuus vicarius (nisi de vicaria fecerit mentionem) commodum reportare non debet de huiusmodi literis, vt, pote veritate tacita impetratis. Veritate tacita*, qua, scilicet Pontifex principaliter motus literas præfatas concesserat secundum communem formam. Ioa. Gut. Panorm. Cardin. Felinus.

Obijcies, dispensantem ita aliquando esse dispositum, quod si ei integra narratio fiat, de his etiam, quæ sunt extra substantialia ad valorem cōcessionis negaret eam concessionem; quam concedit inuitus: ergo tunc subreptitia censebitur dispensatio, & consequenter ad valorem eius non sufficit substantialia solum proponere dispensanti. Resp. ex Cur. Iun. *consi*. 83. *n*. 10. ex Mandos. *in regul*: 32. *de impetratio. beneficiorum quæstion*. 11. *numer*. 2. & 4 10 Cur. Iun. Mandos.

Gutier. 2.& 4.ex Ioan.Gutier.2.lib.c.15.nu.29.asserentibus, quod quando huiusmodi dispositio prouenit ex prauo affectu ad eum, qui dispensationem petit, vel ex alia causa exorbitanti odiosa, & parum ad dispensationem validè obtinendam conducenti, nullam subreptionem inducit: secus si superior esset ita dispositus, quòd non dispensaret, nisi mentione facta omnium, quæ vel ratione iuris tertij, vel ob ius commune illum à dispensando retardarent: tunc enim vitiabitur dispensatio ex defectu voluntatis dispensantis: qui rationabiliter, & prudenter vult non dispẽsare, si ei aliquid occultatur, vel fingitur, quod si expressum fuisset, non concessisset. *Sed vnde poterit nobis innotescere animus dispensantis cum tali intẽtione & voluntate?* Primò, si ille indicet, quæ causa, vel qualitas falsò expressa, vel veritas occultata, hanc in illo inducant intentionem. *Secundò*, si qualitates clarè, & expressè in iure determinatæ non exprimantur. *Tertiò*, si qualitates, quæ ex stylo Curiæ, vel Cancellariæ, vel etiam ex consuetudine dispensantis exprimi consueuerunt, occultentur. Viden. est Men. casu. 201. *n.* 27. Decius in c. *super litteris, de rescriptis, num.* 9. Menoch. Decius.

11 Ad argumenta initio disputationis adducta respondetur. *Ad primum* [...] o maiorem, & nego minorem: ad duas [...] ationes: respondetur, quædam concedi Pontifici non cum ista limitatione: *Quod si secus fiant, facta non teneant*: v.g. præcipitur Pontifici, quod conferat beneficium digniori: quod si secus fiat factum teneat, alioquin Christiana Respub. turbaretur, & nihil esset tutum, aut securum in Ecclesia Dei. Alia verò sunt, quæ præcipiuntur Pontifici, posita tamen limitatione: *Quod si secus fiat, factum non teneat*: v.g. præcipitur Pontifici, & Sacerdoti, vt neminem absoluat sine dispositione legitima; si secus fiat, factum non tenet. Item præcipitur, ne indulgentiæ sine rationabili causa concedantur; in horum numero collocanda est autoritas dispensandi ex legitima causa: itaque sicut Sacerdotes habent autoritatem remittẽdi peccata alligatam Sacramentis: ita Prælati autoritatem dispensandi in votis habent limitatam ad dispensandum ex legitima causa, quod vniuersali Ecclesia docente didicimus.

Ad *secundum* latè *art.* 8. & 9. agentes de irritatione, nunc breuiter *resp.* negando paritatem rationis: Nam pater habet dominatiuam potestatem: & ideò potest pro libito subditorum vota omninò tollere: at Pontifex non est dominus, sed dispensator: at manifesta destructio Ecclesiæ esset, si pro libito eius bona Pontifex dispẽsaret. Et hinc patet ad confirm. negatur enim omnia fidelium vota esse conditionata, innumeræ enim sunt promissiones, in quibus Põtifici nõ subdũtur ad libitũ, vt patet in cõtractib⁹ inter hominẽ & hominẽ, & multo minus inter hominẽ & Deũ.

Ad tertium resp. Lex positiua, quæ tantum oritur ex autoritate Prælati instituentis legem, si ille inferior sit, potest ad libitum tolli à superiore: sicut lex Proconsulis potest ad libitum tolli à Rege: votum verò non firmatur ex sola vouentis voluntate, sed ex voluntate Dei, cui fit promissio, acceptantis promissionem, & ideo obligatio hæc ab inferiori Prælato ad libitum tolli non potest.

Circà eandem secundam conclusionem est

DISPVTATIO V.

Quando ad commutationẽ requiratur Prælati autoritas? & quæ causa sit sufficiens ad commutandum?

SYluester, *votum*, 4. *qu.* 7. §. 2. docet in commutatione votorum, requiri semper superioris autoritatem: nec posse quempiam votum suum propria autoritate etiam in melius commutare. Prob. *ex cap.* 1. *de voto. ff. si certũ petatur l.* 2. §. 1. *Instit. quibus modis contrah. obligatio.* vbi non liberatur à debito soluens rem meliorẽ, nisi soluat id, quod in specie debebat. *Conf.* nam D. Tho. comparat ferè in omnibus votum legi positiuæ, sed nulli licet propria autoritate opus præceptum in lege in euidenter melius commutare: v.g. ieiunium præceptum, in aliud opus gratius Deo: ergo nec votum est in melius propria autoritate commutandum. Hanc sent. seq. Pal. *in* 4. *dist.* 38. *disp.* 3. Rich. *a.* 8. *q.* 1. & Canonistæ nõ pauci. Pan. & Fel. in c. *peruenit.* 2. *de iure iurando*: excipiunt tamen votum solemne Religionis, in quod omnia posse commutari ferè fatentur omnes. Syluest. 1 Palud. Rich. Panor. Felin.

At posse votum non solùm in euidenter melius sed in æquale propria autoritate commutari docet Henriquez *li.* 2. *de pœni. c.* 20. §. 5. *circa finẽ.* vbi plures cõmemorat pro eadem parte: nescio tamen an consuluerit: quia vix reperies (vno excepto Medina, *in instru. conf.*) quempiam ei firmiter consentientem. Huius doctrinæ nullam aliã probationem adducit, nisi votum propria tantũ vouentis voluntate fuisse emissum: ergo sola eius voluntate potest in æquale commutari. 2 Henriq.

Sed prob. secundò. Facta commutatione in æquale autoritate Prælati, licitum est vouẽti propria autoritate non vti commutatione, sed primum votum adimplere potest: ergo à principio potuit transferre obligationem voti à materia illius ad aliam æquè perfectã. *Prob. conf.* quia cõmutatio eandem vim, eandemque obligationẽ inducit circa materiam, in quam fit cõmutatio, ac si à principio votum in illa materia fuisset emissum: ergo si commutatione facta potest ad eandem materiam, quia æqualis est perfectionis, propria autoritate redire, ob eandem causam poterit à principio obligationem transferre ab vna in aliam materiam æqualem.

Tertiò. Qui in æquale commutat, ad æqualitatem, & rigorosè soluit, etsi rectam rationem attẽdamus, iuxta beneplacitũ creditoris: ergo huiusmodi cõmutatio non requirit superioris autoritatem, aut aliquam specialem causam. Antecedens

cedens probatur: tum quia si promitteris calicem, & pro eo æquale pretium soluas rigorosè satisfacis promissioni: tùm quia si opus in quo fit cõmutatio est æquè bonum secundum se, erit etiam æquè Deo gratum, & consequenter acceptabit Deus huiusmodi solutionem, aut enim agrestis est Deus, vt à nobis irrationabilia quærat, sed quæ sunt æquitate plena.

§ Pro decisione, *dico primò*. Commutatio in euidenter melius potest fieri sola vouentis priuata autoritate. Dixi, *si euidenter cõstet cõmutationẽ fieri in meli⁹*: Nã vt benè adnotat Cai. si de excessu perfectionis dubitetur, requiritur Prælati autoritas ad cõmutationis valorẽ, quia Deus ius habet, vt ei opus promissum in propria specie soluatur: ergo nisi certò de excessu constiterit, in propria specie soluendũ est: nõ tamẽ requiritur euidẽtia, aut certitudo Mathematica, vt falsò existimauit

Gre. Val. Greg. de Val. 2.2. q. 6. *de voto, disput. 6. punct. 7. §: notandum est*: sed moralis sufficiet certitudo, nam in moralibus illud est euidenter melius, quod morali certitudine constat esse melius.

Couar. Hãc conclusionem sic explicatã tuetur Cou.

Nauar. *c. quamuis pactum*. 1. p. §. 3. *nu.* 4. Nauar. *c.* 12. *n.* 75.

Cord. Cord *in summ. q.* 149. Armil. verb. *votum, num.* 14.

Armil. & communiter discipul D. Tho. specialiter M.

Sotus. Sotus *lib. 7. q. 4 ar. 3.* & Caiet. *in ar. pulcrè declarat*, ac probat ex c. *peruenit*. secundò, extra de iure iur. vbi dicitur: *Non enim propositum aut promissum infringit, qui melius illud commutat.* Ecce clarissimis verbis expressam conclusionem, ex quibus per similitudinem deducit Glossa nõ deierare eum, qui ex iusta causa deserit iuramentum, 22. q. 4. cap. *mulier, & q. 2. c. beatus*, ad idem facit c. *Scriptura, de voto, cap. licet, de regularibus*, quatenus statuitur, licitum esse transitum ad arctiorem Religionem propria voluntate, non alia ratione, nisi quia præcedens votum in melius commutatur.

Probatur ratione efficaci. Prudens rerum æstimator semper censendus est acceptare, & re vera acceptat commutationem rei sibi promissæ, quando certò constat id, quod persoluitur tum melius, tum perinde creditori acceptius & gratius fore. Cum ergo Deus optimè nõscat rerum æstimationem, & pretia, & quo res meliores sunt, gratiores & acceptiores habeat, semper censendus est acceptare commutationem voti in rem sibi pretiosiorẽ factã, ac proinde nulla ad id requiritur autoritas superioris. *Confirmatur.* In tãtũ obligat votum in quantum est de re accepta, & grata Deo: ergo si vouẽs acceptiorẽ, & pretiosiorem reddat, cumulatior fit solutio, etenim si Deo cereum aut ouem vouisti & argenteum calicem persoluas, haud dubium quin voto satisfeceris cumulatè, etiã si id feceris sola propria ductus voluntate, absq; alia causa interueniẽte: quia sufficiens causa ac legitima censetur excessus ipse solutionis: nisi moraliter dubitetur, an mutatio in melius fiat: quia tum vt dixi est autoritas Prælati necessaria: & causa aliqua, licèt leuis, sufficiat; nam in euidẽter melius cõmutatio fit propria autoritate absq; alia specialiori causa: quia in meliori & gratiori includitur bonum & gratum: ergo quando certò nõ cõstat quid melius, & Deo gratius sit, ab ipso, vel à gerente vices eius requirendum est: qui si omnibus pensatis certus sit de æqualitate, & dubius de excessu: poterit cõmutationem facere sine alia causa: quia certus de æqualitate exponit se occasioni lucrandi & nullo amittendi periculo.

Ex hac assertione infero cum D. Th. solutione ad primum omnia in vniuersum vota, siue personalia, siue realia posse propria vouentis autoritate in solemne votum Religionis commutari: imò in quodcunque bonum euidenter melius. Negat id Syluester, *votum*, 4. *quæst.* 7 §. 4. sed habetur expressè in cap. *Scriptura*, de voto & voti Syluest.
redemp. absque aliqua exceptione: etenim solẽne Religionis votum est euidenter pretiosius quocunque alio voto: quodlibet ergo valet in illud commutari absque alia consultatione.

Et si obijcias pro Syluestro: si Ioannes promiserit Petro cẽtũ, nõ absoluitur ab hoc debito propter solẽne votũ Religionis: ergo nec si vouerit Deo calicem in vtilitatem Ecclesiæ alicuius. *Negatur* consequentia: quia per promissionem Petro factam acquisiuit ius ad centum sibi promissa: cæterum per votum reale nullum ius acquiritur Ecclesiæ, sed Deo: ergo si mutatio gratiõr sit Deo, potest fieri sola vouentis voluntate.

Sed dubitabit quispiam: an hæc doctrina sit §
etiam ad vota reseruata extendenda? Id est. An vnum votum ex reseruatis sit propria autoritate in aliud euidenter melius commutabile? Sotus Sotus.
lib. 7. q. 4. artic. 3. §. at verò, docet votum simplex castitatis aut peregrinationis Hierosolymitanæ non posse in melius priuata autoritate commutari. Nã inquit: *Postquàm hæc soli Papæ reseruantur, nullus ea cõmutare potest.* Quæ ratio æqualiter procedit de omnibus reseruatis Idem tuetur Suarez Suarez.
lib. 6. c. 21. n. 17. quia in extra. *& si dominici*, absolutè quoad cõmutationẽ soli Põtifici reseruantur, & ideò in Bullis & priuilegijs excipiuntur semper huiusmodi vota. *Secundò*, quia licèt in cõmuni considerata videãtur præfata vota illo modò rectè ordinari, possunt tamen in particulari plures rationes occurrere, ob quas quod secundũ se melius est, minus expediat: excipit tamen solemne votum Religionis, iuxta cap. *Scriptura*, de voto, quatenus in eo dicitur, quodcunq; temporale votum in perpetuã Religionis obseruantiam commutari.

His tamen satis probabiliter respondet Aragonius hic *dicto*. 3. quod quandò Papa sibi reser- Aragon.
uat alicuius voti commutationem intelligendus est, quando dubium est, an in melius commutetur, non verò quando certò constat rem in quam fit commutatio esse meliorem.

Nihilominus *prima sent.* tutior est, & sequenda: quia aliàs quilibet habens vota Pontifici reseruata, facile posset sine autoritate Pontificis se ab illo onere liberare: si prius votum illud in aliquid euidenter melius commutaret, quod non esset circa materiã Põtifici reseruatam, & postea ab inferiori Prælato dispensationẽ, aut commutationem peteret: at hoc quis dubitet vergere in magnam Pontificiæ autoritatis perniciem?

Dices.

6 *Dices.* Eo ipso quod votum reseruatum in melius commutatur, illud in quod fit ipsa commutatio manet etiã Pōtifici reseruatum: & sic non sequitur inconueniens illatum. Antec. prob. ex *cap. Ecclesia*, secundo. vt lite pendente: vbi secundum Canonist. specialiter Panor. *n.3.* subrogatũ debet sapere naturam eius, pro quo subrogatur: ac proinde si prius votum erat reseruatum, materia, in quem fit talis commutatio, manet Pontifici reseruata. Solutio tamen falso nititur fundamento. Nam vt colligitur ex Syl. *votum. 4. q.7. versi.8.* Episcopus potest dispensare in onere, ꝙ Papa imposuit commutando votum transmarinum: ergo quando votum reseruatum commutatur in materiam non reseruatam, illa materia manet non reseruata: quia votum reseruatur ratione materiæ: ergo mutata materia tollitur reseruatio: & præterea, quia per primam commutationem extinguitur votum reseruatum, & aliud loco illius substituitur non reseruatum: igitur à quacunque inferiori potestate poterit cõmutari. Videndus est Sanctius, referens alios *lib. 8. disp.9. n.20.*

Syluest.

Sanctius.

Ad rationem in oppositum respondetur ex Iason. §. *fuerat*, institutio. de actionibus. Subrogatum sapere naturam eius, pro quo substituitur, quantum ad ea, quæ intrinsece pertinent ad subrogationem: non verò quoad extrinseca, & quæ ex libera pendent voluntate. In proposito ergo, materia in quam votum reseruatum commutatur, debet sapere naturam voti, & ideò debet ad Dei cultum pertinere: & Religionis obligationẽ inducere: non verò reseruationem; quæ est extrinseca subrogationi.

Iason.

Dico secundò. Commutatio, quæ fit solùm in
7 æquè bonum euidenter exigit ad sui valorem, & superioris autoritatem, & legitimam causam: sumitur ex Caiet. sic interpretante D.Tho. *in art. dub.2.* Tabien. verb. *dispensatio, n.10.* Arm. verb. *votum, num.14.* Angel. *verb. votum. 4. n. 2.* & à fortiori omnes, qui superioris autoritatem requirũt ad commutationem in melius eandem partem tuentur. *Prob. ex cap.1. de voto*, quatenus in eo dicitur, necessariam esse Prælati autoritatem: quoties incertum est, an res, in quam commutatio fit, sit acceptior Deo: & ratione efficaci suadetur, quia vna materia semel Deo promissa, cæteris paribus gratior, & acceptior est Deo quacunque alia æquali non promissa: ergo non fit satis promissioni, si priori materia derelicta sine autoritate superioris propria voluntate transferas obligationem voti ad aliam materiam æqualẽ, *Prob.* conseq. quia vis fidelitatis exposcit, promissionem in propria specie esse soluendam, nisi in melius cõmuteturer: go eo ipso, ꝙ in æquale cõmutetur, nõn seruatur fidelitas promissionis.

Secunda pars assertionis, videlicet præter superioris autoritatem ad commutationẽ in æquale requiri legitimam causam ex priori parte manifestè colligitur: quia eo ipso, quod requiritur ad commutationem in æquale autoritas superioris, vt diuinum consensum interpretetur, necesse est superiorem duci aliqua rationabili causa: etenim commutatio in æquale sine legitima causa non habet specialem aliquam rationem honesti: & ideò non debet Prælatus absque causa interpretari Deum acceptare solutionem cõmemoratam.

Hinc infero primò, Prælatum commutantem votum in æquale sine legitima causa, & vouentem illa vtentem commutatione peccare mortaliter in materia graui: quia si in neutro istorum est potestas commutandi in æquali, si fiat, non tollitur prior obligatio voti: ergo nisi adimpleatur prius votum non manet tutus in conscientia, sed reus fracti voti censendus est: Prælatus quidem: quia abutitur potestate, & de se facit actum nullum, vouens: quia est infidelis in reddendo promissum.

Quia tamen *opposita sententia* non est omninò improbabilis: semel facta commutatione in æquale, (maximè si adimpleuerit id, in quod prior obligatio translata est) non est cogendus, qui ad hunc modum commutatione vtitur: vt priorem adimpleat promissionem; præcipuè, quia ad cõmutationem in æquale arbitrio superioris faciẽdam, sufficiens causa censetur, quod voluntas eius, qui vouit, promptior sit ad exequẽdam materiam commutationis, quàm deuotam, etenim hilarem datorem diligit Deus, non ex tristitia, aut necessitate: ergo maior Christi honor est, maior vouentis vtilitas in commutatione ista, quàm in executione prioris. Item ad hanc commutationem: sufficiet, si timeatur malus successus, & transgressio voti etiam ex malitia vouentis.

Infero secundo, idem à fortiori esse dicendum de commutatione in minus, videlicet vt valida sit, requirere superioris autoritatem, & causam legitimam commutandi: & quidem maiorem, quàm si in æquale fieret commutatio: minorem verò quàm si totaliter dispensaretur votum. *Pro.* quia hæc permutatio in materiam leuiorem est quædam voti relaxatio, seu dispensatio, sed ad dispensandum omninò in voto requiritur autoritas superioris, & causa obstans: ergo ad relaxandum etiam, vel permutandum in minus autoritas requiritur superioris, & causa licet non adeò vrgens: sufficiet ergo votum emissum fuisse ex deliberatione imperfecta: & aliqualis difficultas in adimplẽdo votum, siue oriatur ex parte status, siue ex parte subiecti.

Itaque si Prælatus dubitet de impotentia poterit dispensare omninò, si autẽ dubitet de difficultate, quæ se tenet ex parte subiecti, quamuis certò sciat subiectũ non esse impotens ad adimplendum votum, poterit illud relaxare, seu in aliquid minus commutare. *Prob.* quia ista remissio est medium quoddam inter dispensationem puram, & commutationem propriè dictam, quæ æqualitatem requirit, sed ad dispensationẽ puram sufficit dubitare de impotentia, ad commutationem voluntas vouentis: ergo ad istam remissionem, quæ medium quoddam est, inter illa, sufficit difficultas subiecti in implendo votum etiam dubitata.

Dico tertiò. In commutatione voti peregrinationis habenda est ratio non solũ laboris in pere- 8
grinando

grinando .verum etiam ad expensas, & sumptus, quæ in itinere eundo, & redeundo faciendæ essent. Hanc conclusionem negat Enriquez. *lib.7. de indulgentijs cap.*30.literæ M. & N. Emanuel Rodr. *expositione Cruciatæ.§.9.numer.*107. existimantes non debere computari expensas in redeundo:quia redire inquiunt non est peregrinari.Sed nostram sententiam tuetur Caiet. in summa verb. *votum.cap.de voti dispensat.*& Lud.Lopez.1.*p.c.*49. docet non esse oppositam sententiam satis tutam,& meritò, quia in c.*magnæ* de voto & voti redēp. expressè dicitur:*Tibi pro te & famulis tuis licentiam concedimus votum peregrinationis taliter commutare,vt expensas,quas fueras in eundo, morando, & redeundo facturus alicui religioso commutas.&c.*& statim,*laborem etiam laboribus recompēses.* Ecce vtrãq; partem assertionis nostræ iure expressam: sed ne occasionem deceptionis sumas ex prioribus verbis citatis aduerte,in numerandis expensis in itinere faciendis habendam esse rationem ad expensas, quæ omninò essent consumendæ:vt si Comes peregrinationem vouit Compostellanam,habenda est ratio non ad expensas,quæ cōsumerentur,si magna pōpa omnibus suis famulis comitatus incederet: sed ad eas tantum expensas habenda est ratio,quas faceret duobus vel tribus famulis comitatus,nisi cum magna pompa se peregrinaturum vouisset. *Item* deducendæ sunt expensæ,quas domi esset facturus:ita quod si domi expendit quotidie dimidium aurei,& peregrinādo expenderet integrum:in commutatione tantum est habenda ratio ad dimidium aurei. Hæc, quæ diximus,ex eo probantur:quia res æstimandæ sunt moraliter, & secundum quod re ipsa cōtingunt,& in votis maximè pensandæ sunt iuxta intentionem vouentis: ergo qui peregrinationē vouit,tenetur sumptus cōputare iuxta suum statum,secundum moralem vsum, & præcipuè secundum eam intentionem,qua se voluit adstringere promissione.

9 *Aduertat* etiam prudens commutator regulariter loquendo,quoad fieri possit, in commutationibus seruādam esse proportionem: ita quod in onus reale,votum reale commutetur: personale verò in personale onus. & mixtum proportionaliter. Quod non obscurè indicat Nauarr. *capit.*12.*num.*77.§.*octauo*,vbi expensas in explēdo votum peregrinationis, vel aliorū; in alia pia opera omnes docet cōuertēdas,laborē verò itineris in ieiunia, & orationes mutandum. Idem insinuat Caiet.ver.*votorum dispensatio*:quia in similibus facili⁹ seruatur æqualitas. Dixi:*regulariter*: nā id non est simpliciter necessariū:etenim si vouentis paupertas obstat executioni voti,nō est in on⁹ reale cōmutandū:quod libenter admitteret Nauarr.cum Angelo *verb.votū.*§.12.asserente, votū ieiunādi à paupere emissum,minoris redimi posse,quàm diuitis: ergo si vouens tanta premeretur egestate, vt vix posset subire onus reale ; ne commutatio fiat inutilis,& eius executio eodem modo difficilis, votū reale in aliquod onus personale cum debita proportione commutandum est:in his autem,in quibus facultas suppetit,personalia vota in eleemosynas conuerti possunt,

Nauarr.

Caiet.

Angelus.

aliquo personali onere imposito : & sic de alijs omnibus secundum rectam prudentiā iudicato, secundum quam qualitates operum & personarum,& circumstantiæ omnes expendendæ sunt: quibus rectè consideratis aut difficile erit commutationem in cultum, & gloriam Dei,in bonū cōmune , & in vtilitatē ipsius vouentis exercere.

10 Commutatione verò semel facta ab habente potestatem,& ex legitima causa,siue in maius vel æquale, siue in minus facta sit, prioris voti obligatio nunquam iterum reuiuiscit:Nam sicuti per dispensationē validam omninò extinguitur obligatio voti:ita per commutationem,per quā veluti fit quædam dispensatio sub onere aliud faciendi, prior extinguitur obligatio:at obligatione semel extincta nūquam redit,iuxta Glossam cap. *Quæris,de consecratione,d.4.& l.qui res.§.arctam.ff.de solutio.*& ratio manifestat:nam obligatio voti solum propria volūtate cōtrahitur: ergo semel extincta non potest iterum ligare, nisi propria vouentis voluntate iterum reassumatur.

Et si obijcias posse contingere,quod vouens reddatur impotens siue ex natura rei, siue ex malitia ad opus commutatum : ergo redibit prior obligatio voti, alias magnum cōmodum ex propria malitia reportaret, & quia prior obligatio voti solū quasi cōditione tollitur:*si fiat opus,in quod cōmutatur*:ergo nō adimpleta cōditione redit prior obligatio.Antecedens manifestatur in eo,qui votum Hierosolymitanum in copiosissimas eleemosynas commutasset,ad quas erogādas factus esset impotens per amissionem bonorū siue culpabilem,siue inculpabilem. *Nego tamen consequētiam*: Nam de ratione commutationis per se loquendo non est,quod sit conditionata, sed omninò absolutè vna obligatio pro alia simpliciter constituitur: & ideò semel commutatione facta absolute extinguitur prior obligatio:&neque ex impotentia,neque in pœnā delicti reuiuiscit obligatio: sed solum tenebitur pœnitere de peccato commisso, ratione cuius incursa est impotentia adimplendi votum.

11 Ad argumenta Sylu. *resp.* & ad *primum* desum- Syluest.
ptū *ex c.1.de voto, &* ex alijs iuribus dico nihil obstare veritati nostrarum assertionum.Nā in illis solum habetur,(præcipuè in l.*mutuum*.ff.si certū petatur) vnum pro alio solui non debere inuito creditore:etenim inter homines, non quia aliud melius,ideò gratius,& acceptius est illis;vel quia non tam vtile,vel alia quauis de causa. Quod in ordine ad Deum verificari non potest: Nā quod euidenter melius, gratius est illi. Specialiter ad cap.1.quod nonnihil habet difficultatis,*respondetur*,textum loqui, quando res est dubia, an scilicet in melius commutetur votum : quia vt dixi requiritur moralis saltem certitudo, quod res, in quam fit voti permutatio,sit gratior Deo. Id autem non obscurè colligitur ex illis verbis: *Ab eius, qui præsidet, pendet arbitrio, vt consideret diligentius qualitatem personæ, & causam commutationis; scilicèt an ex infirmitate,seu affluentia diuitiarum;an alia causa probabili, peregrinatio, an recompensatio melior fuerit, & Deo magis accepta: & secundùm hoc debet exinde dispensare.*Quibus plura sunt decisa notatu digna,

ferè totam doctrinam a nobis traditā in hac disputatione confirmantia. Et imprimi expēdo debere diligentius considerari omnes circunstantias: quibus pēsatis si Prælatus iudicet esse gratius Deo commutare votum aliqua probabili causa; tunc posse dispensare. Ecce includens probabilitatem, excludit euidētiā: ac proinde fauet potius primæ assertioni, quàm officiat. *Ad confirmationē nego* consequentiam: quia lex imponitur subdito sine illius voluntate: at votum emittitur voluntariè à vouente, & ideò si constet, de consensu creditoris eadem potest voluntate vouentis in melius cōmutari: quia per quas causas nascitur obligatio per easdem dissoluitur. Et hinc patet solutio ad primum argumentum secundæ sententiæ. Negatur enim consequentia: Nam quando in æquale votum commutatur, nō constat de consensu Dei, & ideò propria autoritate fieri non debet.

12 *Secundum argumentum* petit, an commutatione facta liberum sit vouenti relicta commutatione ad priorem obligationem redire: & quidem duo certa sunt, & alterum dubitabile: primo certum est commutatione facta in euidenter melius, nō licere propria autoritate opus commutatum nō adimplere, & ad priorem obligationem redire: quia commutatio in melius habet vim inducendi nouam obligationē supra opus, in quod prius commutatur; & est quasi noua promissio illius operis: ergo non licet vouenti omissa posteriori obligatione ad priorem redire propria autoritate: quia hoc esset melius in minus propria autoritate commutare: secundo etiam certum est facta superioris autoritate commutatione in minus: liberum esse vouenti hanc omittere obligationē, & priorem assumere: quia hoc est minus bonum in maius commutare; quod vnicuique propria autoritate licet.

Illud vero dubitabile est: An commutatione facta in æquale, liceat prius votum adimplere sine cōsensu superioris, omissa commutatione. Et quidē supposita doctrina à nobis tradita in hac disputatione; videlicet ad commutationem in æquale necessariam esse superioris autoritatem, satis verosimile apparet, non posse quasi indifferenter adimplere quam maluerit obligationem: quia sicuti commutatio in melius est veluti quædam promissio nouam voti superinducens obligationem circa materiam illam: sic vouens acceptans commutationē in æquale nouam supra se inducit obligationem voti circa illam materiam: & trāsfertur obligatio à priori ad posteriorem materiā: ergo sicuti propria autoritate non licet commutare votū in æquale: ita facta commutatione non licebit, propria autoritare omitterre commutationem, & ad priora transire. Quo admisso negatur antecedēs secundi argumenti: quia tamē oppositum est probabile; aliter ad argumētum respondendum est. Et ideò concedo antecedens, & nego consequentiam: ad probationem nego commutationem ita trāsferre obligationem ab vna in aliam materiam; ac si à principio votum circa illam fuisset emissum: quia commutatio cū fiat ad petitionem vouentis, & ex causa, debet interpetari in fauorem eius; & ideò intelligendum est fieri non absolute, sed veluti conditionaliter, vt vouenti detur optio adimplendi, quam maluerit obligationem.

Obijcies. Sequitur, quod si vouēs reddatur impotens ad adimplendum opus, in quod fuit votum commutatum, teneatur adimplere priorem obligationem: quia ex quo indifferenter potest vtramque obligationem implere, ex impotentia ad materiam commutatam non tolletur simpliciter obligatio voti, quod improbauimus supra assertione tertia. *Negatur tamē sequela*; quia vt dixi commutatio fit in fauorem vouentis; & ideò ex hoc quod commutatio relinquat vouenti libertatem adimplendi prius votum, non sequitur ex impotentia ad materiam commutationis, induci obligationē adimplendi priorem: Nam prius pertinet ad fauorē; posterius verò ad incommodum, & damnum vouentis: & ideò illud admittimus in eius fauorem; & hoc negamus. 13

Ad *tertium argumentū* nego antecedens: ad primam probationem nego similiter antecedens: Nam si promisi calicem, non satis facio obligationi, si reddam æquale sine consensu creditoris: etenim pręter eius valorē potest habere aliquam speciale cōmoditatē, ratione cuius creditori gratior, & acceptior sit solutio in propria materia promissa, quā in alia æquiualenti: ita ergo in proposito commutatio in æquale nō potest fieri sine consensu Dei, aut eius qui vicem Dei gerit. *Sed vrget* secunda probatio antecedentis: ea tamen refellitur ex probatione nostræ secundæ assertionis: quia eo ipso, quòd res aliqua est Deo promissa, cæteris paribus gratius est illi si in propria specie compleatur, quam per commutationem in æquale. 14

DISPVTATIO VLTIMA.

De vsu facultatis delegatæ ad dispensandum, & commutandum.

PRO coronide totius quæstionis nonnulla breuiter expedienda sunt circa facultatatem delegatam ad commutandum, vel dispensandum: maximo etenim iudicio opus est ad exercitiū huius facultatis. Et in primis tenor priuilegij & indulti considerandus est: & neque latum vnguē extendi debet. Ita quod si superior concedit facultatem commutandi, non est dispensandum in voto; si facultas est ad commutandum vel dispensandum in subsidium terræ Sanctæ, vel Cruciatæ, non est commutandū in alia opera studiosa. Simliter si votum sit perpetuum, in obligationem perpetuam commutandum est, regulariter & communiter, vt supra quæst. præcedenti dixi, consideratis circunstantijs personæ, loci &c. Secundò *aduertendum* cum Ludoui. Lopez. 2. p. *titu. de clauibus cap.* 9. & Henr. *lib.* 7. *de indul. cap.* 30. quod facultates, quæ regulariter per iubilea, Bullam Cruciatæ &c. fideli populo conceduntur, quamuis dicantur 1 Lud. Lop.

dicantur odium iuris, tamen seruata verborum proprietate sunt amplè interpretanda, quoad fauores saltem spirituales dispensationis, commutationis &c. Quia per hæc indulta principaliter intentum est bonum Ecclesiæ; plenior absolutio, ac remissio facienda; quæ omnia procul dubio fauorabilia sunt: ergo nisi aliàs vergat in præiudicium tertij, amplè interpretanda sunt, quantũ verborum proprietas patitur. *Probatur* cõsequẽtia, quia fauor concessionis, ex fine principali, ad quem ordinatur, iudicandus est. Hæc certa & indubitata sunt apud omnes.

Illud verò dubitabile est. An concessa facultate ad commutandum per iubilea, vel alia indulta possit votum commutari in minus? an commutatio sit faciẽda in æquale? Emanuel Rodriguez *in expositione Bullæ, §. 9. num. 107. secutus Cordub. q. 149.* conatur probare posse fieri commutationem in minus, ex vi priuilegij concessi ad commutandũ absolutè: sed falso nituntur fundamento, quod iam à nobis superius explosum est: videlicet posse propria autoritate votum in æquale commutari: & ideò priuilegia aliquid amplius debent concedere, ne in cassum concedantur. *Emanuel Rodrig. Cordub.*

Opposita igitur sententia tutior est, & sequẽda; quam tuentur Syluest. *votum.* Nauar. *c. 12. Nũ. 63.* quatenus docet commutationem debere fieri in æquè bonum, & ex legitima causa: *& num. 72.* habentem tantum potestatem ad commutandum virtute Bullarum, peccare si dispenset in voto; & actum esse nullum. At commutatio in minus aliqualis dispensatio est; imò addit Caiet. verb. *votum cap. vlt. §. Et quia commutatio,* vt commutatio tutior sit debere in aliquid melius commutari, quantumcunque parum melius: & *Probatur* ratione Caiet. in hoc art. quia commutatio secundum proprietatem vocis, æqualitatem dicit rei ad rem, ex Aristo. 5. *ethicorum:* ergo priuilegium concedens facultatem commutandi, nisi illud extendas vltra verbi proprietatem de sola commutatione in æquale intelligendum est. *Et præterea:* quia si nomen *commutatio* extenditur ad cõmutationem in minus: ergo comprehendit quamcunq; commutationẽ in notabiliter minus: nõ est enim assignabilis ratio aliqua limitãdi ad hoc vel illud: ergo ex vi priuilegij cõcedentis facultatem commutandi, poterit cõmutatio fieri in notabiliter minus: quod neque autores contrariæ sentẽtiæ admittunt: neque sine graui nota admitti debet. De causa verò sufficienti ad valorem commutationis factæ in æquale vide disp. præced. assertione secunda, ne eadem sæpius inutiliter repetamus. *Syluest. Caiet. Aristo.*

1 *Dubitari potest secundò,* an virtute Bullæ Cruciatæ, vel cuiuscunque alterius priuilegij possit fieri commutatio, aut dispensatio super omnia vota ante, & post concessionem priuilegij emissa. Dubitatio hæc mouetur propter M. Sotum, *qui lib. 7. q. 4. art. 3.* docet non posse fieri dispensationem ex vi priuilegij nisi super vota ante concessionem emissa: tum quia absurdum videtur quemlibet Sacerdotem tam amplam habere facultatẽ dispensandi: tum quia concessio priuilegij fit veluti ad petitionem dispensationis: huiusmodi verò petitio semper est post votum factum. *Sotus. An priuilegiũ se extẽdat ad vota post ipsum emissa.*

Nihilominus verius est, & in praxi securum per huiusmodi concessionẽ posse dispensari, aut cõmutari omnia vota quocunque tempore fuerint emissa etiam post concessionem factam. Quod latè adnotauit Nauarr. *in tracta. de indulgentijs sup. §. in Leuit. de pœniten. distin. 1. not. 34. num. 4. & cap. 12. in Man. nu. 80. in fine:* nam ex vi Bullæ Cruciatæ, verbi gratia, potest quis absolui à peccatis post eam concessam perpetratis, nisi specialiter excipiantur: ergo eadem vi poterunt vota post concessionem emissa commutari, aut dispensari: quia omnes rationes cõcludẽtes in præfatis iubileis aut indultis comprehẽdi peccata futura post concessionem, idem conuincunt de voti dispensatione. *Secundò.* Sedes Apostolica concedit præfatam facultatem sine limitatione aliqua: & non est cur debeat intelligi cum limitatione ad hæc, vel illa: Nam qua ratione limites ad emissa, posses limitare ad emittenda tantùm: ergo amplè, & cum omni extensione seruata concessionis proprietate interpretanda est: eò quod fauores ampliandi sunt. *Tertiò.* Pontifex aliquando concedit facultatẽ cum hac limitatione: ergo si non limitat, censend⁹ est absolutè cõcedere. *Quartò.* Quia aliàs Bullæ confraternitatum multis retrò annis cõcessæ nullius essent vtilitatis aut commodi ipsis confratribus quoad commutationes votorũ; cum omnia sint post concessionem emissa. Id verò, quod pro inconuenienti infert M. Sotus, nullum est: etenim, quod homo possit de facili dispensationem obtinere de futuris votis, quando necessitas exposcit, nullum est inconueniens: sed fauor satis excitans homines ad vouendum. *Nauarr.*

Est etiam *adnotandum ex* superius dictis *disp. tertia,* quod facultas concessa per iubileum, vel per Bullam Cruciatæ ad commutandum, exceptis votis castitatis perpetuæ religionis, aut peregrinationis Hierosolymitanæ, extenditur ad hæc vota, quando non sunt absoluta, sed conditionali: etenim cum exceptio illa in Bullis Cruciatæ, aut Iubileo sit odiosa, restringens amplam concessionem in eodem priuilegio factam; intelligenda est de solis votis simpliciter absolutis, & directis: sed notanda est differentia, quæ regulariter est inter concessionem Iubilei, & Bullæ Cruciatæ, quod in Iubileo regulariter conceditur facultas ad commutanda vota in quæcunque virtutis opera; at facultas cõcessa in Bulla solum est in fauorem expeditionis, non in alia virtutis opera: id tamen intelligendum putat Suarez. *lib. 6. cap. 19. num. 18.* non quod necessarium sit simpliciter commutationem fieri totaliter in hoc subsidium; sed sufficere si secundum partem fiat in illud; & secundum aliam partem in alia virtutis opera: Imò in pauperibus docet habere verum intelligentiam Viualdi. *3. par. candelab. cap. 14. num. 19.* asserentis sufficere intentioni concedentis Bullam, si commutatio fiat in subsidium spirituale expeditionis eiusdem: tum, quia Bulla solùm dicit *in subsidium:* tũ quia illa cõditio intelligenda est morali modo; ac secundum quod suauiter fieri potest: Cæterum de intentione Bullæ dubitari non potest esse intelligendam de subsidio temporali. Et cum 3 *Suarez. Viuald.*

ex alia parte constet nullum esse ita indigentem, etiam ex ostiarim mendicantibus, qui aliquid temporale non possideat; non existimo tutam commutationem factam in subsidium solùm spirituale.

4 *Sed rogabit quispiam tertiò*, an vota pœnalia possint commutari per delegatam potestatem non solùm quoad vinculum directum voti, sed quoad pœnam incursam: verbi gratia, vouit quis nõ accedere ad talem fœminam; & quoties accederet se daturum eleemosynam. Fregit sæpius votum, & nullam eleemosynã dedit, poterit ne per commutationem ab vtraque obligatione liberari? Negat Nauar. *Cons.* 23. & 32. *de voto.* Quia (inquit) aliud est votum, & aliud pœna ex voto. Et ideò concessa facultate ad commutandum votum, nõ potest ex vi illius facultatis pœna relaxari: deinde quia votum est obligatio in futurum, & pœna est iam contracta: ergo diuersa est vtriusque ratio quoad commutationem.

An vota pœnalia possint commutari quoad pœnam?

Nauar.

Sed verius dicendum videtur, confessorem posse ex vi facultatis delegatæ secundum communem formam non solum obligationem voti futuram, sed etiam pœnam incursam commutare: quia tota illa obligatio est obligatio ex voto: ergo facultas ad tollendam obligationem voti ad omnem illam extenditur: quod enim illa obligatio soluendi sit contracta, nihil obstat: etenim si quis fecerit votum dandi quotidie in eleemosynam certam summam pecuniæ, si sæpius fregerit votũ, potest cõmutationẽ vtriusque obligationis obtinere ab habente facultatem ordinariã, seu etiam delegatam secundum communem formã. Quia hîc nulla reperitur obligatio iustitiæ, ratione cuius teneatur vouens ex iustitia pœnam incursã alicui soluere sed tota obligatio est ex debito Religionis orta ex promissione Deo facta. Sed admonitum esse oportet commutationem petentem, vt clarè & distinctè proponat vtramque obligationem: nam si solùm petat commutationem voti, nulla facta mentione pœnæ incursæ, non liberabitur ab ea. Et hoc solùm conuincunt rationes adductæ pro sententia Nauarri: etenim si obligationes sunt distinctæ, commutans solùm absoluit ab obligatione sibi manifesta: nam vt superius dixi circa incognitam obligationem non operatur.

5 Sunt nonnulla indulta, quæ ad sui valorem exigunt ieiunia, confessionem, communionem &c. De quibus specialiter dubitatur, *an si quis ante impletas conditiones commutationem aut dispensationem obtineat, ea sit valida*: etiam si post commutationem factam aliquid prætermittat necessariũ omninò ad valorem indulgentiæ per indultum concessæ consequendam? Huic dubitationi respondet Henr. *lib.* 7. *de indulgen. cap.* 9. *in principio Glossæ*; commutationem, aut dispensationem factam, ratam manere in præfato casu. Quam sententiam probabilem iudicat Suarez *lib.* 6. *capi.* 16. *num.* 10. *in* cuius gratiam duo aduertit. *Alterum est*, posse dispensantem in actu dispensandi referre intentionem, & verba sua ad tempus post impletas cõditiones: quod speciale est in voti commutatione, aut dispensatione, quatenus ablatio voti ad effectum Iubilei parum conducit: sed hoc (inquit) esset valde scrupulosũ, & nimius rigor; & ideò vel differre debet commutationem ad diem, postquam completę fuerint diligentiæ: vel simpliciter commutationem concedere in quantum potest. *Alterum aduertit.* ex parte vouẽtis: quod licèt dispensatio, aut commutatio sit valida semper tamen intelligitur data sub onere faciendi quod in se est ad Iubilei gratiam consequendam, vnde si voluntariè omittat grauiter peccabit.

An si quis ante impletas cõditiones Iubilei obtineat cõmutationẽ, illa sit valida?

Henr.

Suarez.

Ego verò non video huius sententiæ aliquod firmum fundamentum; & valde scrupulosum est tam amplam licentiam vouentibus dare: & ideò dicendum existimo, talem commutationem, aut dispensationem voti non esse omninò firmam, sed manere votum quasi suspensum, vsque dum compleantur omnes diligentiæ, præscriptæ pro obtinendo Iubileo. *Probatur*, Gratia, fauor Iubilei conceditur sub istis conditionibus, & non aliter; sed vna ex præcipuis, quæ per huiusmodi Iubilea cõceduntur, est commutatio, aut dispensatio voti: ergo nisi conditiones compleantur, non est valida commutatio. *Maior* ex ipsa forma concedendi colligitur, quæ regulariter & communiter requirit ad consequendam gratiam Iubilei diligentias commemoratas: distinguere autem inter gratiam commutationis, aut dispensationis, & alias gratias Iubilei, merè voluntarium est; & qua ratione existimas ad cõmutationem non requirire ipsa extare præfatas conditiones, id ipsum posses admittere in ordine ad omnes alias gratias Iubilei.

Secundò. Vel huiusmodi conditiones sunt simpliciter necessariæ ad valorem commutationis, vel non: si primum: ergo si non apponantur, quęcunque commutatio facta erit inualida: si secundum eligatur: ergo siue pœnitens aut vouens bona fide procedat, animo scilicèt adimplendi cõditiones; siue animo non adimplendi potest validè commutationem obtinere: quod negãt autores oppositæ sententiæ. Consequentia probatur: nam ex quo semel admittis non esse conditiones simpliciter necessarias ad validè commutationem obtinendam, parum, aut nihil referre videtur ad valorem commutationis, eam petere animo adimplendi, vel non adimplendi præfatas conditiones.

Tertiò. Qua ratione autores contrariæ sententiæ docent intentionem Pontificis esse, talem facultatem concedere sub onere faciendi vouentem, quod in se est, ad Iubilei gratiam cõsequẽdam; ita quod si voluntariè non adimpleat, peccat contra iustum pactum inclusum in ipsa commutatione; eadem ratione, imò & à fortiori asserimus, pactum & conditionem inclusam in cõmutatione esse; non quod peccet, si voluntariè omittat conditiones necessarias ad gratiam Iubilei obtinendam; sed quod non consequatur illam: & præsumptio hæc, ac intẽtionis Pontificis interpretatio multò est magis fauorabilis vouẽti, quàm opposita. Quis enim dubitet esse incõparabiliter fauorabiliꝰ omittenti præfatas cõditiones nõ liberari ab obligatione voti, quàm in peccatum incidere? 6

Quartò:

Quartò: quia si potestas hæc cōcessa per indulta potest absolutè votum commutare independenter à futuris conditionibus, saltem quoad valorem commutationis: ergo si à principio non commutauerit, poterit etiam sciens non impleuisse conditiones Iubilei, votum cōmutare: quo quid absurdius: Probatur consequentia, quia delegatus per huiusmodi cōcessiones eandem semper habet potestatem. Hanc sententiā tenet Viuald. *in. 3. part. Candelab. c.* 14. *nume.* 63.

Viuald.

7 *Sed obijcies.* Si quis habet casus reseruatos, & ab illis absoluitur, nondum impletis conditionibus Iubilei, manet simpliciter absolutus, etiam si postea non adimpleat conditiones: ergo idem de commutatione dicendum est. Antecedens probat latè Nauarr. *de oratio. Miscell.* 93. Sed respondetur *primò* ex doctrina ipsorum negando consequētiam, quia absolutio à peccatis debet esse absoluta, & non debet manere in suspenso, nec dari sub conditione: & similiter præcedere alias conditiones, vt pœnitens capax fiat indulgentiæ: votorum verò commutatio non est ita ad effectum indulgentiæ necessaria: & ideò nil mirum si suspendatur. *Secundò respondetur.* Distinguo antecedens: manet absolutus à reseruatis quoad culpā, & sine obligatione eadem iterum cōfitendi, cōcedo antecedens: quoad obligationem præsentandi se Prælato huiusmodi peccata reseruanti, nego antecedēs. Hæc enim duo esse omninò distincta, & lōgè inter se differre ex materia de casibus reseruatis constat: & tunc nego consequentiam: quia quoad reseruationem, & cōmutationem eadem est ratio: Imò Henr. *lib.* 7. *de indulgēt. cap.* 11. ex omnimoda æquiparatione ad casus reseruatos infert: quod sicuti quando quis intra tēpus concessum ad gratiam Iubilei obtinendam, obliuiscitur alicuius casus reseruati, vel censuræ, si absoluatur virtute Iubilei ab alijs peccatis aut censuris, quarū memoriam habet, manet ab omnibus absolutus: ità si tempore habili omittat ex obliuione voti commutationem petere, transacto Iubileo, poterit virtute illius commutationem obtinere; si prudenter iudicauerit obtinuisse gratiam Iubilei.

Nauar.

Henr.

Sed procul dubio æquiparatio nō tenet, quātum ad hoc; quia absolutio à censuris, & à peccatis saltem indirectè fertur etiam ad oblita: at votum nec directè dispensari, aut commutari potest nisi cognita causa, & voti qualitate: ergo nisi intra tempus Iubilei fiat commutatio, illo transacto non habebit locum commutatio: quia iam expirauit iurisdictio. Hoc tamen vnum *aduotandum*, posse confessorem differre commutationem petitam intra tempus Iubilei ad aliud tempus post indultum: quia iam inchoauit causam; & quodāmodo cœpit commutare: etenim hoc valde necessarium est ad conuenientē vsum talis potestatis; vt confessor possit qualitatem causæ, vel commutationis modum maturius considerare.

8 Circa Iubilea, quæ in vna è duabus hebdomadibus obtinentur, *aduotandum est*, falsam esse sententiam Henriq. *lib.* 2. *indulgent. cap.* 11. *in principio*, existimantis, quod si quis prima hebdomada, factis omnibus diligentijs ad gratiam Iubilei cōsequendam, obtineat voti alicuius commutationem; si postea iterum voueat; potest sequēti hebdomada illius voti nouiter facti commutationē obtinere; si iterum faciat diligentias ad consequendam gratiam Iubilei necessarias. Falsa, inquam, est hæc positio: quia in forma Iubilæ expresse habetur, gratiam consequendam esse vna è duabus hebdomadibus disiunctiuè: verbi gratia: *Qui prima hebdomada post publicationem, vel in sequenti post illam.* Et vt optimè aduotauit Suarez. *t.* 16 *n.* 16. *l.* 6. ex ipso contextu Bullæ planè colligitur, esse intentionem Pontificis vnam tantum plenariam indulgentiam, ac remissionem concedere, facultatemque absoluendi à reseruatis, & commutandi, aut dispensandi in votis pro vna vice dumtaxat. Hactenus de voto.

Henriq.

Suarez.

Sequentes ordinem D. Thom. iuxta morem nostrum immediatè sequebatur elucidāda *quæst.* 89. de iuramento: sed ne plus æquo Codex crescat, & propter alia; huius rei discussionem remittimus ad *quæstionem.* 89. vbi agitur de periurio: ibi Deo dante se offeret opportunus locus de iuramēto, & eius contrario periurio disserendi; cum contrariorum proportionalior apparebit disputatio: & opposita iuxta se posita magis elucescēt. Nunc verò ad quæstionem nonagesimam, de adiuratione properamus.

QVAESTIO. LXXXX

DE ASSVMPTIONE DIVINI NOMINIS PER MODVM ADIVRATIONIS.

ARTICVLVS I.

Vtrum liceat adiurare hominē?

Summa Articuli.

1. DIVVS Tho. vt dubitationi respondeat, præmittit duo. *Primò* definitionem adiurationis (quę sic habet: Adiurare est alium per alicuius diuini obtestationē ad aliquid agēdū ordinare) explicat facta cōparatione inter iuramentum promissorium, & adiurationem: nam sicut homo per promissionē se ipsum ordinat ad aliquid agendum, & eam promissionem confirmat iuramento, obligādo se ob reuerentiam Diuini nominis: sic etiam alios potest ordinare ad aliquid agendum, siue obseruando, siue imperādo; quæ ordinatio si confirmetur per aliquod Diuinum, adiuratio dicitur, & est.

2 *Secundò* præmittit diuisionem adiurationis in eam

in eam; quæ fit erga subditos imperando, & eam, quæ fit erga superiores, aut pares, deprecando. Hoc palā fit ex differentia inter iuramentum & adiurationem; nam cum homo sit suarum actionum dominus, non verò omnium aliorum, potest sibi necessitatem imponere per innocationem Diuini nominis, & non alijs; nisi sibi subditis. His præmissis

2 *Prima conclusio* est. Si aliquis per inuocationem Diuini nominis, vel cuiuscunque rei sacræ alicui non sibi subdito adiurando necessitatem imponere intendat, sicut imponit sibi ipsi iurando; talis adiuratio illicita est. Probatur, quia vsurpat potestatem, quam non habet, cum non sit dominus actuum non sibi subditorum.

Secunda conclusio. Superiores possunt propter aliquam, necessitatem inferiores suos tali genere adiurationis constringere. Patet ex oppositis primæ conclusionis; quia non vsurpant potestatem; quam non habent.

Tertia conclusio. Si aliquis intendat solum modo per reuerentiam Diuini nominis, vel alicuius rei sacræ aliquid ab alio obtinere absque necessitatis impositione; talis adiuratio licita est respectu quorumcunque. Et nota verbum illud, *Respectu quorumcunque*: vbi vides ad omnes, etiam ad Deū ipsum se extendere adiurationem: vt patet in argumento, sed contra ex testimonio Apost. ad *Rō.* 12. & multis alijs, in quibus Deum obsecramus per aliquod Diuinum.

Paraphrasis Articuli.

3 SAtis ordinatè Diuus Thom. post tractatū de iuramento, adiunxit doctrinā de adiuratione ei valde simili, re, & nomine. Et nos à notione nominis incipientes aduertimus, multiplicem esse eius nominis acceptionē. *Primò* accipitur adiuratio pro iuramento, nō qualicunque, sed cum vehemens modus ex parte iurantis adhibetur: illa enim præpositio *ad* (vt notauit Seruius) in compositione actionem quandam importat: sic sæpè apud autores profanos. Terentius in Hecyra; *Sancte adiurat non posse apud vos Pamphilum se absente perdurare.* Secundo modo, adiurare est alios inducere ad iurandum, siue inductio sit erga subditos iubendo, siue erga non subditos rogando, quod nequaquam fieri debet nisi in negotio graui nempe vbi certitudo firmitasque dictorum, promissorum, aut pactorum magni momenti est. Huius acceptionis est frequens vsus in sacris Literis. *Genes.* 24. adiurauit Abraham seruum suū seniorem, vt non acciperet vxorem filio suo Isaac de filiabus Chananæorum, sed de Mesopotaneis. Quæ adiuratio exactio iuramenti fuit, quidquid dicat Sotus *lib.* 8. *de iustitia. q.* 3. *Artic.* 1. quod clarè colligitur ex sacro Textu, vbi habetur seruum illum iurasse id, quod suus herus ab eo exegerat. Sic interpretantur eius loci interpretes, & Nazianzenus *oratione* 8. *in Cantica*. Aug. in *loquutionibus*, & *sermone*. 75. Hiero. in *quæstionibus Hebraicis*, Grego. & Rupertus: & valde hoc confirmat modus ille adiurationis, ponendo manum subter femur adiurantis adhiberi solitus in iuramentis præstandis. Cuius cæremoniæ originem, & causas prætereo; quia non sunt præsentis instituti. Et Esdras *cap.* 1. adiurauit Iudæos; id est exegit iuramentum à Iudæis, vt vxores alienigenas, & filios ex eis genitos abijcerent. Et similis fuit adiuratio Nehemiæ *cap. vltimo*: & Ioiadas Iudæorum Pontifex. 4. *Reg.* 1. adiurauit milites, id est iureiurando obligauit vt Ioam tūc septennem exemptum ex impia cæde Athaliæ in Regem acceptarent, ac custodirent. Eiusdem rationis videtur esse adiuratio Sacerdotum in veteri lege *Num.* 5. adiurantium mulieres suspectas de adulterio sub certa quadam forma verborum execratoria si tale facinus mulieres perpetrassent. Quod autem iuramētum à muliere suspecta exigeretur colligitur ex sacro Textu subiungente: *Et respondebit mulier, amen, amen*; quæ responsio vim habebat, quasi iureiurādo cōfirmātis Sacerdotis adiurationē. *Tertio modo* adiurare est aliquem inducere per obtestationem ac reuerentiam Diuini nominis, vel cuiuspiam rei sacræ ad faciēdum, dicendumve aliquid: aut è contra à faciendo, dicendove deducere, etiam nulla intercedente exactione iuramenti. Et in hac acceptione tractat Diuus Thom. in hac quæstione de adiuratione. Isto modo adiurauit Rex Israel Michææ. 2. Paralipo. 18. dicens: *Iterum atque iterum te adiuro, vt mihi non loquaris, nisi quod verum est in nomine Domini:* & Cayphas Matt. 27. adiurauit Iesum; *Adiuro te*, inquit, *per Deum viuū vt dicas, si tu es Christus filius Dei.* Rachel quoque adiurauit Tobiam generum suum, vt per duas hebdomadas maneret apud se *Tob.* 8. & 9. *Actorum.* 19. legitur Iudæos quosdam exorcistas adiurasse Dæmones per Iesum. Hoc adiurationis genus dupliciter fieri solet: vno modo in eos qui nobis subditi non sunt, aut verò nobis superiores existunt, veluti parētes, Magistratus, Principes; & huiusce modi homines adiuramus deprecando, vt id faciant quod petimus, & cupimus.

Quod adiurationis genus etiam erga Deum ipsum quandoq; versatur: fuitq; vsitatū apud Hebræos veteris testamēti cultores; vbi legimus Sāctos hoc adiurationis genere erga Deum fuisse vsos, vt patet ex multis locis antiquæ legis, in quibus Deo supplicabatur allegādo eius misericordiam, bonitatem, imò & merita. Abraham & Iacob. Exod. [illegible]. *Num.* 14. *Daniel.* 3. & 9. & *in Psalm.* Dauidicis sæpè; & quamuis in his & similibus locis nominatim & expressè, & (quod aiunt Theologi) in actu signato, non donatur verbum adiurandi, exercetur tamen adiuratio, vt indicauit D. Thom. in *hoc articulo, & ad tertium*: & Christiani hunc adiurandi modum suis precibus adiungunt, cum enixè Deum obsecrant, & obtestantur per infinitam eius bonitatem, & misericordiam, per vnigeniti Filij eius passionem, & mortem, per ipsius promissa, ac merita. His enim adiuramus Deum quando in orationum fine subiungimus, *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, Et non solum per Christum, verum & per merita Sanctorum, qui ei placuerunt, conamur Deum ad nostras petitiones inclinare: quod ad adiurationem pertinet; & non solum homines, verum & Dæ-

Marginalia (left): Adiurationis acceptio multiplex. Seruius. Terentius. Genes. 24. Sotus. Nazianzenus. Augusti. Hierony. Grego. Rupertus.

Marginalia (right): Esdras. 1. Nehe. vlt. 4. Regu. 1. Numer. 5. D. Thom. Michæa. 2. Parali. 18. Matth. 27. Tobia. 8. & 9. Actor. 19. Exodi. 32. Daniel. 3. & 9. D. Thom.

Dæmones hoc adiurandi modo Deum adiuraſſe ait Marcus cap. 5. *Quid mihi & tibi Ieſu fili Dei altiſsimi?* aiebat quidam à Dæmonibus obſeſſus: *Adiuro te per Deum*, id eſt, *obſecro te*, vt ait Lucas c. 8. *ne me torqueas*, dicebat enim illi, *Exi ſpiritus immunde ab homine iſto.*

Marci. 5. Luce. 8.

D. Thom.

5 *Aduertendum* tamen cum Diuo Thoma, in ſolutione ad tertium, aliter nos vti hoc adiurationis genere erga homines, aliter erga Deum: Nam adiurando hominem eius voluntatem per reverentiam rei ſacræ immutare intendimus: quod quidem non intendimus circa Deum, cuius voluntas eſt immutabilis; ſed quod à Deo per æternam eius voluntatē aliquid obtineamus: non eſt ex meritis noſtris, ſed ex ei⁹ bonitate. *Altero modo* fit adiuratio non deprecādo, ſed iubendo & imperando aliquid: quo adiurationis genere in eos tantum vtimur, qui nobis ſubiecti sūt, vt domini in ſeruos, Principes in ſibi ſubditos, parētes in filios, dum ſunt in eorū poteſtate; nec hoc adiurationis modo temerè vtendum eſt: ſed in negotijs grauibus, & vrgente neceſſitate, & cum debita & decenti reuerentia rei ſacræ, quam obteſtamur. Sic adiurauit Saul Rex exercitum ſuum. 1. *Reg.* 14. ne quid eo die comederet, priuſquam vlciſcerentur hoſtes ſuos. Ad hunc adiurandi modū etiā ſpectat adiuratio, qua Cayphas Christū, Dominum adiurauit *Matth.* 26 quæ tamen illicita fuit; tum quia falſo exiſtimauit ſe eo quod eſſet Summus Pontifex Iudæorum, ius habere & poteſtatem Christum adiurandi, vt diceret ſi eſſet Christus: tum quia illam adiurationem ad impiā necem Ieſu ordinabat. Hæc de explanatione Literæ.

1. Reg. 14. Matth. 26.

DISPVTATIO VNICA.

De veritate primæ concluſionis.

6 Nam aliquando, per adiurationem ab adiurato exigitur iuramentum dicēdi, aut faciendi aliquid, quod adiurās optat dici, aut fieri; ſed qui ab alio iuramentum exigit, neceſſitatem agendi aliquid imponere intendit; quæ ad iuramenti præſtationem neceſſario conſequitur: ergo &c. *Maior* apertè habetur in ſacris Literis, ex quarū vſu adiurandi modi colliguntur: nam locis citatis, dum ageremus de ſecunda acceptione adiurationis, adiurare ſæpe vſurpatur pro iuramentum exigere. *Secundò.* Petitio alicuius rei per reuerentiam rei ſacræ eſt adiuratio: ergo petitio eiuſdem rei confirmandæ per ſanctitatem iuramenti adiuratio erit. *Tertiò.* Ob id aliquis quempiam adiurat, vt illi aliquam neceſſitatem aut obligationem imponat dicendi, aut faciendi ea, quæ adiurans petit, & optat: Quorſum enim apponit ſuæ petitioni adiurationem, ſi adiuratus in nullo magis obligatur, quàm ante quam adiuraretur: ergo falſa eſt D. Thomæ concluſio.

Reſpondet Diuus Thomas, in ſolutione ad tertium, quod adiurare non eſt aliquem ad iurādum inducere; ſed alium ad aliquid agendum prouocare, per quandam ſimilitudinem iuramētī à ſe adiurante inducti: ſimilitudo autem non ſtat in obligatione, ſed in prouocatione ad aliquid agendum.

7 Iſta Diui Thomę reſponſio non placet aliquibus ſemi Thomiſtis: nam quidam aiunt eam non ex toto veram eſſe, propter argumenta poſita, maximè propter ſecundum. *Alij dicunt*, omnem petitionem iuramēti promiſſorij eſſe adiurationem, non verò è contra; quia multæ ſunt adiurationes, quę non ſunt petitiones iuramēti promiſſorij, & dicunt, D. Thomam, quando ait, adiurationem nō eſſe petitionem iuramenti, eſſe intelligendum eſſentialiter, id eſt non eſſe ita petitionē iuramenti, vt omnis adiuratio debeat eſſe iuramenti petitio. Ego verò exiſtimo hos mentem D. Thom. non penetraſſe; is namq; abſolutè negat petitionem iuramenti eſſe adiurationē. Etenim adiuratio de qua ipſe agit eſt religionis actus, & inter eos à doctore Angelico computatus in hoc tractatu, vbi de huius virtutis actibus diſſerit. At petitio iuramēti per ſe, & eſſentialiter nō eſt Religionis actus: ergo neq; religioſa adiuratio. Minor probatur, & explicatur conferendo hæc tria, iuramentū, petitionē iuramenti, & adiurationē. Iuramentum nāq; vt adnotauit D. Th. *q. 89. a. 5. ad* 1. ordinatur primò, & per ſe ad cōfirmationem rei iuratæ. ſecundariò verò, ſed per ſe ad reuerentiam diuini nominis, quod iurans reueretur dum ſuam promiſſionem reuerendo diuinum nomen confirmat. *Ex quo colligitur* iuramentum eſſe religionis actū: at verò petitio iuramenti nequaquam per ſe loquēdo actus religionis eſt reſpectu petentis illud. Quod vel eo patet, quia ab infidelibus illud licitè exigim⁹ per falſos Deos; at verò adiuratio per obteſtationē diuini nominis, vel alicuius rei ſacrę actus religionis eſt, reſpectu iurantis, quia reuerentia quædam eſt ad diuina implorata; dum adiurās quaſi ſuis meritis diffiſus inuocat diuinorū patrocinium, quibus animum adiurati conatur emolire, & ad ſuā flectere voluntatem. Ex quo infertur nunquam licere aliquid ab infidelibus exigere per inuocationem Deorum falſorum; eſſet enim hoc Deos falſos reuereri, & honorare.

D. Thom.

8 Ad argumenta in oppoſitum facta *reſpondetur ad primum* concedendo in ſacris Literis aliqando accipi adiurationem pro petitione iuramenti: ſed D. Thom. agens dumtaxat de adiuratione, quæ eſt religionis actus, benè negat petitionem iuramenti non eſſe adiurationem in preſſa ſignificatione, de qua ipſe diſputabat. *Ad ſecundū ſimiliter reſp.* negando conſequentiam propter eandē rationē. Ad tertiū reſpondetur, adiurantes alios non vti obteſtatione diuinorum ad imponendā neceſſitatem adiuratis: ſed vt magis inclinentur, & prouocentur ad annuendum votis & petitionibus adiurantium. Morale enim eſt, & ingenio humano valde conſonum, vt per res chariſſimas rogati inclinemur ad largienda poſtulata. Huius rei extat illuſtre exemplum *Cant.* 2. vbi ſponſus adiurat ſodales fœminas, quæ cum ſponſa erant, ne expergefaciāt eā. Adiuratio autē fit per capreas hinnuloſque ceruorum, eo quod iſtiuſmodi animalcula ſolent eſſe gratiſſima, & quaſi in delicijs paſtoribus, & mulieribus iuuenculis, quę ruri habitabant.

Cant. 2.

Sed hæc adiuratio non pertinet ad religionē, sed ad pastorū morem: cui nō dissimilis est adiuratio per res sacras, quæ hominibus charissimæ & reuerentia plenæ sunt. Igitur ad nostra reuertentes affirmamus adiurationem religiosam nullam obligationem, necessitatemve; qualem sibi ipsi imponit iurans, imponere adiurato. Et cautè addidit D. Tho. *Qualem sibi imponit iurans*: quia si petitio adiurationis licita est, cui aliàs ex debito vel ex honestate annuere debet adiuratus, nō nulla irreuerentia venialis est, & animi irreligiosi indicium non concedere postulata.

ARTICVLVS II.

Vtrùm liceat dæmones adiurare?

1 CONCLVSIO *prima*. Per modum deprecationis non licet adiurare dæmones. *Probatur*: quia ille modus adiurandi videtur pertinere ad quandam beneuolentiam, & hac non licet nobis vti in ordine ad dæmones.


Conclusio secunda. Per modum compulsionis licet adiurare dæmones ad aliquid, & ad aliquid non licet. *Prima pars probatur*, & explicatur: quia licet eos per virtutem diuini nominis tanquam inimicos repellere, ne nobis noceant vel corporaliter, vel spiritualiter, Lucæ 10. *Secunda pars probatur*: quia non est licitū eos adiurare ad aliquid ab eis addiscendum, vel per eos obtinendum; cū hoc pertineat ad aliquam societatem cū eis habendam. Sit tamen exceptio huius secundæ partis, quando ex speciali instinctu vel reuelatione diuina aliqui Sancti ad aliquos effectus dæmonum operatione vtuntur, sicut de beato Iacobo legitur, quod per dæmonem fecit Hermogenem ad se adduci.

Luca. 10.

Circa primam conclusionem secundi articuli grauis se insinuabat difficultas: an scilicet aliquid à dæmone liceat petere; vt scientiam, sanitatem, & similia: sed hoc commodius disputabitur circa quęstiones nonagesimam quintam, & nonagesimam sextam, maximè circa articulum quartum quæstionis nonagesimæ quintæ. Nunc autem dumtaxat *aduerto*, D. Thom. priorem conclusionem secundi articuli, non tantum probari ex repudiata dæmonum societate, verum etiam quia ineptè rogarentur aliquid efficere propter nominis Dei reuerentiam, quæ piam ad Deum affectionem includit, qua dæmones omninò carent, quinimò sic adeò odio ac inuidia erga Deū flagrant, vt Theologi doctores existiment non posse dæmones moraliter loquendo, aliquod opus exercere nisi voluntate deprauata ad obscurandum (quantum possunt) diuinam gloriam: vt colligitur ex D. Th. *1. p. q. 64. a. 2. ad 5. & 1. 2. q. 89. art. 4. & in 2. dist. 7.* Quapropter si ipsis supplicaretur aliquid agendū per Dei reuerentiā, vel Dei nomē, vel irriderent, vel blasphemarent: non est igitur licitū eos adiurare, aliquid deprecando per reuerentiā diuini nominis, aut alicuius rei sacræ. 2

D. Thom.

DE POTESTATE AD COERCENDOS DÆMONES.



CIrca secundam partem secundæ conclusionis secūdi articuli nolo modò occupari, acturus fuse in quæstionibus citatis: sed dumtaxat discutiam priorem eiusdem secundę conclusionis partem, multas, & grauissimas quæstiones excitando, imò integrum tractatum efficiendo, quem diuidam in duo membra. *Primum* versabitur in explicando multa scitu digna de potestate Ecclesiæ Christi ad dæmones coercendos: *Secundum* tradet praxim adiurandi licitè dæmones, quibusdam præmissis disputationibus.

Circa primum membrum sequar ordinem Aristotelicum, disputans de potestate coercendi dæmones, an sit? quid sit? qualis? & propter quid sit?

DISPVTATIO I.

An in Ecclesia Christi sit aliqua potestas, aut fuerit coercēdi vel imperandi dæmonibus?

ASSERTIO. 1. In lege noua fuit apud homines potestas coercendi dæmones eosque imperando, ac præcipiendo, adiurandi: idque certum est secūdum fidem. *Prob.* primò ex Luc. 10. vbi dicentibus Apostolis suo magistro: *Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis*: nimirū propter potestatem à Christo collatam Matthæi 10. subdidit Christus quasi renouans, & confirmans potestatem concessam. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes; & scorpiones, & super omnem virtutem inimici; & nihil vobis nocebit.* Per serpentes, & scorpiones, & dæmones intelligit: ita communiter sacri expositores, & Athanasius homil. in Psalm. 28. & in eundem sensum adducit illud ex Psalm. 90. *Super aspidem, & basiliscum ambulabis; & conculcabis leonem, & draconem.* Per virtutem autem inimici exercitum dæmoniorum, & eorum satellites intelligūt, vel vt ait Euthym. multiplices dæmonis tentationes, Caietanus, & alij feras venenosas, quatenus ijs medijs dæmonia nobis nocent. Quidquid autē sit de his expositionibus in hoc omnes cōueniūt, vt in eo loco data sit Apostolis potestas ad cohibendos dæmones, ne nobis noceant: 1

Luca. 10.

Matth. 10.

Marc.[illegible] [illegible]: & idem colligitur ex ca. vlt. Marc. *In nomine meo dæmonia eijcient, &c.* Hoc idem *ſecundo abundantius prob.* ex multis miraculis, quæ patrauerunt
Actor.9. Apoſtoli circa eiectionem dæmonum. *Actor.9.*
Actor.15. legimus à S. Paulo eiectum eſſe ſpiritum Pythonẽ
Luc.10. ex puella, & Actor.15. attactu ſudarij Apoſtoli
expulſa ſunt dæmonia: & Luc.10. omnes diſcipuli
2 gaudio perfuſi dicebant: *Domine etiam in nomine tuo nobis ſubijciuntur dæmonia.*

Sed dubitabit quiſpiam: nam in locis citatis videtur ſolis Apoſtolis hanc poteſtatem fuiſſe conceſſam, nõ verò alijs, qui poſt eorum tempora vſque ad noſtra ſucceſſerunt. Quam obiectio-
Auguſt. nem vt diſſoluam ſit.

II. *Aſſertio.* A temporibus Apoſtolorum vſque ad noſtra, & futura huiuſcemodi poteſtas in Eccleſia permanet, & permanebit. Aſſertio eſt D. Aug. *lib.22 de ciuitate Dei, cap.8. & ſerm.7.* de Sanctis. *Secundo. Prob.* ex locis citatis ꝓ pręcedẽti aſſertione, in quibus collata eſt hęc poteſtas Apoſtolis: ergo non cum illis interitura: nam vt videre licet in *materia de clauibus*, poteſtas collata Apoſtolis ad gubernationem, & conſiſtentiam Eccleſiæ ſpectans, alijs etiam poſt eorum tempora futuris cõceſſa, & deriuanda fuiſſe credendum eſt: aliàs neque claues in Eccleſia modò eſſe, neque poteſta-
D. Augu. tem remittendi peccata impiè aſſereres, quia ſoli
Marc. vlt. Petro aut Apoſtolis expreſſè collatæ ſunt. Videdus D. Aug *Pſal.108. & lib.1. de doctrina Chriſt. c.18. & tractat. 50. in Ioann.3.* nam Marc. vlt. dicitur: *Signa eos qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo dæmonia eijcient*: ergo non ſolum Apo-
Tertulia. ſtolis, ſed etiam alijs quotquot crediderint præfata poteſtas collata eſt. *Tertiò* probatur ex Patribus: Tertul. ad Scàpulam c.2. *Non tantum reſpui-*
Cyprian. *mus* (inquit) *verum etiam reuincimus, & quotidie traducimus. & de hominibus expellimus dæmones, ſicut plurimis notum eſt.* Et Cyprian. ad Demetriadem ſic ait: *ſi audire velles, quando à nobis adiurantur, & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis, de corporibus eijciuntur, quando eiulantes & gementes voce*
Lactant. *humana. & poteſtate diuina flagella, & verbera ſentientes, & venturum iudicem confitentur: veni & cognoſce vera eſſe quæ dicimus.* Lactant. li.4. c.27. ita habet: *Sicut Chriſtus cum inter homines ageret vniuerſos dæ-*
Minutius. *mones ſibi ſubiugabat, ita nunc ſectatores eius in nomine*
Beda. *magiſtri ſui, & ſigno paſſionis eiꝰ, eos ab hominibꝰ exclu-*
Auguſt. *dunt.* Videndus etiam *cap. 16. Minutius in Octauio;*
Prudent. & Beda, *ca 8. Lucæ*, D. Auguſt. *lib.10. de ciuitate Dei, cap.22.* & alij innumeri: & Prudentius de hac re cecinit in Apotheoſi cõtra Iudæos.

Torquetur Appollo
Nomine percuſſus Chriſti, nec fulmina verbi
Ferre poteſt;
Intonat antiſtes Domini: Fuge callide ſerpens
Exue te membris, & ſpiras ſolue latentes.
Has inter voces medius Cyllenius ardens
Eiulat, & notos ſuſpirat Iupiter ignes.

Vltimò probatur eo quod ſæpe videmus in Eccleſia dęmones adiuratos à corporibus recedere, quod negare ſtultũ eſſet, & experientię repugnãs.

3 *Tertia aſſertio.* Hæc poteſtas cogendi dæmones per adiurationem non eſt vniuerſalis ad omnia quæcunque imperata faciendum, ſed tantum ne nobis noceant ſpiritualiter, aut corporaliter. *Explicatur aſſertio*: dæmones poſſunt præſtare multa bona, v.g. ſanitatem, diuitias, obſequia: hæc & ſimilia non eſt licitum à dæmonibus exigere, etiam imperando propter reuerentiam diuini nominis: poſſunt itidem multa mala inferre, putà vexare corpora, vaſtare ſegetes, & huiuſmodi, hæc mala ne inferant poſſunt fideles adiurando cogere poteſtate à Chriſto tradita: *Probatur vtraque pars*: nam hæc poteſtas non ineſt hominibus à natura, ſed munere gratiæ à Chriſto collata, *vt inferius latius probabitur*: ergo non eſt extendenda ad ea, quæ verba Chriſti promittentis non ſe extendunt: certum eſt autem ex teſtimonijs citatis Chriſtum promiſiſſe ſuis Apoſtolis huiuſmodi poteſtatem limitate in ordine ad propulſanda mala, quæ dæmon ingerere ſolet; ergo ad id tantum extendenda eſt.

Supereſt tamen dubitatiuncula præcedenti *An ſit in*
affixa, *an ſit in Eccleſia poteſtas cogendi dæmones ad cor-* *Eccleſia po-*
pora hominum ingrediendum, vt eos vexent corpora- *teſtas im-*
liter. Et pro *affirmatiua parte* ſtatim ſe offert id *mittedi dæ-*
quod D. Paulus narratur feciſſe 1. ad Cor.5. tra- *mones in ho*
dens Corinthium *inceſtuoſum Sathanæ in interitum* *minum*
carnis, vt ſpiritus ſaluus fieret: quem locum explicãs: *corpora?*
D. Tho. ait poſſe intelligi, quod ſicut Dominus 4
Matt.10. dedit Apoſtolis poteſtatem ſpirituum D. Thom.
immundorum, vt eijcerẽt eos & per eandem po- Matt.10.
teſtatem poterant imperare ſpiritibus immundis, vt vexarent corporaliter, quos hac pœna iudicabant dignos. Ita mandauit Apoſtolus Corinthijs in eius autoritate tradere prædictũ fornicarium Sathanæ corporaliter vexandum. Expendendum eſt in præfato teſtimonio verbum illud (*ego iudicaui*) quod poteſtatem & eam iudiciariam ſignificat quam in Eccleſia eſſe debere vero ſimile eſt. *Confirmatur*: nam poteſtas eijciendi ſpiritus immundos extitit in Apoſtolis, & ad poſteros fideles deriuata eſt, vt ſupra vidimus: ſed poteſtas tradendi criminoſos à Sathana vexandos, eãdem eſt cum illa priori: ergo etiam extitit, & modò eſt in Eccleſia, ſicut illa poteſtas prior. Fidem Sathanæ tradidit Paulus Hymenæum, & Alexandrum ob eorum blaſphemias 1. ad
Timoth.1. *Ad Tim.1.*

Secundò. Luc.9. dicitur Chriſtum dediſſe A- *Lucæ.9.*
poſtolis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dę-
monia. & c.10. *Dedi* (inquit Chriſtus) *vobis poteſta-* *Lucæ.10.*
tem ſuper omnem virtutem inimici. Ecce abſolutum plenumque ius conceſſit Apoſtolis in dæmonia, quod & poſteris videtur reddidiſſe, ſicut & expellẽdi ea ab hominum corporibus. Vnde enim colligis poteſtatem his in locis conceſſam eijciendi dęmonia ad poſteros extendi, non verò poteſtatem immittendi ea hominibus? *Confirmatur*, quia interdum quando dæmonia mediante adiuratione coguntur à corporibus aliquorum recedere, petunt ab adiuratoribus, vt eis alios homines arripere liceat, quemadmodum petijt dęmon quidam, quem ex Artemia Diocleciani Im-
peratoris filia eiecit S. Cyriacus, vt habetur apud
Surium *tom.4.* Igitur dæmones ipſi agnoſcunt *Surius.*
penes adiuratores hanc ineſſe poteſtatem, immittẽdi ſcilicet dæmonia in hominum corpora.

In

6 *In oppositum est*, huius potestatis nō extare modo in Ecclesia vsū, quæ certè semel aut iterū exequutioni mandaretur si esset.

Decisio huius rei valde dubia est, existimo tamen esse dicendum Apostolos prædictā habuisse potestatē, sed ad posteros neutiquam esse deriuatam. *Prima pars* huius asserti cōceditur argumentis pro parte affirmatiua. *Secundam* verò damus argumento in oppositum: & quia licèt Apostolorū tēpore, quando non tot suppetebant media ad puniendum crimina enormia, Apostolis fuerit concessa præfata potestas, nūc tamē postquam Ecclesia aucta est temporalibus viribus, habetque multiplices vias puniendi ac coercendi rebelles, non est cur dicamus talem esse necessariam potestatem.

7 *Ad primum* pro parte affirmatiua quatenus cōtra hanc secundam assertionis partē militat, *resp.* illud testimoniū D. Pauli communiter explicari de excōmunicatione, cui tradit⁹ est ille incestuosus Corinthius: ita Tertul. *lib. de pudicitia cap.* 13. & 20. Hilarius *Psal.* 18. Hieron. *in Ezechielem c.* 17. Ambrosius, *li. de Pœnit ca.* 14. Aug. *li. de fide, & operibus c.* 26. D. Th. in hoc testimonio, & 1. ad Tim. 1. vbi ait: *Tempore primitiuæ Ecclesiæ, quando excommunicabantur fideles, simul & vexabantur corporaliter à dæmone.* Tertulian. Hilarius. D. Hieron. Ambros. August. D. Tho.

Sed admissa expositione in argumento allata, quam etiam approbat D. Tho. & alij. *Respondetur*, solis Apostolis talem fuisse concessam potestatē, nō verò eorum successoribus: tum, quia tempore Apostolorum vt fides, quam prædicabant, honoraretur, ac susciperetur, decuit, vt signis & portentis confirmaretur, & grauissimis supplicijs Apostoli primi fidei prædicatores in enormiter peccantes animaduerterent, vt patet ex occisione Ananiæ, & Saphiræ Diui Petri verbo, *Act.* 5. & de eodem Petro narrat Aug. contra *Admātum ca.* 17. occidisse solo verbo. Grauissimam autem fuisse pœnam tradere quempiam Sathanæ vexandum corporaliter, quis dubitet? quam iuflixit D. Paulus Corinthio incestuoso, ac Alexandro, & Hymenæo. At verò iam fide propagata, & ferè à toto orbe recepta, vsu huiuscemodi potestatis Ecclesia non indiget: quia atrox esset suppliciū sine necessitate; tum quia Ecclesia, Apostolorum tempore erat potestate temporali destituta ad puniendа enormia crimina: & ideò decuit in Apostolis, vt timerentur, esse prædictam potestatem: secus in Ecclesia nostris temporibus, quando etiam temporali gladio ferire, ac coercere criminosos potens est. Actuum. 5. August.

8 *Ad secundum resp.* neminem interpretum sacræ Scripturæ (quem ego viderim) explicasse præfata loca de plenaria potestate super dæmonia, sed tantum ad cogendum ea ne nobis noceāt spiritualiter, aut corporaliter, quod & verba concessionis sonant, si benè expendantur. Ad confirmationem respondetur, dæmones eam licentiam petere, quando affliguntur, & iubentur exire, & non alijs nocere; non quia potestas sit apud adiuratores dæmones immittendi intra hominum corpora, vt eos vexent corporaliter, sed quia iubentur neminem alium introire, quam iussionem ægrè ferunt.

DISPVTATIO II.

Quænam sit potestas, quam que diuturna?

1 VAlde obscurum est quid sit: nam Arist. 2. eth. ca. 5. dicit: *Tria sunt in anima: potentia, passio, & habitus.* Sed potestas hæc coercendi dæmones, aut abigendi ne noceant hominibus, non est potentia: quia sic conueniret omnibus, quibus potentiæ animæ sunt communes: neque etiam est passio: quia nulla ex his quæ numerantur à D. Thom. in materia de passionibus: neque etiam est habitus: quia habitibus vtimur cum volumus, vt testatur Commentator 3. *de anima*: at non vtuntur etiam exorcistę hac potestate coercendi dæmones, quoties libuerit, nam vt infra videbimus, sæpe intentant abigere dæmones, & eorum cassus, & irritus redditur conatus: ergo non est habitus. *Dicet quis*: est quædam potentia instrumentalis, concessa à Deo Apostolis, & alijs discipulis ad abigēdos dæmones per Dei nominis aut Christi inuocationem, vt patet *Lucæ.* 10. & *Matth.* 10. & alibi sæpe. Hęc autem potestas pertinet ad secundam speciem qualitatis in coordinatione supernaturali, sicut potestas absoluendi à peccatis concessa Sacerdotibus. Aristot. D. Thom. Auerroes. Luce. 10. Matth. 10.

Contra secundò: nam sequitur; quibus hæc potestas concessa est, semper ad esse facultatem vtendi ea, apposita debita materia. *Consequens* falsum est: quia sæpe tentant exorcistæ habentes hanc potestatem eijcere dæmonia, & non valent: & Apostoli frustra tentarunt eijcere dæmonem à quodam puero *Matth.* 17. & *Luce* 9. & tamen acceperant hanc facultatem. Quod si dicas: pertinet ad gratiam miraculorum, quæ nihil horum est, sed quid actuale, vt dicit D. Thom. agens de gratijs gratis datis. Matt. 17. Luca. 9. D. Tho.

Contra arguitur tertiò. Quando homines initiantur ordine exorcistarum confertur illis potestas hæc, nam dicitur illis ab ordinante: *Habeto potestatem imponendi manus supèr energumenum, siue baptizatum, siue cathecumenum.* Ita habetur in Cōcilio Carthag. 4. *cap.* 7. & in antiquis Ecclesiæ ritualibus: sed in collatione huius ordinis, sicut neque in aliorum, non confertur ordinandis gratia aliqua gratis data: ergo, &c. *Confirm.* quia in exorcistæ ordine, si verum Sacramentū est (vt quidam putant) non confertur aliud, nisi character: at character non est gratia gratis data, sed potius qualitas quædam pertinens ad secundam speciē qualitatis: ergo, &c. Concil. Carthag. 4.

Quartò. Matt. 10. ac Luc. 10. & alibi sæpe dedit Christus Apostolis potestatem super spiritus immundos, idest cacodæmones, sed non est dicēdum dedisse aliquam gratiam gratis datam: quia id quod ibi dedit pertinet ad donū copiosę

gratiæ, qualis decebat ministros legis gratiæ: sed gratiæ gratis datæ in omni statu, & in omni lege collatæ sunt à Deo ad vtilitatem suæ Ecclesiæ: ergo potestas hæc abigendi dæmones (quam diximus esse in Ecclesia Christi ex eiusdem Seruatoris munere) non est aliqua gratia gratis data.

Quintò. Id, quod commune est omnibus fidelibus, potius pertinet ad virtutes, quã ad gratias gratis datas: sed præfata potestas promittitur omnibus fidelibus, Marc. vlt. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eijcient, &c.* ergo. Cõfirmatur: quia ex hoc loco potius colligitur, hanc potestatem arcendi dæmones fidem esse; fides autẽ virtus Theologica est, non gratia gratis data.

Marc. vlt.

2 Pro resolutione *præmittendum* est, duplicem posse intelligi potestatem abigẽdi dæmones relictam à Christo Ecclesiæ suæ. *Vna est* per solã designationem ad id munus exercendũ, nulla collata perfectione reali, per quam homines fiant potentes ad dæmones profligandos, sed dumtaxat dicuntur habere potestatem: quia designati & electi sunt ad id officium: ad eum modum, quo quando Rex elegit aliquem in prætorem, nullam ei perfectionem realem confert, sed tantum designat illum ad munus prætoris exercendum. *Altera potestas* est, qua homines (aliàs imbecilliores) fiunt potentes ad fugandã dæmonia virtute communicata à Deo, & hanc necesse est esse in hominibus ad efficiendum opus tam impar suis viribus, estque vera & realis perfectio. Hoc supposito.

3 *Dico primò*. Absque dubio prior potestas fuit in Ecclesia primitiua, & perseuerat in nostra. *Prior pars prob.* Matt. & Lucæ 10. vbi Dominus discipulis ait: *Ecce dedi vobis potestatem spirituum immundorum, &c.* & tunc nil aliud fecit, nisi designare eos ad pellendos dæmones. *Secunda pars prob.* in ordine exorcistarum initiatis, qui ex vi suæ ordinationis talem potestatem accipiunt.

Dico secundò. Potestas in secunda acceptione non est habitus, neque potentia habitualiter in voluntate aut intellectu existens, neque aliqua virtus moralis, aut intellectualis. *Prob. argum.* primo & secundo factis in principio dubitationis.

4 *Dico tertiò*. Præfata potestas reducitur ad gratiam miraculorum aut verò ad gratiam sanitatũ quæ inter gratias gratis datas cõnumeratur. *Prob.* nam circa testimonia citata sacræ Scripturæ interpretes dicunt, ea mirabilia, quæ ibi recensentur, ad gratiam miraculorum aut sanitatum pertinere. Et verba ipsa expresse indicant: ait Matth. *Dedit eis* (nimirum discipulis) *potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Et post pauca explicans Dominus ad quæ se extenderet præfata potestas, ait: *infirmos curate, leprosos mundate, dæmones eijcite, &c.* Quæ quis non videat ad gratiam sanitatum, aut miraculorum pertinere: Idem videre ac expendere licet Marci vltimo.

D. Tho. *Secundò prob.* ex doctrina D. Tho. in multis locis, vbi agens de miraculorum gratia, ait, eam à Deo conferri ad confirmationem doctrinæ suæ, iuxta illud Marci vltimo: *Et sermonem confirmante sequentibus signis*: sed per nil aliud fidei doctrina plus corroborata est, quam per dæmonũ eiectionem, vt videre licet in Euangelica historia: ergo potestas abigendi dæmonia ad gratiam miraculorum pertinet, aut verò ad gratiam sanitatum. Qua ratione per eiectionẽ spirituum nequam obsessi ab ingenti infirmitate liberantur: & fortasse gratia sanitatum sub gratia miraculorum continetur, vt adnotauit Ferrariensis *lib. 3. contra gentes, cap. 154.* Ferrarien.

Quod si cupis pressius scire, quid sit, & in quo consistat hæc gratia, seu potestas eiectiua dæmonum: scito esse virtutem quandam instrumentalem à Deo communicatam hominibus, per quã fiunt potentes ad opus exuperans vires naturæ, qualis est eiectio dæmonum: vt rectè adnotauit D. Tho. loquens *de gratia miraculorum q. 6. de potentia* art. 4. de qua virtute, ait, quantum ad suã permanentiam esse iudicandum sicut de formis imperfectis (quæ vocantur intentiones) quæ non permanent nisi ad præsentiam agentis principalis, sicut lumen in aere, & motus in instrumento: & 2. 2. *q. 178. art. 1. ad primum*, ait, nõ posse esse qualitatem habitualiter manentem in anima. Quid ergo est? motio quædam diuina quã actio adiuuantis eleuatur, vt sit instrumentum Dei potens in actu primo ad fugandos dæmones, & hanc virtutem instrumentalem (quæ est pars integralis gratiæ miraculorum) appellabimus deinceps gratiam eiectiuam, & potestatem ad eijciendos dæmones, eo quod est principium instrumentale ad præfatum effectum efficiendum. D. Tho.

5 *Sed ne quis* decipiatur in eo quod dixi, hanc virtutem instrumentalem esse motionem Dei, *oportet aduertere*, dupliciter se habere Deũ in cõmunicãda hac virtute seu motione. *Vno modo* mouẽdo mentẽ hominis vt imperet dæmonibus fugã, quo mediante imperio fugantur. *Secundo modo* potest contingere vt Deus non moueat mentem hominis ad imperandum dæmonibus motione aliqua supernaturali, sed ipse homo concursu naturali, & generali se moueat ad imperandum eam fugam, quæ de facto sequitur Deo operante, & homine cooperante.

In priori modo tres interueniũt actiones, ex auxilio Dei speciali, & supernaturali *Prima est* excitatio ad imperandum dæmonibus. *Secunda imperium* ipsum. *Tertia* eiectio dæmonum. In secundo modo tres etiam intercedunt motiones. *Prima* merè naturalis. *Secunda & tertia* supernaturalis. *Priori modo* solet Deus mouere Sanctos, qui non solũ eijciunt dæmonia, aut miracula faciunt per imperiũ: verum etiam peculiariter excitãtur, & mouentur à Deo ad miracula patranda, quam motionem in se agnoscẽtes miracula operantur cum fiducia: & interdum viri non sancti hac motione gaudent, maximè quando operantur miracula ad confirmanda dogmata fidei: aliàs temerarij essent in pollicendis miraculis, ignorantes, an Deus ea miracula velit facere: & de isto modo operandi miracula posuit D. Tho. exemplum D. Thom. q. 178.

q.178. *citata*, & declarauit adducto modo, quo solet Deus impartiri donum prophetiæ. *Secundò verò modo* communiter solent exorcistæ dæmonia pellere: & in vtroq; modo gratia gratis data cōsistit in imperio, quod eleuatur à Deo vt efficaciā habeat ad dæmones fugandos. Eleuatio autem ista nihil est aliud quam Dei motio communicata illi imperio. Vis ergo illa, seu efficacia instrumentalis communicata imperio adiurantis dæmones, est ipsamet gratia gratis data. Motio autem illa, qua adiurator excitatur à Deo superna-turali auxilio, vt ad imperandum dæmonibus accingatur, neque est necessaria in omni eiectione dæmonum, nec concurrit instrumētaliter ad eā; ac proinde nō est gratia gratis data, sed ea motio, qua mouetur mens adiurantis, vt sic (idest quatenus adiurat) vt fiat instrumentum diuinæ virtutis ad pellendum dæmonem. Et hæc benè nota, si vis intelligere in quo consistat potestas eiectiua dæmonum.

6 *Ad primum* argumentum in initio dubitationis positum *resp.* Aristotelem nō esse intelligendum de omnibus, quæ sunt in anima, sed de his dumtaxat, quæ per modum qualitatis inhærentis sunt principia humanorum actuum, & iuxta mentē Diui Tho. 2.2. *loco citato*, impossibile est principiū operandi miracula esse aliquam qualitatem habitualiter manentem in anima: at verò potestas arcendi dæmones, ne nobis noceant, nihil aliud est, nisi motio quædam, qua eleuatur imperium exorcistarum, & mens eorum, vt sint potentes ad abigendos dæmones; vt paulò ante fusius explicaui. Quod si contendas, hanc potestatem esse passionem (nomine passionis accepto pro qualibet receptione motionis) non moror: modò asseras tantum in esse per modum transeuntis, non vt quid habituale.

Ad secundum patet ex supradictis.

Ad tertium. Siue dicas exorcistarum ordinē esse Sacramentū, & imprimere characterem siue non (quod non est præsentis cōsiderationis) existimo non conferri eo ordine initiatis gratiam, seu potestatem expellendi dæmonia de facto. Vidimus enim multis initiatis eo ordine adiurationē dæmonū infœliciter succedere, & multis alijs nullo ordine initiatis fœliciter: & tamen si illa potestas exorcistis daretur, apposita debita materia semper se explicaret in actum: sicut & in potestatibus collatis in alijs ordinibus, & Sacramentis contingit. Quando ergo illis dicitur in ordinatione sua: *Accipite potestatem, &c.* solum datur illis potestas solemniter adiurandi energumenos per recitationem exorcismorum ab Ecclesia institutorum; quod alijs, qui non sunt exorcistæ prohibitum est, vt inferius videbimus. Ex his patet quid dicendum sit ad confirmationem.

7 Dubium. In *quarto* argumento tangitur dubitatiuncula: *an scilicet in omni legis statu, siue naturæ, siue scriptæ, siue gratiæ, extiterit potestas hæc adiurandi & abigendi dæmones*; Cui affirmatiuè *respondeo*: & *prob.* nam Ecclesia in omni legis statu gubernabatur ab Spiritu Sācto, sed ad bonam gubernationem spectabat, vt fidelibus daretur facultas abigendi, & expellendi dæmones, ne homines molestarent: ergo reuera in omni legis statu huiusmodi potestas collata est. Minor probatur: tum quia vexationi dæmonum grassanti maximè in statu legis scriptæ, nulla alia ratione mederi poterat, nisi hac obtenta à Deo facultate: tum etiam, quia potestas hæc abigendi dæmones, ad gratiam miraculorum reducitur, vt vidimus, quæ in omni statu Ecclesię apprimè necessaria fuit, vt colligere licet 1. *ad Corinth.* 12. 1. Cor. 12.

Secundò prob. discurrendo per singulos legis status: nam in *lege gratiæ* adfuisse præfatam potestatem, iam probauimus certum secundum fidem in præcedenti disputatione. In *lege verò naturæ* propter rationem factam opinamur extitisse: in *lege scripta* etiam certò censemus non defuisse, ex testimonio D. Lucæ *c.* 11. Vbi Iudæi inducuntur obijcientes Christo Domino, quod dæmonem à quodam expulisset in Beelzebub Principe dæmoniorum Et hanc calumniam à se repellere procurans Dominus, id egit exemplo filiorum Iudæorum, qui apud ipsos munere exorcistarum fungebantur, & dæmonia eijciebant, & ait: *Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt?* supponens esse apud Iudęos qui potestatem habebant, & exercebant eijciendi dæmonia ab obsessis. Lucæ, 11.

8 Quod si quispiā dicat, per hos filios Iudæorū Apostolos vel discipulos Domini intelligi. Ita D. Hieronymus, *Math.* 12. Hilarius *Can.* 12. Chrysostomus *homil.* 41. *in Matthæum*. Respond. Alij, inter quos ipsemet Hieronymus *loco citato*, per filios Iudæorum intelligunt exorcistas eius gentis, qui ante Christi aduentum præcessere, & tūc repulsio calumniæ cōtra Pharisæos fortius procedit: tum, quia quando hæc calumnia Christo obiecta fuit, nondum Apostoli cum hac potestate ad prædicandum missi fuerant: tum, quia similem obiectionem vero simile est Pharisæos obiecturos Christi Apostolis eijcientibus dæmonia, quam suo Magistro obiecerunt, vt insinuatur Matth. 10. *Si patrem familias* (inquit) *Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius:* Sed hac expositione in sua probabilitate relicta, adhuc probatur fuisse in Synagoga potestatem coercendi dæmones. Ita Iosephus lib. 8. antiquitatum cap. 2. vel. 12. *Præstitit* (inquit Iosephus) *Deus Salomoni, vt contra dæmones artem ad vtilitatem hominum & eorum curas edisceret, & incantationes instituit, quibus adstricti dæmones, ne denuò redeant effugantur, & hæc cura hactenus apud nos multum praualere dignoscitur*. Item Epiphanius contra *Ebioneos cap.* 3. inquit, non tantum Iudæos, medijs his artibus à Salomone acceptis, dæmones expulisse, verum etiam adhibito nomine, Dei tetragramaton, cui enim illud scire aut fari licuisset ea potestate ad dæmonia profliganda potiebatur. D. Hieron. Hilarius. Chrysosto. Matth. 10. Iosephus. Epiphan.

9 His præmissis *respondetur ad argumentum* eam gratiam eijciendi dæmones Apostolis concessam eiusdem speciei esse cum ea, quam in omni legis

legis statu extitisse diximus. Cæterum longè superasse vtramque legis, scilicet naturæ, & scriptæ: primo in efficacia maiori, vt patuit ex tanta multitudine obsessorum à dæmonibus liberatorum per Christum, & eius Apostolos, vt narrat Euangelica historia. Quam maiorem efficaciam cõmendant D. Pauli cingula, Petri vmbræ, quæ dæmonia excludebant. *Secundo*. Potestas præfata in lege gratiæ cæteras superat diuturnitate: nam aliæ etiam legis scriptæ potestates, lege cessante cessarunt. Hæc vero quæ est in lege gratiæ, vsque ad sęculi finem sicut Ecclesia Christi permanebit. *Tertio*. Hæc potestas maximè Apostolorum tempore in eos, ac omnes discipulos, imò fere in omnes fideles effusa est: quia cum ordinaretur ad confirmationem fidei, & illo in tempore primitiuæ Ecclesiæ fides, quasi arbustum tenellum crescebat, opportuit omnes eiusdem fidei concionatores (erant autem ferè omnes fideles) gratia miraculorum donari, maxime in expulsione dæmonum, per quam fides augebatur, & nimis confirmabatur. Itaq; Christus & cõcessit suis Apostolis, ac fidelibus eam potestatem, quam Deus concesserat in omni legis statu, & multis prærogatiuis perfectiorem, vt iam diximus. Ex his patet ad quartum.

10 *In quinto argumento*, & eius confirmatione desideratur explicatio testimonij citati *Marci vltimo*, cuius exactam explicationem trademus inferius, disputantes de fidei necessitate ad dæmonum eiectionem: & propterea ab ea supersedentes, modò respondemus ad argumentum. Potestas miracula faciendi in principio nascentis Ecclesię ferè omnibus fidelibus dabatur: quia ferè omnes intendebant propagationi doctrinæ Christi, quæ magnopere per signorum patrationem crescebat, & confirmabatur: at nunc propagata fide per totum orbem, & confirmata, non est necessarium hanc potestatem omnibus fidelibus conferri, sat est aliquibus, & rarò dari.

DISPVTATIO III.

An potestas expellendi dæmones, ne hominibus molestias inferant, posit esse naturalis?

1 ET videtur esse naturalem, id est à natura vtente prædicta potestate exortam: quia legimus multos, & impijssimos Magos hanc obtinuisse facultatem, & de facto dæmonia eiecisse ab hominum corporibus: inter quos non infimum locum occupauit Apollonius Tyanæus, qui inter alia miranda opera, quæ faciebat, dæmones expellebat ab hominum corporibus: & hac arte tot sibi consciuit discipulos, vt Eusebius octo libros aduersus Philostratum Apollonij præconem coactus fuerit scribere. Hac etiam potestate vsos fuisse quosdam Magos legimus apud Africanum, qui post ductos aliquos circulos, & characteres in fronte dę- *Apollon. Tyanæus.* *Eusebius.* *Africa.*

moniaci, interrogatumque dæmonem ab hominibus eijciebát. Et Iustinus *in oratione ad Gentiles* alios simili arte vtentes retulit. De similibus videtur loquutus fuisse Vlpian⁹ *li. 1. ff. de vari. & extraord. cognit.* cũ negat his, q incantarũt, q imprecati sunt, & qui exorcizarunt de eorum mercede ius esse dicendum: loquitur Vlpianus de Magis, qui non erant Christiani (etenim Christiani gratis absque aliqua conditione stipendij huiusmodi officium consueuerunt exercere) sed Gentiles impostores, & circulatores, qui vrbes circuibant, & superstitionibus vtebantur, & eo exercitio instar medicorum curantiũ corpora, quæstum faciebant, & pecunias colligebant, vt ait Baronius, *lib. 1. Annalium circa annum Domini 56.* Demum hac eadem potestate vsi sunt illi, quorum meminit D. Gregor. *lib. 1. Dialog. cap.* 10. qui fœminam nobilem Magicis suis incantationib⁹ à dæmone liberarunt: sed interim integræ legioni dæmonũ ostium ad eandem ingrediendum aperuerunt: *Miro enim Dei omnipotentis iudicio* (inquit Gregorius) *dum arte peruersa vnus ab ea repellitur, in eam legio subitò intrauit, cæpitque ex hoc illa tot motibus agitari, tot vocibus, clamoribus perstrepere, quot spiritib⁹ tenebatur*; sed hæc potestas qua Magi vtuntur, nequit esse supernaturalis: quia Magicis incantationibus donũ supernaturale non accersitur: ergo à natura potest hęc potestas proficisci, & haberi. *Iustin. Martyr.* *Vlpianus.* *Baronius.* *D. Grego.*

2 Quidam medici, inter quos Fulginas, Forliuius, Garbus, & alij potestatem faciendi miracula, & consequenter abigendi dæmones, attribuunt cuidam corporis temperamento: fingunt enim temperaturam quandam æqualitatis ex humorum & qualitatum actiuatum ad pondus æqua mixtione resultare, qua qui sit præditus (asserunt isti) posse miracula quæuis facere, nedum dæmones abigere; & adijciunt blasphemiam, huius tẽperamẽti vi Christum Dominum tot miraculis coruscasse. *Fulginas.* *Forliuius.* *Garbus.*

3 Pro decisione sit Assert. 1. Potestas arcendi, aut quoquo modo propulsandi dæmonia, ne hominibus noceant, non est, neque potest esse naturalis hominibus, sed absolutè dicenda est supernaturalis. Prima pars huius assertionis probatur: nam homo mortalis est, & corporeus: ergo nullum imperium potestatemve habet cogẽdi dæmones, qui incorporei sunt, & immortales, vt appareant, fugiant, aut aliquid faciant, aut facere desinant: nulla namque corpoea res vim, & potestatem habet superiorem, aut æqualem, supra res spirituales: vt docet D. Thom. *in 4. distinct. 7. art. vltimo, & in cap. 41. Iob lectione 3.* Neque euaditur argumentum, si dicas hominem esse spiritualẽ, & immortalẽ secundũ animam: nam etiã ipsę animæ hominum separatæ sunt impares natura & viribus dæmonibus, vt docent Theologi, ac Philosophi: ergo non habent potestatem, dæmones coercendi; aut ipsis imperandi naturaliter. Hæc eadem assertio apertè declaratur, à sanctissimo Iob *capite 41.* Vbi postquam eleganti carmine, ac metaphora cuiusdam sæui ac fortissimi animalis naturam dæmonis expressisset, in fine capitis includit non esse potestatem quæ ei in *D. Thom.* *Iob. 41.*

terra comparetur: etenim omnes terricolas robore ac potentia superat.

Secunda pars assert. probatur: quia hæc potestas eiectiua dæmonum connumeratur gratiæ miraculorum, vt in præcedenti disputatione docuimus, & affirmat D.Thom. *de potentia quæst.6. art. 9. argum.* 15. Item est Dei donum, vt dicitur *1. ad Corinth.*12. ergo supernaturalis est. Confirmatur. quia excedit facultatem, & vires naturæ hominum, quæ non se extendunt ad imperandum dæmonibus, qui superioris naturæ sunt: ergo supernaturaliter ipsis confertur, non ꝓpter sua naturalia. Ex his manent confutati Fulginas, & alij medici deliri supra relati.

D.Thom.
1.Cor. 12

4 *Secunda assertio.* Nullam agnosco in Magis potestatem naturalem, aut supernaturalem eijciendi dæmones, aut aliquo modo exterminandi, ne hominibus noceant: Et quidem si sit sermo de potestate naturali, res comperta est. Etenim nullius hominis potentia, aut vires naturales æquare, ne dum superare possunt infimi dæmonis facultatem aut vires, vt nuper dicebamus: ergo propria naturali virtute nulli Magi poterunt dæmones compellere, vt ab hominibus exeant, aut ne eis molesti sint. Non autem eis inesse aliq̃ supnaturalem potestatem ad hæc circa dæmones efficiendum, probatur: quia illa potestas vel esset habitus, aut potentia collata à Deo, aut motio diuina ad id faciendum. Duo priora non illis communicat Deus (& fortasse communicare non potest etiam suis seruis & Sanctis, vt supra ex D.Thom. doctrina tradidimus) ergo neque Magis communicauit.

Quod verò Magi moueri possint à Deo ad miracula patranda, & dæmones eijciendos non dubito, sicut & aliquando infideles mouit ad id perficiendum propter fidem confirmandam. Quod verò Deus moueat Magos vt suis incantationibus (quæ sunt dæmonum inuocationes expressæ aut tacitæ) incredibile est, neque esse potest.

Dices Hæc potestas confertur Magis à dæmonibus: estò ita sit, potestas diabolica erit, non supernaturalis à Deo quinimo crediderim dæmones non posse eam potestatem conferre, neque Magis neque suis Magicis incantationibus, vt vltra suas vires naturales aliquid operentur. Vrget quispiam. De facto Magi profligant dæmonia ab hominibus: ergo habent potestatem aliquam id efficiendi.

5 *Tertia assertio* sit pro solutione. Quando Magi exterminant dæmones ab hominibus, aut eos aliquo modo impediunt, ne ipsis noceant, Magi nullam efficientiam habent circa tale exterminium, sed dæmones ipsi sunt, qui immediatè id operantur. *Hæc assertio* sequitur ex præcedentibus, nam si Magis nulla inest potestas naturalis, aut supernaturalis abigendi dæmonia, ne hominibus noceant, & de facto eijciunt, vt probatum est in argumento posito in quæstionis fronte: ergo ipsi dæmones sunt qui per se ipsos sine vllo medio talem eiectionem, aut exterminium operantur.

Pro cuius declaratione *aduertendum est.* Dupliciter imaginari possumus dæmones alios dæmones eijcere ab hominib⁹, vel à locis alijs abigere. Vno modo per violentiam, quia scilicet dæmon abigens alium pertinet ad altiorem ordinem, & perfectoris naturæ est, ac proinde maius robur & vires habet, quib⁹, mediantibus potest cogere alium dæmone inferioris ordinis, vt cedat loco, & recedat ab obsesso velit nolit: imò & torquere poterit ad eum modum, quo homines robustiorum virium possunt alios loco pellere, & in eos præualere. Sic affirmant Origenes *homil.*23. *in Numeros,* & D.Athanasius *l. de corporali* aduentu Christi. *Secundo modo potest* vnus dæmon alterum eijcere à loco, aut ab hominibus per collusioñe, siue dæmon eijciendus sit ordinis inferioris, siue non: videlicet, quia sibi inuicem obsequuntur propter aliquos malos fines, & quodammodo pasciscuntur, vt vnus exeat ad alterius voluntatem.

Origen.
Athanas.

Secundo aduertendum, totidem modis Magos posse mediantibus incantationibus dæmones ab hominibus molestandis abigere, quot ipsi dæmones. *Vno modo*, quia Magus fœdus pepigit cum dæmone superioris ordinis, & magnarum virium, cui se Magus deuouit; ac proinde ab eo inuocatus poterit per violentiam dæmonem expellere magis imbecillum. Isto modo calumniabantur Scribæ, & Pharisæi Christum Dominum eijcere dæmonia, dicentes Marc.3. Mat.12. & Lucæ 11. *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Videntes enim Christum Dominum cum magna potestate, ac imperio iubere dæmones exire ab obsessis, reducebant efficaciam expulsionis, non ad quemcunque dæmonem, sed ad principem dæmoniorum: vt significarent eum Magum famosum, & habentem sibi deuotum non debilem dæmonem, sed principem dæmomoniorum, qui posset præualere aduersus cæteros, & eis potestatiuè imperare vt exirent. *Secundo modo.* Licet Magus pepigerit cum dæmone non vsq; adeo fortitamẽ Magus implorato auxilio sui dæmonis, eijcere poterat non per violentiam, sed quia dæmones, tam ille, cui se Magus deuouerat, q̃ expellendus, per collusionem sibi inuicem obsequuntur. Poterimus etiam superaddere tertium modum, non quia dæmon dæmonẽ pellat: sed quia ad Magi incantationes dæmon obsidens spontè exit, vt morem gerat Mago, aut Incantatori. 6

Marc. 3.
Matt. 12.
Luc. 11.

Deniq; notandum est, duntaxat secundum apparentiam has dæmonum expulsiones Magis attribui. Etenim neq; illis, neque suis incantationibus aliqua vis, seu efficacia inesse potest; sed soli dæmones per se ipsos abigere alios possunt. Incantationes verò, inuocationes sunt dæmonum tacitæ, aut expressæ, ad quarum præsentiam dæmones ex pacto cum Magis inito, hæc & multo mirabiliora, quæ excedunt vires hominum perficere possint. Ex his patet quid sit dicendum ad argumentum initio dubitationis positum. 7

Sed contra doctrinam præfatam, quatenus concessimus, aliquando Magos, aut dæmones alios dæmones à corporibus exegisse, offert se *difficile argumentum* ex dictis Christi Domini *Matth.*12. *& Luc.* 8

Matt. 12.

c. Luc. 11. Vbi aduersus calumnias Iudæorum, qui eum in Beelzebub principe dæmoniorum eijcere dæmonia dicebant, argumentatur: & sic refellit eos: *Omne Regnum diuisum contra se desolabitur, & omnis ciuitas vel domus diuisa contra se non stabit: & si Sathanas Sathanam eijcit, aduersus se diuisus est, quomodo ergo stabit Regnum eius.* Quibus verbis syllogismus perfectus & conuincens statuitur, in hunc procedens modum. Regnum diuisum discordia & mutua contentione non stabit diu: sed Sathanas diuisus est aduersus se ipsum: id est, Regnum Sathanę, & dæmoniorum in se diuisũ est. Igitur Regnum eius stare, & perdurare non potest. Maior propositio, vt experientia, & euentibus nota relinquitur; ita vt in Prouerbium abierit: *Concordia res paruæ crescunt: discordia maximæ dilabuntur.* Minorem verò propositionẽ probat ex ipsorum Pharisæorũ dictis: quia inquit: vos dicitis me in Beelzebub eijcere dæmonia; consequitur Regnum eius in se esse diuisum, & sic non potest diu permanere. Huic syllogismo supplenda est alia argumentatio, quam Dialectici appellant ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis, sic: at cùm notum sit Regnũ Sathanæ diù permansisse & permanere: necessariò sequitur non esse diuisum: & consequenter me non eijcere dæmonia in Beelzebub. Sathanã appellat omne dęmonium, quod nobis aduersatur (id enim nomen Hebræum significat, vt asserit Hieronymus *in epist. ad Marcellam de ægrotatione Blesilæ, & in caput 16. Matthæi*; & ante ipsum Origen. *tract. 1. in Matth*) Regnum verò Sathanæ nihil aliud est, quàm potestas, quam acceperunt dæmonia nocendi hominibus. Ob quod vocatus est dæmon princeps huius mundi. *Ioan. 14.*

Luc. 11. Hieron. Origen. Ioan. 14.

9 Hæc dicta sunt pro ostendenda efficacia illius argumentationis, quam exigit Christus Dominus ad probandum Iudæis se non eijcere dæmonia in virtute principis dæmoniorum. Cuius argumentationis vis eneruatur, si asseramus vnum dæmonem alium pellere: imò & sæpè pepulisse ad magicas incantationes Magorum: eo quod vis eius fundatur in eo, quod vnus dæmon non pellit alium.

Abulensis. Abulensis super caput 12. *Matth. q. 56. longa q.* disputat: an vnus dæmon alium possit ab obsessis hominibus propulsare, & tandem q. 61. concludit, posse quidem: sed non efficere, ne dissipetur Regnum eius. Hæc solutio aduersatur his, q̃ docuimus: qua relicta, alij dicunt posse quidẽ vnum dæmonem fortiorem alium imbecillorẽ vi profligare: sed non facit. Cæterum per collusionem vnus alterum videtur eijcere, non inuitum sed volentem: itaque quando vnus ad alterius imperium cedit: non tam expellitur, quàm spõtè egreditur. Cur enim inuitum expellet? an fortè, quia vult liberare miserum obsessum? nequaquam. Oderunt enim diaboli homines omnes, & singulos supra modum. An quia dæmon superior odit inferiorem? & ideò eum persequitur, & vult deturbare à domicilio, in quo habitat: odiũt se adinuicem dæmones: sed plus homines. An quia ipse solus vult torquere obsessum? minime, nam in hoc omnes dæmones conspirarũt, vt amicabiliter mortales multis malis afficiant: & sine vllo impedimento multi eundem hominem torquent, vt inferius dicemus, & non obscure insinuauit Dominus Luc 11. dicens: *Cum immundus spiritus exierit ab homine ambulat per loca arida, & inaquosa, quærens requiem, & non inueniens ait: reuertar ad domum meam vnde exiui: & inueniens eam scopis mundatam, & ornatam, vadit, & assumit secum septem spiritus nequiores, se & ingressi habitant ibi.* Luca. 11.

10 *Dices*, esto voluntarium eijciat, quomodo stabit Regnum diaboli? *Respondetur*. Quia non oritur illa egressio dæmonis ex discordia: quin potius ex magna concordia, & consensu, quo conuenere dæmones, vt vnanimes subijciant, & perdant homines. Non displicet solutio. *Tertiò resp.* Sicut non perit Regnum ex discordia, & simultate duorum, aut trium ciuium, nisi ferè omnes, aut præcipuè Regni proceres discordijs agitentur, sic neque dęmoniorum Regnum dissipatetur, ex hoc quod quandoque vnus aut alter dæmonem imbecilliorem etiam inuitum eijceret. Dissiparetur autem valdè si dæmones discordiis marcescerẽt, & frequẽter, & pluries alios inuitos à corporibus mortalium pellerent. Priorem eiectionem non negat Dominus posse fieri; & de facto fieri virtute, & efficacia dæmonum: posteriorem non negat posse fieri: negat autem fieri, quia sic Sathanæ Regnum euerteretur: dum dæmones fortiores irruerent in imbecilliores: & eos ab hominibus propulsarent.

Cùm ergo Christus Dominus non semel, aut iterum dæmones ab obsessis eiecerit non vnum, aut duos dæmones, sed legiones dæmoniorum, & omnes arreptitios illius regionis liberauerit, Matth. 4. & 8. Marci 1. & Luc. 6. (Vnde Chrysostomus super illud Matth. 8. *Eijciebat spiritus verbo & omnes malè habentes curabit*, ait: *Intende quantam multitudinem curatam transcurrunt Euangelistæ: non vnumquodque curatum enarrantes: sed vno verbo pelagus ineffabile miraculorum inducentes.*) tantam dæmoniorum pulsionem castraguinem fieri à dæ-
11 monibus alterutrum pugnantibus, non est verosimile: quia eorum Regnum citò finiretur, & dissiparetur: ergo neque verosimile erat à Christo fieri in virtute Beelzebub, neque aliorum dæmoniorum.

Matth. 4. & 8. Marci. 1. Luca. 6. Chrysost.

Hæc expositio mihi magis arridet, sicut & placuit D. Athanas. *in lib. de corporali aduentu Christi.* Iuxta quam efficaciter procedit argumentatio Christi Domini contra calumnias Iudæorum, dicentium in Beelzebub principe dæmoniorum eiicere dæmonia. Nam responsio quorundam valde displicet asserentium, eã argumentationẽ Christi Domini non esse necessarium vrgere, & ob id alias argumentationes subiungit; quasi insinuans priorem illam non esse efficacem. Displicent valde isti quia certè si illa ratio non esset efficax: Christus sapientia Patris nõ eam adduceret: ne se obiiceret calumniandum Scribis, & Pharisæis, qui vel in minimis obseruabant eum; vt morderent.

Athanas.

DISPVTATIO IIII.

De causa finali: id est de finibus, propter quos Christus reliquit Ecclesiæ suæ potestatem fugandi dæmones.

1 FInes huius potestatis conferendæ multi sunt. *Primus* & principalior: vt confirmaretur doctrina Christi: cùm enim in ea continerentur quamplurima, quæ captum rationis humanæ superant; ac proinde rationibus, & argumentis depromptis ex naturæ lumine solo non poterant persuaderi: necessarium fuit adhibere media omnino supernaturalia, quæ natura ipsa præstare non poterat: prodigia nempè, & signa, vt essent quasi testes veritatis mysteriorum pertinentium ad fidé Christi; quibus confirmaretur doctrina tam ardua, qualis erat ea, quæ à Christo, & Apostolis eius prædicabatur: verbi gratia, Christi diuinitas, Verbi incarnatio, resurrectio mortuorum, remissio peccatorum, danda per Christum & alia eiusmodi: maximè, quia præfata doctrina prædicãda erat, non per sapientes, aut potentes sæculi, sed per pauperes piscatores, & idiotas: qui populis prædicabant non amare diuitias, non voluptates; sed aduersa carni, ac molesta; nempè paupertatem, diuitiarum neglectum, carnis macerationem, &c.

Igitur vt confirmaretur veritas doctrinæ Christi potestas fugandi dæmones fidelibus cõcessa est. Ista namque frequentius vsus est Christus, & Apostoli eius, vt patet ex sacris litteris: &
Marc. vlt. hæc ratio non est obscure insinuata *Marci vltim.* vbi mittens discipulos suos ad prædicandum Euangelium, denuò confirmans potestatem iam datam, prodigia faciendi, ac dæmones eijciendi, subindicans finem præfatæ potestatis, ait Marcus: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*: & Paulus ad Hebræ.
Paul. Hebr. 2. 2. de doctrina Christi ait: *Quæ cum initium accepisset narrandi per Dominum ab eis, qui audierunt* (id est Apostolis) *in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis*, inter quæ annumeratur dæmonum fugatio. Ecce finis huius potestatis pellendi dæmones, fidei confirmatio est. Huic fini assimilatur, quando Christus hanc potestatem contulit alicuius ordinis, aut instituti regularibus professoribus ad approbandum modum regularem sibi placere: tunc enim præfata potestate, & multa alia miracula patrandi imbuit Dominus professores eorum ordinum. Et sic in annalibus Dominicanorum legitur in principio fundationis sui instituti ferè omnes illius ordinis sodales potestate miracula faciendi claruisse, maximè circa dæmonum eiectionem.

Alter finis eiusdem potestatis fuit ad significandam excellentem sanctitatem, morumque integritatem, qua ornantur aliquando qui hac potestate vtuntur. Neque enim paruum sanctitatis testimonium est, quod ex dæmoniorum eiectione sumitur: præcipuè si in eijcientibus nihil reprehensibile appareat: imò quamplurima opera egregiæ virtutis elucescant. De hac re sunt quamplurima exempla. Vnum aut alterum proferemus. Beatus Hieronymus in vita Hieron. sancti Hilarionis, sic ait: *Latebat in Cypro insula Hilarion: cæterum vix ad plenum viginti transiere dies cum per omnem insulam quicunque immundos habebant spiritus, clamare cœperunt, venisse Hilarionem seruum Dei; & ad eum debere se properare.* Inter triginta igitur nec multo amplius dies ducenti fermè tam viri, quam mulieres ad eum congregati sunt, omnes ab eodem curati: nimirum vt sanctitatem Hilarionis Dominus commendaret, & innotescere faceret. Aliquid simile contigit in Triphone (cuius res gestas scripsit Metaphrastes septima Februarij) qui Sanctus Dei ordinatione à longinquis partibus voca- Metaphr. tus est: vt dæmonem à Gordiani Imperatoris filia propulsaret: nimirum vt sanctitas pauperculi Triphonis in aula Imperatoria magno in pretio haberetur.

Tertius finis, propter gloriam Dei, & Christi manifestandam: quæ non mediocriter manifestatur, dum vident homines malignos spiritus Christi nomine audito tremere, fugere, & exire vlulantes. Quinimò, aliquando Deus propter suorum amicorum gloriam, & honorem, potestatem eijciendi dæmonia eis concessit. Honore prosequitur Deus etiam in hac vita Sanctos viros, quantus verò honor in Sanctos redundet, dum nunc ad ipsorum viuentium imperium dæmonia profligantur; nunc postquam ex hac vita decesserunt suorum ossium attactu fugiunt, vel solo nomine eorum audito exhorrescunt, ac trepidant, quis ignorat? 3

Quartus finis eiusdem potestatis est, liberatio obsessorum. Voluit enim Deus (qui non solum medicus est animarum, verum etiam & corporum) relinquere in Ecclesia sua remedium ad homines liberandos ab ingenti calamitate, & miseria obsidentium, & molestantium dæmonum, cui malo mederi non poterat, nisi hac potestate concessa. 4

Sunt & alij plures fines: nimirum splendor, ac ornatus Ecclesiæ, hominis exaltatio, dum hac potestate potentissimum hostem profligat. Insuper confusio malignorum spirituum: confundentur vtique videntes se præstantioris naturæ ac virium subijci, profligari, & inuitos suis domicilijs pelli. Alios vero fines excogitare non est difficile: sed nos præfatis contenti simus.

Annotatio ad sequentia.

EXplicata qualitate, & fine præfatæ potestatis: superest inquirendum de causa materiali,

teriali, id est de hominibus, in quibus est p̄dicta potestas. Ac deinde de conditionibus, & requisitis in subiecto eiusdem potestatis; vt in actum exeat, & vsui mandetur. Sit igitur

DISPVTATIO V.

An sit aliquod certum hominum genus, penes quos sit, aut extiterit potestas fugandi dæmones, ne hominibus noceant, an verò vaga sit, nulli hominum generi, conditioni, aut sexui alligata?

1 ET videtur, omnes Christi fideles eam possidere ex loco sæpè citato, ac citando Marci vltimo, vbi Christus Dominus *Marc.vlt.* ait: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eijcient, &c.* Ecce omnibus fidelibus promittitur dicta potestas. *Dicet quis:* omnibus illius primæuæ Ecclesiæ data est; at modò quibusdam tantum concessa est. *Contra:* nam ea, quæ Christus Dominus promisit sui temporis fidelibus, ad alios extendenda sunt: nempè, quæ Apostolis ad Episcopos, & presbyteros, quæ laicis, ad laicos: maximè quando promissio ordinabatur ad bonum Ecclesiæ regimen, vt dicitur in materia de clauibus. Sed illo in tempore Christus promisit fidelibus, etiam laicis, potestatem eijciendi dæmonia: ergo etiam ad laicos fideles nostri seculi promissio extendenda est.

Luc.10. *Secundò.* Apostolis, & Discipulis dixit Dominus, Lucæ 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones:* id est, super dæmones: ergo isthæc potestas modò permanet in Episcopis, Sacerdotibus, & eorum ministris, qui successerunt Apostolis, & Discipulis Christi.

2 *Tertiò.* Ecclesia à tempore Apostolorum, vsque modo, habet initiatos ordine exorcistarum, qui inter Ecclesiasticos computantur, quibus ex officio incumbit abigere dæmones: vt colligitur ex verbis suæ ordinationis superius citatis, in disputatione secunda: qui & dicuntur successisse Christi Discipulis: ergo modo ad exorcistas tantum hæc potestas redacta est. *Antecedens patet*, à tempore D. Ignatij Apostolorum Discipuli. Videndus est Cornelius Summus Pōtifex ad Fauium, & Antiochenum Concilium, ac Romanum sub Syluestro, Laodicenum, & Carthaginense quartum: Diuus *D. Hiero* Hieronymus *in epistola ad Titum, capite 3.* Confirmatur, quia in Concilio Laodiceno statutum est: ne qui non sunt ab Episcopis ordinati, tam in Ecclesijs, quam in domibus exorcizare præsumant: ergo potestas hæc modo apud solos exorcistas residet, aliàs non prohiberet Ecclesia cæteros, ne exorcizarent: quia esset iniusta & perniciosa prohibitio in re tam necessaria pro fidelium vtilitate.

Quartò arguitur in oppositum; nam Christus Apostolis, & Discipulis contulit eam potestatem ad confirmationem suæ doctrinæ: at modò nostris temporibus, maximè vbi Christus fides viget; non est necessaria hæc confirmatio, quia altas radices misit: ergo iam non manet, neque necessaria est potestas hæc in Ecclesia.

Pro decisione recensere decreui multa, quæ reperiuntur, aut reperiri possunt quando virtute diuina fugantur dæmonia: ne in hac quæstione, & similibus in æquiuoco laboremus. *Primum* est potestas adiurandi dæmones, iubendo fugam capessere ob reuerentiam alicuius rei sacræ. *Secundum potestas* abigendi eos collata à Deo per designationem alicuius, vel aliquorum, quos elegit Deus ad id munus obeundum. Cui designationi annexa est Dei assistentia extrinseca, qua paratus est gratiam eiectiuam dæmoniorum, ijs, quos elegit, communicare; sicut & quando oportuerit. Ad istum modum elegit quosdam in Prophetas, non conferendo eis aliquod donum habituale, sed suam assistentiam paratam habens: vt quando opportunum esset, reuelationem dicendorum impartiretur. Hieremiam designauit in Prophetam ab vtero, iuxta illud primi capit. *Hierem.1.* *Prophetam in gentibus dedi te*, id est, elegi, & designaui: & alibi: *Posuit os meum Dominus, vt gladium acutum; sub tegumento manus suæ protexit me, posuit me sicut sagittam, &c.* Quæ verba clare denotant Dei assistentiam paratam, vt acciperet prophetiæ donum, & vsui mandaret quando res postularet. *Tertium*, quod inuenitur in fugandis dæmonibus, est ipsa gratia eiectiua dæmoniorum, quæ est pars gratiæ miraculorum, & principium proximum effectiuum eijciendi, & fugandi ea. *Quartum* est vsus istius gratiæ per actualem eiectionem mediantibus aliquibus signis sensibilibus.

Secundo præmittendum est, adiurationem dæmoniorum dupliciter posse fieri. Vno modo solēni ritu, ac cæremonijs ab Ecclesia institutis. Secundo modo per nudam, ac simplicem alicūius rei sacræ obtestationem. His positis

Dico primo. Potestas adiurandi dæmones, p̄cipiēdo eos exire, nuda, ac simplici adiuratione nulli hominū generi, nulli statui, aut sexui alligata est; sed p omnes vagatur. At verò potestas adiurādi dæmones solēniter, solis exorcistis, id est ordine exorcistarum initiatis, concessa est. Prima pars huius asserti est Diui Thomæ *in quarto, distinctione 24. quæstione secunda, articulo secundo, ad vltimum.* Et secundo *probatur* ex vsu fidelium, qui oblata occasione indifferenter adiurant dæmones, vt inferius videbimus. *Tertio.* Quia ad pugnandum contra dæmones exitiales hostes adiuratione armantur fideles, tanquam remedio sibi re-

licito à Deo: ergo quiuis eorum in sui defensionem poterit licitè, vti adiuratione.

Secunda pars eiusdem asserti *probatur primò*. Nā in vsu omnium Sacramentorum, & Sacramentalium, quorum actus quantum ad substantiam possunt elici à non ordinatis, si solemni ritu, & pompa fiat, à solis ordine initiatis potest licitè fieri: verbi gratia, baptizare solemniter solis Sacerdotibus conuenit: at baptizare non solemniter ad omnes fideles spectat: legere epistolam solemniter solis subdiaconis licet: at quomodocunque legere omnibus nobis. Similiter adiurare solemniter dæmones ad solos initiatos ordine exorcistarum spectat: at vero adiurare non solē-
Conc. Laod. niter ad omnes. *Secundò probat.* ex Concilio Laodiceno citato in confirmatione tertij argumenti.

5 *Dico secundò.* Initio nascentis Ecclesiæ & circa Apostolorum tempora, ferè omnes fideles designabantur, & eligebantur ad abigendos dæmones per adiurationem. *Probat.* Luc. 10, & Matth. 10. & potissimè *Marci vltim.* Secundò Nam ferè omnes fideles intendebant propagationi, & prædicationi Christianæ fidei, quæ signis & portentis confirmāda erat, inter quæ non est minimum profligare vires dæmonum: ergo ad Dei prouidentiam pertinuit, quæ insinuatur *Marci vltimo*, ferè omnes fideles eligi ad dæmones fugandos. Insuper & decuit tales assignatos, & electos habere Dei assistentiam paratam ad fugandum de facto præfatos hostes, sicut & quando oporteret prout indicauerit diuina prouidentia eo quod Deus in more habet conferre eis, quos elegit ad aliquod munus obeundum, omnia necessaria ad id peragendum.

(Luc. 10. Matt. 10. Marc. vlt.)

6 *Tertiò dico.* Nostris hisce temporibus paucos elegit Deus, ac designauit ad dæmones propulsandos per adiurationem (excipimus ordine exorcistarum initiatos, de quibus statim.) *Probatur* assertum: etenim aliquos, qui non sunt exorcistę ex officio, elegisse ad id efficiendum ex euentibus palam fit: cum sæpè experti fuerimus aliquos nullo ordine insignitos, multum pollere terribilesque fuisse ad propulsandos dæmones: quod sine diuina electione fieri non posse certum est. Similiter paucos esse aut fuisse, qui hac gratia gauderent certo certius est. *Et notandum* de istis à Deo designatis debere affirmari habere potestatem abigendi dæmones; non quia à tempore suæ designationis habuerint aliquid reale actuale, siue habituale: sed per solam denominationē extrinsecam dicuntur habere hanc potestatem, nempè per designationem, & electionem, & extrinsecam assistentiam: ad eum modum, quo prætores designati à Rege dicuntur habere potestatem iudicandi subditos per solam designationem Regiam, & paratam Regis assistentiam. Vnde quando Christus dixit Apostolis: *Ecce dedi vobis potestatem eijciendi dæmonia*? nihil habituale, aut actuale eis contulit: sed solum elegit eos, & promisit suam assistentiam ad id munus obeundum. Collaturus tamen, quando actu eijcerent dæmonia donum actuale miracula faciendi, quod appellamus gratiam eiectiuam dæmoniorum.

Dico quartò. Omnes initiati ordine exorcistarum, habent potestatem fugandi dæmones per designationem, & electionem: id est, omnes sunt designati, vt munus hoc abigendi dæmones, exerceant. Probatur: quia ordo exorcistarū ad hoc institutus est. 7

Dico quintò. Omnes initiati ordine præfato, ex vi suæ ordinationis habent assistentiam diuinam præparatam, ac disponentem, ac præparantem eos, vt gratiam fugandi dæmones, quæ est donū actuale, recipiant quando, & sicut oportuerit, iuxta diuinæ prouidentiæ regulas. *Hoc assertum probatur.* Nam si ordo exorcistarum à Christo Domino institutus est ad illum finem: ergo his, quos elegit, mediante eius ordinis initiatione, præsto adest largiturus ea, quæ necessaria sunt ad id officium exorcistæ exequendum. Assistentiam autem Dei esse necessariam, quis ambigit? *Confirmatur.* Character (quem dicunt aliqui imprimi exorcistis) videtur esse principium non solum adiurandi dæmones, verùm & abigendi, quando id expedierit: ergò habet paratum auxilium, saltem extrinsecum, vt in actum exeat quādo id oportuerit.

At verò si teneas cum alijs, inter quos est Magister Dominicus Soto *in 4.d.24.q.1. art.4.* ordinem exorcistarum, neque esse Sacramentum, neque characterem imprimere: sed duntaxat ex Ecclesiæ institutione; tunc nostrum assertum etiam approbandum est: valdè enim pium est credere Ecclesiam sponsam Christi ab eo impetrasse, vt initiati eo ordine, quem ipsa instituit ad abigendos dæmones, designarentur, & eligerētur à Deo ornarenturq; ea assistentia, quæ necessaria erat ad exequendum officium sibi destinatum.

Dico sextò. Si sermo sit de potestate eiectiua dæmonum, quam diximus esse actuale donum Dei, & gratiam gratis datam, principiumque effectiuum fugandi dæmonia; certum est initio nascentis Ecclesiæ, & circa tempora Apostolorum viguisse ferè apud omnes fideles. *Probatur* rationibus adductis pro secundo asserto. 8

Dico septimò. Nostris temporibus non desunt, quibus gratia hæc eijciendi dæmones concessa sit: sed tamen non tam liberaliter, nec in tot effusa, sicut tempore primitiuæ Ecclesiæ. Tunc ferè omnes; nunc rari præfata potestate potiuntur. De primis habemus sacras litteras id testificātes. De secundis, experientia didicimus. Quod si rationem illius liberalitatis, & huius maioris coarctationis scire cupis: aduerte, præfatam gratiam, seu potestatem ad confirmandam doctrinā Christi; præcipuè ordinari; maximè vt intelligerent homines, dæmoniorum Regnum Christi aduentu dissipari, iuxta illud: *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras*: quod nihilo expressius, aut melius potuit doceri, quam dæmonum fuga, aut propulsatione per nominis Iesu inuocationem (res certè viribus hominum impar) at iam radicata, & stabilita fide Christi; & per omnem terrarum orbem propagata: non indiget his stabilimentis.

Vnde

Vnde non mirum ea crebra signa, ac prodigia, & potestatem propulsandi dæmones, quæ inter potissima portenta numerabatur, ex parte cessasse, & non tam frequenter, & in tanta copia fidelibus communicari, sicut in principio Ecclesiæ nouellæ.

D. Grego. Beda.

Præclarè D. Gregorius Homilia 29 & Beda exponentes testimonium sæpè citatum, ex Marci vltimo: *Nunquid* (inquit Gregorius) *fratres mei, quia ista signa non facitis, minime creditis? sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt: vt enim fides cresceret, miraculis fuerat nutrienda: quia & nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terram conualuisse videamus: at si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.*

D. Augu.

Et D. August. lib. de vera, & falsa Religi. c. 25. ait *Cum enim Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa, atque fundata sit: nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt: ne animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit.* Et lib. de vtilitate credendi cont. Manichæos capit. 16. *Facta sunt igitur illa miracula opportunissimè: vt ijs multitudine credentium congregata, atque propagata in ipsos mores vtilis conuerteretur autoritas.*

9 *Dico octauò.* Si sermo sit de potestate eiectiua dæmonum (quam diximus esse actuale donum Dei, principiumque effectiuum fugandi dæmonia) non alligata fuit, etiam initio nascentis Ecclesiæ, neque modò certo hominum generi, non ætati, vel sexui: sed ad omne genus hominum, etiam laicorum spectauit, & spectat pro voluntate Spiritus sancti hanc gratiam largientis gratis, nunc illis, nunc his. Et quidem veritas nostri asserti initio Ecclesiæ Christi, & circa tempora proxima Apostolorum, res comperta est: præcipuè ex testimonio *sæpè citato Marci vltim.*

Tertul. Iustin. Lactan. Metaph.

Idem affirmat Tertullian. *lib. de corona Militis*, dicens, à Militibus eiectos esse spiritus immundos: *& li. de idolatr. cap.* 11. ait, parentes solitos esse exorcizare proprios filios. Iustinus item, & Lactantius *citati in disputat.* 1. idem docent. Imò infideles hanc potestatem aliquando habuisse docebimus inferius. Et Metaphrastes *septima Februarij* affirmat sanctum Triphonem, qui pastor fuit anserum, terribilem fuisse dæmonibus, in tantum, vt ille, qui Gordiani Imperatoris filiam obsidebat, ausus est dicere, non se ab illa exiturum nisi Triphonis exorcismis cogeretur.

10 Initio itaque primitiuæ Ecclesiæ, viri sacrati & laici, indifferenter hac potiebantur potestate, & gratia. Idemque asserimus nostris hisce temporibus, scilicèt non in solis initiatis ordine exorcistarum reperiri. *Probatur* ex probatissimis historijs, & testimonijs virorum proborum, asserentium se vidisse viros laicos dæmones eiecisse ab obsessorum corporibus. Multa possent afferri exempla, de quibus infra. Sed ne quis proteruè contendat, eos fuisse initiatos ordine exorcistarum: meminisse oportet, fuisse aliquot præclaras fœminas, in quibus ordo Ecclesiasticus locum non habet, hac donatas potestate eijciendi dæmonia ab arreptitijs.

Surius. Raym.

De sancta Brigitta refert Surius, *tom.* 4. eam quendam iudicem secularem, deinde suum cursorem, tertiò quandam fœminam, ab infestatione dæmoniaca liberasse. Et D. Catharina Senensis (vt refert Raymundus in eius vita) signo Crucis spiritum nequam eiecit. Et sancta Genouefa refert Surius *tomo* 1. *in Ianuario*, plurimos dæmoniacos curasse: & idem *tomo quarto*, de sancta Anatholia narrat, dæmoniacum nomine Anianum Diodori viri Consularis filium, qui se eius precibus incendi clamabat afflasse, & ab spiritu obsidente liberasse. Et modò gratia eiectiua dæmonum alijs qui non sunt exorcistarum ordine initiati communicata est. Item, potestas arcendi dæmones est pars non minima potestatis miracula faciendi: sed huius collatio ad Spiritum sanctum spectat, qui eam dat pro suo arbitratu, modo huic, modo illi, vt dicitur 1. *ad Corinth.* 12. ergò Ecclesia non debet, neque potest eam potestatem alligare solis exorcistis. 1. Cor. 12. Præcipuæ vires huius rationis ostenduntur, si dicamus, ordinem exorcistarum esse institutum ab Ecclesia.

Dubium

An omnes exorcistæ habeant donum actuale ad eijciendos dæmones?

Quod in hac re magnam difficultatem habet, illud est, *an omnes initiati ordine exorcistarum potiantur de facto dono actuali eijciendi dæmonia, quotiescunque se offert occasio, & eiectio dæmonum iudicatur expedire?*

Et videtur vera pars negatiua. *Primò* Nam gratia hæc pertinet ad miraculorum gratiam, vt docuimus disputatione secunda præcedenti: sed gratia miraculorum, & aliæ gratiæ gratis datæ, non possidentur infallibiliter à certo genere hominum: alias falsum 1. Cor. 12. esset quod ait Diuus Paulus 1. *ad Corinth.* 12. dicens, Spiritum sanctum diuidere eas gratias singulis prout vult: ergò hæc gratia eijciendi dæmonia non conuenit omnibus exorcistis, sed quibusdam sic, quibusdam non. *Dices* fortasse minorem esse falsam; fuerunt enim quædam familiæ ab auis, & proauis spiritu prophetico afflatæ: fuerunt etiam, & modò sunt, quædam familiæ habentes gratiam sanitatum: cur non etiam poterunt habere gratiam miraculorum, & eijciendi dæmonia? Esto ita sit; *secundò arguitur*. Ecclesia per Sacramenta, aut Sacramentalia, non potest eam gratiam conferre omnibus illorum Sacramentorum, aut Sacramentalium ministris, aliàs hæc distributio non pertineret ad Spiritum sanctum diuidentem, prout vult: ergò. *Tertiò*, & vrgentius idem *probatur*. Multi reperiuntur exorcistæ, qui tentarunt eijcere dæmonia, nec potuerunt: ergò non in omnibus exorcistis hæc reperitur potestas. *Probatur consequentia*. In omni alio ordine Ecclesiastico, vbi aliqua potestas confertur, si non desit debita materia, non frustratur suo actu ea potestas; vt patet inductiuè: ergo in ordine exorcistarum, si esset potestas eijciendi dæmonia, quocunque exorcista proferente exorcismos supra verum energumenum pelleretur dæmon: videmus au-

tem non arceri: ergo non est in eo talis potestas.

Dicet quispiam, non arceri dæmonium; quia
12 non expediebat arceri. *Contra*, quia rebus eodem modo se habentibus, accedit alius exorcista, qui eisdem machinis, quibus prior vsus, & non maiori sanctitate, fide, aut alijs bonis ornatus, imò interdum minoribus, facile pellit dæmonem: ergo non est cur hæc eiectio tribuatur, nisi, quia vnus gaudet potestate eijciendi dæmones, & alter non. *Quartò*. Eiectio dæmonum non debet tribui etiam in exorcistis ipsorum ordini: ergo fundamento debili fulcitur asserere, omnes, qui eo ordine initiati sunt gratia eijciendi dæmones pollere. *Antecedens probatur primò*: quia eiectio hæc pertinet ad gratiam gratis datam, quæ est principium effectiuum illius: ergo non ad ordinē, seu Sacramentum; alias eiusdem effectus essent duo principia. *Secundò*. Actus qui proficiscitur ab aliquo ordine ex minoribus, qualis est exorcistarum, merè naturalis est, & potest fieri à quocunque non initiato, vt docet
D. Thom. D. Thom. *in 4 dist.* 24. *quæst.* 2. *artic.* 2. *ad vltim.* sed eiectio dæmonum non est naturalis, sed supernaturalis superans naturæ hominum vires: ergo non est ab ordine exorcistarum. *Tertiò*. Quia repugnat gratiæ gratis datæ alligari certo hominum generi; vt patet ex Diuo Paulo 1. *ad Corinth.* 12. ergo. *Quartò*. Quia repugnat gratiæ gratis datæ habere aliquod principium habituale; alias esset in potestate habentis illud principium, possidere illam gratiam gratis datam.

Pro alia parte non desunt argumenta. Omnes
13 initiati ordine exorcistarum habent potentiam abigendi dæmonia, & diuinam assistentiam paratam ad id muneris exercendum: ergo oblata occasione, si id expediat, & ipsi non apposuerint obicem, possidebunt donum actuale, id est, gratiam eiectiuam dæmonum. *Antecedens* notum est, si vera sunt, quæ asseruimus in 4. & 5. dictis huius disputationis. *Consequentia* verò *probatur*, quia frustra est potentia, quæ ad actum non reducitur. *Secundò*. Non est credibile, Deum aliquem, vel aliquos elegisse in Prophetas, quibus non conferatur actuale prophetiæ donum, quādo & sicut expedierit prophetare: ergo idem dicendum est de omnibus initiatis ordine exorcistarum, quos esse electos ad abigenda dæmonia iam docuimus: nam dicere eos electos esse tantū ad adiurandū dæmonia ex officio; vt quidā possent dicere; parum tribuit ordini exorcistæ, cum hæc omnia quiuis è plebe possit exercere.

His argumentis pro vtraque parte factis mi-
14 hi res dubia est: sub correctione tamen sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & sapientiorum iudicio, probabile iudico. Multos initiatos exorcistarum
conclus. ordine, nunquam habituros gratiam eiectiuam dæmonum; id est, donum actuale eijciendi dæmones, etiam si quæcunque offeratur occasio eijciendi: & etiam si illi non apposuerint aliquod impedimentum præfatæ gratiæ recipiendæ. Probabiliorem tamen reputo oppositam partem. *Prima pars* conceditur argumentis factis pro parte negatiua; *secunda* verò argumentis pro parte affirmatiua.

Ad primum pro parte negatiua *respondetur*. Ad 15
primum & secundum esse contra rationem gratiæ gratis datæ, quod ab vno, vel pluribus infallibiliter, & in omni euentu possideatur, & quod ita alligetur certo hominum generi; vt nulli alteri conferri possit, aut conferatur. Nos verò non concedimus exorcistis esse conferendum donum actuale ad eijcienda dæmonia infallibiliter in omni euentu: sed duntaxat quando, & sicut oportuerit iuxta Spiritus sancti placitum. Similiter non dicimus eis alligari donum hoc, vt nulli alteri possit communicari. *Hinc patet ad primum, negando consequentiam*: *ad secundum* distinguitur antecedens, autoritatiuè concedo, per impetrationem nego. Nec hoc tollit, quin alijs pluribus Spiritus sanctus pro sua voluntate hoc donum impertiatur.

Ad tertium respondetur. Quando exorcistæ tentant eiicere, & non eijciunt Dæmonia, inanitas istius conatus, vel reducitur ad aliquem defectū exorcistæ, vel obsessi, vel ad vtrumque, vel quia id non expedit. Et tunc negatur consequentia. *Ad probationem respondetur*. Sicut in Sacramento Extremæ vnctionis reperiuntur plures actus. *Primus* est collatio gratiæ Sacramentalis, & iste infallibiliter datur suscipienti Sacramentum. *Alter* est sanitas corporalis: & hæc non datur semper, sed quando, & sicut expedierit. Ita in ordine exorcistarum reperiuntur plures actus. *Primus est*, adiurare dæmones, & iste semper licitus est exorcistis, si adsit dæmon adiurandus. *Alter* est recipere motionem Dei, & ea mediante eijcere dæmones, & iste non conceditur semper, quantumcunque sit materia præparata: sed duntaxat quando, & sicut oportuerit, iuxta Spiritus sancti placitum. *Et ad replicam respondetur*: nos ignoramus causas, quare expedit vt hic expellat exorcista, & alteri non concedatur expulsio, sed semper adsunt.

Ad quartum distinguitur antecedens: Nam eie- 16
ctio dæmonum non tribuitur ordini exorcistarum, neque eius characteri (si fortè illum imprimat) tanquam principio effectiuo eiectionis dæmonum, aut gratiæ eiectiuæ recipiendæ. Et hoc stabilitur omnibus probationibus pro antecedenti. At verò tribuitur ordini: quia in ipsa ordinis institutione Christus quasi promisit, aut Ecclesia impetrauit, vt omnes eo ordine initiati haberent quando expediret, omnia necessaria ad eijciendos dęmones: necessaria est autem gratia eiectiua, quę est principium instrumentale eius expulsionis. *Quod si dubites*, quam efficaciam habet character, vel ordo exorcistarum in abiectione dæmonum? *Respondetur*. Est principium efficiens adiurationis, quæ licet posset effici sine vllo ordine: tamen vt ex officio efficiatur, necesse fuit habere supernaturale principium vt patet in actibus aliorum minorum ordinum; & egregiè declarat D. Thom. in 4 loco citato. Qui verò te- D. Thom.
nuerit oppositam sententiam soluat argumenta nostræ sententiæ: nam nobis non vacat.

Dico vltimò. Non obstantibus his, quæ dicta 17
sunt in præcedentibus, existimo fuisse, & etiam modo esse quosdam homines, quibus donata est hæc

est hæc potestas eijciendi dæmones, quasi per modum habitus. Hoc est esse quosdam, qui præ cæteris efficacius, & ferè semper, quando adiurant dæmones; eos eijciunt à corporibus obsessorum; ac à locis infestis fugant. Ad eum modum, quo fuerunt, & sunt quidam homines, qui præ cæteris, & ferè semper, habent donum sanitatum perficiendarum, aut prophetiæ gratiam. *Hoc assertum* ex historijs habemus, & experientia comperimus, videntes esse aliquos, quibus fœliciter succedunt adiurationes: alijs infœliciter se habentibus. Sed vnde proueniat hoc, obscurum est: non à sanctitate, quia interdum sunt homines iniqui, qui hac gratia pollent: non à natura; quia hæc potestas supernaturalis est. Existimo autem procedere ex deputatione Spiritus sancti diuidentis dona, prout vult: etenim sine vllo merito hominis deputat hunc, vel illum, vt per eum dæmonia fugentur. Et istos sæpè afflat copiosius; vt faciant opus, ad quod destinantur, etiam si nihil habituale ponat in horum anima: ad eum modum, quo quis dicitur habere donum prophetiæ dormiens, & sine vlla actuali

Hieremiæ prophetica illustratione, ex deputatione diuina, iuxta illud: *& Prophetã in gentibus dedi te*, Hieremię 1. Isto modo credo Christum dedisse Apostolis copiosam potestatem super spiritus immundos.

Matth. 8. Matth. & Lucæ 8. quando eum non exercebant,

Luc. 8. per deputationem scilicet, ad id munus exercendum efficacius, quam cæteri.

Secundò potest intelligi aliquos pollere potestate eijciendi dæmones, plusquàm cæteri, & quodammodo in ea augeri, sine acquisitione alicuius habitualis doni: Nam sicut in rebus corporeis, transeunte passione, remanet quædam habilitas ad hoc, quod subiectum iterum patiatur, sicut lignum semel inflammatum, facilius iterum inflammatur; ita etiam in mente eijcientis semel dæmonia, quamuis non maneat aliquid habituale, cessante motione diuina, (quã appellamus potentiam & gratiam eijciendi dæmonia) tamen remanet quædam habilitas ad hoc, vt facilius iterato moueatur à Deo, & quando pluries mouetur, tanto fit habilior, vt moueatur. Propter quod Augustin. *in lib. de orando Deum Epist.* 121. dicit esse necessarias crebras orationes, ne concepta deuotio totaliter extinguatur.

Tertiò potest intelligi id ipsum prouenire ex multiplicatis actibus eiusdem potestatis; ex qua multiplicatione fides & fiducia adiurantis robustiores fiunt, experientes fœlicem euentum. Certum est autem, vt infra videbimus, robur fidei, ac fiduciam, multum valere ad præparandum mentem receptione illius motionis diuinæ, quam diximus esse ipsam potestatem eijciendi dæmonia. Et ideò illi homines, vbi isthæc fides reperitur, plus alijs potentes sunt ad eijciendos dæmones. Hæc vera sunt, sed melius proceditur in prima ratione, attribuendo quæ diximus, diuinæ deputationi.

18 Ex dictis facilè soluuntur argumenta posita in principio huius disputationis. *Ad primum*, & secundum, colliges quid sit dicendum ex tertio, quarto, & octauo dicto. *Ad tertium respondetur*, ex quarto, & quinto, & octauo dicto. *Ad confir. resp.* prohibitionem illam Concilij Laodiceni non esse intelligendam de potestate adiurandi dæmones sine solẽnitate; & multò minus de potestate eijciẽdi dæmonia p actuale donũ; q̃ cum pertineat ad gratias gratis datas, fortasse nõ potest cadere sub Ecclesiæ ꝓhibitione: sed p̃fata prohibitio intelligẽda est de potestate solẽniter adiurãdi dæmones, q̃ laicis interdicta est: & meritò; eo q̃ ritus illi, & sermones, qui in exorcismis solemnibus adiunguntur, creuerant plus nimio, & multæ superstitiones admiscebantur ab ignaris, seu prauis adiuratoribus. Quare Ecclesia ritus designauit, exorcismos instituit, & ne superstitiones, & abusus obreperent, adiurationes cum ritibus comitatas exorcistis delegauit, ac cæteris prohibuit. Quinimò censeo, ab initio primitiuæ Ecclesiæ has solemnes adiurationes solis initiatis ordine exorcistarum esse promissas; sicut à primordijs nascentis Ecclesiæ solemnes administrationes Sacramentorum & Sacramentalium, quę possunt ministrari à laicis, solis viris sacratis concessę sunt: vt patet in Sacramenti Baptismi administratione, & in actibus deputatis ordinibus minoribus.

Ad quartum argument. resp. potestatem adiurandi, & fugandi dæmonia, sicut & quæcunq; miracula faciendi, concessam esse præcipuè propter confirmandam Christi doctrinam; sed non propter solum hunc finem; multos enim alios commemorauimus superius in disputatione quarta. Quare estò præcipuus ille finis cessasset (non autem cessauit ex toto) tamen alij fines adhuc perseuerant, & propter eos eãdem potestatem perseuerare in Ecclesia necesse est. 19

DISPVTATIO VI.

Vtrùm ad recipiendum hanc potestatem eiectiuam dæmonum, id est donum Dei actuale, requiratur in adiuratore aliqua dispositio naturalis?

Et supposito, ex disputatione tertia præcedenti, hanc potestatem esse à causa supernaturali, Deo optimo maximo; restat modò inquirendum, an ad hanc collationem prærequiratur aliqua dispositio naturalis? nam benè posset fieri vt Deus vellet conferre aliquod donum supernaturale hominibus depẽdenter ab aliqua dispositione naturali; ad eum modum, quo infundit animas rationales (quarũ solus ipse est autor) præexigendo dispositiones naturales in materia, quæ sunt ab homine generante. 1

Et videtur vera pars affirmatiua; potestas abigendi dæmones est passio quædam & motus voluntatis ad dæmonia profliganda: sed hic motus,

motus, aut passio, cum sit operatio vitalis potentiæ puræ spiritualis, exigit ea omnia, quæ ad operationem intellectus & voluntatis requiruntur, putà phantasiam non læsam, imaginatiuam non turbatam: ergo prærequirit in sui collatione aliquam dispositionem naturalem.

Secundo. Impedimentum naturale est fortius, quam id, quod accidentaliter superuenit: sed aliqua accidentaliter superuenientia impediunt huius potestatis vsum; verbi gratia, ebrietas actualis adiuratoris, timiditas vehemens dæmonum: ergo multo fortius indispositio naturalis complexionis impediet hominem, ne recipiat à Deo donum hoc abigendi dæmones.

Ad Rom. 13. Tertio. *Quæ sunt a Deo ordinata sunt*, ad Rom. 13. ergo potestas præfata, quæ à Deo est, non debet dari indispositis, q̄a tunc inordinatè daretur. *Confirmatur*, Deus in donis suis non procedit irrationabiliter: ergo concedit donum hoc potius his, quàm illis propter aliquam dispositionem maiorem, quam præuidet in his, potius quàm illis. *Dices*, sicut supra diximus, propter deputationem horum, & non illorum, ad huius potestatis vsum. *Contra* redit eadem dubitatio. Nam quare hos potius deputat quàm illos, non nisi propter aliquid quod reperitur in his, non in illis. 2

Sit tamen nostra assertio. Ad potestatem hanc abigendi dæmones habendam, non prærequiritur in homine aliqua naturalis dispositio. *probat.* Illud, quod dependet ex solo dantis arbitrio, non prærequirit aliquam dispositionem in suscipiente: sed gratia, seu potestas abigendi dæmones dependet ex solo arbitrio Spiritus sancti volētis dare, vt dicitur primæ ad Corin. 12. & Ioan. 5. *Spiritus vbi vult spirat*: ergo &c. *1. Cor.* 12. *Ioannis.* 5.

Secundo Deus in corporalibus effectibus, quos per se ipsum producit, neque eget materia, neq; dispositione: sed vnico actu formam & materiam & dispositionem producit: imò sine vlla dispositione materiæ potest formā in materiam introducere: ergo in effectibus spiritualibus, quos per se producit, qualis est potestas abigendi dæmones, non præexigit dispositionem naturalem aliquam: sed ipse, qui potestatem dat, disponit subiectum, vt recipiat illam. *Confirmatur.* Si crearet hominem simul cùm hac potestate, non præexigeretur aliqua dispositio naturalis: ergo nec modò præexigitur.

1 *Ad primum* in contrarium adductum *respondetur.* Quando nos asserimus ad donum hoc seu potestatem abigendi dæmones non prærequiri dispositionem aliquam naturalem: non asserimus non prærequiri subiectum capax illius doni; eo quod cum donum illud sit actus quidam humanus, nequit à Deo suppleri. Tum, quia susceptum non potest esse absque susceptiuo; nec act' vitalis sine principio intrinseco, à quo fiat, & in quo recipiatur. Hæc enim omnia pertinent ad causalitatem in genere causæ formalis, quam Deus supplere non potest: sed dicimus hoc gratuitum donum infundi à Deo sine aliqua necessario prærequisita dispositione naturali aliunde prouenienre. Vnde si contingat ad eum actum eliciendum, & ad eam passionē recipiendum, non esse aptatam potentiam; Deus, qui largitur eam motionem, impartitur etiam dispositionem, & reformat læsionem phantasiæ, seu imaginatiuæ in melius: sicut quando curat oculos, aufert lippitudinem, vt clarè videre possit.

Ad secundum concedimus esse aliquam naturalem indispositionem; quæ si non remoueretur, impediret receptionem præfatæ potestatis, seu doni: verbi gratia, si quis esset totaliter ab vsu rationis alienatus per ebrietatem, aut verò valdè impeditus propter vehementem iram, aut timorem, vel quid simile: sed talem indispositionem naturalem remouet virtus diuina, quando eam potestatem, seu donum largitur hominibus. 2

Ad tertium respondetur, ordinationem in largitione donorum gratuitorum non esse aliam, nisi Dei voluntatem, vt habetur *primæ ad Corinth.* 12. & ob id aliquādo cōferuntur illis, qui videntur esse ad hoc maxime indispositi, vel ex naturali complexione, vel ex prauis moribus: vt sic largitio hæc diuinæ virtuti attribuatur, & non glorietur omnis caro coram illo. 1. *ad Corinth.* 1. Sic etiam *respondetur ad confirmat.* dicendo rationem, quare hos potius deputat, quam illos ad profligandos dæmones, non esse aliam, nisi quia Deus sic vult fieri. Quod si congruentiam desideras: scio esse aliquos, per quos attenta naturali complexione melius adiuratoris officium exercetur, putà quia sunt audaces, impauidi, & huiusmodi, secundum quod diuina iudicat Sapientia: & interdum hos eligit alijs relictis. Ita philosophatur D. Thom. *de veritate, quæstion.* 12. *de prophetia art.* 3. *ad* 4. *&* 6. & nos etiam de dono hoc eijciendi dæmones, sic famur. *1. Cor.* 12. *1. Cor.* 1. *D. Thom.*

DISPVTATIO VII.

An sanctitas, & morum integritas sit requisita in adiurante, seu expellente dæmones, vt possit exercitio mandari præfata diuina potestas?

ET videtur vera pars affirmatiua, *primò* quia potestas seu donū abigēdi dęmones est motus, seu actus quidam ab Spiritu sancto vt supra docuimus: ergo non potest esse ab homine peccatore; quia illa posset malè vti, ac ex consequenti non esset donum Spiritus sancti. 1

Secundò. Potestas eijciendi dæmonia sæpè data est ad testificandum sanctitati eijcientis seu adiurantis dæmonia, vt inferius exemplis manifestabimus: ergo necessariò requirit in adiurante sanctitatem, & morum integritatem: aliàs Deus testis falsitatis esset.

Tertiò. Deus in largiendis donis modum naturalem operandi sequitur, vt res suauius geratur, vt autor est D. Dionysius. 4. *cap. de diuinis nominibus*, vbi diuinam bonitatem radio solari comparat, propter similitudinem effectus: sed in operati- *D. Diony.*

peratione naturali magis dispositis aliquæ perfectiones magis dantur, sicut à sole corpora magis perlucida magis illustrantur. *Tunc sic*: Ad recipiendum potestatem abigendi dæmones magis dispositus est quiuis bonus quátacunque minima iustitia polleat, q̃ quiuis malus videmus autē quamplures viros iustos hac, potestate carere: ergo neutiquam ea habere possunt peccatores: quia sunt minus dispositi.

Quarto. Esto nō sit necessaria sanctitas aut morum integritas in adiuratore, vt sequatur dæmonum exterminatio: erit tamen necessaria, vt congruenter fiat adiuratio. *Probat*. quia adiurator in expulsione dæmonis exhibet se instrumentum diuinæ potestatis erga cacodæmones: ergo tenetur se conformare mundiciei & sanctitati principalis agentis, qui Deus est. *Probatur consequentia*, quia hoc argumento vtitur D. Tho. 3. *p. q.* 64. *art.* 6. ad probandum sacramentorum ministros teneri esse in statu gratiæ, quando ea administrāt. *Confirmatur*. Exorcizare munus est annexum ordini Ecclesiastico exorcistarum: ergo initiati hoc ordine si exerceant officium hoc in peccato, irreuerenter agunt: sicut & quilibet alij ordinati, qui suum officium sine gratia exercent, v.g. diaconus canendo Euangelium &c.

D. Thom.

Abulensis. Abulensis super *septimum caput Matthe. q.* 33. refert quosdam asserere, eos quibus deest gratia & charitas, non frui hac potestate eijciendi dæmones. Quod videtur asseruisse Chrysostomus *Homil.* 19. *in Mattheum*.

Chrysost.

Nihilominus opposita sententia verissima est, & omnium consensu Doctorum recepta: videlicèt non esse necessariam sanctitatem, aut morū integritatem in eo qui potestate eijciendi dæmonia vtitur. Et probatur primò *Matt.* 7. ait Dominus; futuros quosdam qui in die iudicij dicēt: *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo dæmonia eiecimus? & virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos*: scilicet notitia approbationis. Et quia posset aliquis dicere, hos quando fugabant dæmones, iustos esse; postmodum vero in peccata corruisse: expendit Theophylactus, & Caietanus, illud verbum: *nūquam noui vos*, id est, neq; quando eijciebaris dęmonia approbaui vestros mores. Super quem locum ait Cyprianus de vnitate Ecclesię circa medium. *Prrophetare, & dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere: sublimis vtiq; & admirabilis res est: non tamen regnum cælorum consequitur quisquis in his omnib⁹ inuenitur, nisi recti & iusti itineris obseruatione gradiatur*. Confirmatur: nam Iudas Iscariotis potestatem accepit eijciendi dæmones, quādo & sicut cæteri Apostoli & gaudens cum illis reuersus est dicens: *Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis*. *Luca*. 10. & tamen fur erat, & loculos habebat.

Matth. 7.
Theophyl.
Caietan.
Cyprian.
Luca. 10.

Secundo. Marci, & Luc. 9. ait Ioannes ad Christum Dominum: *Domine vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia; & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum*. Qui autem non sequebatur Christum, non erat iustitia præditus, aut bonitate morum imbutus. Ecce quomodo donū hoc abigēdi dæmones nō necessario requirit in eijciente sanctitatē, aut morū integritatē.

Marci. 9.
Lucæ. 9.

Tertio. Prophetia, donum linguarum, & gratia miraculorum, potest esse sine charitate, quæ est vinculum totius sanctitatis, vt affirmat Apostolus 1. ad Corinth. 13. *si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam &c*. Ecce hæc dona reperiri posse sine charitate præsupponit Apostolus: ergo & gratia eijciendi dæmones, (quæ non minima pars est gratiæ miracula, siue res mirabiles faciendi) repiriri potest sine sanctitate, & morum integritate.

1. Cor. 13.

Quartò probatur ratione; donum hoc eijciendi dæmonia, sicut & aliæ gratiæ gratis datæ, dantur in vtilitatem Ecclesiæ. *1. ad Corinth.* 12. non autem ordinatur directè ad hoc, quod affectus abigentis dæmonia coniungatur Deo, ad quod ordinatur charitas, neque ad hoc vt mens exorcizantis disponatur ad charitatem & gratiam habendam. quod fit per virtutes morales: ergo vsus huius doni reperiri potest sine sanctitate & integritate morum exorcizantis.

1. Cor. 12.

Quinto. Si sanctitas aut morum integritas necessaria est in exorcistis, vt dæmonia eijciant, & sine illa dæmonia non poterunt fugari: sequitur omnes exorcizantes quotiescunque dæmonia expellunt ab obsessis, certo scire se esse in gratia: consequens nullus catholicorum admittet: ergo &c.

His tamen non obstantibus dico: Sanctitas, ac morum integritas valde conducunt (si adsint in his qui dæmonia adiurant) ne nobis noceant, aut nocumenta illata quomodocunque per fugam amoueant. Huic assertioni fidem faciunt querelæ dæmonum asserentium se præsentia Sanctorum torqueri: fuga item dæmonum, qui antequam Sancti adessent, dum scirent Sanctos aduentare, ab obsessis egredientes fugerunt: quæ omnia exemplis multis allatis inferius ostendemus. Secundo ex historijs & annalibus scimus, viros & fœminas sanctitate insignes ad dæmones profligandos præ cæteris valuisse: speciatim sanctus Triphon ferè circa tempora Apostolorum, de quo Surius ex Metaphraste prima Februarij. Bernardus Laurentius, Iustinianus, Colūbanus, Gregorius, Lingoniēsis, Remigius Remensis, Benedictus; & in genere fœminarum S. Genouepha, Catherina Senensis, Euphrasia, Brigita, Hildegundis, & multi alij, & aliæ, in fugandis dæmonibus insignes fuēre. 5

Integritatem autem morum maximè conducere ad exterminandos dæmones, vel ex eo patere potest, quia Dominus de genere pessimo dæmoniorum ait Lucæ. 9. *Hoc genus dæmoniorū non eijcitur, nisi oratione, & ieiunio*. Oratione fugatos dæmones sæpe legimus, & ipse diabolus in Aniano filio Diodori viri Consularis clamauit; se incendi precibus S. Anatholiæ: ita Surius tomo 4 De ieiunio etiam multa legimus. Sit nobis satis afferre exemplum ex Gregorio Turonensi narrāte Niceciū Lugdunensē Archidiaconum vocatum ex Gallijs Romam, vt Leonis Romani Imperatoris filiam ab obsidente dæmone liberaret, opus hoc arduum aggredi noluit, nisi post conti-

Surius.
Lucæ. 9.
Surius.
Gregorio. Turon.

continuatum cum vigilijs & orationibus triduanum ieiunium. Itaque quarta die per inuocationem diuini nominis, & crucis vexillum dæmonem à puella fugauit.

Plurimum etiam valet animi submissio, & humilitas, cum enim spiritus nequam superbissimi sint, ferre non possunt præsentiam eorum, qui de se humiliter sentiunt. Insigne huius rei habemus exemplum in vita Iordanis Dominicani
Lean. Albert. scripta per Leandrum Albertum Bononiensem. Nam cum eidem Iordano dæmon per obsessum alapam impegisset, & ille alteram maxillam subitò præbuisset: confusus superbus spiritus mox reliquit obsessum: quin imò & ipsi dæmones fatentur, se non posse humilium ferre præsentiam, vt videre licet in dæmone fugato à Sancto Paulo, quem simplicem appellant. Rem narrat Palladius in Sanctorum Patrum historia Sect. 25. *Adduxerant* (ait Palladius) *quidam adolescentem obsessum*
Palladius *ad Sanctum Antonium, vt eum liberaret, hic vt cognouit potentiorem esse spiritum, quam à se eijci posset: cum eodem ad Paulum simplicem, virum magnarum virtutum, properat, & postquam afflictum Sancto commendauit, ad propriam cellam reuertitur. Paulus vero accingitur ad dæmonem expellendum, cui ait: Imperat tibi Antonius vt egrediaris: at spiritus immundus nil curat de his. Tum Paulus melotam qua indutus erat assumens, & illa dorsum obsessi verberans: rursus priorem sermonem repetit, inquiens: dixit Abbas Antonius egredere ab homine. Sed neque his diabolus mouetur, sed magis insolescit. Tandem Paulus, aut exibis, ait abeo vt id dicam Christo, isque faciet vt tibi sit væ: & ad orationem conuersus Christum pro adolescentis incolumitate precabatur, mox spiritus magnis vocibus: Recedo, recedo, discedo ab homine, non amplius ad eum accedo. Pauli simplicitas, & humilitas me expellit; Hæc Palladius.*

6 Huic etiam extermínationi dæmonum admodum prodesse fidem, spem, ac fiduciam, non nostris meritis, sed Dei potentiæ, & bonitati innixam, sacræ Literæ testantur, & nos iam iam paramus dicere. Demum erga Deum feruentem amorem, (qui ferè omnes virtutum actus supponit) valde conducere, verba illa D. Antonij ad suos monachos satis superque indicant. *Mihi fratres* (ait Antonius) *credite: pertimescit Sathanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, misericordiam, & humilitatem, maximè autem ardentem amorem in Christum.* Ita Athanasius in e-
Athana. ius vita: & penè eisdem verbis idem dixit Sanctus Remaclus Episcopus Traiectensis: qui anno
Notgerus Domini. 850. claruit. Ita Notgerus in eius vita.

Ad argumenta in contrarium adducta re-
7 spondetur. *Ad primum:* multa dona dantur iniquis ab Spiritu sancto, non solùm secundum habitum, verum & secundum actum in quo eius bonitas valde relucet, quia non solũ bonis, sed etiam malis nouit bene vti: neque ex hoc vsu illi aliquid mali accrescit: quia instrumento malo vtitur ad bonum. *Ad confirm. respond.* Aliquem malè vti potestate eijciendi dæmones, potest dupliciter intelligi: *vno modo* quod ipse potestatis actus, id est ipsa actio, sit in se mala: *altero modo*, quod quis ipsum actum ad malum finem ordinet. *Priori modo* non potest quis malè vti potestate hac; id est per eam efficere actum malum: quia necessariò bonus est, & ab Spiritu sancto. *Secundo modo* nil vetat malè vti ea motione, ordinando ad indebitũ finem, & tũc actus illius potestatis bonus est, & ab Spiritu sancto: ordinatio verò ad malũ finem, mala est, & à peruersa hominis voluntate procedens, non ab Spiritu sancto.

In secundo argumento essent nobis perquirẽdi 8
fines, propter quos Ecclesiæ suæ Deus contulit hanc potestatem abigendi dæmones: nisi iam eos enumerassemus supra disputatione quarta, ad quem locum remittimus lectorem. Modò verò dicimus dupliciter Deum operari eiectionem dæmonum per ministerium hominum. *Vno modo* ad fidei confirmationem, quæ maximè per dæmonum eiectionem factam à Christo, & Apostolis confirmata est, videntibus cunctis, tot obsessos, quibus Iudæa regnum abundabat, à dæmonibus liberatos: ita vt nullus superesset obsessus, aut infirmus, qui non sanaretur à Christo, si ad locum accessisset. Idemque egere Apostoli, vt videre licet in Euangelica historia, & actibus Apostolicis. *Secundo modo* ad demonstrandam sanctitatem alicuius: quam Deus vult proponere in exemplum virtutis. Priori modo nihil vetat dæmonia profligari à peccatoribus, per quos vera fides enuntiari potest. Vnde Hieronymus super *Hieron.*
illud Matth. 7. *Nonne in nomine tuo prophetauimus &c. ait: Prophetare, vel virtutes facere, aut dæmonia eijcere interdum non est eius meriti, qui operatur. Sed inuocatio nominis Christi hoc agit, vt homines Deum honorent, ad cuius inuocationem fiunt tanta miracula.* Secundo modo eiectio dæmonum nequit fieri nisi eijcientes sanctitate polleant, aut illi, quorum sanctitatis adstruendæ causa, miracula fiunt: & hoc probat secundum argumentum factum, & nihil amplius.

Ad tertium respondetur, maiorem aptitudinem, & dispositionem ad eijciendos dæmones non sumi ex sanctitate, aut morum integritate: sed ex Dei voluntate, & prouidentia: qui interdum iudicat magis aptos, peccatores ad eijcienda dæmonia, quam iustos, & dando donum, dat etiam maiorem aptitudinem. Item potest contingere homines peccatores esse magis dispositos ad dæmones abigendos, quàm aliqui iusti, putà quia hi timidæ sunt complexionis: aut non habent tam robustam fiduciam, vel quid simile: illi verò natura sunt audaces, impauidi, fiduciosi, quod valde iuuat ad recipiendam gratiam dæmonum eijciendorum. Ad hunc fermè modum philosophatur Diuus Thom. *quæst. 12. de veritate articul. 5. ad sextum.*

Ad quartum respondetur, illam D. Thom. ratio- 9
D. Thom. nem esse intelligendam cum limitatione, quam ipse addidit in solutione ad primum eiusdem quæstionis & articuli, quando actiones sunt sacratæ, sanctificatæ Deo & ordinatæ p, se & immediatè ad sanctificandos eos, penes quos exercentur. Tales sunt actiones, quas efficiunt ministri Sacramentorũ. At verò expulsio dæmonum per adiurationem, ac donum expellendi eos; non est actio sacrata, neque immediatè ordinata ad sancti-

sanctificationem hominum: sed ad fugādos dæmones, & liberādos miseros obsessos ab eorum tyrānide. Quod verò ordinetur quādoq; ad tollenda impedimenta, quibus homines detinētur, ne se exerceāt in officio virtutū, non pertinet per se ad potestatem adiurandi; & eijciēdi dæmones: aut si per se, multum à remotis. Sentio igitur seclusio scandalo, aut contemptu; nullum esse peccatum adiurare, aut abigere dæmones, eum qui est in peccato mortali, si non sit initiatus ordine exorcistæ, sicut neq; est peccatum exercere donum linguarum aut sanitatis in statu peccati mortalis.

10 De exorcistis ab Ecclesia initiatis, quod tangitur in confirmatione, maior est dubitandi ratio: nam D. Thom. *in quarto, dist.* 24. *q.* 1. *art.* 3. *quæst.* 5. generalem statuit regulam, videlicet peccare mortaliter eū, qui aliquod sacrum officiū, quod sibi ex ordinatione competit, in peccato mortali exequitur, quia indigne tractat res sacras, ac proinde sacrilegium committit: quod ex genere peccatum mortale est. Sed initiatis ordine exorcistarum competit ex sua ordinatione adiurare dæmones: ergo si hoc officium in peccato mortali exerceant, peccant mortaliter. Sotus *in* 4. *d.* 24. *q.* 1. *ar.* 4. *circa septimam concl.* putat, nullū committere peccatum initiatum minoribus ordinibus ministerium suum exercendo in peccato mortali, eo quod censet, eos ordines non esse sacramenta, neq; characterē imprimere. Et addit, D. Thomam *in quarto* oppositum tenentem, sequutum fuisse vulgus. Ac proinde si de hac re egisset in summa mutasset sententiam.

D. Thom. *Sotus.*

Sed quidquid sit de hac mutatione, ego existimo, initiatos ordine exorcistarum, si adiurent dæmones simpliciter, & sine solemnitate, id est sine exorcismis & cæremonijs, quas pro adiurandis dæmonibus instituit Ecclesia nullum committere peccatum, ex eo quod sunt in peccato mortali: secluso tamen scandalo ac contemptu, eo quod in his actionibus non se exhibent, vt publicos Dei ministros, ad eum modum, quo dicitur baptizantes sine solemnitate, & ritibus ab Ecclesia institutis, non peccare: & similiter hostiarium, ac lectorem exercentem priuatim sua officia, ex hoc quod sint in peccato mortali, non peccant. At verò initiati ordine exorcistarum adiurantes solemniter dæmones, si sint in peccato mortali: non peccant mortaliter: quia licèt actus adiurandi, vt ab exorcista procedunt, sint aliquo modo sacri: tamen sunt valdè remoti à proprio, ac perfecto actu sacrificandi, vel ministrandi sacramenta, ad quem finem quodammodo ordinantur: vt dicitur in quarto loco iam citato, & ob id illa materia leuis est.

Item, quia probabilis est opinio ordines minores non esse sacramenta: ac proinde non est inijcienda obligatio peccati mortalis, sine magno fundamento. Cæterum à peccato veniali non excusarem per se præfatos exorcistas adiurantes in peccato mortali. Quia nonnulla irreuerentia videtur esse in peccato exercere hoc officium, quando hoc ministerium fit publico & solemni ritu; tanquam à publico Ecclesiæ ministro. Hoc enim modo propriè est actus ordinis, ad quem est consecratus exorcista. Dixi, peccare venialiter per se loquendo: qua ex inaduertentia, aut ignorantia, aut quia sequi malunt Soti sententiam, facilè excusarem. Nihilominus vt euentus fœliciter succedat in profligatione dæmonum: consulerem huiusmodi sacram confessionem peccatorum præmittere, quæ parit conscientiæ mundiciem, ac sanctitatē, quam valde conducere ad fugandos dæmones, iam diximus, & amplius in sequentibus dicemus.

DISPVTATIO VIII.

An fides sit necessariò requisita in adiurante dæmones, vt eorū exterminatio sequatur?

ET videtur vera pars affirmatiua. *Primò:* nam Marci vltimo, dicit dominus: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eijcient &c.* Ex quo loco videtur colligi omnes, quotquot fidē habuerint, dæmonia eijcere posse. Et à contrario sensu, qui ea caruerint, non poterunt dæmonia eijcere: nam sicut affirmatio est causa affirmationis: ita negatio est causa negationis. 1 *Marc. vlt.*

Secundò. Matt. 17. Discipulis quærentibus quare non potuerint eijcere quendam dæmonem pessimum, respondit Dominus: *Propter incredulitatem vestram:* ergo fides necessaria est ad dæmones propulsandos. Nam si vnum oppositum est causa oppositi; & reliquum oppositum est causa reliqui. Sed incredulitas est causa impediens eiectionem dæmonum: ergo fides erit necessariò requisita, imò causa eijciendi dæmones. *Matt.* 17.

Tertiò: nam eodem loco Matt. 17. vt Dominus commendaret necessitatem fidei, non solùm ad eiectionem dæmonum; de qua Christus Dominus loquebatur, verùm etiam ad quæcunq; miracula patranda; subiungit statim: *Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit: & nihil impossibile erit vobis.* Et Lucæ 17. ad discipulos ait; *Si habueritis fidem sicut granum sinapis; dicetis huic arbori moro, eradicare, & transplantare in mari: & obediet vobis.* Quibus verbis non mediocri exaggeratione intimatur necessitas fidei in eijciente dæmonia, quia pars quædam est hæc eiectio gratiæ miraculorum patrandorum. *Matt.* 17. *Luca.* 17.

Pro decisione prēmittere oportet diuisionem fidei in virtutem Theologicam, & fidem, quæ est gratia gratis data. Quæ diuisio sumitur à Doctoribus ex Apostoli Epistolis multis in locis. Fides Theologica virtus, est fundamentum totius ædificij supernaturalis, & principium omnium, quæ fiunt ad gratiam Dei consequendam, de qua Apostolus ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo:* ac proinde communis esse debet cuiq; Christianorum; vt ea quando voluerit, & vbi libuerit, vtatur: fides verò quæ est donum, 2 *Hebr.* 2.

siue gratia gratis data, non est communis omnibus fidelibus: sed pro voluntate Spiritus sancti datur ijs, & non illis: vt apertè constat ex eodem Apostolo. 1. *ad Corinth.* 12. vbi post enumeratam 1, Cor. 12. fidem inter gratias gratis datas, subiungit. *Hæc omnia operatur vnus & idem spiritus, diuidens singulis prout vult.*

D. Thom. *Secundò* præmittendum est ex doctrina D. Th. maximè 3. *contra gentes. ca.* 154. *in fine*, fidem virtutem Theologicam esse habitum, quo proinde credens vtitur, cùm vult, quia eius vsus necessarius est ad salutem consequendam: at verò fides, quæ est gratia gratis data, non est habitualis perfectio: sicut neque cæteræ gratiæ gratis datæ: sed est impressio, quæ à Deo fit, & cessat cessante actu, & eam oportet iterari, cùm actus iterari fuerit opportunum. Ad eum modum, quo Prophetæ in qualibet reuelatione nouo lumine illustrantur, & in qualibet miraculorum operatione oportet adesse nouã efficaciam diuinæ virtutis, vt latius dicit D. Th. 2.2. *quæst.* 164. *& de ver. q.* 12. *& eadem* 2.2. *q.* 178. *& de pot. q.* 6. Ad has duas differentias reducere possumus omnes alias, quæ inter fidem Theologicam, & fidem gratiam gratis datam reperiuntur.

3 Scire autem quid sint, & in quo earum consistat essentia, difficile est: maximè si sermo sit de fide, quæ est gratia gratis data: nã de fide Theologica virtute, multa dicta sunt à sacræ Scripturæ interpretibus & Doctoribus Scholasticis, asserẽtibus esse habitũ ad credẽdum Deo, vt est prima veritas reuelans ea, quæ ad Ecclesiæ statum concernunt: De fide verò quæ est gratia gratis data D. Thom. D. Th. 1.2. *q.* 111. *art.* 4. *ait*, versari circa principia fidei. Et in solutione ad secundũ, dicit importare quãdã supereminẽtẽ certitudinẽ fidei: ex qua homo fit idoneus ad instruendum alios de his, quæ ad fidem pertinent. Idem dicit *lect.* 2. *super caput.* 12. 1. *ad Corint. &* 2.2. *q.* 4. *artic.* 5. *ad quartum* dicit fidem quæ est gratia gratis data, sumi pro quadam fidei excellentia: sicut pro constantia fi- Interlinealis. dei, vt ait Glossa interlinealis *loco citato ex Paulo.* Ex quibus locis colligitur, fidem quæ est gratia gratis data esse modũ quendam fidei importantem quandam eximiam certitudinem aut fidei constantiam. Quid autem sit modus hic, & quare ponatur, & circa quid versetur: difficile explicatu est, tentabimus autem explicare Dei adiutorio implorato.

4 Et argumentor sic *primò* contra dicta D. Tho. Ad instruendos alios de his, quæ pertinent ad fidẽ, sufficit certitudo quam præbet docenti habitus fidei, quæ est virtus Theologica: ergo fictitia est quæcũq; alia certitudo. *Confirmatur*: vel illa eximia certitudo, quæ dicitur esse necessaria ad docenda dogmata fidei, est à fide virtute operãte intensissimè, & hoc nõ: quia sicut est in potestate fidelis vti habitu fidei: ita habere actũ magis, ac magis intẽsũ, quod nõ cõuenit fidei, q̃ est gratia gratis data; qua nõ vtitur quis quotiescũq; vult, vt dictũ est supra in secunda differentia inter has fides: vel illa excellens certitudo non est ab habitu fidei, sed aliunde, & tunc non stat id quod asserit D. Tho. fidem quæ est gratia gratis data pertinere ad virtutẽ fidei: *Secundò*: fides, quę est gratia gratis data, commendatur maximè ad patranda miracula, vt patet ex testimonijs allatis in argumẽtis factis initio huius dubitationis. Sed ad hæc non est necessaria certitudo eximia virtutis fidei Quod patet, *primò* quia multi infideles operantur miracula. *Secundò*, quia non apparet, quare ad patranda miracala magis conducat certitudo fidei, quàm pia affectio charitatis ad Deum, aut ieiunium, vel huiusmodi. *Tertiò*, quia constantia illa fidei, quam dicit Glossa interlinealis esse gratiam gratis datam, potius pertinet ad fortitudinem, seu eius partem, patientiã, quàm ad fidem: ergo non est modus fidei. Idem argumentum fit de fiducia; quam quidam adiunctam fidei, dicunt esse fidem gratiam gratis datam: fiducia autem spes roborata est, vt ait D. Th. 2.2. *q.* 129. *ar.* 6. *in corp. & ad secũdũ, & tertiũ.*

Nihilominus sententia D. Th. vera est, cuius 5 veritatẽ manifestabo respondendo prius ad argumenta facta contra sanctũ Doctorẽ. Ad *primũ resp.* quẽadmodũ ad docendũ conclusiones, quæ ex fidei articulis deducuntur circa Deum, sufficit sapientia humanitus acquisita, putà Theologia, & ad docendũ cõclusiones circa alia, præter Deũ, sciẽtia & rhetorica acquisita, ad docẽdum delectabiliter. Sed tamẽ vt hæc fiãt in docẽdo fidẽ cũ modo eminenti & efficaci, Spiritus sanctus largitur quibusdam gratias gratis datas: quæ ad hæc deseruiunt, putà sapientiam, scientiam, gratiam sermonum, iuxta illud: *Dabo vobis os, & sapientiam cui non poterunt resistere aduersarij vestri*, Lu- Lucæ. 21. cæ. 21. Sic quamuis ad docendos articulos & fidei dogmata: sat sit docentem fidelem habere certissimũ eorũ assẽsũ; tamẽ ad docẽdũ eos modo quodã eminẽtiori, & efficaciori ita vt docẽs fiducialiter loquatur, iuxta illud: *Loquebantur cum* Actorũ. 4 *fiducia verbum Dei*, Actorum. 4. & vt audientes commoueantur ad receptionem doctrinæ: est conuenientissima quædam altior certitudo; quam Spiritus sanctus præbet, mediante fide, quæ est donum & gratia gratis data.

Ad *confir. resp.* eam eximiam certitudinẽ, quã diximus esse gratiam gratis datam, non esse grãdem intensionem fidei virtutis: neque esse elicitiuè ab habitu fidei: sed esse motionem quandam, & impressionem ab Spiritu sancto mouẽte intellectum, & voluntatem fidelis, vt multò certius assentiatur credendis, quàm ille, qui operatur ex habitu: sicut enim quandoque Deus operatur miraculosè quodam excellentiori modo ea, quæ natura potest operari: ita etiam Spiritus sanctus (qui est causa principalis illius certitudinis, quæ spectat ad fidẽ, gratiã gratis datã; homo verò instrumẽtũ diuinę virtutis) excellẽtius operatur eã certitudinẽ, quã mediãte homine, qui operatur assensum certissimum elicitum ab habitu fidei. Itaq; excellentior est ea certitudo, quæ prouenit à gratia gratis data, quæ est fides quàm ea, quæ prouenit ab habitu fidei.

Et si roges. Cum illa certitudo assensus eximia non sit ab habitu fidei: quare dicitur modus fidei virtutis? quia reperitur & identificatur cum assensu elicito à virtute fidei, vel supponit actum

actum fidei virtutis, vt dicemus statim. In secundo argumento inquiritur finis, ad quem ordinauit Deus gratiam quæ est fides. *Resp.* non ad docẽdum absolutè articulos fidei: quia sine ea possent doceri, vt iam dixi: neq; ad patranda miracula, quia sine ea effici possent: sed vt homo reddatur magis idoneus ad instruendos alios, de his quæ pertinent ad dogmata fidei, & ad miracula patranda.

Sed quomodo redditur magis idoneus ad hæc? Multipliciter, dando scilicèt constantiam, ne proponens res fidei deterreatur impedimentis, quæ possunt prædicationi fidei occurrere, fiduciam itidem, id est firmam spem, quòd fœliciter succedet prædicatio; & hæc omnia parit illa eximia certitudo fidei. Itẽ in patrandis miraculis ea eximia certitudo fidei dat securitatem, quod eueniet certissimè effectus miraculosus sine vlla dubitatione, & hæc firmitas, & ablatio hæsitationis valde conducit ad miracula facienda iuxta illud
Matth.21 Matt.21. *Si habueritis fidẽ, & non hæsitaueritis &c.* Et
Iacobi. 2. Iacobi 2. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.*

7 *Ad tertium resp.* illam constantiam, prima facie, videtur pertinere ad fortitudinem, & fiduciam ad spem: cæterùm cum ortum habeant ex certitudine eximia, (quam diximus spectare ad fidem, quæ est gratia gratis data) sicut illa certitudo non est elicitiuè à virtute fidei: sic neque constantia à virtute fortitudinis, neque fiducia à virtute spei, sed sunt quædam impressiones Spiritus sancti complentes gratiam gratis datam, quæ est fides, vt insinuatur à D. Thom. 2.2. *q.4. ar. 5. ad quartum.*

Pro cuius ampliori explicatione libet describere discursum, quem meditatus sum reperiri in vsu fidei quæ est gratia gratis data, maximè quando versatur circa patranda miracula: propter quod vocari solet fides miraculorum. Cupit quis confirmare fidem miraculis: necesse est in eo præcedere actualiter, vel virtualiter, assensum fidei virtutis, quo credat Deum posse perficere, siue se ipso siue medio homine illo fideli, quod pertinet ad Dei omnipotentiam: sed adhuc quantumcunque iste assensus sit intensus, ac certus, non incepit vsus fidei, quæ est gratia gratis data: quia talem assensum potest quilibet habere, quando & quoties libuerit, at verò quando Spiritus sanctus vult liberaliter communicare donum fidei, quæ gratia est, imprimit actualiter quandam *motionem* intellectui, & voluntati cupientis confirmare fidem miraculis: quæ est certitudo quædam non solùm de Dei omnipotentia, verùm etiam quod Deus illa miracula operabitur eius fidelis ministerio: insuper & *fiduciã*, idest spem firmam, sine vlla admixtione hæsitationis, ꝙ ita eueniet: hoc totũ pertinet ad fidẽ, quæ gratia est. vbi homo habet se vt instrumentum Spiritus sancti. Deinde tertio loco succedit *impressio* eiusdem spiritus, quæ est gratia miraculorum. Priorem assensum non est difficile inueniri in quolibet fideli; sicut in quolibet inuenitur fides virtus Theologica, secundum quod pertinet ad fidem, quæ est gratia; rarissime, & in raris, quia rarum Dei donum est, quod nemo nouit, nisi qui accipit. Quæ verba vsurpat Caietanus in expositione Euangelici Textus. Caietan.

Et hoc donum dedit Deus viris sanctitate insignibus: qui ausi sunt toto spectante Populo pro confirmanda aliqua veritate fidei, polliceri res mirabiles: quam promissionem prudenter iudicaremus temerariam; nisi crederemus, eos diuinitus moueri, vt certò & infallibiliter crederent, ac fiderent sine vlla hæsitatione, per eos de facto efficienda fore mirabilia promissa. Talem fidem censeo habuisse Heliam, quando 3. *Regum.* 18. promisit toto spectante populo Israelitico ignem de cælo descensurum, ac voraturum Heliæ victimam. Similem etiam habuit fidem sanctus Dominicus, quando cœtu fidelium, ac Hæreticorum adstante, promisit librum, in quo dogma catholicum scriptum erat illæsum ab incendio euasurum, libro Hæretici dogmatis in cinerem resoluto. 3. Reg. 18.

His præmissis *dico primò.* Ad abigenda dæmonia per adiurationem non est necessaria in exorcistis fides, quæ virtus Theologica est. Et quidem non esse necessariam fidem, non inficiabitur is, qui agnouerit, in eiectione dæmonum exorcizantes se habere vt mera Dei instrumenta: Deum verò vt causam principalem: at homo infidelis assumi potest à Deo vt instrumentum, ad quæcunque mirabilia patranda: ergo & ad abigendos dæmones. *Confirmatur:* nam per infidelem Balaam prophetauit Deus Numer. 22. cur non etiam per infideles poterit abigere dæmones? Sed de facto homines infideles hac vsos fuisse potestate, infra dicemus. 8 Num. 22.

Assertio *probatur primò* ab aliquibus, ex illo Matth. 7. vbi Christus Dominus ait: *Multi in illa die:* idest in die extremi iudicij, *dicent, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, &c.* sed hos esse infideles non certò constat, esse autem improbos viros benè constat ex illo verbo: *Non noui vos,* phrasi vsitata in sacra Scriptura, in qua sæpè agnitio pro approbatione accipitur: vt illud Ioan. 10. *Ego cognosco oues meas,* & 2. ad Timot. 2. *cognouit Dominus qui sunt eius:* & Matth. 25. *Nescio vos:* quod benè obseruarunt Theophilactus, & alij veteres, & antiquior Origines in c. 8. ad Romanos. Matth. 7. Ioan. 10. 2. ad Ti. 2. Matt. 25. Theophil. Orig.

9 *Secundò prob.* ex Marc. 9. vbi Ioannes ait ad Christum: *Vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, qui non sequitur nos:* Lucas capit. 9. *Qui non sequitur nobiscum:* id est non profitetur tuam fidem. Ita Victor Antiochenus Marci. 9. dicens: *Respondere licet, multos in Christum alioqui non credentes, apud Iudæos extitisse: qui huiusmodi gratias, & prærogatiuas acceperant.* Idem D. Augustinus, libr. 4. *de consensu Euangel. cap.* 5. Beda & Theophilactus Marc. 9. non tamen isti Patres negare possunt, hunc aliqualem habuisse fidem saltem acquisitam: qua credebat in Christi nomine potuisse dæmonia eijci, aliàs nõ eo vsus fuisset, nõ autẽ credebat Christũ esse verũ Messiam, ac filium Dei: sicut credebant Apostoli. Bene scio alios Patres affirmasse, hunc habuisse veram fidem Christi, quamuis eum non sequeretur. Marc. 9. Luc. 9. Vict. Ant. August. Beda. Theoph.

Euthym. Ita Euthymius, Marc.9. dicens: *Quidam eorum, qui crediderunt gloriæ amore capti, imitabantur Apostolos: & per inuocationem nominis Christi expellebant dæmones, non sequebantur tamen propter continentiam, & asperum viuendi modum ipsorum.* Hæc ille probabiliter: fuisse enim multos ex Iudæis, qui in Christum crederent, licèt eum cum Apostolis non sequerentur, ait Ioannes *cap.* 8. igitur potuit *Ioann.* 8. fieri, vnum ex his fuisse húc, qui in nomine e- *Ambrosi.* ius dæmonia eijciebat. Ambrosius etiam hanc confirmat sententiam: quare ex testimonio citato tantùm probabiliter nostra assertio stabilitur.

10 *Tertiò prob.* ex Actibus Apostolicis cap.19. vbi *Actu.* 19. narratio fit in hæc verba: *Tentauerunt quidam de circumeuntibus exorcistis inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu: dicentes, adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Sceuæ Iudæi Principis Sacerdotum septem filij, qui hoc faciebant. Respondens autem spiritus nequam dixit eis: Iesum noui, & Paulum scio, vos autem qui estis? Et insiliens homo, in quo erat dæmonium pessimum, in eos & dominatus amborum, inualuit contra eos; ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa. Hoc autem notum factum est omnibus Iudæis, atque Gentilibus, qui habitabant Ephesi, & cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Iesu.* Hæc Lucas, vbi clarè appparet homines, qui non credebant in Christum, imò qui aduersabantur doctrinæ Christi (sicut fas est credere de filijs Pontificis Iudæorum) in virtute Christi, & sub eius nominis inuocatione eijcere dæmonia. Ex quo timor reuerentialis inuasit Iudæos, & Gentiles, & factum hoc grandem gloriam adiecit Christo, & eius doctrinæ.

August. *Quartò prob.* ex patribus. Augustinus namque *lib.2. contra literas Petiliani.* 80. versans testimonium *Luc.* 9. citatum ex Marc. & Lucæ.9. adstruit nostrũ assertum: & Patres quamplurimi explicantes il- *Epiphan.* lud Lucæ.2. *Filij vestri in quo eijciunt?* aiunt esse intelligendum de exorcistis Iudæorum tempore Christi Domini: & Epiphanius, *aduersus Ebionitas Hæres.*30. refert de Ioseph homine Iudæo, quod necdum credens, in nomine Iesu à dæmonio hominem obsessum liberauerit.

11 *Secundò dico,* Potestas hæc propulsandi dæmones per adiurationem non viget, neque viguit in communitate infidelium, siue illi sint Iudæi, siue Sarraceni, aut Hæretici. *Probatur;* quia si potestas hæc vigeret in communitate infideliũ, maximè in eorum pestiferis capitibus: Deus censeretur, & esset falsorum dogmatum testis, ac confirmator: quod Deo attribuere blasphemũ est: igitur neutiquã cõcedenda est hæc potestas cõmunitati infidelium. *Antecedens probatur:* quia potissimi fines, ob quos Deus Ecclesiæ suæ potestatem ad abigendos dæmones, & quæcunque alia mirabilia patranda concessit: ij nimirum sunt, vt veritas fidei cõfirmaretur, aut sanctitas, vel innocẽtia abigẽtiũ innotesceret: sed si communitas infidelium, aut eorum peruersa capita, hac potestate fungerentur: omnes censerent eorum blasphema dogmata confirmari vsu & exercitio illius potestatis: ergo non est credendum Deum illam potestatem ijs infidelium communitatibus cõcessisse, ne simplices decipiantur, putantes eiectione dæmoniorum (quæ inter res mirabiles computatur) eorum peruersa dogmata confirmari, aut eorum damnabilem vitam approbari.

Secundò. Nunquam legimus hanc potestatem in exercitio viguisse apud infidelium cœtus: de 12 quibus præsumitur in confirmationem falsæ doctrinæ suæ eam potestatem (si haberẽt) ordinaturos: ergo signum est eos non habere potestatẽ: nam si haberent eam, aliquando exercitio mandarent. Et quidem de Hæreticis potissimè nostra procedit probatio: qui etsi tentarunt sæpè dæmonia eijcere, non valuerunt perficere, cum passim apud Catholicos id videamus fieri. Historiam de hac re narrat eleganter Thomas Bo- *Tho. Bos.* sius *libr.23. de signis Ecclesiæ c.1. sumptam ex Surio, & Frederico Staphilo.* Sed age: verba Staphili perlege in absoluta respõsione contra Iacobum Schmidelinum: *Possum ego* (inquit Staphilus) *redigere mihi in memoriam anno.1545. dæmoniacam quandam puellam è Misniæ ditione adductam Vuitembergam ad Lutherum: ea spe quod Lutherus, velut tertius Helias, puellam istam a malo dæmonio liberaturus esset. Quamuis autem Lutherus ad hoc admirandum, & magni momenti opus, initio non parum difficilem se ostenderet; attamen tandem iussit puellam adduci in Parochianæ Ecclesiæ Vuitembergensis Sacrarium: illicque coram alijs plerisque Doctoribus, & eruditis viris, (inter quos ego quoque magister iuuenis aderam) dæmonem cœpit adiurare, & exorcizare; sed id tamen more suo, non eo, qui apud Catholicos receptus & vsitatus est. Cùm autem ille diù, multũq; adiurasset dæmonem, cedere illi noluit: sed eas in angustias (sit venia verbo) Lutheri caligas redegit, vt is, quam primum è sacrario se proripere vellet. At quid accidit? Malignus ille dæmon vsque adeò fores sacrarij obstruxerat, vt neque forinsecus, neque intrinsecus aperiri possent. Quæ res Lutherum in maiores angustias adduxit, ita vt iam ad fenestram properaret, sperans per eam se posse effugere, & exilire: verùm obstabant illi cancelli ferrei: sicque compulsus est, vna nobiscum tantisper inclusus, hærere, donec per cancellos ferreos ab adituo nobis oblata securis, mihique ceu iuueni viro tradita, vt ea fores effringerem: quod equidem tum conatus sum, & ad effectum perduxi. Interea verò visu admirandum erat, vt Lutherus angoribus correptus, sursum deorsumque cursitaret, atque instar ouis parturientis huc illucq; se inuerteret.* Hactenus Staphilus. Eandem Historiam narrat Guillelmus Lindanus, Dialo- *Lindanus* gor.3. capit. primo dubitantij: & Bredembacius, *Bredemb.* collationum lib.7. capit.40. qui & capit.42. rem similem narrat de quadam fœmina, quam Hæretici tentarunt à dæmone liberare, nec valuerunt.

Obijciet quispiam. Hoc dictum cum primo non 13 cohæret: in primo asserimus non esse necessariã fidem ad dæmonum propulsationem: in hoc verò secundo negamus id cœtibus infidelium. *Resp.* nos consultò dixisse in hoc secundo dicto potestatem abigendi dæmones non vigere in communitatibus infidelium, quia communiter ad confirmationem suæ falsæ doctrinæ id tentant perficere, cui impossibile est Deum suppe-

ſuppetias ire, aut teſtificari: imò etiam ſi ad hunc finem non intendent dæmones abigere, quando capita Hæreticorũ id conantur, plebs rudis cenſeret: vel ad confirmationem ſuæ ſectæ, vel ad approbandam ſanctitatem ſuorum miniſtrorum Deum id operari. At verò in primo dicto aſſerimus, non eſſe inconueniens, quin potius aliquando (ſed rarò) accidiſſe, vt vnus, aut alter infidelis, hac poteſtate, & eius vſu profliget dæmones, quando, ſcilicet, ex circunſtantijs rerum geſtarum, hæc dæmonum profligatio non cedit in confirmationem falſæ doctrinę, aut approbationem innocentiæ impiorum miniſtrorum; ſed in Dei, & Chriſti Domini gloriam: quod videre licebit in exemplis allatis circa primum dictum. Nam ille, de quo Marci, & Lucæ. 9. liberatus eſt à dæmone per infidelem; ſed inuocato Chriſti nomine: vbi cum tam adſtantes, quam exorcizans, eſſent Iudæi: non potuit eiectio dæmonum per inuocationem nominis Chriſti ordinari ad impugnandam fidem Chriſti, quam impij Iudæi impugnabant; ſed ad Chriſti laudem, magnificentiam, poteſtatem, ac gloriam. Idem dico de filijs Sceuæ ſummi principis ſacerdotum. At verò quando Hæretici exorcizant, inuocant Chriſtum, cuius doctrinæ ipſi ſe iactant profeſſores. Vnde ſi rude vulgus videret eorum exorcizationem ad effectum dæmonum pellendorũ perduci, putaret eo ſigno impia dogmata Hæreticorum confirmari: quare Deus illis non confert talem poteſtatem.

Dico tertiò. Fides, quæ inter gratias gratis datas annumeratur, non eſt neceſſaria ad abigendos dæmones: ſicut neque ad alia mirabilia efficienda, quæ ſuperant naturales hominum vires.

Probatur primo. Quia hæc gratia gratis data, vel eſt idem cum aſſenſu fidei virtutis Theologicæ, vel ſuppomit illum, vt ſuperius prænotaui ex D. Thom. doctrina. Sed in primo aſſerto probauimus, non eſſe neceſſariam fidem, virtute Theologicam, ad eſſe exorcizantibus, & abigentibus dæmones: ergo neque fides, quæ Dei donum eſt, eſt neceſſaria ad id perficiendum. *Secundò.* Sæpè exorciſtæ fideles accinguntur, vt per exorciſmos Eccleſiæ, abigant dæmones, nullam certitudinẽ habentes ſe eiecturos: imò valdè dubitantes de ſucceſſu fœlici, & tamen quandoque revera eijciunt eos ab obſeſſis: ergo ad expulſionem dæmonũ nõ eſt neceſſaria fides, quæ dicitur donum Dei, & inter gratias gratis datas computatur. *Probatur conſequentia* ex præiacto fundamento, vbi aſſeruimus fidem, quæ donum eſt, & gratia gratis data perfici certitudine futuri euentus circa rem aliquam mirabilem perficiendam.

Dico quartò. Nil ita proximè conducit ad expellendos dæmones, ſicut fides exorcizantium, aut exorcizatorum. Conſultò addidi, proximè: quia licèt charitas habeat hos effectus eminenti quodã modo præ cæteris virtutib': tamẽ charitas cenſenda eſt vt cauſa vniuerſalis, eo ꝙ forma eſt, & parens cæterarum virtutum, quibus adſcribẽdi ſunt peculiares effectus, vt proximis principijs: ſaltem per appropriationem, & iſto pacto dicimus fidem potiſſimè conducere, quia proximius diſponit propter ſtatim dicenda. Hoc aſſertum colligitur ex ſacris literis citatis in argumẽtis factis initio dubitationis. Imò fermè omnis operatio miraculoſa, & prodigioſa attribuitur fidei in ſacra Scriptura.

Et quidem de fide, quæ virtus Theologica eſt; ſic oſtendo, & explico aſſertum noſtrum. Nam omnes operationes miraculoſæ, ac mirabiles, inter quas reponitur fugatio dæmoniorum, potiſſimè ordinantur ad confirmationem dogmatum fidei: vt ſupra docuimus, & habetur *Marci vltimo*: ergo congruũ eſt, vt habenti fidem, maximè concedatur mirabilia operari: præcipuè dæmonum eiectionem. *Secundò*, quia fides qua credimus Dei adiutorio dæmones ab hominibus poſſe fugari, & ab eiſdem multa alia mirabilia fieri, habet pro ratione, & medio huius aſſenſus diuinam potentiam, quæ valet operari ſupra captum naturæ: ergo valdè diſponitur per huiuſcemodi fidem, qui dæmones vult abigere, ne hominibus moleſti ſint.

Quod autem valdè conducat ad dæmones fugandos fides, quæ eſt gratia gratis data, apertius eſt, quia ipſa eſt quæ dat firmitate, ſecuritatẽ, & fiduciam certam omni operanti mirabiles res, vt patet ex prænotatis in initio dubitationis: ergo & abigenti dæmones, quod inter res mirabiles, & quæ excedunt hominum naturales vires cõputatur. Quinimò ſi adſit fides, quę eſt gratia gratis data ad eijciendos dæmones, niſi apponatur ab homine impedimentum, aut obex, infallibile erit ad eſſe dæmonum eiectionem per gratiã miraculorum. 16

Supereſt *reſpondere argumentis* factis in oppoſitum ad probandum, fidem eſſe neceſſariò requiſitam: ſed ante quam eis ſatis faciamus, aduertẽdum eſt, multa teſtimonia, quæ de fide loquuntur, interpretari antiquos Patres, de fide, quæ eſt gratia gratis data, & pleraque alia de fide virtute Theologica: at hiſce noſtris calamitoſis temporibus (quando omnium Hæreſum ſentina expoſitione fidei cuiuſdam fictitiæ, quam Hæretici huius ætatis, ſatis ſuperque eſſe ad ſalutem conſequendam aſſeruere, emanauit, occaſione capta ex aliquibus ſacræ Scripturæ locis, qui de fide loquuntur,) nullo modo admittunt vllum locum, vbi fit mentio fidei, eſſe interpretandum de fide virtute Theologica, (quam Patres Orthodoxi rectè conſtituunt eſſe iuſtificationis exordium,) ſed de quadam monſtruoſa, & fictitia fide, quam ipſi confingunt, quod non eſt præſentis inſtituti diſputare. Cæterum moderni Catholici quamplures, in aliud extremum declinãtes, vix admittunt vnum aut alterum teſtimoniũ de fide, gratia gratis data, interpretandum; ſed de virtute Theologica. Nos verò cum Patribus antiquis quædam de fide virtute Theologica, quædam de gratia gratis data, prout ſacri text' intelligẽtia poſtulat, explicare non verebimur, reſpondentes ad argumenta propoſita in principio dubitationis. 17

In primo argumento affertur teſtimonium in hoc articulo ſæpè citatum ex *Marci vltimo*, quod *Marc. vlt. 1. Expoſit.*

quod vt semel exponamus fusius quàm alibi, *notandum* est, quosdam illud interpretari de fide, quę est gratia gratis data, non de fide, quę est virtus Theologica. Quia illi effectus mirabiles ibi recensiti, non sunt fidei virtutis, quæ communis est omnibus Christianis: sed fidei, quæ donũ est, & gratia gratis data: quã quidam, & rari habent, alij & plures carent. Ita videtur interpretari Alphonsus à Castro, de Hæresibus, verbo exorcismus: nec est omninò improbabilis expositio:
Castro. maximè si asseratur fidem, quæ donum est identificari cum actu fidei virtutis.

18 Existimo tamen, illum locum esse intelligendum de fide, quæ virtus Theologica est, & necessaria omnibus fidelibus, non de grat a gratis data. Probatur, quia de ea fide loquitur Dominus, de qua immediatè antedixerat: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.* Certum est autem illic fieri sermonem de fide Theologica virtute: qua qui carent condemnabuntur: ergo non de fide, quæ est gratia gratis data. Quo supposito.

19 Quidam dicunt, præfatum testimonium esse intelligendum de potestate faciendi mirabiles res illas, non de actu faciendi: illam habuerunt omnes Christiani primitiuæ Ecclesiæ; hunc non omnes, etiam sanctissimi viri. Qualis fuit Ioan-
Ioan.20. nes Baptista, de quo dicitur *Ioan.* 20. nullum miraculum fecisse. Hæc interpretatio non placet: quia illa potestas vel est per designationem ad facienda miracula, vel per idoneitatem: non primum, quia etiam in primitiua ecclesia non omnes fideles designati erant ad eos mirabiles effẽctus perficiendos: neq; etiam fideles huius temporis. *Secundò*, quia prior illa sententia: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c.* respicit omnes fideles etiam huius temporis: ergo & illa quæ statim subiungitur: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, &c*

2.Exposit. *Secunda expositio*, vt illa promissio tantùm fuerit facta fidelibus primitiuæ Ecclesiæ: quia sicut omnes, aut ferè omnes incumbebant prædicationi fidei: ita omnibus aut ferè omnibus assistebat Spiritus sanctus, vt per eos mirabilia patraret ad confirmationem eorum, quæ prædicabant. Sed expositio hæc exploditur, pari ratione sicut prima.

3.Expositio. *Tertia expositio* est domini Caietani super hunc
20 locum dicentis, quantum est ex parte virtutis fi-
Caietanus. dei nisi impedimentum ab habente fidem præstetur, sequentur ea mirabilia. Hæc interpretatio propius rem attingit, in eo tamen, quod insinuat secluso impedimento, aut defectu fidei virtutis, semper ea signa subsequuta falsã mihi videtur: quia sæpè contigit, & modo contingit viros fide, & sanctitate insignes nullum apponentes impedimentum hos mirabiles effectus non perficere.

Quarta expositio mihi magis arridet, scilicet, eã
4.Expositio promissionem Christi Domini non esse ita amplè intelligendam, vt verba in cortice sonant: sed
Regula ad intelligendã Scripturã. quibusdam appositis limitationibus. Pro cuius expositione, lector studiose, *aduerte regulam* ad intelligendam sacram Scripturam apprimè necessariam: ea est. Propositiones quasdam affirmatiuas, & vniuersales in sacris literis sæpè esse intelligendas non in ea amplitudine, quam verba referunt, sed quibusdam subintellectis: verbi gratia, dicitur Matthæi septimo, & Lucæ 11. *Petite & accipietis, &c. quia omnis, qui petit, accipit*: etiam dicitur Iacobi quarto: *Petitis, & non accipitis, eo quod malè petatis.* Igitur debet illa vniuersalis intelligi si petitio legitimis sit vallata conditionibus: de quibus egimus tractantes de efficacia orationis. Est etiam alterum exemplum immediatè ante testimonium, quod versamus ex Marci vltimo: vbi dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit:* numquid ea vniuersalis, vt verba in cortice sonant intelligenda est? absit. Sic enim intelligit Caluinus: cum tamen multi credentes & baptizati detruderentur in infernum. Sed intelligi debet, si adsint alia necessaria ad salutem: quæ ex sacris literis colliguntur, putà charitas, pœnitentia, & interdum Exomologesis peccatorum: idest confessio. *Matth.7. Luc.11. Iacob.4.*

Non dissimiliter ea propositio: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur*, non debet intelligi, omnes quotquot crediderint ea signa effecturos: sed subintelligendo quando, & quomodo oportuerit, & eos, quos oportuerit: non enim omnęs fideles fœminas ea respicit sententia, quibus enim non est datum in Ecclesia loqui nec etiam hęc signa facere, quia Ecclesiæ non esset vtile, & ipsis esset perniciosum. Item cum hæc signa facere Deus dederit ad Ecclesiæ communem vtilitatem, & fidei cõfirmationem, non eodem modo verificabitur tempore primitiuæ Ecclesiæ, & modò. Nam tempore nascẽtis Ecclesię, vt supra deduximus ex Gregorio, & Augustino, necessaria erant crebra prodigia & signa: vt fides nouella cõfirmaretur, & stabiliretur. Confirmabatur autem prodigijs & signis: frequentius autẽ eiectione dæmonum ab obsessis, & linguarum dono, vt constat Matthæi, & Lucæ 9. & alibi sæpè; & in Actibus Apostolorum. *Matth.9. Luc.9.*

Quare ferè omnes fideles vt concionatores, ita & miraculorum patratores erant. At verò nostris temporibus: quia Ecclesia iam per orbem propagata, & tot radices altas misit: hæc miracula à Diuo Marco recensita, non ita crebrò fiunt, sed raro, quãdo id expedit vtilitati Ecclesię Christianæ. Quare illa promissio nõ ad singulos fideles extenditur, sed dumtaxat ad eos, quos & quãdo diuina prouidentia viderit expedire vtilitati communi Ecclesiæ, vel in confirmanda fide, vel in manifestanda alicuius communitatis, aut virorũ piorũ sanctitate, aut alio quopiam simili.

His suppositis, pro interpretatione illius testi-
monij *ex Marci vltimo*, *ad argum. resp.* ex eo non 11
colligi omnes fideles pollere potestate actualiter pellendi dæmones: & estò ita esset, negatur consequentia, quæ sit à contrario sensu, scilicet eos, qui fide caruerint, non posse dæmonia eijcere: quia argumentatio à cõtrario sensu non valida est: similiter illa: sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio causa negationis, nisi affirmatio sit causa totalis affirmationis: non autẽ sic

sic fit in præsentiarum: quia sola fides non sufficit ad eijciendos dæmones, aut alia miracula patrãda: cum requiratur gratia miraculorum, quam non omnes fideles habent. Distinctas enim esse gratias, fidem, & gratiam miraculorum, patet ex Diuo Paulo, loco citato, & ex D. Thom. 2.2, *quæst.* 178. *ar.* 1. *ad* 5. D. Thom.

Quinimò addiderim (quod valdè notandum est) neque fides, virtus Theologica, neque fides, quæ est gratia gratis data, sunt principia proxima patrandi miracula, sed dispositiones ad recipiendum donum miraculorum: quod est principium actiuũ instrumentale talis patrationis: ita Diuus Thom. *de pot. quæst.* 6. *art.* 9. *ad primum*. Dispositiones, inquam, sunt, sed diuerso modo: nam fides, virtus Theologica, disponit subiectum ad gratiã miraculorum recipiendam, non quia infallibiliter, sequatur ea receptio, potest enim sine vlla culpa non sequi: cum multi viri pij & fideles non faciant miracula, sed quia reddit idoneum ad modum superius explicatum in quarto asserto: at verò fides, quæ est gratia gratis data, ita disponit subiectum, ac reddit idoneum ad gratiã miraculorum recipiendam: vt si per ipsum subiectum nõ steterit, infallibiliter sequetur & receptio gratiæ miraculorum, & eorum patratio. Quæ omnia patebunt consideranti, quæ diximus initio huius dubij explicantes, in quo consistat, & compleatur ratio fidei, quæ est gratia gratis data. D. Thom.

22 Testimonium adductum in *argumento secundo* initio dubitationis facto valdè vrget aduersus primam, & tertiam assertiones nostras. Insuper difficile explicatu est de qua incredulitate ibi sermo sit, an de ea, quæ opponitur fidei virtuti? an fidei, quæ gratia gratis data est? Et videtur fieri sermonem de incredulitate, quæ opponitur fidei virtuti: quia illo in loco Christus Domin9 reprehẽdit Apostolos de incredulitate, quam habere, aut ea carere in eorum fuit potestate: aliàs non reprehendisset illos, ac culparet: ergo sermo erat de incredulitate opposita virtuti fidei: etenim de incredulitate, id est de carentia fidei, quæ donum est, non obiurgarentur, cùm sicut habere fidem, quæ donum est, non est in nostra potestate, sic neque ea carere nobis vitio dabitur. Confirmatur ex D. Hilario Cã 17 super. Matth.: *Crediderant* (inquit) *Apostoli, sed nondũ erant perfecta fidei. Nam Domino in monte demorante, & ipsis cum hominibus residentibus, quidam torpor eorum fidem relaxauerat.* Ecce torpor discipulorũ in culpa fuit eius incredulitatis: quod nequit adaptari, nisi ei, quæ opponitur virtuti fidei. Hilarius.

23 *In oppositum est*: Nam Dominus loquitur de incredulitate, quæ opponitur fidei: quam commẽdat in verbis immediatè sequentibus, dicens: *Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic transi hinc; & transibit: & nihil impossibile erit vobis.* Certum est autem, fidem montes valentem transferre, esse fidem, quæ appellatur miraculorum, & est gratia gratis data. *Secundò.* Incredulitas, quæ opponitur virtuti fidei, fidẽ euacuat: at quis dicat Apostolos oblato puero obsesso, quẽ nõ potuerunt sanare, fidẽ perdidisse? Ergo nõ fit de ea in testimonio illo sermo sed de ea, quæ opponitur fidei gratiæ gratis datæ.

Quidam dicunt in testimonio citato fieri sermonem de incredulitate, quæ opponitur fidei virtuti; & concedunt, Apostolos, quando non potuerunt sanare illum puerum, fidem perdidisse: nimirum quia putauerunt Christum Dominum non omnia miracula posse perficere: aut verò dubitauerunt de Christi potestate, dubius autem in fide infidelis est. Quibus autoribus videtur fauere Cyrillus citatus, & expressiùs Chrysostomus Homil. 58. super Matthæum, inquiens: *Quare non latet; quia discipuli hac in re titubarunt: quamuis non omnes: Columnæ namque Apostolorum nõ aderant, id est Petrus, Iacobus, & Ioannes, qui adfuerant Christo in monte Tabor.* Fauet etiam & id quod dixit Dominus: *O generatio praua, & incredula quandiu ero vobiscum, &c.* Existimo autem, hęc verba non referri ad Apostolos, sed ad cæteros adstantes Iudæos, qui Christo aduersabantur, & ad patrem pueri, qui de eius potestate dubitabat, dicens Marci. 9. *Si quid potes adiuua nos.* Insuper censeo non ita facile Apostolos esse inurendos nota infidelitatis: maximè, quia si ita esset, Christus Dominus eos acerrimè reprehẽderet, quod non fecisse apertè constat ex sacro textu. Cyrillus. Chrysost. Marci. 9.

Alij aiunt, Apostolos non perdidisse fidem: sed non habuisse eam, quæ necessaria erat ad dæmonem illum expellendum. Ita Caietanus super *caput* 17. *Matthæi.* Quæ autem esset ea fides necessaria ad dæmonem expellendum, non explicat, neque probat eam esse necessariam ad id efficiendum, de quo nostra procedit dubitatio. 24 Caietanus.

Alij communiter dicunt, Apostolos non fuisse passos dispendium fidei, sed diminutionem, & sic explicant Patres citatos, maximè Hilarium: Sed neque hoc placet, quia isthæc diminutio fidei, aut extitit ex parte obiecti, ita quod Apostoli discrediderunt vnum articulum fidei, quem antea crediderant: & hoc non, quia amisissent totam fidem, vt D. Thomas demonstrat suprà *quæstion.* 5. *articul.* 3. aut verò diminutio facta est quantum ad intensionem, ita quod fides eorũ remissior fuit, quando eis obtulerunt puerũ obsessum: & neque hoc consistere potest, quia, vt superius ostendimus, intensio fidei non est principium miracula faciendi: cum videamus homines sanctissimos & feruentis fidei; qui non faciunt miracula, vt Ioannes Baptista, de quo *Ioannis.* 10. dicitur nullum fecisse miraculum: ergo neque propter remissionem fidei, Apostoli impotentes euasere ad eijciendum dæmonium à puero illo obsesso. D. Thom. Ioan. 10.

In præfato testimonio explicando sacræ Scripturæ interpretes sine distinctione loquuntur: dũ nunc de incredulitate, quæ opponitur fidei, nunc de ea quæ opponitur fidei gratiæ gratis datæ, permixtè interpretationem instituant; ita vt vix percipias de qua fide sua placita, deprõmant. fortasse confusionis causa est, quia fides, quæ est gratia, non distinguitur realiter à fide virtute; sed tantùm addit modum quemdam, vt superius docuimus. 25

Mihi verò sub correctione doctiorum videtur dicendum, illum locum interpretandum de in-

de incredulitate, quæ opponitur fidei quæ est gratia gratis data. Moueor argumentis factis in secũdo loco pro hac parte. Itaque assero Domino existente in mõte Tabor cum tribus discipulis, cæteri Apostoli oblatum puerum dæmoniacum non potuerunt sanare, nõ quia fidem Theologicam virtutem perdiderint, sed propter defectum fidei, quæ est gratia gratis data, quæ licèt possit haberi sine vllis meritis, aut nõ haberi sine vllis demeritis, cùm ab Spiritu sãcto pro sua voluntate quibusdam negetur, & quibusdam communicetur: tamen homines interdũ posse apponere obicem, & impedimentum præstare fidei dono, & alijs gratijs recipiẽdis nõ dubito: maximè si mens humana aliquibus perturbatis affectionibus vrgeatur: quod Apostolis accidisse in euentu commemorato, mihi sit vero simile, & in receptione propheticæ impressionis palam fit.

Quod dicimus: quia spiritus propheticus aliquando Prophetis defecit propter perturbatum animũ: cuius pacatio & quies necessaria est ad recipiendas propheticas impressiones. Estò exemplum in Heliseo, 4. *Regum*.3. qui & prophetare cupiens de quodam euentu belli, non valuit, eo quod zelus Dei contra Regem Israel ipsius mentem turbauerat, atque indispõsitam reddiderat ad propheticam reuelationem recipiendam: & ideò iussit adduci fidicinem, qui pulsando cytharam, caneret: Ad quid? ad disponendum se ipsum in mentis eleuationem; quia ira iustissimè concepta contra Regem idolatram, sic eius mentem turbauerat, vt non esset ita aptus, sicut conueniens erat ad prophetandum.

4.*Reg*.3.

Non dissimiliter, Apostoli eo tempore, quo oblatus est illis dæmoniacus puer, turbati erant: & consequenter non apti ad recipiendas impressiones diuinas: id est gratiam fidei, & miraculorum: & ideò præstiterunt impedimẽtum, & apposuerunt obicem, ne fides solita ad facienda miracula eis communicaretur: & hanc turbationem, vt reor, vocat supra Hilarius torporem eorum fidem relaxantem.

26 Et si roges: vnde prouenerit Apostolis huiuscemodi perturbatio? Respondet Lyranus, ex affectu inuidiæ, quam conceperant ex ascensu Iesu in montem Tabor cum tribus discipulis, cæteris relictis ad montis radicem: Nam licèt ipsi ignorarent Dominum peti exisse in montis verticem suam ostensurum gloriam: tamen benè viderunt aliquod secretum tribus Apostolis dumtaxat pandere voluisse: & ideò inuidiæ fascibus agitati, valdè turbati erant: ac proinde indispositi vt fidei donum, necessarium ad eijcienda dæmonia reciperent. Magna namque mentis recollectio, ac pacatio requiritur ad recipiendas diuinas impressiones: quales esse dixim⁹ gratias gratis datas. Et per oppositum perturbatio mentis, non modicum apponit eisdem recipiendis obicem & impedimentum.

Secundò resp. ortam fuisse eam perturbationem in Apostolorum mentibus ex ira aduersus Iudæos concepta. Nam vt colligitur ex *Marci*.9. Scribæ sequebantur Dominum potius calumniandi, quàm pietatis causa, & eum non inuenientes, quia montem Tabor ascẽderat cum tribus discipulis: cœperũt disceptare cum reliquis Apostolis, ad montis radicẽ relictis, fortassè probro dantes, quod puerum dæmoniacum non potuissent sanare. Rationabile autem est, inquit Caietanus *Marci*.9. quod Scribæ imputarent discipulis mali aliquid: putà quod vane sequerentur Iesum, aut eius detrahentes potestati, & sanctitati: Scribis autem arguentibus, & Apostolis respondentibus, haud dubium quin Apostoli zelo sui Magistri accensi, irascerẽtur aduersus Iudæos, & perturbarentur; & ideò non potuerunt dæmonium eijcere, apponentes obicem & impedimentum ad donũ fidei & gratiã miraculorũ recipienda: q̃ apponitur maximè per iræ perturbationem, etiam si ex zelo iustitiæ proueniat, vt patet in Heliseo, de quo supra. Obiurgati sunt autem de hac incredulitate, id est carentia fidei, quia vix reperitur iustus, qui si his affectibus ardescat non excedat metas & limites virtutis: quamuis ortum habuerint ex zelo virtutis.

Marci.9.

Caietanus

Quod si mauis omninò inculpabiles Apostolos iudicare in hac sua perturbatione, dicito, Christum Dominum in Apostolis, fidem, quæ gratia est, voluisse deficere ad ostensionem & gloriam suæ potestatis. Fortassè enim existimabant Iudæi Christum simul & Apostolos parem eijciendi dæmonia accepisse potestatem, sicut exorcistæ Iudæorũ: vt igitur ostenderet eam potestatem ab eo in Apostolos deriuari, & certis limitibus communicari, cumque esse caput ac largitorem illius potestatis: voluit in eis deficere principia illius potestatis (videlicet fidem, ac miraculorum gratiam) vt non possent liberare puerum dæmoniacum; quem coram se oblatum sanauit, imperiosè iubes dæmonẽ exire, non in nomine alteri⁹, vt faciebãt discipuli in nomine Iesu, absolutè iubẽdo; vt sic magna Iudæorum turba, quæ ad eum conuenerant, agnoscerent non ab alio, sed à se hanc mirabilem habere potestatem.

Ex dictis colligimus, in testimonio quod versamus, sermonem fieri de incredulitate, quæ opponitur fidei, quæ est gratia gratis data; licet non ob id negemus hanc fidem identificari cum fide virtute Theologica, aut eam supponere.

Dicet quispiam, adhuc insolutum manere argumentum secundum: quo cõtendebamus probare, sine fide non posse dæmonia eijci: fateor, adhuc solutione eget: Nam quæ diximus ad explicationem testimonij obscuri ex Matthæo allati dumtaxat conducunt. 27

Solutio igitur argumenti est, sine fide virtute Theologica adiurantes, aliquando, sed raró dæmonia eiecisse, sine fide etiam quæ gratia est, sæpè: quod experientia vidimus ferè in omnibus exorcistis nostri temporis: at Apostoli, & eorum coætanei Christiani, raró, aut nunquã sine vtraque fide id effecere, non enim potestas eijciendi dæmonia, & alia, quæ exuperant naturæ vires, eis quantulacunque concessa est, sed copiosissima: in qua annectebantur duæ gratiæ gratis datæ: fides scilicet, & miraculorum gratia: fides quidẽ, vt certissimè & sine vlla hæsitatione crederent

omne

omne miraculorum genus se posse perficere, & firmissimè se facturos esse sperarent: quod necessarium fuit, ne temerè se ingerentes rerum mirabiliū patrationi, si euentus deesset, ludibrio exponerentur ipsi, & eorum doctrina, & statim sequebatur miraculorum gratia.

Itaque fidei donum non semper comitatur miraculorum gratiam: vt patet in eiectione dæmonum facta ab exorcistis nostris: comitatur autem copiosam gratiam, qualis erat in Apostolis, & postea, sed rarò in hominibus insignis sanctitatis: & in his deficiēte fide, deficiebat miraculorum gratia: quia annexæ erant, in copiosa illa eorum potestate: at in aliis, in quibus nō est ita copiosa potestas non est necesse adesse fidē, quæ donum est.

28 *Ad tertium* quidam moderni nequaquam patiuntur illud testimonium de fide, quæ est gratia gratis data intelligi debere: ne videantur conuenire cum Caluinistis fingentibus, nescio quam monstruosam fidem, per quam (aiunt) iustificamur. Nos verò, eorum fidem fictam detestātes, non formidamus præfatum testimonium, de fide, quæ gratia est, & valde conducit ad miracula facienda intelligere cum Chrysostomo, Euthymio, & Theophilacto, ac Abulensi, super *cap.*17. *Matth.quæst.*165. & certè locus vix explicabilis est de fide virtute. Multos enim nouimus aut legimus ingenti, & ardenti fide ornatos, nullum tamen miraculum patrasse: ergo sermo Christi Domini, eo in loco, non est intelligendus de fide virtute. Sed quidquid de hoc sit, *respond. ad argum.* vtramque fidem valdè conducere ad dæmones eijciendos, & alia mirabilia, quæ excedunt humanas vires, patranda, vt nos latè deduximus superius, & ob id valdè ad isthæc opera perficienda à Christo Domino commendari: at verò non inde infertur sine ea dæmones abigi non posse. Sat enim est gratia miraculorum pollere: ad hanc enim potestas eiiciendi dæmonia reducitur, vt superius docui.

Chrysost. Euth. Theoph. Abul.

DISPVTATIO IX.

An oratio, & ieiuniū necessariò prærequirantur in adiurante dæmones, vt eos expellat?

1 ET pars affirmatiua videtur colligi ex Matt.17. & Marci 9. vbi Apostolis sciscitantibus quare non potuerint dæmoniacum puerum liberare, respōdit Christus: *Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione, & ieiunio.* Quod testimonium de omni genere dæmoniorum explicant Athanas. lib. de virginitate, Chrysostomus, & Euthymius, & D. Thom. super cap.17. Matth.

Matt.17. Marc. 9. Athan. Chrysost. Euth. D. Thom.

In oppositum est. Nam fidei attribuitur isthæc potestas: at fides benè potest haberi sine oratione, & ieiunio: ergo, &c. *Confirmatur:* nam multa dæmonia expulerunt Apostoli sine præuio ieiunio, Marci 6. & Lucæ 10. *Tertiò.* Esto Dominus loquatur, non de omni dæmoniorum genere, sed quodam ferocissimo & sæuiori, quale erat, quod vexabat puerum relatum in testimonio Matthæi, 17. *& Marci* 9. vt testātur Hieronymus *super Matthæum*, & Leo *serm.* 2. *de ieiunio septimi mensis*, adhuc tamen videtur falsum, sine ieiunio & oratione adiurantis non posse pelli: quia gratia miraculorum, maximè comitata fidei dono, potens est ad omnia dæmonia profliganda. Et confirmatur, Lucæ 10. ait Christus Apostolis sine vlla limitatione: *Ecce dedi vobis potestatem non super hos, aut illos dæmones, sed super omnem virtutem inimici:* & cap. 9. *dedit eis potestatem super omnia dæmonia.*

Marc. 6. Luc. 10. Hieron. D. Leo. Luc. 10.

2 *Pro responsione dico primò.* Ad omne genus dæmoniorum fugandum valdè conducit oratio, & ieiunium adiurantium conantium per exorcismos dæmones expellere. *Probatur:* Nam ieiunium mentem præparat ad orationem: oratio impetrat fidem, & miraculorum gratiam: quæ potiora dona sunt ad debellandas aereas potestates. *Qui orans ieiunat* (ait Diuus Chrysost.) *binas possidet alas, quibus ventos ipsos volando prætervehitur: non enim oscitat, neque extenditur, nec torpet orando, sed igne ardentior, & terra superior est: quare terribilis hostis dæmonibus redditur. Nihil enim est in homine probè orante potentius.* Perlege eundem Chrysostomum de hac re probè concionantem *homilia* 59. *super caput* 17. *Matth.*

Chrysost.

Deinde probatur ratione sumpta ex D. Tho. *quæst.*6. *de pot. art.* 9. *in corp.* quantò animus adiurantis magis abstrahitur à sensibilibus, & ad superiora eleuatur, tantō fit magis idoneus ad recipiendam gratiam miraculorum, ad quam potestas abigendi dæmones reducitur: sed per orationem, & ieiunium fit istiusmodi abstractio, & eleuatio: plus quàm per alias virtutes morales: quia per ieiunium à carnalibus, & corporalibus affectionibus abstrahitur, & per orationem, cū fit ascensus mentis in Deum, in superna eleuatur: aliæ verò virtutes non habent hoc: ergo ieiunium, & oratio præcæteris virtutibus moralibus conducunt in exorcizantibus ad fugandos dæmones. *Maior* à nobis supra declarata est in omni gratiarum gratis datarum receptione.

D. Thom.

3 *Secundò dico.* Absolutè loquendo sine oratione, & ieiunio possunt exorcizantes dæmonia eijcere. Probatur omnibus argumentis factis pro parte negatiua huius dubitationis.

Dico tertiò. Est quoddam dęmoniorum genus, quod regulariter non potest eijci, nisi præcedentibus ieiunio, & oratione. Dico, regulariter, quia potestas diuina in operibus miraculosis peragendis, neq; ieiunio, neque orationi, aut alijs virtutū actibus alligata est. Quare omne dæmoniorū genus, aliquando sine oratione, & ieiunio profligari non dubito: quando id Dei prouidentia ordinauerit, ꝓpter fines, quos ipse scit. Hoc assertum expressè habetur *Mat.*17. *& Marc.* 9. Quod testimonium videtur necessariò intelligēdū de aliquo speciali genere dæmoniorū: & certè pronomen, *Hoc*, id manifestat. Cū enim discipuli interrogassent Dominum; cur qui alios eiecis-

Matt.17. Marc. 9.

eiecissent dæmones, hunc fugare nō potuissent? Dominus post alia inquit: *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi in oratione, & ieiunio*: ac si diceret: quamuis potestate à me accepta, multa dæmonia expuleritis tamen in hoc dæmoniorum genere non satis est consueta, & ordinaria facultas; quia scilicet, non ita facilè pellitur, vt cætera. Hæc meo inuocato nomine fugiunt: illud nisi oratione, & ieiunio præcedentibus non exibit. Ita explicat Abulensis *Matt.* 17. *qu.* 172. & approbatur communiter à modernis expositio: nam alia de omni dæmoniorum genere vix adaptari potest historiæ Euangelicæ, & circunstantijs eius. Ex his responderi potest ad argumenta facta initio huius dubij.

Abul.

4 Sed tamē adhuc animus non quiescit, nisi discutiamus multa, quæ in prædicto testimonio inuoluntur. *Primum* esse aliquod dæmoniorum genus, quod difficilius, quàm cætera ab hominibus molestandis abiguntur. Hoc certo certius est. Tum experientia exorcistarum affirmantiū se quosdam dæmones facilè profligare, in alijs verò expellendis per multos dies valde laborare: imò quandoque re infecta recedere. Tum ex testimonio citato id ipsum manifestè apparet in dæmone, quem Apostoli non potuerunt eijcere: cum quamplurimos alios expulissent.

Secundum scitu dignum, qui sint illi, qui difficilius eiicientur, ad quos fugandos adiutatores ieiunio, & oratione muniri necesse est? Quidam aiunt eos difficilius pelli, qui superiorum ordinū sunt; eo quod maiores vires possident: sicut in humanis difficilius à ciuitate pellitur ferocior inimicus, quàm imbecillis: iuxta illud: *Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ posidet: cùm autem fortior illo superuenerit, vniuersa eius arma auferet, & spolia distribuet, &c.* Lucæ 11. Sed hæc coniectura leuis est. Etenim siue dæmones sint inferioris ordinis, siue superioris, quilibet, etiā infimi ordinis, vires habet ad superandum, & subiugandum fortissimos quosque homines: ergo parum retulerit ad difficilem egressum esse superioris, aut inferioris ordinis. *Item,* dæmones non affligunt obsessos pro quantitate virium dæmoniacarum: quia non permittuntur quantum possunt affligere: aliàs omnes homines occidissent; sed modus, & terminus afflictionis ex mensura à Deo permissa sumitur. At fieri potest (& credo fieri) vt plus permittatur aliquando sæuire in hominem, dæmoni inferioris ordinis, quàm superioris: ergo non quia aliquis dæmon ad ordinem superiorem pertinet, difficilius pellitur. Sed sæpè accidere verosimile est, plus laborare exorcistas in pellendis quibusdam dæmonijs inferioris ordinis, quàm superioris.

Luc. 11.

5 Alij asserunt, eos dæmones difficilius expelli, qui nullam, neque tantillam requiem miseris obsessis impertiuntur. Hi refutantur exēplo illius dæmonis, quē difficilè expellendum ait Euangelica historia: & eadem affirmat *Marc.* & *Luc. nono.* aliquando relinquere puerum obsessum, ac postea redire. Et eadem historia refutantur illi, qui dicunt eos dæmones difficilius expelli, qui ingressi sunt ob culpam obsessorum. Nam ille puer dæmoniacus cùm ab ineunte ætate vexatus fuerit, vt dixit pater eius, verosimile est non ob culpam suam in tam teneris annis dæmonis vexationem sustinuisse.

Marc. 9. Luc. 9.

Alij dicunt eos dæmones difficilius pelli, qui diutius energumenos vexarunt: sed hi nullo firmo fulciuntur fundamento. Quid enim ad difficilem egressum, diutius inhabitasse hominem? Certè mihi persuadeo, dæmonem hunc, qui vexauit præfatum puerum non minus difficile expellendum à primo die sui ingressus, quàm post multos annos, cùm statim illum puerum malè affecerit priuatione auditus, & loquelæ.

His, quæ allata sunt, rei huius incertitudo, ac dubietas facilè dignoscitur: neque o autem negare ex Christi Domini reuelatione certò constare, esse aliquod dæmoniorum genus, quod difficilius pellitur, quàm cætera. Quod est illud? lunaticū, surdū ac muūt. Pater pueri nunc lunaticū vocat: nunc surdus, & mutus vocatur, Matt. 17. sic fatetur: *Filius meus lunaticus est*: & Marc. 9. *Tuli filium meum habentem spiritum mutum*: quod verò idem etiam surdus fuerit, Christi sermo enuntiat: *Surd*: (inquit ille) *& mute spiritus præcipio tibi, exi ab homine.* Oportet autem obiter notare dæmones dici mutos, ac surdos, non quia non intelligant, quæ dicuntur, aut quia loqui non possint: sed quia efficiant obsessos surdos, ac mutos eos, quos inhabitant. Et lunatici dicuntur, quod certis Lunæ temporibus, & decrementis grauius torqueant. Igitur ex Euangelica historia habemus, ea dæmonia, quæ miseros obsessos, surdos, ac mutos, efficiunt, difficilius propulsari à corporibus obsessorum: an verò hi soli sint, qui difficile expellantur, & an ad eorum expulsionē sit necessarium præcedere orationem. & ieiuniū, fateor me ignorare: nec se offerunt principia, vnde possim aliquid certum colligere. 6

Matt. 17. Marc. 9.

Quibus autem de causis dæmones lunatici, muti, ac surdi, & si qui sunt alij, difficilè expellātur, non est facilè diffinire. Lyran. in *nonum caput Marci* ait, id prouenire ex viribus præstantioribus horum spirituum lunaticorum, mutorum, ac surdorum. Sed eisdem rationibus impugnatur, quibus illi, qui asserunt dæmones superioris ordinis difficilius profligari. *Item* virtus diuina, à qua dæmonia expelluntur, etiam si minima sit, potens est omnes vires, ac robur fortiorum dæmonum; imò totum infernum profligare: ergo difficultas maior exeundi non oritur ex magnis viribus dæmonum, quæ relatæ ad diuinam virtutem nihil sunt, & nihili æstimantur. *Dicet* quis: sunt dæmones muti, & surdi; ac proinde, neque ad interrogata respondere, neque exorcismos audire. Benè quidem, si ad obsessos sermo dirigeretur: at ad dæmones inhabitantes destinatur: qui percipiunt exorcismos, & possunt vincula linguæ mutæ soluere, quam ligauerunt. 7

Lyran.

Vt rationem, quare dæmones lunatici, surdi, ac muti difficilius ab obsessis pellantur inuestigemus, aliquot præmittenda sunt. *Primum est,* quædam dæmonia maiorem accipere potestatē supra energumenos, quam alia; & hoc non proueni- 8

uenire ex maioribus viribus dæmonum inuadẽtium, tum, quia minimus dæmonum posset omnes homines subiugare : neque ex voluntate absoluta dæmonum: namque sua est erga homines inuidia, & odium si pro voluntate sua, ac virium quantitate permitterentur debacchari, omne hominum genus funditus interemissent,
Chrysost. vt adnotauit Chrysostomus super *cap. Matth.* 17. Sed id prouenit ex Dei permissu, ac ordinatione prouidente, vt nunc maiorem, nunc minorẽ potestatem supra obsessos obtineant: quod ma-
Iob 1. nifestè apparet ex sanctissimi Iobi historia: Nam *primo capite* exprimitur, quomodo sine Dei licentia nequiuit Iob molestare, & duntaxat ac-
Iob 2. cepisse potestatem supra bona eius. Et in *capite secundo* habetur, ampliorem esse facultatem cõcessam dicente Deo: *Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serua. & egressus Sathan à facie Domini percussit Iob vlcere pessimo.* Ecce quomodo ex Dei voluntate dæmones maiorem accipiũt potestatem.

9 *Secundò* præmittendum, pro quantitate potestatis, quam dæmones in homines accipiunt, maior, atque minor vis in exorcizantibus ad ipsos ex hominibus pellendos necessaria est. Itaque vbi parua potestas dæmonibus collata est, parua potestate ac vi eijciuntur: at vbi magnam potestatem accepẽre, magna etiam vis in exorcizantibus necessaria est. Ac proinde ea dæmonia difficilius exeunt ab obsessis, quæ supra ipsos maiorem acceperunt potestatem. Hoc dictum non aliunde probatur, nisi exemplo hominum se loco pellentium : & quia actiua passiuis proportionari necesse est.

Sed contra hoc notabile est argumentum. Virtus diuina à qua profligantur dæmonia, mediãte hominum ministerio, quantumuis minima, potens est, omne genus dæmoniorum, etiam si supra energumenos magnam acceperint potestatem, profligare: ergo ad pellendos dæmones, qui supra obsessos acceperunt magnam potestatem, sufficit qualiscunque in exorcistis vis, ac virtus, eiectiua dęmoniorum, ac per consequens non difficilius quædam pelluntur, sed omnia æquè facilè. *Antecedens probatur.* Quia sicut minimę vires dæmonis infimi possunt vires omnium hominum superare propter excellentiam naturæ Angelicæ supra humanam; sic etiam quælibet vis, ac virtus diuina superat omnem cuiusuis dęmonis, propter excellentiam naturæ diuinæ supra Angelicam.

Certè si inesset exorcistis virtus expulsiua dæmonum per modum habitus, aut potentiæ, argumentum haberet non mediocres vires: at verò cum virtus expulsiua dæmoniorum sit quid actuale : id est, motio diuina, qua mens eijcientis dæmones eleuatur, vt sit instrumentum Dei pellentis: maior, & minor reperitur, secundum quod maior, & minor resistentia in dæmone habitante inuenitur: & ad pellendum dæmonem magis resistentem virtus diuina fortiùs mouet, & efficaciùs se attemperat actibus adiurantium: quos Deus vt instrumenta diuinæ virtutis assumit ad pellendos dæmones. Nec hoc est peculiare in virtute eiectiua dæmonum: sed reperitur in omnibus donis actualibus: nam maius prophetiæ donum accipit vnus propheta, quàm alter: quia Deus magis mouet mentem vnius, quàm alterius: & idem dico de gratia miraculorum, & sanitatum, & similibus.

His præmissis planum erit assignare causam, 10
quare dæmones lunatici, surdi : ac muti difficilius expellantur ab obsessis: videlicet, quia cum maiorem potestatem accipiant supra miseros obsessos, maior subinde vis requiritur in eos eijcientibus. Maiorem autem potestatem, quàm cætera dæmonia accipere, non leuiter suadetur ex magna clade illata à dæmonibus his puero illi, de quo Matth 17. Marci, & Lucæ 9. Matt. 17.
nam allidebat eum dæmon, discerpebat, conijciebat in aquam, & ignem; interempturus certè, nisi à Deo cohiberetur, vt adnotauit Diuus Marc. 9. Lucæ 9.
Chrysostomus. Insuper fecerat surdum, ac mutum, quod extremæ subactionis, & miseriæ indicium est. Chrysost.

Quanta autem in eijciente requirebatur potestas, vel ipsa Iudæorum existimatio persuadet: quia Christi in his lunaticis, surdis, ac mutis, dæmonibus eijciendis potestatem, plus mirati sunt, ac clamarunt, quàm in quibuscunque aliis propulsandis: imò quàm in mortuorum ad vitam reuocatione. Postquàm Dominus mutum dæmoniũ eiecisset, & mutus locutus fuisset: inquit Matth. capite nono: *Admirata sunt turbæ dicentes: Nunquam sic apparuit in Israel:* & capite duo- Matth. 9. & 12.
decimo, cùm iterum eiecisset dæmonium mutum: *Nunquid* (inquiunt) *iste est filius Dauid?* Et Lucas capite nono asserit obstupuisse omnes in Luc. 9.
magnitudine Dei; postquã curauit lunaticum, cuius mentio fit Matthæi decimoseptimo: & tamen hic stupor ipsos non apprehendit: quando mortuos suscitabat, neque in similes acclamationes proruperunt.

Vltimò. Desiderat animus scire quibus de causis ad dæmonia lunatica, surda, ac muta pellenda 11
necessarium sit exorcizantem oratione, & ieiunio muniri: quod propius accedit ad nostrum intentum inquirens de requisitis in exorcistis ad dæmones propulsandos, ne hominibus molesti sint. Et quidem fortassè posset quis dicere, verba Christi Domini de ieiunio, & oratione præmittendis ad propulsationem dæmoniorum lunaticorum, surdorum, ac mutorum esse intelligẽda, non de necessitate, sed quia valdè conducũt ad omnia dæmonia eijcienda, sicut in primo asserto dicebamus. Sed qui sic interpretatur, refellitur à Marco dicente : *Hoc genus dæmoniorum in nullo potest eyci, nisi in oratione & ieiunio.* Vbi absolutam potestatem negat, nisi præcedentibus oratione, & ieiunio. Sanctius cum Caietano Caiet.
Matthæi 17 dicimus, nouit solus Iesus, quare hoc genus dæmoniorum exigat orationem, & ieiunium, vt egrediatur: & quidem secundum regulas generales, & attenta efficacia gratiæ miraculorum, sola vis eiectiua dæmonum sufficit ad omnia dęmonia propulsanda: & fides, quę est gratia gratis data, sufficiet sine ieiunio & oratione : at verò sicut est in potestate Iesu conferre gratiam

gratiam eijciendi dæmonia, quibus voluerit, & denegare, quibus placuerit non dare: sic placuit illi non conferre eam gratiam, neque fidem miraculorum ad eijciendos dæmones lunaticos, surdos, ac mutos, nisi præcedentibus oratione, & ieiunio.

Dices. Cuius debet esse oratio, & ieiunium? adiurantium, an adiuratorum? Hoc nō est certū apud sacræ Scripturæ interpretes. Quidam aiūt ex parte adiuratorum: quidam ex parte adiurantium: mihi plus quam probabile est, hæc postulari ex parte adiurantium: tum, quia in puero isto ferè infatuato à dæmone, hæc non desiderabantur: tum maximè, quia Apostolos eum dæmonem non eiecisse, tribuitur partim incredulitati ipsorum, partim defectui orationis, & ieiunij. Et ideò docentur, quando simile genus dæmoniorum conarentur eijcere, debere eos oratione, ac ieiunio præcedentibus muniri.

2 Habemus igitur ex præcedentibus, gratiam miraculorum esse principium effectiuum, ac instrumentale, quo mediante Deus dæmonia fugat, ne molesti sint hominibus: fidem verò, virtutem Theologicam, ad eam recipiendam gratiam conducere, ac disponere: fidem autem, quę gratia est, esse dispositionem proximam, & vltimam, ad quam infallibiliter sequitur eiectio dæmonum. At verò ieiunium, & oratio disponunt quidem ad eam gratiam; sed non ita proximè, vt fides: & ad quoddam genus dæmoniorum fugandum ex Christi Domini voluntate, necessaria sunt. Et hæc dicta sint de requisitis in exorcistis ad fugandum dæmones.

Annotatio ad sequentia.

Causa formalis in respectiuis per ordinem ad obiectum sumitur: cùm ergo potestas abigendi dæmones versetur in propulsandis malis, quæ dæmon intulit, aut conatur inferre, operæpretium erit inuestigare, quæ sint ista mala. Et ideò sit

DISPVTATIO X.

An ad omnia mala, quæ dæmones possunt inferre, propulsanda per adiurationem, sit in Ecclesia Christi potestas?

1 ET pro parte negatiua arguitur *primò*. Quia dæmones variè, ac multipliciter homines ad peccandum tentant, & inducunt. Sed ad has tentationes vitandas non est medium ordinatum adiurare dæmones, ne tentent: ergo non est in Ecclesia potestas, vt dæmones adiurentur ad omne malum imminēs ab eis propulsandum. *Minor patet*, quia neminē fidelium legimus vsum fuisse adiurationibus ad vitandas dæmonum tentationes; sed forti repulsa, & resistentia ac crebris ad Deum fusis precibus.

Secundò. Continget quandoque hominem infirmitatem pati à dæmone immissam: & tunc non licet adiurare dæmonem, vt eam à nobis auferat: etenim procurare ab eo sanitatem, aut quodlibet obsequium recipere, pertinet ad initam cum eo societatem: quod non admittit D. Thom. *in secunda concl.* ergo, &c. Idem argumentum fit de recuperatione famæ, aut pecuniarum à dæmone sublatarum. D.Thom.

In oppositum est illud Lucæ decimo; *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* En promissio Christi Domini ad omnia mala propulsanda extenditur. Et ita interpretatur Diu. Thom. in secunda conclusione. Luc.10. 2

Pro decisione *dico primò*: Quotiescunque certis, aut probabilibus signis deprehenditur dæmones aliquod malum infligere hominibus, licitum est eos adiurare, præcipiendo in virtute nominis Christi, aut alicuius rei sacræ, ne homines vexent, cessentque à tali malorum inflictione. Probatur: Nam ad hūc finem, liberandi scilicet miseros homines à dæmonum iniuria, collata est à Christo Domino potestas Ecclesiæ suæ, vt vidimus in testimonijs ex Euangelio sæpè citatis.

Dico secundò. Non est potestas in Ecclesia ad adiurandum dæmones, ne nos tentent. *Probatur.* Quia potestas hæc adiurandi dæmonia, non est data ad destruendum ordinem communis prouidentiæ diuinæ, sed potius ad eum stabiliēdum: Sed si homines per adiurationem possent dæmones compellere, ne nos tētarent, subuerteretur ordo diuinæ prouidentiæ: ergo non est in Ecclesia talis potestas. *Probatur minor.* Quia diuina prouidentia inter alia ordinauit, vt per tentationes, maximè dæmonum, exerceremur ad pugnam, incitaremur ad victoriam, vt patet *Tobiæ 12. Iac. 1.* & ex Patribus, & rationibus, quas attuli alias *quæst. 83.* explicans sextam petitionem orationis Dominicæ: ergo si esset collata potestas hominibus, vt per adiurationem omninò fugarent dæmonia, ne nos vnquam tentarent, ordo diuinæ prouidentiæ, & facultas victoriæ adipiscendæ tolleretur. *Confirmatur.* Quia potestas hæc ad dæmones fugandos maximè viguit in Apostolis; & tamen non poterant eos cōpellere, ne tentarent. Sæpè enim à Dæmonibus tētati sunt, Luc. 22. *Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum.* Et D. Paulus aiebat se vexari ab Angelo Sathanæ: ergo neque modo in Ecclesia est talis potestas. 3 Tob.12. Iac.1. Luc.22. D.Paul.

Secundò. Nō licet, neque est potestas compellendi dæmones ad id, quod à Deo non est petēdum: sed non est petendum à Deo, vt nullis nos sinat tentationibus subiacere, vt latè probaui *loc. cit.* explicans illud orationis Dominicæ: *Et ne nos inducas in tentationem*: ergo nec licet dæmones ad idem adiurare. Idem dico de quocunque alio malo, quo sublato turbaretur ordo diuinæ prouidentiæ: v.g. non licet adiurare vnum, aut oēs dæmones, vt eāt in abyssum, neque pro semper, neque ad tempus. Et iuxta hoc assertū intellige secundum proximè præcedens. & dissolues etiā primum argumentum factum initio dubitationis huius.

Aduerte tamen, me non negare non deberi, aut non posse adiurari dæmones immittentes aliquot tentationes. Debent quidem, & possunt adiurari, si deprehenditur eas à dæmonibus immitti: sed quod assero est nō posse, neq; debere adiurari vtnunquam tentent: quia ex hoc peruertitur ordo diuinæ prouidentiæ: ex illo nequaquam: sed subuenitur calamitati huius, vel illius hominis.

Ad secundum resp. Infirmitates, & alia huiusmodi immissa à dæmonibus esse in duplici differentia: *quædam*, quæ pendent à præsentia, vel actuali influxu dæmonis vexantis: itaque eo fugato auferetur infirmitas, & redibit sanitas: *quædam* verò immissæ sunt à dæmonibus, sed non sanabuntur ijs fugatis, sed necesse erit eas curare medicamentis adhibitis, aut aliquibus dæmoniaca virtute effectis. *Ad prioris* generis infirmitates tollendas licet dæmones adiurare: quia adiuratio directè ordinatur ad dæmonem propulsandum, quod autem sanitas exhibeatur infirmo naturali consequio dimanat. *Ad secundi* generis infirmitates tollendas non licet dæmones adiurare: quia id non valent efficere dæmones, nisi præstita aliqua opera, aut obsequio: quod nō licet à dæmone petere: vt in argumento probatur. Sed de hoc fortassè fusior redibit sermo inferiùs.

Habemus igitur, licere dæmones adiurare præcipiendo in Christi nomine, aut alicuius rei sacræ, ne hominibus mala inferant: modò ex tali repulsione malorum non perturbetur ordo diuinæ prouidentiæ.

Sed quæ sunt ista mala, quæ cacodæmon hominibus possit inferre: non erit ingratum lectori speciatim scire: vt agnoscat, ad quæ se extendat potestas præfata collata Ecclesiæ aduersus malignos spiritus. Quare

---

DISPVTATIO XI.

Versabitur in recensendis malis, ac ærumnis, quas possunt, & solent dæmones hominibus inferre.

1 MALA hæc, ac nocumenta innumera sunt; reducam tamen ad certa genera, seu capita. *Primò*. Possunt in bonis fortunæ lædere, greges, & armenta perdendo, iugulatione, veneno, igne: sicut legitur Iob.1. messes comburendo, domos diruedo, & similia. Modus isthæc faciendi perfacilis est, etiam hominibus, nedum potentissimis spiritibus. Possunt & alienæ famæ nocere multis modis: per os arreptitiorum, & assumpta figura innoxiorum comparere in loco criminis. Sed obseruatum est hoc dæmoni nunquam Deum permisisse, nisi ad tempus breue; mox innocentiam iustorum propalaturus: quod legimus apud Diuum Hieronymum de Beato Syluano, & apud alios de alijs Sanctis à Dæmone diffamatis sumpta eorum figura: sed à Deo citò detectæ sunt thecnæ inimici, & innocentibus sua fama est restituta.

Iob.1. *Hieronym.*

2 Possunt *secundò* corpus affligere varijs modis; verberando scilicet, vulnerando, plagas inferendo, morbos generando, affricato, vel sparso veneno, multisque alijs modis, multo potentius, quam homines. Hęc enim omnia efficit per motum localem, vel applicando actiua passiuis: cum hostis iste omnium rerum efficacitates nouerit, & ea omnia possit corporibus admouere. Quinimò & homines enecare valent: vt patet ex occisione facta à Deo erga primogenita Aegypti; quam fecisse ministerio dæmonum apparet Psalmo 77. quando enumerādo plagas, & mortes Aegyptiorum dicitur esse facta per Angelos malos. *Misit in eos* (inquit) *iram indignationis suæ, &c. immissiones per Angelos malos*, id est, calamitates ab Angelis malis immissas: Deus enim istis pro carnificibus vtitur. 3. Regum 22. Et confirmatur: nam Exodi 12. vbi noster interpres vocat illam occisionem. *Plagam disperdentem*, Hebraicè habetur, *Masbith, perdentem*, id est, Angelos perdentes, per synecdochem numeri: cui annuūt Hebræi: *Quæ in tenebris* (inquiunt) *immittuntur mala, rectè demandantur malignis spiritibus, quoniam ipsi sunt spiritus tenebrarum*. Sed apertius de morte, quæ fit à dæmonibus, habetur Tobiæ cap. sexto vbi narratur, dæmones suffocasse septem maritos Saræ, nurus postea Tobiæ.

Psalm.77. *3.Reg.22.* *Exod.12.* *Tobiæ.6.*

Tertiò. Possunt sensus exteriores, & interiores hominis immutare, vt ludificentur, ac decipiantur. Sic habet Diuus Thom. 1. *parte quæst*. 111. *artic*. 3. & 4. de veritate, *quæst*. 1 *art*. 3. & *quæst*. 12. *art*. 8. *de pot. quæst*. 6. *art*. 3. *ad tert. de malo, quæst*. 16. *art*. 1. *ad* 16. Ratio est: quia omnis natura corporea obedit naturæ spirituali per localem motum: ita Diuus Thomas 1. *parte, quæst*. 110. *art*. 3. Sed dæmones substantiæ spirituales sunt, sensus verò exteriores, corporei, & materiales, id est facultates affixæ organis corporeis: ergo à dæmonibus immutari possunt per localem motum. De qua re copiosius infrà in disputatione præambula ad quæst. 95 & 96. 3

D.Thom. *D.Thom.*

An vero possint nocere animabus, mouendo earum potentias, videlicet intellectum, & voluntatem, etiam renuentes, & eas decipere agendum erit latius inferius in disputatione citata.

Hæc dicta sint de multiplicitate malorum, quæ dæmones hominibus possunt inferre: quibus nullis humanis remedijs potest occurri, nullis pharmacis mederi, nullis hominum artibus auxilium præstari. Etenim non est potestas in terra, quæ comparetur ei (scilicet dæmoni:) Iob. 40.

Audiens quis, dæmones tam ingenti pollere potestate, haud dubium contremiscet, & valdè timebit tam potentes hostes, & percupidos perniciei hominum. Quare meritò est vndecima dubitatio. *An liberum sit dæmonibus, ea mala, quæ per vires naturæ suæ hominibus infligere possunt; de facto infligere? Si hoc enim verum est, væ mortalibus: An vero ista hæc eorum potestas ligata, & prohibita à Deo sit, & quo modo?* 4

Et videtur vera prior pars dubitationis. *Primò.*
Quia ordo diuinæ prouidentiæ expostulat vt
res, maximè quæ libertate pollent, sinantur suis
viribus vti, ac suis motibus gaudere: ergò diuinā
prouidentiam decet sinere dęmones, vt suas vires
exerceant in nocendo hominibus, quos lædere
summopere desiderant. *Confirmatur.* Quia Deus
elementa sinit agere secundùm suam naturam,
feras etiam, vt lupos, & leones, vt noceant quantum
placuerit: imò & homines: ergo & vsum suæ
libertatis in malis inferendis liberum, & non
ligatum reliquit dæmonibus. Ac proindè non
nisi miraculosè prohibebuntur mala inferre:
sicut aliquando accidit in feris, & hominibus.

Secundò. Illud axioma commune Theologorū,
dæmonum esse ligatam potestatem, ne mala hominibus
inferant, quæ possent attentis suæ naturæ
viribus. *Vel facit hunc sensum*, Dæmones non
valere suas vires exequutioni mandare, nisi Deo
concurrente, saltem ad materiale operis: & hoc
non, quia id verificatur etiam in alijs rebus, quæ
habent potestatem aliquid faciendi: quarum potestatem
non dicimus ob id esse ligatam, sicut in
dæmonibus. *Vel sensus est*, Deum prohibuisse, vt
sine sui licentia, aut permissione nil moliantur
mali aduersus homines: & hoc quidem peculiare
est in dæmonibus. Sed sine sacræ Scripturæ testimonio,
aut ratione vrgenti dictum: & vt dicebamus
in primo argumento, contra ordinem
diuinæ prouidentiæ.

Tertiò. Estò potentia dæmonum esset ligata
isto posteriori modo: vnde possint scire dæmones
Deum aliquando hanc licentiam cōcessisse?
esset enim necessarium, vt per se, vel per Angelos
bonos id Deus dęmonibus reuelaret, quod vide-
5 tur inconueniens.

In oppositum est. Nam quæ est inuidia, & odium
dæmonum erga humanum genus: si sinerentur
suis viribus vti, homines omnes necarent,
& eorum bona disperderent. Marcion, &
Manichæus, qui dæmonem esse Deum, & principem
huius mundi dixerunt: negarent potentiam
eius esse à Deo ligatam: imò neque Lutherus,
qui *super epist. ad Galatas capite tertio*, dicit, dæmonem
in toto mundo regnare; & mox regnum
istud quale sit; explicat his verbis: *Sumus
autem nos omnes corporibus, & rebus subiecti
diabolo, & hospites in mundo, cuius ipse princeps,
& Deus est.* Vbi satis apertè in errorem Manichæi
declinauit. Sed sit illi, & illis, talis Deus:
nos autem veri Dei sumus famuli: diaboli autem
hostes perpetui. Sed de refutatione Lutheri suo
loco.

Modò pro explicatione dubitationis propositæ
præmittere oportet quædam indubitata.
Primum est, potestatem diaboli, attenta sua
natura, longè superare vires omnium hominum:
ac proindè eadē attenta, possent homines
Iob.41. omnes perdere, & eorum bona destruere, vt
colligitur ex *Iob.* 41. vbi ait, non esse potestatem,
quæ comparetur ei in terra. *Secundum est*,
dæmones quantum in se est, valdè cupere
totum genus humanum delere, ac cladibus
afficere, propter odium, & inuidiam, quibus
incessanter homines prosequuntur. Egregiè 1. Petr.c.5.
Diuus Petrus prima Canonica, cap. 5. *Aduer-*
sarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit, Ephes.6.
quærens quem deuoret. Et paulus ad Ephesios 6.
*Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem:
sed aduersus principes, & potestates tenebrarum
harum.* Colluctatio hæc nihil aliud est, quàm
odium, & inuidia hostilis: à qua prouenit, vt
nos vsq; ad internecionē destruere conentur: &
faceret si à Deo permitterētur, vt statim dicemus:
ex parte verò nostra nos eis colluctamus, eorum
suassionibus dissentientes, opem diuinam aduersus
sæuos, & fortissimos hostes implorantes;
qua muniti eos sæpè superamus. His positis;

Dico primò. Naturalis potestas dæmonum à 6
Deo ligata est, vt sine eius permissu, aut licentia
nil mali inferant hominibus, aut eorum bonis.
Hæc assertio est communis assensus Sanctorum,
ac Theologorum: ita Diuus Augustinus *libro. 3. de* August.
*Trin. cap. 7. & 8. & libro 20. de ciuit. Dei, cap. 3. & 8.
& libro 2. contra aduers. legis*, capite vltimo:
Sathanas (inquit) *cum habeat semper cupiditatem
nocendi, nocere cuique non potest, nisi ab Omnipotente
acceperit potestatem. Quid aliud? non solum in libro
Iob. sed etiam magis in Euangelio declaratum est?
vbi spiritus immundi, nec in porcos irent, nisi hoc illis
benignus ipse Saluator petentibus, quos certè in abyssum
posset relegare, concederet. Rem necessariam docere
nos volens: vt scilicet nouerimus, multo minus eos
posse sua potestate nocere hominibus: qui nec pecoribus
qualibuscunque potuerunt.* Hæc eleganter Diuus
Augustinus: & Diuus Gregorius 2. *Moral. cap.* 11. Gregor.
vbi id colligit, & omnes Theologi *ex capite* 1. *Io-
bi, ex capite* 8. *Lucæ, & libro* 4. *capite.* 12. Idem dicit
Chrysostomus *lib. 3. de patientia. Iob.* En dæmones Chrysost.
attenta sua facultate naturali, poterant Iobum
affligere: & tamen non valebant sine Dei permissu,
ac licentia: qui tunc dicitur ligare dæmones,
quando non permittit eos facultate
sua naturali abuti; tunc vero dicitur soluere:
quando permittit, aut licentiam tribuit.

Assertio itidem tenetur à Magistro *sent.* 1 in *dist.* Mag. Sen.
7. & à Diuo Thoma. 3. *par. quæstio.* 9. *art.* 1. *ad ter-* D.Thom.
tium de potentia, quæst. 6. *artic.* 5. *de malo. quæst.* 16. *art.*
11. *ad* 11. Videte si placet Abulensem super. *cap.* Abulen.
15. *Matth. quæst.* 66. & Maldonatum super cap. 22. Maldon.
Luc. circa illud. *Ecce Sathan expetiuit, vt cribraret,
&c.* Deinde *probatur ratione*, quia aliàs si dæmones
permitterentur debacchari iuxta vires, odium,
ac inuidiam suam erga genus hominum: iam
dudum illud obruissent: ergò ad prouidentiam
Dei pertinuit eorum sæuitiam, & ingentem potentiam
ligare, vt nihil possent in homines sine Dei
licētia, ac permissu. Egregiè Cassianus collat. 7. Cassianus.
c. 22. *Nemo* (inquit) *posset, non dicam iuuenum
quos videmus in hac eremo constantissimè commorari:
sed neque perfectorum quidem: tantis taliumque
hostium agminibus circumseptus in eremo singularis
habitare: si in ipsis dæmonibus esset pro voluntate
sua nocendi, vel accendendi facultas, atque libertas,
&c.*

In quo

In quo autem consistat ligatio hæc, & quid sit licentia, aut permissio Dei necessaria, vt ligati dæmones laxentur: res difficilis visa est Diuo
D. August. Augustino vbi supra, cap. 9. vbi ait: *Ex ineffabili Dei potentatu fit: vt quod posset mali Angeli, si permitterentur, ideò non possunt, quia non permittuntur. Nec enim occurrit alia ratio, cur non potuerint facere minutißimas muscas, qui ranas, serpētesq; fecerūt: nisi, quia maior aderat dominatio prohibendi per Spiritum sanctum. Quod etiam ipsi Magi confeßi sunt dicentes, Digitus Dei est hic. Quid autem possunt per naturam, nec poßint per prohibitionem, & quid per ipsius naturæ suæ conditionem facere non sinantur: homini explorare difficile est; imò verò impoßibile: nisi per illud donum Dei, quod Apostolus commemorat dicens, Alij dijudicatio spirituum. Nouimus enim hominem posse ambulare, & nequaquam hoc posse, si non permittatur: volare autem non posse, etiam si permittatur. Sic & illi Angeli quædam possunt facere, si permittantur ab Angelis potentioribus ex imperio Dei; quædam verò non possunt, etiam si ab eis permittantur, quia ille non permittit, a quo est illis talis naturæ modus: qui etiam per Angelos suos illa plerumque non permittit, quæ concesit vt poßint.* Hæc Augustinus.

Nos autem de modo ligaturæ ipsius, & solutionis eius tentabimus aliquid dicere: & ideò

8 *Dico secundò.* Ligatio dæmonum ne noceant, nisi ex permissione Dei, non solùm consistit in prohibitione illis à Deo facta per iussionem moralem, aut præceptum: sed in prohibitione physica. *Prima pars probatur.* Quia per prohibitionem præceptiuam non aufertur potestas illis nocendi; aliàs non cecidissent per transgressionem diuini præcepti: sed de facto illis adempta est potestas nocendi, nisi præcedente Dei permissione, vt docui in prima assertione: ergo præfata religatio dæmonum non consistit in sola prohibitione morali per præcepta, aut per quid simile. *Secunda pars probatur.* Nam ea prohibitio est necessaria, quæ inducat coactionem, & auferat vsum potestatis: hanc autem debere esse physicam clarum est, cum non sufficiat moralis: ergo, &c.

Sed pro declaratione huius prohibitionis physicæ *aduertendum*, Deum operari posse per se ipsum immediatè, aut mediatè per ministerium Angelorum: per se ipsum, vel quia quando non vult, vt noceant dæmones, subtrahit eis concursum suum necessarium, vt nocumenta inferant; vel quia efficienter impellit, & prohibet modis sibi notis, ne lædant, quem lædi Deus non vult. Et iste modus prohibendi facilis est, & planus
9 absque vlla difficultate.

Secundus modus prohibitionis considerari potest esse à Deo, mediante ministerio Angelorum, & est magis conformis sententiæ
August. Diui Augustini libro 3. de Trinit. capite 4. dicentis: *Corpora quodam ordine reguntur, inferiora per superiora, & omnia per spiritualem creaturam, & spiritus malus per spiritum bonum.* Diuum Augustinum sequuntur Doctores,
D. Thom. præcipuè Diuus Thomas *prima parte, quæst.* 108. *art.* 6. & ex professo, *quæst.* 109. *art.* 4. & Diuus Gregorius homilia 34. in Euangelia, inquit: *Potestates sunt Angeli, quorum ditioni virtutes aduersæ subiectæ sunt. Et ita dæmones dicuntur ligati, ne hominibus noceant quantum possunt, & desiderant, quia ab Angelis, maximè custodibus arcentur, ne votis satisfaciant, nisi Deo permittente.* Gregor.

Sed quomodo prohibent Angeli dæmonia? Quidam dicunt per impressionem actualem reprimendo, ad instar hominum prohibentium hostes per impulsionem actualem, ne in aliquos irruant: & isto modo dicuntur Angeli ligare dæmones. Sed hoc non potest stare: tum, quia esset constituere perpetuam, & actualē pugnam inter bonos & malos Angelos, sicut mali perpetuo ligati sunt nisi Deo permittente. Hoc autem videtur inconueniens, & falsum: *tùm*, quia sæpè sine vlla actuali impulsione inuigilant Angeli circa nostram custodiam: *tum*, quia quādo Angeli sancti custodes assistunt Deo in cœlis, non dicerentur ligatos habere malos Angelos, sed suæ permissos voluntati: etenim tunc nullam impressionem, aut repulsam actualem infligunt dæmonibus, nec possunt cum sint extra sphæram suæ actiuitatis: *tum tertiò*, quia nunquam prohiberent, nisi iam, iam erumpentibus malis Angelis: cum tamen certum sit, eos arcere, præueniendo ne irrumpant: igitur existimo cacodæmones ligatos esse à bonis Angelis ne noceant hominibus, nisi Deo permittente: quia prohibentur ab Angelis ne noceant nisi ex eiusdem Dei permissu. Prohibent autem interdum abigendo, ne approprient hominibus nocendis, sine vllo actuali impulsu Angelis malis inflicto, sed sola mediante sua cura ac vigilantia: interdum ipsis conantibus resistendo per actualem motum repressiuum dæmonibus infixum:

Explicatur hoc à simili. Milites fortes ac prouidi non solum prohibent hostes, ne capiant ciuitatem vi repellendo irruentes: verum & vigilant, se seque ostentant desuper murum, vt videntes inimici vigilantes custodes, terreantur, nec audeant cominus accedere. & hoc etiam arcere, & prohibere est. Non dissimiliter Angeli boni dicuntur arcere dæmones, ne hominibus noceant: interdum vi repellendo irruentes dæmones, instar militum deijcientium de murorum cacumine inimicos conantes ascendere: interdum vigilantes, & circundantes clientes suos; ac parati vi repellere hostes, si appropinquent: & hoc etiam arcere est, quia videntes dæmones paratam custodiam non audent mortales impetere: scientes à sanctis Angelis vi illata esse fugandos, si mala conentur inferre. Consistit igitur prohibitio & ligatio dæmonum, vel saltem nascitur ex assistentia Angelorum, ac firma custodia erga homines ad modum explicatum, quod innuit Sathana Iob 1. dicens: *Nonne tu vallasti eum:* protectionem Angelorum insinuans, vt quidam dicunt, qua Angeli prohibent dæmones, ne noceant hominibus: Sicut illud Matth. 21. *Et sepe circumdedit ei*, id est Angelorum custodia. Ita interlinealis. Iob 1. Matth. 21 Interline.

Sed his nostris dictis occurrit ex aduerso historia Tobiæ cap. 8. Vbi narratur Raphaelem 10 Tob. 8.

Angelum apprehendisse dæmonẽ Asmodæum, ac religasse in deserto superioris Ægypti. Quæ religatio nequiuit fieri modis præfatis non per actualem impressionem, & detentionem: quia licèt in apprehendendo dæmonem, potuit inueniri, sed tamẽ in detentione per multos dies Raphaele absente, & conuersante cum Tobia, reperiri non potuit, nec etiam per custodiam Tobiæ: quia hæc impertinens fuit ad religationem in deserto Ægypti, cum fuerit detentio, ne à deserto egrederetur.

11 *Resp.* Dæmon Asmodæus ligatus fuit ab Angelo Raphaele, non solum quia non sinebatur noxam Tobiæ, & coniugi inferre: isto enim modo toto decursu temporis, quo apud eos, & cum eis morabatur Angelus bonus, Asmodæus, & alij dæmones ab Angelis ligati erant modis à me explanatis, sed etiam dicebatur religatus in superiori Ægypti deserto: quia ei loco affixus, vt illinc se se mouere, alioque quopiam euagari non posset: at alligatio hæc peculiaris est, pertinẽs ad peculiarem Dei prouidentiã. nos verò loquuti sumus de alligatione dæmonũ pertinẽte ad cõmunẽ Dei prouidentiam: qua non sinuntur dæmones lædere homines, nisi Deo permittente.

Quod si cupis scire, quomodo illa alligatio potuit fieri per Angelum Raphaelem: nil certò de eo, quod factum est definire possumus, probabiliter tamen dicimus, id potuisse fieri per imperium Raphaelis præcipientis dæmoni illic nõ discedere: nisi licentia præmissa, & quãuis dæmon solo imperio Angeli, imò & Dei, salua suæ naturæ libertate non compelleretur, tamen sicut imperio hominum affigitur virtus diuina, vt dæmones recedant, exeant, &c. de quo latius infra, ita virtute diuina credimus Raphaelem imperasse Asmodæo, vt non recederet à deserto superioris Ægypti, qua virtute diuina ligabatur ac detinebatur, ne discederet ante licentiam habitam à Deo, vel Angelo.

De huiusmodi ligatione per imperium videtur loquutus Augustinus li. de diuinatione dæmonum, cap. 7 *Fugantur* (inquit) *dæmones, vel etiam iussis superioribus colligati abstrahũtur, & alienantur à locis suis, vt de rebus, quibus dominabantur, in quibusq; colebantur, fiat voluntas Dei.* Nisi fortasse quis dixerit virtute diuina aptatum esse corpus ab Angelo, quo inclusus & alligatus Asmodæus non potuit illud à se excutere. Isto modo dicitur esse ligatus igne infernali: sed hæc alligatio, vt dixi peculiaris est, sicut & illa: de qua fit mentio, Matt. 12. Marc. 3. & Apocal. 20. Memento tamen, ac præ oculis habeto semper hanc ligationem dæmoniorum per metaphoram ad ligationem corporalem intelligendam esse. Similiter & modi quibus diximus ligari, metaphoricè vincula rudentes, & catenæ nuncupantur. Sic enim 2. Petri 2. legimus: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradit cruciandos.* Et Iudas in sua Canonica: *Angelos, qui non seruauerunt suum principatum vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Apocalyp. 20. *Angelus, vt serpentem antiquum in abysso ligaret: habebat catenam magnam in manu sua.* Vbi Andreas: *Catenam* (inquit) *ad nostram intelligentiam vocabit operationem, quæ Sathanæ malitiam coercet.* Habemus igitur, dæmonum potentiam esse ligatã à Deo, ne hominibus noceant, nisi ipso permittente; & quomodo illud ligamen apponatur.

August. — *Matth. 12* — *Marc. 3.* — *Apoc. 20.* — *2. Petri 2.* — *Iudas in Canon.* — *Apocal. 23* — *Andreas.*

Non minor difficultas suboritur, in quo consistat Dei permissio aut licentia collata dæmonibus, vt noceant quando Deus id disponit, aut sinit fieri: & vnde, aut quomodo dæmones, qui se ligatos esse sciunt, agnoscant solui, aut permitti nocere?

Aliquis forasse poterit dicere, dæmones à Deo licentiam petere, & Deo concedente mala infligi, quod si abnuat petitioni, desistit à nocendi conamine. Ita videtur colligi ex historia *Iob. 1. & 2. cap.* Vbi dæmon petijt à Deo licentiam vexandi Iobum, petijt, inquam, petitione intelligibili, qualis esse solet Angeli ad Deum: de quo 1. *p. q.* 107. *art.* 3. & obtinuit: & *Matth.* 8. visibili voce petijt dæmoniorum legio à Christo licentiam intrandi in porcos, quam Dominus concessit: & Luc. 22. ait Christus ad Petrum: *Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum*: id est postulauit vos: ita legunt quidam. Fateor tamẽ, aliquando ita accidisse, maximè quando noxa inferenda à dæmone est vehementer concupita, vt in historijs allatis: sed cum innumera mala, & innumeris diaboli inferant, non videtur probabile secundum ordinem communis prouidẽtiæ tot licentias à Deo petere, totque concessiones datas fuisse, ac multo plures negatas. 12

Iob. 1. & 2. — *Matth. 8.* — *Luc. 22.*

Alij respondentes tot licentias à dæmonibus petitas, dicunt ob id Deum permittere, aut licentiã dare nocendi: quia innuit illis, cui nocere debeant: non quidem voce exprimendo, sed interius intelligibiliter indicando. Et conantur probare ex testimonio Iobi citato. *Ecce* (inquit Deus dæmoni) *vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt*: id est do tibi potestatem affligendi eum. Modus dicẽdi non omninò improbabilis. Contra quem tamen argumentor: quia vel illud innuere Dei pertinet ad reuelationem, factam dæmonibus, vel ad præceptum: vtrumque aliquando accidisse non inficior: nam plagas Ægypto inflictas dæmones intulisse Deo reuelante, & iubente ait Dauid Psalm. 77. vers. 55. quod prius significatum fuerat Exod. 12. vbi nos legimus: *Plagam disperdentem*: habent Hebræi, *Angelum perdentem*, id est Angelos perdentes per synedochem numeri: in licentia verò data Sathanæ vt Iobum affligeret, neutiquam esse ponendum præceptum, affirmat D. Thom. ibidem, sed potestatem traditam. 13

Psal. 77. — *Exod. 12.* — *D. Thom.*

Cæterum quidquid sit de licẽtia data diabolo ad nocendũ sanctissimo Iob: existimo tamen secundum ordinẽ communis prouidentiæ, vt dæmones licentiam obtineant à Deo, aut permittantur hominibus nocere: non esse necessarium præceptum, aut reuelationem Dei, per quã innuat sibi non displicere, vt his aut illis noceatur. Et de præcepto patet: quia præcepta Dei cõmuniter dantur ab eo bonis spiritibus, vtpote qui habent rectam voluntatem ac conformem diuinæ, ac proinde ei in omnibus obediunt;

mali

mali verò nequaquam communiter reguntur præceptis,sed coactione. *Secundò*,quia si imperio Dei nocerent:ergo non ex permissione. Communiter autem dicitur à Sanctis citatis eos affligere homines ex permissione diuina : quia sinũtur exercere & vires,& prauam voluntatem erga homines. Quod verò licentiam tribuat reuelando cui velit Deus nocere: non videtur verosimile:tùm quia esset quodammodo præcipere noxam:tum quia dæmones tot reuelationibus à Deo illuminari non videtur congruum.

Quare sub correctione doctiorum reor,totidem modis Deum largiri,aut permittere dæmonibus nocere hominibus:quod diximus eos impediri,ne noceant. Nam sicut eos ligari consistit in prohibitione , sic solui consistit in ablatione prohibitionis.Et sicut meditati sumus eos prohiberi posse,vel à Deo immediatè,vel mediante ministerio Angelorum:sic & ablatio prohibitionis(quæ est permissio)fit duobus modis , vel à Deo immediate, vel mediante ministerio Angelorũ. A Deo immediatè:quia illos non prohibet actuali impulsu,vel quia illis non denegat concursũ requisitũ ad operãdũ,& hoc facile est dæmonib⁹ cognoscere:sicut cuiuis facile est agnoscere habeat ne manus solutas ad operandum. At verò ministerio Angelorum conceditur licentia hæc, aut permissio nocendi,vel quando dæmones ab Angelis non patiuntur actualem repulsam,aut impressionem prohibitiuam , vel quando Angeli boni Deo reuelante deserunt clientes suos vexandos à dæmonibus.

Sed vnde scient dæmones , quod deseruntur homines ab Angelis custodibus,vt possint affligi? Dicet quispiam,quia Angeli custodes id reuelant malis, putà dicentes,ecce istum, in eum potestis sæuire. *Hoc non* stat:tùm quia tot reuelationibus dæmones imbui non est congruum : tum quia id videtur alienum à pietate Angelorum custodum,quasi digito ostendere , & sæpissimè tradere suos clientes vexandos. *Quod si dicas*, quia Angeli custodes non sunt assistentes hominibus aliquibus,& hoc benè vident dæmones. *Contra* quia benè sciunt dæmones quandoq; Angelos custodes absentes esse in cœlo , vel aliquo loco valde distanti,& licèt tunc deserant homines loco, non tamen quantum ad effectum custodiæ: quia etiam cum sunt in cœlo , cognoscunt quid circa hominem agatur:& Deo reuelante , si cliẽtes impugnantur à Dæmonibus,statim aduolant ad eos tuendos,nec indigent mora temporis , vt adsint,sed statim adesse possunt, vt adnotauit D. Th.1.*p.q.*113.*ar*:3. Itẽ *tertiò*:quia Angeli custodes nunquã totaliter deserunt homines, vt affirmat D.Th.loco proximè citato. Item quartò:quia ex desertione præfata quamuis fortasse posset cognosci diuina permissio nocumenti inferẽdi : non tamen certa nocendi mensura,cum tamen sit necessarium eam præfigere. Sæpius enim permittuntur mala inferre certis limitibus , vt patet in potestate tradita dæmoni ad affligendum Iobum. Probatur illatio : quia si Angeli custodes assistunt, dæmones nocere non possunt : si deserunt , poterunt pro sua impia voluntate,

D. Thom.

quæ nullo minori malo , quam internecione satiabitur.

Aduertendum, dæmones quamuis sciant se à Deo ligatos ac prohibitos ne hominibus noceant,nisi Deo permittente:tamen non ob id animo linquunt, aut desistunt à captanda occasione nocendi:quærentes vtrum ab Angelis custodibus deserantur,hoc enim accipiunt pro signo permissionis,aut licentiæ datæ. Hoc egregiè docuit D.Petrus dicens : *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret* : & Iob 1.& 2. *Circuiui terram,perambulaui eam*, nimirum quærens cui nocere posset: & Matth. 22. *Ambulat per loca arida & inaquosa quærens requiem*: id est cui noceat,quia afflictio hominum requies est dæmonum. 15

D. Petrus. Iob 1. & 2. Matt. 12.

Dum autem sic æstu inuidiæ ac liuoris agitati percurrunt,callide obseruantes quem lædant; quos vident ab Angelis custodibus diligenter custoditos,nec aggredi audent,ne eorum reddatur conatus irritus & inanis,& quia fortè à longe ab Angelis custodibus arcentur. Si autem dubitant de diligenti custodia , aut coniecturaliter censent eos remissius custodiri,tentant audacter mala inferre. Quod si repelluntur: certò sciunt non esse sibi nocendi concessam facultatem , sin minus certò agnoscunt sibi concessam, eaq; abutuntur. Itaque ex eo quod non repelluntur ab Angelis custodibus,aut alijs bonis Angelis; agnoscunt sibi esse permissam nocendi potestatem. 16

Ad obiectiones oppositas. Ad *primum* concedimus illatum,ad *secundam* respondetur,quando vident Angelos non assistentes,tentant malum infligere,quod si non patiantur repulsam , inde colligunt sibi concessam lædedi potestatem. Ad *tertiam* respondeo,D.Thom. esse intelligendum toto tempore,quo aliquis à Deo non deseritur: nam quandoque totaliter Deus deserit, vt septẽ viros Saræ,quos dæmon occidit,& tunc etiam Angelus deserit. Ad *quartam*: Angeli boni bene sciunt Deo reuelante in quanta mensura permittantur dæmones nocere,& si dæmon amplius procedere vult,repellitur à bonis Angelis.

Demum aduertendum. Angelos malos esse in tanto numero,adeoq; solicitos contra homines, vt statim atque aliquis ab Angelis bonis deseritur:ipsum inuadant,atq; malo permisso afficiant:nam si aliquod modicum temporis intercederet,in quo homo ab Angelo desereretur , & nõ à dęmone inuaderetur diuinę ꝓuidẽtię ordo q̃ ad hoc vult Angelũ deserere hominẽ,vt turbaretur à dęmone inuadatur:sũt aũt in aere isto tot dæmones commorantes,vt atomorum superẽt multitudinem:nec illis hæc tam solicita occupatio fastidiosa est,quia nimis desiderant hominibus nocere:neq; laboriosa, quia infatigabilis naturæ sunt.

Superest ad argumenta in initio facta respõdere. Ad *primum resp*. Absolutè loquendo, & in communi ad prouidentiam diuinam spectat sinere res operari iuxta naturas suas: at attentis quibusdam circumstantijs,& aliquo supposito ad eandem prouidentiam spectat, vt prohibeantur , v.g. attenta grauitate aquarum, & supe- 17

riori earum loco, inundarent certè terram: sed quia homo erat futurus eius habitator, ad prouidentiam Dei pertinuit, vt aquæ maris prohiberentur à Deo dicente: *In litore confringes fluctus tuos.* Sic absolutè concessum est etiam dæmonibus, vt liberè exercerent vires suas: sed supposito eorum, casu & odio vehementi, quo aduersus homines flagrant, ne interiret totū humanum genus, ad Dei prouidentiam pertinuit dæmoniorum potestatem cohibere, ne noceant hominibus pro suo arbitratu, sed tantùm Deo permittente fere semper, vel propter sui gloriam, vel propter hominum vtilitatem. Quo fit vt dæmonum nocumentis non solùm mali, verum & boni quandoque subijciantur, propter Dei gloriam quidem: quia in hac Dei prouidentia multa Dei attributa à longè lucent, suauitas in gubernando, eo quod cum hominibus ac dæmonibus liberum arbitrium dederit: violentum videretur semper impedire quod possunt naturaliter dæmones, & summoperè desiderant: ideò sinit aliquando eos id perficere. Clementia autē in genus humanum manifestatur: quia si dæmones permitterentur in homines grassari, actum esset de humano genere, vt nuper dicebamus. Iustitia etiam Dei elucet: quia sæpè propter vindictam scelerum dæmones carnifices, & tortores promptissimos ad eam exequendam elegit Deus, hominum verò vtilitas ex hac dæmonum tortura non parua neque vna sola enascitur, patientia exercetur, virtus probatur, humilitas acquiritur, ad omne virtutis genus exercendum occasio datur.


Ad secundum, & tertium facilis est solutio ex dictis.

Dico tertiò. Non solum Angeli boni dæmones coercere ac ligare possunt: verùm & dæmones superioris ordinis, qui fortiores sunt alios inferioris, qui non sunt ita fortes. Hoc assertum clarum est similitudine sumpta inter homines fortiores, & imbecilliores. Hac arte vtuntur sceleratissimi Magi, qui certa quadam societate, ac conuentione inita cum dæmonibus, implorato auxilio fortiorum dæmonum, alios imbecilliores annulis includere, certisque operibus & locis alligare solent. Palladius c.20. plurimos ac ferocissimos dæmones in Iamnæ & Mambræ sepulchro per magiam alligatos refert: sed de hoc nos latius, interim videndus est Victoria de magia. *Pallad.* *Victoria.*

Dico quartò. Non solum ab Angelis bonis, & malis possunt dæmones ligari, ac prohiberi ne noceant: verùm etiam ab hominibus mediante potestate illis à Deo collata, cuius naturam ex professo in hac D.Thom. quæst. rimamur. Hoc assertum palam fit ex testimonijs sæpè citatis, vbi à Deo & Christo Domino potestas hæc collata est. Sed age in eius explicationem vlterius progrediamur.

DE CAVSA EFFIciente huius potestatis, seu eiectionis dæmonum.

ANNOTATIO.



Acturi de causa efficiente ad fugandos dæmones, ne hominibus molestias ingerant, diuidere causam effectricem necesse est, in causam principalem, & instrumentalem. Principalis quidē causa Deus est, cuius imperio subdita est omnis creatura etiam dæmones: *Columnæ cæli,* inquit Iob 26. *contremiscunt & pauent ad nutum eius. Spiritus eius ornauit cœlos, & obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus,* id est diabolus. Et quamuis opera Dei ad extra sint tribus personis conuenientia, tamen quia filius Dei factus caro, erat profligaturus potentia diaboli, qui tyrannide occupauerat orbem, huic exitiali hosti fugando, & ab hominibus eijciendo egregiam, & frequentem nauauit operā in terris degens: & ideò ipsi vt causæ principali dæmonum pulsionem attribuimus: qui de se, Mat.28. ait: *Data est potestas mihi in cœlo, & in terra:* & de eodem Apoc.20. Ioannes ait: *Habet clauem abyssi & catenam magnam in manu sua, & apprehendere potest draconem serpentem antiquum, eūq; ligare & mittere in abyssum, & claudere, atque signare.* Quæ verba satis exprimunt Christum Dominum sua virtute diuina causam esse efficientē principalem omnium dęmonum pellendorum. *Iob 26.* *Matt.28.* *Apoc.20.*

Post Christum verò non inuenio alias causas efficientes principales nisi Angelos, siue bonos, siue malos: nequam verò spiritus, si superioris ordinis sint, ac ex consequenti robustiorum virium pellere possunt dæmones inferioris ordinis: quia infirmiores sunt, & sæpè (vt iam vidimus) expellunt: at verò Angeli boni, siue sint impares naturalibus viribus, siue pares, siue sint superioris ordinis, siue inferioris, supra malos spiritus potestatem habēt, possuntque ab hominibus molestandis abigere, imò & torquere. De spiritibus bonis, qui ordinis superioris sunt, certa res est: quia viribus naturalib⁹ potētiores sunt. Talē cēseo fuisse Raphaelem Angelum, qui dæmonem Asmodæum à Tobia, & Sara coniugibus abegit, ac in deserto Ægypti ligauit, ne eis noceret sicut cæteris spōsis Saræ, Tob.8. Quod verò Angelus bonus ordinis inferioris potestatē habeat arcendi, & subiugandi spiritum malum, etiam si superioris ordinis sit: asserit August. lib. 3. de Trin. cap. 4. *Spiritus vitæ desertor, atq; peccator* (ait August.) *regitur per spiritum vitæ rationalem, pium, & iustum.* Et D. Gregorius homilia. 34. in Euangelia docet, virtutes aduersas (id est dæmones) subiectas esse Angelis, qui potestates dicuntur. His adiungitur D.Thom. 1. p. q. 109. art. 4. Ratio huius est: quia propter peccata dæmoniorū ea subiecit De⁹ omnib⁹ bonis spiritib⁹, vel quia vires eorū elanguerunt, vel (q͂ certius est) quia virtute diuina communicata potestatem *Tob.8.* *August.* *Greg.* *D.Thom. 1.*

supra

supra cacodæmones acceperunt. Verumtamen quando eam potestatem exercent supra dæmones ordinis superioris: non concurrunt inferiores spiritus boni vt causæ principales, sed vt instrumentariæ, mediante virtute à Deo communicata.

Et idem dicendum est de hominibus, qui cum imbecilliores viribus sunt, quàm minimus dæmonum; in eis abigendis nequáquam concurrere possunt vt causæ efficientes principales, sed tantùm vt instrumentales Dei, & Christi, virtute scilicet diuina hominibus communicata. Benè hoc agnouit Beatus Bernardus: dum enim arroganter spiritus nequã, qui arripuerat quẽdã, ipsi insultaret, quod *nec Syrulus* (Sanctum Syrum intellige, ad cuius reliquias obsessum miserat) *nec Bernardulus*) sic per contemptum sanctum virum nominabat) ipsum à suo domicilio esset pulsurus: *non te* respondit Bernardus) *Syrus eijciet, non Bernardus sed Dominus noster Iesus Christus* Et Diuus Petrus, & Ioannes Actorum 3. cum sanassent quendam claudum ab vtero matris, ne ipsis, vt caussis principalibus sanitas ea tribueretur, sed tantum vt instrumentalibus, quibus Christus suã virtutem communicauit dixerunt: *Viri Israelitæ quid miramini in hoc? aut nos quid intuemini? quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare, &c.* Idem possemus & nos dicere, quando eijcimus dæmonia adscribentes eiectionem vt causæ principali Christo Domino, & nobis vt instrumentarijs: qui virtute accepta à Christo id opus nostris viribus impar perficimus. Communicauitque hanc potestatem hominibus, vt ipsi, licèt natura imbecilliores, possent tãquã causæ instrumentales dæmones fugare, imò & profligare, ne hominibus molesti sint, & non sine operationibus humanis (quas esse necessarias vt instrumenta humana operentur) schola Sancti Thomæ affirmat.

Bernar.

Actor. 3.

3 Quare meritò disputabitur, quibus actibus, quibusue medijs Christus Dominus suam virtutem communicauerit, vt his adhibitis homines abigant dæmonia, ne hominibus molesta sint. *Secundo*, istorum mediorum virtutem, ac efficaciam tuebimur aduersùs calumniantes Hæreticos. *Tertiò*, docebimus modum concurrendi horum mediorum ad dæmonum pulsionem. *Quartò*, an semper media isthæc efficacia sint ad hostes communes hos propulsandos. Ac denum, an aliquibus sensibilibus vis naturalis insit ad cogendos dæmones, ne hominibus molesti sint? Igitur sit

DISPVTATIO XII.

De numero mediorum, quibus licitè & proficuè vti possint fideles ad fugandos dæmones.

4 IN primis de exorcismis, quibus exercetur potestas abigendi dæmones collata à Christo, de qua toties egimus.

Exorcismus Græcè, *adiuratio* Latinè dicitur. Quid autem sit adiurare dæmones, superius docuimus: est namque dæmonibus imperare per obtestationem alicuius rei sacræ, ne hominibus mala inferant.

Dubitatur tamen: *an de essentia adiurationis sit imperium confirmare per aliquid diuinum? & quod sit illud?*

An adiuratio aliquo diuino fit confirmãda?

Et videtur vera pars affirmatiua. *Primò* quia Marci vltimo, vbi potestas abigendi dæmones renouata est, & traditus modus ea vtendi, dicit Christus Dominus: *In nomine meo dæmonia eycient.* Ecce adiuratio necessariò debet fieri per inuocationem alicuius diuini, imò necessariò per inuocationem nominis Iesu. *Confirmatur*: quia isto modo adiurandi vsi sunt Apostoli, & Patres eorum coætanei. Legitur namq; Luc. 10. Apostolos missos à Christo ad prædicandum cum gaudio reuertentes dixisse: *Domine in nomine tuo etiam dæmonia subyciuntur nobis.* Ad quorum imitationem quidam Iudæi dæmonia pellebant in nomine Iesu, vt videre licet Lucæ. 9. & D. Paulus Acto. 16. eijciens spiritum immundum à puella ait: *Præcipio tibi in nomine Iesu discedere ab ea.* Et Actuum 19. quidã Iudæi leguntur adiurasse dæmones per nomen Iesu, quem Paulus prædicabat, nimirum, quia videbant Paulum eodem nomine vti in dæmonibus pellendis: & Iustinus coætaneus Apostolorum: *Nomine Iesu* (inquit) *potentiam dæmones tremunt, & reformidant, & hodie quoque illi per nomen Iesu adiurati nobis parent.* Secundò. Adiuratio dæmonum est actus Religionis, & sub hac ratione de adiuratione differit D. Th. *in art. 2. huius quæst.* at nisi fiat per obtestationem alicuius rei sacræ non est actus Religionis & cultus: quia solum imperium non est actus Religionis: ergò necessariò debet fieri per aliquam rem sacram.

Marc. vlt.

Luca. 10

Luca. 9.

Actor. 16.

Act. 19.

Iustinus.

D. Thom.

In oppositum est: nã in locis citatis in prima disputatione, absoluta potestas confertur hominibus calcandi dæmones, ac eijciendi: ergò non est cur limitetur, & necessariò debeat fieri per obtestationem alicuius rei sacræ. *Secundò*: Multi viri sanctitate insignes solo imperio dæmones fugarũt. Id effecit Parthenius, vt ait Metaphrastes septima Februarij. Idẽ de Remigio refert Hincmarus in vita Remigij, & de sãcta Anatholia ait Surius tõ. 4. primò afflasse dęmoniacũ, & ad dęmonẽ conuersa ait: *Exi, ab homine*, & statim discessit.

Metaphr.

Hincmarus.

Surius.

Ad dubitationem *dico primò*. Modus adiurandi dæmones, vsitatus tempore primitiuæ Ecclesiæ per inuocationem nominis Christi perficiebatur. Cuius nominis? nam Christus multis nominibus vocatur in sacris Literis; Prophetarum cuiusuis inuocatio sat erat: sed Apostoli nomine Iesu vtebantur, quod vocatum est ei ab Angelo priusquam in vtero conciperetur. Hoc dictum probatur primo argumento pro affirmatiua parte, & eius confirmatione. 5

Dico secundò. Adiuratio quæ Religionis actus est, & efficax ad dæmones pellendos, debet necessariò fieri per obtestationem alicuius rei sacræ; non est tamen necessarium quod fiat per nominis Iesu inuocationem. *Prima pars prob.* argu-

argumento secundo pro parte affirmatiua. *Secunda verò probatur* argumento secundo facto in oppositum pro parte negatiua. Et prætereà: quia in lege veteri adiuratio sæpè fiebat per nomen Dei tetragrammaton, vt retulimus ex Epiphanio, & etiam in lege gratiæ adiurationes factas esse per Crucem, & per alia sacra legimus.

Dico tertiò. Adiuratio dæmonum efficax ad abigendos dæmones, benè potest fieri per solũ imperium, nulla præcedente oratione, aut obtestatione rei sacræ. Prob. argum. primò, & secundo in oppositum pro parte negatiua.

6 *Ad primum pro parte affirmatiua*, quatenus militat contra tertium assertum, *resp.* in sacris Literis, quando aliquid dicitur, aut iubetur fieri in nomine Christi, non in vna & eadem significatio-

Ioan. 14. ne phrasis loquendi intelligenda est. Ioan. 14. dicitur: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. In nomine meo*: id est meis meritis confisi: & ibidem: *Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in*

Ioan. 10. *nomine meo*: id est mea autoritate: & Ioan. 10. *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei*: Id est in vir-

Marc. vlt. tute Patris mei: at Marci vltim. quamuis fortasse possent accommodari præfatæ acceptiones, tamen in nomine Christi esse dæmonia eijcienda sensus est. id est in virtute, & efficacia acceptaſ à Christo. Quod contingit siue expressè adiuratores inuocent Christi nomen, siue rem quamlibet sacram, siue nudè imperent dæmonibus exitum: totum id, quidquid fit, virtute accepta à Christo fit, q̃ nõ obscurè indicatur in testimonio allato in annotatione ex Actorũ 3. *Ad confi. resp.* cũ modum adiurandi per nomen Iesu præstantiorem putamus, licet expressa inuocatione eius nominis non sit necessaria ad saluandum substantiã adiurationis.

Ad secundum resp. concedendo actus imperandi dæmones, nisi fiat explicitè, aut implicitè per obtestationem alicuius rei sacræ non esse Religionis actũ, neque esse propriè adiurationẽ; esse tamen opus miraculosum pertinens ad gratiam gratis datam eiectiuam dæmonum, promissam à Christo Domino in multis locis citatis in prima disputatione.

Exorcismorum duo sunt genera: quidam breuis, nimirum constans nuda, ac simplici adiuratione, v.g. *Præcipio tibi dæmon per Iesu nomen, vt exeas ab homine hoc.* Vel alia simili formula imperandi dæmonibus. Quidam verò amplior, plures res & verba complectens, nempè orationes, Euangeliorum recitationes, sacrarum vestium, reliquiarum, Crucis, ac imaginum vsum: & præcipuè verba imperatiua, quibus dæmones specialius coguntur, vt videre licebit in ritualibus, quibus Romana Ecclesia vtitur.

Prioris generis exorcismò vsi sunt Apostoli, & Patres primitiuæ Ecclesiæ, maximè per inuocationem nominis Iesu, vt diximus. Et eandem vsurparunt fœlici euentu alij insignis sanctitatis viri, ac fœminæ. De Theodoro Archimandrita

Surius. refert Gregorius in eius vita apud *Surium tom.* 2. multos dæmoniacos inuocatione nominis Iesu

Sozom. liberasse. Idem de Arsatio dicit Sozomenus 4. *li.*

Athan. historiæ cap. 15. & de D. Antonio Athanasius in eius vita: & sanctus Dominicus dum concionaretur quædam dæmoniaca clamoribus Ecclesiã replens auditores conturbabat: at sanctus Pater in nomine Iesu Christi facto Crucis signo spiritui præcepit exire ab obsessa, & statim discessit: *ita cap. 9. lib. 2. vitæ ipsius.*

At verò post tempora primitiuæ Ecclesiæ, ampliores exorcismorum forma cœpit introduci. Vbere illa & copiosa gratia eijciendi dæmonia in exorcistis languente, ac proinde egressu dæmoniorum non ita facile existente: Ecclesia (quæ omni tempore ab Spiritu sancto gubernatur) ordinauit quosdam exorcismos ampliores, & extensiores, qui essent veluti epilogus omniũ mediorum, quibus dæmones fugari solent: orationis scilicet, ac ieiunij, Crucis, reliquiarum, ac rerum sacrarum vsus, vt multis adhibitis machinis exitialis hostis cedere loco cogeretur: & istorum exorcismorum ampliorum vsum, solis exorcistis delegauit, propter rationes à me adductas disputatione 3. quorum exorcismorum formulæ videndæ sunt in rituali Romano.

De successu fœlici vtrorumque exorcismorũ 8
multa narrarunt maiores nostri, à quibus supersedeo ne morosus fiam. Sed quid acciderit S. Hilarioni referre non grauabor ipsis D. Hieron. Hieron.
verbis in vita Hylarionis *Marsitas* (inquit Hier.) *fortissimus iuuenis de territorio Hierosolymæ tantum valebat viribus, vt quindecim frumenti modios diu longeq; portaret, & hanc haberet palmam fortitudinis suæ si asinos vinceret: hic afflictus pessimo dæmone non catenas, non compedes, non claustra ostiorum integra patiebatur. Multorum nasum, & aures morsibus amputauerat, horum pedes, illorum gulam fregerat: tantumq; sui terrorem omnibus incusserat, vt oneratus catenis, funibus, in diuersa nitentium, quasi ferocissimus taurus ad monasterium Hilarionis Eremitæ pertraheretur, quem postquam fratres videre perterriti (erat enim miræ magnitudinis) indicauerunt Patri. Ille sicut sedebat iussit eum ad se pertrahi, & dimitti, solutoq; Inclina (ait) caput, & veni. Tremere ille, & ceruicem flectere, neque aspicere contra ausus, omniq; ferocitate deposita, pedes cœperit sedentis lambere adiuratus: itaq; dæmon, & tortus, qui iuuenem possederat, septima die egressus est.* Hæc Hieron. in vita Hilarionis.

Sed nunquid solis exorcismis fugantur dæmones? Soli exorcismi directè ad nostram disputationem pertinent, qui disputamus de potestate abigendi dæmones per adiurationem. Sed sunt etiam multa alia media, quibus orthodoxi prospero euentu vtuntur, videlicet oratio, reliquiæ, Crux, ac res consecratæ. De his singulis dicamus.

Oratio.

AD fugandos dæmones orationẽ plurimum valere palam est ex impetratiua facultate, qua pollet, si legitimis circumstantijs vestiatur. De quo latè 9
diximus alias ad *q.* 83. *art.* 15. tum etiam exemplis (quæ plurima sunt) eorum qui orationum auxilio à dæmoniorum infestatione liberati sunt. Io- Io. Diac.
annes diaconus in vita S. Gregorij Magni *li.* 4. *c.* 93. refert suassione S. Gregorij Litanijs spectrum for-

formidabile dęmonis quasi cornuti à quodā loco, quem reddiderat inhabitabilem, pulsum fuisse. Et ibidem refertur, oratione fugatum dæmonem, qui in forma cati, cuidam Religioso *Gregor.* molestus erat: & idem Greg. *li. 1. dialog. ca. 10.* de Fortunato Tudertinę Ecclesiæ Episcopo narrat oratione dæmonia à corporibus obsessorū *Hierony.* expellere solitum, & de S. Hilarione D. Hieron. in eius vita ait, ducentos propemodum, partim viros partim mulieres à dæmonis vexatione liberasse. Multa alia exempla possent afferri, hæc tamen sufficiant, si aduertamus, ferè quotiescūque vel Cruce, vel exorcismis, dæmones pulsi sunt, oratio effusa est. Et ideò in beneficio liberationis à dæmonum tyrannide, sua laus non est illi adimenda.

Reliquiæ.

10 Secundum medium est reliquiarum vsus tempus codicesq; deessent si enumerare vellem, quanti obsessi, quanta loca infesta, quot homines, à dæmonum crebra assistētia fatigati, libertate donati fuerint reliquiarum vsu. Vnum, aut alterum exempla proferā. *Actor.* 19. attactu semicinctiorum, & sudarij D. Pauli referuntur dæmonia pulsa: & vmbra D. Petri vim dæmonibus esse allatam, non obscurè insinuatur ca. 5. & per D. Petri catenas, quibus vinctus fuerat, plurima dæmonia eiecta testatur *Nissenus.* Vincentius lib. 24. cap. 88. Gregorius Nissenus in vita Gregorij Thaumaturgi apud Surium *to.* 4. quod anhelitu oris sui velum afflauerit, & obsesso illud imponens dæmonē expulerit. De munimine aduersus dæmones per reliquias euentū *Theodor.* celebrē referre nō grauabor ex verbis D. Theodoreti historia Sanctorum Patrum cap. 21. quæ recitat Baronius tom. 5. historiæ Ecclesiasticæ circa annum Domini 424. *Execrādus Marcio* (inquit Theodoretus) *multas spinas impietatis seminauit in regione vrbis Cyri, eas cum conarer euellere radicitus: noctu venit quidam dæmon exitialis clamās, & lingua vtens Syriaca: cur inquiens bellum geris cū Marcione? cur hanc pugnam aduersus eum suscipis? Quanā is te nunquam affecit molestia, desine belligerare, desine à maleuolentia, aut disces experientia, quantum bonum sit quies, Scias quod te iam pridem consodissem, nisi chorum Martyrum te custodientem vidissem cum Iacobo. Hæc ego audiui, & dixi cuidam ex familiaribus, qui prope me dormiebat, audis inquam, quæ dicuntur? Ille verò: Omnia inquit audiui: & cum vellem surgere, & respicere, & scire quis loqueretur, tua causa quieui: quia te putarem quiescere. Ambo itaque surgētes respeximus, neq; vllū, qui moueretur vidimus, nec qui loqueretur audiuimus. Illa verba alij quoque qui nobiscum habitabāt audierunt. Intellexi igitur quòd martyrum quidem chorum dicebat lecythum olei martyrum, qui cū à multis martyribus collectam haberet benedictionem pendebat in meo lecto. Sub meo autem capite erat magni Iacobi vetus amictus, qui quouis claustro adamantino fuit mihi quoq; validior.*

11 *Beda.* Sed illustrius exemplum refert Beda li. 3. historiæ Anglorum ca. 11. quod quia etiam pluribus locis huic disputationi potest seruire etiam ipsius verbis ascribimus: *Monasterium nobile fuit in prouincia Lindisi nomine Baernadum. Huc quodam tempore hospes venit, qui solebat nocturnis sæpius horis repentè ab immundo spiritu grauissimè vexari. Cùm igitur benignè susceptum post cœnam in lecto membra posuisset, subitò à diabolo arreptus inclamare, dentibus frendere, spumare, & diuersis motibus cœpit membra torquere. Cumq; à nullo vel teneri, vel ligari potuisset, cucurrit minister, & pulsans ad ostiū nuntiauit Abbatissæ. At illa aperiens ianuam exiuit cum vna Sanctimonialiū fœminarū ad locū virorum, & euocans presbyterum, rogauit secum venire ad patientem. Vbi cum venientes viderent multos affuisse, qui vexatum tenere, & motus eius insanos comprimere conati nequaquam valebant, dicebat presbyter exorcismum, & quæcunque poterat pro sedando miseri furore agebat: sed nec ipse quamuis multum laborans, proficere aliquid valebat. Cumque nil salutis furenti superesse videretur, repente venit in mentem Abbatissæ puluis ille præfatus* (intellige cineres sācti Osvvaldi martyris) *statimq; iussit ire ministram, & capsellam in qua erat adducere. Et cum illa afferens intrasset atrium domus, in cuius interioribus dæmoniosus torquebatur, conticuitq; ille subitò, intentiq; ora tenebant reliqui, quem res exitum haberet solicitè expectantes. Et post aliquantum horæ spatium resedit, qui vexabatur, & grauiter suspirans: Modò, inquit, sanum sapio, recepi enim sensum animi mei. At illi sedulò sciscitabantur, quomodo hoc contigisset. Quibus ille: Mox vt virgo hæc cum capsella, quam portabat, appropinquauit atrio domus huius, discesserunt omnes, qui me premebant spiritus maligni, & me relicto nusquam comparuerunt.* Hactenus Beda.

Crux.

Tertium medium est Crucis vsus; Crucis, inquam, id est effigiei Crucis: nam 12 particulę ligni sanctissimi, cui Christus Dominus affixus est ad reliquiarum vsum spectat: effigiei verò Crucis (siue Crucem formes in aere, siue in materia solida, siue in plano depingas) vsum ad dæmonia arcenda efficacem fuisse, apud Catholicos constans res est, & antiquissima, vt videre licebit in disputatione sequenti: modò exemplis allatis huius efficacitatis, contenti simus. Si prius aduertamus, Crucis, quæ in aere formatur, duplicem esse vsum: quendam, quando homines sibi imprimunt eam, vt cum frontem, pectus, vel os Cruce munimus: alterū, quādo alijs Crucem affigimus, vt in administratione Sacramentorum contingit, & quando à Sacerdotibus, aut Episcopis benedictio datur: vtroq; modo magno pręsidio fuisse aduersus dęmones, tam apud fideles, quam apud ethnicos ex historijs palā fiet. Epiphanius Hæresi. 30. scribit Iosephum quēdā, nōdum Christianū, Cruce Christi dæmonia eiecisse, & deinde Christianum effectum, eadem Cruce Iudæorum incantationes destruxisse. Lucianus Atheista, & omnis *Lucianus.* Religionis irrisor tradit, Eucratem dignum fide virum, cum annulum accepisset ex ferro ex quadam Cruce facto, aduersus spiritus nequam redditum fuisse securum. Itaque (inquit Cæsar Baronius, Anno Christi sexagesimo,) *Baron.* *quemadmodum Iudas exorcista, licèt in Iesum Christum*

Christum non crederent, tamen quod scirent à Paulo, & alijs Christianis, in nomine Iesu pelli dæmones: & ipsi eodem nomine ad dimouendum eos vtebantur. Ita Magi quòd à Christianis fœliciter factitari videbant, nimirũ Crucis virtute eos dæmonibus imperare: & ipsi ad euertendos, cùm opus esset, impetus dæmonum signo Crucis vti voluerũt. D. Gregorius Nissenus in vita sancti Gregorij Neocesariensis ait, eum sæpè contra dæmones his armis instructum pugnasse. Et idẽ de Beato Antonio refert Hieronymus, in vita Diui Pauli, & Metaphrastes in vita sanctæ Margaritæ, eam, dæmonem in figura Draconis occurrentem profligasse. Et Gregorius Linconiensis Cruce eiecit dæmones à multis obsessis, vt refert Gregorius Turonensis in eius vita: & nostro seculo sanctam Brigittam signo Crucis fugasse dæmonem, narrat Surius in eius vita, *tomo* 4. Idem de sancta Catharina Senẽsi refert Raymundus in eius vita. Vide Surium *tomo* 4. Hæc satis sunt de multis quæ afferri possent.

Nissen. *Hieron.* *Metap.* *Turon.* *Surius.*

Res consecratæ.

13 Quartum medium ad fugandos dæmones est vsus rerum cõsecratarum, aut benedictarum. Quod vt clarius percipias est aduertendum, omnes & singulas res benedicere, Ecclesia in more habet: imitans sui Magistri facta, qui vsus fuit cibum ac potum benedicere, dum in humanis ageret: & postquam gloriosus à morte resurrexit vsus est benedictione in deserto, vsus est etiam in Emaus: & omnes Orthodoxi ad eius imitationem omnia, quibus vescimur, ac potamur benedicere solemus. Finis autem huius generalis benedictionis est, vt res benedictæ à dæmonũ vsibus substrahantur, & ab eorum infestationibus sint liberæ: at verò quædam res consecrantur, aut benedicuntur ob peculiares fines: verbi gratia, vestes sacræ ad cultum diuinum solemni pompa exercendum, Oleum, Chrisma, & similia ad Sacramenta solemniter ministranda: quędam verò sunt, quæ extra Sacramentorum administrationem vsibus humanis deseruint; interdum quidem ad morbos curandos; interdum ad dæmones fugandos, vel ab obsessorum corporibus, vel ne loca infestent terroribus, apparitionibus, &c: aut verò tempestatibus immissis fulguris, grandinis, &c. & tertiò vt abigantur, ne persequãtur crebra sua assistẽtia homines quosdam huiusmodi sunt aqua benedicta, sal exorcizatum, imagines cereæ, quas agnus Dei appellamus. Quæ omnia benedici aut consecrari ad dæmones abigendos clarum erit legenti formulas inferius expressè referendas; quibus vtitur Ecclesia Catholica in eorum benedictione, aut consecratione: & huiusceemodi res benedictæ, aut consecratæ sunt, quæ præcipuè ad pellendos dæmones valent, quia ad id institutæ sunt, an sycophantiæ accusanda est Ecclesia in tali institutione? absit.

Aliæ verò res sacratæ indirectè, & minus pręcipuè propter exosam à dæmonibus sacrationem, aut benedictionem dæmonia fugant, de quibus fusius disputatione immediatè sequenti. Exemplis manifestemus (sicut in cæteris medijs fecimus) has res consecratas, aut benedictas dęmones fugare. Oleo benedicto Theodorus Archimandrita (vt scribit in eius vita Presbyter Georgius) expulit dæmonem, qui vehementem cruciatum & tremorem membris obsessi nautæ afferebat. Aqua benedicta sanctus Germanus sedauit tumescentes, & inualescentes maris fluctus, quos dæmon viri sancti in Angliam aduectum impedire volens excitauerat: ita Beda in Historia Anglorum *lib. 1. c. 17.* Beatus Marcellus, Episcopus Apamdæ vt refert Theod. *lib. 1. c. 22.* cum diabolus conaretur impedire, ne Iobis Apameni famosum delubrum combureretur, sanctus Episcopus aspersione aquæ benedictæ dæmonem fugauit. De alijs rebus consecratis, acclamatio populi Christiani eas ad fugandos dæmones magni momenti esse testatur.

Geo. Pres. *Beda.* *Theod.*

Et hæc de numero mediorum quibus dæmones abiguntur: nam si quæ sunt alia ad iam relata reducuntur: v.g. manuum impositio super energumenos, qua Beatus Germanus Parisiensis Episcopus plurimos dæmoniacos liberauit; vt ait Fortunatus Pictauorum Episcopus in eius vita, cap. 30. ad vsum reliquiarum reducitur. Idem dicendum de digitorum immissione in os obsessorum, qua curauit quandam dæmoniacã sanctus Clarus Abbas Viẽnensis: ita Surius in eius vita tom. 1. Idem etiam dico de crucifixi imagine. Missæ autem sacrificium ad rerum sacratarum vsum reduco.

Surius.

DISPVTATIO XIII.

Contra Hæreticos in defensionem exorcismorum, & omnium mediorum, quibus Ecclesia vtitur ad dæmones pellendos.

1 Hæretici sectarij imitantes Vualdenses, ac Vviclephistas, vt in omnibus Orthodoxos sugillent, nilque quod Ecclesia Romana approbat intemeratum custodiant: exorcismos extensiores, quibus Ecclesia modò vtitur, & omnia præfata media, quæ diximus ad pellendos dæmones conducere, partim irrident, partim impugnant: quapropter operæpretium iudicaui, eorum impugnationes afferre, & si quæ aliæ se offerunt: vt illis eneruatis, vsus præfatorum mediorum à calumnia vindicetur Hæreticorum.

Primò contra vsum prædictorum mediorum obijciunt, non colligi ex sacra Scriptura ea deseruire ad dæmones profligãdos, quinimò quædam ipsorum esse merum inuentum hominum, vt sacratum rerum vsus: quarum sacrationem superstitiosam appellant, cedentem in Omnipotentis iniuriam. *Confirmatur:* quia isti verbosi, ac

prolixi

prolixi exorcismi, quibus Ecclesia Romana vtitur, longè diuersi sunt ab his, quos in vsu habuit primitiua Ecclesia Apostolorum. Hi simplices adiurationes per nominis Iesu inuocationem: illi, prolixæ cæremoniæ, multis superstitionibus referti, vsus sacrarum vestium, aquæ benedictæ aspersio, ieiunia multiplicata, litaniæ infructuosæ ad Sanctos, qui in cœlis sunt, & similia plena superstitioso cultu, parum aut nihil conducentia ad dæmonum expulsionem.

Secundò. Hæretici fatentur dæmones ad præsentiam istorum mediorum fugam capere. Fugiunt conspectis Sanctorum reliquijs: ita Hæretici Magdeburgenses *centuria quarta, capit.* 13. Fugiunt ad conspectum Crucis: ita fatetur Brentius Hæreticus, teste Alano, *lib.* 4. *Dial. capit.* 3. idem dicerent, vt existimo, de vsu rerum sacratarum. Hoc etiam fatemur Catholici: sed superaddunt impij Hæretici dæmones nequaquam inuitos pelli sed fugam simulare, vt sic homines credant, in his rebus esse aliquid numinis, vel ad superstitiosum cultum (qualis est istorum vsus) inducantur. — *Alanus.*

Tertiò. Sine aliqua vi præfatis medijs impressa nequeunt dæmones abigi: hanc autem in eis constituere ridiculum est: nam vel spiritualis vis est, aut corporalis: hæc nil valet aduersus spiritus, neque in eos quidquam operari potest; illa vero residere in corpore nequit: ergo.

2 Non est animus extrahendi disputationes à proprijs sedibus: & ideò à multis, quæ in præfatis argumentis tanguntur superfedemus. Orationes ad Sanctos, qui in cœlis sunt, licitè fundi, cōtra Hæreticos modò non disputamus, de quibus alias latè ad *quæst.* 83. *articul.* 4. vsum reliquiarum, & Crucis esse valdè Deo gratum (rumpantur scilicet,) asserimus cum Catholicis interpretibus Diui Thom. 3. *parte quæst.* 25. ceremonias exorcismorum minutatim defendere, cum rationes Hæreticorum friuolæ sint, non vacat: si quis hæc cupiat, legat Petrum Thireum ex Societate Iesu *de locis infestis* 3. *parte per multa capita.* — *D. Thom.* — *Petr. Thir.*

Assertio. Modò nos aduersus Hæreticos asserimus præfata media esse efficacia ad dæmones fugandos, & eorum vsum non superstitiosum, vt Hæretici calumniantur, sed sanctum, religiosum, ac pium. *Probatur.* Id quod Catholica Ecclesia obseruat ab Apostolorum, vel suorum coætaneorum tempore licitum & sanctum censeri debet, & est: sed præfatorum mediorum vsus ad profligandos dæmones fuit in pretio habitus à tota Patrum antiquitate, & perseuerat vsque ad nostra tempora: ergò licitus, & religiosus est omni carens superstitione. Maior Regula celebris est Beati Augustini *libro quarto contra Donatistas capite.* 24. vbi id censet Apostolicam habere traditionem, & institutionem; quod in vniuersa Ecclesia, & omnibus retro temporibus seruatum est: Quamuis ipsum etiam tale sit, vt ab Ecclesia potuerit institui. Et Irenæus *lib.* 3. *capite.* 3. ac Tertulianus, libro de præscriptionibus Hæreticorum docent ex Apostolica descendere traditione, quod pro tali habetur in his Ecclesijs, vbi est integra, & continuata successio ab Apostolis. *Minor huius syllogismi prob.* discurrēdo per singula: De vsu & virtute exorcismi: id est adiurationis, res constans est legenti Euangelia, & Actus Apostolorū: vbi cōstat imperio per inuocationē nominis Iesu (h.e. exorcismus) dæmonia fugata ab Apostolis, imò & à Iudæis, de quo nos latè in disputatione immediatè præcedenti. Et Tertul. *lib. de præsc. c.* 40. in mulierculas quasdā, quę officiū exorcistarum vsurpare præsumebant, his verbis inuehitur: *Ipsæ mulieres Hæreticæ, quàm procaces, quæ audeant docere, exorcistas agere, &c.* Diuus Cyprianus, ad Demetrianum Proconsulem; *adiurantur* (inquit) *dæmones à nobis, & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessorum corporibus eijciuntur.* Et idem de idolorum vanitate: *Adiurati* (inquit) *per Deum verum à nobis, statim cedūt, & fatētur, & de obsessis corporibus exire coguntur: videas illos nostra voce & operatione maiestatis occulta, flagris cædi, & igne torreri, incremento pœnæ propagnantis extendi, eiulari, gemere, deprecari, vnde veniunt, & quando discedunt, confiteri.* Hæc Cyprianus ferè coætaneus Apostolorū. Et similiter Hieronymus, Augustinus, & alij vsque ad nostra tempora. *Dicent* fortasse, exorcismum breuem vsitatum tempore Apostolorum licitum esse, & hæc operari: non verò eum ampliorem, qui modò in vsu est. *Contrà*: nam qui modò in vsu est essentialiter consistit in imperio erga dæmones, per obtestationem alicuius rei sacræ: sicut & is breuis, qui erat in vsu Apostolorum tempore: cætera quæ adduntur, putà vsus reliquiarum, Crucis, rerum sacrarum, &c. pia sunt, vt statim ostendemus. — *August.* — *Tertul.* — *Cyprianus.* — *Hieron.* — *August.*

De vsu verò reliquiarum ad profligandos dęmones antiquus Hieronymus *libro contra Vigilantium* inquit: *Tu* (dæmonem alloquitur, qui per os Vigilantii reliquias Sanctorum vilissimum puluerem appellauerat) *sæpè vilissimo hoc tortus es puluere.* Chrysostomus Homil. 66. ad populum Antiochen. *Reliquiæ Sanctorum* (inquit) *dæmones sistunt, & torquent, & vinctos ab illis soluunt sæuissimis vinculis:* & libro contra Gentiles de vita sancti Babilæ: *Ea* (inquit) *est Sanctorum potestas, vt illorum superstitum dæmones ne vmbras quidem, aut vestes, vita autem defunctorum, & loculos quoque reformident:* & sermone in adorationem catenarum sancti Petri: *Has catenas* (inquit) *potentiarum, quæ ab ipso defecerunt, Princeps exhorruit, & nunc etiam exhorret, & multo cum timore illas subterfugiens comprimitur. Has aerea spirituum multitudo metuens, ac tremens, iaculisque inde emissis percussa, longius perfugatur, &c.* Ac denique exempla multa nobis annales omnium ætatum, ac temporum subministrant. Videnda sunt, quæ diximus dubitatione præcedenti. 3 — *Hieron.* — *Chrysost.*

De vsu Crucis aduersus dæmones Lactantius lib. 4. capit. 27. *Sicut ipse Christus cum inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, hominumque mentes emoliebat, & malis incursibus feriatas in sensus pristinos reponebat. Ita nunc sectatores eius eosdem spiritus inquinatos de hominibus &* 4 — *Lactant.*

nomine

Basilius. nomine magistri sui, & signo passionis excludunt. Hæc Lactantius. Diuus Basilius, *libro de Spiritu sancto*, Crucem vocat saluberrimum remedium ad pellendos dæmones. Sanctus Ephren *de pœnitentia* Ephren *capit.3.* insuperabilem Christianorum armaturā. Origenes. Origenes homil.5.in sextum caput Exodi: *Timor, & tremor* (inquit) *cadunt super dæmones, cum signum in vobis viderint Crucis fideliter fixum.* & Homil.8.ad diuersos, sic habet: *immortale laborum* (Crucem) *portemus in frontibus nostris, cum dæmones hoc viderint contremiscent, qui aurata capitolia non timent.* August. August. ad Cathecumenos docet, idcircò eos Cruce signari, vt dæmonibus sint terrori. Sanctus Athan. Antonius teste Athanasio *in eius vita*, contra omnes terrores solo Crucis signo iubebat securos Cyr. Hier. esse monachos. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi.9. *non pudeat* (inquit) *vos Christū crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signum Crucis digitis imprimatur, & in alijs omnibus Crux fiat, in panibus comedendis, in poculis bibendis, & in ingressu, & egressu, ante somnū recūbendo, & surgendo.* Continuatā verò seriem religiosi vsus Crucis ad fuganda dæmonia monstrant exempla à nobis allata de hac re in præcedenti disputatione: & innumera alia quæ possent adduci, non solùm de fuga dæmonum per Crucis virtutem, verum & de multis alijs mirabilibus eiusdem virtute patratis.

Ex dictis planè confutantur Hæretici dicentes vsum Crucis ad profliganda dæmonia esse superstitiosum. Bone Deus, si vniuersa Patrum antiquitas Crucis virtutem venerata est, & ad profligandos dæmones in pretio habuit: qua fronte isti nebulones, quoue fundamento superstitiosum dicunt quod à sanctissimis viris vsitatum totis retrò temporibus fuit?

5 De rebus verò sacratis seu benedictis, quę per se non ordinantur ex sua sacratione, aut benedictione ad dæmonia fuganda, modò nil dico: licet & ipsi eas, & earum vsum reprehendant: quia multi viri docti Catholici nostræ ætatis eas tuentur contra istorum insaniam: solum dicam de vsu earum rerum sacrarum, quæ ex vi suæ institutionis, aut sacrationis ad dæmones pellendos institutæ sunt. Fatemur, ab Ecclesia hasce res esse sacratas, & ad præfatum vsum institutas, & orasse, ac orare, vt prædictum sortiantur effectum. Nunquid non potest expulsio dæmonum oratione impetrari, sicut alij mirabiliores effectus? Nunquid creaturas benedicere nouum, aut superstitiosum? Oleum ab Apostolis benedicebatur ad vngendos infirmos. Basilius. Diuus Basilius *libro de Spiritu sancto* docet esse Apostolicam traditionem, quod aquam benedicimus. Sed antiquitatem probat maximè oratio, quæ inter constitutiones à Clemente scriptas reperitur: vbi sic dicitur: *Domine Sabbaoth, Deus virtutum, creator aquarum, & dator olei, misericors, & benigne, qui dedisti aquam ad potum, & mundiciam, oleum ad exhilarandum faciem in exultatione lætitia: ipse quoque nunc sanctifica aquam, & hoc oleum, in nomine eorum, qui attulerunt, & da virtutem sanitatis effectricē, ægritudinum expultricem, dæmonum fugatricem, omnibus insidijs aduersariam. Per Christum, qui est spes nostra, &c.* Demum aquæ benedictæ meminerunt, Epiphanius Hæresi.30. Theodoretus *lib.5. capit.21.* Augustinus *homilia.27. ex 50. & sermone.19. de Sanctis, & libr.6. in Iulianum, caput.8.* Epiph. Theodor. August.

Neque desunt pro hoc vsu innumera exempla, quæ partim retulimus disputatione præcedenti. Et hæc satis dicta sint ad impugnandum Hæreticos, qui censent vsum mediorum, quæ connumerauimus esse superstitiosum.

6 Sed accingamur necesse est ad eosdem Hæreticos impugnandos, asserentes dæmones his applicitis medijs nequaquam inuitos fugari: sed volentes discedunt, inuitos se exterminari simulant: vt sic homines ad vsum superstitiosum earum rerum inducant, non sine magna Dei iniuria. O nequitiam! ô calumniā! quæ à nobis retundenda est. *Primo* sancti Patres, quos citauimus, & alij post eos aiunt his rebus, verbi gratia reliquijs Sanctorum, Crucis signo dæmones torqueri, compelli, inuitos fugere: & isti nouatores asseuerant dæmones fugam simulare ac volentes imò lætos discedere, vt homines ad vsū superstitiosum inducant. Quibus maior fides adhibenda est? Istis qui nouissimis temporibus peruersa dogmata inuexerunt: an vniuersæ sanctorum Patrum antiquitati, & sequentium Orthodoxorum vniuersitati, qui dæmones his rebus inuitos fugari, & torqueri asseuerant? Vnde agnouerunt Hæretici dæmones fugam simulare? an quia illis Deus reuelauit, & per tot secula sanctis viris sibi dilectis occultauit? an quia ipsi dæmones suaserunt? Ita reor, vt sibi familiaribus. Sed mendax est, & pater mendacij, & hac via inter alias vult, vt ab Ecclesia Catholica discedant.

Sed propius ad rem accedentes, audiamus Chrysost. Chrysostomum contra Gentiles de vita sancti Babilæ docentem, oraculum Apollinis siluisse ob viciniam sepulchri sancti Babilæ, & vt loquelam reciperet iussisse Iulianum apostatam arcam Martyris remoueri. Dicunt centuriatores diabolū de industria simulasse se impediri à Martyre; vt in vsum, ac venerationem reliquiarum superstitiosam induceret. Sed isti cæci attendant, quàm futilis sit eorum responsio: nam vix arca Martyris amota est, quādo ignis de cœlo descendens idolū, vnde diabolus oracula reddebat totū cōsumpserit. Vide Bellarminum *tomo primo contr. vltima, lib.2. cap.2.* Bellarm.

7 Nazian. Narrat item Nazianzenus, in *oratione contra Iulianum apostatam* semel euocasse dæmones, vt ei assisterent: at ipse vel metu percussus, vel pro consuetudine Christianorum, ipse apostata à Christianismo, se Cruce signat, & statim eo signo dæmones, quos euocauerat, fugat. *Dicent* vtique nouatores isti, dæmones nequaquam fuisse fugatos virtute Crucis, sed fugam simulasse: ad quid rogo? ad inuitādum perditum apostatam, vt honoraret Crucem, quem à Crucis honore iam auocauerant? nonne satius esset ipsis, inuitare ad blasphemiam Crucis, ad quam ipse animatus erat? Volueruntne persuadere, vt Christianus fieret, quem ad abnegandam fidem Christi spe maximi lucri induxerant? Quid ineptius potuit

tuit excogitari; aut dici? Profectò si vnquam dæmones simulauerunt fugam ad conspectum Crucis, cum se signo Crucis signauit apostata, fugam simulare non debuerunt; sicut neque ad effigiatam Crucem à Iosepho Iudæo: (de quo supra retulimus Crucis signo pellere dæmones ab obsessis,) siquidem hac remotus, Christianus effectus est. Quis autem dicat fugam simulasse dæmones, vt Iosephus abnegato Iudaismo Christianus fieret? Ferè eadem argumenta fieri possunt de eiectione dæmonum per nomen Iesu, ipsis formidabile; per aquam benedictam, & aliàs huiusmodi sacratas res.

8 Demum, si veterum Historias euoluamus, inueniemus magna, & multa prodigia patrata esse reliquiarum, & Crucis vsu, & aliorum, quæ isti nouatores nolunt admittere ad fugam dæmonum efficiendam.

Mittamus cætera, ne nimis prolixi simus, & sermonem instituamus de Crucis signo, cuius virtute plura facta esse prodigia legimus, sanatos morbos, restitutam sanitatem, dracones ingentes peremptos: ita Theodoretus in vita Iuliani, & Marciani Martyrum. Cæcis lumen restitutum: ita Victor Vticensis, *de persequutione Vvandalica.* Haustum sine detrimento salutis venenum, vt scribit Diuus Gregorius. Fractos, & repulsos maris fluctus; scribit enim Hieronymus, in vita Hilarionis, post mortem Iuliani Imperatoris mare sic intumuisse, & terminos egressum solitos, vt quasi nouum diluuium minaretur: stupefacti accolæ sanctum Hilarionem accersunt, atque in litore constitutum rogant, vt precibus suis mare, iramque Dei auertat, & Hilarion tribus in arena Crucibus factis, manus contra fluctus eleuat, & ecce subitò in modum muri eriguntur; & quasi vim sibi fieri sentientes, paulatim recedunt: Alia innumera possent adduci nõ solùm de virtute Crucis, verum etiam de reliquis rebus sacratis, & alijs medijs quæ approbauimus ad inducendam dæmonibus fugam. Quibus ita constitutis, & suppositis, sic formo argumentũ. Præfata media habuerunt vim ad multa portenta, prodigia citra dæmonum fugam, & aliqua, quæ non potuerunt à dæmonibus fieri, vt mortuorum suscitatio; oculorum restitutio, & similia: quæ ergò ratio patitur, vt eam virtutem denegemus ad fugandos malignos spiritus? Nulla certè, sed sola malignitas Hæreticorum qui omnia pertinentia ad ritus Ecclesiæ Romanæ conantur euertere, sibi ineptè persuadet.

Theodor. Vict. Vti. Greg. Hieron.

9 Ad argumenta facta pro Hæreticis respondetur. *Ad primum*: non omnia, quæ Ecclesia licitè & sanctè obseruat, habentur in sacra Scriptura, nec omnia à Christo instituta: sed quædam ex traditione Apostolica habentur, & ex Ecclesiæ institutione. Hoc non admittunt Hæretici: sed Orthodoxi admittunt, vt colligere licet ex Concilio Tridentino *sessione* 7. *Conon.* 13 de Sacramentis in genere, & *Session.* 21. *capite secundo*. Et ad hoc confirmandum adducit Synodus illud Pauli primæ ad Corintheos quarto. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*: & illud primæ ad Corintheos 11. *Cætera autem cum venero disponam*. Sed de hoc aliàs: videndi sunt Orthodoxi scriptores nostri sæculi, qui egregiè adlaborarunt contra Hæreticos.

Trident. 1. Cor. 4. & 11.

Ad confirmationem respondetur, nostros exorcismos eiusdem rationis esse cum illis, quibus Apostoli sunt vsi: fateor, sunt ampliores, & pluribus constant: quorum singula valdè prosunt ad eiectionem dæmonum: orationes, ieiunia, Crucis signa, aquæ benedictæ aspersio. Nunquid damnandi sunt, quia tot remedia congerunt, quorum singula magnam ad profligandos dæmones virtutem habent? nequaquam. Tot autem congessit Ecclesia, quia non viget tam copiosa gratia ad eijciendos dæmones in ministris nostri temporis, sicut in ministris primitiuæ Ecclesię: & ideò dæmones multis impetendi sunt machinis, vt relinquant miseros, quos vexant: ea autem, quæ adiunguntur, pertinere ad superstitiosum cultum negamus, sed potius ad pium & religiosum, de quo partim diximus: & alibi proprijs locis aduersus Hæreticos discutiunt nostri Theologi.

Secundum argumentum satis superque à nobis solutum est: ita vt neque verbulum sit necesse superaddere. In tertio argumento postulatur modus concurrendi præfatorum mediorum ad dæmonum pulsionem: de quo disputatione immediatè sequenti.

DISPVTATIO XIIII.

De modo causalitatis dictorum mediorum.

OBscura visa est decisio huius rei Diuo August. *lib.* 2. *de ciuitate Dei capit.* 9. vbi loquens generaliter de omnium miraculorum, & rerum, quæ superant naturæ vires operatione ait: *Siue enim Deus ipse per se ipsum miro modo, siue per suos ministros etiam faciat, siue etiam per martyrum spiritus, siue per homines adhuc in corpore constitutos, siue omnia ista per Angelos, quibus inuisibiliter imperat, operetur: vt quæ per martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantùm, & impetrantibus, non etiam operantibus fiant, siue alijs modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus possunt: tamen attestantur hæc miracula fidei, in qua carnis resurrectio in æternum prædicatur.* Nos autem diuino numine implorato tentabimus hunc nodum dissoluere, præmittendo non esse quæstionem, an præfata media possint eijcere dæmonia ex opere operantis, id est ex merito ijs vtentium: sed ex opere operato, quod aiunt Theologi: id est ex vi vsus istorum mediorum. 1

August.

Secundò nota, triplicem imaginari modum possibilem, quo dæmonia ab hominibus pellantur & in fugã vertantur medijs ac signis sensibilibus. *Primus modus* est quasi connaturalis ipsi medio sensibili suppositis nostræ fidei mysterijs: videlicet quia ipso viso aut apprehenso dæmon tristatur, & perhorrescit, & vt hanc tristitiam & horrorem euadat fugam capessit: verbi gratia, audito Chri- 2

to Christo nomine, qui de hoste generis humani mirabiliter triumphauit: visa Cruce, in qua suspensus dæmones deuicit: & in hoc modo fugandi dæmones, non aliam efficaciam habet mediũ sensibile, nisi quam habet obiectum contristans, quod naturaliter mens versare reformidat.

Secundus modus fugandi dæmones in impetratione fundatur, & hoc dupliciter. *Primò*, quando ad preces alicuius ad Deum, vel Sanctos fusas, dæmones abiguntur. *Secundò*, quoniam Ecclesia quibusdam rebus impetrauit efficaciam dæmones pellendi, vt quando benedictionem aquæ instituit, aut imagines cereas, quas *agnus Dei* dicimus, pro exterminatione dæmonum. *Tertius modus*, quando ex Dei speciali potestate à Christo promissa, confertur quibusdam sensibilibus, vt exorcismis, causas esse instrumentales Dei ad dæmonum eiectionem, hoc dupliciter, vel vt causæ instrumentales physicæ, aut verò vt causæ instrumentales morales.

Tertiò notandum est, non esse necessarium, vt in singulis quinque medijs enumeratis, omnes & singuli tres modi operandi dæmonum pulsionem inueniantur: sed sat erit si in aliquibus omnes, in alijs verò vnus solus operandi modus reperiatur. Sed age de singulis in speciali perscrutemur, quomodo præfatum effectum operetur.

De Oratione.

MODVS fugandi dæmones per orationem longè diuersus est ab eo, quẽ in alijs medijs sensibilibus constituimus: hic ad Deũ tendit, & Sãctos, quibus pro dæmonum eiectione supplicatur; illi ad dæmones profligandos diriguntur: in hoc oratio non est instrumentalis causa, nisi fortè medium morale; in illis media sensibilia causæ instrumentariæ sunt. Modus itaque abigendi dæmones per orationem fundatur in communi lege orationum, maximè in promissione Christi multis in locis: quas reliquit Deus vt remedium vniuersale hominum, non solum ad bona quæcunque obtinenda, verùm & ad omnia propulsanda mala. Quæ mala? omnia: etiam dæmones: quinimò in oratione Dominica posteriorem petitionem: *Sed libera nos à malo*: de liberatione à dæmone intelligunt omnes Græci, Nissenus, Cyrillus, Chrysostomus, Euthymius, Theophilactus, & ex Latinis Chrysologus, Ambrosius, & Cassianus.

Deniq; hanc orationis vim, ac efficaciam ad propulsandos dæmones Christus Dominus *Mat.* 17. expressit, dum affirmat quoddam dæmoniorum genus sæuissimum sola oratione posse pelli: ergò pro alijs non ita ferocibus expellendis, multum valere necessarium est orationem; nimirum impetrando à Deo eorum pulsionem. *Matt.* 17.

De Reliquijs Sanctorum.

RElIquias Sanctorum pellere dæmones, ac in fugã conuertere superius docuimus. Modus autem istius fugæ operandæ, primus est: quia reliquijs visis exhorrescunt, ac tristantur dæmones multò plus quam nos, si dæmonia videremus in forma horribili. Hoc palam fit ex sequentibus.

Res clara est, dæmones odio ac inuidia aduersus Sanctos dũ in humanis agerẽt flagrare. Quare? quia occupaturi sunt cœlestes sedes, quas ipsi perdiderunt; quia redemptionis Christi participes sunt, & ipsi ab ea extorres; quia ipsis molesti sunt, & ab eis superantur sæpissimè; quia ab ipsis confunduntur, dum homo terrenus, & imbecillus potentissimum spiritum profligat. Hinc emanat, vt eorum præsentiam ferre nequeant, & ea se torqueri sæpè clamarunt. Cum sancta Genouepha virgo Turonum esset ingressa Sancti Martini reliquias visitatura, turba dæmoniacorum clamare cœpit, se gemino incendio torqueri: præsentia, scilicet, Sanctæ illius virginis, & reliquijs sancti Martini, quæ in ea Ecclesia, quam Sancta ingrediebatur, asseruabantur. Sic se torqueri clamabat, & facultatem egrediendi precabatur, ille qui ad Theodorum Archimandritam adductus fuit, & ne loco se moueret ab eodem mandatum accepit.

Legimus insuper, quosdam dæmones in obsessis existentes præsentiam Sanctorum aduenantium expectare noluisse: sed fugerunt prius quàm à sanctis hominibus eijcerentur. Dæmon ille, qui filiam Gordiani Imperatoris vexabat, ante quam sanctis Triphon accederet, sede sua relicta aufugit. Ita Metaphrastes in Triphone: & *Metaph.* legio spirituum torquentium adolescentem, cuius in vita sancti Arnolphi. *cap.* 24. mentionem *Lisiard.* facit Lisiardus Suouesionensis Ecclesiæ Episcopus, mox in fugã conuersi fuerunt, vbi sanctum virum viderunt aduentare. Multa huiusmodi lege apud Theodoretum *lib.* 7. *cap.* 37. *Eccles. Hist.* *Theodoret.* Formidant igitur, ac tremunt dæmones adesse in Sanctorum præsentia.

Ex his inferimus exhorrescere ac tremere coram Sanctorum reliquijs, & non valentes earum præsentiam ferre, fugiunt. Naturale est omnibus quorum odio ac inuidia flagrant, eorum neque aspectum ferre, neq; præsentiam: eorum detestari imagines, mores, filios, & amicos ipsorũ: quidquid est, graue est, molestum est, tortura est: cum ergò dæmones odio ac inuidia sanctos homines prosequantur: palam est nequaquam posse non detestari eorum cadauera, reliquias, vestes, imagines, &c. & eorum præsentiam fugere. *Præterea* difficile est hominibus, maximè improbis, vt eos mortuos amẽt, & nõ detestẽtur, à quib⁹ viuis graues iniurias perpessi sunt: sed dæmones multa passi sunt à sãctis viris, victi, superati, neglectui habiti: igitur cũ nequissimi sint, iniuriarũ nõ immemores: certè odio plusquam Vatiniano Sanctos mortuos prosequentur, & eorum cadauera, ac reliquias cum molestia substinebunt; maximè quia Deo eas protegente dæmones non audent, nec possunt disperdere.

Huic accedit, quod Deus sicut dilexit Sanctos, dum viuerent, ita mortuos non despexit, sed eorum cadauera magni æstimat: sunt enim chara pignora Sanctorum, quos Deus honorat, & per ea, & alias eorum reliquias magnalia operatur: quod agnoscentes dæmones eas execrãtur, &

Chrysost. tur, & fugiunt. Eleganter hoc docuit Chrysostomus homil. 7. de septem Machabæis his verbis: *Et audaces latronum duces, siue impij sepulchrorum effossores, si fortè dum prædas agunt, aut spolia capienda conquirunt, in arma, vel ornamenta Imperatoris incurrerint, quamlibet cupidi prædarum: tamen ita agnitis Regis insignibus terrentur, vt fugiant, neque cominus accedere, vel attingere audeant, vnde sibi compendium non procedere, sed periculum prouident imminere, si quid inde audeant vsurpare. Ita profectò & dæmones, qui verè latronum, & principes, & magistri sunt, vbi coronatorum Martyrum viderint corpora posita: longè illicò à conspectu illorum pauidi fugiunt, & absiliunt.* Hæc Chrysostomus. Hic est præcipuus modus fugandi dæmones, quem in reliquijs Sanctorum reperio.

Alter modus, quo per reliquias Sanctorum dæmonia fugantur, est concursus instrumentarius, quibus reliquiæ pollent, eo quod à Deo assumuntur, vt instrumenta sint ad fuganda dæmonia. Iste autem modus non tam certus est sicut præcedens, probabilem tamen reputo: quia Deus per Sanctorum cadauera ac reliquias multa miracula operatus est: vt videre licet in sacris literis, & Patrum monumentis: at vix imaginari possumus modum huius concursus reliquiarum: nisi quod instrumenta Dei fuêre ad opera miraculosa: ergò idem fatendum est in fugatione dæmonum, quæ inter opera miraculosa computatur. Quæ enim maior ratio dubitandi est de hac, quam de illis? Minor est communis consensio Theologorum rectè sentientium. Maior autem constat ex sacris literis & Patrum monumentis. Conijcitur in Sepulchrum Helisæi cadauer hominis mortui, & subitò, vbi Helisæi ossa attigit,
4. Reg. 13. surrexit homo viuus: 4. *Regum* 13. fimbria vestimenti Christi Domini mulierem à fluxu sanguinis liberat
Luc. 8. *Lucæ* 8. Ambrosius, *sermone de Geruasio*
Ambros. *& Prothasio refert*, cæcum esse visui restitutum ad contactū feretri, quo reliquiæ portabantur. Na-
Nazian. zianzenus, oratione in Cyprianū: *Omnia* (inquit) *potest puluis Cypriani cum fide, vt sciunt hi, qui experti sunt, & miraculum vsque ad nos transmiserunt.* Augū.
August. *lib. 22. de ciuit. Dei cap.* 8. ait tot esse facta miracula breuissimo tempore ad Reliquias sancti Stephani: vt multi libri scribendi essent, si omnia referenda essent: ac deniq; nostris temporibus & facta sunt, & fiunt sæpè miracula per reliquias Sanctorum: in quibus nō inuenimus alium operandi modum, nisi quia Deus ea operatur medijs reliquijs, vt instrumentis: & idem nos dicimus modò de electione dæmonum.

De modo, quo Crux pellit dæmones.

CRVX pellit dæmones dupliciter, sicut de reliquijs diximus. *Vno modo* vt obie-
7 ctum contristans & horrorem dæmonibus incutiens: quod vt deuitent, fugiunt. Itaq; vt nos res odiosas & inuisas: ita illi Crucem detestantur & fugiunt. Sed quare Crucem odiunt, ac detestantur? quia Cruce eorum vires labefactatæ, eorum regnum euersum est:
Colos. *Christus*, (inquit Paulus ad Coloss. 2.) *chyrographū decreti quod erat contrarium nobis tulit de medio, affigens illud Cruci, expolians principatus, & potestates, traduxit palam confidenter triumphans illos in semetipso.* Quare vt canis baculum, quo percussus est, detestatur: ita diaboli crucem detestantur. Quo fit vt in prouerbium abierit de his, qui res sibi exosas auersantur: *Fugiunt eas, sicut diabolus Crucem.* Odiunt item, quia Christi crucifixi, eos damnaturi effigies est. Odiunt, quia crucis signo in memoriam reuocatur Passio Christi, & eius merita: ob quæ homines à potestate diaboli erepti sunt: & propter multa alia, quæ dæmonibus valdè displicent: quorum recordatione torquentur, & præ horrore fugiunt. Egregiè Origenes homil. 6. Origen.
in quintum caput Exod. *Timor & tremor* (inquit) *cadunt super dæmones, cum signum in nobis viderint Crucis fideliter fixum:* & in homil. 8. ad diuersos sic ait: *Immortale labarum, Crucem portemus in frontibus nostris: cum dæmones hoc viderint, contremiscent, quia aurata capitolia non timent.* 8

Secundo modo. Crux dæmones abigit, vt causa instrumentalis, qua vtitur Deus ad eos profligādos. Hoc probabile est; & probatur eadem ratione, qua id in reliquijs astruximus: nam Crucis signo audiuimus à fide dignis magna & plura ædita fuisse miracula: cæci lumini restituti: ita Vi- Vict. Vit.
ctor Vticensis *de persequutione Vvandalica.* Carbones ardentes extincti, ita Metaphrastes in vita Metaph.
sancti Tiburtij. Ingentes dracones occisi: ita Theod.
Theodoretus de sanctis Iuliano, & Martiano. Sed in his & similibus patrandis Crux instrumētum Dei fuit: cur ergò id non asseramus in dæmonibus profligandis?

Inter hunc & priorem modum multiplex differentia est: *in priori* Crux pellit dæmones, vt obiectum: in *secundo* vt efficiens instrumentale. *In priori* solus Deus autor fugæ est; *in secundo* homines etiam concurrunt, mediante crucis effigiatione, aut applicatione. *In priori* dæmones voluntariè fugiunt, vt euitent horrorem obiecti contristantis: *in secundo* inuiti etiam ac nollentes coguntur fugere, ac propria relinquere domicilia, quæ posséderunt: ferè ad eum modum, quo homo hominem pellit à loco, vbi antea erat, & in quo cupiebat permanere. Mitto modò vsum Crucis, quando Deus per eam adiuratur: vt si dicamus, per tuam Crucem libera nos Domine à dæmone, quia hic precandi Deum modus est, & ad orationem reducitur. Et hæc satis de modo, quo Crux dæmones fugat.

De rebus consecratis, seu benedictis.

RES sacratas, seū benedictas plurimum 9
valere ad fugandos dæmones superius docuimus. Superest disserere modum, quo tam mirabilem effectū perficiant. Prius tamen diuidere oportet res sacratas seu benedictas, in quasdam, quarum vsus vt habetur ex earum institutione, est dæmonum fugatio, aut contra eos protectio, vt aqua benedicta, & cerei, qui in die purificationis benedicuntur: aliæ verò sunt quæ ex vi suæ sacrationis, aut benedictionis ad finem præfatum non ordinantur: sed ad alias

putà ad Dei cultum, sacramentorum administrationem, morbos curandos,& similia: in his, quæ posterioris generis sunt,nullam rationem ac modum fugandi dæmones esse existimo,nisi fortè,quia dæmones propter sacrationem, & corũ effectus exosas habent.

Nescio tamen, an odium erga eas tam ingens sit,vt compulsi sint à loco recedere, aut non accedere vbi adsunt. At verò in vsu rerum prioris generis, vt in vsu aquæ benedictæ reor esse vim instrumentalem, id est esse Dei instrumenta ad dæmones pellendos, aut profligandos, plus quã in reliquijs Sanctorũ,aut Crucis effigie,eo quod reliquiæ & Crux suum per se habent vsum distinctum à profligatione dæmoniorum. Reliquiæ pignora Sanctorum sunt, quæ quia organa fuêre ad opera egregia, valde honorat Deus. Crux imago Christi pro nobis in Cruce pendentis.Et si ab aqua benedicta tollas effectum præfatum: aqua sola est,quia ex vi suæ consecrationis ad illud instituta est.

Si autem quis roget: in quo concursus iste instrumentalis fundetur? Respondeo, in impetratione Ecclesiæ, quando eas res benedixit aut sacrauit:vt enim constat ex verbis ac cæremonijs, quibus Ecclesia vtitur in earum benedictione,enixe supplicat, ac à Deo obtinere nititur vt vsu earum dæmonia fugentur, vt videre licet in formulis suæ benedictionis. Deum autem exaudiuisse Ecclesiam sponsam suam,quis ambigit? maximè quia ex Spiritus sancti inspiratione, modus ac forma benedicendi,& sacrandi eas res ortum habuit à tempore Apostolorum.

10 Ne autem amice lector, rituales libros vbi formulæ præfatæ exaratæ sunt, perquiras,& fortè non inuenias;en eas tibi ante oculos pono. In aquæ benedictione, aut sacratione sic orat Ecclesia: *Deus qui ad salutẽ humani generis maxima quæque sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius inuocationibus nostris,& elemento huic multis modis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis infunde,vt creatura tua mysterijs tuis seruiens ad abigendos dæmones,morbosq; pellendos diuinæ gratiæ sumat effectum &c.* Ad benedictionem salis hæc formula vtitur: *Omnipotens æterne Deus immensam clementiam tuam humiliter imploramus, vt hanc creaturam salis, quam in vsum generis humani tribuisti: benedicere & sanctificare digneris,vt sit omnibus sumentibus sanitas animæ,& corporis,& quidquid ex eo tactum vel aspersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitiæ. Per Dominum nostrum &c.*

Dum cereas imagines,quas agnus Dei dicim⁹, consecrat inter alia sic orat: *Quæsumus Domine hos agnus,quos de cera virginea in tuum honorem formauimus,sacra & perenni vnda,balsamoq; sacri chrismatis perfusos benedicere, sanctificare, & consecrare digneris: quatenus à te benedicti virtutem accipiant contra omnia diabolica tentamenta, & omnes portantes tuti esse possint inter aduersa,& prospera: vt tua consolatione accepta, nullum periculum timeant, nullamque formident vmbram, nulla sæuitia diabolica, aut versutia humana eis noceat: sed virtute tua fortitudinis roborati, tua consolatione glorientur; qui vere paracletus diceris. &c.*

In benedictione autem cerei petitur, vt per ceræ sanctificationem Dominus conterat diabolum, & disperdat de cunctis habitationibus colentium Deum; de basilicis, de domibus, de angulis,de refectorijs,de lectulis,de vniuersis locis,in quibuscunque Deo famulantes habitant, &requiescũt,dormiũt,vigilãt,ambulant,& consistunt.Nec audeat ille malignus spiritus inquietare amplius; vel pauorem immittere super eos, quos sãcti chrismatis sui vnctione fecit esse munitos. Ita libri rituales.

Hinc factum est vt istarum rerum sacrarum vsus tam frequens sit, & apud Catholicos in locis,ac temporibus, quibus dæmones molesti esse solent; apud agonizantes; quando tempestates ingruunt,& alijs huiusmodi.

De exorcismorum efficacitate.

Exorcismus in propria & pressa significatione imperium supra dæmones importat.Quod verò huic imperio adiũgantur alia media,quæ conducunt, aut efficaciam habent pellendi dæmones per accidens est. 11

Loquendo igitur de exorcismis in hac stricta significatione dico;certum esse secundùm fidem exorcismos habere vim ac efficaciam fugãdi dæmones,ne hominibus noceant. *Probat.* Fides est, in Ecclesia fuisse, & esse potestatem imperandi dæmonibus eiectionem,ac fugam: vt patet ex multis locis sacræ Scripturæ, quæ attulimus in prima disputatione.Lucæ & Matthæ 20. *Ecce dedi vobis potestatẽ calcandi supra serpentes &c.* Et Marci vltimo. *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur,in nomine meo dæmonia eijcient &c.* Et ex vsu & traditione Ecclesiæ habetur,deriuatam esse hanc potestatem ad posteros, vt patet ex Cœlestino Papa *Epist.1.ad Episcopos Galliæ*, & ex Concilio Carthaginensi. 4. *cap.*7. & ex Patribus relatis in *prima disput.* siue hæc potestas ordinaria sit,qualis reperitur in exorcistis;siue extraordinaria, pertinens præcise ad gratiam miracula faciendi. At hæc potestas exercitio mandatur per imperium; sicut & quæcunque alia humana potestas erga subditos: ergò exorcismi efficaciam habent ad fuganda dæmonia,seu illa eijcienda, si proferantur ab habente potestatem exorcizandi. Probatur, quia exorcismus in imperando dæmonibus consistit essentialiter: quod imperium ridiculum esset nisi efficax esset.

Lucæ & Matt.20. Marc.vlt. Cœl.fin. Con.Car.

Hæc *ratio probat*, nostrum assertum esse de fide,loquendo de efficacitate abstrahendo à physica & morali: id est ab eo, quod est exorcismos attingere expulsionem dæmonum coagendo Deo: siue ad eorum præsentiam Deum pellere. Quamobrem miror Franciscum Suarez virum doctum, & pium *in 3. tom.suorum operum supra quæstionem sexagesimam quintam. 3 partis* D. Thom. *disputat.* 15. efficacitatem exorcismorum non reducere ad potestatem collatam Ecclesiæ, nisi tantùm probabiliter, & quasi dubitantem de hoc fundamento: cum tamen ab ea promanare certò certius sit, vt patet ex ratione à me allata. 12

Fateor

Fateor conducere meritum adiurantis; & summopere inuocatio nominis Christi, ac impetratio Ecclesiæ. Sed hæc accidentalia sunt exorcismo; qui essentialiter in imperio erga dæmones consistit: cuius efficacitas à Christo promissa est locis citatis, & vsu ac Ecclesiæ traditione asserta. Confirmatur ex Iustino Martyre. q.4. ad gentes, dicente, esse vim quandam, quæ sub sensū non cadit, quæ timorem incutit dæmonibus cum ab Ecclesia imperantur: & D. August. *lib.* 83. *quæstionum q.* 79. Exorcismos, quos vocat signa publicæ iustitiæ, expresse asserit habere efficaciam propter honorem excellentissimi imperatoris; id est propter potestatem à Christo collatam: quam vocat ibidem imperialem legem, alludens ad illud: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi &c.* Prætetea Diuus Gregorius *lib. Dial. cap.* 3. ait, sanctos homines, etiam in carne viuentes, non solum orando, & impetrando, sed etiam potestatiuè, ac per hoc cooperando, miracula faciunt. Inter quæ iam computauimus eiectionem dæmonum: at hæc cooperatio nō potest cōsistere, nisi ponam⁹ aliquam efficaciam in exorcismis, quibus imperantur exire: ergo &c.

Iust. Martyr. D. Augu. D. Grego.

23 *Dices.* Non negamus exorcismis efficaciam: sed præcipuè eam reducimus ad impetrationem adiurantis, vel Ecclesiæ orantis, vt Deus eā virtutem conferat exorcismis. *Contrà.* Demus aliquem exorcizare dæmonem nulla præmia oratione, sed solo simplici imperio: sicut aliquando Apostoli creduntur fecisse, & multos etiam sanctos viros diximus supra fecisse: tunc eiectio facta per talem exorcismum non potest tribui impetrationi: quia nulla oratio præcessit, neq; necesse fuit præcedere orationem Ecclesiæ.

Rursus. Verba imperatiua qua ratione signā sunt, non sunt obiectum, quod horret dæmon, nisi fortè qua ratione efficacitatem habēt pellendi eum: ergò necessariò fatendum est potissimam efficacitatem exorcismis prouenire ex potestate à Christo concessa: cætera verò se habent accidentaliter ad efficacitatem; sicut accidentaliter coniuncta sunt: verbi gratia, adiunguntur exorcismo reliquiæ Sanctorum, aut effigies Crucis: non dubium quin per modū obiecti, quod horrent dæmones possint eos fugare præcipuè nominis Iesu inuocatio: quod sicut hominibus pijs amabile, ita dæmonibus tremendum ac formidabile. *Sola præsentia Saluatoris* (ait Hiero. Matt. 8.) *tormenta erant dæmonu, & tamen tunc non agnoscebatur à dæmonibus esse verum Deum.* D. Thom. 3. *p. q.* 44. *art.* 4. quanto magis horrescent, ac torquebuntur audito nomine eius, quem sciunt esse verum Deum, Patri æqualem; qui eos iudicaturus est, ac in infernum æternis flāmis torturus? Horrore certè implebuntur, & audito sanctissimo nomine Iesu: pauidi fugient: & ob id sagis, & his, qui se diabolo deuouerūt (vt ab ipsis narratū est) præcipit diabolus, vt quando ad nocturnos conuentus accedunt, prorsus à nomine Iesu abstineant. Insuper ab eisdem narratum esse dicitur, si quando alicui adstantium nomen Iesu ab ratione, etiam præter intentionē excidisset, subitò & diabolos, & præsentem turbam disparuisse.

Hieron. D. Thom.

DISPVTATIO XV.

An efficacia, quam diximus adesse exorcismis, & aliis mediis, quibus Ecclesia vtitur ad pellendos dæmones: sit efficacia physica instrumentalis, an verò duntaxat moralis?

ET videtur nō esse physicā, quia illa vis seù efficacia, quæ supernaturalis esse supponitur, vel est corporalis, vel spiritualis. corporalis esse nequit: quia ad pellendos spiritus nullius esset momenti: cum corpus non agat in spiritum. Neque etiam spiritualis esse potest: tum, quia in corpore residere non potest; præfata autem media corporalia sunt: tum, quia Doctor Angelicus 2.2. *quæst.* 178. *art.* 1. *ad* 1. reputat impossibile principium oparandi miracula (inter quæ eiectio dæmoniorum computatur) esse aliquam qualitatem habitualiter permanentem in anima: & potiori iure idem negaret de qualitate spirituali permanente in præfatis medijs. D. Thom.

Secundò, quia in efficacia horum mediorum sæpe nullus intercedit effectus, qui per physicam efficientiam fiat: ergò non concurrunt vt instrumenta physica. *Antecedens probatur*; eo quod vel hic effectus fit in homine: quis autem sit non apparet: vel in dæmone: & hic potest esse motus localis, putà quia cogitur dæmon loco cedere, aut exire: nil enim aliud positiuum fingi potest, quod in dæmone fiat, hic autem effectus non semper fit. Aliquando enim solum impeditur dæmon ne noceat, vel ne tentet etiam si loco recedere non cogatur; & tunc intelligi non potest quis effectus physicus fiat in dæmone, aut quomodo impediatur per actionem physicam; sed solum per virtutem diuinam cogentem illum, vel subtrahentem concursum. *Confirmatur*, quando dæmones coguntur mutare locum aut recedere: morali modo præcipiuntur, & obedire coguntur: dæmones enim probe percipiunt verba, & signa humana, & vim eis à Christo promissam & præstitam: ergò effectus iste non fit physicè, sed moraliter.

Tertiò. Tota efficacitas horum mediorum ad fugandos dęmones, maximè quæ est in rebus cōsecratis, fundatur in institutione & impetratione Ecclesiæ; quæ instituit exorcismos, ac res quasdā sacrauit, ac petijt à Deo eis virtutem conferri ad dæmones fugandos, vt patet ex formulis quibus Ecclesia vtitur in rerum quarundam sacratione, aut benedictione: ergò non potest esse virtus hæc instrumentalis physica. *Prob. conseq.* quia si Ecclesia posset instituere, vt quibusdam rebus conferretur virtus instrumētalis alicuius effectus supernaturalis, & spiritualis, qualis est propulsatio dæmonum: non est cur non posset instituere, vt eisdem rebus conferretur virtus instrumentalis ef-

ficiendi gratiam, quod esset eas in sacramenta erigere. Hoc autem concedere plus quam falsum est: ergo, &c.

Quartò. Tota efficacia earum rerum nititur impetrationi Ecclesiæ, aut ministrorum eius; impetratio autem, maximè quando postulantur ea, quæ nō sunt necessaria ad salutem, aut preces pro alijs funduntur: non est infallibilis, sed quandoq; postulata conceduntur, quandoq; negantur, vt vidimus alias quæst. 83. artic 15. ergò licet Ecclesia, quando quasdam res sacrauit ad impugnandos dæmones, petierit à Deo illis conferri virtutem pellendi dæmones: non ob id continuò impetrauit, sed potius quandoque denegata fuit præfata virtus.

2 Franciscus Suarez, vbi supra, non vult admittere in exorcismis neq; in alijs sacramentalibus efficaciā physicam, sed moralem: mouetur argumentis positis.

Suarez.

Pro decisione *præmitto*, non esse mihi in animo fuse disputare subtiles quæstiones: per quid constituantur instrumenta physica ad effectus supernaturales agēdos? Quid sit virtus physica instrumentalis ad eos perficiendos? Sitne qualitas? an diuina motio? & multa alia: quæ copiose disputant Doctores Scholastici agentes de Christi miraculis, & Sanctorum, ac de causalitate Sacramentorum nouæ legis: sed duntaxat attingam ea quæ præsenti instituto deseruiunt: sequēs doctrinā communiter receptam à D. Thomæ discipulis.

Secundo *præmitto*, vim seu efficaciam physicā in hoc differre à morali tantum: quod physica reuera attingit effectum, qui ab eius causalitate pendet in suo esse; moralis non item: vt: si gratia efficit aliquis miraculum mediante oratione, in oratione non ponimus vim physicam, quia oratio non attingit opus miraculosum, neq; ab eius causalitate pendet: sed impetrat oratio à Deo, vt illud miraculum efficiat: sicut preces meæ possunt mouere Paulum vt Petrum occidat: non tamen eā occisionem realiter producunt, aut attingunt: at verò ensis quo Petrus occiditur instrumentum physicum est occisionis, quia reuera eā causat attingendo. His suppositis

3 *Dico primò*. Exorcismi per efficaciā physicam instrumētalē pellūt dæmonia, ne hominibus noceant. *Probat*. Quando quis per exorcismos dæmonia fugat, ex potestate & imperio operatur: ergò physicè cōcurrit ad eam perficiendam fugā. Antecedens notum est ex pręcedentibus: Et probatur consequentia: qui agere miracula ex potestate, est agere cooperando vt egregiè docet D. Thom. *quæst. 6. de potentia art. 4.* & probat ex D. Gregorio *in lib. 2. dialog.* Quod si homo per exorcismos cooperatur Deo expellente principaliter dæmones: absq; dubio physicè operatur, sicut & ipse Deus physicè vt causa principalis expellit.

D. Thom. *D. Grego.*

Vnde etiam desumitur secundū argumentū. Nam causæ instrumentales proportionātur principalibus, maximè si eis cooperentur: sed Deus in fugandis dæmonibus causa principalis physica est: ergò exorcismi, per quos adiuratores Deo coagunt, erunt causæ instrumentales physicæ, id est effectum attingentes.

Tertiò. Verba quibus Christus contulit Ecclesiæ suæ potestatem fugandi dæmones, vix explicari possunt propriè & in rigore, nisi posita efficacia physica. *Ecce* (inquit Dominus) *dedi vobis potestatem super spiritus immundos*: id est communico vobis eam potestatem, quam ego habeo: vt vos eijciatis sicut & ego. Et illud: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes*, id est instar eorum, qui calcant corporaliter res sibi subiectas: & Patres citati supra disputatione prima dæmones torquemus flagris, cædimus, pellimus, reuincimus, & similia, quæ omnia propriè, & in rigore, nisi ponamus homines coagere simul cum Deo, ac Christo eiectionem dæmonum, vix interpretari possūnt. At secundum Diui Augusti. celebrē regulam: verba sacra semper interpretanda sunt in propria & rigorosa significatione, nisi inde aliquod absurdum sequatur. Et huic regulæ innixi Doctores Scholastici sapientiores causalitatem physicam Sacramentorum adstruunt, & nos eos imitantes causalitatem physicā in exorcismis cōstituimus. *Confirmatur*. Si asseramus in exorcizantibus hanc causalitatem physicam, valde extollimus hominum dignitatem: dū ponimus eos coagere Deo ad profligandos terribiles, ac potentissimos hostes: nec inde sequitur aliquod absurdū, cùm omnes fateātur hanc causalitatem esse possibilem: ergò hæc causalitas asserenda est.

D. Augu.

Quartò. Quando Sancti, aut quiuis alij miracula faciunt potestatiuè nulla præuia oratione, eos concurrere necesse est vt instrumenta physica: ergò idem dicendum est, quando potestatiuè pellunt dæmones. *Antecedens probat*. supposita sētentia eorum, quos impugnamus asserentium cum D. Gregorio loco citato eos reuera instrumentaliter concurrere, & est expressa sententia D. Thom. *q. 6. de potentia, art. 4.* 4

Quintò. Christus Dominus edebat eiectionē dæmonum, & quamplura alia miracula, vt causa instrumētalis physica. Ita asseritur à præfato Frācisco Suarez. *3. part. quæst. 13 art. 2.* ergò & homines per exorcismos pellentes dęmones, causæ instrumentales physicæ erunt. *Probatur consequentia*: quia discrimen inter Christum, & nos sumptum ex maiore dignitate Christi, est operari miracula quasi ex habitu, nos verò minime: parum refert ad institutum præsens, quinimò potestas collata hominibus ad pellendos dæmones ad exemplar potestatis Christi data est.

Sextò. Si in exorcismis non ponitur efficacia physica, sed tantum moralis, non attingens effectum: ergò exorcismi non habent maiorem efficaciam ad fugandos dæmones, quam incantationes Magorum, quibus diximus supra fugari aliquando dæmones. *Probatur consequentia*, sicut mediantibus exorcismis, & ad eorum præsentiam Deus fugat dæmonia: ita dæmones pellunt alios dæmones medijs incantationibus Magorum, vt ergò tribuamus maiorem efficaciam exorcismis, ponendum est eos habere efficaciam physicam attingentem effectus. 5

Dico secundò, Crucem Christi, reliquias Sanctorum, & nominis Iesu inuocationem fugare dæmones vt instrumenta Dei physica; probabile iudico:

indico: sed nō ita certus sicut de causalitate physica exorcismorum. *Prima pars probatur*, quia prædicta fugant dæmones citra meritum ijs vtentium; & in dignitatem Christi & sāctorum cedit, quod Deo coagant in præfata dæmonum expulsione, quod est esse instrumenta physica: ergo nō est cur illis denegetur. *Secundò*. Probabile est tria prænominata multa alia mirabilia operari, vt Dei instrumenta physica: ergò idem dicendum est de expulsionē dæmoniorum: non est enim maior ratio de vno, quam de alio. Antecedens manifestatum est supra, cum multa miranda facta fuisse retulimus per Christi Crucem, reliquias Sāctorum, ac Christi nominis inuocationem vt mortuorum suscitatio, morborū curatio &c. Vix autem potest intelligi quomodo id egerint, nisi coagendo Deo ad ea mirabilia patranda. *Secunda pars asserti probatur*, quia non inuenio argumenta; quæ ita firmiter procedant ad stabiliendam hanc physicam causalitatem in tribus præfatis, sicut inuenio in exorcismis. Confirmatur. Non extat de hac re Dei aut Christi promissio, neque determinatio Ecclesiæ, neque vlla ratio ad id cogens.

6 *Dico tertiò* Probabile censeo res sacratas, aut benedictas, & ab Ecclesia institutas ad pellendos dæmones, id operari vt instrumenta Dei physica. *Probatur*, quia in precationibus, quibus sacrantur; à Deo petit Ecclesia, vt conferat hisce rebus virtutem pellendi dæmones: virtus autem hæc efficientiā physicam denotat: Deum autem exaudire Ecclesiam sponsam suam in his, quæ ex Christi placito Ecclesia instituit, iam iam paramus dicere in solutione ad quartum. *Secundò* D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 3. *ad.* 3. ait in templo consecrato ratione suæ consecrationis adesse quandam vim seu virtutem ad excitandum motum deuotionis in orantibus in templo consecrato. Et Caietanus *ibidem* virtutem instrumentalem physicam interpretatur, & sequitur Dominicus Soto *in 4. distinct.* 13. *quæst.* 2. *artic.* 2. ergò in rebus consecratis ad effectum pellendi dæmones, probabile est ponere virtutem physicam instrumentalem ad id efficiendum, quæ nil aliud est, quàm diuina motio, quando Deus pellit dæmones, interueniente earum rerum sacrarum vsu.

D. Thom. *Caietan.* *Sotus.*

Denique omnia argumenta, quæ attulimus, in præcedenti disputatione pro stabilienda causalitate rerum sacratarum ad fugandos dæmones, causalitatem physicam videntur stabilire, & ideò huc reuocanda sunt.

7 Primum argumentum militat in multis alijs: verbi gratia, in Sacramentorum causalitate, in miraculorū patratione, & huiusmodi: quare modo breuiter respondetur, eam virtutem, seu efficaciam non esse qualitatem, vt sentit Paludanus, neque esse potentiam actiuam obedientialem, vt ait præfatus Suarez: sed est motio quædam diuina; qua constituitur instrumentum in actu primo ad eijciendos dæmones, & est corporalis entitatiuè: spiritualis virtualiter, quia ad effectum spiritualem datur: sed de hoc alias *locis citatis*.

Paludan. *Suarez.*

Ad secundum respondetur. Quando per exorcismos detinetur dæmon, ne molestus sit, sicut Deus cogit illum, ne molestus sit causalitate physica: sic & adiutantes medijs exorcismis, quia causa principalis, & instrumentalis debent proportionari. Itaque quando causa principalis physicè operatur, & instrumentalis similiter. *Secundò respondetur*. Quando nos ponimus in exorcismis causalitatem physicam ad pellendos dæmones, debet intelligi quando modus pellendi est attingibilis per veram actionem physicam, vt quando coguntur cedere loco, & obsessum deserere, vel quid simile. At verò quando modus prohibendi ne noceat, non est attingibilis per veram actionem physicam: putà quia consistit in sola priuatione, aut negatione, vt in casu argumenti: tunc sola efficacitate morali contenti sumus: & fortassis idem de causa principali, qui Deus est, dicendum: nam annihilationem fortasse non attingit physicè: quia inattingibilis est per actionem physicam. *Ad confirmationem respondetur*; Operari liberè & per imperium ponit causalitatem moralem; sed non tollit physicam, vt videre licet in Deo, qui liberè, & per imperium multa operatur, physicè, & moraliter. Sic dicimus de exorcizantibus, qui imperando dæmonibus causant fugam eorum moraliter, & physicè. Etenim efficacia physica in attingendo effectum simul cum causa principali consistit, siue id fiat per imperium, siue quocunque alio modo.

Ad tertium respondetur sicut supra, non esse mihi vsque adeò certum, cætera media, quæ enarraui pellere dæmonia, habere efficaciam physicam: sicut est mihi certum de exorcismis. At cum non improbabiliter idem de alijs asseruerim: respondetur ad argumentum, negando consequentiam, & ad probationem dicimus, instituere signa sensibilia causatiua gratiæ, pertinuit ad fundatorem Ecclesiæ Christum, non ad dispensatores. De quo 3. *part. quæstion.* 94. At instituere signa sensibilia, quæ mediante oratione Ecclesiæ possent abigere dæmones, pertinere potuit ad dispensatores, gubernatores, & iudices Ecclesiæ; quos decuit ex eiusdem Christi placito instituere media, vt oues suæ liberatentur à lupis ferocissimis, dæmonibus.

Ad quartum respondetur, impetrationem orationum, quæ funduntur communiter esse iudicandam secundum eas communes conditiones, quas diximus, agentes de orationis efficacia, esse necessarias ad infallibilem impetrationem. At impetratio orationum fusarum ab Ecclesia pro instituendis ritibus, & Sacramentalibus quibusdam consecrandis, in ordine ad diuersos fines necessarios pro bona gubernatione Ecclesiæ: nō alligatur præfatis conditionibus, quas diximus esse requisitas ad impetrationem infallibilem orationum. *Ratio est*, quia præfati ritus, & Sacramentalia licèt in particulari non fuerint immediatè instituta à Christo Domino (vt egregiè docet Suarez vbi supra) tamen Christus Dominus reliquit potestatem Ecclesiæ suæ ea instituendi, ac consecrandi, & *Suarez.*

adinueniendi modos; quibus consecraremur: ac proinde virtualiter promisit se Ecclesiam orantem vt ad fines suæ institutionis essent proficuæ exauditurum; ne esset inanis eorum Sacramentalium institutio, ac sacratio ad eos fines consequẽdos. Ad quid enim potestas ea sacrandi adhos vel illos fines: si nullam aliam efficaciam haberent ad eos consequendos, nisi eam, quam donaret oratio æquè efficax, aut infirma, sicut aliæ orationes: cùm sine illis possent fundi, aut quandoque impetrare, quandoque non.

Igitur ex Christi voluntate interpretatiua impetratio infallibilis est. Hanc autem potestatem Christum reliquisse colligimus: tum ab antiquitate, quia ab Apostolorum tempore cõstat huiusmodi Sacramentalia esse instituta: tum, quia decuit ad bonam gubernationem Ecclesiæ, hanc fuisse Ecclesiæ Christi relictam potestatẽ. Quare verosimile putamus in consecratione earum rerum, quæ ad abigendos dæmones ordinantur, orantem Ecclesiam pro efficacitate earum Deum infallibiliter exaudire, vt quando oportuerit efficaces sint ad prædictum effectum. Et cũ efficacia physica sit possibilis impetrari, & vergat in dignitatem Ecclesiæ eam impetrare: verosimile existimo eam impetrasse.

DISPVTATIO XVI.

An prædicta media, quæ diximus habere efficaciam ad pellendos dæmones, eam habeãt in omni euentu, & infallibiliter?

ET videtur vera pars affirmatiua. *Primò* Sacramenta quæ sunt Dei instrumenta ad causandam gratiam, eam causant infallibiter in subiecto disposito: quamuis minister eorum sit iniquus: ergò & præfata media semper expellunt dæmones, quamuis ministri mali ijs vtantur. *Confirmatur.* Efficacia Sacramentorum infallibilis nascitur ex promissione Christi Domini: verbi gratia Ioan. 20. promisit Christus: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis:* Sed etiam promisit Deus fidelibus potestatem eijciendi dæmonia, Matthæ. & Lucæ. 10. *Ecce dedi vobis potestatem spirituum immundorum. Et ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpẽtes &c.* Et Marci vltimo. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eijcient*: ergò in omni euentu, si adsit debita materia, id est homo à dæmone liberandus, si exorcista vtatur exorcismis, optatum consequetur effectum. *Dicet quis,* hæc tantum causare speratos effectus, quando Deus disposuerit, aut voluerit vti his medijs vt instrumentis ad pellendos dæmones.

Margin: 1; Ioan. 20.; Matth. & Luc. 10.; Marci vltimo.

Contrà arguitur secundò, quando Deus disposuerit, aut voluerit, poterit vti vt instrumentis, quibusuis alijs rebus ad fugandos dæmones, putà herbis, gemmis, & similibus: ergò non est maior ratio, quare præfata media dicantur habere efficaciam: quàm quæcunque aliæ res.

Tertiò Sacramenta infallibiliter causant suum effectum si materia sit disposita: sed ordo exorcistarum secundùm sententiam D. Thom. *in 4. d. 26. quæst. 2. art. 2. & 3.* est Sacramentum, sicut & cæteri minores ordines: ergò infallibiliter causabunt suum effectum, si exorcismos proferat exorcista; qui sunt veluti forma, & adsint energumeni, qui sunt quasi materia. *Confirmatur.* In omnibus actibus Sacramentalibus est virtus spiritualis instrumentalis, vt paret inductiuè in omnibus Sacramentis: ergò in exorcismis initiatorum ordine exorcistæ erit ea virtus. Quod si est; infallibiliter inducet speratum effectum, nẽpè dæmonum expulsionem.

Margin: D. Thom.

Quartò Exorcismi ante Baptismum habent infallibilem effectum, videlicet abijcere dæmones, ne impediant susceptionem Baptismi: ergò etiã extra Baptismum infallibilem habebunt efficaciam fugandi dæmones, cum videatur eodem modo iudicandum esse in Baptismo, & extra Baptismum. *Antecedens patet*, quia semper Ecclesia ante Baptismum præmittit exorcismos, & nunquam suo effectu frustrantur.

In oppositum pro parte negatiua est primum argumentum. Apostoli (*Matt. 17.*) vtentes solitis exorcismis, quibus multa dæmonia profligarant: nequiuerunt puerum quendam dæmoniacum liberare: ergò exorcismi etiam Apostolorum nõ semper efficaces fuêre. *Secundũ argumentum.* Origenes *Hom. 244* in Iosue asserit, & exemplo confirmat non semper exorcismos valere dæmones fugare, & ob id comparat eos Amortheis; quod quemadmodum hi inter filios Israel permansissent: ita sæpè in obsessis permaneant maligni spiritus. *Adhibeantur* (inquit) *multa orationes, multa ieiunia, multæ exorcismorum inuocationes, ad hæc omnia surdus in obsesso corpore dæmon permanet: tolerabilius ferens exorcistarum pœnas, & adhibita sibi ex Dei nominum inuocatione tormenta: quam discedere ab homine, quem impudenter & nequiter obsidet.* Eandem partem affirmat Augustin. *libro 83. quæstione 79.*

Margin: 2; Matt. 17.; Origen.; Augustin.

Tertiò. Tota efficacia exorcismorum à virtute instrumentaria pellendi dæmones dimanat. At hæc virtus non semper communicatur exorcismis: quia gratia gratis data est, quam Spiritus sanctus interdum concedit, interdum denegat, quibusdam largitur, quibusdam non: ergò exorcismi non habent in omni euentu infallibilem effectum.

Quartò experientia idem videmus fieri. Contingit enim non semel, exorcistas in exorcizandis dæmoniacis quibusdam, summopere laborare, & nil proficere; imò & sanctis viris id accidisse historiæ narrant. Hincmarus in vita sancti Remigij ait, sanctum Benedictum adhibitis exorcismis non valuisse dæmonem eijcere à Tolosana puella, eamque ad sanctum Remigium destinauit, à quo sanata est.

Margin: Hincmar.

Caietanus Marci vltimo, agens de fide ad miracula patranda ait eam semper esse efficacem ad ea perficienda: quod si quandoq; non efficiat, in defectum fidelis non rectè vtentis fide, defectum efficacitatis signorum reducit. Verba Caietani sunt. *Intelliguntur permissa signa conse-* 3

Margin: Caietan.

consequentia fidem, quantum est ex parte virtutis fidei, sequentia quando, & vbi opus fuerit: cum cuius veritatis promissione stat: quod ex parte habentis fidem defectus accidat, seu impedimentum præstetur. Ita quod fides ipsa non deest signis, sed homo deest fidei ad efficaciam signorum. Eodem modo vt credo loqueretur Caietanus de exorcismorum efficacia. Castro aduersus Hæreses verbo *exorcismus*, Caietano assentitur, versans eum locum Marci. *Quod autem* (inquit) *hoc non semper fiat, vt inuocato nomine Iesu dæmon egrediatur: minima fides ipsius inuocātis est in causa. Nam si perfecte credidisset, hæc & maiora fecisset.* Ecce asserit exorcismos de se habere infallibilem efficaciam: quod si de facto ea carent, defectus egregiæ fidei in causa est. Magister Franciscus à Victoria in *relectione de magia, quæstion.6.* & Dominicus Soto *libr.8. de iustitia, & iure, quæstion 3. articul.2. & in 4. distinct.6. quæstion.2. articul. 3.* negant virtutem exorcismorum esse infallibilem; sed tantum dicunt habere effectum quando expedit Religioni, & propagationi fidei.

Castro.

Victoria.

Sotus.

Hæc sententia posterior negatiua mihi vera videtur propter argumenta facta in eius fauorem, & quidem isthæc media etiam exorcismos, speratos interdum non assequi effectus, nullus inficiatur, experientia doctrice. Quod in dubium vertitur est: An hæc inefficacia referenda sit in culpam, seu defectum ministrorum, aut ipsorum dæmoniacorum? an verò sine vlla culpa propter solam Dei voluntatem id accidat?

4 De qua re *dico primò.* Citra vllam culpam vel exorcizantis, vel vtentis præfatis medijs, aut verò miserorum obsessorum potest fieri, vt præfata media non inducant optatos effectus. Hæc est expressa assertio D. Augustin. vbi supra dicentis. *Cum autem non cedunt his signis huiusmodi potestates dæmones Deus ipse prohibet occultis modis: cum id iustum atque vtile iudicat, vel ad confundendos malos, cum eos oportet confundi: vel ad monendos bonos, vt proficiant in fide: atque ista non iactantur, sed vtiliter possint; vel ad discernenda dona membrorum Ecclesiæ.*

Augustin.

Sed pro explicatione horum verborum Diui Augustin. & veritate explananda aduertendum, causam à priori, quare hæc signa non sunt efficacia de facto, esse voluntatem Dei nollentis illis signis suam virtutem, & efficaciam communicare propter occultas rationes, vt ait Augustinus citatus & id rationi cõforme est. Nam cum efficacia horum signorum à gratia gratis data promanet, quæ citra culpam & citra meritum à Deo confertur, & negatur: quid mirum, si signa hæc interdum efficacia sint, interdum efficacitatis expertia? Et ex eadem radice manat, vt dæmones, qui ab vno multis adhibitis medijs sacris pelli non possunt: ab alio leuiter exorcizati recedant: quia Deus impartitur donum hoc singulis prout vult.

Nihilominus ex parte hominum quasdam possumus perscrutari congruentias diuinæ voluntatis, quare hæc signa inefficacia aliquando sint. *Prima* sumitur ex parte exorcizantium. Quandoque enim propter eorum peccata non vult Deus hoc admirabile opus per eorum exorcismos perficere. De quodam dæmone domum infestante refert Cardanus *lib.19. de subtilitate* exorcismos irridere, eo quod exorcistæ furti & sacrilegij criminibus essent infames. Quandoq; quia non præcessit oratio & ieiunium: vt de Apostolis dicitur *Matth.17.* Quandoque propter impedimentum, etiam sine culpa positum, vt dicitur ibidem. Quandoque sine vlla culpa exorcizantium, sed in sui profectum: vt scilicet non superbiant de mirabili hac dæmoniorum profligatione, vel propter quid simile. Fortasse ob id sanctus Antonius non valuit quandam dæmoniacam sanare, vt refert Palladius in vita sancti Pauli simplicis; & beatus Benedictus non potuit alium liberare & hic remisit illum ad sanctũ Remigium, à quo sanatus est; ille verò ad sanctum Paulum simplicem, à quo liberatus est.

Cardanus

Matt.17.

Pallad.

5 *Secunda congruentia* sumitur ex parte hominum à dæmonum infestatione liberandorum: putà quia eorum peccata merentur, vt non statim ab infestantibus dæmonibus liberentur; quãtumuis exorcizantes sanctitate polleant, exorcismos pronuntient, & signa alia sacra adhibeant. Exemplum mirabile refert Metaphrastes *septima Februarij* de sancto Parthenio, coram quo adductus iuuenis quidam noluit cum Sanctus liberare dicens: *Sinite torqueatur, parricida est.* Aliud simile narrat exemplum de sancto Eligio Nouiomensi Episcopo Audoenus *cap.20. lib.2.* vitæ Eligij: cum enim rogaretur, vt subueniret quinquaginta viris à dæmone vexatis: respondit, *Sinite, experiantur cui seruire peccato suo elegerunt.* Agnouerunt hi Sancti his dæmoniacis non profuturos exorcismos propter eorum peccata, & ideò quamuis alios sæpè liberassent: his noluerunt, etiam rogati, opitulari. Aliquando nullis præcedentibus peccatis neque ex parte exorcizantium, neque ex parte exorcizatorum, Deus non vult exorcismis & alijs signis efficaciam pellendi dæmones tribuere. His quidem occasionem præbens patientiæ, & meritorum augendorum in medio tam terribilis calamitatis: illis verò oblationis arrogantiæ, & extollentiæ oculorum.

Metaphr.

Audoen.

6 *Ad primum* pro parte affirmatiua negatur consequentia, quia Sacramenta, cum sint media instituta à Christo ad iustificationem animarum, & gratiam obtinendam, decuit, vt in materia disposita infallibilem haberent effectum: ne in re tam necessaria ad consequendam gloriam, ad quam homines destinantur adeò fœlix euentus deesset sine culpa Sacramenta recipientis: at dæmonum fugatio, & repulsa, ne nobis noceant, non est necessarium medium ad gratiam, & iustificationem: ac proinde neque signa, & media eorum pellendorum, necesse fuit semper habere optatos effectus, maximè quia vt nuper dicebamus aliquando miseria hæc magna cedit in bonum vexatorum. *Ad confirmationem respondetur*, effectum Sacramentorum absolute esse promissum non ponentibus obicem, quia effectus est gratia, & charitas, sine qua nemo saluabitur: at effectus exorcismorum; aut aliorum signorum

iam relatorum: non est ita absolutè promissus, quin impediri possit, vel propter priuatam, vel propter publicam causam. Nam cum hic effect⁹ non pertineat ad donum gratiæ gratum facientis, sed ad liberationem quandam à malo pœnæ: non solum ex proprio demerito, seu obice impediri potest, sed etiam propter vtilitatem animæ, vel in aliorum exemplum, aut propter aliud Ecclesiæ commodum. Et hoc non tollit quin promissio his vallata conditionibus magni pendenda sit: vtpotè quæ de effectu mirabili est: ad quē nec semel vires hominum per se sumptæ pertingere possent.

7 *Ad secundum negatur consequentia*, quia ad operandum rem mirabilem, eiectionem dæmonorum elegit Deus hæc media: non quia semper efficacitatem haberent ad eum effectum: sed quia quando id vellet efficere, his mediantibus effecturus esset, vel propter dignitatem hominum manifestandam in profligatione dæmonum, vt in exorcismis: vel propter significationem mysteriorum insignium, vt in Cruce Christi, & inuocatione eius nominis: vel propter sacrationem Ecclesiæ, vt in rebus consecratis: vel propter aliquod diuinum, quod his rebus significari, aut contineri scit Deus: occultum est autem hominibus, sicut occultum est, quare mediante pallio Heliæ, baculo Helisæi, ac virga Moysis voluit tot patrare mirabilia, & non alijs mediantibus rebus.

Ad tertium, admisso exorcistarum ordinem esse Sacramentum, respōdetur, per eum non ministrariali quod Sacramentum, sicut p Sacerdotij ordinem: ac proinde nec exorcismos habere vim formæ, neque dæmoniacos rationem materiæ: ministratur autem quoddam Sacramentale, cuius effectū non esse infallibilem diximus: actus itaque ordinis exorcistici, putà exorcizare, infallibilis est, sed expulsio dæmoniorum nequaquam.

D. Thom. *Ad confirmationem respond.* ex doctrina D. Tho. *in 4. dist. 24. q. 2. art 2. ad vltimum* actus procedentes ab ordine exorcistico, quatenus actus illius sunt: nulla pollere supernaturali virtute, sicut neque actus aliorum ordinum minorum. Sed hi possunt fieri ab alijs, qui non sunt exorcistæ, qui in sua ordinatione solum accipiunt potestatem, vt exorcizent ex officio, alij verò possunt quidem id licitè facere: sed non ex officio.

Quod verò actus exorcistarū virtutē habeant pellendi dæmones, id non habent ex vi suæ ordinationis, sed propter gratiam gratis datam quæ nil aliud est, quamuis diuina illis actibus cōmunicata. Itaq; quando exorcista fugat exorcismis dæmonia, pulsio dæmoniorum nō est ab exorcismis, vt sunt actus ordinis exorcistici, sed vt eleuātur per gratiā gratis datam eiectiuam dæmoniorum, quæ cum interdum detur, interdū negetur pro voluntate Spiritus sancti, exorcismi ipsi non semper sortiuntur speratos effectus.

8 Soto. *Ad quartum respond.* cum Magistro Soto *in 4. d. 6. quæst. 2. art. 3.* exorcismos Baptismales, & si qui alij præmittuntur in collatione aliorum Sacramentorum, semper consequi suos effectos, nisi apponatur obex à suscipientibus Sacramentum: effectus autē, ad quos ordinantur, & præmittūtur; est abigere dæmones, ne impediant Sacramenti susceptionem, aut eius fructum. Cùm ergò iste effectus sit adeò necessarius sicut & ipsa Sacramenta, sicut Sacramentorū efficaciam esse infallibilem necessarium est: ita & exorcismorū, qui ad præfatum effectū ordinantur. Secus est in ordine ad alios effectus exorcismorū qualis est expulsio ab obsessis, qui pertinet ad liberationē à malo pœnæ, sine qua homines iustificari possunt: & ideò si ille, qui baptizatur energumenus est per exorcismos liberatur ab impedimento, quod posset dæmon præstare circa susceptionem Baptismi, & eius fructum consequendum, non tamen semper necesse est liberari ab inhabitante dæmone.

DISPVTATIO XVII.

An aliquibus rebus sensibilibus, & naturalib⁹ insit aliqua virtus naturalis, potens ad fugandos dæmones, ne hominibus molesti sint?

ET videtur vera pars affirmatiua: sunt enim quidam lapides pretiosi, qui dicuntur sua naturali virtute fugare dæmonia. Iaspis scilicet, Calcedon⁹ Chrysolit⁹, Adamā.us, Coralliū, ita Franciscus Rueus medic⁹ nsulanus in suo opusculo de gēmis. Iosephus etiā *lib. 8. de antiq. cap. 20.* ait in exercitu Titi Imperatoris fuisse quendam, qui pretioso lapide incluso in annulo fugabat dæmones à corporibus obsessorum. 1 Francisc. Rueus.

Secundò Plinius *lib. 28. naturalis hist. c. 16.* refert quosdam asserentes vrinam equi mixtam aqua ferrata, quæ solet extrahi ab officina fabrorum, sanare dæmoniacos: & *lib. 30. c. 2.* ait Apinionem Grāmaticum asserere herbam quandam vocatā Cynocephaleam, & in Ægypto Ositritem, habere vim quandam fermè diuinam aduersus dæmones: sed qui illā euellit statim moritur. Et quidā aiunt, quasdā herbas dæmonibus esse intollerabiles: ex his sunt Artimessia Rubea, Barba Iouis, Solsequium, Leuisticus, Saluia, Pulegiū, folia sambuci, &c. Et Ioseph. lib. 8. vbi supra, ait se vidisse exorcistam Iudæum quadam herbæ radice dæmones abigentem. Verba Iosephi sunt ca. 20. *Vidi quendam Eleazarum de gente nostra, præsente Vespasiano, & eius filijs, & Tribunis, alioque simul exercitu, curantem eos, qui à dæmonibus vexabantur. Modus autem medicinæ fuit huiusmodi. Intulit naribus eius, qui à dæmonio vexabatur, annulum habentem sub signaculo radicem à Salomone monstratam: deinde per nares odorantis dæmonium abstraxit, & repentè cecidit homo. Postea id adiurauit ne amplius rediret; Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inuentas recitans: volens autem satisfacere ac probare præsentibus Eleazarus* Plinius. Iosephus.

hanc

hanc se habere vim, ponebat ante eos aut calicem, aut pelluim aqua plenum, & dæmoni imperabat vt ab homine egressus, ea euerteret, & videntibus præberet indicium, quod hominem reliquisset. Hæc Iosephus: & Druthm. Druthmarus ex eodem videtur idem sumpsisse. Et quod magis mirandum est D. Hieron. & re- Hieron. fertur. 26.q.7.in fine. ait: *Dæmonium sustinentibus licet habere herbas, & petras sine incantatione*: nimirum indicans herbas & petras contra dæmones naturalem habere vim.

2 *Tertiò.* Quidā aiunt suffimentis quibusdā fugari dæmones: hos refert tacito nomine Abulensis super *cap.16.1.Regum, q.43.* hi nituntur duobus fundamentis. *Primum* & potissimum est, dæmonem pulsatum esse à Tobia iumore fumo iecoris cuiusdam piscis: de quo statim. *Secundum*, quod contrarijs suffumigationibus ijdem dæmones alliciantur, & vt certis locis assistant inuitentur. Et ne isti autores omninò celentur, scito Her- Hermes. metem dixisse suffumigatione ex ligno Aloes, vel Ceti spermate, dæmones congregari: at suffu- Porphir. migatione ex sulphure fugari, vt Porphyrius, & Proclus. Proclus, qui similia multa dicūt. Quinimò multi ex Catholicis exorcistis suffitibus cornu caprini, & cuiusuis stercoris, præcipuè humani, & ruta & hypericone, (quem ob id fugam dæmonū appellant) dæmones conantur fugare. Hieronym. Mengus. Mengus *lib. qui dæmonum flagellum dicitur, exorcismo 3.* præcipit, vt ignis ac sulphur accipiatur, & super dæmoniacum suffitus tādiu adhibeatur: quousq; respondeat interrogatis: & exorcismo 4. vt benedicta ruta energumeni naribus admoueatur: & *exorcismo 6.* vt accipiatur sulphur, galbanus, assa fœtida, aristolochia, hypericon, & ruta, omniaque propria benedictione benedicantur, & in ignem proijciantur.

Quartò. Sonitu ac clamoribus, & conuitijs dæ- Philostr. mones à locis fugari docet Philostratus in vita Apollonij Thianæi, *lib.2.c.2.* fragore itē ac stre- Hortens. pitu armorum docet Hortentius super lib. 6. Æneidos Virgilij his verbis: *Multi asserunt dæmones ferri aciem reformidare, & re ipsa compertum est. Et noui quibus hoc ipsum nocturnis horis accidit, sed cum magna aduersæ valetudinis conflictatione.* Ita Hortēsius. Sed & campanarum sonitu dæmones terreri nostri dicunt: qui contra tempestates à dæmonibus vt creditur immissas, sonitu campanarum se mu- Grilland. niunt, ac eas conantur fugare. Et Paulus Grillandus in tractatu de sortilegijs prodidit dæmones mulieres quasdam ducentes, audito cāpanæ sono ante diluculū eas dereliquisse, fugamque arripuisse. Missa facimus quæ ex Ouidio, Aphrodi- Ouidius. Aphrodis. seo, & alijs profanis autoribus afferri possent de æris tinnitu, quo manes domo, alijsque ex locis abigi posse profani quidam crediderunt.

3 *Quintò.* Vt dæmones vexent homines necessaria est in corpore vexandorum quædam corporalis ac naturalis dispositio, per quam fiant hominum corpora apta ad recipiendam actionem afflictiuam dæmoniorum: ergò res sensibiles, quæ auferunt eam dispositionem ab obsessis, expellent dæmones, qui nequeunt in eis corporib⁹ consistere nisi adsit talis dispositio. *Antecedens Probat.* quia ob id lunaticos & melancholicos, ac epilepticos, & furiosos arripiunt dæmones, vt col- Luc. 8. ligitur ex historia Euangelica. *Luc.8.* depingitur quidam dæmoniacus sæuus talibus signis, vt dicant medici eum laborasse quadam maniæ specie: quā Damascenus iram permanentem vocat; Damasce. Medici lycanthropiam seu lupinam insaniam: & Marc. 9. *Marc.9.* de alio fit mentio dæmoniaco, qui elidebatur in terra, & volutabatur spumans, quæ sunt euidētia signa epilepsiæ, id est morbi comitialis. Omitto modò alios arreptitios, lunaticos, melancholicos, à dæmone possessos: nimirum mediantibus his morbosis dispositionibus commemoratis, & alijs similibus.

Sextò. Verba, quibus vtuntur necromantici, potentia sunt ad cogendos dæmones, non solùm ad alios pellendos, verùm ad quæcunq; imperata faciendum. Sic Maga Thessalica apud Lucanum Lucanus. in 6. iactat se posse quoscunq; velit in actus inuitos præbere Deos, id est dæmones: ergò non est inconueniens idem asserere de alijs rebus naturalibus & sensibilib⁹. Hæc positio efficacioribus rationib⁹ suadenda est, sumptis ex sacris Literis, quibus refragari nullus Catholicus præsumet.

Septimum argumentum ex verbis Raphaelis 4 Angeli dicentis Tobiæ *6. cordis eius* (piscis callyo- Tobiæ. 6. nimi, vt quidam dicunt) *particulam, si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum*: quod & postea cap. 8. factum legimus.

Octauum. Legitur 1. Reg. 16. Dauide pulsante 1. Reg. 16. cytharam suam dæmonium à Saule fugasse. Et Simeon Abbas, qui dictus est Saulus, vt refert Leontius Episcopus Neopoleos insulæ Cypri in Leontius. eius vita ex vico quodam, qui molestabatur à diabolo, cantu tibiæ pepulit eum: & Guido in sua Guido. musica ait, vi musici concentus pelli dæmonia. Et Boetius, quē refert Glossa ordinaria, ait, quēdam Philosophum tactu cytharæ dæmonium Boetius. ab obsesso pepulisse.

Propter hæc & similia argumenta quidam te- 5 nent hanc partem, Paulus Burgensis in additio- Burgensis. ne contra Nicolaum de Lyra super *decimum sextū cap. 1. Regum* mouetur argumento 5. 7. & 8. Raymundus Lullius 2. *lib. 5.* essentiæ ait, Deum in vin- Lullius. dictam criminū dæmoniorum, ea quamuis natura superiora rebus sensibilibus subiecisse. Et Ioannes Rubescisā *lib. de consid. quinta essentiæ*, & Rubescis. Grillandus *q.3.n.23.* Grilland.

Disputatio hæc plus habebit in recessu, quàm in fronte, ne sit necessarium disputationes multiplicare. Et ideò *præmittendum* est, quadrupliciter posse intelligi dæmones virtute rerū sensibilium ab hominibus molestādis fugari, aut verò ad alias quasuis mirabiles operationes efficiēdas cogi. *Vno modo* quia in rebus ipsis inest virtus coactiua dæmoniorū, siue illa virtus sit ex primis vel secundis qualitatibus, sicut igni inest calor ad calefaciendum, vel cōburendū, aut vero ad expellendum frigus à subiecto, cui applicatur, siue illa virtus sit qualitas specifica dimanans à forma rei, & influxibus cœlestibus, qualem inesse videmus magneti trahendi ad se ferrum, & cuidam gemmæ, quæ vocatur Theamedes contrariam virtutem omne à se ferrum respuendi, ac profligandi, teste Frācisco Ruco medico insulano

Secundo modo possunt intelligi quodammodo cogi dæmones per allectionem vel respuitionem aliquarum rerum sensibilium, eo quod sint quædam res illis gratæ, & ideò ad præsentiam earum adueniunt, congregãtur, operanturque res mirabiles, iuxta voluntatem his rebus vtentium. Aliæ verò res adeò illis ingratæ & exosæ sunt, vt ad earũ præsentiã fugiant, & sua domicilia deserant: ad eum modum, quo animalia viso pabulo sibi grato ad id accurrunt; è contrario si ingratum aut nociuum, fugiunt.

Tertio modo possunt intelligi cogi ad faciendũ aliquid per res sensibiles, eo quod hæ res valde conducunt ad faciendos effectus, ad quos inuocantur: quia eos faciunt applicando actiua passiuis aut verò ad recedendum: quia huiusmodi res conducunt ad dissipandum dispositiones (si quæ sunt) necessariæ aut aptæ ad permanendum in molestia hominum, de quo statim. *Quarto modo* possunt cogi per verba quædam aut pacta, quibus pepigit dæmon superior cum Mago, aut eo, qui se ei deuouit, hæc & illa facturus: & isto modo dæmones superiores ad verba Magorum expellunt ab hominibus dæmones inferiores, & inferiores superiores per collusionem, sicut supra diximus. His positis

6 *Prima assertio* sit contra istos nuper relatos, & quosdam medicos à me citatos *in disput.* 3. Nulla res corporalis, siue sit substantia, siue accidens, siue actio vel passio, per suam naturalem virtutem habet potestatem directè & per se cogendi dæmones, vt appareant, accedant, fugiant, aliquid faciãt vel facere desinant. *Probatur*, Dæmones secundum fidem sunt substantiæ spirituales omnis corporis expertes: ergò nullo modo possunt pati, aut cogi naturaliter à rebus corporalibus: eò quod corporalia nullam efficaciam, aut robur possunt habere erga res spirituales; quæ omnibus modis corporales superant, vt perspicuũ est, & animaduertit D.Th. *super c.* 41. Iob. Dixi *naturaliter*: quia supernaturaliter benè possunt cogi, nẽpè à Deo, Sanctis, Angelis, & hominibus virtute Dei, nam ad ordinem potestatum pertinere dicitur; dæmones arcere, vt declarat Gregor. *hom.* 34. Sancti autem homines, & interdum non sancti, sicut dono virtutum participant in quantum miracula faciunt, ita dono potestatum, in quantum eijciunt dæmones. *D. Thom.* *Gregor.*

Hæc argumẽtatio supposita fide antecedetis, demonstratiuè procedit: cuius vis non eneruatur, si obijcias, animas rationales esse substantias spirituales, quę dum in corporibus sunt pati possunt à rebus sensibilibus, possunt etiam vi à corporibus separari, nam animæ vniuntur corporibus vt formæ: & ideò certas in corporibus expostulant dispositiones, quibus læsis animæ tristantur, & quibus ablatis cogitur anima recedere: quia vnio eius ab eis dispositionibus pendet: secus est de dæmonibus qui corporibus adsunt tantum vt motores localiter: & ideò siue in corporibus obsessorum adsint, vel absint dispositiones quælibet, ipsi non coguntur recedere sicut neque accedere.

7 *Secunda assertio*. Dæmones non alliciuntur rebus sensibilibus propter se ipsas, sed propter aliquid aliud, non tamen ob id coguntur à rebus sẽsibilibus, vel per eas, vt aliquid dicant aut faciãt. Assertio hæc tres partes habet. *Prima probat.* quia cum dæmones non habeant sensus, neq; sensuũ organa: quia spiritualis naturæ sunt, nullam capere possunt voluptatẽ à rebus sensibilibus propter se ipsas, non delectãtur suffitibus, quia non habent olfactũ, non coloribus pulchris, quia carent visu; non musices concentibus, quia non est illis auditus; non coitu, quia non habent organa ad id deputata. *Secunda pars asseritur* à D.Tho. *q.* 6. *de potentia art. vlt.* vbi ait, tripliciter dæmones allici rebus sensibilibus propter aliquid aliud vel in eis inclusum, vel ab eis deriuatum. *Vno modo*, quia res quædam corporales sunt aptæ ad perficiẽdos quosdam effectus mirabiles, quos dæmones faciunt applicando actiua passiuis, siue eos faciant ad inuocationem Magorum, siue sine vlla inuocatione: v.g. si vtantur hippomane ad conciliandum amorem, vel cantharidibus ad excitandum ardorem Venereum, vel quid simile. *Secundo modo* alliciuntur his rebus corporalibus, in quantum homines per eas in peccatum adducuntur, v.g. conuiuijs lautis, choreis promiscuis virorum, ac mulierum, & similibus. *Tertio modo*, & vniuersaliori ac præcipuo alliciuntur corporalibus, in quãtum hæc corporalia sunt signa aliquorum spiritualium: quibus dæmones delectantur. Vnde August. *lib.* 21. *de ciuitate c.* 6. ait, dæmones allici his rebus, non sicut animalia cibis, sed quasi spiritus signis: & ista allectio spirituum immundorum frequentissima est apud Magos, ac necromanticos, qui per signa quædam dæmones inuocant, & adsunt vocati vt morem gerant Magis, & his signis valde dæmones delectantur: quia eis honor quasi diuinus exhibetur, cuius ipsi summopere appetentes sunt. Quibus autem signis delectentur, ipsi miseros Magos docuerunt: diuersos pro diuersitate delectationis dæmoniorum. *Neq; enim* (ait August.) *potuit nisi primum ipsis docentibus disci quid quisq; illorum appetat, quid exhorreat, quo inuitetur nomine, quo cogatur. Vnde Magicæ artes, earumque artifices extiterunt*, Infinita fermè sunt ea signa vt ipsi dęmones innumeri, & diuersis contrarijsque sæpè numero ingenijs, ita vt fermè nil corporale sit, quo non abutantur ad magicas artes: sicut Michael Psellus homo vanus, & plusquam suspectus de magia dæmoniaca scripsit in lib. de dæmonibus. *D. Thom.* *August.* *Psellus.*

Tertia pars assertionis; nulla re sensibili sic allici dæmones, vt ob id cogantur dicere, aut facere aliquid, est contra impium Porphyrium, & alios, qui, vt refert August. 10. *de ciuitate Dei c.* 11. mirabatur, quod non solum dij (dæmones) alliciantur victimis, sed etiam compellantur, atq; cogantur facere, quod homines volunt. *Sed probat. assertio nostra.* Nam dæmones quamuis semper ad malum propensi sint, tamen libera voluntate potiuntur, liberéq; operantur: at qui liberè operatur, nulla re ita delectatur, vt ex ea cogatur aliquid dicere, aut facere. Simulãt versipelles se cogi, vt decipiant miseros Magos, & sæpè quando illis placet, nec illis parent, nec sinunt viuere: vt sic ad *August.*

sic ad infernum secum pertrahant: de quo fortassè aliàs.

8 *Tertia assertio.* Nulla res sensibilis propter se ipsam est dæmonibus ingrata, aut nociua, ac proinde non illam respuit propter se ipsam, multas verò respuit, & odio habet propter aliud: non tamen ob id dicetur cogi ab aliqua re sensibili, vt recedat, aut fugiat.

Prima pars patet ex dictis in prima & secunda assertione. *Secunda pars* clara est in rebus diuinis, Cruce, reliquijs, & huiusmodi. Sed his dimissis: quia de rebus naturalibus loquimur intra sphæram suæ naturalitatis; probatur, quia ea, quæ inducunt ad bonum, vt imagines virtutum moralium opera, colloquia sancta, & ieiunia, & huiusmodi: eis valde displicent ac exosa sunt. Rursus res sensibiles, quæ quodammodo alleuiant molestias dæmonum infestantium, vel aliquo modo contrariæ sunt dispositionibus, quas ipsi amant in hominibus, putà melancholicam affectioné, ea omnia dæmones oderunt, & respuût.

Tertia pars probatur: quia horror, quem ex hisce rebus capiunt, non est tantus, vt cogantur ob id recedere: plus displicet cessare ab hominum molestijs, & ideò hisce rebus non coguntur recedere. Egregiè Origenes citatus ex hom. 244. in Iosue: *Adhibeantur multa orationes, multa ieiunia, multi exorcismi, ad hæc omnia in obsesso corpore dæmon permanet: tolerabilius fere exorcistarum pœnas, & adhibita sibi ex Dei nominis inuocatione tormenta, quam discedere ab homine, quem nequiter obsidet quod si his diuinis machinis inimicus resistit, ne ab homine pellatur, mere naturalia, quantumuis odiosa, deridebit.* Origenes.

Quarta assertio. Dæmonum accessus aut recessus non pendet ex dispositione corporali aliquarum rerum, ac proindè nulla dispositione corporali posita coguntur accedere, aut ablata recedere, hoc est dicere, dæmones neque directè, neque indirectè posse fugari mediantibus aliquibus rebus naturalibus, & sensibilibus. Hæc assertio statuta est contra Paulum Burgensem vbi supra, & Martinum del Rio, *lib. 2 disquis. Mag. q. 30 sect. 3.* Ille ait ingressum & vexationem dæmonum erga corpora obsessorum pendere ex dispositione quadam naturali, qua sublata per medicamenta, vt res sensibiles, indirectè cogitur dæmon recedere. Hic autem has dispositiones esse causas indirectas expulsionis: & sine quibus non (vt aiunt Philosophi) quod est incidere in opinionem Burgensis, & expressius *to. 3. lib. 6. cap. 2. sectio. 2.* ait quibusdam rebus naturalem esse virtutem fugandi dæmones. Et ante ipsum idem asseruerat Nicolaus Serarius *super 6. caput* Tobiæ. Aduersus hos, & alios asserimus, dæmones nō pédere à corporali aliqua dispositione vexandorum neq; in ingressu, neq; in mansione in corporibus eorum, ac proindè, neq; indirectè posse pelli ab eis per ablationem earum corporalium dispositionum. *Prob.* Ad hoc vt dæmon inhabitet corpus hominis, & vt id vexet, tantum necesse est ei vniri vt motorem motu locali: sed ad hanc vnionem non est necessarium præcedere in corpore humano aliquam corporalem dispositionem, sed tantum requiritur motorem habere robur ac vim mouendi illud, vt patet in omni vnione motoris ad mobile: ergò inhabitatio dæmonis in obsessis, & vexatio eorum, non pendet ab aliqua, vel aliquibus dispositionibus corporalibus: sed potest fieri per solū localem motū: ac proindè neq; indirectè potest cogi dæmō, vt recedat ablata dispositione quacūq; per medicaméta, aut res sésibiles: quia ab ea dispositione non pendet eius inhabitatio, aut vexatio. *Maior huius syllogismi probatur:* quia materia corporalis obedit spirituali ad nutum quoad localem motū, vt autor est D. Th. 1. *p. q.* 100. *ar.* 3. D. Thom.

Explicatur vis huius rationis. Quando dæmon inhabitat hominem duplici genere motus potest ibi adesse, & operari. *Primò*, motu alterationis, v. g. causando morbos afflictiuos, vt epilepsiam, lycantropiam, aut succum melancholicum, vel quid simile, quo crucietur dæmoniacus: quod si hoc solo genere motus inhabitaret, aut vexaret, citra dubium pelleretur, & à cruciatibus cogeretur cessare mediantibus medicaminibus, & rebus corporalibus: quibus applicitis tolleretur dispositio qualificatiua, à qua penderet dæmonum præsentia. Tolleretur insuper dispositio afflictiua, quam dæmon per motum alterationis ingessit, & consequenter à corpore obsessi fugaretur, cessaretq; à corporis cruciatibus: nisi quis dicat (quod & contingere posset) facile esse dæmonibus virtutem eorum medicaminum hebetare, & eneruare: quo posito magis confirmaretur nostra assertio, & confutarentur præfati autores. *Secundum* genus motus quo potissimè vtitur dęmon in habitatione obsessorum 10
& cruciatibus est localis motus, qui non pendet ab aliqua dispositione corporali, sed potest inhabitare, & cruciare hominem sine vlla afflictiua dispositione, per coarctationem nimiam, aut dilatationem plus nimio cordis, viscerum, hepatis, aut per euocationem immoderatā humorū melancholicorum ad cerebrum, vel quid simile, quæ omnia sine alteratione fieri possunt per solum localem motum. Hi autem locales motus dæmonum, qui à dispositione non pendent, nequeunt impediri, aut auferri per vllius rei sensibilis, & naturalis virtutem: & ideò neq; indirectè cogi dæmones, vt recedant, aut ne crucient obsessos. Fateor, res quasdam corporales multū conducere ad alleuiandum dæmoniacos, ne tam acriter vexentur: vel diuertendo attentionem à cruciatibus dæmonum, vel auferendo dispositionem melancholicam, aut aliàs, morbosam: qua mediante dæmon vexabat obsessum, qua ablata licet non cogatur dęmon recedere, aut non cruciare vel voluntarius recedet propter ingratam mansionem, vel alleuiabitur aliquo modo à diris cruciatibus: de quo latius in solutione ad octauum.

11 *Quinta assertio.* Nulla verba Magorum cogere possunt dæmones vt accedant, sed ipsi simulāt se accedere aut recedere coacti per Magorū verba. *Hæc iam probata est ex dictis*, nā ea verba nullā efficacitatem habēt, nec vnde illis aduenerit efficacia ignoratur, sed pactum cū dæmonibus hos accessus, & recessus introducit, quod seruant, quādo eis

do eis placet, & quando non placet frangunt, & irritum reddunt.

Superest ut ad argumenta initio facta respondeamus. *Ad primum* sine vllo fundamento asseritur lapides pretiosos, aut non pretiosos dæmones in fugam conuertere; quòd si aliquando eos lapides fugiant, impostura Magorum est, & fictio dæmonum fingentium se fugere, vt Magos in cæcitate sua detineant.

12 *Ad secundum resp.* illud de aqua ferrata nil conducere ad cogendos dæmones, fortasse remedium medicinale est ad curandos morbos quosdam, quos amant dæmones, aut inferunt dæmoniacis, de quo statim. Illas verò herbas commemoratas expellere dæmones, fallacia Magorum est, ipsis dæmonibus hac via eos seducentibus, fortasse atram bilem extirpant, quàm dæmones induxerunt, vt vexarent miseros obsessos, & illa extirpata voluntariè recedit dæmon, vt animas hominum in superstitionem inducat. Illud verò quod dixit Apion Grammaticus de Cynophalea herba: ad inuocationem, & pactum cum dæmone spectat: nec parum suffragatur nostræ suspicioni id, quod ibidem refertur dixisse Apionem, virtute scilicet illius herbæ interrogatum dæmonem de patria, & parentibus Homeri respondisse, quæ non auderet dicere. Interrogatio ridicula mediante herba, & digna Grammatico. Illud verò quod obijcitur de radice inclusa in annullo Eleazari, credo ad superstitionem pertinere: nec est cur liberemus à superstitione magica Iudæum Eleazarum.

13 *Ad tertium resp.* non esse curandum de Hermete famoso necromantico, nec de impio Porphyrio. Ad illud verò quod *obijcitur* ex vsu nostrorum exorcistarum, respondent quidam: dæmones, quia superbissimi sunt, nequaquam posse sustinere, vt vilipendantur, dum in suis obsessis vel flagellantur, vel fumo graue olentium (quod genus quoddam vilipendij est) afficiuntur, & sic recedunt. Existimo autem, eos hæc & similia parui facere: quare melius respondetur, illa herbarum gestatio, illi suffitus ex cornu caprino, & similia, fortasse prosunt: quia rutæ & hypericonis folia flatus absumunt, vt ait Hippocrates *lib. de flatibus*, & ad sedandos humores, qui à flatibus proueniunt valde conducunt; sicut & stercus, & cornu caprinum in ignem coniecta fumo suo idem efficiunt. Vnde & prosunt humoribus melancholicis curandis: quibus extirpatis, aut debilitatis, vexatorum à dæmonibus cruciatus alleuiantur, ac mitescunt; & fortasse aliquando recedit dæmon.

Hippocr.

Vvimpin.

Vallesius.

Hoc benè notant Conrad. Vvimpina *lib. 2. de superst. c.* 10. 11. & 12. & Franciscus Vallesius Medicus Complutensis *in lib. sacræ Philosop. c.* 15. & 28. Inquiunt isti frequentius dæmones inuadere eos, qui abundant atra bili, quia humor iste valde idoneus est, vt homines in furorem ac insaniã vertantur, quod dæmones summopere cupiunt: quare melancholia imbutis maximè insidiãtur, & morbos, vt plurimum, inferunt melancholicos. Vnde consequitur quod cum corporalem materiam non possint transmutare, nisi applicando actiua passiuis, ægrè ferunt, si corporeis ac medicinalibus illis rebus adhibitis, dispositiones eorum malitiæ ac dolis aptæ expellantur, ac prorsus contrariæ inducantur.

Igitur hæ res, quæ in corpus patientis inducunt dispositionem cõtrariam ei, quam exoptat dæmon ad commodius inferendos cruciatus, humores corporeos purgant directè, & corpoream ægritudinem pellunt naturaliter; indirectè verò sunt obstaculum dæmonibus, ne tam grata possideant domicilia, ac ne patiens tam diros sustineat cruciatus: & aliquando consequitur, vt dæmones discedant, non verò coacti ab illis rebus, & talibus dispositionibus: quia neque directè, neque indirectè eorum commoratio aut discessus ab illis pendet, vt diximus contra Burgensem, & propter alleuiationem præfatam licet obsessis à dæmone petras & herbas naturaliter efficaces aduersus melancholiam, absque vlla tamen incantatione habere, & gestare, vt dicit D. Hieronymus in argumento relatus: estque communis sententia. ita Albertus Magnus, Luc. 9. Sprenger *p. 2. c. 5. remediorum,* Nider *li. 5. formicarij cap. vlt.* Valerius Polydorus *in practica exorcistarum.*

Hieron.

Albertus Magnus.

Sprenger.

Niderus.

Polyd.

Ad quartum ex dictis facilis est solutio. Nulla namque res corporalis naturali vi aliquid potest in rem spiritualem, & ob id credo dæmones irridere eas blasphemas voces, ac minaces: quod si phantasma fugit Apollonium blasphemantem, voluit detinere famosum Magum in sua cæcitate. Idem dico de armorum apparatu. 14

Ad id verò, quod obijcit de nostrarum campanarum sonitu, sunt qui nullum effectum supernaturalem illis adscribunt, sed duntaxat naturalem. Ita Petrus Mexia *lib. variæ lectionis.* effectus naturalis, is est tempore alicuius ingruentis tempestatis, aeris vehementis, nubium valde densarum, tonitruorum ac fulgurum, aerem rarefacere, nubes dissoluere, fulguribus obstari mediante earum crebro sonitu, quod naturale est. Siquidem nobis tradidere experti, aliquando contigisse, ad ingentes clamores magni exercitus aerem sic rarefieri, vt aues desuper volantes non valentes in tanta aeris subtilitate alis consistere, in terram ceciderint. Non abnuo dictis: cæterum ad sonitum vnius campanulæ, aut duarum, ingentes tempestates vastarum nubiũ naturaliter dissipari, sicut de facto sæpè videmus fieri, vix credibile est.

Mexia.

Existimo autem effectum istum supernaturalem esse propter campanarum consecrationẽ, in qua Deo supplicatur, vt campanarum sonitu dæmones fugentur, ac tempestates dissoluantur, vt videre licet in Concil. Col. c. 14. Vbi facta mẽtione baptizationis seu cõsecrationis cãpanarum; dicitur; catholicos credere campanarum sonitu & aerem caliginosum discuti, tempestatesque arceri, & nequissimas potestates aereas pelli, atque exturbari: & pro his effectibus supplicatur in earum consecratione, vt videre licet in Pontificali Romano, vbi campanarum benedicendarum formula descripta est.

Concil. Coloniens.

Ad

15 *Ad arg. 5. reſp. negando antec.* & ad *prob.* dico, me non negare dæmones inſidiari melancholicis, epilepticis, furioſis, maniacis, & huiuſmodi. Inſuper non nego dæmones ſæpè cruciare miſeros obſeſſos mediãtibus morboſis illis apparatibus, vel naturaliter exiſtentibus in arreptitijs, vel à dæmonibus immiſſis: nego tamen ab eis diſpoſitionibus pendere manſiones dæmonum in dæmoniacis, vel quia non ſunt in loco per operationem vel diſpoſitionem corporalem; vel ſi ſunt per operationem (vt aiunt diſcipuli D. Tho. non neceſſariò per operationem, quæ ſit alteratio, ſed ſat eſt motus localis. Vnde ablata diſpoſitione alteratiua, poſſunt firmiter hærere per motum localem. Quod dico de manſione in arreptitijs, dico de illatione cruciatuum.

Sed dubitas: ſi per ſolum motum localem poſſunt inhabitare arreptitios, & eos immaniſſimè torquere, vt quid gaudent morboſis apparatibus, & eos immittunt, multa cura inquirẽdo res, ex quarum applicatione illi morbi generentur? Obſcurum eſt eorũ prauas mentes ac fines perſcrutari. Fortaſſe, quia cupiũt occultari, occultãtur autem dum malam affectionem dæmoniacorum, moleſtiæ morborum homines attribuunt, nil cogitantes de dæmonum inhabitatione, qua agnita adhuc deſiderãt domicilia morbis affecta, vt ipſis recedentibus ad tempus, vel in perpetuum relinquant morbos, quaſi ſubſtitutos tortores hominum, quos odio plusquam vatiniano proſequuntur: aut verò quia tam diros cruciatus non poſſunt inferre per ſolum motum localem coarctationis, aut dilatationis, ſuperſtitibus ſubiectis, ſicut per morboſas qualitates, maximè quæ ad maniæ ſpecies pertinent. An verò illi dæmoniaci de quibus in probatione antecedentis, fuerint vexati morbis à dæmonibus immiſſis: an verò tantum cruciati motu locali, incertum eſt; quibuſdam negantibus, quibuſdam affirmantibus.

16 *Ad ſextum arg. negatur antecedens.* Verba enim quæcunq; à Mago prolata, aer verberatus ſunt, & naturaliter ſupra ſpiritus nullam efficacitatem habent: fingunt dæmones ſe à Magis cogi, quibus obtemperant, vt plures capiant, & captos errore detineant. Tota vis Magorũ erga dæmones ex fœdere cum eis inito pendet, ac proinde ſi Magus pactum habeat cum dæmone ſuperiori, non poteſt vim facere (quæcunque verba proferat) huic dæmoni ſibi deuoto, poteſt tamen per ipſum dæmonem ſuperiorem, ſibi ex pacto adiuuantem, inferiorem cogere ad aliquid faciendum, vel omittendum, vt narrat Auguſtin. 10. *de ciuitate Dei, cap. 9.* Sed hoc non eſt dæmonem aliquem cogi verbis Magorum, ſed ab alio dæmone fortiori. Quare Maga illa Theſſalica vanè ſe iactabat de imperio ſupra dæmones, quin imò minabatur Lunæ, & Dijs inferis, tanquam famulis, apud Lucanum lib. 6. *Auguſt.* *Lucanus.*

Miratur Erichtho

Has fatis licuiſſe moras, irataq; morti
Verberat in motum viuo ſerpente cadauer,
Perq; cauas terræ, quas egit carmine rimas,
Manibus illatrat, regniq; ſilentia rumpit.
Tiſiphone, vocisq; meæ ſecura Megera,
Non agitis ſæuis Erebi per inane flagellis,
Infœlicem animam? iam vos ego nomine vero
Eliciam, ſtygiasq; canes in luce ſuperna
Deſtituam: per buſta ſequar: per funera cuſtos
Expellam tumulis, abigam vos omnibus vrnis,
Teq; Deis, ad quos alio procedere vultu
Ficta ſoles, Hecate pallenti tabida forma
Oſtendam, faciemq; Erebi mutare vetabo.
Eloquar immenſo terræ ſub pondere, quæ te
Contineant Ennæa dapes, quo fœdere mæſtum
Regem noctis ames: quæ te contagia paſſam
Noluerit reuocare: Ceres tibi peſſime mundi
Arbiter immittam, ruptis Titana cauernis,
Et ſubitò feriere die.

Et Iamblicus in myſterijs ſcribit, narrare Porphyrium, Sacerdotes, id eſt Magos, conſueuiſſe violẽtis quibuſdam minis aduerſus ſuperos (dæmones intelligit) vti: veluti: *Niſi vos ita feceritis, vel contra ſi feceritis aliquid: cœlos confringam vel occulta Iſidis; id eſt Proſerpinæ patefaciam, vel arcanum in abyſſo conditum diuulgabo, aut ſiſtam barim,* id eſt nauim quandam apud AEgyptios ſacram: *Aut membra Oſiridis Typhoni diſpergam.* Videte quouſq; proceſſerit inſana iactantia Magorum, & dæmonum ingens fallacia, vt ſe ſimulent his verbis cogi, his minis terreri, quas homunciones vix audire ferrent, & tamen ſuperbiſſimi ſpiritus libenter auſcultant & fingunt ſe pauidos obedire, vt miſeros homines in errore detineant. Sed his relictis ad grauiora & veriora nos ſeptimum & octauum argumentum inuitant. *Iamblicus* 17

18 *Septimum argumentum* quibuſdam nullum negotiũ faceſſit: quia exiſtimarunt librũ Tobiæ nõ eſſe de canone ſacrarũ Scripturarũ: ſed iam poſt Tridentinam Synodum, quæ definiuit, & annumerauit eũ librũ cæteris irrefragabilis autoritatis codicibus ſacris, reſpõſio hæc non eſt admittẽda.

Alij aiunt fumum cordis piſcis, non fugaſſe dæmonẽ, ſed Raphaelem Angelum vt dicitur cap. 8 *Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deſerto ſuperioris AEgypti.* Sed ideò dixiſſe fumum extricare, id eſt fugare dæmonia, (cum tamen ipſe erat fugaturus) vt ſic hoc dicto, & ſubſequenti facto, occultaretur eſſe Angelum. Sed iſti vix excuſant Angelum ab edocta ſuperſtitione & à mendacio: quia non ſaluatur veritas aſſerti Angelici, videlicet fumus cordis, aut iecoris extricat omne genus dæmoniorum. *Tobiæ. 8.*

Nec ſatisfacit Abulenſis ſuper caput 16. 1. *Regum*, dicens ſenſum eſſe dæmones eſſe fugandos, quando fumus excitatus eſſet, fugandos quidem, non à fumo, ſed ab Angelo. Nimis violenta expoſitio videtur: quia expreſſe ait Angelus, fumum ipſum fugare dæmonia omnia, id eſt habere virtutem ad id efficiendum. Si autem tempus notaretur, de vno tantùm dæmonio loqueretur Angelus: item fel non tantum fuit ſignum temporis, quo viſus Tobiæ reſtitueretur: ergò neque cor, & hepar temporis, quo erat receſſurus dæmon. *Abulenſ.*

18 *Alij dicunt*, fumo illius piscis fugari dæmonia non vt instrumento, sed sicut signo; ad eum modum quo Crux fugat dæmones, vt signum Christi: piscem autem illum figuram esse Christi multi Sanctorum affirmant. *August.* August. serm. 4. de sanctis Petro, & Paulo. *Est enim Christus piscis ille, qui ad Tobiam ascendit de flumine viuus: cuius iecore per passionem assato fugatus est diabolus, & per amaritudinem fellis afflatus est cæcus, & illuminatus est mundus.* Et Optatus li. 3. aduersus Parmen. idem ferè ait, *Optatus.* & D. Prosper de prædict. p. 2. cap. 39. vbi post *Prosper.* multa ait: *Satiat ex se ipso in littore Christus discipulos, & toti offerens se mundo: nam verbum Græcum Latinè piscem sacris litteris maiores nostri hoc interpretati sunt, ex Sibyllinis versibus colligentes, quod est Iesus Christus filius Dei saluator, piscis in sua passione decoctus cuius ex interioribus remedijs, quotidie illuminamur, & pascimur.* Non displicet expositio, quæ est etiam Lyrani Tobiæ 6. dicentis fumum iecoris *Lyranus* illius piscis non fugasse dæmone, nisi figuraliter.

Existimo autem illum fumum re vera fugasse dæmonium (aliàs quomodo stabit dictum Angeli) non per aliquam vim naturalem, quæ inesset fumo illi: sed quia Angelus Raphael, qui vt causa principalis fugauit, eo fumo vsus est vt instrumento illius fugæ faciendæ, eleuans illum, vt posset intellectum; in quem non poterat nisi eleuaretur. Nec mirum: nam faber lignarius eleuat serram, vt ea faciat cathedram, quam serra non posset efficere, nisi eleuaretur: & multò magis habet locum hæc eleuatio, quando substantiæ separatæ assumunt vt instrumenta ad mirabiles effectus producendos res naturales: vt *D.Thom.* egregiè D. Th. 3. *contra gentes c.* 103. *& alibi sæpe.*

Quare autem fumo illius piscis vsus est Raphael, vt instrumento? Quia figura erat Christi Domini in passione quasi exenterati, ac decocti, vt præfati Sancti docuerunt. Hæc sententia non est aliena à mente multorum doctissimorum, inter quos Guilielmus Parisiensis lib. de vniuerso, Dionysius Carthusianus hoc testimonio Tobiæ, Hieronymus Mengus *in flagello dæm. docum.* 3.

An verò iecur illud habuerit aliquam virtutem naturalem inducendi quasdam dispositiones ingratas dæmonibus: dicendum erit, sicut de concentu Dauidicæ cytharæ, de quo statim.

19 *In octauo argumento* celebris se offert, & à viris doctis agitata *dubitatio*, de efficacia concentus Dauidicæ cytharæ in propulsando dæmonio à Saule, quem à dæmone arreptum fuisse docent viri graues. Iosephus *lib. 6. antiquit. cap.* 10. Athanas. hom. *de semente*, Chrysost. Eucherius, Tertullianus, *lib. de fuga in persequut. ca.* 3. Theodoretus, *q.* 38. 39. 54. Gregorius, Abulensis, Lyranus, *in libros Regum*, & Franciscus Vallesius. *ca.* 30. *de sacra Philosophia.* Alij occupatum morbo melancholico, non à dæmone obsessum aiunt, inter quos *Caiet.* Caie. Sed estò à dæmone fuerit arreptus, an melodia musices fuerit à dæmonio liberatus, dubitatur: nam esse liberatum ait sacer textus. *Recedebat* (inquit) *spiritus malus ab eo.*

20 Extremas in hac dubitatione reperio sententias è regione oppositas, & vnam mediam. *Prima extrema est.* Solam harmoniam, Dauide pulsante citharam, vim habere naturalem ad pellẽda dæmonia, & de facto pepulit à Saule spiritum malignum. Hæc sententia duplici pergit via: nam quidam aiunt eam vim inesse musicis concentibus, quibus quidam dæmones delectãtur, alij verò fugantur. Iste dicendi modus idolatrarum est, multa iactantes vana de propensione dæmonum in harmoniã. Vnde natæ sunt Magorum nugæ, Saturno lugubrem cantum, cæteris planetis hilarem, ac lætum offerendum. Hæc positio facilè refutatur ex dictis in secunda assertione. Alij alia pergũt via minus improbabili: dæmonem indirectè fugatum esse à Saule per Dauidis cõcentum musicum: eo quod ingressus, mansio, ac vexatio actiua dæmonis, pẽdebat à dispositione passiua existente in Rege arreptitio: & hac sublata per harmoniam Dauidicam, subinde cogebatur dæmon, vt fugam caperet. Hac via procedit Paulus Burgensis, & alij *Burgens.* citati: sed horum sententia iam refutata est his, quæ diximus circa assertionem quartam, & solutionem ad quintum argumentum.

Altera sententia extrema asserit, Dauide pulsante citharam, duos effectus subsequi: vnus, 21 quod leuius ferret dæmonis obsidentis vexationem: alter quod fugabatur dæmõ. Et nullus horum fiebat, neque poterat virtute naturali harmoniæ musicæ: sed ambo effectus tribuendi sũt sanctitati Dauidis, qui cytharam pulsando, canebat laudes Dei, & Psalmos compositos pro salute Saulis. Hæc sententia multum conformis est dictis Sanctorum. Athanas. homilia de se- *Athan.* mente, sic ait: *Cùm torqueretur Saul ab immundo spiritu, non defuit, qui indicaret ei Dauidis solertiam. Accersitus, quoties inuadebat Regem spiritus immũdus, Dauid cytharam pulsabat, hymnos Domino cantans: suffocantem dæmonem propulsabat. O magnam Psalmorum virtutem, spiritus immundus suffocans alium, ipse inuisibiliter suffocatur, & respirabat Saul!* Chry- *Chrys.* sostom. *Pulcher Psalmi concentus est, acutissimum telum aduersus dæmones: nec enim ceruus ita tela fugiunt, vt Psalmos Dauid dæmones. Sumpsit Dauid cytharam, & pulsauit, & à Saule recessit malus spiritus. & recedẽs dæmon cecidit, vt ceruus sagitta percussus, & in iecore sauciatus. Pulchra est Dauid cythara; est enim anima consolatio: pulchra est lyra pastoris; mentis enim nostræ neruos confirmat ad virtutem, &c.*

Tertia sentẽtia media asserit duo. *Primum est*, 22 virtute naturali melodiæ potuisse fieri, vt aliquis leuius cruciatum ferat, aut dolor totaliter absorbeatur. Et ita de facto accidisse Sauli: nam Dauide pulsante cytharam, ac canente, Rege musicæ suauissimæ concentibus recreato, ac delinito: leuius ferebat dæmoniacos cruciatus, aut fortè dolor totaliter auferebatur. *Secundum* est virtute melodiæ naturali nequaquam poterat dæmon cogi, vt à Saule discederet: discessit autẽ virtute supernaturali.

Hanc sententiam censeo veriorem; eam tenet Lyranus, & Abul. *super locum* 1. *Reg.* Estque ferè *Lyran.* communis Theologis nostri temporis. *Secun- Abul.* *dum* dictum iam probatum est assertione secunda, & quarta. *Primum* verò probatur, posse fieri dupli-

dupliciter. *Vno modo* quia vt creditur Saul vexabatur à dæmo ne mediante affectione, & dispositione humorũ atra bili infectorum: hos autẽ sedari, aut valdè alleuiari per melodiam, ac musicos concentus, medici periti asserunt. *Secundo modo*: quia concentus suaues; imò & perceptio cuiuscunque valdè delectabilis, distrahendo attentionem; facit res mœstas vel non percipi, aut parum: & sine perceptione rei nociuæ non sentitur dolor, aut cruciatus: & cum perceptione parua, parum sentitur. Ac proinde non mirum si Rex concentu, & harmonia Dauidis musicæ delinitus, & occupatus, non sentiret cruciatus dæmoniacos, vel leuius.

Secus dicendum est de dæmonis discessu; quem non fieri virtute naturali harmoniæ musicæ, aut cuiusuis rei corporalis, iam probauimus. Nullam tamen video dissonantiam veritati, si quis dicat Rege concentu musicæ delinito non exiguè sedabantur humores, quibus agitabatur, & propterea vexationi dæmones min⁹ apti reddebantur. Et ideò spiritus ille nequam tum temporis recedebat, nõ quod musica cogeretur, aut offenderetur, sed quod ægrè ferret hãc sui domicilij sibi quasi turbari possessionem per huiusmodi temperiem meliorem. Sed certiùs censeo virtute supernaturali coactum recessisse: vel propter Dauidis canentis Psalmos sanctitatem: vt videntur dicere Sancti citati: vel pulsu cytharæ, virtute, ac merito crucis Christi, cuius figura fuit illa cythara: ac proinde eius sonum exhorrescens dæmon recessit: sicut supra diximus de effigie Christi Crucis. Sic opinatur Felis *in 2. dist. 8. & multo ante illum Prosper Aquinaticus 2. p. promissio. & præd. c. 25.* Rabbanus, Eucherius his verbis super istum locum ex 1. Regum: *Dauid in cythara sua malignum spiritum compescuit: non quòd tãta vis esset in cythara; sed in figura Crucis Christi, quæ de ligno, & cordarum extensione gerebatur: quæ iam tunc dæmones effugabat.* Vel tertiò, quia Deus illa cythara vtebatur, vt instrumento ad dæmonem illum fugandum: eo quod erat figura Christi in Cruce extensi.

Felis Prospe. Rabban. Eucher.

13 Ex his patet, quid sit dicendum ad *octauum argumentum*. Illud verò, quod adducitur de cantu tibiæ Simeonis Abbatis, nescio quàm sit authenticum: fortassè ob sanctitatem viri; vel quia id ad similitudinem Dauidis cytharizantis factum est, dæmon pulsatus est. Ad id verò quod Boetius adducit de Philosopho expellente dæmonem per harmoniam cytharę: forte dæmon ingratum habuit hospitium eius obsessi; cuius humores sedati sunt per concentum musicum: & ideò spontè recessit.

ANNOTATIO.

1 Absolutis his, quæ spectant ad potestatem mirificã quam Christus Ecclesiæ suæ dereliquit ad dæmones abigẽdos: superest, vt in secũdo membro tradamus praxim seruandam ab exorcistis in vsu huius potestatis. Nec tamen obliuiscemur methodi scholasticæ admiscentes aliquot quæstiones: vt sciant exorcistæ rationem reddere eorum, quæ ab ipsis geruntur.

Ea malorum colluuies, quàm superius *disputat. 10. & 11.* diximus hominibus posse inferri, continentur, ac ferè epilogantur in quatuor generibus malorum: circa quę pręcipuè propulsanda exorcistarũ labor, ac cura insumitur. Primum & omnium teterrimum est obsessio, quæ fit à dæmonibus inhabitantibus humana corpora: & multis, ac varijs malis afficientibus miseros arreptitios. Secundũ, persequutio illatã, nõ à dæmone obsidẽte, sed forinsec⁹ existẽte, & homines affligẽte. Tertium, infestatio domorum, ac aliorum locorum terroribus, apparitionibus terribilibus, & similibus: quæ efficiunt aliquam habitationem, siue loca inhabitabilia, ac tremenda. Quartum. Clades, aut damna illata à dæmonibus in fortunæ bonis, non per se ipsos immediatè, sed per res aliquas sensibiles: putà per animalia fera, per turbines, grandines, ventos vehementes, depopulantes segetes, aut arbusta, diruentes domos, &c. 1
Erga hæc malorum genera populsanda per adiurationem præcipuè insudant exorcistæ. Quare de his speciatim dicendum est, & primò de obsessis sit

---

DISPVTATIO XVIII.

Qui sint homines isti, qui à dæmonibus obsessi dicuntur; siuè dæmoniaci, aut energumeni, id est intus vexati?

Et videtur, non reperiri tales homines, in quorum corpora dæmon intrauerit. Primo ex Glossa circa illud Habacuc secundo: *Dominus in templo sancto suo*, dicente dæmones simulacris exterius præsidere possunt: non autem interius adesse: ergò multo minus poterunt intrare corpora humana. 2 Habacu.

Secundò. Anima rationalis est tota in toto corpore, & in qualibet corporis parte: ergò in nulla potest inhabitare dæmonium: tum, quia duo spiritus creati nequeũt esse in eodem loco, sicut neque duo corpora: tum etiam, quia esset confusio operationum à diuersis illis emanãtium; quæ nullatenus est admittenda.

Tertiò. Nõ ob aliud dæmones dicũtur esse intra corpora hominũ; nisi quia ibidẽ operantur: v. g. cruciando, torquendo, &c. sed ex hoc nõ infertur esse intra hominum corpora: ergò re verà non sunt. *Maior* videtur nota ex doctrina Thomistarum *1. p. q. 52.* dicentium, Angelos in eo loco esse vbi operantur: & vbi nõ operãtur, non esse. *Minor* autem *prob.* alias propter eandem rationem Angeli Custodes essent intra eos, quos custodiunt, & dæmones, intra eos, in quorũ visceribus morbos generant: ac denique inhabitarent omnes, circa quos quoquo modo operantur: imò etiam intra eos, quos tentãt: quia circa omnes istos operantur; & ibi sunt vbi operantur.

Quartò. Dæmones nō sunt intra animam, neque esse possunt: quamuis intra animam operentur: suadendo scilicet, & indirectè mouendo eius potentias: ergo neque possunt esse, neque sūt intra corpora: quamuis intra ea operentur. *Confirmatur.* Dęmones non possunt illabi animabus hominum: hoc enim proprium Dei est: ergo neque eorum corporibus.

Vltimò. Animæ defunctorum separatę nequeunt corpora viuentium intrare, aut vexare: nusquam enim legimus sic accidisse: ergo neque dæmones possunt corpora viuentium intrare, aut vexare. *Probat. conseq.* ex rationis paritate: etenim tam animæ quam dæmones, spiritus sunt, & pari modo operandi, & essendi, in loco gaudent.

3 In oppositum faciunt sacræ Scripturæ testimonia asseuerantia dæmones male torquere homines, eorum corpora subintrare, & iam ingressos à Christo Domino, & eius Apostolis eiectos fuisse: & ipsis clamantibus, & testificantibus, vim sibi inferri: eo quod à proprijs habitaculis pellerentur, Matth. 17. *Hoc genus* (inquit) *dæmoniorum non ejicitur, nisi oratione, & ieiunio.* Mat. & Luc. 8. ac Mar. 5. narratur illa insignis eiectio legionis dæmoniorum, quæ vnum hominem possederat, & *Matth.* 12. Marc. 1. Lucæ 4. & alias in Euangelio sæpè narrantur mirabilia à Iesu facta circa eiectionem dæmonum ab hominum corporibus. Potestas itidem collata Apostolis ad eos ejiciendos, & eiectio subsequuta. *Marci vltimo, Luc.* 10. *Actorum* 16. id ipsum ostendit: accedente experientia, qua mediāte, sæpè videmus homines à dæmonibus vexari, atque eosdem virtute Christi ab exorcistis liberari, ac ejici. Quæ omnia attestantur malignos spirit⁹ sæpè homines vexare, ac eorū ingredi corpora: quod negare non potest quis nisi suis proprijs sensibus non adhibeat fidem; & historiam præteritorum temporum id narrantē neget, ac sacra testimonia citata in dubium reuocet.

Matth. 17. Matth. & Luca. 8. Marc. 5. Matth. 12. Marc. 1. Luca. 4. Marc. vlti. Luca. 10. Actor. 16.

4 Pro decisione *dico primo.* Hæresis aperta est negare homines sæpè vexatos esse à dæmonibus, ac in suis corporibus quamplurimos subijsse à malignis istis spiritibus cruciatus. Hoc assertum est contra quosdam, qui energumenos putauerunt nō à dæmonibus vexari, sed ab influenti virtute astrorum. Hos autores insinuat Diuus Hieron. *super caput quartum Matth.* In eodem ferè errore versabatur Leuinus Lemnius *lib.* 2. *de occultis naturæ cap.* 2. existimans hos energumenos, quos nos dicimus à dæmonibus vexari, nequaquam hæc à dæmonibus pati; sed quibusdam, nescio quibus, naturalibus morbis laborare.

Hieron. Lemnius.

Nostra tamen assertio *probatur argumento* facto in oppositum, & testimonijs in eo relatis. *Deinde ratione*: nam isti energumeni loquuntur linguis peregrinis; quas nec audierunt, nec didicerunt: futura annuntiant: absentia, ac si viderent, asseuerant: sed hæc admiranda opera, impossibile est ab astris, siue à morbis prouenire: ergo delirium est ea tribuere astris, aut morbis. *Maior* experientia innotescit. *Minor autem prob.* quia operationes cōmemoratæ nequeunt fieri nisi ab operāte per intellectum media cognitione: & denique ab agēte libero. Astra autem, aut morbosæ qualitates, intellectus, & voluntatis sunt expertia: ergo illæ operationes non possunt, neque debent tribui astris, aut hominibus illis morbosis affectis qualitatibus.

Vlterius probatur esse adscribendas dæmonibus, vt præcipuis effectoribus: nā vt modò probabam hæ operationes sunt ab agente libero operante per intellectum, & voluntatem; non ab ipsis energumenis, aut arreptitijs: quia excedunt vires eorum, & facultates: siue enim consideres eos, vt affectos quibusuis morbis, siue integra sanitate; non est intelligere eos posse consideratè loqui varijs linguis, quas non didicerunt, aut annuntiare futura, aut absentia: quæ alias non nouerunt. Non sunt etiam adscribendæ Deo, vt causæ particulari, neque bonis Angelis; videmus enim sæpè blasphemare Deum, aut ei maledicere: quæ nō esse à Deo effectore, aut Angelis, nullus dubitare potest. Superest ergo à sufficienti diuisione agentiū per intellectum: vt fiant à malignis spiritibus, quos dæmones appellamus,

Dico secundo. Vel hæresis est, vel temeritas ingēs, aut errori proximum asserere has molestias, vel vexationes à dæmonibus per se ipsos immediatè illatas dæmoniacis, nunquam fieri à dæmonibus intra corpora dęmoniacorum existentibus. Hoc *assertum est* contra quosdam, qui tacito nomine referuntur ab Abulensi. *super Matth.* Sed nostra positio *probatur* ex testimonijs allatis in *argumento facto in oppositum*: ex quibus apertè colligitur sæpè intra ipsos dæmoniacos dæmonia existere, ipsosque subintrasse. 5

Respōdetur præfati autores, propterea dici subintrasse, aut intrare, quia supra ipsos quandam accipiunt vexandi potestatem, & propterea dici ejici: quia ab eis isthæc aufertur potestas. Et *adiuuantur illi autores*, quia Theologi communiter affirmant Angelorum motum localem, & existentiam in loco, esse alterius rationis, quàm isthæc in rebus corporalibus, adeo diuersa, vt vix isti motus comparabiles sint, aut proportionales, ac proinde æquiuocè dici de vtrisque: ergo non est dissonum rationi ingressum dæmoniorū in corpora, aut egressum ab eis significari per acceptionem, aut ablationem vexandi corpora.

Certè vix excusari queunt isti ab hæresi; cùm aperte dicat sacra Scriptura dæmones corpora intrasse, & exiuisse, ac eiectos esse: quæ nō possunt, nec debent explicari, nisi asserendo re vera intus extitisse, & inde fuisse pulsos. Si enim dæmones non intrarēt corpora: quorsum illæ voces Christi Domini, Marci 5. *Exi spiritus immunde ab homine isto?* Quorsum petitio dæmonum dicentium: *Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus?* Et illud: *Exeuntes spiritus immundi intrauerunt in porcos.* Accedit interpretatio Sanctorum circa hæc loca vnanimi consensu asserentium, verè extitisse dæmonia intra hominum corpora.

Marc. 5.

Deinde nostra *assertio probatur ratione* in hunc modum. Dæmones obsidentes homines sæpè per os eorum loquuntur mira, vt superius proba-

probabam. At loquutio hæc (quidquid sit de alijs operationibus) non potest a dæmone fieri, nisi existat intra corpus dæmoniaci: ergo necesse est fateri malignos spiritus sæpè corpora hominum intrare, & intrinsecus existere. *Minor prob.* Potissimum instrumentum, seu organum ad voces formādas, pulmo est, existens in medio thorace pectoris: ergo vt illum dæmon moueat immediatè, & per se ipsum; in illo debet existere, ac proinde dæmon loquens per energumenum intra corpus debet consistere, vt forment voces per os eius. Vim huius rationis inferius ostendam.

6 *Dico tertiò.* Vt aliquis dicatur arreptitius, seu dæmoniacus non sat est dæmonem esse in eo tanquam in loco, sed vlterius necesse est eum immediatè vexare per se ipsum, cum quodam modo subactionis manendo in ipso quasi in proprio habitaculo. Hæc *assertio* communis esse debet tam in opinione Thomistarum asserentium, Angelos esse in loco per suam operationem, & non esse vbi non operantur: quàm in schola Scotistarum asserente esse in loco per suam substantiam, & sæpè esse in locis vbi nil operantur. *Assertum nostrum dum explicatur, probatur.* Et prima pars inde patet, quia dæmones quando sagas, aut maleficos per aera portant, quando ipsis commiscentur, sunt in eis, vt in loco: & tamen sagæ siue lamiæ non dicuntur arreptitiæ, aut dæmoniacæ.

Similiter iuxta mentem Scoti sæpe dæmones latitant in hominibus, nil operantes: qui non ob id dæmoniaci dicuntur. Igitur necesse est dæmonem esse in homine, vt dicatur dæmoniacus; sed hoc non sat est; requiritur ergo *secunda conditio*, dæmonem scilicet vexare hominem immediatè per se ipsum, nam si vexet mediatè: vexatio hæc non facit arreptitium: v.g. quando dęmon apparet homini in corpore assumpto aereo, aut per spectrum loquitur, vel morbos generat mediantibus cibis venenosis, non ob id, sic vexatus dicitur arreptitius, aut demoniacus: aliàs omnes maleficiati, imò & multi Sancti dicerentur arreptitij: quia à dæmonibus tales molestias perpessi sunt.

Sed neque hæ duæ conditiones sufficiunt, vt aliquis dæmoniacus dicatur: nam dæmon multa mala intulit sancto Iob, non solùm in bonis externis, verum & in proprio corpore: multas plagas pertulit sanctus Antonius; multas & alij Sancti: quos fuisse dæmoniacos non est dicendum: quia vlterius requiritur in sic vexatos accepisse potestatem vexandi, & manendi quasi in proprio domicilio: & sic manentes miseris hominibus quamplurima, & ingentia mala inferunt: quandoque eos enecant, vel vt sibi mortem consciscant, aut inferre sibi intentent, impellunt. Marc.9. Huc spectat quod D. Marcus narrat. *cap. 9. de* quodam à dæmone in ignē, & aquam sæpè præcipitato, terræ alliso fœdè spumāte, dentibus stridente, & arescente: quandoque sensibus priuant, Luc.11. vt videre licet in dæmoniaco *Luc.11.* quē dæmon effecerat mutum, & surdum: quādoque formam ipsam humanam destruunt, vt fecerunt mulier *Luc. 13.* quæ decem & octo annis ita inclinata incessit; vt sursum respicere prorsus non valeret Luc.13. quādoque vero imaginationem hominum corrumpunt: & sic miseros quasi in rabiem ferinam vertunt.

Huiusmodi erant illi dæmoniaci, quos referunt Euāgelistæ moratos fuisse in sepulchris, & in furorem versos, modo se ipsos dilaniasse, modo in prætereūtes insilijsse. Hæc sunt, & multa alia mala, quæ dæmones corporibus obsessorum inferunt, aut procurant. Sed plura & maiora sunt, quę patiuntur obsessi à dæmonibus intus existentibus. Diros nempè corporis morbos, ac corporis cruciatus vehemētissimos: fortassis per viscerum, aut aliorum internorum membrorum contractionem plus nimio, aut distractionem plus solito: maximè in eos hæc exercent. Vnde dolores, ac anxietates ingētes miseris dæmoniacis promanare experientia teste cognouimus. Hanc autem contractionem membrorum, aut dilatatione maximos adferre cruciatus, vel fœminæ solæ parturientes probant.

Ad argumenta pro parte negatiua respondetur. *Ad primum*, illa verba Glossæ intelligenda esse cōtra idolatras quosdam, fortasse discipulos Hermetis Trismegisti, existimantes ex dæmone, & simulachro fieri vnum; sicut corpus ex materia, & forma. Et hoc pacto non dicuntur dæmones intus esse in simulachris. Non autem Glossa negaret posse dæmonem ingredi simulachra, intus operando, sicut & in humana corpora. *Ad secūdum respon.* Si anima rationalis, & dæmones essent in corpore vno tanquam in loco argumentum haberet plusculum difficultatis, de qua statim. Sed non ita res se habet: nam anima non est in corpore sicut in loco; sed sicut forma in materia. Dæmon autem est in corpore sicut in loco: & ideò operationes vtriusque diuersæ rationis sunt. Quapropter sine confusione operationū vterque potest esse in eadem corporis parte: anima vt forma, dæmon vt locatum in loco. Anima poterit vegetare partes, ac nutrire, dęmon eas simul mouere localiter: at vero si dæmon moueat manum sursum; anima non potest mouere deorsum: quia vtraque motio localis est, & exercebitur à fortiori motore. 7

Ad tertium resp. Dæmones esse in corpore, & esse intra corpus, non se habere conuertibiliter: nam plus requiritur ad esse intra corpus, quàm ad esse in corpore. Ad hoc enim sat est operari circa corpus: sicut est inijcere arreptitios in ignem, aquam, & huiusmodi. At vero vt dæmones dicantur esse intra corpora: necesse est quod sint, id est, operentur intra terminos quantitatis corporum, hoc est, intra superficies intrinsece circūdantes corpora: quare ad argumentum negatur maior. Ex hac solutione colliges arreptitios à duplici dæmonum genere molestias pati: ab intus existentibus, & ab alijs extra assistentibus. 8

Ad *quartum, & eius confir. respon.* dæmonem verè posse esse intra corpus: nō vero intra animam: quia esse intra aliquid est esse intra terminos eius: corpus autem habet duplices terminos, scilicet terminos essentiæ, & terminos quantitatis.

Termini essentiæ corporis, sunt ea, quæ claudunt essentiam corporis: quapropter quidquid non est materia, aut forma, aut virtus dans esse corpori, dicitur, esse extra terminos essentiales corporis. Vnde dæmon non est, neque dicitur esse intra essentiam corporis: quia neque est materia, neque forma corporis, neque virtus dans ei esse. Terminus quãtitatis corporis est ipsa superficies intrinsecè claudẽs corpus: & intra terminos illius verè, ac realiter potest esse dæmon: quia ibi reperiuntur multæ cõcauitates: quinimò etiam si nulla esset, posset ibi inhabitare dæmon: quia nullam habet quantitatem, quę posset illi esse impedimentum. Anima autem, & quæcunque substãtia spiritualis nõ habet, nisi terminos essẽtiæ: quia expers est omnis quantitatis.

Vnde colligitur dæmonem non posse esse intra illam: quia nec est pars eius, nec virtus dans illi esse. Solus autem Deus dicitur esse intra animam: quia effector est intrinsecè operationis essentiæ. Etenim ipse dedit esse, quod receptum est in essentia rei, ac ipse illud conseruat, & non potuit hoc esse dari, aut conseruari, nisi à solo Deo: ergò nulla creatura poterit esse intra terminos essẽtiæ cuiuisuis rei spiritualis, sed sol⁹ Deus. Possũt autẽ substãtiæ spirituales habere aliquas operationes circa alios spirit⁹: purgãdo, illuminãdo, & huiusmodi. An verò ob eam operationẽ dicatur vnum spiritum esse in alio, circa quem operatur, modò non disputo: satis nobis sit probasse dæmones non posse esse intra animam, neque intra alias substantias spirituales, quamuis circa illas operentur: quare negatur dæmones intra animã operari; & consequenter non esse intra animam. Ad *confirm. respond.* illabi intra aliquid est, esse intra terminos eius. Cum ergò dæmones non possint esse intra terminos animæ, possint autem esse intra terminos corporis: possunt corporibus illabi non animabus.

9 In vltimo argumento tangitur quædam dubitatiuncula digna scitu: *an aliquando animæ defunctorum intrent corpora viuentium, vt eos vexent?* Et aduertendum, nos nequaquam in præsentiarum disputare, an animæ defunctorum intrent aliorum corpora, vt ea informent? pro certo enim habemus partem negatiuam: sed dumtaxat dubitatur, an sicut dæmones intrant corpora hominum, quibus vniuntur, nõ vt formę, sed vt motores: ita animæ separatæ efficiant?

An animæ defunctorũ intrent corpora viuentium, vt eos vexent?

Et videtur vera pars affirmatiua. *Primò* quia ad id habent potestatem mediante virtute motiua, qua se mouent de loco in locum, & qua corpora mouent: ergò aliquando id efficiunt: frustra enim est potentia, quæ non reducitur ad actũ. *Secũdò.* Quia sæpè videmus arreptitios dicere se esse animas horum, vel illorum hominum, & facere operationes, quas defuncti solebant agere, & non alij: v. g. canere, aut psallere eadem dexteritate, & vocum modulatione, qua defuncti, quorum animas se esse dicunt, vti solebant. *Tertiò.* Iidem arreptitij reuelant multa secreta, quæ soli homines, quorum animas se esse profitentur, poterant nosse: v.g. opera, quæ in abscondito egere. Signum ergò est veras esse animas illorum defunctorum, quorum animas se esse dicunt. *Quartò.* Multa vtilia, & sancta monent esse facienda, suffragia petunt, vt ab his, vel illis pœnis liberentur: restitutionem ablatorum suadent. Hæc autem nõ sunt à dæmonibus, qui suggestores malorum sunt, & nostram perniciem moliuntur, & dissuadere virtutum officia procurãt: ergò animabus defunctorum, quæ intra corpora arreptitiorum commorantur adscribenda sunt huiusmodi monita.

Pro decisione *duo primò.* De facto isti spiritus, qui commorantur in arreptitijs, & se esse animas defunctorum affirmant, dæmones sunt, non animæ defunctorum hominum. *Probatur.* Quia dicunt, & faciunt isti spiritus ea, quæ animæ separatæ non valent dicere, aut efficere. Dicunt quidem multa occulta, quæ nullus hominum nouit: disserunt de rebus altissimis, quæ ignorauit persona defuncti, cuius se mentiuntur esse animam: ergò neque ipsæ animæ norunt, maximè, quia illæ animæ dicuntur esse de his, quæ Inferno deputatæ sunt, aut Purgatorio: quæ nil aliud sciunt, nisi quæ in vita mortali didicerant. Faciũt etiam quæ anima separata non valet efficere: nam arreptitij isti sunt fortiores alijs, catenas rumpunt, compedes frangunt. At hæc non posset anima humana facere: eo quod, vt dicetur infra, anima minoris vigoris est à corpore separata, quàm vnita eidem: ergò hæc miranda opera non sunt attribuenda animabus, sed dæmonibus, & verè ita est. 10

Secundò. Isti spiritus mouent localiter corpora, quæ intrant, etiam inuitis animabus, quæ viuificant illa: etenim formant verba, quæ volunt, etiam nollentibus arreptitijs, & mouent quo volunt: ergò dæmones sunt, non animæ. *Probat. conseq.* quia animæ æqualis potestatis sunt, sicut æquales secũdũ specie; sed æquale nõ agit inęquale; maximè, quia anima in corpore manens, est in suo esse naturali; illa verò, quæ vnitur corpori, vt motor, est extra suũ naturale esse, ergo quamuis ambæ essẽt æquales secũdũ speciẽ, potẽtior esset illa, quæ corpori vnita est; ac proinde à separata non posset cogi; imo quamuis anima ingrediens esset secundùm se fortior, imbecilior tamen vnita, præualebit propter vigorem acceptum à modo essendi naturali.

Tertiò. Esto posset præualere anima intrans corpus alterius; neutiquam credendum est, eam hominem viuentem vexare; maximè si esset pater, aut mater arreptitiorum; quos se esse frequẽtius mentiuntur. Patet, quia naturalem commiserationem erga parentes, & cognatos non perdunt etiam animæ damnatæ, vt patet *Lucæ.16.* de diuite epulone, qui cupiebat suos fratres liberari à tormentorum locis; ergo non est credendum eas, corpora suorum propinquorum intrare, vt vexent. Itẽ, quia ægrè ferunt ab illis corporibus expelli; sunt ergo dæmones, non animæ defunctorum; vtpotè, quæ potius cuperent citò exire à corporibus sibi charissimorum, vt cessarent torqueri, ac vexari earum assistentia intra corpora. *Lucæ.16*

Circa

11 Circa *primum in oppositum* non est modò disputandum, an animæ separatæ se moueant, & an moueant alia corpora localiter: de quo inferius. Sed illo admisso, respon. non inde probari intrare corpora viuentia multa anima, quā corpus viuens informatur, vt declaraui in secunda probatione nostri asserti. Item non probatur intrare, vt vexet, sicut declaratur in tertia probatione eiusdem asserti. Ad *secūdum facilis est solutio*. Etenim dæmones nouerunt benè imitari operationes hominum qualescunq; & sic conantur persuadere se esse animas defunctorum, qui eas operationes exercebant. Ad *tertium similiter respōdetur*, dæmonia sua peruicacitate, ac discursibus hominū actibus interesse eis ignorantibus, ac nihil tale cogitantibus: vnde nō mirū q̄ secreta defunctorum pandere possint. Ad *quartum resp.* dæmones non suadere ea, quæ ad virtutem spectant, vt nos studiosi efficiamur: oderunt enim vitæ puritatē, & studium virtutis: sed quādoque, vt nos decipiant, multa vtilia proponunt: vt credamus non esse spiritus dæmoniacos, qui talia fantur: postea verò auditoribus persuasis, multa falsa docent, multa mala suadent. Et hac arte legimus dæmonia varios errores disseminasse, & quamplures in flagitiosa opera adegisse.

Percontabitur quispiam, quorsum se esse animas mortuorum mentiuntur: nam præfata possent efficere, etiam si dæmonia esse crederentur? *Respond.* quia homines naturaliter colloquia dæmonum reformidant, & de falsitate suspectos arbitrantur: quia mendaces sunt, & mendacij patres. Secus circa animas hominum se habent; quibus magis fidunt & libentius conuersantur: maximè si viuis sint sanguine iunctæ, quas ab ærumnis cupiunt releuari, & monita ad hunc finē ordinata grato animo executioni tradunt. quare dæmones hoc agnoscentes, intrantes viuorum corpora, se esse animas defunctorum mentiuntur.

DISPVTATIO XIX.

Versabitur in explicando, quas operationes dæmones exerceāt obsidētes corpora arreptitiorū: & quæ tribuēdæ sunt dæmonibus, quæ verò arreptitiis ipsis?

1 DE hac re aliquid tetigimus superius in multis locis agentes de malis, quæ hominibus per dæmones infliguntur. Modò verò alia via libet procedere; distinguentes actiones dæmonum in obsessis, in actiones transeuntes, & actiones immanentes: actiones trāseuntes sunt vulneratio, viriū debilitatio, corruptio organorū sensibilium, & huiusmodi; & hæ operationes citra dubium dæmonibus adscribūtur: arreptitij verò passiuè dūtaxat se habēt. At sūt etiā aliæ operationes transeuntes, quas cui adscribas, dæmonibus, an arreptitijs, fortasse dubitabis. v.g. velox cursus, catenarum fortium disruptio, onerum, quibus humanę vires non sufficiunt, portatio, &c. quas cum obsessi proprijs membris, ac instrumentis naturalibus efficiunt, videntur hominibus esse attribuēdæ: sed quia hæ operationes humanas vires superant, dæmonibus censeo adscribendas: membra verò viuorū passiuè ad eas concurrere. Aliæ verò actiones sūt immanētes, vt intelligere, & velle, loqui, videre, & similes. Quod si sermo sit de intellectione, & volitione: certum est dæmones & arreptitios, suas quoq; habere operationes. neutri enim adinuicem possunt esse sibi impedimēto in operationibus his exercēdis: dæmones habent suas intellectiones, & volitiones, in quibus non communicant obsessi; & è contra obsessi intelligunt, & volunt in quibus non communicant dæmones. Aliæ verò operationes sensuum, vt videre, imaginari, &c. arreptitijs sunt attribuendæ: quia istæ necessariò sunt ab organo vitali corporeo, quo carent dæmonia: de qua re latè tractant Doctores *in 2. sent. d.* 8.

Difficilius decisu est loquutiones, vlulatus, rugitus, & huiusmodi à quo sint: à dæmone inhabitante, an ab homine arrepto? Et videtur nequaquam huiuscemodi actiones posse esse à dæmone; quia voces necessariò debent fieri ab animali, & à principio vitali, & medijs instrumentis vitalibus, putà larynge, ac pulmone, & huiusmodi, vt planè colligitur ex Arist. 2. de anim. c. 8. dicente: *Vocem esse sonum ab ore animalis prolatum cum imaginatione aliquid significādi*. Sed nil istorum habent dæmonia, vtpote quæ spiritus sunt, omnis corporis, & instrumentorum corporeorum expertia: ergo nullas possunt edere voces. 2

In oppositum videtur sacer textus Euāgelicus affirmans, dæmonia loqui, ac voces proferre. Mat. 8. dæmones rogauerunt Christum, vt eos mitteret in gregem porcorum. Idem habetur Mar. 5. & Luc. 8. & 4. dicitur exire dæmonia ab obsessis clamantia: ergo multas voces dæmones per ora obsessorum formant, ac emittunt. *Matth.* 8. *Marc.* 5. *Luc.* 8. & 4.

3 Pro declaratione huius animaduerte, dæmonibus materiam corporalem obedire ad localem motum: loquutiones itidē esse motus quosdam locales: quare si hoc tantum attendas, facile erit dæmonibus loqui, ac voces emittere: at verò, quia loquutiones perficiuntur quibusdam instrumentis animatis, putà ore, dentibus, lingua, larynge, ac pulmone, quibus dæmones carent, non ita facile est illis verba efformare, nisi aliunde à corporibus huiusmodi instrumenta mendicent.

Quare vt doctè animaduertit Abul. sup. c. 8. Mat. q. 114. tripliciter dæmones vtuntur corporibus ad loquendum. *Primo modo*, assumendo corpora: quæ omninò carent organis loquutionis. v. g. si assumant corpora aerea, aut ignea, in quibus efformant vultus, nares, os, linguam, vt per hæc corpora voces sonent: & tunc quidem cum illa organa sic efformata non sint apta ad loquendū, non formantur voces propriè loquendo, sed quidā sonitus similes humanis vocibus, nō planè articulati; & declinantes in stridorē, vt adnotarunt qui eas effictas voces se asserunt audiuisse. *Abulen.*

Secun-

Secundo modo dæmones loquuntur, vtendo instrumentis animatis brutorum, quæ habent plurima loquutionis, & vocum formandarum organa: sed non ita apta ad dearticulandas voces sicut necesse est ad loquutiones, & verba formãda. His vsus est, dæmon, quando vt persuaderet Euæ alloquutus est eam per serpentem: & similiter fecit bonus Angelus, quando per asinam loquutus est Pseudoprophetæ Balaam, *Num.22.* Quas loquutiones existimo attenta sola vi dæmonis aut Angeli: non esse ita perfectè formatas, ac si ab homine proferrentur: quia instrumenta loquutionis in animalibus irrationalibus non sunt apta ad loquutiones, & voces perfectè formandas, licèt in eisdem sit maior, aut minor aptitudo. Bruta etenim cum habeãt os magnum & linguam longam, aer è pulmone attractus, hac illac ex ore difflu it non percussus: & sic non potest perfectè formari vox. At verò aues quædam sunt vt picæ, & psittaci, quæ habent organa aptiora ad loquendum, putà os non magnum, linguam planam similem humanæ: & ideò aptiùs imitantur sermones humanos.

Tertio modo dæmones possunt loqui, per corpora, quæ per se possunt loqui & habent animata instrumenta ad loquendũ apta. Huiusmodi corpora sunt homines, qui habent os, linguam, ac reliqua instrumenta loquutionis aptissima: quæ aptitudo consistit non solum in figura & situ organorum, ex cuius defectu homines edentuli non formant perfectè voces, sicut neque habentes linguam grossiorem, aut subtiliorem, quam par est: verum etiam potissimè consistit in quadam temperie, ac teneritudine natiua cõplexioni hominum: quo fit vt dæmones, quãuis perfectas voces, ac benè articulatas emittant per ora obsessorum: tamen obseruatum est, per corpora humana iam pridem emortua nõ posse loqui: quia anima absente, tota illa organorum tẽperies dissipata est, & per corpora humana recẽter exanimata loquũtur quidẽ: sed lingua, ac pulmone sanguine humectatis, & quibusdã lotionibus; nimirum vt aliqualiter ad debitã temperiẽ præfata organa reducãtur: qua carere verosimile est rusticum illum dæmoniacum, per quẽ Latinè loquebatur dæmõ, sed rudi pronuntiatione. Vnde & subdidit; *Non possom domarre lenguam boios rostici.* Ita sanctus Vincentius in quodam sermone.

4 His præmissis dico ad dubitationem. Multa, quæ loquuntur dæmoniaci ab ipsis dæmoniacis sunt, dæmonibus nil operantibus: quam plurima verò, quæ dæmones, per obsessorum ora loquuntur. *Prima pars* satis constat, sæpè enim obsessi à dæmonibus sinuntur suas operationes exercere, vt experientia demonstrat. *Secunda pars itidem* manifesta est, quando loquuntur, & verba

Abul. faciunt; ad quæ vires humanæ nequeunt pertingere. Quare rectè Abulen. *sup. c.8. Matth. 5. q.114.* quinque potissimum signa enumerat ad dignoscendum, vtrum loquutiones, & verba à dæmoniacis prolata, sint dæmonis. *Primum,* si loquantur dæmoniaci, quæ aliàs nesciuerunt, aut non didicerunt: v.g. si loquantur lingua Hebraica dæmoniaci rustici. *Secundum est,* si voce consueta loquantur, sed de rebus altissimis, quæ captum dæmoniacorum certum est excedere. *Tertium est,* si postquam cessant vexari, & sibi restituuntur, nesciant respondere de his, de quibus loquuti sunt. *Quartum,* si de rebus secretis, quæ mortalibus abscondita sunt, loquantur. *Quintum,* si in ipsorum potestate non est, vt taceant, vel loquantur etiã flagellis vexati. Similiter dæmoniacorum sunt rugitus, vllulatus, mugitus, atque inconditi, & ingentes clamores; quos dæmoniaci emittere solent. Aliæ verò voces sunt dæmoniorum, vbi nil mirabile est, quod vires dæmoniacorum exuperet. Quas scire, vtrùm à dæmone sint, an ob obsessis, difficilè, aut impossibile est hominibus adstantibus. Ex his respondetur ad argumentum, quo conabamur probare dæmones nequaquam loqui posse per arreptitios. In quo tangitur dubitatio non contemnenda: An illa efformatio vocum, vera loquutio, & voces formatæ veræ voces dicendæ sint? de qua re operosius dicendum reor inferius: disputans, an dæmones per corpora possint exercere vitales operationes. Modò verò sat est nobis in præsentia dicere, dæmones posse loqui per arreptitios, siue voces, aut locutiones sint opera vitalia, siue non. Fere pendens ex præcedenti est

---

DISPVTATIO XX.

An omnes operationes obsessorum, quæ aliàs ex obiecto peccata essent, imputentur obsessis ad culpam: v.g. blasphemiæ, cõuitia, detractiones: calumniæ, secretorũ reuelatio, occisiones, mutilationes, & similia?

VIdetur vera pars affirmatiua; quia istos actus obsessi peragunt, & interdum scientes, & videntes se malum facere: ergò ipsis imputãtur ad culpã.

In oppositum est. Nam vt diximus in disputatione præcedenti, operationes huiuscemodi sæpè dæmonibus sunt adscribendæ, non dæmoniacis: ergò dæmonibus, non dæmoniacis ad culpam imputabuntur. Pro decisione *præmittendum est,* operationes, quæ ab obsessis videntur peragi, quædam solis dæmonibus tribuuntur: qdã solis dęmoniacis, vt docuimus p̃cedẽti dubitatione: quædam vtrisque: vt quando turbatur à dæmone phantasia, aut imaginatiua dæmoniacorum, & apprehendunt aliquod malum, vt verè bonum, ac opere illud prosequuntur: vt si opera dæmonis proponatur mulier aliena, vt propria, & vir ei commisceatur: aut si proponat viro vxorem vt serpentem, & ita cædat, aut occidat. In hac operatione est aliquid, quod tribuatur dæmonio; videlicet peruersitas iudicij ex læsione imaginatiuæ, aut phantasiæ; & est aliquid quod tribuatur dæmoniaco, puta

concu-

concubitus cum aliena, aut occisio propriæ vxoris.

2 His ita positis *dico primò*. Dæmoniaci nō peccant in operationibus primi generis: quantūuis malæ ex obiecto sint. *Prob.* Illæ operationes obsessis inuoluntariæ sunt: ergò in eis non peccant. Peccatum enim vsq; adeò voluntarium est, vt si voluntarium non sit, neq; peccatum erit. *Secūdò.* Nemo peccat, nisi per operationes sibi proprias: sed præfatæ operationes non sunt obsessorum, sed dæmonum, vt supponimus: ergò non imputantur obsessis ad culpam. Quo fit vt sæpè dæmoniaci blasphemias ore proferant, occulta aliorum crimina reuelent, manibus mutilationes, & vulnera lethalia inferant: sed quia hæ operationes dæmoniorum sunt, obsessis non imputātur ad culpam: eo quod miseri illi non agunt, sed aguntur, membris, ac organis non vtuntur, sed eis passiuè se habentibus, dæmones his vtuntur. Certè si homo à vento valido impulsus illidatur alteri homini, & eum occidat; occisio non imputabitur homini cedenti: & sicut si grassator ense occidat prætereuntes, homicidium ensi nō imputatur: sic neque arreptitijs imputabuntur operationes, quas per ipsos exercent dæmones: non tamen ipsi eas exercent.

3 *Dico secundo*. Obsessi non peccant in exercitio actionum tertij generis, *Prob.* Illæ operationes quamuis sint elicitæ immediatè ab obsessis, & sint malæ ex obiecto: tamen in ratione culpæ nō tribuuntur obsessis: ergò non imputantur illis ad culpam. Maior clara est: quia ab ipsis agentibus & se mouentibus fiunt. *Minor verò prob.* quia delusa aut perturbata phantasia apprehendunt rē, aliter quam est à parte rei, & sub ratione boni: cuius apprehensionis erroneæ cùm nō sint causa, non est cur operationes illæ ad culpam imputentur obsessis: & huius generis operationes sūt communiter mala illa, quæ obsessi perpetrant perturbata imaginatiua, aut phantasia, vel à ludificante dęmone, vel à grauitate cruciatuum: & ideò non recordantur postea, cessante dæmone, malorum quæ egerunt: non tamen propterea negamus, aliquando, maximè in operationibus primi generis, se clarè videre eas operationes de se prauas exercere: & similiter se, velint, nolint, compelli, eas peragere. Contingit sæpè, obsessos compelli ad fornicationem, motis à dęmone organis generationis, ac ipsis obsessis compulsis ad actum fornicationis: vt narratur de quadam moniali, quæ per multos annos à dæmone incubo nollens patiebatur: & D. Augustin. libr. 15. de Ciuitate Dei cap. 24. ait dæmones incubos sæpè improba libidine mulieres vexasse.

4 *Dico tertiò*. Operationes secūdi generis si peccata sint ex obiecto, obsessis ad culpam imputātur, non minus quàm alijs non obsessis. Hoc est contra quosdam, qui opera omnia obsessorum adscribunt dæmonibus, ac proinde excusant à culpa obsessos: sed hic error manifestus est: aliàs, obsessi impeccabiles essent, quinimò addiderim suggestionibus, suasionibus, & allectamentis regulariter dæmones plus posse obsessos ad peccatum inclinare, quam non obsessos; quia super illos maiorem habent potestatem, nempe obstando ne in virtutum officijs occupentur, multos motus illicitos in potentijs sensitiuis excitando: quibus non ita facilè est resistere voluntatem; resistet tamen si vult: & quamuis difficilior victoria sit, triumphus tamen, & merces copiosior.

Contra *primum* & *secundum* dictum se offert argumentum. Sæpe homines obsidentur à dæmone propter peccata ab eis commissa, vt inferius videbimus: ergò omnes operationes obsessorum, quæ ex obiecto peccata sunt, ipsis imputabuntur ad culpam, siue eas efficiāt ministerio dæmonum, siue non, siue mentis compotes, siue turbata phantasia, siue non. *Prob. consequentia* pari ratione: quia ebrijs imputantur peccata, quæ in ebrietate committunt; quia in causa, puta in ebrietate voluntaria fuere: ergò & peccata, quæ sequuntur ad arreptionem dæmoniacorum, imputabuntur eis; quia in peccato, propter quod à dæmonibus arrepti sunt, ea peccata voluntaria fuerunt, & ad illud tanquam ad originem voluntariam reducenda sunt. 5

Respondetur primo, adnotantes cum D. Tho. interpretibus 1. 2. q. 76. ar. 4. & 2. 2. q. 150. ebriosis non imputari omnia peccata, quæ in ebrietate committuntur; sed ea duntaxat, quæ præuiderūt subsequutura; aut regulariter ad ebrietatem hic & nunc huic ebrioso accidere solent. isthæc enim in peccato ebrietatis includuntur, & in eo volūtaria sunt: at nulla inuenio peccata, nullum peccatorum genus, ad quod per se, aut regulariter sequatur obsessio dæmonum. Videmus enim sæpe homines iustos à dæmone obsideri, ac peccatores videmus alios scelestissimos immunes ab hac calamitate. Inde etiam colligere licet non iudicandum esse eodem modo de peccatis, quæ regulariter ad ebrietatem sequuntur, sicut de peccatis, quæ ad obsessionem consequuntur: illa enim volita sunt in ebrietate; quia ad illam regulariter, & quasi per se in materia morali sequuntur, hæc verò non sunt volita in peccato illo priori, propter quod obsessus punitur dum à dęmone arripitur. *Secundo respondetur*, esto ad omne peccatum mortale semper aut regulariter sequeretur præfata obsessorum vexatio: tamen non inde colligere licet, peccata, quæ in vexatione cōmittūtur imputari ad culpā obsessis, quia alia est ratio ebrietatis, q̄ sequuntur homicidia fornicationes, & similia: alia est ratio vexationis dæmoniacorum ad quā sequuntur eadē mala: ebrietas peccatum est: vexatio dæmonum pœna peccati: at peccata quæ sequuntur ad aliud peccatū, imputantur peccāti illo primò peccato: secus contingit, in peccatis, quæ sequuntur ad pœnam alicuius antecedentis peccati: v. g. furatur quis & propter furtum in carcerem truditur, & carcere detentus omittit multa quæ tenebatur facere lege diuina aut humana: non fit reus eius omissionis ad pœnam peccati subsequutæ. Item incidit quis in amentiam, cui dedit causam peccando: peccata, quæ in amentia committit, non imputantur ei ad culpam. Ita in præ- 6

sentia-

sententiarum dicendum est de peccatis quæ sequũtur advexationem dæmoniacorũ propter peccatum antecedens, nimirum nõ imputabuntur, quia sequuntur ad pœnam peccati: non ipsum peccatum. Ita Abulensis *q. 119. in 8. cap. Matt.* Dicet quispiam quid refert peccata sequi ad peccatum, vel ad pœnam peccati? Certè multum: nam cum peccatum voluntarium sit, quidquid in illo continetur, vel ad illud sequitur, voluntarium potest esse, & imputari peccanti: at verò pœna peccati, hoc ipso quod pœna est, inuoluntaria est, & ea quæ ad ipsam consequuntur inuoluntaria erunt: ac ex consequenti non imputari possunt ad culpam. Quod si quis cuperet obsideri à dæmone: iam vexatio illa non esset ei pœna: & mala, quæ præuidit futura, aut regulariter sequuntur, non video quomodo non imputentur ei: de quo copiosius infra. Abul.

DISPVTATIO XXI.

An dæmoniaci vexentur à dæmonibus propter peccata, quæ isti miseri commiserunt?

1 August. Videtur vera pars affirmatiua ex Diu. August. lib. 4. de Ciuitate Dei ca. 34. *Dæmones* (inquit) *nisi quos fallendo deceperunt, possidere non possunt*, & lib. 10. ca. 22. *Potest is inimica vincit, aut subiugat neminem: nisi societate peccati.* Idem habet fusius Serm. 197. de tempore, & Cassianus collatione. 7. ca. 24. & Metaphrastes in Triphone prima Februarij narrat, dæmonem, qui Gordiani Imperatoris filiã torquebat, interrogatum à Triphone viro sancto, cur puellam intrasset, respondisse, dæmones in illos habere potestatem, qui opera eisdem grata exercent. *Qualia sunt* (inquit) *cultus simulacrorum, blasphemiæ, adulteria, veneficia, &c.* Cassia. Metaph.

Hieron. In oppositum est id, quod ait D. Hieronymus in epist. ad Paulam de dormitatione Blesillæ, de bimulis, & trimulis, ac pueris vbera sugentibus à dæmone arreptis: & idem de multis pueris adstruit Diu. August. *lib. 21. de Ciuitate Dei cap.* 18. August.

2 Non reuocamus in dubium, an omnes quotquot lethaliter peccant à dæmonibus arripiantur. Negatiua pars verissima est, aliàs cùm tot inundauerint peccata (pro dolor!) ferè totum hominum genus à dæmonibus arriperetur. Quod quærimus, est, an quotiescunque aliquis à dæmone obsidetur, ea vexatio propter obsessi culpam acciderit, an non?

Pro decisione dico *primò*. Plerumque & vt plurimum obsessi vexationem à dæmonibus patiuntur in pœnam, ac vindictam peccatorum, quæ obsessi commiserunt. Hoc assertum ex sacris Litteris, ac historijs non sacris comprobari potest. 1. *ad Cor.* 5. Paulus Corinthium quendam Sathanę tradidit propter incestum commissum, & 1. *ad Tim.* 4. Hymenæum, & Alexandrum ob blasphemias: & Textus Euangelicus affirmat Christum Dominum de Maria Magdalena septem dæmonia eiecisse: & quamuis non expresserit causam, insinuat tamen dum peccatricem appellat. Sic explicant Magist. Sentent. *in 4. dist.* 24. *cap.* 2. Iansenius & Ambrosius *lib. de Salomone cap.* 5. D. Hieronymus in *Danielem*, & Epiphanius in vita eius affirmant Nabuchodonosorem fuisse obsessum à dæmonibus: cuius rei non pauca dedit signa: ob scelera tamen sua, id ei contigisse ex Danielis historia ea commemorante palam fit. Idem videre licet in Saule, quem fuisse dæmoniacum graues Patres asseuerant. Historias non sacras possem plures afferre: sufficiat Diu. Hieronymi testimonium, in vita Hilarionis narrantis de virgine Deo dicata à dæmone arrepta propter impudicam confabulationem, & aspectum cum iuuene impudico. 1. Cori. 5. 1. ad Ti. 4. Magist. Sentent. Iansenius in Matt. c. 16. Ambr. Hieron. Epiph. Hieron.

Quod si quispiam sciscitetur, *an sit aliquod peccatorum genus, ad quod sequatur hæc grauis vindicta, & deploranda miseria?* nullum inuenio, sunt tamen quædam genera peccatorum, quæ frequentius quam alia, experientia compertum est puniri hoc pestilenti flagello. In priori loco recenseo infidelitatis peccatum: Ita docet ex Cypriano Stapletonus *Dominica* 3. *Quadragesimæ*: fauet in sermone de lapsis, & Tertulianus *Apologe. cap.* 37. ait fuisse Romæ magnam arreptitiorũ multitudinem, quo tempore paganismus floruit: quinimò nostra ætate apud Indos, quando gentilitate detinebantur: & apud montana Asturicensia, ac loca omnia, vbi cognitio diuinorum deest, quam plures esse obsessos à viris Religiosis audiuimus. Multi obsessi sunt, quia ad sacram Eucharistiam sine pœnitentia ac cõfessione peccatorum accessêre: ita Cyprianus vbi supra. Plures propter blasphemias in Deum, ac Sanctos à dæmonibus occupati sunt, huiusmodi fuêre Alexander & Hymenæus, 1. *ad Tim.* 4. & Cæsar Baronius *To.* 7. *circa annum Christi* 630. sic ait ex Cedreno. *Eo tempore* (inquit) *Græci quidam in domo cuiusdam prandentes: eo prolapsi sunt vt in Virginem Deiparam conuitia & execrationes iacerẽt: horum reliqui illicò à malis spiritibus arrepti pœnas dederunt.* Digna certè blasphemis pœna, vt torqueantur ab spiritibus, qui in perpetuum blasphemiis iactabũt, sicut de damnatis affirmat Diu. Thom. 2. 2. *q.* 13. *art.* 4. 3 Stapleto. Tertul. Cypri. 1. ad Ti. 4. Baron. D. Thom.

Aliud narrat Vvaldensis de quodam blasphemo in sacram Eucharistiam *lib. de Sacramentalibus contra Vviclephistas.* Alij multi vexati sunt propter luxuriam extraodinariæ malitiæ primæ ad *Cor.* 5. & fortè ob eandem, circumuentionem à septem dæmonibus Magdalena passa est. Mitto modò superbiam, propter quam obsessum fuisse Nabuchodonosorem quidam putant, & propter liuorem in Dauidem, & persequutionem, Saulem arreptum existimant. Vvald. 1. Cori. 5.

Hoc adnotauerim, filios sæpè à dæmonibus arreptos propter impietatem in parentes. Metaphrastes *in vita S. Parteny* refert, ad Partenium cũ parentes quidam filium suum arreptitium adduxissent, & pro eiusdem sanitate deprecarentur; *finite* (dicebat Partenius) *torqueatur, parricida est: parentibus vobis sæpè molestus fuit: & quam eidem* 4 Metaphr.

optastis

optaslis iustam sustinet castigationem: Et de Carolo iuniore Ludouici Germanorum Regis filio refert Sigibertus *circa annum Domini*.873. quod à dæmonio grauiter in præsentia Patris, & optimatum eius, sit vexatus, & in vexatione confessus, hoc sibi accidisse, quia contra patrem suum conspirationem facere moliebatur. Sunt de hac re innumeri casus funesti. Videndi sunt Surius.25 *Maij, tom.3. in vita D. Zenobij Florentini, & Alexander* ab Alexandro *lib.4. geniali. dierum c.*19. Benè hoc innuit Sapiens *Prouerbiorum*.30. *Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Ad literam sensus est suspendantur in patibulis per anagogem verò post obitum, imò & in hac vita fiant partes & præda dæmonum.

Surius. *Alexãder ab Alexã.* *Prou.* 30.

5 Longum esset recensere varia peccatorum genera, propter quæ narrantur à fide dignis obsessi multi, putà per contemptum religionis, per iniurias illatas Ecclesijs, per Sacramenti confirmationis contemptum, & similia. Vnum tamen dicere non grauabor, sæpissimè homines à dæmonibus arreptos fuisse: quia se dæmonibus deuouerunt, & vt ab eis arriperentur, postularunt, & meritò arrepti sunt: qui timore Dei contempto suum carnificem ac tortorem accersierunt. Videndus est Ioannes Nider *in libr.5. formicarij*, vbi insignibus memoratis casibus rem comprobat.

Nider.

Demùm vnum mirabile dictu animaduertẽdum est, dæmonia aliquando occasionem captasse homines arripiendi ob leues culpas veniales Cassianus de Abbate Moyse viro iusto, *collatione.7.cap.27*. refert arreptum fuisse à dæmone propter impatientiam, & quoddam verbum durius prolatum, quod esse peccatum duntaxat veniale certum est. *Cum esset* (inquit Cassianus) *Moyses singularis & incomparabilis vir ob reprehensionem vnius sermonis, quem contra Abbatem Macharium disputans, paulò durius protulit, quadam scilicet opinione praeuentus, tam diro confestim est traditus spiritui, vt humanas egestiones ori suo ab eo suppletus ingereret, quod flagellum purgationis gloria se Dominus intulisse, ne scilicèt in eo vel momentanei delicti macula resideret, velocitate curationis eius, atque aucto remedio demonstrauit. Nam cõtinuò Abbate Machario in oratione submisso, dicto citius nequam spiritus ab eo fugatus abscessit.* Hæc Cassianus. Et D. Gregorius *lib.1. dialogorum* c.4. refert quandam monialem ob leuem gulam à dæmone arreptam fuisse. Verba Gregorij sunt. *Quadam die vna Dei famula hortum ingressa, quæ lactucam aspiciens, concupiuit, eamq; signo Crucis benedicere oblita, auidè momordit. Sed correpta à diabolo protinus cecidit, cumq; vexaretur, eidem patri Equitio sub celeritate nunciatũ est, moxq; vt hortum idem pater ingressus est: cœpit ex eius ore, quasi satisfaciẽs ipse, qui hãc arripuerat, diabolus clamare dicens. Ego quid feci? ego quid feci? Sedebã ibi super lactucã, venit illa, & momordit me. Cui cum graui indignatione vir Dei præcepit, vt discederet, & locum in omnipotentis Dei famula non haberet. Qui protinus abscessit, nec eam vltra contingere præualuit.* Hæc Gregorius.

Cassianus *Gregorius*

Admirabitur fortasse aliquis quomodo propter leues culpas veniales, tam ingentem pœnam infligat Deus? Sed cessabit admiratio, si perpendatur vnum vel leuiculum veniale peccatum, dignè puniri igne purgatorio: cuius afflictio longè superat omnes etiam obsessorum calamitates, ac cruciatus.

Dico secundò. Non est impossibile, imò aliquã- 6
do accidit homines sine propria culpa, sed propter aliorum crimina à dæmonibus obsideri, maximè si obsessi coniuncti aliquo modo sint peccantibus: quorum peccata Deus vindicare vult in sibi coniunctis: putà, punit peccata parentum in filijs, dominorum in seruis, superiorum in subditis, maritorum in vxoribus. Cui nõ dissonat illud Exod.20. *Deus noster Deus zelotes est, vindicãs peccata parẽtũ in tertiã, & quartã generationẽ.*

*Exod.*20.

Exempla pro nostro dicto confirmando multa sunt: aliquot adducemus de quibusdam pueris arreptis à dæmonibus, mala suorum parentum imprecatione. Cæsarius *lib. 5. cap.* 26. scribit, patrem iratum filiæ quinquenniæ, cùm lac comederet imprecatum esse, vt simul cum lacte Diabolum voraret. Vix verbum impleuerat; à diabolo occupatur puella: & *cap.*11. & 12. eiusdem libri alia duo refert, *vnum* de vxore, cui maritus, *alterum* de filio, cui pater dæmonium imprecatus fuerat. Et nostris temporibus huius rei multa narrantur exempla.

Cæsarius.

Dico tertiò. Sæpe dæmones arripuisse homi- 7
nes sine vllis suis culpis, aut aliorũ narrant sancti Patres. Id exprimit D. August. li. 21. de Ciu. Dei cap. 28. *Graue iugum* (inquit) *filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vsq; in diem sepulturæ matrem omnium vsque adeò impleri est necesse, vt ipsi paruuli per lauacrum regenerationis ab originali peccato, quo solum tenebantur vinculo iam soluti: multa patientes: nonnulli, incursiones spirituum malignorum patiantur.* Sanctus Hieronymus in Episto. ad Paulam de dormitione Blesillæ. *Quæ causa est* (inquit) *vt sæpe bimuli, trimuliue, & vbera materna lactantes à dæmonio corripiantur?* & subdit: *Inuisibilia hæc inscrutabili altissimi iudicio sunt relinquenda.* Multos pueros, qui nondum rationis vsum attigerant, ac proinde nec peccare poterant, arreptos fuisse à dæmone, narrant autores fide digni. Vide Palladium *in vita Macharij, & Metaphrastem in vita Parthenij septima Februarij.*

Augusti. *Hierony.* *Palladius.* *Metaphr.*

Nostris etiam temporibus audiuimus pueros lactantes obsessos fuisse: & id certũ reddit Marcus Euangelista *ca.*9. narrans puerum quendam grauissimam dæmonis vexationem ab infantia sustinuisse, quemadmodum Pater pueri Christo Domino interroganti confessus est.

Marci. 9.

Dices pueros hos propter peccata aliorum, putà parentum, eam vexationem pertulisse. Huic obstat D. Hieronymus citatus, cuius verbis docetur, non tantum aliquando accidere, vt absq; vlla culpa sua homines à dæmonibus vexentur: verum etiam absque omni culpa: dum in reddẽda ratione huius vexationis recurrit ad Dei iudicia inscrutabilia. Idẽ agit Chryſ. *in libris de Dei prouidentia* dicens, aliquandò dæmones vexare sanctiores homines, quos, dum in peccatis volutarentur, nulla aduersitas molestabat.

Secundò id ipsum per suadetur, quia vexatio, hæc

hæc dæmonum, malum pœnæ est: at sæpè mala pœnæ Deus infert sine culpa patientis, aut alterius: ergo idem dicendum est de hac dæmonum ingenti molestia. Libet commemorare pro hac *Ioan.9.* re Christi Domini doctrinam *Ioan. 9.* dicentis de cæco à natiuitate: *Neque hic peccauit, neque parētes eius*, apertè subindicans mala quæcunque pœnæ sine vllo peccato à Deo infligi. *Confirm.* quia sine vlla culpa sanctus Iob quamplurima mala à dæmone pertulit: & certè si permitteretur eundem sine vlla culpa inhabitaret. Cur non? Sed & viros sanctos carnificinam hanc dæmonum pertulisse sæpè narratur.

8 Dubitabit quispiam, quæ rationes, causæve sint: vt Deus velit absque vlla culpa homines alioqui probos tam graui tortura premi, ac amicos suos in manus truculenti hostis dæmonis tradere vexandos? *Respondeo* cum Hieronymo inscrutabili Dei iudicio hæc relinquenda esse. Nihilominus aliquas diuinæ prouidentiæ rationes in hac parte adducere possumus.

Qua causa viri iustialiquādo à dæmone vexentur?

Prima ad instructionem hominum circa fidē, quod dæmonia sint corporis expertia: quod Saducæi negabant; immortalitatemque animarum non esse impossibilem: siquidem reperiuntur quidam spiritus immortales, & infatigabiles in suis operibus, quales sunt dæmones. Item ob oculos proponuntur cruciatus atque tormenta gehennæ: vt peccata fugiant homines, propter quæ consortium dæmonum in alia vita incurrent, nisi pœnituerint. Ac denique monentur homines odium ac rabiem dæmonum sæuientium erga humanum genus: vt inde discant, quātum debeant fugere eorum consortium, ac timere culpas, propter quas merebantur simul cū eis in infernum perpetuò detrudi.

Secunda ratio diuinæ prouidentiæ in hac molestiæ inflictione: vt homines iustos exerceat ac probet: & ita alijs sint exemplo patientiæ, humilitatis, ac aliarum virtutū. Ex dictis colligit Cas- *Caßian.* sianus *collatione* 28. non debere eos abominari, vel despici, quos istis spiritibus nequitię tradi videmus, quia hæc duo credere nos immobiliter oportet. *Primò*, quod sine Dei permissu nullus ab his omninò tentetur. *Secundò*, quod omnia quæ à Deo nobis inferuntur, siue tristia ad præsens, siue læta videantur, velut à pijssimo patre, clementissimoque medico pro nostris vtilitatibus irrogentur; & idcirco eos veluti pædagogis traditos humiliari: vt discedentes ex hoc mundo, purgatiores ad vitam aliam transferantur, vel pœna leuiori plectantur, qui secundum Apostolum traditi sunt in præsenti Sathanæ in interitum carnis, vt spiritu salui fiant. Ita Cassianus.

9 Hæc quæ dicta sunt aperiunt viam cuidam dubitatiunculæ; *an liceat petere à Deo vt nobis hanc tetram dæmoniorū vexationem immittat?* Et videtur vera pars affirmatiua. Nam omne malum pœnæ licet petere à Deo, vt exerceamur in patientia, & vt illo afflicti in hac vita, purgatiores euolemus ad aliam: sed hæc vexatio dæmonum pœna est, vt nuper docuimus: ergo eam licet à Deo petere. *Confirmatur* ex Sulpicio *in vita D. Martini* asserente, Eremitam quendam à Deo postulasse, & impetrasse vt per menses aliquot eius corpus ab inhabitante dæmonio affligeretur propter periculum peccati quod timebat superbiæ.

An liceat petere in pœnam vexari à dæmone?

In oppositum est. Nam ad hanc pœnam regulariter consequuntur multa peccata, vt blasphemiæ, conuitia &c. quæ diximus tribui dæmonibus, & partim obsessis: ergo qui vult & petit hāc pœnam, vult etiam omnia quæ ad eam consequuntur regulariter, maximè si præuideat futura. Et *confirm.* nam licet pœna, in quantum pœna sit inuoluntaria; tamen si postuletur, & desideretur, desinit habere rationem pœnæ, quia voluntaria est: sicut accidit in hoc casu: & consequenter omnia quæ ad eam consequuntur voluntaria erunt.

Mihi hæc scribenti occurrit historia Dauidis, cui cum daretur optio eligendi vnū ex tribus ingentibus malis, quæ meruerat propter numerationem populi. 2. *Reg.* 24. aut septennariam *Sulpitiu.* famem in terra, aut trium mēsium persequutionem validam ab inimicis Dauid, aut trium dierum pestilentiam grassantem in populum Israeliticum, ait, *Melius est, vt incidam in manus Domini (multa enim misericordiæ eius sunt) quàm in manus hominum.* Itaque omninò recusauit persequutionem inimicorum, alia verò mala quæ Deus cōminatus fuerat amplexus est. Sic ego grandis peccator dicam ad Deum meum, Domine puni me per temetipsum infirmitatibus & quibusque malis, ac denique hîc vre, hîc seca, vt in æternum parcas: sed obnixè obsecro ne me tradas in potestatem inimicorum meorum sæuissimorū, nempe dæmonum: quia si Dauid pertimescebat plus quam cætera mala incidere in manus inimicorum suorum, hominū scilicet: ego homunculus plus timere debeo incidere in manus dæmonum: melius namque mihi erit incidere in manus tuas: quia tu Deus meus, & Dominus meus es: cuius misericordiarum non est numerus.

Quæstioni igitur *respondeo*, non licere, seclusa reuelatione, à Deo petere dæmonis inhabitantis vexationem. *Probatur* argumento facto in oppositum. Et ad ea quæ in initio disputationis proposui, *respondetur*, non licere à Deo petere illud pœnæ malum, quod secum affert regulariter actiones quæ ex obiecto peccata sunt: vt *probatur* argumento facto in oppositum, tale malum pęnæ est obsessio dæmonum. 10

Ad confirmationem *respondetur* illos viros iustos, qui postularunt sibi eam calamitatem, habuisse reuelationem se nullas actiones, quæ ex obiecto peccata essent, passuros, aliàs non esset licita eorum postulatio. *Secundò* respondetur: fortassis eum eremitam, & si qui fuerint alij talis cladis postulatores, habuisse zelum Dei, sed nō secundùm scientiam.

Huic disputationi annexa est dubitatio, quæ sunt motiua, ac causæ, ob quas dæmones ingrediantur humana corpora?

Dæmonia magnopere cupere ingredi corpora hominum nullus dubitabit audiens Euangelica eloquia narrantia, voces ac clamores dæmonio-

moniorum ad Christum Dominum effusos, simul & precantium ne se expelleret ab obsessis, *Quid nobis & tibi Iesu? ante tempus venisti torquere*
Matth.8. *nos.* Matth. 8. Lucæ. 8. & Marci. 1. Quæ autem
Luc.8. motiua aut fines in hoc ingressu habeant, inda-
Marc.1. gãdum est: potissimè autem mouentur ex odio, quo erga homines flagrant. Cur? quia Deum impensè oderunt, ac proinde odio habent homines, quos Deus diligere certo sciunt.

Secundò, quia inuidia erga homines tabescunt: tum quia vident Dei filium neglecta natura angelica, naturam humanam in vnitate suppositi assumpsisse, ac nobilitasse, & super cœlos ac super omnes Angelos euexisse: tum quia vidẽt homines Dei munificentia, præsentia Dei frui, ac in sedibus, à quibus deiecti ipsi sunt, collocari: quibus omnibus ipsi perpetuò carebunt. Ex hoc teterrimo odio erga hominum genus frementes circumeunt, quærentes quem deuorent, quem in peccatum pertrahant, atque in infernum detrudant, quem etiam vexent, maximè illa formidabili vexatione, quæ ab eis infertur corporibus, quæ permittuntur intrare vt affligant.

Tertium motiuum dæmones valde inclinans ad homines ingrediendos & torquendos vt in homines quasi quoddam imperium exerceãt: natura sua excellentiæ sunt appetentissimi & hominibus dominari: cuius dominatus crudelissimi effigiem in nullo alio sensibilius videre licet, quã in arreptitijs vexandis, volutandis, ac torquendis, ob idque ingressum in eorum corpora tantopere cupiunt. *Quartum motiuum*, vt adorentur, & pro Dijs habeantur ab ipsis obsessis deprecantibus vt illos libertate & sanctitate donent. Hoc motiuum radicata fide apud Christianos, nullius momenti est, inualuit verò antiquitus a-
Abul. pud Paganos. Qui vt refert Abulensis videntes se à dæmonibus affligi, sacrificia, & diuinos honores eis obtulerunt, vt his placati à lacrymabili clade cessarent.

11 *Ex dictis* colligitur dæmones non appetere ingressum in corpora Brutorum, quia erga ea nec odio neque inuidia flagrant: & experientia agnoscitur perpauca bruta à dæmonibus inhabitari. Quod si quandoque id contingat vt in serpente, qui decepit Euam, & in grege porcorum
Matth.8. Matth. 8. talis ingressus à malis spiritibus non ordinatur ad vexanda bruta; sed ad nocendum hominibus, quatenus ad homines pertinent, vel ad decipiendos eosdem. Fortasse id intendebat dæmon ingressus psittacum, qui erat in delitijs cuidam summo Præsuli ob egregiam imitationem humanarum vocum: cui psittaco cùm semel Pontifex diceret: Quid cogitas? respondit psittacus, cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Quibus auditis expauit Præsul, animaduertens eam responsionem non posse esse nisi à dæmone inhabitante: & statim iussit psittacum suffocari.

DISPVTATIO XXII.

An dæmones aliquam lætitiã, vel gaudiũ, aut aliquod pœnarum leuamen percipiãt ex ingressu in hominũ corpora?

ET videtur vera pars affirmatiua. *Primò* ex his, quæ nuper dicebamus, eos scilicet maximè cupere huiusmodi ingressum propter odium, liuorem, ac inuidiam erga hominum genus. Sed ad consequutionem rerum desideratarum, maximè in nocumentum inimicorum, necessariò sequitur lætitia, ac delectatio: ergo valde lætantur ob ingressum in hominum corpora *Confirm.* ex Patribus, qui sæpè asserunt dæmones gaudere de malis nostris, specialiter August. *in soliloquiis*, sic ait: *Quoties à* August.
bono deuiamus, diabolum lætificamus. Et idem ait *lib. de Genesi contra Manichæos ca.* 17. & D. Tho. 1. *p. q.* D. Thom.
64. *art.* 3. *ad* 1. dicit. *Non esse inconueniens dæmones dolere de vno, scilicet de amissione vitæ æternæ; & gaudere de alio, scilicet de infœlice potestate contra homines.*

Secundò. Dæmones corpora hominum inhabitantes, non vtuntur igne infernali, pœna scilicet peccatis eorum debita: ergo ex ingressu in hominum corpora lætitiam ac leuamen suarum pœnarum experiuntur. *Antecedens* patet, *primò*, quia quomodo ab igne tam distanti & corporeo credibile est dæmonia vri? *Secundò*, quia illæ dæmoniorum voces, de quibus sæpè in Euangelio, hoc indicant; *venisti ante tempus*, inquiunt, *torquere nos*: nimirum, quia tunc non erant in inferno, vbi torquebuntur post iudicij diem, sed in humanis corporibus: & Matth. 8. quando Matth. 8.
Christus Dominus eijciebat eos à quodam, deprecabantur ne eos mitteret in abyssum; indicãtes se non torqueri in eo corpore; torquendos autem in inferno.

In oppositum est. Summus dolor non admittit secum gaudium aliquod etiam de alio 2
obiecto distincto: ita Arist. 7. *Ethicorum*, quod Arist.
etiam experientia comprobatur: sed dæmones occupantur vehementissimo ac summo dolore: ergo non possunt vel tantillum lætari. *Confirmat.* si aliquo gaudio aut lætitia perfunderentur, eorum magnus dolor mitigaretur aliquantulum. *Consequens* non debet admitti, tum quia non essent constituti in extrema miseria, tum quia in pœna eorum esset aliqua variatio contra communem sensum Doctorum. *Confirmatur secundò.* Beati, quia sunt in statu summæ fœlicitatis, de nulla re tristantur, aut dolent: ergo dæmones quia sunt in statu summæ infœlicitatis ac miseriæ de nulla re gaudere poterunt.

Pro decisione dico primò. Dæmones ingressu in hominum aut brutorum corpora, nequaquam liberantur à pœnis debitis propter eorum peccata, nullumque ab eis leuamen suscipiunt. *Hoc* assertum est contra quosdã, falso existimãtes, ob id dæmones tantopere optare ingredi obsidendorum

dorum corpora: vt à pœnis sibi debitis in infernorespirent: à quibus corporibus si eijciantur, statim in infernum detrudendi sunt. Autores isti mouentur *argumento secundo* in initio *quæstionis*.

Sed probatur nostrum assertum. Dæmones quocunque pergũt, deferũt secum suum infernum: *ergo* ab hac infernali pœna non liberantur neq; in totum, neque in partem per ingressum in hominum corpora. *Antecedens* huius probationis acceptatur communiter à Doctoribus Scholasticis

D.Thom. in 4.*dist*.44. & docetur à D.Thom.1.*part.q.* 64. *artic*.4.*ad*.3 Quod vt melius percipias aduerte, locum præparatum ad puniendos dæmones esse infernum qui secundũ veriorẽ sententiã est in cẽtro terræ: vbi dæmones & homines damnati punientur igne infernali post diem iudicij vniuer-

Matt.25. salis, vt habetur Matthæ.25. At verò non omnes mali Angeli post lapsum, in carcerem infernalem detrusi sunt: nam quidam eorum in aere relicti sunt. *Ratio* autem, quare non statim post eorum lapsum in infernum detrusi sunt, sed dimissi in aere, est, quia Deus noluit, vt ipsis peccantibus, eorum creatio totaliter frustraretur: & ideò dedit eos hominibus in exercitium, quo bonis præpararent coronam, malis autem æternam mortem: & quia vsq; ad iudicij diem est tempus belli, & merendi: ideò vsq; tunc in aere permanebunt; post diem verò iudicij in infernum detrudentur torquẽdi ab igne infernali. Ita colligitur

Iudæ Epis. ex Iuda in sua Canonica dicente: *Angelos vero, qui non seruauerunt suum principatũ, sed dereliquerunt suũ domiciliũ, in iudiciũ Dei magni vinculis æternis reseruabit sub caligine*; id est sub aere caliginoso: & ob

Ephesios.6.&2. id Apost. *ad Ephes*.6. vocat eos potestates tenebrarum harum, id est aeris caliginosi: *ad Ephes*. 2. *Principes potestatis aeris huius*.

4 Itaque dæmonibus duplex locus assignatur: *vnus* ratione suæ culpæ: & hic est infernus: *alius* ratione exercitationis humanæ: & hic est aer caliginosus, vbi homines, quos exercent, habitant. Maximèq; appetunt ingressum in eos, vt dictum est, & vbicunq; dæmones sint, siue in inferno, siue extra infernum, siue in terra, siue in aere, siue in hominibus, semper circunferunt suam pœnã secum.

Explicare autem quomodo hoc fiat, difficile est: si sermo sit de pœna sẽsus. Cuius rei explanatio pẽdet ex alia grauissima quæstione: Quomodo ignis corporeus cruciet dæmones, qui spiri-

D.Thom. tus sunt? De qua re tot sunt sententiæ quot capita. Mihi autem sententia D.Th. plus arridet, asserentis in 4.*d*.44.*q*.3.*art*.2. ignem corporeum inferni torquere dæmones, ac animas damnatorũ: eo quod assumitur vt instrumentum diuinæ virtutis ad detinendum dæmones, ne possint operari, vbi volunt, quomodo volunt, eo quod illi igni alligentur: ex qua alligatione adeò anguntur & affliguntur, vt vix dici possit quantum doloris concipiant.

Hæc sententia difficilis intellectui est; sed difficilis est scitu, quomodo quocunq; pertexerint, secum suum infernum portent: num in aere, aut in corporibus hominũ existẽtes globũ aliquẽ ignis corporalis in quo inclusi alligentur, secum portant? *Resp*. D.Th.1.*par.quæst*.64.*art*.4.*ad*.3. dæ- D.Th. mones dum sunt in aere, aut verò in hominum corporibus, licèt non actu alligentur igni gehẽnali: tamen hoc ipso quod sciunt illam alligationem sibi deberi, eorum pœna non diminuitur. Ponit exemplum D.Th. in captiuo extra carcerẽ existente, qui dũ videt se diro carcere includendũ, nõ minus affligitur quam si in carcere detrusus esset. Ita in 4.*dist*.44.*q*.3.*art*.3.*q*.*vltima ad*.8.

Contra hanc solutionẽ replicatur. *Primò*. Pœna sensus in dæmonibus est actu pati ab igne inferni eos cruciante actualiter; siue cruciatio fiat per vstionem actualem, siue per actualem alligationem, & detentionem ab eodem igne: sed dæmones quando sunt in corporibus hominũ, aut in aere caliginoso, non alligantur actu igni gehennali, vt ait D.Th. ergo actu non patiuntur ab igne, nisi fortè per apprehensionem. *Secundo*. Apprehensi afflictiui nõ infert tantã molestiã, sicut actualis applicatio eiusdẽ afflictiui, vt colligere licet ex exemplo captiui adducto à D.Tho.

Certum est enim non tanta tristitia affici captiuum extra carcerem existentem, apprehendentem esse diro carceri mancipandum: atq; si actualiter eidem carceri alligaretur, aut in eundem detruderetur: ergo neq; dæmones quando extra infernum sunt, tanto dolore afficiuntur, quantumuis apprehendant illam pœnam esse sibi paratam; sicut afficientur quando actualiter eam subire cogantur. *Tertiò*. Apprehensio futuri mali dolorem non causat, sed timorem: ergo ex apprehensione torturæ infernalis dæmonibus deputatæ non infligitur dolor, sed incutitur timor. Pœna autem sensus debita dæmonibus, dolor est, non timor.

Certè istæ replicæ videntur probare, dæmones extra infernum positos siue sint in aere caliginoso, siue in hominum corporibus non pati tantam pœnam, quantam in inferno paterẽtur: quod non videtur mihi improbabile propter replicas factas: quia tamen oppositum reputo probabilius, & magis conforme sensui Doctorum, maximè D.Thom. asserentium, in nullo eorum pœnam diminui. 5

Resp. ad replicas factas. Ad *primã* cõcedo, dæmones quando in obsessis sunt, aut in aere caliginoso, non patiũtur ab igne inferni per actualẽ vstionem, aut actualẽ alligationẽ, nihilominus patiuntur ab actuali apprehensione alligationis futuræ sibi paratæ in inferno. Quæ apprehensio tam vehemens est, & tantum dolorẽ incutit, ac si de facto actualiter ab igne detinerentur, ac alligarentur. Ad *secundam replicam resp*. in hominibus verum esse regulariter illud *antecedens*: quia dolor in hominibus passio est appetitus sensitiui: qui cùm corporeus sit, per actualem molestiam magis patitur quam per afflictionem apprehensam: secus contingit in dæmonibus, in quibus non reperitur dolor, qui est passio, cum careãt appetitu sensitiuo: sed per actus simplices voluntatis: cuiusmodi est renisus quidã voluntatis ad aliquid quod cogitur subire. Ita D.Thom.1.*p.q*.64.*art*.3. & ideò tantùm dolorem concipiunt ex apprehensione alliga-

alligationis ad ignem infernalem certo futuræ ac si actualiter illi alligarentur. Et simile illud de captiuo extra carcerem posito non est ad paritatem cogendum, sed tātum explicationis gratia vsurpandum. Ad *tertiam replicam respondetur.* Quando apprehensio futuri mali vehemens est, & malum certo futurum, solet apprehendi ac si esset præsens, & tunc non solum timorem, verū & dolorem ac mœstitiam inducere. Ita cōtingit dæmonibus certo scientibus sibi paratum esse ignem gehennalem: ratione cuius talis ac tātus dolor illis incutitur, ac si actualiter ab eo paterētur. Maneat ergo certū dæmones in corporibus hominum commorantes eandem pati pœnam sensus ac si in inferno torquerentur, ideò recte dici quocunque perrexerint, secum portare suum infernum.

6 *Dico secundò.* Dæmones ex ingressu in hominū corpora peculiarem lætitiam ac gaudium percipiunt. *Probatur* argumentis factis in initio disputationis. Estque expressa sententia D. Tho. 1. *p. q.* 64. *ar.* 3. *ad.* 1. D. Thom.

Dico tertiò. Gaudium illud leue est ac momentaneum. *Probatur*: nam cum mens dæmonum ingenti tristitia occupetur propter amissionem æternæ Beatitudinis. (quod pertinet ad pœnam damni, & infernalem pœnam sensus) quidquid lætitiæ superuenit, leue est. Insuper aduertentes dæmones, eam leuem & modicam lætitiam à malo prouenire, nempe à suo liuore ac inuidia, & in malum cessurum, videlicet in maiorem suā infœlicitatem: quia lætari in malis miseria est: nō modica tristitia afficiuntur, sic adeò, vt de illis verum habeat illud Sapientis: *Extrema gaudij luctus occupat.*

7 His prælibatis ad argumenta resp. ad *primum* initio disputationis positum & cōfirmationem, probare, nostrum assertum secundum modificādum iuxta tertium.

Ad secundum respond. ex dictis pro explicatione primi asserti. Et negatur voces illas dæmoniorū (de quibus in Euangelio) probare aliquid contra illud: sed esse intelligendas iuxta tenorem secundi asserti nostri. Timebant namque dæmones ne iussu Christi Domini in abyssum irent, non quia in corpore illius dæmoniaci non torquerentur pœna ignis, ad modum iam explicatū; aut quia in aliquo talis pœna minueretur: sed quia eis alligaretur facultas vexandi homines, ac tentandi; quod dæmones percupiunt. Itē dicunt Christum venisse ante tempus torquere: nō quia ante Christi aduentum non torquerentur, sed quia citius quàm ipsi opinabātur venisset ad eos subiugandos, ad eum modum quo solet dici infortunium aliquod ante tempus aduenire, quia scilicet venit ante inopinatum tempus.

Pro solutione tamen argumentorum, quæ facta sunt in initio dubitationis in oppositum tituli disputationis, præmittendum est ex doctrina D. Tho. 1. 2. in materia de passionibus, & alibi sæpe, incompatibilitatem lætitiæ cum dolore seu tristitia à duplici radice prouenire: vel à contrarietate, quæ in his reperitur: & vt verè se inuicē non compatiantur, debent considerari in eadem potentia; nam in diuersis non sunt incompatibiles: verbi gratia, tristitia in appetitu sensitiuo, & lætitia in intellectiuo: & respectu eiusdem obiecti, nam nil vetat lætari de vno obiecto, & tristari de altero. Vel secundò potest expendi incompatibilitas ex redundantia quadam actus vnius potentiæ in aliam: quatenus scilicet, quando tristitia fortior est non sinit eam potentiam, in qua est, lætari: vel è contra, lætitia non sinit hominem tristari, aut si sinat adeò aggrauat, & debilitat potentiam, vt si prorumpat in contrariam passionem, non tanto conatu & intensione, quanta afficeretur, si contraria passione non præoccuparetur. D.Thom.

Ad primum in oppositum nego maiorem. Et Arist. intelligendus est quando dolor & lætitia sunt in supremo gradu. Vel *secūdò resp.* dictū Aristotelis esse intelligendum de dolore, ac lætitia hominū, non de dolore, ac lætitia spirituum. *Ratio* discriminis est, quia cùm appetitus intellectiuus hominum, ac omnes animæ potentiæ vtātur in suis actibus ministerio potentiarum corporalium: sic aggrauantur, & deprimuntur à corpore, aut potentijs corporeis, vt si homo afficiatur summo dolore: nequeat in cōtrariam passionem lætitiæ assurgere, iuxta illud: *Deprimit terrena inhabitatio sensum*, id est potentiam intellectiuam *multa cogitantem*: secus contingit in spiritibus, qui dolent & lætantur per simplices actus voluntatis: dolere nascitur ex hoc quod eorū voluntas renititur circa aliquod obiectum: lætari, ex eo quod eadem voluntas amat aliquod obiectum. Quare si istæ volitiones sūt de diuersis obiectis, nō est cur se impediant, neque in odio aut amore, neque in tristitia & lætitia, inde consequentibus. 8

Tertiò respondetur. Estò vehemens tristitia in spiritibus impediat aut retardet actum ex quo oritur lætitia etiam in spiritibus: tamen dolor seu tristitia, qua afficiuntur dæmones de sua damnatione, non est dolor summus, neque secundùm intensionem absolutam, quia non adæquat totā capacitatē potentiæ; neque secundum extensionē, quia nō est dolor de omnibus rebus. Appellatur autem summus dolor secundum intensionē proportionatam culpæ, & ita sine diminutione doloris & tristitiæ essentialis possunt lætari & gaudere accidentaliter de aliqua re. Fateor modicam posse esse lætitiam, quia vehementissima est tristitia.

Ad *confirmationem resp.* dæmones esse vsque adeò præoccupatos ingenti tristitia propter bona, quæ amiserunt, & propter cruciatum ignis, & alia contristantia: vt eorum modica lætitia propter vexationem hominum, aut alia mala: aut parum, aut nil mitiget de eorum pœna essentiali, maximè quia vt docet D. Thom. *in quodlib.* 3. *quæstion.* 10. *articul.* 2. in corpore, quamuis lætentur de malis hominum, ac pœnis: sed ipsamet lætitia cedit in eorum magnū mœrorem. Dolent de impletione voluntatis Dei, quæ in eadem vexatione reperitur, & dolēt de suo ipsorum gaudio, per vermem, id est remorsum conscientiæ: iuxta ea quæ dicebamus in tertio asserto. D.Thom.

Ex quo liquet, eos non eripi ab statu summæ miseriæ propter hæc parua gaudia, quæ in illis ponimus: nec etiam sequitur eorum pœnam essentialem variari, sed potius accidentaliter augeri.

Secundò respondetur, per eam lætitiam dæmonum, quantulacunque sit, non mitigari eorum dolorem. Patet: non à contrarietate; quia non extat, quia hæ affectiones sunt de diuersis obiectis: non propter retractionem à dolore ex retractione ab attentione: quia circa diuersa non retardatur attentio in spiritibus, neque propter redundantiam, sicut in homine: quia lætitia & dolor in spiritibus cùm fiat per actus simplices voluntatis, quãdo sunt de diuersis obiectis, sicut nõ contrariantur sic vnum per alterum non mitigatur, aut diminuitur: sicut attentio intellectus in Angelis non remittitur circa diuersa obiecta, quando per diuersas species intelligibiles fit.

9 *Ad secundam confirmationem negatur conseq.* Ratio diuersitatis est: tum quia gaudium Beatorum implet totam capacitatem subiecti: & ideò non admittit secum neque tantillum tristitiæ: tristitia verò damnatorum est quidem ingens, sed non implet totam capacitatem subiecti: & ideo secum compatitur gaudiola quædam, sed in rabiem ac tristitiam conuertendam: tum, quia in Beatis non potest esse aliqua passio, nisi consequens iudicium rationis. Ita D. Thom. *in 4. distinct. 50. quæst. 2. artic. 4. quæstiunc. 3.* ad 3. & ideo quoties se illis offert aliqua materia tristitiæ secundum se: quia illi omnia hæc referunt ad trutinam rationis, quæ dictat esse illis gaudendum de omni eo quod Deus vult: non tristantur, sed potius lætantur, iuxta illud: *Lætabitur iustus cum viderit vindictã.* Secus contingit in dæmonibus & damnatis: qui feruntur vel lætitia vel tristitia, prout obiecta sibi oblata exigunt, & ideò dæmones existentes in statu summæ miseriæ, nil vetat lætari modicè de quibusdam: & Beati nequaquam tristari possunt, neque per instans. D. Thom.

Ex dictis resolues quæstiunculam, quinam sint infæliciores; dæmones, qui habitantes in hoc aere caliginoso homines vexant, an qui in inferno torquentur ab igne infernali? *Resp.* qui in aere, aut corporibus hominum resident: quia non euadũt ignis cruciatum: & præterea illa modica lætitia, quam capiunt ex hominum tortura, illis cædit in tormentum ac dolorem. Item quia lætitia capta ex malo miseria est.

10 Hinc etiam solues, an dæmones eos quos obsident, semper vexent, & in eis semper maneant? *Resp.* possent quidem si vellent: sed de facto sæpè cessant à cruciatibus, vt experiẽtia docet in multis, quos placidè ac quiete sine vllo dolore per multos interpositos dies quiescere videm⁹: quod in Saule factum esse sacræ literæ docent 1. *Regum.* 16. quia cessatio fit Deo misericorditer ordinante, qui irascitur, & propitius est, & etiam ipsis malignis spiritibus volentibus, ne scilicet continuata vexatione obsessos interimant, & domicilia sua relinquere cogantur, quod ægrè ferunt: & quamuis à cruciatibus sæpè cessent, raro tamen energumenos deserunt, nisi coacti virtute diuina: deserunt verò aliquando, vel quia alijs in locis interesse volunt, ad quę non se extendit sphæra suæ actiuitatis, si in energumenis permaneant: aut alijs de causis nobis ignotis.

His quæ dicimus non parum fauet Historia Saulis, de quo dicitur non tantùm leuius habuisse Dauide canente, verum à dæmonio fuisse illo modico temporis spatio liberatum. Ait enim sacer textus: *Et recedebat ab eo spiritus malus.* Et Bredembach. *collat. lib. 7. c. 39.* narrat quosdam dæmoniacos in oppido Brabantiæ à dæmonibus fuisse liberatos eo die, quo Martinus Lutherus obijt: & cùm postera die iterum redijssent ad obsessorum corpora, interrogati ab exorcistis, vbi pridie latuissent: responderunt, se mandato Principis sui ad noui Prophetæ, & fidelis cooperarij funera euocatos fuisse: eidemque interfuisse. Confirmauit hanc rem Lutheri famulus, qui eidem morienti adfuit, & cùm per fenestram auræ capiendæ gratia aspiceret: non sine magno terrore vidit pluries, & plures teterrimos spiritus non longè à loco saltantes, ac choreas agentes. Confirmarunt & cæteri, qui Lutheri corpus cum ex Islebio Vvitembergam deferretur, magno clamore comitati sunt. Bredemb.

DISPVTATIO XXV.

Qua via, quave hominis parte, dæmones corpora dæmoniacorum ingrediantur?

ET quidem si vulgarium iudicium sequamur, per os obsessorum ingrediuntur. 1 Quorum placitum adiuuare possumus: tum ex fideliũ consuetudine, nempè oscitantes, os signo Crucis munire solent, quo signaculo sacro, ac dæmonibus terrifico munitum os, illac introeundi dæmonibus facultas auferatur. Tum quia sæpè legimus dæmones vna cum cibo ac potu in quo latuerant haustos esse: cuius rei Historia insignis extat apud D. Greg. *li. 1. Dialog. c. 4.* verba illius superius retulimus. Gre.

Hæc nostra dubitatiuncula ijs, qui opinabantur dæmones corpora quædam tenuiora aere possidere, fortasse difficultatẽ ingereret, dum exquirere necesse esset, vias, per quas dęmones corpora dęmoniacorũ ingrediuntur, eo ꝙ duo corpora se penetrare nequeãt, sed posset dicere per os, per nares vel per quoscũq; alios meat⁹, per tenuissimos poros posse, & de facto ingrediũtur. Si enim per hasce vias sudor emittitur, aer subintrat, multo facilius dæmones introire, & egredi poterunt, vtpote qui habent corpora tenuiora quàm aer. Sed hac falsa sententia reiecta, nos qui certò certius opinamur, Angelos bonos ac malos carere omninò corporibus, ac proinde corpora obsessorum, illis, eo quod spiritus sunt, nequaquã sua quantitate vllum præstare impedimentum: respondemus, per omnes corporis partes posse, ingredi sine vlla difficultate, per os, aures, nares, per poros, imò per solidissimas partes, quas penetra-

netrare, sine apertione, aut ruptura, spiritibus facile est.

Ob id verò non negamus sæpè per os obsessorum intrare, ac exire: neque improbamus, sed potius laudamus consuetudinem Cruce signandi os; asserimus tamen per quascunque corporis partes posse dæmonia intrare corpora obsessorum: quod intelligendum est si motu successiuo intrent, secus si motu discreto: tunc enim vnum ferè paradoxum fatendum est, dæmones scilicet intrare corpora obsessorum, & per nullam corporis partem intrare: quod patebit consideranti

D. Tho. quæ D. Th. dicit de motu Angelorũ discreto. 1. *p. q.* 52. *a.* 2. & probatur, quia per motum discretum Angeli transeunt ab extremo in extremũ, nõ pertrãsito medio: ergo si dæmones ingrediãtur corpora obsessorũ motu discreto: necessarium erit vt per nullam corporis partem ingrediãtur, aliàs motus ille successionem haberet: dum prius dæmones moueri deberẽt ad partem per quam ingrediuntur, quam ad intranea viscerum, ad quæ terminatur ingressus.

2 Sed difficilius est postquam dæmones ingrediuntur quẽpiam in qua hominis parte resident?

In qua hominis parte resident dæmones? Si sermo sit de potestate res clara est, possunt totũ hominẽ, ac omnes collectim, ac diuisim eius partes occupare pro arbitratu suo, caput, brachia, ventrẽ, tibias, & cæteras partes seorsum, & omnes simul: & in hoc ab anima discriminantur: nam cum anima omnium partiũ sit forma, omnesque viuificet, non potest quasdam viuificare, alijs sine vita relictis: dęmones verò cũ in corporibus, vt motores resideant; non vt formæ corporũ: pro sua voluntate possunt omnes vel certas quasdam occupare. Huius rei habetur illustre exemplum in Georgio, in vita sancti Theodori, narrante, in brachio Euthichij cuiusdam ita resedisse dæmonem, vt in nulla alia corporis parte fuerit, quod agnoscẽs sanctus Theodorus, Cruce humerum signauit, & ingressum ad reliquum corpus prohibuit, illoque pulso à brachio Euthichij, homo ille liberatus est. Et sanctus Gregorius Turonensis *de gloria confessorum cap.* 9. scribit, quẽdam dæmonem in sola vngula cuiusdam energumeni sedem habuisse, quinimò in minutissimis partibus, & frustulis: imò & in puncto ipsos posse residere non ambiges, si legas D. Th. & e-

D. Thom. ius discipulos 1. *p. q.* 52 *art.* 1. Sed tamen quas partes inhabitent de facto difficile est: præsertim apud eos, qui existimant dæmones posse latitare, & esse vbi nullo modo operantur. Ita Scotistæ. & multi moderni: Thomistæ verò qui censent Angelos non esse in loco vbi aliquo modo nõ operantur: ex operationibus inuestigare aliquo modo poterunt in quibus corporis partibus commorẽtur: nam si inflationem, aut tuber in aliqua hominis parte excitent, aut linguam ligent aut quoquo modo alicui membro molestiam ingerant: non leue signum est ibidem dæmones esse: sed neque hæc signa manifestè pandunt præsentiam dæmonũ in his partibus afflictis, quia molestiæ hæ possunt esse à causis naturalibus morbum inducentibus, aut ab ipsis dæmonibus, qui inflictis illis plagis recesserunt.

Item quia ex sententia eorundem Thomistarum poterunt esse vbi actualiter non operantur: sunt tamen in procinctu ad operandum, quod homines nosse nequeũt: atque adeò neque quas hominis partes inhabitent, ac occupent: itẽ quia ab vnâ hominis parte ad alias migrare quis prohiberet? & ideò in exorcismo secundo, qui habetur in rituali Romano, apponitur formula præcipiendi dæmonibus in virtute Sanctissimæ Trinitatis, ne se occultent in quatuor humoribus, in carne, ossibus, neruis, medullis, venis, scirrhis, tibijs, renibus, ventre, stomacho, intestinis, gutture, collo, &c. Aliqui putant vt plurimum eos in corde aut propè cor suum domicilium eligere: & coniectura non leuis est, quia cum principium omnium actionum corporis humani cor sit: vt facilius exagitare ac vexare totum corpus possint (id enim motu locali efficiunt) non inaniter creduntur suas sedes eligere in corde, vel prope cor. Quapropter sanctus ille Theodorus, cuius nuper meminimus, curaturus quendam, de quo dubitabatur, an à dæmone possideretur: cor ipsius cœpit pulsare primum, & dæmoni imperare vt se proderet.

DISPVTATIO XXVI.

An in vno & eodẽ hominis corpore posʃint intrare, ac esse multa dæmonia?

1 ET existimo partem affirmatiuam esse de fide. *Probatur* Matth. 8. vbi dicitur legionem dæmoniorum, vnum vexasse hominem: & etiam Luc. 8. Christum eiecisse à Magdalena septem dæmonia: & Lucæ. 11. *Cum immundus spiritus exit ab homine &c. tunc vadens assumit secum alios septem spiritus nequiores se, & ingreßi habitãt ibi.* Ecce apertè supponit Christus Dominus, multos dæmones vnum corpus possidere posse: quidquid dixerint quidã, suppresso nomi-

Abulens. ne citati ab Abul. *in* 3. *Matth. c. q.* 136. qui tamen alieni à veritate, & sacris literis procedunt: nõ impediũtur in vno esse homine, quia nõ posset esse penetratio tantarum dimensionum, nam quantitate carent, & ideò vbi vnus ibi innumeri esse possunt. Non obstat odiũ crudele dæmonũ inter se, propter quod alicui videri poterat eos nequaquam pati in eodẽ domicilio habitare: nã etsi inter se dissideant, tamẽ in nocẽdo hominibus, societatẽ inierunt, & vnanimes conspirarunt. Hoc

D. Thom. egregiè D. Th. 1. *p. q.* 109. *ar.* 2. ad secundũ. Quod non obscure insinuauit Seruator noster in testimonio citato Luc. 11. dum de vno dæmone ait: *Assumit secum septem spiritus nequiores se:* quasi gaudens: imò & quærens socios ad torquendum hominem.

Sciscitabitur quispiam, an plures plus vexent, quã vnus? verosimile apparet ex illo dæmoniaco à legione dæmoniorum occupato, cui plures dæmones plura tormenta inferebant, habebat enim habitationẽ in monumẽtis, nõ poterat 2

eum quisquam catenis cõstringere, diu & noctu in montibus vagabatur, lapidibus se cõcidebat, &c.hęc aũt multiplicata tormẽta à multiplicitate dæmonum inhabitantium; id est à *6666.* prouenire satis vero simile iudico.

3 Quomodò autem ista multitudo dæmonum in vno eodemque homine inhabitet, quomodove molestias inferat: non est facile diffinire. *Dico* tamen: *tripliciter* imaginari possumus eos in vno domicilio inhabitare, totq; molestias ingerere: *vno modo*, vt singuli in proprijs distinctisque partibus resideant, in quibus quoties quisque operetur cruciando, torquẽdo, vel quid simile operando. Et aduersũ hunc dicendi modũ non militat testimonium D.Thom.1.*p.q.52.a.3.* affirmantis duos Angelos nõ posse esse in eodẽ loco: etenim iuxta istũ modũ nõ sunt plures dæmones in eodem loco, sed in diuersis. *Secundo modo* possunt esse in eodẽ homine: omnes in eodem, & omnes in omnibus partibus hominis sed quilibet diuersa operatur nocumenta: verbi gratia, quidam cor cõstringunt, alij percutiunt, alij multis alijs modis idẽ cor affligunt, & sic de alijs hominis partibus, & toto corpore. Et iuxta istum modum etiam videtur euacuari testimonij præfati difficultas, quia sicut operationes cuiusque etiam in eadem parte sunt diuersæ rationis: sic & loca, quę occupant, licèt materialiter sint eadem formaliter tamen distinguuntur: nec ex isto modo existendi sequitur inconueniens, quod affert D. Th. loco citato, videlicet quod duæ causæ completæ sint immediatè vnius & eiusdem effectus, neque q̃ sint duo Angeli in eodem loco formali: quia cum operationes diuersæ sint: loca etiam formalia, diuersa sunt, vnus tamen materialiter: neque hoc negaret D.Thom. neque eius discipuli. *Tertiò* imaginari possumus, multos dæmones in eodem homine inhabitare, sic vt omnes & singuli occupent totum hominem & singulas eius partes, & omnes ac singuli inferant omnia & singula mala, quæ obsessus patitur: & iste modus est intellectu difficilis in sententia D. Tho. putantis Angelos esse in loco per operationem.

D.Thom.

Nec euadunt difficultatem qui censent Angelos esse in loco per suam substantiam: nam licèt benè explicent quomodo plures dæmones possint esse in eodem loco, quia non replent locum: tamen quomodo in eodem loco vnam & eandem operationem plures efficiant non explicãt: nec effugiunt inconueniens asserendi vnam, & eandem operationem esse à multis causis completis: quod alienum videtur à documentis Philosophorum, & à mente D. Thom. in loco citato, propter hoc inconueniens effugiendum negãtis duos Angelos nõ posse esse in eodem loco. Molestus essem, si adducerem omnes expositiones discipulorum D.Thom. vt defendant sui magistri sententiam, cui innititur tota vis argumenti propositi.

Breuiter dico, D.Thom. non esse intelligendum de existentia in locis inadæquatis & partialibus, quia iuxta primum modum existendi dæmonum in obsesso ita contingit: neque de existentia in eodem loco materiali quia iuxta secundum modum nullum est incõueniens ita accidere: intelligendus ergo est de existentia complete, & perfectè in eodem loco. Tunc autem erunt in eodem loco plures, si operabuntur in eodem loco formali, vt causæ totales eiusdem effectus numero: & quando plures dęmones existunt in eodem homine, ac concurrunt omnes ad vnum numero cruciatum, non concurrunt vt causæ totales, sed partiales. 4

Et si obijcias: quia quilibet potest illum effectum producere, & multo intensiorem, & quilibet apponit totum suum conatum: ergo causæ totales sunt, non partiales. *Confirmatur*, quia confusio esset operationum, vt plures cõcurrerent ad id efficiendum, quod vnus potest sine defatigatione, aut molestia: imò cum maxima voluptate, vt in humanis patet. *Respondetur* sumpta similitudine ex eisdẽ humanis, quæ experiri solemus: cõtingit enim quandoque, plures homines ad eandem trabem vehendã cõcurrere: quia vnus solus id nõ valet efficere; nõ sic cõtingit, quãdo plures dęmones eundẽ numero cruciatũ vni homini inferunt: quia quilibet eorũ potens est tã sæuos excitare cruciatus: vt si permitteretur, necẽ citissimè inducerent. Item quãdoque plures homines cõcurrunt ad idem onus portãdũ, nõ quia vnus nõ posset portare, sed vt quilibet cum minore labore, ac molestia portẽt: & neque ita accidit in dæmonibus, qui in inferendis quantumuis magnis cruciatibus, nõ defatigantur, aut molestiam patiuntur: quin potius magnam capiunt voluptatem, ac gaudio his occupati perfunduntur.

Præterea contingere potest, vt plures homines concurrant ad eandem trabem vehendam, quam quilibet posset sine molestia portare, & singuli totum suum conatum apponãt: sed Deo impediente, non ob id trabes velocius, aut citius trahitur: sed eadem velocitate, ac prorsus, motu eodem modo se habente, ac si ab vno solo portaretur; & in hoc casu quilibet causa partialis est vnius & eiusdẽ mot⁹; licèt attẽtis viribus portãtiũ, & conatu, posset ab vno solo motus ille peragi.

Ita existimo accidere posse quãdo plures dæmones vnum & eundem numero cruciatum inferunt vni energumeno; quilibet dæmonum posset illum cruciatum causare, omnes operantur secũdum totum suum conatum; sed cũ Deus præfixerit metas, ad quas vsque torquere possũt, ne miser homo animam exhalet, omnes eundem numero effectum causant, vt partiales causæ. Nec mirum videri debet Deum hos imposuisse limites: quia vt supra diximus, sine eius permissũ & licentia non possunt vexare homines, ergo etiam eius ordinatione limites imponuntur, ne in homines ferociantur quantum possunt. Vel dicito ipsosmet dæmones, qui norunt ad quos vsque limites sint nocere permissi, suum attemperant conatum, vt ab omnibus efficiatur, quod ab vno solo effici posset.

Et hinc patet *ad argumentum*, negando illam multitudinẽ dæmonum fuisse in vno homine, & singulis eius partibus tanquam in loco vno formali vltimatè, & adæquatè completo ad modum iam explicatum.

DIS-

DISPVTATIO XXV.
Quorum ordinum sint dæmones, qui homines obsident?

1 IN hac disputatione supponimus vt certum apud oẽs Doctores, inter malos spiritus seruari ordinẽ ac prælationẽ, nõ solũ secũdum naturã, quia quidã perfectioris naturæ, alij imperfectioris dicantur, verum etiã secundum electionem: quia si qui imperfectioris naturæ sunt, alijs superioribus subijciuntur in ordine ad procuranda hominum mala, siue tentando, siue obsidendo: de qua egregiè D.Tho. 1. *p.q.*109.*ar.*1.*&* 2.& Abulensis fusam instituit disputationem super *c.*12.*Matth.q.*60. Quod modo in dubium vertitur est, an soli dæmones gradus infimi, obsideant mortales, alijs, qui superioris ordinis sunt, in infernum detrusis? (D.Thom. Abule.)

Et videtur vera *pars affirmatiua*. Nam boni Angeli supremi ordinis, vt Cherubim, ac Seraphim, non se immiscent mundanis negotijs, sed contemplationi soli, & amori Dei vacant. Alij verò negotia humana dirigunt, ac procurant. Tertij verò, & infimi ordinis ea executioni mãdant. Sed mali spiritus licet à gratia exciderint, seruant tamen eũdem ordinem, quem ante casum tenebant, quia in eis naturalia manserunt integra: ergo non quicunque & cuiuscunque ordinis mala nostra meditantur, purà ingressum in corpora, aut animarum tentationem: sed hoc solis malis spiritibus inferioris ordinis reseruatur, cæteris nil de hoc cogitantibus, sed flammis perpetuis in inferno traditi sunt. *Confirm.* nam dato cuiuscunque ordinis malis spiritibus concessum esse, vt homines vexent ac tentent (quæ eos occupat inuidia ac odium erga homines) omnes essent in hoc aere caliginoso ad suam rabiem erga humanum genus explendam relicto inferno. *Consequens* non admittitur à Doctoribus asserentibus magnum numerum dæmonũ esse in inferno reclusum: *ergo*.

2 Sit tamen *nostra assertio*. Ex omni ordine ac principatu dæmones humana corpora ingrediuntur, ac alias quamplures molestias hominibus inducunt. Proba. ex Apostolo ad *Ephes. 6. Non est nobis* (inquit) *colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes & potestates, aduersus Mundi rectores tenebrarum harum: contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Ecce principatus & potestates, qui sunt ex ordine superiori dæmonum, asseritur esse nobis infestos, cur non ingrediantur hominum corpora? Accedit id quod narrat Palladius *sectione.*15.*Historiæ patrũ.* D. Antonium, cum ad eum adductus esset energumenus, intellexisse spiritum principalem esse, qui miserum obsideret: quocirca neque per se, sed per sanctum Paulum simplicem, cuius potestas, quam sua maior esset, posse eijci. De ipso verò Lucifero & dæmoniorum Principe (qui etiam decepisse putatur) non improbabiliter dicitur, post Christi mortẽ in inferno detrusum: ne stragem solitam hominibus Christi iam sanguine redemptis inferat, soluetur autem, & ad mortales impugnandos redibit Antichristi tempore. Ita communiter expositores colligunt ex initio capitis vigesimi Apocalyp. Cui expositioni videtur innuere D. August. 20. *de ciuitate Dei c.*7. & non abnuit D. Greg. *lib.*32. *moralium c.* 12. (Ephes. 6. Pallad. August. Greg.)

3 Quod verò dæmones ex infimo ordine molestent, ac ingrediãtur mortalium corpora, nulla ratio dubitandi potest esse: cùm infimus eorũ gradus exposcat, vt in his curis se intromittant. Ex omni igitur gradu ac ordine dæmoniorum cupiunt ingressum in hominum corpora, & perficiunt, quando Deus hoc illis permittit. Ad *argum.* in oppositum factum *resp.* naturalia mansisse integra in dæmonibus, & ideò qui superioris ordinis est, maioribus pollet viribus: at verò ꝙ superiores non se intromittant in negotijs mundanis, ad ordinẽ gratiæ spectat: à qua, quia propria malitia exciderunt dæmones, non attendũt quid pro naturæ dignitate conueniat agere: sed potius vt suæ inuidiæ ac odio erga homines faciant satis: ad minima etiam officia se libenter demittunt. Ad *confirm. resp.* fatemur, si dæmones permitterentur suæ libidini nocendi hominibus satisfacere: fortassis vacuo relicto inferno cateruatim egrederentur ad molestandum homines, partim tentando, partim vexando: sed sicut non sinuntur à Deo omnia mala inferre, quæ desiderant: sic neque omnes egredi à carcere infernali, vt molesti sint hominibus: sed ijs tantùm concessum est, quibus à Deo permittitur propter absconditas rationes suæ prouidentiæ. Mitto modò, quod dæmones, quorum suasu homines peccauerunt: deferunt pòst mortem animas dãnatorum in infernum, vbi manent iugiter eas torquentes: vt adnotauit D. Thom. 1. *part. quæst.* 64. *art.* 4. (D. Thom.)

DISPVTATIO XXVI.
Quibus signis agnosci poßit dæmonum inhabitatio in obsessorum corporibus?

1 HVius *resolutio* non modicam vtilitatẽ affert, maximè exorcistis: quapropter accuratè tradenda est.

Signa, quæ possunt prodere inhabitantes dæmones multiplicia sunt, omnia tamen sumpta ex operationibus: Dæmones enim cùm sint substantiæ spirituales, nequit eorum habitatio cognosci nisi ex operationibus, cùm iuxta Theologorum sapientiorum sententiam, vbi operantur, ibi sunt, & vbi non operantur, nõ sunt: igitur signa inhabitantis dæmonis quædam aliqualem coniecturam generant, quædam vehementiorẽ, qđã certò produnt habitationẽ, peruersi hospitis. Generãt leuẽ suspicionem ferini & agrestes mores, sed huiusmodi non conuincunt dæmonem inhabitantem. Plures vidimus, & audiuimus in ferarum naturam, ac mores declinantes, qui non fuêre obsessi à dæmonibus:

Idem

bonus sit, siue malus: vterque enim omne genus linguarum probè sciunt propter subtilitatem ingenij, & propter rerum copiosam agnitionem.

Lemnius. *Ex dictis confutatur* delirium Leuini Lemnij, qui *lib.2.cap.2.de occultis naturæ* docet, melácholicos, & phreneticos, ex frequentissima humorũ ebullitione, & vehementi spirituum agitatione, posse varijs linguis loqui, quamuis antea nullam earum nouerint. Impossibile, & incredibile dogma: nam quomodo erit in ore, quod nõ fuit in mente? & quomodo in mente, quod non prius in sensu? at supponimus linguam esse peregrinam, quam non audiuit, non legit, non didicit homo. Item donum linguarum magno Dei munere Apostolis collatum est: ergo loqui alieno idiomate, quod quis non didicit, non potest esse à naturali morbo, aut alia naturali complexione.

5 *Obijcies.* Adhuc ex præfata argumentandi ratione non colligitur, eam expressionem conceptuum lingua peregrina esse à dæmone inhabitãte quia esse potest à Deo, vel ab Angelo bono: & esto sit à malo spiritu, non colligitur ex loquutione illa esse ab eo intus existente: satis est si assistat, & moueat linguam vexati per aerem concitatum, aut verò ab aliqua anima separata, quæ per os obsessi loquatur, & formet voces. *Respondetur:* ab anima separata nequit esse: tum, quia anima separata ignorat linguam, quam corpori vnita nõ didicit: tũ, quia animæ separatæ non possunt ingredi aliorũ hominũ viuentiũ corpora, vt superius ostendi: neque illa loquutio potest formari à spiritu malo, nisi intus existat, eo quod loquutio necessario debet fieri motis organis interioribus, maximè pulmone, qui est præcipuum instrumentum formandarum vocum, eo quod ipse concitat aerem, & subtilizat: tum vt refrigeret cor: tum vt reddat aptum hominem ad formandas voces, quarum materia non est aer tam grossus sicut externus. Igitur vt dæmon loquatur per obsessum, necesse est mouere pulmonẽ: ac proinde esse intra corpus hominis, imò in ventre: & ob id obsessi per dæmonem loquentes dicũtur Pythonem, (id est spiritum malum) habere in ventre, 4.*Regum*, 21. ergo erit ab aliquo spiritu siue bono, siue malo. 4.Reg.21.

Et ideò libenter fateor, ex linguæ peregrinæ loquutione, non euidenter deprehendi inhabitantem malum spiritum aut bonum; agnoscetur autem adiunctis alijs signis, de quibus diximus & dicemus: verbi gratia si adiungas loquutioni in lingua peregrina, loquentẽ obsessum pati vehementes cruciatus, si blasphemias, aut inhonesta loquatur, si ad tactus rerum sacrarum fugiat: certè à dæmonibus talis loquutio est, non à bono Angelo, aut Deo ipso. Item Apostoli, quando varijs linguis loquebantur, non inuiti, sed spontaneè id agebant: at à dæmonibus obsessi, velint nolint loquũtur peregrina lingua. Item Apostoli quando varijs linguis proponebant Dei verbũ, tam auditores, quàm ipsi verba intelligebant. Obsessi verò nullo modo, quia nec idioma peregrinum norunt, neque quid significetur, intelligunt. Est itaque signum quasi infallibile ad dignoscendum inhabitantem dæmonem, loqui peregrinis linguis, si adiungat cætera, quæ modo commemorauimus.

Hoc signo iam pridem, & modo deprehenduntur dæmones obsidentes. Hieronymus *in vita Hilarionis* narrat candidatum quendam Constantij Imperatoris deprehensum esse à dæmone possideri; eo quod cùm linguã Latinam & Francicã tantùm nosset, tamẽ Beato Hilarioni Syro, quo ipsum rogabat sermone respondebat: & ita perfectò (teste Hieronymo) vt non stridor, non aspiratio, non idioma aliquod Palestini deesset eloquio. Similiter dæmonium inhabitans mulierem Mediolanensem deprehensum est, quia mulier nunc Italica, nunc Ibera lingua loquebatur. Ita in vita sancti Bernardi, *lib.2.capit.4.* & vnum mirabile narrat Sigibertus accidisse circa *annum Domini*.1122. Nortberto namque Præmonstratensi exorcizante puellam dæmon irridens Cantica Canticorum à principio vsque ad finem per os puellæ edidit, & ad verbũ in Romana, deinde in Teutonica lingua interpretatus est. Hieronym. Sigibertus

Quod dixi de loquutione in peregrina lingua, dicendũ est de scientia legendi, scribẽdi, aut arte cantandi artificiosè, etenim quando hæc nõ præcessere in obsessis, & postea ac si per multos annos in eis versati essent, in ijs faciles se præbent: signa sunt inhabitantis dæmonis, non minus, quam loqui lingua peregrina, & propter rationem iam factam. *Secundum signum* ad cognoscendum dæmonem inhabitantem posuit Abulensis: si voce consueta loquantur: sed de rebus altissimis, quas non didicerunt: tunc enim ita disertè loqui non potest esse, nisi à spiritu inhabitante, propter rationem allatam in priori signo.

Hoc signum nõ probaretur Leuino Lemnio, & alijs Medicis, existimantibus hæc omnia posse homines, in quibus melancholia abundat: quinimò eiusdem humoris viribus tribuunt diuinare, citra contactum mouere aliena corpora, excitare pluuias, & similia mirabilia. Alij Platonici alia via pergunt, putantes animam omnia nouisse, sed immersam corpori, non omnia actu callere: at quando aliquo casu quasi a materia diuagatur, aut à sensuum perturbationibus subtrahitur (cum à principio omnia nouerit) posse scirè & fari quæ à nullo sensuum accepit. Sed de his delirijs Plat. non libet modò disputare quæ contra communem sensum sapientum procedunt.

Quare de hoc secundo signo iudicandum censeo sicut de priori allato ex Abulensi: & idem dico de quarto signo: quod est si de rebus secretis, quæ hominibus absconditæ sunt, loquantur. Pro quo sciendum est, occulta mortalibus, esse in duplici differentia: *quadam* licet occulta sint his aut illis qui ea reuelant: sed tamen ex suo genere non sunt adeò ignota, vt ab illis sciri non possint. *Alia* verò sunt, quæ impossibile est humano ingenio aut viribus sciri. *Priora* continentur tribus temporum differentijs: nam

aut

aut præterita sunt, vt res gestæ, aut præsentia; quæ tamen ob locorum distantiam homines nõ possunt scire: aut futura, quæ totum esse quod habent in suis causis habent. *Posteriora* sunt, quæ pendent ex hominum voluntate, & libero arbitrio. In his omnibus dæmones multa agnoscunt, quæ vel homines non cognoscunt, aut non possunt. Agnoscunt quæ modò in remotissimis Regionibus fiunt, quamuis illic non sint præsentes: norunt res olim gestas, & quæ post multa tempora euenient. Agnoscunt etiam quamplurima, quæ à libero arbitrio pendent; licet non tanta certitudine sicut priora, sed tamen vehementi coniectura, quæ ferè ad certitudinem accedit. Nam cum illa sit nostræ voluntatis conditio, vt affectus sequatur corporis; moueatur etiam obiectis, & ad naturæ pondus se accommodet sæpè: dæmones, qui benè sciunt affectus nostros, & sciunt quæ mentis obiecta bona sint, & singulorũ propẽsiones longa experientia obseruarũt: nõ mirum si multa norint futura vehemẽtissima coniectura, etiam si pendeant à libero arbitrio.

7 Occulta igitur hæc si per homines reuelentur, hoc est, si referantur res gestæ, si propalentur futura; si quæ in remotissimis Regionibus fiunt, enuntientur; si hominum cogitationes, aut studia patefiant: necessarium est dicere id non posse fieri sine opera alicuius spiritus. Non tamen cogimur dicere hanc occultorum reuelationem esse à malis spiritibus, qui sunt intra obsessorum corpora, aut qui assistunt extrinsecus: nam possunt propalari à bonis spiritibus: imò neque cogimur dicere eam reuelationem fieri ab Angelis bonis, vel malis: nam potest fieri à Deo illustrãte mẽtes hominũ ea reuelantiũ: sicut ait D. Petrus: *Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.*

Quando ergò hanc occultorum reuelationẽ colligemus esse à dæmonibus? Quando reuelãtur, quæ in Dei contumeliam, aut proximi iniuriam cedunt. Et neque ex hoc cognoscetur dæmones inhabitare istos reuelatores occultorum: nam à familiaribus, quos habent quidam, possũt hæc edoceri, & alijs hominibus reuelari. Ex quo infertur non omnes diuinatores esse obsessos à dæmone: quia possunt diuinare edocti à dæmone; quamuis ab eo non obsideantur.

8 Quapropter ex occultorum reuelatione, nisi alia adiungas, non cognosces dæmonem inhabitantem adesse istis reuelatoribus secretorum. At verò si adiungas *duo*, benè id colliges. *Primum*, si homines, qui hęc occulta reuelant, nullum pactum cum dæmonibus habeant. *Secundũ*, si in eisdẽ reperiantur alia signa, q̃ circa primum signum diximus prodere inhabitantes dæmones: v.g. interni cruciatus, ac vehementes, vagi motus, proximis, & sibi allata detrimenta, & similia. *Tertium signum* est, si postquam cessant, arreptitij vexari, & sibi restituuntur: nesciant respondere de his, de quibus loquuti sunt. Et quidem si hoc signum, vt iacet intelligatur, non certo prodit dæmonem inhabitantem. Etenim quã plurimos phrenesi, aut alijs capitis infirmitatibus laborantes cognouimus: qui actuali infirmitate detenti, à loquacitate vix cohiberi possunt: pristinæ verò valetudini restituti, nil corũ, q̃ loquuti sunt, posteà meminerunt: ac proinde præfatum signum sine certitudine procedit.

Credo autem, Abulensem illud intellexisse quando homo actualiter vexatus, profert mira, reuelat occulta: posteà verò cessante actuali vexatione, non recordatur eorum, quæ dixerat; tũc enim (ait) esse signum dæmonis obsidentis hominem. Fortasse fundamentum huius est: quia ea loquutio occultorum, quàm esse à superiori spiritu diximus: nõ est à Deo, neque à bono Angelo, cùm vterque quando aliquid homini reuelat, quid reuelet, edocet: nec reuelat, vt homo obliuiscatur reuelatorum. Hic error fuit Priscillæ, & Montani, qui dicebant Prophetas tanquã arreptitios non intellexisse quæ loquebantur: quod diuinæ reuelationi non congruit, neque sanctorum Angelorum: secundùm quam mens principaliter illuminatur, & memoria confortatur, vt nõ obliuiscatur reuelatorum: neque est à dæmone docente exterius, sicut solet docere Magos, non vt obliuioni tradant reuelata, sed potius, vt memoria retineant: ergo quando homines cruciãtur, occulta loquũtur, aut quę captũ hominũ superant: posteà verò sibi restituti non recordantur eorum, quæ dixerunt: signũ est eos à dæmone motos, quibus vtitur dæmon, vt instrumentis suæ loquutionis, non intelligentibus quæ loquuntur. Fateor nullam inuoluere repugnantiam, quod Deus, aut Angelus bonus vtatur eis, vt instrumentis locutionis quæ proferuntur: & tunc non est mirum dictorũ nõ recordari. Rursus possunt hæc fieri à dæmonibus, nõ inhabitantibus, sed assistentibus: quare nõ est omnino infallibile signum obsidentis dæmonis, id quod Abul. retulit. Probabile tamen, & certum adiũctis alijs, q̃ supra notauimus adiungẽda. Idẽ dico de quinto signo, id est, si flagellis plagati, ac prohibiti ne loquantur, à loquacitate non prohiberi valẽt: nã etsi nõ leue argumentũ sumitur à dæmone cogi, vt loquantur: cæterum id fieri potest ab ingentibus aliquibus infirmitatibus, vt experientia docuit: & idem effectus potest esse à Deo, vel bono Angelo.

Postremũ, & meo iudicio indubitatum signũ dæmonis obsidentis sumitur ex vsu rerũ sacrarũ, qui duplex est. Nã quandoque iubentur dæmoniaci quædã proferre, aut facere, quandoque ab astãtibus exorcistis quædã circa ipsos fiũt. *Prioris generis* sunt inuocatio diuini nominis aut alicuius sancti prolatio sacratissimi nominis Iesu: Psalmi, aut alicuius deuotæ orationis recitatio. Si.n. hæc facere recusent, non sine causa de dæmonio inhabitante, aut assistente, plus quã suspecti sunt. *Posterioris generis* sunt si concutiantur, terreantur, impatientes fiant, blasphement adhibitis reliquijs Sanctorũ, aut cereis imaginibus, quas Agnus Dei vocamus, aut Cruce fronti impressa, aut aqua lustrali asperso corpore, aut sanctissima Eucharistia adhibita; similiter si in aurẽ insusurratum fuerit: *Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.* Denique si exorcismos intentatos vel non ferant, vel impatiẽter ferãt. 9

His & similibus dæmones inhabitantes prodi

prodi facilè suadebimus aduertenti, harum rerum sacratarum vsum dæmonibus exosum, ac molestum esse. Et præterea non posse fieri, vt Christianus homo exhorrescat vbi hæc adhibentur: aut difficilem se præbeat, quando suadetur, aut iubetur, vt proferat verba sacra, Cruce frontem muniat, aut supra se huiusmodi fieri permittat, maximè si inconditos clamores, & vlulatus edat, in insanos, ac furiosos motus prorumpat: isthæc enim, & impatientia relata, ad dæmones inhabitantes referenda sunt, non ad miseros obsessos: quorum hæc non sunt opera, sed dæmonum eis vt instrumentis passiuè se habentibus abutentium. Passim videmus dæmones obsidentes his prodi signis.

Surius. Nihilominus *vnum*, aut *alterum* de hac re producam exempla vt recentia antiquis confirmemus: *Primum* sumitur ex Surio *tom. 4. in vita Diu. Bern. li. 2. c. 3.* Adducebat pater filium puerum ad sanctum virum, significans grauiter ipsum torqueri quotiescunque vel Ecclesiam ingrederetur, vel aqua consecrata aspergeretur, vel Cruce signaretur, vel Euangelium audire compelleretur, vel diuinis cogeretur adesse Sacramentis. Astabat tunc fortè viro sancto Sgerardus, hic volens experiri eius, quòd à patre dicebatur, veritatem, occultè obsessum filium in dorso signo Crucis signat. Quid verò? Mox puer infremuit, & latens dæmon proditus est.

10 *Ruper.* *Alterum exemplum* refert Rupertus Turonen. *in vita S. Herberti Colomens. Episcopi.* Accidit dæmoniacum quendam per varia Sanctorum loca recuperandæ pristinæ incolumitatis causa circunduci: sed frustra: tãdem ad sanctum Herbertum venitur: hic cum iubet adesse supplicationi, quæ in palmarum Domini solemni ritu apud Catholicos peragitur: in hac cum Antiphona de Christi triumpho contra diabolum cantatur, dæmoniacus clamare, atque vociferari cœpit. Iubet Antiphonam repeti Antistes; sed repetitã non ferens spiritus obsessum hominem reliquit.

DE PRAXI EXORCIstarum circa obsessos à dæmone.

1 POst ventilatas præcedentes quæstiones decreui methodum, ac normam summariè præscribere, qua vti debeant Exorcistæ, vt munere exercizandi legitimè, ac ritè fungantur. Ea est:

In primis quando vehemens coniectura vrget aliquem, vel aliquos à dæmonibus obsideri: vocandi sunt Sacerdotes, si propè commorentur: aliàs si Sacerdotum non adest copia, Exorcistarum ordine initiati accersiendi. Tunc sic vocatus debet simul cum sapientum consilio discernere, an vexati habeant inhabitantem dæmonẽ, ne irrideatur cum dispendio sui honoris, ac dignitatis Sacerdotalis; exorcizando aliquos, qui potiùs cerebri, aut cordis infirmitate laborant, quàm dæmonum vexatione. Caueant tamen fideles, quibus cura obsessorum incumbit, ne vocent ad adiurandum obsessum aicum aliquẽ (si copia adest Exorcistarum) quantumuis se iactet depellendi dæmonia dexteritate. Communiter enim huiuscemodi laici, ex pacto dæmoniaco, dæmonia expellunt: nisi integritas morum, & vitæ sanctitas eos commendet. Talibus enim siue viris, siue fœminis aliquãdo Deus donat gratiam eijciendi dæmones copiosam: sicut supra retulimus de Triphone pastore anserum, de sanctis Brigitta, Genouepha, Catherina, Anatholia. Quicunque autem vocetur non parum conducet meminisse eorum, quæ dixi disputatione præcedenti, examinando signa, quibus deprehendatur vexatos à dæmone possideri, an non. Generant namque aliqualem suspicionem ferini, & agrestes mores; maximè si non insint à natiuitate, aut à barbara educatione. Similiter, qui in nullo loco censent se esse tutos.

Sed hæ coniecturæ, nisi alia adsint signa, ferè nullius momẽti sunt: nisi vt Exorcistarũ mens excitetur ad perquirenda alia certiora, qualia sunt barbaræ, & inconsuetæ voces, clamores, & vllulatus, risus belluini, rugitus sicut leonũ mugitus sicut Boũ, latratus sicut Canũ, & huiusmodi. Vnde ex latratu deprehẽsi sũt multi obsessi in Alexãdria: quorum meminit Sigibertus *circa annum Dom. 517. sui Chro.* Præterea stupor membrorum, *Sigiber.* & ferè omnium vitalium priuatio, & quædam quasi perpetua somnolentia. Insuper truculentia vultus, & horribilitas, qui interdum à dæmonibus deformatur. Cuius rei spectaculum satis deforme referebãt dæmoniaca quædam, quæ vix naturæ humanæ suppositum apparebat: (adeò deformata erat eius facies ab exitiali hoste) quæ à Bernardo liberata est, vt legitur in eius vita, *lib. 2. cap. 4.* Non dissimile signum erit os spumans, & stridor dentium insolitus.

Præterea non mediocre signum sunt vires, 2
quæ excedere videntur facultatem hominum: maximè in personis aliàs imbecillibus, quæ actualiter vexatæ, facilè catenas frangunt, vestes facilè lacerant, onera ingentia portãt. Hæc omnia plus quam suspicionem, aut leuem coniecturã generant dæmonum inhabitantium: sed non vsque adeò infallibilia sunt, quin à causis naturalibus, aut morbosis affectionibus prouenire possint: sicut cruciatus extraordinarij, quos quidam patiuntur: v.g. si conijciant se in ignem, aut aquam, aut ex alto se præcipitent, aut alijs vijs vitam sibi adimere tentent, aut vulnerare præsumant: de quo latiùs disp. citata.

Quare nec contradico Medicos peritos consulere ac Religioni Christianæ deuotos. Peritos quidẽ, vt iudicare valeant, an prædicta signa potiùs sint aliquorum morborum, quã dæmoniacæ habitationis. Deuotos verò Religioni Christianæ: vt non irrideant dæmoniacos insultus; sicut quidã eorũ faciunt, putãtes deliramẽta esse, quæ de dæmoniacis dicuntur: omnia adscribẽtes morbosis apparatibus. Modò dũtaxat aduerto; dæmones aliquando latitare in obsessis sine vllis cruciatibus. Sic credunt quidam sapiẽtes, Anabaptistas quosdam hæreticos à dæ-

mone esse obsessos sine vllis cruciatibus. Esse autem obsessos inde coniectantur, quia quidam eorum postquam reiecta Catholica fide Anabaptistæ fiunt, mox post haustum poculum, aut sumptam buccellam, scitè sacras literas legunt, ac disserunt in concione de rebus diuinis, &c. Quidam sacra Biblia memoriter tenent. Rursus ijdem omnium quæ sciuerant obliuiscuntur, postquam ad fidem Catholicam redierint. Quæ signa dæmoniacorum esse inferius docebimus. Multo minus erit signum certum absentiæ dæmonis rarò cruciatus pati Metaphrastes in vita *Parthenij septima Februarij* narrat, quēdam obsessum à dæmonio per multos annos, de dæmonio nil suspicatum fuisse, neque ipsum, neque alios: donec præteriens Sanctus Parthenius se prodidit dæmon inhabitans. Et in vita *Sancti Germani* Fortunatus Episcopus, *capite* 27. narrat de quadam puella multis annis obsessa; nullam tamen molestiam sustinuerat à spiritu hoc solum communis hostis efficiebat, ne templum ingressurà progredi posset.

Metaphr.

Fortuna.

3 Sed ecce *certiora signa* demonstro: quando scilicet dęmoniacus lingua peregrina loquitur non vnum, aut alterum verbum: nam hoc garrulis euenire solet, sed continuatam orationem: maximè si verba inhonesta, iniuriosa, aut blasphema, siue impertinentia loquatur. *Secundum*, si occulta reuelet in proximorum iniuriam, Dei contemptum, aut futiliter sine necessitate. *Tertium*, si de rebus altissimis disserant idiotæ, aut legant, scribant, cantent artificiosè, cùm non didicerint. Hæc & similia ab inhabitante dæmone fieri certum est. Multòque certiùs si ad tactum reliquiarum, impressionem Crucis, aut rerum sacrarum visus clament, strideant, horreant, fugiant dæmoniaci. Et ideò à principio debet Exorcista quantum potest cogere dæmonem ad ista signa ostendenda; ligando latenter aliquod sacrum super ipsum, putà reliquias Sanctorum, vel schedulam continentem verba Dei: ad cuius præsentiam, si obsessus huius rei inscius, nouitatem ostenderit, erit signum diabolicæ præsentiæ.

Sed aduerte, propter detractores huius artis: dæmones obsidentes corpora humana, rarissimè loquuntur Latina, aut peregrina alia lingua; ne scilicet credantur ibi adesse: & etiam, quia vtuntur naturalibus instrumentis illorum, qui ab eis vexantur: & ideò dæmon obsidens idiotam, non facilè respondet Latinè: nec obsidens Hispanum facilè respondet Gallicè: quia lingua ad vnum idioma habituata, est illi obedientior, & ad motus illi placentes disposita.

4 Igitur præcedente diligenti consultatione prædicta: si exploratum fuerit, aut verò probabile, hominem à dæmone obsideri: accingatur Exorcista ad dæmonem, vel dæmones eijciendos: opus sanè arduum omnium opinione, & consensu. Hinc Apostoli admirabundi: *Domine* (inquiunt) *etiam dæmonia subijciuntur nobis*: & ad Apostolos Dominus: *Ecce dedi vobis* (non donum vulgare, aut futile, sed) *potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem potestatem inimici*. Et propter eiectionem dęmonum solo verbo: plerique Iudæorum opinati sunt eum esse Messiam. Et Luc. 9. in hanc vocem proruperunt: *Nūquid hic est filius Dauid?* Luc.9.

Exorcistæ igitur ad dæmones abigēdos multis ornari, multis armari debent ad potentissimos hostes profligandos. Et in primis, conscientiam mundando peccatorum confessione: hanc enim vt suis conatibus contrariam dæmones valdè oderunt. Ieiunia assumenda hortatu Christi Domini ad Apostolos dicentis: *Hoc genus dæmoniorum: non eijcitur, nisi oratione, & ieiunio*. Vbi etiam habes orationes feruidas esse fundendas pro incolumitate obsessorum, pro obtinenda victoria contra principes tenebrarum, pro impetranda gratia eiectiua dæmonum, pro fidei dono (quod est gratia gratis data) consequendo. Ita legimus aliquos Sanctos victoriam cōtra dæmones obsidentes obtinuisse. Nicetius Lugdunensis Archidiaconus vocatus ex Gallijs Romā, vt Leonis Romani Imperatoris filiam ab obsidente dęmone liberaret, noluit hoc opus aggredi, nisi post continuatum cùm vigilijs, & orationibus triduanum ieiunium. Et quarta die per inuocationem diuini nominis, & Crucis vexillum spiritum immundum fœliciter à corpore puellæ depulit. Ita Greg. Turon. *de gloria Confess. cap*. 63. Turon.

Exorcistæ itidem magnam fidem debent habere, non solùm quod Deus potens est dæmonia profligare, verum mediante eorum ministerio: insuper spem, ac fiduciam, id opus arduum efficiendi, non quidem innixam suis meritis, ac viribus: sed Dei potentia, ac bonitate. Cui spei, ac fiduciæ annexa erit profunda humilitas: cui acquirendæ multum proderit, si Exorcistæ secū reputent (quod verissimum est) in abigendis dęmonibus se habere vt mera instrumenta Dei; & per consequens nil posse sine eius auxilio. Quinimò non vt instrumenta infallibiliter operantia expulsionem præfatam dæmoniorum: sed tantū quando Deus voluerit ijs vti: vtitur autem quādoque, & quandoque non.

Hinc sequitur Exorcistas non debere in eiectione dæmonum quærere laudari ab hominibus, sed duntaxat Dei gloriam, & incolumitatē miserorum: ne perdant meritum, & incurrant peccatum, propter quod opus infœliciter succedat, & ipsi pœna graui plectantur. Sicut de quodam Exorcista narrat D. Gregor. *lib*. 1. *Dialog. ca*. 10. qui ob sibi arrogatam virtutem eijciendi dęmonia, à dæmonio ipse possessus est. Insuper, quia dæmones humiles ferre non valent: vt constat ex exemplo superius allato de sancto Paulo simplici, cuius humilitate confusus dæmon discessit clamās se simplicitate, & humilitate Pauli coactum fugere. Greg.

His instructi armis, & præcipuè flagranti Dei amore, impauidi opus hoc arduum aggrediantur: quia timidos dæmonia non formidant. Pro fœlici tamen inceptione, progressu, ac successu, aliquot aduertentias exorcistis ob oculos ponere decreui, vt ritè ac legitimè suo fungantur munere, & ad optatum perueniant effectum.

Primò

Prima aduertentia pro Exorcistis.

5 MOnendus est obsessus, si rationis est compos, vt exomologesi peccatorum purget suam conscientiam. Bono animo, ac fiducia sit, euadendi trucem inimicum, orationi incumbat, ieiunio vacet, (nisi debilitatus sit) & pietatem exerceat: ac denique ipsum debet instruere, vt se subijciat Deo, qui faciat quod ei magis gratum fuerit siue sanando, siue affligendo. Quod si quis quærat: an diuinissima Eucharistia sit ei porrigenda?

Quidam negant, dicentes, vexatos à dæmonibus non posse liberari, si communicentur existente super eos dæmone. Vulgaris assertio, ac impia, & sine vllo fundamento. Melius D. Th. *in 4. d. 9. art. 5. quæstiunc. 2.* ait communionem esse denegendam dæmoniacis, nisi certum sit pro aliquo crimine à diabolo torqueri. Cui Petrus de Palude sic addit, *in hoc casu pro excommunicatis sunt habendi, qui traditi sunt Sathanæ.*

D. Thom.

Palud.

Hinc infero, quod si qui possidentur à dæmone propter sua crimina, dummodo habeant lucida interualla, & vsum rationis, & postea cõterantur de peccatis suis, ac debitè confiteantur: nullatenus sunt repellendi à sacra communione Eucharistiæ: quinimò vt salutare remedium crebrò adiungendum, vt admonuit Cassianus *collatione 7. cap. 30.* his verbis: *Communionem sacrosanctam nequitiæ spiritibus traditam senioribus nostris nũquam meminimus interdictam. Quinimò etiam si possibile esset, quotidie impartiri eam debere, censebant: quã ad purgationem, tutelamq; corporis, & animæ peruenire, credendã est. Et quæ ab homine percepta, eum, qui in membris eius insidet, spiritum, seu in ipsis latitare conatur quodam exurens fugat incendio. Hoc namque modo curatum Abbatem Andronicum nuper aspeximus. Insultabit offenso: cum eum à cœlesti medicicina viderit segregatum. Tanto enim durius, & frequentius attentabit affligere: quantum eum ab spirituali remedio senserit longius abdicatum.*

Cassian.

Hæc Cassianus. Et D. Bern. hac medicina plures curauit arreptitios. A muliere Mediolanensi profligauit dæmonem, adiungens hanc orationem: *Adest iniq. spiritus* (inquit) *summa potestas, in eius virtute tibi præcipio, vt ab hac eius ancilla egrediaris.* Ita Boneuallensis *in vita D. Bernardi lib. 2. capite 3. vel 4.* Et Prosper Aquitanicus *lib. 6. de Sacerdotibus* eodem remedio liberatam fœminam docet. Et Brenderbachus *lib. 9. collatio capite 22.* de quadam puella idem ostendit.

D. Bern.

Boneual.

D. Prosp.

Brender.

Secunda aduertentia.

6 SAcerdos, aut Exorcista in eius absentia indutus sacris vestibus suo ordini conuenientibus, aut superpellicio, & stola accedat adiuraturus dæmonem, vtaturque exorcismis, qui sunt in vsu Ecclesiæ Romanæ, aut alijs Ecclesijs à pastoribus sapientibus gubernatis: deuitans alias exorcizandi formulas, in quibus multi abusus, multæ interdum superstitiones irrepsere. Caueatque Exorcista, ne immisceat verba ignota: nam hæc solent Magi adiungere sanctis verbis, & docere tantum suos discipulos, & secretò insusurrare in aures dæmoniacorum. Hæc omnia cauenda sunt: quia vehementem generant suspicionem pacti dæmoniaci: & iam pridem ea damnauit sanctus Chrysostomus. Chrysost.

Non autem scandalizetur quispiam, si andiat proferre exorcistã quædam verba, quæ auditori sunt ignota: quia interdum sunt nomina sancta Dei, aut Christi: quorum multa recenset Diuus Hieronymus *in epist. ad Marcellam. tom. 3.* quare immerito scandalizatur Paul. Ghirlandus *tractatu de sortilegijs* reijciens, vt superstitiosa ista nomina: *Agios, Otheos, Ysquiros, Athanathos.* Et ait, quod sæpius illa abstulit è manibus maleficorũ, & dicit ea significare, *Deus Acharon, Deus immortalis: & clarum est* (inquit ipse) *quod hoc nomen Acharon est nomen Sathanæ, siue Beelzebub.* Hieron. Ghirlan.

Fallitur Ghirla, aliàs doctus, & pius, nec eius expositio vera est, nec vsus horum verborum superstitiosus. Quod clarum est consideranti Ecclesiam Catholicam his verbis vti in die Parasceues ad implorandam Dei misericordiam. Consultius putarem ab omni vocabulo peregrinæ linguæ, vt Hebraicæ, vel Græcæ abstinendum; nisi sit in vsu frequenti fidelium, vt *Kyrie eleison*, & similibus: tum propter scandalum multorum ignorantium significationem eorum verborum: tum, quia vix Exorcista poterit ea verba cum perfecto stridore sonare. & facilè erit in barbara verba declinare. Certè quodcunque Dei nomen, quæcunque preces, quiuis adiurandi modus in lingua Latina, aut vulgari, non minoris efficaciæ est aduersus dęmones, quàm verba Hebraica, Chaldæa, aut Græca: quare ab iis abstinendum propter rationes allatas.

Tertia aduertentia.

NOn solùm exorcismi adhiberi solét, & debent: verùm & alia media, quæ superius diximus valdè conducere ad dæmones fugandos: putà Sanctorum reliquiæ, Crux, aqua benedicta, cereæ imagines (quas Agnus Dei vocamus) aliquot amulleta, id est schedulæ, continentia nomina, & verba sancta, absque vlla admixtione superstitionis. 7

Circa quæ, maximè circa applicationem reliquiarum, sit cautus Exorcista: quia interdum dęmones simulant se timere ea, quæ non sunt veræ reliquiæ, vt imminuant fidem verarum reliquiarum: & aliorum mediorum ab Ecclesia vsitatorum. Quare debet adstantibus propalare has astutias: similiter docere non esse necessarium, vt semper istis medijs fugentur dæmones: sed quando Deo benè visum fuerit: iuxta ea, quæ docui in primo membro huius tractatus agens de efficacia horum mediorum.

Quarta aduertentia.

8 DÆmoniacorum *quidam* ante ingressum dæmoniorum laborant quibusdam morbis melancholicis, aut quibusdam maniæ speciebus: v.g. morbo caduco, lupina insania, & huiusmodi. Dæmones autem, qui huiusmodi insidiantur, vt paratioribus ad desperationem, & in[illegible]iam, tales occupant, & mediantibus illis morbis torquent, ac vexant. *Alij* sunt, quos morbosis succis, aut qualitatibus, suo ingressu afficiunt, ac eisdem miseros arreptitios affligunt. *Tertij* sunt, quos per solum motum localem constructionis, aut dilatationis membrorum plus nimio affligunt.

Omnes hi ingenti mœstitia perfunduntur: maximè *duo priores*: & ideò vtile censeo sine scrupulo superstitionis (vt quidam nimis timidi censent) vti quibusdam naturalibus remedijs ex præscripto Medicorum contrarijs melancholicis morbis, aut affectionibus: non quia hæc habeant vim pellendi dæmonia, vt docui disputatione vltima primi mẽbri: sed quia dum aduersantur melancholicis morbis, aut mœstitiæ conceptæ ex afflictione dæmonum, alleuiant magna ex parte à cruciatibus miseros obsessos, faciuntque leuius ferre, & aliquando vt dæmones inhabitantes sponte recedant propter ingratam habitationem: sunt enim sibi grati melancholici, mœsti, ac desperati homines.

Quapropter consulerem ego non solùm hos vti pharmacis destinatis contra eos morbos, quos patiuntur, verùm & gestare lapides pretiosos, herbas, radices, & huiusmodi: quæ iudicio Medicorum melancholiam sanant, aut mitescere faciunt, aut lætitiam conciliant, vt superius docui ex Diuo Hieronymo. Insuper adesse musicæ festiuæ, & hilari, exemplo Saulis, qui audita cythara Dauidica leuius ferebat dæmonis molestias: modò musica sit honesta, læta, aut de rebus diuinis, aut indifferentibus. Nam cantilenæ, aut saltationes obscœnæ, inhonestæ, aut leuitate plenæ, potiùs retinent dæmonia, quàm eijciant.

Et propter eandem causam quidam non inutile iudicãt balneis vti: quia (vt aiunt periti Medici) melancholici morbi (quales plerunque sũt, quos dæmon arreptitijs conciliat) nullo auxilio magis quàm balneis curari solent. Nec superstitiosum censuerim id, quod ab Hippocrate, *libro de morbo sacro* notatum est, à cibis quibusdam abstinendum, velut ex marinis, à Mulio, & Melauro, Mugilique, ac Anguilla. Ex *carnibus* verò; à caprina, ceruina, suilla, ac canina. Ex *volucribus* à gallo, turture, ac otide. Ex *oleribus* à menta, allio, & cepa. Nec in caprina pelle decumbendum, neque eandem gestare oportere. Omnes hi cibi ob crassitiem, aut melancholicum substantiæ modum, aut acrimoniam, noxij sunt melancholicis. Nigro Indui pallio, aut pelle caprina similiter. Abstinentia ergo à prædictis medetur affectionibus melancholicis, quibus dæmoniaci abundant: & ob id aliquo modo alleuiant obsessorum molestias: quare vtile erit ab eis cauere.

Demum aduertendum est valdè pium, ac vtile esse, omnia, quæ mandenda, aut bibenda sunt à dæmoniacis, benedicere, non solum vulgari benedictione, quàm ante cibum, & potum quique morigerati fideles solent præmittere: sed etiam benedictionibus specialibus in Sacerdotali cõpositis pro quacunque re peculiariter benedicenda. Præcipuè autem benedicenda, & exorcizanda est aqua bibenda: quam efficacem ad dæmones fugandos celebrauit antiquitas, vt superius docui, & experientia compertum est. Diuus Bernardus aquam benedictam bibendam dedit puero obsesso; per triennium bibit, & liberatus est. Idem de alio dæmoniaco narrat Surius *in historia inuentionis sancti Celsi. cap. vndecimo, tomo septimo*: & de sancto Laurentio Dublinensi, poculo aquæ benedictæ aliũ sanasse refert *tom. 6. in eius vita*. Surius.

Quinta aduertentia.

10 QVidam Exorcistæ solent dæmoniacis applicare quædam graue olentia: vt eorum suffitibus dæmones inhabitãtes torqueantur: v.g. suffitum cornu, aut stercoris caprini, rutæ, & similium. Nec laudo, nec reprobo, fortè consuetudo tolerãda est: vel quia hi suffitus (licèt à dæmonibus, qui olfactus expertes sunt non percipiantur, vt afflictiui) tamen quibusdam maniæ speciebus mederi solent: ac proinde dæmoniacos quodammodo à melancholia alleuiari, iuxta dicta in præcedenti aduertentia.

Vel vt alij existimant, quia dæmones, vtpotè superbissimi, hæc in sui contemptum exercita, ægrè ferunt. Leuis coniectura, leue remedium, quia alia medicamina contra atram bilem suauiora, & efficaciora, & licet superbissimus hostis sit: scit ista irridere. Quare si volueris hoc remedio vti: cautus esto, & temperatè vtere: ne dum putas dæmonem torquere: miseris obsessis nouas torturas adaugeas.

Sexta aduertentia

VErsabitur circa verba, quibus Exorcista debet dæmonem impetere: caueatque ne cum eo alios sermones misceat, nisi quos iudicauerit necessarios ad dæmonis eiectionem. Quæcunque alia confabulatio cum exitiali Dei hoste illicita est, & periculosa, & ad minus veniale peccatum.

Poterit ex parte Christi interrogare potestatiuè, vt dicat, Vtrum sint multi, vel pauci obsidentes, nomẽ eius, & sociorum. Exemplo Christi Domini Matth. 5. interrogantis dæmonem: *Quod est tibi nomen*? Ad eius imitationem Theodorus Archimandrita (teste Georgio presbytero *in eius vita*) præcepit dæmoni, qui viginti & octo annis puellam quandem miris, & occultis modis torserat, vt se proderet.

Licet interrogare causam ingressus: vt hac (si tolli potest) remota, minor sit spirituum in homines potestas, faciliusque pelli possint. An ibi dæmon, vel dæmones sint ligati aliquo pacto, vel maleficio, & quomodo illud possit destrui.

Quis eorum sit princeps in isto corpore. Si talis persona sit verè vexata, & à quo tẽpore. Per quã personam sint expellẽdi. Qui sunt sibi magis inimici in cœlo. Licet etiam signum discessus sui pöstulare: vt de obtenta victoria constet, & similia. Denique omnia, quæ viderit expedire ad eorum expulsionem. Non tamen erit licitum à dæmone interrogare aliquam veritatem; neque de rebus naturalibus: v.g. virtutem talis herbæ, aut lapidis pretiosi, solutionem dubietatis Physicæ, Medicinæ, aut Astrologiæ, neque de rebus diuinis, aut supernaturalibus: neque licet interrogare de furtis, adulterijs, & alijs occultis: taliũ interrogatio periculosa & illicita est, pertinens ad societatem dæmoniacam.

Septima aduertentia.

11 VLtra præcepta, quæ in exorcismis à Romana Ecclesia in sacerdotali exarata sunt ad imperãdum dæmonibus, vt à corporibus hominum egrediantur. Pauca superaddenda erunt, ne Exorcista vltra modum suæ potestatis extendatur. Quapropter, quia quandoque dæmoniacus non sustinet, aut non vult audire exorcismos, vel quando multis exorcismis vexatus dęmon non vult recedere: præsumitur alios dæmones forinsecus aduenire in adiutorium obsidentis, vel obsidentium: licitum erit in virtute à Christo tradita, adiuuantes nõ minus quàm adiuuatos adiurare: præcipiendo ne vllum auxilium, vel fauorem obsidentibus impertiantur. Licitum etiam erit, iubere & indicere silentium: maximè quando garriunt in astãtium, vel aliorum iniuriam. Imò etiam si loquantur veritates certissimas, non sunt audiendi. Exemplo Saluatoris, Marci *primo*, & Lucæ *quarto*. vbi dicitur dæmonem per os obsessi clamasse: *Scio quod sis Sanctus Dei*. Cui Dominus: *Obmutesce, & exi ab homine*. Ex quibus verbis documentum salubre nobis datur nunquam audiendi dæmonem etiam vera dicentem: quia si paratos, & auidos videat auditores: veris falsa intermiscebit. (Marc. 6. Luc. 4.)

Quapropter isti Exorcistæ, qui cum dæmonibus coram multis adstantibus prætexunt varias, & prolixas confabulationes, sine vrgenti necessitate: non abs re pacti dæmoniaci suspecti sunt. Et quandoque post multos cum dęmone sermones, ad suum tribunal tali die, & hora iubent venire. Et in signum futuræ assistentiæ aliquod sensibile signum edere. Quid inde? adstantes, percupidi audire, & videre aliquid noui: hora, & die statutis accurrunt audituri. Quod valdè cupit dæmon: habere, scilicèt auditores, quibus si non prima vice, alijs saltem persuadet aliquod mendacium velo veritatis occultatum.

13 Quinimò aliquando dæmon dicit, se esse animam alicuius defuncti implorantem auxilium Missarum, orationum, & huiusmodi: vt decipiat vulgus rude, & simplices Christianos: non est audiendus, neque illi adhibenda fides: quia vt superius docui in disputatione prima secundi mẽbri, animæ hominum non possunt intrare hominum viuorum corpora, vt vexent: dæmon est, qui loquitur, & suadet opera pia: vt sub virtutis prætextu simplices decipiat varijs, & miris modis, quos ignoramus.

Mirabile exemplum de hac re narrat Ioannes Iacobus Vvekeius in hũc modum: *Monachus quidam Abbatiæ Knechtestein integer, & simplex agitabatur multis modis circa annum Domini 1550. à quodam spiritu: nam interdùm vehebatur sub tectum; interdum supra campanile, plerumque transferebatur per murum: quandoque proijciebatur in piscinam. Tandem causam tam diutinæ vexationis explicuit spiritus nequam dicens se esse Abbatem Matthiam ante multos annos mortuum, & sepultum, & ob id torqueri, quod suspensam D. Virginis effigiem exquisitè depingi curauerit; nec fuisse satis factum pictoris laboribus, & impensis, qui inde iacturam senserit, ac sibi ipsi vim fecerit. Tota hæc narratio verà fuit. Subiungebat spiritus ille hoc delictum non posse expiari, nec se vlla ratione liberari, nisi Monachus ille, qui torquebatur, peregrinationem susciperet ad quadam templa deuota, quæ ipse designabat, atque ibi tres Missæ de Trinitate scilicet, de B. Virgine, & de tempore recitarentur. Consulti sunt Theologi Colonienses, & annuerunt. Insuper & Monachi magnis clamoribus postulabant ab Abbate, qui tunc præerat Monasterio, non bis, aut semel, sed pluries. Ipse verò Abbas vir acriori ingenio, ac maiori doctrina imbutus quàm cæteri, noluit acquiescere petitionibus: sed potius vbi dæmonem perseuerare, nec Monachum illius illusionibus satis fidenter resistere animaduertit: ipsum demum hortatus est, ne pronas offerret aures Sathanæ, quod si offerret; minitatus est se illum flagris in publico capitulo seuerißimè casurum. Quapropter spiritus nequam videns suos irritos conatus ob Abbatis constantiam, & animum Monachi magis erectum fiducia in Deum aduersus fraudulenta dæmonis studia, recessit.* Iridem apud Cæsarium legitur dæmonem quendam familiarem (vt vocant) à quodam milite clientulo suo pro mercede pepigisse quinque solidos, & iussisse ex illis pauperi cuidam Ecclesiæ campanam emi; qua diebus Dominicis fideles ad Missam conuocarentur: haud dubiè latebat fraudis aliquid, & spes lucri maioris: quod nescimus; scimus autẽ spiritũ nequam, nil nisi peruerso fine peragere: quapropter nullũ etiam bonum opus eorum, quæ suadet facienda operi mandanda sunt: nec Religiosus Exorcista patietur dæmonem per obsessi verba aliquor, nisi ad legitima interrogata respondendo effutire. (Vvekeius. Cæsarius.)

Similiter non licebit Exorcistis præcipere Lucifero, & potestatibus infernalibus, vt dæmones obsidentes contumaces, & Exorcistis inobedientes educant cum tota sua societate à corpore obsessorum, eosque excrucient in Inferno. Hoc dictum est contra fratrem Hieronymum Mengum Vitelianensem in opusculo vocato *flagellum dæmonum documento 4.* Sed *probatur* nostrum assertum; quia non licet vti opera dæmoniorum etiam ad vitanda mala, ergò neque opera Luciferi ad expellendum obsidentem dæmonem. *Confirmatur.* Quia modus iste eijciendi dæmonia per aliorum dæmoniorum inuocationem, aut iussionem, proprius est Magorum, & Incantatorũ: ergo pius Exorcista neutiquam debet illum exercere. 14 (Mengus.)

15 Præterea *aduertendum*. In quibusdã exorcismis video formulam præcipiendi dæmonibus hæc, & illa, sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, & sub pœna immersionis in stagnum ignis per annos mille. Modus iste displicet: nam *prior pœna* excommunicationis dæmonibus non quadrat: cùm enim ipsi non sint participes communionis Ecclesiæ, neque in pœnã possunt ea priuari: hoc enim est excommunicatio: tum etiam, quia excommunicare ad claues pertinet, quæ erga dæmones non se extendunt, sicut neq; ad animas à corporibus separatas. *Secunda* verò *pœna* de immersione in stagnum ignis, & sulphuris per annos mille: verba sunt deprompta ex *cap.*
Apoca. 20. *20. Apocalypsis*, vbi sic dicitur: *Et vidi Angelum descendentem de cœlo habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui vocatur Diabolus, & Sathanas, & ligauit eum per annos mille*: & circa finem capitis: *Infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis*. Quæ verba intelligenda sunt de Christo mittente in abyssum principem dæmoniorũ, vt ex Gre-
Ribera. gorio, & Augustino interpretatur Franciscus à Ribera super eũ locum. Sed inde non colligitur, Exorcistas eam habere potestatem erga dæmones obsidentes. Fortasè poterunt relegare in desertum sicut Tobiæ 8. narratur de dæmone Asmodæo ligato ab Angelo Raphele in deserto Ægypti: similiter & ejicere extra Regionem. Sed includere in abyssum pertinum ad Christum propter potestatem excellentiæ, quæ data est ei in cœlo & in terra. Hi autem Exorcistæ, qui ex simplicitate, aut quia ita à maioribus didicerunt, hac forma excommunicandi vtuntur, excusandi sunt, ac interpretandi.

Cum enim inter Ecclesiasticas pœnas omniũ maxima sit excommunicatio, & Ecclesia in dæmones tanquam in contumaces hostes ius à Deo habeat: quando eos excommunicant Exorcistæ, summam illis pœnam comminãtur, & illis summè exosam, nempe relegationem in abyssum, vel extra regionem, vel quid simile: de quo supra. Videatur *liber secundus vitæ* D. Bernardi *ca. 6.* sed tamen melius est à nomine excommunicationis abstinere propter sapientes, qui non vocant talẽ relegationem, excommunionem, neque ita vocari debet.

Octaua aduertentia.

16 Modus adiurandi & imperandi dæmonibus, vel eos interrogando, debet esse vehemens, durus, & nullatenus amicus. Tum, quia superbissimus hostis vix potest ferre ab hominibus tam imperiose tractari: tum quia in hoc sequemur exemplum Christi Domini, Apostolorum, & alio-
Matt. 7. rum Sanctorum. De Christo dicitur Matth. 7. *Et*
Marc. 9. *increpauit illum* (dæmonem) *Iesus*. Et Marc. 9. cõminatus est spiritui immundo dicens: *Surde & mute spiritus ego præcipio tibi vt exeas ab eo*. Et de Apo-
Actor. 16. stolis, præsertim de D. Paulo, *Actuum 16.* legitur, quod adiurans spiritum nequam dixerit: *Præcipio tibi in nomine Iesu exire ab eo*. Et de sancto Lauren-tio Iustiniano Venetorum Patriarcha refert Ber- Bernardus
nardus Iustinianus *in eius vita*, quod dæmonem Iustinia.
spumantem ore, & dentibus frementem durius increpauerit, & quasi probrum obiecerit, quod infirmam mulierem fuerit ingressus. Et ratio ad idem suffragatur: quia ad exitiales humani generis hostes, quomodo debet esse mitis, ac amicabilis sermo?

Fortasse ex his inferunt quidam, dæmones ab 17
Exorcistis esse impetendos conuitijs, ac maledictis, tanquam Christi, & hominum hostes; non abnuo: quia hæc in sui dedecus & opprobrium exercita, ægrè fert dæmon, & fortasse his irritatus aliud sibi gratius quæret domicilium. Vnum non concesserim contra quosdam asserentes dæmonibus esse imponenda nomina irrisiua, vt si vnus vocetur stabularius, alter pistor Beelzebub, alius coquus Acherontis, & similia epitheta, vt confusi discedant. Credo tamẽ his ludicris epithetis, potius detineri dęmones, quàm expelli: quia his auditis adstantes in risũ cõuertuntur, & spectaculũ lacrymis dignum, & ad compunctionem, & orationem prouocatiuum, fit occasio iocorum, ac cachinorum, quod valdè amant dæmones, & nõ solet fœliciter cedere Exorcistis his facetijs, vt Nider.
narrat Ioannes Nider *in formicario ca. 11.* Nec vnquam legimus his epithetis facetosis Sanctos in expulsione dæmonum esse vsos. Verbis durioribus, sed grauibus eos increparunt. Sanctus Bernardus appellabat Bestiam cruentam, alij draconem, serpentem, furem. Prudentius Poeta Chri- Prudent.
stianus sic.

Intonat Antistes Domini: fuge callide serpens
Exue te membris & spiras solue latentes,
Mancipium Christi, fur corruptissime, vexas.

Facit etiam pro hoc, quod refert Athanasius de Athanas.
D. Antonio increpante dæmones. Alij insusurrãt auribus dæmoniacorum illud *ex cantico* Moysis: *Deum, qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui*.

Nona aduertentia.

In hoc opere arduo pellendi dæmones nõ debet Exorcista suis confidere viribus, aut 18
sapientia: quia eiectio dæmonum, opus est mirabile, soli Deo vt causæ principali adscribendum: exorcizanti verò vt mero instrumento, quo vtitur Deus quando & quomodo vult; non enim est volentis, neque currentis, sed Dei quando vult miserentis. Aliquando autem non vult ministerio huius Exorcistæ id perficere, sed alterius, qui ob id non debet de se præsumere, iuxta illud: *Numquid gloriabitur securis contra secantem se?* Huiusmodi autem inanem præsumptionẽ, & media extraordinaria ex ea emanantia, solet Deus punire: vt videre licet *in formicario* Ioannis Nider *cap. 11.* Ex dictis tamen nõ Nider.
inferas me asserere, omnibus æqualem suppetere gratiam eijciendi dæmonia: licèt enim omnibus Exorcistis æqualis in sua ordinatione collata sit potestas abigendi dæmones per adiurationem: quia tamen vsus huius potestatis consistit in Dei motione volũtaria ac libera largiẽtis sicut vult & quan-

quando vult, aliquibus frequentius eam confert quam alijs, vel quia melius se disponunt ad eam recipiendam, vel propter secreta iudicia suę prouidentiæ, de quo superius *disputatione 4. primi membri.*

Quare non reprehenderim eos, qui agnoscẽtes se hoc diuino munere magis donari, quàm alios, frequentius officium exorcizandi exercent: nec eos qui auidius obsessos adiurãdos eis committunt. Hoc dixerim contra Petrum Ciruelo Canonicum Salmantinum *in opusculo cõtra superstitiones p.3. cap.* 8. vbi oppositum huius conatur persuadere. *Ciruelo.*

Decima aduertentia

19 EXorcista debet habere patientiam, & perseuerantiam non mediocrem in conіuratione, ne scilicet desperet de victoria obtinenda, quamuis videat dæmones reluctari & nolle egredi, caueatque ne dæmon agnoscat in eo aliquot signa diffidentiæ fœlicis euentus: quia superbissimus hostis insolescet, & nitetur obnixè non egredi ab obsesso. Sæpe adiurãdus est dæmon per singulos ferè dies, & qualibet vice molestè nimis per quatuor, aut quinq; horas: exemplo Sanctorum, quibus contigit insudare per multos dies, ac menses in vnius obsessi liberatione.

Pro cuius aduertentiæ ampliori intelligentia notandum, præcepta adiurantium aduersus dæmones nullam habere coactiuam vim, nisi quam Deus his præceptis largitur: & quãuis Deus possit Exorcizanti communicare vim, vt statim ad eius præceptum dæmon eijceretur, non semper talem vim communicat: sed interdum sinit dæmonem in sua libertate, vt velit obedire, nec ne: sicut & homines quibus Deus aliqua præcipit Sed tamẽ sicut hominibus adhibet stimulos, vt velint obedire per prædicatores, adhortatores, & huiusmodi: ita etiam spiritibus nequam stimulos addit, quibus vrgeantur obedire Exorcistæ nomine Dei præcipienti egressum: stimuli sunt, aqua benedicta, effigies Crucis, reliquiæ adhibitæ: stimuli etiam sunt, exorcismi, quibus affliguntur, interdũ gradatim ac paulatim, sicut igne infernali posset fieri, & sicut posset homo torqueri vt cederet loco. Sed aliqui dæmonũ sũt duriores, & ad sustinendas afflictiones fortiores: qui adhuc perseuerant illis inflictis torturis. Si tamen finaliter nõ cedunt: vim coactiuã Deus exorcismis largitur, quãdo iudicat expedire; quã posset date in principio si vellet, nec posset dæmon resistere ei: quare instanter & importunè debet perseuerare Exorcista, exorcismos iterum atque iterum, imò sæpe iterando, & orando Deum, vt vim suam eiectiuam illi impertiatur ad hostes exitiales profligandos. Quod si post magnam perseuerantiam adiurationes non sortiantur optatum effectũ, patientiã habeat, & det laudẽ Deo: qui sicut dedit Sacerdotib⁹ ac fidelib⁹ potestatẽ dęmones adiurãdi, interdũ nostros exorcismos nõ vult habere fœlicẽ euẽtũ, nec in egressu obsidẽtis dęmonis, nec in manifestatione sui nominis, aut alijs, quæ illis præcipiũtur: hocque facit propter multas causas, quas ad lõgũ enumeraui supra: & modo sũmatim dico, propter paruitatẽ fidei circũstãtiũ, aut ipsũ obsessũ offerẽtiũ, vel propter peccata vexatorũ, aut propter negligẽtiã, aut aliquod vitiũ in fide ipsorũ Exorcizãtiũ, aut propter purgationẽ, aut meritũ patiẽtiũ vexationẽ; quos esse viros iustos interdũ cõtingit à Deo afflictos illo ingenti malo pœnæ; à quo Deus nos liberet: demum propter Dei iudicia hominibus ignota.

Quapropter qui prædictis licitis remedijs liberari nõ valẽt, ad patiẽtiã, & tolerãtiã cõmonẽdi sunt in remissionẽ suorũ peccatorũ, & ne ad illicita remedia contra Dei voluntatem recurrant: ne eis deteriora cõtingãt, nõ solũ in anima, verũ & in corpore: sicut sæpè cõtingere consueuit his, qui videntes licita remedia non profuisse, ad illicita recurrunt.

Vndecima aduertentia

VErsabitur in explanandis astutijs, quibus conantur dæmones obsidẽtes Exorcistas decipere: de quibus agitur in *Sacerdotali cap.* 8. 20

Quærit dæmõ sæpe quãtũ potest latere, & à loquutione vel tremore continere: interdum ne deprehendatur in homine adesse, interdum vt videatur fortis & impauidus stare ante Exorcistã, vt sic desperet de victoria cõtra illũ. Si verò cogitur virtute diuinorũ verborũ tremere: caueat Exorcista ne loquatur dæmõ interius ad mẽtẽ obsessi: q; si interius loqui cogitur: caueat ne ipse per os loquatur obsessi: & ideò Exorcista arreptitiũ moneat sibi dicere quidquid interius dixerit versipellis; ipsum verò frequenter adiuret vt ad interrogata respondeat.

Vbi vero dæmõ fuerit coactus exterius loqui: quærit quãtũ potest auertere mentem obsessi à verbis, quæ legũtur, & similiter mentẽ suã. Quærit quoque attentionẽ Exorcistæ perturbare per verba scurrilia: per gemitus, per clamores, vel excitando adstantes ad risum, & similia. Et ideò Exorcista cognita malitia, conetur ad oppositum, & semper imperet hosti virtute Dei, vt desistat ab hoc, vel illo, &c. Nonnũquã etiã, cũ mulier quę adiuratur fuerit iuuẽcula, fingit se ægre ferre Sacerdotẽ tangere vultũ eius; cũ tamẽ cupiat, vt vehementius tangat, & inde fœminæ accrescãt libidinosæ cogitationes: & ob idẽ fingit se ægrè ferrẽ Exorcistam, dũ loquitur, nimis appropinquare ori: intẽdit autem astutus hostis, vt vultũ vultui magis appropinquet: & ideò Exorcista oculis, & manibus, & omnib⁹ motibus exhibeat se pudicum, & cautũ, nõ solũ propter se ipsũ, sed etiã propter offensã, & adstantes.

Solent etiam subtrahere se ab ore obsessi, in quo loquebantur, & abscondere in corde, vel alijs partibus: Sacerdos autem conetur spiritum retinere: ad quod valde conducunt ista verba: *Ecce Crucem Domini, fugite partes aduersæ*: cum signo Crucis super frontẽ, vel caput obsessi, & ille Psalmus: *Vsquequo Domine obliuisceris me in finem*: & similiter debet præcipere potestatiuè, vt hæc & illa faciat ac respondeat.

Præterea debet iubere Exorcista exitum omnium dæmoniorum, & ne introducant ex-

pulsos, sed tota acies damnata exeat nunquam reditura. Postquam verò exiuerint (vt Christus Dominus in Euangelio dixit) quærunt denuò intrare, & varijs modis tentant liberatum, etiam minimis, maximè circa honestatem: quia interdum etiam pro venialibus reingrediuntur. Et ideò persona liberata vigilet, incumbatq; orationibus per multos meses, & frequentissimè communicet, saltem omni die festo: & si est persona coniugata socium ad continentiam quãtum potest per aliquod tempus inducat: quod si nequit persuadere, saltem ipsa non sit libidinis causa: aliàs fortassè denuò fatigabitur.

Solent etiam dæmones post egressionẽ (quãtum valent) persuadere personam liberatam non fuisse obsessam ob id videlicet vt sit Deo ingrata, & iterum à dæmone possideatur. Solent etiam egressi quantum possunt persuadere ne credantur egressi propter rationem factam, nec illis difficilis est suasio per aliquot effectus, quos relinquunt, aut imprimunt corpori. Sed contra hos Sacerdos lectitus exorcismos præcipiat eis in virtute Dei ne ostendant se obsessores esse, si non sunt: & liberatũ moneat pro virili ad credendũ se liberatum, & Deo gratias reddendas. In coniuratione autem vbi senserit serpentem sub manu consecrata contremiscere: mandet obsesso, vt quæcumque spiritus sibi dixerit manifestet, & vbi spiritus cœperit loqui in obsesso, incipiat illum iterum adiurare de supra dictis, interrogando vt videbitur necessarium.

22 Postquam autem Exorcista habuerit à dæmonio omnem cõfessionem expetitam, semper adiuret illum vt exeat; & post singulas adiurationes debet interrogare, an velit exire. Quando verò dæmon dicit, se velle exire: debet Sacerdos præcipere, vt nullum ex socijs in obsesso relinquat, neque amplius ad illum reuertatur, & super hoc exigat promissum: nec tamen cum hoc vel aliud præceperit Sacerdos, statim cedat, si dæmon obedire recusauerit, sed verbis, præceptis, & adiurationibus iteratis, & stimulis, & importunitate, ab eo exigat obedientiam. Super omnia verò semper conetur, vt diabolus nõ habeat requiem, semper eum vrgendo, vel lectione, vel præceptis, vel alijs modis, de quibus diximus: valde attendens, ne labatur ad colloquium curiosum: quia diabolus ex hoc magnas vires assumit, spiritus autem Sacerdotis vel perditur, vel remmittitur.

Duodecima aduertentia.

23 ABsque vrgenti necessitate non debet Exorcista adiurare quempiam in domibus priuatis: maxime si ibi adsint fœminæ, quæ meticulosè, & facilè credunt quæ à dæmonio dicuntur. Locus magis cõgruus est Ecclesia, vbi Sanctorum reliquiæ, Cruces, imagines, res sacratæ: quæ omnia exosa sunt dæmonibus, & quæ horrescunt, maximè sacram Eucharistiam: orationes itidem fidelium in Ecclesia benignius exaudiuntur ac denique locus ipse propter multas causas dæmonibus inuisus est: & ob id beatus Bernardus pulsurus dæmonẽ difficilẽ ac ferocẽ, ad Ecclesiã dæmoniacũ adduci iussit, vt ipsũ dęmonẽ cõmodius aggrederetur. Videndus est Chrysostomus. *homil. 4. contra Armenos* de hac re, vt in more habet, concionans. Idem dico de tempore exorcizandi omne scilicet esse opportunum, sed expedientius eligere sacratius: vt id in quo præclara Christi mysteria celebrantur: & summo mane post Missam, tempus magis opportunum est. *Chrysost.*

Decimatertia aduertentia.

CAueat Adiurator, ne tempore adiurationis solus cum dæmoniaco præsumat permanere. *Tum*, quia dæmones 24 obsidentes solẽt sic efferare obsessos: vt nisi adsint, qui vexatos teneant, ac manibus apprehensos detineant, maxima cum difficultate adiurari poterunt: *tum*: quia inter ministrum & obsessum posset oriri aliquod scandalum à dæmone ferociente: *tum tertio*, quia quando adsunt personæ deuotæ orãtes pro dæmoniaco, facilius dæmones cedunt: quod si vexata persona fœmina sit, & non vsque adeò annosa, multo minus Exorcista solus cum illa permanere debet, neque in domibus priuatis, neque in Ecclesia, ne sibi periculum animæ, aut famæ concilient.

An autem obsessi sint publicè exorcizandi, vel priuate, id est ianuis apertis, aut clausis; diuersæ sunt sententiæ. Quidam, vt Mengus citatus asseruit publicè ianuis apertis. *Primò* exemplo Christi Domini, qui pręsẽte turba dęmoniacos sanabat, *Matthæi* 17. *Marci.* 9. *& Lucæ.* 11. Idem etiam legimus de multis Sãctis, de Diuo Bernardo, de D. Dominico, & alijs. *Secundò*, quia ordo exorcistarum inter Ecclesiasticos computatur: Ecclesia autem in occulto nil operatur. *Tertiò*, propter bona spiritualia, quæ ex publica adiuratione proueniunt, ac subinde non debent impediri: ibi enim nequitia dæmonis inspicitur; & ipse odio habetur; fides roboratur; Dei misericordia & potestas manifestatur; & sæpe homines improbi conuertuntur, & currunt ad expianda peccata per confessionem, & multa alia bona inde possunt prouenire. *Mengus.* *Matth.* 17.

Alij censent ianuis clausis, & semota turba dæmoniacos esse exorcizandos: inter quos Petrus Ciruelo Canonicus Salmantinus *de superstitionibus p.* 3. *cap.* 8. Mouetur potissimè: quia dæmones valde cupiunt numerosum auditorium habere, vt ipsi multa vana, plura mendacia, subtiles deceptiones, miscendo falsa quædam multis veris, effutiant, ac quædam superstitiosa sub prętextu deuotionis, aut pietatis persuadeant: insuper occulta crimina in proximorum iniuriam reuelant. Præterea conantur cogitationes prauas excitare, fingunt quosdam ex adstantibus metuere tanquam sanctitatẽ pollentes, vt vanæ gloriæ crimen incurrant: alijs cogitationes turpes excitant. Igitur vitanda sunt omnia hæc ab adiuratore nõ exorcizando dæmoniacos publicè.

In hac re dicam quod sentio verum esse. Non sunt admittendæ, vt intersint adiurationibus mulieres: tum quia pronæ cùm sint ad credulitatem superstitiosam, facile erit vt dictis dæmo-

dæmonum per os obsessorum loquentium fidem adhibeant, & decipiantur: tùm ne pauore terribilis spectaculi consternatæ, animæ deliquium patiantur; aut (quod aliquando euenit) morbo caduco, aut dæmonis ingressu corripiantur.

Non sunt itidem admittendi inepti quidam blaterones, ac otiosi, qui omnis pietatis, & deuotionis expertes ad huiusmodi spectacula auidè conueniunt, ac si ad choreas, aut comœdiam inuitarentur, vt vacent chachinis, vocibus minacibus aduersus dæmones, & huiusmodi. Non sunt etiam admittendi quidam, qui se sapientiores iactantes, curiositatibus vacant, vt censuram suam proferant, & quid calumnientur, inueniát. Sunt igitur accersiendi viri pij, religiosi, compassiui, orantes pro liberatione obsessorum: cæteri verò eminus adstent, si volunt orationibus instare, & non alias.

Ad illud verò, quod obijcitur ex Christi & Sãctorũ factis, *resp.* Sãcti per copiosã gratiã poterant dæmonibus infallibiliter silentiũ indicere, ne sequerẽtur mala cõmemorata: præcipuè Christus, Dominus qui omnibus istis incommodis obuiare poterat alligando dæmonum potestatem, ne in adiutorium virus aliquod euomeret: secus de alijs exorcistis.

Decimaquarta aduertentia.

26 HÆc, quæ dicta sunt, intelligenda veniunt secundùm regulas communes, à quibus Exorcistæ nec latum vnguẽ communiter discedere debẽt: at verò nõ ob id censere debemus manum Domini abbreuiatam esse, quin aliquibus viris, aut sanctis fœminis alijs medijs ac vijs, concessum fuerit dæmonia expellere: quas imitari, communes Exorcistas non consulerem: verbi gratia, pede conculcare obsessos. Sic fecit aliquando Diuus Bernardus; ita habetur *in eius vita, capite quarto, lib. secundo.* Similiter & alapis dæmoniacos cædere. Sic fecerunt Diuus Benedictus, & Sanctus Hubertus, quia alapis inflictis, dæmoniacos quosdã liberarunt. De hoc Surius *tertio Nouembris in eius vita.* De illo D. Gregorius 2 *dialog. cap.* 30. & de alijs Sanctis idem legitur. Hoc non docerem imitandum à communibus exorcistis.

D. Bern. D. Bened. Surius. Gregor.

Flagella à Sanctis sæpè applicita lego, præcipuè à Theodoro Archimandrita, qui obsessam post flagella per comam apprehendit, & Cruce facta dæmonem fugauit. Et de eodẽ narrat Georgius presbyter *in eius vita apud Metaphrastem,* quod cum puer adhuc esset, sed sanctitate plus quam senex, quidam filium suum dæmoniacum ei obtulit liberandum: *Modum* (inquit Theodorus) *fugandi dæmones ignoro. Pater pueri, flagellum illi porrigit, hoc, inquit, filium percute, & dæmon discedet. Paret Theodorus, sed percutientem primò, & secundò ridet spiritus nequam: percutientem tertiò fugit.*

Metaphr.

Existimo flagella esse applicanda à communibus Exorcistis rarò, & omni semota crudelitate: ne miser dæmoniacus alias crudeliter à malo spiritu afflictus afflictione addita dolore ac mœstitia efferuescat, & absorbeatur. Quod si leuia flagella adhibeantur, puto aliquando prodesse, tum vt dæmones confundantur, dum vident superbissimi, vt serui inferioris notæ tractari sui contemptum: tum quia corpora flagellata non reputant sibi gratas mansiones, ob idque interdum deserunt.

Manuum autem impositio omnibus Exorcistis conueniens est, iuxta illud Marci vltimo: *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Digitorum immissio in obsessorum ora video esse in vsu, & exemplo maiorum firmari. Sanctus Columbanus, teste *Iona in vita eius,* post iniectos in os cuiusdam obsessi digitos, eiusdem aliquando attrectauit linguam, & liberatus est. Idem refert Gregorius Turonẽsis *de Patroclo Abbate lib. de vita Patrum cap.* 9. & Surius *tomo* 1. *de sancto Claro:* fortasse ad imitationem Christi egerunt, qui sanaturus dæmoniacum, misit digitos in auriculam eius, post expuẽs tetigit linguam. In cæteris manuale seu Sacerdotale Romanum nuper emendatum, & excussum videndum ac sequendum est. 27

Marc. vlt. Ionas. Greg. Tur. Surius.

Decimaquinta aduertentia.

QVando plures dæmones vnum hominem obsident, & Exorcista præualet suis exorcismis, vt plurimum omnes egrediuntur simul. Hoc colligimus experientia teste, ac historiarum relatione: quia nunquam, aut raro legimus, vnum, aut alterum dæmonẽ eiectum ab aliquo homine fuisse, & interim in eodẽ homine alios aliquos hæsisse: fortassis ratio est, quia machinæ quibus dæmones torquentur, sic adeò illis sunt inuisæ, vt si vnum aliquem in fugam conuertant, verosimile sit in fugam conuerti omnes: nihilominus vt ita semper fiat, non video vrgẽtem rationem, neq; sumptam ex parte libertatis dæmonum: quia liberè ingrediuntur, & egrediuntur, neque etiam ex parte virium dæmoniacorum. 28

Fatemur esse inæquales & superiorem posse inferiorem pellere, sed cur si egreditur infimus, egredietur principalis? Neque ex parte potestatis exorcisticæ ratio vrget, nã videmus ad quosdam pellendos quendam Exorcistam sufficere, ad alios non itidem. Idem dico de medijs, quibus vtitur, nam quædam ad quosdam dæmones sufficiunt, & non ad alios, vt patet Matthæi. 17. vbi inuocato nomine Iesu, quosdam pepulère Apostoli, alium nequiuère propulsare: ergo bene stat vnum pelli dæmonem in eodem homine, alio non pulso. Matt. 17.

Quapropter Exorcista agere debet vt nomina, & numerum dæmoniorum obsidentium acriter interrogando inquirat, nec finem adiurationi imponat, quousque victoriam de singulis obtineat, si plures sint, ne in vacuũ laborauerit.

Decimasexta aduertentia.

DÆmones quando vrgentur vt exeant solent ab adiuratoribus aliquid postulare. Quare cautus sit exorcista quando debeat annuere eorum 29

votis

votis ac desiderio, & quando non. Quando aliquod malum culpæ postulant, siue contra Deum, siue contra proximum, eorum petitioni nequaquam est acquiescendum: etiam si minitentur se non exituros, nisi postulata concedantur; imò quamuis pax, requies & securitas ab infensis hostibus sit paratissima; etenim non sunt facienda mala vt veniant bona.

Secundò, si postulent, vt concedatur illis aliquẽ ingredi vexandum, aut quoquo pacto male afficiendum, siue in se, siue in bonis suis quidam existimant id esse licitum, quãdo adiuratores imperium, & ius habeant supra res torquendas: probare conantur exemplo D. Pauli tradentis, Sathanæ incestuosum, ac Alexandrum, & Hymenæum. existimo autem esse distinguendum: nam si petunt dæmones opus positiuum Exorcistæ ad hæc mala inferenda, neutiquam esse licitũ reor: tùm quia opus illicitum est: tum quia non agnosco esse talem potestatem in Exorcistis, aut alijs hæc faciendi, nisi ex Dei reuelatione, & speciali commissa potestate: si verò duntaxat petunt licentiam hæc mala inferendi, videndum est, an in potestate Exorcistæ sit ea mala vitare: & tunc si eam largiantur licentiam, peccatum est vt minimum contra charitatem. Dixi, si sit in potestate Exorcistæ ea mala vitare: quia superius in *quæstione* 10. primi membri docui, non habere potestatem supra dæmones ad omnia eorum mala vitanda.

Tertiò, si postulent, ne amplius affligantur, iubendo eos in abyssum ire, aut ne voluptate, qua vtuntur, priuentur: v. g. ne iubeantur exire aliquam regionem sibi amabilem propter facilem victoriam contra incolas, propter eorum malitiam; aut ne relegentur in desertum, vbi non est occasio nocendi hominibus: quæ postulasse, & impetrasse dæmones à Christo Domino legimus

Matth. 8. Matthæi 8. Marci 5. & Lucæ. 8.

Marci. 5. Existimo communes Exorcistas non habere

Lucæ. 8. potestatem mittendi in abyssum dæmones, aut eos relegandi extra regionem, aut mittẽdi in desertum, & similia, aliàs saltẽ charitatis lege tenerentur exterminare ab hac mũdiali machina exitiales hostes: at Christus Dominus per excellentiæ potestatem, hæc & maiora poterat; & aliquando Sancti ex Dei speciali tradita potestate. Quare vanum esset Exorcistas communes huic petitioni annuere, quia non est in eorum potestate dæmones ab his præfatis cohibere: quod si haberent talem potestatem, illicitum esset concedere, sed potius lege charitatis erga homines tenerentur obstare. Nihilominus possent annuere petitionibus eorum in aliquibus leuibus spe maioris boni: v. g. ne iuberentur exire intra horam, ne flagellis torquerentur: quia promittunt se egressuros, & huiusmodi.

Decima septima aduertentia.

30 Plurimum refert scire, quando dæmones relinquunt obsessos exorcizatos: & ideò Exorcistæ petunt à dæmonibus signa sui egressus, determinando quæ illa debeant esse: caueant tamen ne illa sint crudelia, ac nociua infirmis obsessis: verbi gratia, membrorum collisio, aut obscœna, vt inhonestæ voces: quin potius debent dæmonibus imperare, ne similia signa exhibeant: poterunt autem ab eis exigere, vt lumen candelæ accensæ extinguant, aut vas vitreum, seu fenestellam disrumpant, & huiusmodi alia, quæ sine vllo nocumento extra corpus obsessorum perficiuntur. Ipsi verò nequam spiritus solent sine postulatione, aut iussione exorcistarum signa sui egressus exhibere.

Aliquando dicunt se exituros, & ita faciunt: vt quando sancto Cyriaco adiurante filiam Diocletiani Imperatoris dæmõ exorcismis afflictus, ait: *Discedam, sed efficiam, vt cum difficultate in Persidem venias*: quod opere compleuit. Ita Surius *tomo quarto, in vita Cyriaci*. Aliquando clamores insoliti, & belluarum voces signa sunt egressus, maximè quiete obsesso superueniente. Aliquando discessũ quorundam animalium turpium egressum suum pandunt; vt discessu formicarum, aranearum, muscarum. Et *in vita sancti Pauli Simplicis* refert Palladius *sectione*. 25. ingentem draconem septuaginta cubitorum ab adolescente exigisse, & cum ipso dæmonem: in cuius forma mutatum esse dæmonem obsidentem non dubito. Quandoque vomitu ingenti rerum putidarum manifestant suum discessum. Sic accidit Diuo Bernardo, & Diuo Dominico exorcizantibus. Aliquando ex fœtore graui, quem exhalant obsessi, conuincitur dæmonem exijsse: De hoc signo sunt quamplurima exẽpla. Aliquãdo egrediũtur, sed magnis illatis nocumentis vel in corpore obsessorum, vt sunt in terram allisio; membrorum disceptio, vel in bonis obsessorum, vt parietum, & domus diruitio, & huiusmodi. Aduertendum tamen neque hæc signa esse infallibilia: quia non raro ea edunt dæmones ipsis adhuc permanentibus in obsesso, neque semper signa dant sui discessus. Aliquando egrediuntur nullis datis signis.

Surius. Palladius.

Et si quæras, quæ erunt signa infallibilia discessus, & omnimodæ liberationis obsessorum? Vix inuenio. *Potissimum* est, si examinatis obsessis nullum signum eorum, quæ diximus indicare inhabitantes dæmones, appareat. *Secundum*, si obsessi nullam se pati molestiam earum, quæ antea patiebantur, affirmant, experimentumque per multos perdurat dies, ac menses: quãuis enim dæmones possint latitare nullis editis signis suæ habitationis, nullisque molestijs allatis, sed id rarissimè continget. Frequens est tam peruersum hospitem suæ nequitiæ signa profundere, iuxta illud Prouerbiorum 6. *Nunquid potest quis celare ignem in sinu suo, ita vt vestimenta eius non ardeant?* 31

Prouer. 6.

Notatio ad sequentia.

Explicatis his, quæ ad obsessos pertinent, & praxi tradita ad eorum curationẽ, Superest agere de secundo malorum genere: quod dæmones inferunt, nõ intus hominẽ existẽtes, sed ab extrinseco affligẽtes. Hæc autem afflictio multis modis contingit: *vno modo* per 32

per se ipsos sine vllo ministerio hominum mala extrinseca inferendo, homines molestando, apparitionibus, monitionibus, aut crebra assistentia, & interdum vulneribus. *Secundo modo*, malà intrinseca inferendo, vt morbos, cruciatus, neces, insaniam. De his malis, & an per adiurationem eis succurrendum sit, sigillatim dicendum est. Et prius de primò modo, quo dæmones extra homines existentes eos affligunt agendum est, nempe de infestatione, quæ exhibetur à dæmonibus per apparitiones, & crebram assistentiam.

33 In qua re dicimus *primò*. Res indubitabilis est dæmones, quosdam homines crebrò affligere apparitionibus, & persequutione suæ crebræ assistentiæ. Hos dæmones ideò vocamus assistentes, ad differentiam eorum, qui intra hominum corpora includuntur, quos obsidentes Latinè, cathabolicos Græcè appellamus. Hoc assertum exemplis innumeris comprobatur. In *vita Diui Bernardi* legitur de quadam fœmina, qua dæmõ abutebatur per septem annos, & postea per exorcismos D. Bernardi ab ea persequutione cessauit. Suetonius *in Nerone* ait, spiritus infestantes eum esse sequutum quocunque pergebat. Ioannes Tritemius *in historia Monasterij Hirsaugiensis circa annum Domini* 1132. narrat de quodam dæmone, quod hominum conuersatione valde delectaretur, apparens nunc sub figura hominis rustici, nunc inuisibiliter illudens magnates de rebus magnis admonebat, alijs sua obsequia non negabat, neminem, nisi prius læsus lædebat, læsus non parcebat. Itaque cum in præsulis Hildesheimensis culina puerulus quidam eundem contumelijs affecisset: principio præfectum culinæ admonuit, vt insolentiam pueri coerceret: at vbi nil profecit inuentum in culina dormientem puerum, primùm suffocat, mox in frusta diuidit, tandem igni appositum coquit: neque hac vindicta contentus multis alijs modis & culinæ præfectum, & plerosque alios ex aulicis vexat.

Suetonius

Tritemius

Sigibertus

De alio dæmone refert Sigibertus Martinus: primò à nemine visus cœpit in homines iactare lapides, & pulsare fores: mox sub humana specie responsa reddidit, furta prodidit, quoscunque nota infamiæ aspersit, discordias & simultates excitauit, paulatimq; horrea, & omnes casas exussit, vni autem ciuium fuit molestior, perpetuè eius lateri quocunq; pergeret hærens, atq; eius domum comburens.

Alia multa consultò omitto: satis nobis sit confessio eorum, qui hanc molestiam experiuntur, & narrant: quin imò aliquando dęmones intentantes ingredi hominum corpora, eos molestant exterius verberibus, apparitionibus, & huiusmodi, vt dicitur in Sacerdotali Romano *cap. 1. de exorcismis*. Vbi habetur interdum dæmones, priusquam homines ingrediantur, eos molestare sub forma externa, quæ terrorem incutiat: verbi gratia, defuncti, qui mortem violentam subijt, aut brutorum animantium horribilium, vt draconis, aut cati nigri, vel hirci, & similium. Interdum vento, & tumultu insolitis perterrent, aut strepitu orto ex vectibus, quæ colliduntur, & per terram trahuntur, interdum infixis colaphis, & per casus, aut propulsationes, & aliquando somnijs terribilibus.

Sacerdotale Romanū.

Dico secundò. Quamuis frequentius homines molestias has externas à dæmonibus patiantur propter peccata: aliquando tamen id accidit sine vllo peccato afflictorum. *Prima pars asserti* colligitur ex probatis historijs. & inprimis est horrendum exemplum citatum ex *vita D. Bernardi*, apud Surium *tom.* 4. de muliere molestata à dæmone, eo quod fœdam per septem annos cum ipso habuit consuetudinem: dæmonium itidem infestans Neronem sub specie matris suæ Agrippinæ, quàm interfecit. Ita Suetonius his verbis: *Potuit Nero conscientiam ferrè sæpe confessus se materna specie exagitari, atque verberibus furiarum, ac ardentibus tædis*. Fere idem *de Ottone Imperatore*, refert idem Suetonius propter Galbæ occisionem. Et de Pausania Spartanorum Rege propter interfectam virginem Cleonicem: ita Plutarchus. Hos omnes & multos alios, dæmones persequũtur, aliquando Deo iubente, vt sint vltores criminum quorundam atrocium (Deus enim est, qui in vindictã scelerum mittit immissiones per Angelos malos) Psalmo 77. aliquando ipsis dæmonibus sæuientibus, & conantibus hos sceleratos in desperationem conijcere, & vt sibi crudeles manus injiciãt. Sicut legitur accidisse Aristodemo viro nobili apud Messenios. Ita Gasparus Beucerus *lib. de diuinatione*: & nostris temporibus possent adduci recentiora exempla, sed allata sufficiant. 34

Surius.

Suetonius

Plutarch.

Psal. 77.

Beucerus.

Circa *secundam partem asserti*, Sanctos scilicet viros, ac fœminas sæpe hanc pati persequutionẽ dæmoniacam, antiquitatis, & nostrorum temporum annales multa nobis exempla suppeditant. Paulum Simplicem, Diuum Antonium, Diuum Hilarium, Benedictum, & alios Sanctos, eremi primi cultores, multa passos esse à dæmonibus narratur. Vvihelmus Pictauorum Comes. Macharius Alexandrinus, Guthlacus, atque Sabbas viri sanctissimi priorum Eremitarum æmulatores multa passi sunt. Euphrasiam virginem sanctam de tertio solario aliquando præcipitarunt, aliquando in puteum demerserunt, aliquando grauissimè sauciarunt. Sanctam Catherinam filiam sanctæ Brigittæ nunc è lectulo deiecerunt, nũc etiam grauiter ceciderunt: & sanctæ Marinæ valdè molesti fuerunt, partim terribilibus formis, partim horrendis sibilis, & execrandis fœtoribus per aera sparsis. Videndus Surius in vita omnium horum. 35

Surius.

Causam huius ingentis persequutionis aduersus Sanctos pulchrè tradit Fulberrus *in vita sancti Richardi Abbatis Chimetiensis* apud Surium *tom. quinto: Sublimiora studia* (inquit) *diabolus subtilioribus infestare non desinit insidijs: carnalibus namque, & huius mundi amatoribus, quos in præsentis vita voluptuosa latitudine ambulantes, comperit, quasi parcendo blanditur: quia nimirum de his securus ad spirituales se conuertit: & his acrius instat, more latronum ad prædas festinantium: qui dum fugientem innocuam turbam insequuntur, quoscunque cursu superant, hos transilientes, à tergo relinquunt: in eos verò, quos præ oculis conspiciunt*

Fulbertus

ciunt eminus fugientes, in eos inquam studio consequendi vires totas effundunt, & impetu maiore prosequuntur, veruntamen si reliquis captis ex omni turba vnus euaserit, ex hoc vno inter eos sæpius, magis fit querulosa recitatio, quàm ex vniuersis captiuis exultatio. Hæc Fulbertus.

Secundò loco tractandum est de remedijs aduersus molestias has dæmonum persequentium, & assistentium, quæ ferè coincidunt cũ remedijs allatis pro dæmonibus propulsandis ab obsessorum corporibus.

Nec audiendi sunt superstitiosi, qui superstitiosa remedia conantur persuadere. Tale est aduersus spectra multum valere gladij nudati vibrationem: ex *poetico apparatu* Homeri, & Virgilij *Æned.6.* sumpsit Lambertus Hortensius, cuius verba superius retulimus. Opinio erronea & antiqua hæc fuit apud Iudæos, quam sibi vendicauit Psellus *lib. de dæmonib.* in fine, à quo illam hausit Rodiginus *libro secundo, capite octauo.* Dæmoniacum corpus affirmat Psellus per totum esse naturaliter sensuale secundùm partes singulas, absque medio videt, audit, tangit, patiturque tangendo, ac diuisum dolet, sicut corpora solida. Sed hoc interest, quod corpora quidem solida diuisa cùm sunt, aut vix, aut numquam restituuntur: corpus verò dæmonum vti secatur, mox in se itè recreatur, atq; coalescit: sicut aquæ aerisq; partes quãdo aliquid incidit solidũ: sed & dicto velociùs dæmonic⁹ spiritus in se reuertitur, dolet tamen interea dum diuiditur, quãobrem aciem ferri metuit: idque animaduertentes, qui fugare dæmones moliuntur, tela & enses in rectum ibi constituunt, quo nolunt dæmones aduentare.

Hortẽsius. Psellus. Rodiginus

Iam se prodit impietas autoris, & ob id indigni, cui fides adhibeatur, putat dæmones esse corporeos corpore tenui, ac aereo (quod Catholica fides refragatur) & ob id dolere cùm scinduntur, facili tamen negotio partes scissas conglutinari, ac coalescere.

Adducuntur aliquot experimenta fugatorum dæmonum ista gladiorum pugna. Et in primis Erastus in *Vita Paracelsi* ait solitum fuisse Paracelsum noctu consurgere, & Machæram suam Helueticam vtraque manu in hostem inuisibilem huc illucque torquere: vt dæmones insequentes fugaret. Dæmones aliquandiu à persequutione cessasse, fingentes se aciem ferri formidare, facile credam, ad decipiendos scilicet hos superstitiosos, & impios, & vt in sua cæcitate captiuos tenerent. Sed quid laboris, molestię, aut doloris per ferrum puris spiritibus corporis expertibus? Nil. Item nonne facile esset dæmoni etiamsi corpore aereo esset præditus impedire illos ictus ensis, aut machæræ, eis elusis per diuersionem, aut corporis alterius interiectionem? Cur igitur hæc timeat robustus hostis ab imbecilli homine?

Erastus.

Veritas huius rei est, dæmonem interdum assumpto aereo corpore, cum sicarijs, & huiuscemodi hominibus, digladiari: & quos posset vno ictu necare, hinc inde iactis ictibus exercere: acies ferri scindit corpus aereum assumptum nullo accepto vulnere, nullo concepto dolore: sed citius dicto idem corpus in pristinam formam compaginatur, ac demum satiatus ludo discedit; aliquando suo antagonista ferè exhaustis viribus exanimato; aliquando iam iam morituro: vt videre licet *in historia narrata* à Gaguino historiographo Francorum, & à Cæsario, *libr. 12. capit.15. & 20.*

Gaguinus Cæsarius

Alia multa nostris temporibus accidisse cõmemoratur: & de studioso iuuene Salmanticæ degente, & monialem intra monasterium inuisete, cui obuium spectrum, quantumuis armato, & gladium vibranti, mortem intulit, narrat Martinus del Rio, *lib. 6. disq. magic. cap. 2. sect.1.*

Martinus del Rio.

Pari ratione reijciuntur quidam alij superstitiosi, qui igne accenso, aut iniecto putant dæmones persequentes fugari. Idque conantur ostendere ex *historia sancti Paulini* narrantis, ab hæretica Imperatrice missos fuisse dæmones, vt Diuo Ambrosio exitium inducerent: sed hi re infecta reuertuntur, eo quod, vt ipsi dixerunt, ignis insuperabilis sanctum virum, totamque eius domum communiret. Et Sozomenus *libr. 8. tripartita, capi.28.* dum Apelles vir sanctus, ac faber ferrarius noctu in officina ferraria ferrum accuderet; in pulcherrimæ mulieris forma, vt eum ad libidinem prouocaret, dæmõ apparuit: sed Apelles ex fornace, ferrum candens extraxit, & in eius faciem impegit, & sic eiulans, ac fremens dæmon discessit.

Sozomenus.

57 Ad hæc accedit. Si flammas ignis infernalis extimescit: quare nostri ignis prunas cùm sint eiusdem rationis non verebitur? *Respondetur*: quia sicut arma, enses, mucrones, quia corporei, nil valent contra spirituales nequitias: sic neque flammæ ignis, aut prunæ accensæ, & propter eandem rationem. Ambrosij verò ignem dæmones formidantes Dei adiutorium significat, sicut apud Zachariam, *capi. 2. Ego aut Dominus, ero ei murus ignis in circuitu.*

Zachar. 2

Apellis verò ferri candentis iniectio diuinam virtutem, & adiutorium accersiuit, vt dæmon fugaretur. Ignis verò noster licet eiusdem rationis cum igne infernali sit: sed non assumitur, vt instrumentum diuinæ virtutis ad dæmones torquendos, sicut Tartareus: quem etiam flocci facerent, si virtus diuina non ei adesset.

Non dissimilibus rationibus impugnantur remedia superstitiosa, & inutilia de claudendis foribus, de conuitijs aduersus dæmones iactandis: de quo nos latè in priori membro: de luce verò statim.

58 Quare his relictis: ad vera & pia remedia cõfugiendũ est. Et in primis has molestias patientes debent confessionem sacramentalem præmittere, dolore de peccatis vehementi, ac proposito emendãdæ feruenti comitatã: siue sciant has infestationes perpeti propter sua peccata, siue id ignorent: nemo enim scit, vtrum amore, vel odio dignus sit. Sic enim ablata causa infestationis, Deum propitiatum, dæmonem arcere verosimile est.

Insuper sacratissimæ Eucharistiæ susceptio fre-

frequentata valdè conducens eſt ad dæmones hos perſequentes fugandos. Agnoui ego virum religioſum, ac pium, qui infeſtabatur crebra aſſiſtentia dæmonis, & plus moleſtabat blanditijs, quàm terroribus, plus obſequijs, quàm cruciatibus, ferè ſemper eius lateri adhærens; nunc in ciuitate in forma amanuenſis pueri; nunc in via in figura anteambulonis: in cella aſſiſtebat, & alijs in locis in ſpecie pulchræ puellæ blandientis, aliquando lectulum ſternendo, aliquando camerã euerrendo: demum ab eius præſentia non recedebat, niſi quando vir religioſus ſacra facturus accedebat; tunc enim Verſipellis recedebat, ferre non valens præſentiam ſui iudicis, ac Domini Ieſu Chriſti.

Quod ſi his accedat virtutum ſtudium, proficiet valdè: dæmones enim virtutum ſtudium abominantur, & exhorreſcunt. *Credite mihi fratres*
Athanaſ. (dicebat Antonius, teſte Athanaſio in eius vita) *pertimeſcit Sathanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, miſericordiam, humilitatem, maximè autem ardentem amorem in Chriſtum Dominum.* Horum mediorum vtilitatem ſatis comparauit ſancta Catherina Beatæ Brigittæ filia, vt refert Surius, *tom. 2. in eius vita*, quæ Neapoli exiſtens à quadam muliere, quæ nocte à dæmone moleſtabatur interrogata, quomodo ab hoſte illo ſe liberaret: primum ſuaſit puram peccatorum confeſſionem: dicebat enim ob peccata in confeſſione celata plerumque id genus illuſionis accidere: deinde peregrinationem ad ſanctæ Crucis templum, quæ nudis pedidus, & ſine interiori induſio lineo cum humilitate octo continuis diebus perageretur. *Tertiò* orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam corã Crucifixi imagine in eodem templo ſepties repetitã. Cõplet mulier monita, & perſequutio ceſſauit.

Summopere etiam iuuat Sanctorum omnium
39 maximè Deiparæ Virginis inuocatio, nec non & Angeli cuſtodis: cuius officium eſt ſuorum clientulorum tutelæ adeſſe, quod non exiliter cõprobatur exemplo, cuius ego teſtis ſum. Commorabar Segouiæ (ciuitas Hiſpanica eſt) & ad noſtrã cellam vir deuotus ac pius aduentabat, remediũ petens contra dæmonem, qui ei ferè ſemper ad auriculam loquebatur, ſuadens ſuſpendium, & mortem: cuius confeſſiones ego audiens conſolatoria verba fundebam: at iuſſu maiorum ab ea Ciuitate diſcedens, & poſt multum temporis iterum ad eum locum reuerſus, obuium habui illum vexatum: ac interrogatus de ſua ſalute lætus, ac hilaris de ſua libertate rationem reddidit, inquiens: *Multis afflictatus damnis peregrinationem ad inuiſendam imaginem deuotam Beatiſſimæ Mariæ ſuſcepi: in cuius templo per aliquot dies orationibus incubui, orans Dei genitricem, vt me ab hoſte teterrimo liberaret. His peractis domum meam ac ciuitatem rediens circa noctis initium pontem rapidiſſimi fluuij tranſiturus acceſsi: vbi inimicus more ſolito me inuaſit dicens: Quouſque miſeram vitam duces? mitte te deorſum: & finem impone laboribus. Quod cum ego pararem facere: ecce ſubitò meo lateri adhæſit quidam homo fuſtem manu tenens: qui ad me ait, quo te is perditum miſer homo? Quare de miſericordia Dei diffidis? Meque apprehenſum per veſtium laciniam extra pontem eduxit, ac in viam reduxit, ab illoque temporis momento nullam amplius ab inimico dæmone moleſtiam tuli.* Hæc ille. Ego verò, deuote lector, certo credo, eũ vexatum Dei Genitricis interceſſione, ad cuius tẽplum perrexerat, fuiſſe liberatum: & Angeli proprij cuſtodis in figura hominis fuſtem tenentis tutela eſſe ſeruatum: vt diſcant fideles quantum aduerſus dæmones perſequentes valeat inuocatio Sanctorum, maximè ſanctiſſimæ Deiparæ, & Angeli cuſtodis.

Quid ſi nihil horum proficiat? Remedia omnia, quæ contra dæmones obſidentes docuimus, tentanda ſunt: nempè orationes deuotæ, maximè quæ nomine Eccleſiæ, & præcipuè in Miſſę ſacrificio funduntur; vſus reliquiarum, & Crucis, ac rerum conſecratarum, præcipuè cerearum illarum imaginum, quas Agnus Dei nominamus. Has etenim plurimum conducere contra dæmonum infeſtationes ex forma ſuæ conſecrationis monſtraui ſuperius in primo membro: & Andreas Fruſius Poeta Chriſtianus verſibus ſequentibus ſuadet: 40

Ille (Pontifex) preces recitat mira pietate refertas
Quas veteris ritus formula certa tenet.
Poſtulat in primis, ſacrati aſpectus vt agni,
Agnum ad cœleſtem concita corda leuet;
Vtq; ſalutiferæ memores, vitæq; necisque,
Criminis, & vitij noxia vitia terant,
Hoſtis vt inſidias : tygij, ac certamina vincant,
Decipulas mundi, carnis & illecebras,
Æternæ vt fugiant diſcrimina cuncta ſalutis,
Et ſupera nunquam deſtituantur ope.


Ac denique exorciſmis vtendum: ſunt enim flagella dæmonum petenda ex *Sacerdotali Romano*: quod ſi peculiares non inueneris contra dæmones hos exterius perſequentes: poteris paucis mutatis accomodare eos, qui contra obſidentes notati ſunt. His autem remedijs applicitis, & perſeuerantur vſitatis, ſi dæmon non deſtiterit, moleſtiam patiens patientia ornetur, fortaſſe ſic expedit ad ſalutem animæ ſuæ, poſtuletq; à Deo feruenter, dabit namque Deus his quoque finẽ: & interim ad leuamen ſuæ miſeriæ non parum proderit (ſicut ex confeſſione eorum, qui moleſtantes ſpiritus ſunt paſſi didicimus) in templis commorari, in quibus ſæpè ſunt à vexatione dæmonis tuti: oderunt namq; ſpiritus nequam templa, vtpote ſacrata ab Epiſcopis vt aſyla contra dæmonum inſultus, & ea, quæ in templis continentur: puta imagines, reliquias, ſanctiſſimum Chriſti corpus ſub ſpeciebus ſacramentalibus. *Alterum*, non adeſſe ſolitarios, ſed in multorum comitatu, ſolet tutamen aduerſus malignos hoſtes conferre: hi enim ſolitarijs ſæpè moleſti ſunt: experientia hoc docuit; & Euæ primæ omnium matris, ac Chriſti Saluatoris exemplum idem ſuadet hunc in deſerto, illam in Paradiſo aggreſſi ſunt: vtrumq; cum ſoli agerent. *Tertium remedium* eſt, tenebras quoad fieri poterit fugere, & in luce verſari. Etenim dæmones, quia ſunt principes tenebrarum, amant tenebras. Cuius rei rationes 41

fusius vide apud Cantipratenum *libro.2.cap.57.* Cantip. *st. num.7.* vnde Eusebius Cæsariensis, refert noctem intempestam, quæ gallicinium proximè antecedit conuenientiorem esse malo dæmoni. Quare? quia terrere desiderant tumultibus excitatis: at hi melius percipiuntur in noctis silentio, & spectris nigricantibus: & hæ noctis tenebræ faciunt apparere nigriora. Inuadunt solitarios, sed nullo in tempore magis solitarij, quàm in nocte: debent ergò molestati hi tenebras fugere, ac luce frui. Sunt tamen aliqui adeò feri ac audaces spiritus, vt nec vereãtur multitudinem, nec templa reformident, & in luce meridiana sunt molesti: ac proinde Deo suppliciter orandum, vt nos eripiat *a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano.* Psal. 90.

ARTICVLVS III.

Vtrùm liceat irrationalem creaturam adiurare?

Summa Articuli.



ONCLVSIO prima. Si adiuratio referatur ad ipsam creaturam irrationalem secundùm se, vanum est irrationalem creaturam adiurare. *Probatur:* nam operatio creaturæ irrationalis est ab alio principaliter, à quo agitur: ergò adiurare ipsam creaturam irrationalem secundum se, ne aliquid aduersus nos operetur, aut pro nobis, stultum est: cum non sit in eius potestate operari, aut non operari. *Secundò probatur* ex argumento primo: nam adiuratio fit per loquutionem: sed frustra dirigitur sermo ad eum, qui non intelligit, qualis est irrationalis creatura: ergo vanum est, & stultum eam secundum se adiurare.

Secunda conclusio procedit supposito creaturam irrationalem moueri à Deo, cuius dispositione omnia mouentur: & etiam potest moueri à diabolo, qui permissione diuina vtitur aliquibus creaturis irrationalibus ad nocendum hominibus. Hoc ita supposito secunda conclusio sic habet. Creatura irrationalis relata ad Deum, à quo mouetur: licitè adiurari potest per modum deprecationis directæ ad Deum. Hæc patet *ex dictis in primo articulo*, & quia modus iste adiurandi creaturas irrationales vsitatus est apud eos, qui diuina inuocatione miracula faciunt.

Tertia conclusio. Si consideretur creatura irrationalis, vt ea vtitur diabolus in nocumẽtum hominum, licitum est eam adiurare per modum compulsionis, imperando scilicet, ne nobis noceant. Hæc patet ex dictis *in secundo articulo:* & talis modus est quo vtitur Ecclesia in exorcismis, per quos potestas dæmonũ excluditur ab irrationalibus creaturis. Vterque autem modus adiurandi potius debet dici adiuratio eorum qui mouent creaturas irrationales, quam adiuratiõ creaturarum irrationalium.

Quarta conclusio. Adiurare creaturas irrationales vt mouentur à diabolo, precando, nõ est licitum. Hæc patet *ex dictis in 2. articul.* quia perinde esset ac si dæmones adiuraremus, eorum auxilia implorando.

DISPVTATIO VNI.

An liceat adiurare creaturam irrationalem?

CONTRA primam D. Thomæ conclusionem arguitur primò. Adiurationes seu exorcismi sunt instrumenta 1
diuinæ virtutis ad quosdam effectus peragendos, & ad hunc finem instituuntur, vt superius docui circa secundum articulum, membro primo: sed vt diuina virtus operetur per instrumenta, parum refert, subiectum circa quod operatur, intelligere vel non intelligere, esse rationis expers aut particeps, vt patet in miraculis, quæ Sancti operantur circa inanimata, & in Sacramentorum formis, quas siue intelligat, siue non intelligat homo, suum operantur effectum, ergò vt adiurationes sortiantur suum effectum, parum retulerit subiectum, ad quod diriguntur esse rationale aut irrationale, quia operantur virtute diuina. *Confirmatur* ex Iosue cap.10. vbi narratur Iosue imperasse Soli, & Lunæ, ne mouerẽtur è loco suo contra Gabaon: *Sol* (dixit Iosue) *ne mouearis contra Gabaon, & Luna contra vallẽ Haylon:* cuius imperio obedierunt illa duo clarissima astra inanimata & irrationalia: ergò ad creaturas secundum se dirigi potest adiuratio, quæ in imperio consistit. Iosue.

Secundò. Specialiter in animalibus brutis vide- 2
tur non consistere D.Thom. conclusio, etenim capacia videntur passiui imperij: sed adiuratio erga huiusmodi potissimè in imperio consistit: ergò &c. *Probatur maior:* sæpè namque videmus animalia etiam ferocissima imperium hominum formidare, atque ab operando desistere: cur non à nocendo cessare? *Confirmatur*, quia multi graues autores inferius citandi, quoddam genus solertiæ, sagacitatis, ac quodammodo prudentiæ brutis adaptant: ergò & quod expauescant adiurata.

Tertiò. Incantatores bruta incantasse didicim⁹: ergò capacia adiurationis sunt non enim minor capacitas, vt incantentur requiritur, quam vt adiurentur. Antecedens plus quã certum est ex Psa. 57. *Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ nõ exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Circa quem locum ferè omnes Patres, excepto Hilario, in sensu literali, de serpentibus, qui Magicis carminibus vel à Marsis, vel ab alijs incantatoribus à suis cauernis extrahi solent, ac veneno deposito conuenire ad certum locũ, interpretantur ita D. August. Arnobius, Theodoretus, Beda, & Euthymius, qui ait eum aspidem non Psal. 57. August. Arnobius. Theod. Beda. Euthym.

non esse qualemcunque, sed vocari, *palamnem*: qui ne audiat incantatoris carmina, quibus cogitur, alteram aurem terræ affigit, alteram cauda obturat. Id ipsum confirmat celebre exemplum quod refert Sprengerus part. 2. quæst. 2. cap. 6. *In ciuitate Saltemburgensi, quidam* (ait) *incantator erat hic quadam die, vt spectaculum lætum spectantibus præberet, pollicitus est omnes serpẽtes se adducturum ab spatio vnius milliaris, & in foueam inclusos necaturum: congregatis ergo vndique serpentibus, cùm ipse in limine foueæ staret; nouissimè quidam ingens, annosus, & horribilis serpens adueniens, foueam intrare recusabat; & sæpè motibus quasi innuebat Mago vt se liberũ abscedere permitteret, sed Mago perseuerante, ac sua carmina intonante, serpens stans ex aduerso foueæ contra incantatorem ingenti saltu insiluit, & ipsum spiris suis cingens, in foueam secum demersit, ac interemit.* Dignum profectò suis sceleribus supplicium. Quapropter videtur bruta parere adiurationibus sanctis, siquidem ferocissimi serpentes sceleratis incantationibus obediunt.

Quartò. Coniuratores nubium, ac locustarum, quando dissipant, corrodunt arbores, sata, & alia virentia, excommunicant eas, vocant in iudicium, & similia: cur ergò non poterunt adiurari?

4 Adiurationes & exorcismos bonum esse iactare aduersus creaturas irrationales (quod negat D. Thom. in prima conclusione) non est qui asserere valeat, nisi teneret impiam & ineptam sectam Empedoclis, qui dixit omnia animantia, ac plantas, mentem & prouidentiam habere: ac Porphyrius libr. 3. de sacrificio, & Plutarchus, libro *quod bruta vtantur ratione*, & lib. *vtra animantia plus rationis habeant, aquatilia, an terrestria*: & ex recentioribus Antonius Citadinus *lib. 1. Posterior. Aristot. cap.* 3. Laurentius Valla *cap. 9. suæ Dialecticæ*. Hæc tamen sententia & principijs fidei, & veræ Philosophiæ repugnans est: in qua impugnanda nos immorari non decreuimus: quia aliò properamus: cursim verò concedemus aliquale vestigium rationis & prudentiæ: ita Albertus Magn⁹ *in 3. de anima*. & D. Thom. 1. 2. *quæstion. 13. artic. 2.* & Arnobi⁹, *li. 2. contra gentes*, & alij: multa colligit de Elephantis Lipsius *centuria 1. Epist. 50.* & de cæteris AElianus, vt de Leonibus *libr. 5. & 17. de natura animalium*, de Tauris *libr. 7.* de Cynocephalis *lib. 6.* de Simijs lib. 5. de Ceruis libr. 11. De ista rationis quadam tenus imitatione interpretandi sunt graues autores, quando aiunt bruta esse discursu, prudentia, aut ratione prædita.

Igitur cum adiuratio opus rationis practicæ sit, irrationales verò creaturę nulli⁹ rationis participes sunt: ad eas secundum se vanè dirigeretur adiuratio.

5 Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum dupliciter posse intelligi, hominem operari vt Dei instrumentum circa res inanimes, & irrationales. *Vno modo* absolute & simpliciter: & tunc citra dubium operatio quæcunque hominis potest assumi à Deo vt instrumentum ad operandum circa præfatas irrationales res: verbi gratia, poterit visionem, saltationem, loquutionem hominum assumere ad impediendum ignem, ne comburat, feras, ne noceant, & similia.

Secundo modò intelligi potest Deum per hominem operari instrumentaliter circa irrationalia, non tantum physicè, sed moraliter per modum imperij, quod homo exercet circa irrationalia: & sic operatio hominis non solùm habere debet rationem efficientis, verùm & signi: quapropter ne ineptum sit signum, necessariò debet dirigi ad subiectum capax imperij passiui, aliàs frustra & ineptè ad id dirigetur imperium actiuum: & ideò cum adiurationes seu exorcismi consistant in practico imperio, simul cum Dei inuocatione: nequaquam aptè dirigi possunt ad eas creaturas, quæ non sunt capaces imperij passiui: quales sunt creaturæ irrationales, quia inepta essent signa.

Totus discursus hic manifestatur in formis Sacramentorum. Posset quidem Deus homines iustificare absolutè assumendo qualcunq; operationes vt instrumenta gratiæ conferendæ: cęterùm moraliter, & vtẽdo signis iustificationis, nequaquam: sed necessarium fuit assumere verba, quæ id ipsum significarent quod efficiunt. Igitur ad argumentum negatur consequentia propter rationem datam.

Ad confirmationem quidam dicunt, illa verba imperiosa ad Solem, & Lunam, deprecatiuè esse intelligenda versus Deum: ita videtur insinuare Augustinus, lib. 21. *de ciuitate Dei capit. 8. & lib. 2. de mirabilibus sacræ Scripturæ c. 4.* sed certè deprecatio Iosue ad Deum, immediatè præcesserat; quando sacer textus ait: *Tunc loquutus est Iosue Domino*: id est supplicauit pro victoria: & postea subiunxit: *Dixitq; Iosue coram eis*, id est adspectãte populo, vt autoritatem suam ac potestatem ostendendo, se Israelitis venerandum, & hostibus terribilem stabiliret: conuersus ad duo illa præclara luminaria ait: *Sol ne mouearis contra Iabaon, & Luna contra Haylon.* Egregiè Caietanus, super hunc locum: *Iunge prudens lector, duo hæc scripta: videlilet quod tunc loquutus est Iosue Domino, & quod dixerit sermonem ad Solem & Lunam: vt perpendas, quod primùm eleuauit mentem in Deum supplicando pro integra victoria; & quod Deus inspirauit illi, vt indiceret Soli & Lunæ moram.* Quare respondendum existimo, illud præceptum Iosue (sicut & alia, quæ quandoque à Sanctis diriguntur ad irrationales creaturas) metaphoricum esse, nempè quantum ad effectum: qui perinde ad adiurationem Iosue sequutus est, ac si Sol & Luna illud imperium intellexissent, & obediendo perfecissent.

Propriè verò talis modus adiurãdi est deprecatio diuinæ virtutis, non qualiscunq;, sed fiduciaplena, quod Deus præstabit effectum, ac si Deus astris illis suum intimaret imperium ad nutum hominis verba illa proferẽtis. Vnde & subditur: *Obediente Deo voci Iosue*, ac si diceret sacer textus, licet verba Iosue imperium sonassent ad astra illa directum, tamen in rei veritate, ac implicitè precationes erant ad Deum directæ: quibus ita promptè annuit, ac si obedire videretur. In summa itaque dicimus verba illa fuisse vera

instrumenta physica detentionis astrorum illorum. Ita Caietanus 3. *part. quæst.* 13. *art.* 2. vbi mutauit sententiam, quam tenuerat 2. 2. *quæst.* 178. *art.* 1. cæterùm imperium illud non fuit proprium, sed metaphoricum ad modũ iam explicatũ.

Ad secundum respondetur, in brutis esse aliquã vmbram imperij passiui, id est obedientiæ vmbram: propriè autem loquendo nequaquam: aliquando ad imperium hominum recedunt, fugiunt, aut accedunt: non quia solum verborum formidant, non quia significationem vocũ percipiunt: sed quia ex gestu truci, aut verborum stridore horrido naturali instinctu iudicant esse fugiendum, ex vultu amicabili, ac oculis lætis interdum esse accedendum: hoc autem non sufficit, vt adiurationis vi aliquid faciant, aut desistãt facere: in cuius signum si imperium aut comminatio plagarum suaui voce audiant, putant sibi blandiri: si verò verba amicabilia vultu minaci, fugiunt. Igitur non sunt capacia adiurationis propriè loquendo. Hinc patet ad confirmationem.

Ad tertium respondetur, verba incantatoria nullam vim inferre feris, aut serpentibus, non per sonum, qui aer leuiculus est, non per significationem, quam non percipiunt: sed ad præsentiam incantationum à dæmone coguntur interdum accedere, interdum recedere deponere venena, vel quid simile: quapropter licet incantatores existimet se bruta cogere suis verbis, decipiũtur à dæmonibus. Ipsi enim sunt q bestias cogunt, finguntque carmina incantatoria ea pollere vi, cautela verò, qua aspis narratur vti, ne incantetur, non ob id fieri putandum est; quia serpens ille sentiat se cogi à virtute carminum Magicorũ, quia nullã habẽt: sed naturali instinctu agnouit, quando ea carmina proferuntur coarctari, aut cogi, vt hoc vel illud faciat: quod vt sibi disconueniens refugit, ac putans sibi à carminibus prouenire, obturat aures ne audiat: ignorans à malo spiritu potius eam coactionem sibi imminere.

7 *Ad quartum respond.* illos actus in argumento commemoratos esse in vsu apud quosdam exorcistas impostores. Sic autem res agitur. Exorcista deceptor se iudicem constituit contra locustas, brucos, aut alia insectilia; comparent coram eo duo procuratores: vnus causam populi agens, fungitur vice accusatoris: alter à Vicario Episcopi, vel Regio officiali loci, cõstitutus, substituitur loco rei pro locustis, seu alijs insectis: litem contestãtur, & seruantur processus ordinarij, omnes tricæ, & moræ, ac delatorij termini: tandem causa concluditur, & ille Iudex nebulo fert sententiam, qua iubet insecta illa intra certum dierum spatium terminis illius territorij excedere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, &c. Quis non videat, hanc esse ineptam superstitionem, ac fraudes nebulonum: nam siue ad insecta, siue ad dæmones hæc referantur, & ineptæ, & superstitio sunt: si ad insecta, ac vermes certè certius est apud Diuum Thomam, in præfata conclusione, & apud omnes Doctores, eo quod lis instituatur cum creatura irrationali: quæ quid agatur, nec scit, nec sentit, nec potest intelligere: & cum illa insecta naturaliter nascantur, iniusta est excommunicatio nec mortaliter, nec venialiter peccantium.

Blasphemum verò est, hanc sacram Ecclesiæ censuram sic derisui, ac ludibrio habere non secus ac si quis sub pœna excommunicationis præciperet canibus ne latrarent, & lupis ne vlularẽt, aut vulpem absolueret à rapinis gallinarum. Denique constat hæc omnia acta iudiciaria, nec naturalem, nec supernaturalem, vim habere aduersus huiusmodi insecta.

Si verò dicas, aduersus dæmones hæc acta & censuram dirigi: inde non labefactatur prima D. Thomæ conclusio, asserentis ad irrationales creaturas secundum se non debere dirigi adiurationes. Sed neque hæc respõsio stare potest, quia sicut superius in aduertentia septima probaui, dæmon non est capax excõmunicationis, sicut neq; Ecclesiæ communionis, neque etiam per sententiam litẽ contestata contra ipsum est procedendum, sed adiurationibus. De quo alias satis superque.

8 Circa secundam Diui Thomæ conclusionem non est immorandum. Pleni sunt codices Historiarum sacrarum & non sacrarum fidelibus narrationibus, quomodo ad adiurationes obsecratorias, siue ad imperia metaphorica Sanctorum Deus compulerit creaturas irrationales interdũ agere: vt quarti Regum primò, iussit Helias ignẽ de cœlo descendere, & concremare milites Regis Israel interdum non agere: *vt Iosue.* 10. compulit Solem, & Lunam cessare à motibus suis. Et in vitis Sanctorun, & Historijs Ecclesiasticis, exempla passim reperiuntur satis huic doctrinæ accommodata. Sat nobis modò sit quod D. Thomas adducit in argumento, sed contra, de sanctis Simone, & Iuda: quos legitur adiurasse Dracones, & eis præcepisse, vt in desertum locum discederent. 4. Reg. 1.

Circa tertiam D. Thomæ conclusionem præsupponere oportet, dæmonia, imò & Magos, ope dæmoniorum posse vti creaturis irrationalibus ad hominibus nocendum: possunt tempestates excitare, fulgura, tonitrua, grandines, imbres, & similia metheorologica ciere: & in agros, quos volunt, immittere. De quo latius infra disputatione præambula.

9 Possunt itidem locustas, brucos, vermes, & alia insectilia vel de nouo generare, vel iam generata excitare, vt agros, vineas, segetes, oliueta, ac quæque virentia corrodant, destruantque vt loco citato videbimus: & id ipsum facere, & de facto effecerunt per Magos, ac maleficos. Et licet non possint producere animalia perfecta, vt boues, leones, & huiusmodi, possunt tamen, ea iam genita contra homines irritare, vel in rabiẽ vertendo, vel venena exacuendo, vel multis alijs modis in perniciem hominũ, pecorum, vel armentorum excitando. Isto pacto esse aduersus Iudæos efferatos ignitos serpentes, ac de propinquis deserti partibus congregatos per dæmones Deo iubente, probabile existimo *Numer.* 21. Similiter illos duos vrsos, qui exeuntes de sylua iugulauerunt Num. 21.

runt quadraginta duos pueros propter irrisionē erga Helisæum: *Ascende calue, ascende calue*. 4. Re-
4. Reg. 2. gum. 2. puto fuisse veros vrsos obsessos, vel exasperatos à dæmonibus vt in pueros irruerent. Itidem leo ille, qui Prophetam Dei præceptis non parentem occidit, 3. *Regum*. 13. existimo esse verū
3. Reg. 13. leonem à dæmone agitatum. Præterea legimus sæpè lupos ingressos domos: homines rapuisse, & comedisse, ita vt nulla arte ac potētia capi valerent. Certè lupi illi obsidebantur, aut rabiose excitabantur à dæmonibus, sicut & illi, qui in numerosa multitudine (vt refertur in Historia Episcopi Viēnensis) ciuitatem intrantes: homines publicè vorauerunt, & ob id sanctus Antistes Litanias minores ante Ascensionem instituit.

Idem iudicium ferendum est de eo, quod nar-
Beluac. rat Vincentius, in speculo Histor. lib. 6. capite 40. *in Gallia* (inquit) *ante Christi incarnationem, & ante bellum Punicum lupus vigilibus Vagina gladium abstulit*. Quod si profana non displicent, cum a-
Ouid. 8. prum Calidonium, quem Ouidius. 8. *Metamor*. refert tot hominum strages dedisse, agros depopulasse, &c. censeo fuisse à dæmone obsessum, vt falsam religionem Dianæ, neglectam ab Eneo vindicaret, (fortassis res non ex integro fabula est. Fateor potuisse dæmones figuram prædictarum ferarum assumendo, eas noxas inferre, sed quid opus esset fingere feras, cum facilius esset eas veras in vindictam excitare ac agitare), maxi-
Sapien. 5. mè dicente Salomone Sapientiæ 5. *Et armabit creaturam ad vltionem inimicorum*: & Leuit. 16. *Si non*
Leuit. 16. *feceritis mandata mea: mittam in vos bestias agri, quæ*
Deut. 32. *consumant vos, & pecora vestra*: & Deuter. 32. *Dentes bestiarum immittam in eos cum furore, &c.*

Ex dictis facile erit colligere dæmones sæpe hominibus nocuisse, ac nocere medijs creaturis irrationalibus: quibus etiam fidem astruit experientia agrorum, arbustorum, segetum, messium, virentium, vastatorum grandine, fulgure, tempestatibus, nimbis, locustis, brucis, & similibus: quæ à malo dæmone immissa, quandoque Magis mulieribus, quarum ministerio dæmones id efficere fassæ sunt, & alijs vijs, innotuit.

10 Nunquid desunt remedia, quibus his malis occurratur? Nequaquam: exorcismi & adiurationes sunt magis appropriata tela vt ait D. Th. in tertia conclusione, & ea petenda sunt ex Sacerdotali Romano nuper expurgato: cuius formulis, si non vis in superstitiones incidere, vtendum est, vel alijs, quę ex consuetudine aliquarum Ecclesiarum rectè institutarum approbata sunt, cætera vt superstitiones reijcito: nisi sapientium calculo approbentur. Insuper meæ aduertentiæ circa praxim dæmoniorum fugandorum recolendæ.

11 Circa harum adiurationum praxim duæ se offerunt dubitatiunculæ. Prima *quid est adiurandum seu exorcizandum?* Dæmones solùm, an etiam creaturæ irrationales, quibus ad nocendum vtuntur? & an malefici, ad quorum inuocationem dæmones mediantibus creaturis irrationalibus mala infligunt? *Respondetur*. Dæmones præcipuè adiurantur, ad hosque præcipuè exorcismi diriguntur: creaturas verò irrationales non debere adiurari secundùm se, iam ex Doctore Angelico docuimus. Quod si quandoque in exorcismorum formulis videantur adiurari: verba explicanda sunt vel per modum supplicationis, qua Deus, qui eas potest compescere, exoratur: vel, per modum imperij ad dæmones directi, quatenus illæ creaturæ eorūm gubernationi, & motioni subijciuntur Exorcizātur creaturæ irrationales in verborum cortice, sed re ad dæmonem, spicula diriguntur, & illis arcentur seque propulsari sentiunt.

Notæ sunt hæ sacræ Scripturæ phrases: iubentur cœlum & terra audire, iubentur elementa & creaturæ inanimes Deum benedicere, & laudare creatorē, imperium metaphoricum est: in re verò obsecratio vel aliquid ad mentis compotem dirigitur. Malefici verò possunt per obtestationē alicuius rei sacræ adiurari, eo genere adiurationis, quo homo hominem adiurat: de quo D. Th. in 1. art. non verò eo quo adiurantur dæmones per vim coactiuam exorcismorum, Deus enim non contulit Ecclesiæ potestatem compellendi hominum voluntatem, sicut dedit cogendi dæmones.

Ex quo infertur dæmonum potestatem nocendi esse maiorem quam hominum, ex parte obiecti: quia ad maiora & mirabiliora se extendit: cæterum ex parte modi maiori pollent homines potestate nocendi: tum quia dæmonum potestas ligata est ne nocere valeant nisi Deo permittente: hominum verò potestas non est ligata, sed relicti sunt suæ libertati, vt si velint noceant: tum quia hominibus supra dæmones collata est potestas coactiua mediantibus exorcismis: non verò supra homines alios.

Secunda dubitatiuncula est: *an semper vtendum sit exorcismis contra noxas illatas à creaturis irrationalibus?* Ratio dubitandi est: quia sæpè huiuscemodi noxæ naturaliter proueniunt sine vlla dæmonum operatione: imò vt ait Petr. Ciru. in libello contra superstitiones p. 3. c. 9. & 10. dæmones nequaquam generare posse pluuias, fulgura, tonitrua, & huiusmodi: & insuper addit, hæc generata ab efficacitate causarum naturalium, rarò cōmoueri à dæmonibus ad nocendum hominibus: ergò vanum est aduersus huiusmodi, exorcismos, proferre, nisi clarè constiterit à dæmonibus assumi ad perdendos homines. 12

Inferius disputatione præambula ad *quæstionē* 95. *& 96*. disputabimus contra Petrum Ciruelo, & alios, ac ostendemus, dæmones posse progignere locustas, vermes, & alia infesta, quæ fruges & arbusta perdunt: & ibidem etiam palam fiet ex probatis Historijs, sæpè dæmones his, & alijs creaturis irrationabilibus mediantibus, non mediocrem iacturam bonorum fortunæ hominibus indidisse, modò verò fatemur si quando constiterit has noxas merè naturaliter sine dæmonum operatione prouenire, non esse ad exorcismos recurrendum, qui vanus esset conatus: sed ad alia remedia vel naturalia, vel spiritualia. De quibus statim.

Agnoscere autem quādo à dæmonibus, quādòve à causis naturalibus exoriantur, difficile e-

rit certo iudicare: coniecturæ verò queunt, & debent sumi ex circumstantijs iudicio prudentum ac sapientum, v.g. repentinæ & ingentes pluuiæ, ac inundatio aquarum tempore hyemis, à causis naturalibus censendæ sunt prouenire: at quando in æstate cœlo sereno, nullis ventis vehementer perflantibus, subitaneè descedunt tempestate irruente super hunc agrum, & non super vicinum: coniectura est à dæmone causari, aut agitari. Itē fulgura descendere, tonitrua fragore sonare tempore veris, aut æstatis, naturale cēsendum est: at hæc eadem, tempore hyemis fieri: à dæmonibus promanare nō leuis coniectura est.

Deniq; quando nimbi, venti vehementes, procellæ tempestates, noxas ferè incredibiles, ac effectus horribiles præter communē cursum parturiunt (vt sæpè audiuimus) à dæmonibus hæc excitata, non leuiter credimus. Similiter quando Bruta visa fuerint in homines ferocire vltra naturales vires modo quodam quasi rationali, in hos, non in illos, astutia non belluina, sed quodā modo artificiosa: signum est à dæmonibus possessa in homines grassari, & sic de alijs circumstātijs coniectandum est.

13 Quando igitur prudenter ac sapienter timetūr has noxas à dæmonibus causari medijs irrationalibus creaturis, ad exorcismos recurrendū: tum quia non inaniter ab Ecclesia ad hæc mala propulsanda exorcismi quidam inuenti ac ordinati sunt: tum, quia si fortè iudicium practicum præfatum à veritate speculatiua aberret, nullum inde creatur periculum: eo quod verba exorcismorū nō sunt sacramentorū formæ, quas in cassum proferre piaculum esset: tum quia in exorcismorum formulis, multæ adiunguntur precationes, multa pia signa, quæ ad Deum exorandum eiusque iram placandam (si forte in vindictam eas moras immittit) magnopere conducunt.

Sed nunquid exorcismi soli aduersus præfata mala deseruiunt? Nequaquam, sunt enim & alia remedia: quando mala imminentia à causis duntaxat naturalibus ortū habent, remedia naturalia adhibenda sunt si fortè inueniantur, v.g. ad extirpādos vermes, brucos, locustas, & alia insectilia, q̄ rodunt ac deuastant fruges, remedia quædam naturalia sunt, & petenda ab his, qui vacant rei rusticæ. Aliqua commemorat præfatus Ciruelo, locis citatis. In omni verò euentu superstitiosa remedia aspernanda. De quo latius *infra q.96.*

14 Remedia verò licita, sancta, & digna viris Catholicis, siue ea mala ortum habeant à causis naturalibus, siue à dæmonibus, multa sunt, orationes piæ, p̄cessiones, Litaniæ decantatæ, ac Psalmi, prout deuotio parochorum suggesserit, ieiunia, expiatio conscientiæ populorum: sæpè enim propter peccata populi hæ noxæ à Deo iubente aut permittente in homines irruūt: aspersio aquę benedictæ p aera, vineta, fruges, &c. & in medio eorum Crucis erectio, sacrarum rerum maximè ad id muneris destinatarum applicatio: vt ramorum benedictorum Dominica in ramis, cereorum benedictorum in die Purificationis imaginum cerearum, quas agnus Dei vocant, & similium. Hæc omnia dæmonibus aduersari, & apud Deum pro eius imploranda misericordia valere: superius satis, superque docuimus.

Ad procellas verò, turbines, vehementes ventos, fulgura, ac reliquas tempestates; commodatissimum & proprium remedium est campanarum ab Ecclesia benedictarum pulsatio. De hac re aliqua diximus superius *art.2.mēbr.1.disputatione vltima.* Modò verò aduertimus, non solum Mahumetanos, verum & Hæreticos quosdam campanis bellum indixisse. Ex Hæreticis præcipuè Brentius, Caluinus, & Vvierus: qui in earū vsum inuehuntur acerbissimè, maximè eo quod (vt ipsi aiunt) campanas baptizamus: & hunc cāpanę baptismum (sic ipsi vocant) irridēt, ab blasphemant, & pro se adducunt capitulare Caroli Magni vbi prohibetur, ne qui clocas, hoc est campanas baptizent. 15

Nos verò vsum campanarum admittimus vt antiquum, piū, vtilem, ac efficacem; non solum propter virtutem naturalem dissipādi tempestares, verùm etiam propter supernaturalem virtutem id faciendi, ac dæmones fugandi. Explicem⁹ singula. Nolæ in Campania inuentas campanas asserit Strabus *lib.de.reb.Ecclesiasticis*: inde Campanæ, à Cāpania, & à Nola Nolę. Putatur ante mille annos D. Paulinus Episcopus instituisse: vt tubis veteris testamenti *Nu.10.* succederent, & populum ad festorum cultum, ac Missarum solemnia conuocarent. *Dicent* Hæretici superstitiose baptizantur, ac si essent anima rationali præditæ. *Respondetur*: nequaquam. Nomen baptismi vsurpauit vulgus, sed rei veritas est campanas benedici, neq; formulis de benedictione campanarum in Pontificali Romano verbum vllū pertinens ad baptismū reperitur. Carolus autem Magnus statuit non aduersus benedictionem campanarum, sed contra aliquam superstitiosam baptizationem per mersionem in aquam, quæ tunc fortasse irrepserat: quod vel ex eo liquet, quia Alcuinus Caroli coætaneus & eius præceptor sic ait: *Nec nouum videri debet campanas benedicere & vngere, & eis nomen imponere: nimirū vt illud vas diuinarum laudum instrumentū, cōmendetur tutela illius Sancti, cuius nomē in honorē eiusdem, campanæ imponitur.* Hęc omnia neq; tantillam sapiunt superstitionē.

Strabus. Num.10. Alcuinus.

De effectu pulsationis nō solum cū Hæreticis, verū etiam cum Catholicis nobis est cōcertatio. Nam Petrus Mexia *in Sylua varia Lectionis lib.8.c.9.* & Petrus Ciruelus *in locis nuper citatis*, nullam aliam virtutem in campanarum pulsatione agnoscunt, nisi naturalem ad tempestates, quæ in aeris regione gignuntur propulsandas, eo q̄ cū nubes, grandines, nimbi, fulgura, & huiusmodi ex aere nimis denso, ac frigore congelato in media aeris regione gignantur pulsatis campanis magnis, ex vehementi aeris circūstantis agitatione, & motu, aer existens in regione sua, concitatur, mouetur, calefit, ac rarefit, & consequenter causa producens eas metheologicas impressiones, aut cōseruās, dissipatur ac euanescit: & sic tempestates, vel non procreantur, vel procreatæ dissipantur. 16

Petrus Mexia. Petrus Ciruelo.

Hunc modum philosophandi non improbamus: sed exilem hanc virtutem solam campanis non concedimus. Certè si hac sola pollerent virtute;

tute; potius vtendum esse contra procellarũ impetum bõbardis, quæ efficaciores essent ad prædicta efficienda. *Secundò*, quia ferè inutilis esset vnius campanæ pulsatio: oporteret plures & ingentis vastitatis simul pulsari. *Tertiò*: aduersus nubes distantes parum prodessent: quia aer ab eis agitatus, antequam ad nubes cõtingeret, vel euanesceret, vel remitteretur: quapropter asseueramus cum Catholicis, campanas Ecclesiæ ex vi suæ benedictionis seu consecrationis, sicut de alijs rebus consecratis superius diximus, habere supernaturalẽ virtutẽ, vt suo sonitu & aerẽ caliginosum discutiant, tempestatesq; arceant, & nequissimas potestates aereas expellant, atq; exturbent. Ita Catholicos credere asserit Concilium Coloniense *c.*14. & pro his effectibus supplicatur in campanarum consecratione, vt videre licet in Pontificali Romano.

Eosdem effectus dum pulsantur campanæ diuinam virtutem efficere, docet experientia quotidiana populi fidelis, qui videt se in dæmonibus pellendis, & ab eis excitatas aut ingruentes tempestates sedandis magnopere adiuuari. Egregiè hoc comprobat Petrus Abbas Cluniacen. *lib.*1. *de miraculis cap.*13 referens de quodam dæmone, qui cum apparuisset monacho in figura venerabilis Abbatis, ac persuaderet è Monasterio fugam: simul ac audiuit sonitum nolæ in refectorio fugam arripuit, & euanescens se per latrinas demisit. Et maleficæ comprehensæ sæpè fassæ sunt, si quando à dæmonibus ad sua nefanda conuenticula deferuntur, seu ab eisdem adductæ domũ reuertuntur, campanæ sonitus audiatur: statim dæmones maleficarum portitores eas in solum deijciunt, ac pauidi fugam capessunt. *Petrus Abbas.*

Multa de hac re narrant Martinus de Arles *tractatu de superstitionibus*. Grillandus *de sortilegijs q.* 7. Et vt audias quod rideas, & vulgi imperitiam animaduertas; scito ex Remigio *li.*1. *de Dæmonola. cap.*26. Lamias vulgò persuasisse, hunc sonitum campanarum inefficacem esse, postquam tempestas penetrauit in territorio, vbi campanæ sunt. Item aiunt non prodesse sonitum campanę, cui dum benedicebatur, concubina Sacerdotis nomen imposuit. Sed his ridiculis omissis, vt finem imponamus cõmentarijs huius quæstionis. *Martin. Arles. Grilland. Remigius.*

Dubitatur vltimò: *an licitum sit ingruente tempestate ac procellis imminentibus, Sanctorum reliquias, ac sacram Eucharistiam extra Ecclesiam & sub dio circũgestare?* Et dubitatio procedit supposita reuerenti circunductione, & sacra Eucharistia in pyxide decenter asseruata. Sprengerus *p.*2.*q.*2.*c.*7. & Syluester *de strigi magis lib* 2.*c.*11. sequentes consuetudinem Galliæ & Germaniæ dicunt licere, esseque opus pium omnis superstitionis expers. Ego verò cum multis alijs existimo, eam circungestationem maximè Eucharistiæ sacræ, non esse de se superstitiosum opus: sed tamen illicitum, propter periculum deperditionis, ac ruinæ Eucharistiæ imminens: ne fortè vehementi vento, aut alio procelloso impetu irruente, capsula fracta, aut cœno inuoluta à baiulis relinquatur: sicut olim arca Domini in manu Philistinorum. 4. *Regum.*4. Tum etiam propter periculum fidei, ac deuotionis Christiani vulgi. Si enim circunductio hæc non fœliciter succedat: imbecilles nutabunt, ac de Dei & Christi potẽtia aliqualiter diffident, ac fortassis ad vana & superstitiosa remedia conuertentur. Fortassis propter similia pericula non fuit licitum Israelitis gestare secum in exercitu præliantium arcam fœderis, & licet habuerint zelum Dei, sed nõ secundùm scientiam. Multo consultius erit venerabilissimum Sacramentum è sacrario eductum, super altare reliquijs ornatum collocare, & populo ad Ecclesiã concurrente pias preces effundere: nullibi enim melius Christus exorabitur, quã in Ecclesia: nullibi gratior thronus quam in templo: extra quod satis erit processiones instituere, Litanias canere, aqua lustrali campos aspergere, ab alta turri benedicere, ac tempestates exorcizare. Et hæc dicta sint de tota hac quæstione nonagesima. *Spreng. Syluest. 4. Reg. 4.*

QVAESTIO 91.
DE ASSVMPTIONE DIVINI NOMINIS PER LAVDEM.

ARTICVLVS I.
Vtrùm Deus sit ore laudandus?
Summa Articuli.

Conclusio Prima. Necessaria est laus oris, non quidem propter Deum, sed propter ipsum laudantem, cuius affectus excitatur in Deũ ex laude ipsius. Probatur prima pars, quia non est necessarium vt Deo inspectori cordis nostros conceptus manifestemus: secũda ꝓbatur, quia ex laudibus Dei vocalibus affectus laudantis excitatur, vt in Deũ ascendat: iuxta illud Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendã illi salutare Dei.* Et consequenter ex laude vocali Dei retrahitur ab his, quæ sunt contra Deum iuxta illud Esaiæ. 48. *laude mea infrenabo te, ne intereas* *Psal. 49. Eccle. 48.*

Secunda conclusio. Laus oris etiam prodest ad hoc ꝙ aliorũ effectus ꝓuocentur in Deum. Probatur ea Psal 33. *Sẽper laus eius* (inquit) *in ore meo*: & postea subditur. *Audiant mansueti, & lætentur, magnificate Dominum mecum.* Hæc de litera D. Thom. *Psal. 33.*

DISPVTATIO I.
An Deus sit ore laudandus?

Pro parte negatiua, maximè cõtra secundã cõclusionẽ arguitur ad ꝓbandũ non esse Deũ ore laudandũ. Primò, nam laus ad cultũ Dei pertinet: at Deus nõ est ore colẽdus, sed mẽte, vt dixit Esai. c. 29. *Populus hic labijs me honorat, cor autẽ eorũ longè est à me*: quo testimonio vsus est Christ⁹ Dñs cõtra Pharisęos Mat. 15. & *Matt. 15.*

15. & Ioannes 4. *Spiritus est Deus, & qui adorant* Ioan. 4. *eum, in spiritu & veritate debent adorare*: & idem diceret de laudibus diuinis. Secundò Arist. Arist. *in 2. Ethicorum cap. penultimo. tomo. 5.* dicit optimorum non est laus; sed maius aliquid, & melius: sed Deus super omnia est optimus: ergò non debetur ei laus; maximè vocalis, quæ ad hoc induci debet; vt laudati ad meliora prouocentur: cuius prouocationis Deus propter suam magnam perfectionem non est capax. *Confirmatur* ex Ecclesiastici. 43. vbi de Deo dicitur: *Maior est omni laude*: ac proinde vanè conantur, qui eum laudare intendunt. Eccle, 43.

3 Nemo Hæreticorum (quod ego viderim) improbauit laudum vocalium vsum abstrahendo à voce alta, & clamorosa, & cantu, & à voce humili, & demissa, præter Hæreticos Turrilupinos refert quos Gabriel Prateol⁹ *lib. 19. de vitis & erroribus Hæreticorum*, orationem omnē vocalem abiecisse: & idem existimo dicerent, vel dixerunt de laudibus vocalibus Dei. Hos secuti sunt Hæretici Trinitarij Transiluani, referente eodem Prateolo. Quibus refragantur innumera sacræ Scripturæ testimonia, & praxis fidelium, & ethnicorum, hunc modum laudandi Deum approbantium, vt circa articulum immediatè sequentem latius ostendetur: & in hoc Diuus Thomas egregiè probat: videndus est etiam in *articul. 12. quæstionis. 83.* quia quæ ibi dicit, & nos commentati sumus præsenti disputationi poterunt facili negotio adaptari. Modò verò sat sit ad argumenta posita respondere; quæ ideò proposui, vt testimonia quædam sacræ Scripturæ, & Philosophi explanarem. Prateolus. D. Thom.

4 *Primum* ex Esaia, & Matthæo, adducunt Hæretici ad execrandum mandata & ceremonias ab Ecclesiæ primoribus: non verò ad impugnationem laudum vocalium. Quo non obstante Diuus Thomas ad secundum obiectioni satisfacit; qua ratione videtur improbare vocalium laudum vsum dicens. Laudes vocales, si non adiungantur laudibus cordis, non esse vtiles laudanti: quia ille non propriè laudat Deum, sed profert sine mente sonos: posset tamen illa vocalis sonatio esse vtilis ad prouocandum alios ad Dei laudem, quorum non est agnoscere, an laudes illæ vocales ex affectu procedant, necne? *Secundò respondetur*, verba Prophetæ non esse adducta ad improperandum Pharisæis, quod orationes vocales sine mente & attentione funderent: fortasse multi eorum nimis attentè eas promebant: sed reprehendit eos: eo quòd laudibus vocalibus contenti posthabita misericordia, & iustitia; cæterisque virtutibus sibi de sanctitate blandiebantur: cum tamen propter sua mala opera Deo essent inuisi: maximè propter transgressionem mandatorum Dei, vt obseruarent traditiones impias seniorum.

Igitur illæ laudes vocales Pharisaicæ improbantur non quia vocales erant; sed quia propter malitiam & peccata laudantium, illæ, quæ de se bonæ erant, ex iniquitate subiecti quodam modo inquinabantur. Iuxta illud Psalm. 49. *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas?* & Ecclesiastic. 11. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Hoc est etiam si in ore eius inueniatur, non est tamen ibi speciosa: nec decet eam ibi esse, quia dedecoratur vel admixtione vanitatis, & falsitatis, vel saltem vitæ improbitate: qua non minus fœdatur, quam circulus aureus in naribus suis conspurcatur, aut Margarita cœno inuoluta inquinatur? Denique non est speciosa laus in ore peccatoris: quia per eam non fit Deo gratus, neque etiam vtilis ei est omnino: quia per illa non assequitur finem bonorum operum, id est beatitudinem. Vnde de Iudæis loco citato ait Propheta: *Sine causa colunt me*, id est sine vtilitate ad finem consequendum. Psal. 49. Eccles. 11.

Ad testimonium Ioannis *respondetur*, quod quamuis Deus spiritus sit, est tamen corporum creator: & ideò principaliter in spiritu ei seruire, atque laudare debemus; secundariò autem etiam corpore & eius membris: & ideò etiam vocaliter laudandus est, vt sibi non solum spiritus, sed etiam lingua carnis obsequatur, vt & nos ipsos, & alios ad laudem Dei excitemus. Sic agebat Paulus, quando inquit 1. ad Corinth. 14. *Psallam spiritu, psallam & mente*; psallam nimirum voce; quia psallere vocale est, sed Psalmus, vt vere sit laus Dei, ab spiritu debet proficisci; & sic procedens verè aliquid spirituale est. Ex quo apparet, quantum errent Hæretici Lutherani, qui ex hoc testimonio volunt explodere omnes cæremonias Ecclesiæ corporales, non aduertentes has esse spirituales & sic debere appellari, si à spiritu dimanent, vt articulo sequenti amplius manifestabitur. 1. ad Cor. 14.

Ad secundū argumentum ex testimonio Philosophi *respondetur*, laudes plurimum valere ad prouocandum laudatos, siue ad malum, cum laudantur de sceleribus perpetratis, siue ad bonum, cum de rebus egregiè gestis magnificantur. Meritò Sapiens Prouerbior. 27. *Quomodo probatur in conflatorio argentum, sic probatur homo ore laudantium.* Et ideò vnus ex præcipuis effectibus veræ laudis est laudatum ex laudibus virtutum non mediocre incrementum suscipere. Habet enim virtus suum calcar laudem; & in hoc sensu dixit Philosophus optimorum non esse laudem: id est non prouocantur ad virtutem augendam ex laudibus; quia in termino & perfectione virtutis constituti sunt; quod præcipuè in Deo Optimo Maximo inuenitur, qui laudibus non excitatur, neque ad bonum prouocatur, vtpote qui est fons, vnde omnis virtus procedit, & in se ipso est perfectus. Prou. 27.

At verò adhuc laudabilis est propter nostram vtilitatem, vt in articulo explicuit Diuus Thomas. Hæc explicatio licet vera contineat, non est ad mentem Philosophi, vt patebit textum legenti: tum quia sicut laus non conuenit Deo propter suam vtilitatem, sic neque honos. At Philosophus, vbi supra, conatur docere optimis, id est Dijs, deberi honorem, non verò laudem.

Quare

Quare melius respondetur cum Diuo Tho. *hic ad primum* de Deo nos loqui posse bifariàm. *Vno modo* quantum ad eius essentiam:& sic cum sit incomprehensibilis, & ineffabilis maior est omni laude: & secundum hanc comparationem debetur ei reuerentia, & latriæ honos. Vn-
Psal.64. de & in *Psalmo.* 64. secundum translationem Diui Hieronymi *in Commentario eiusdem Psalmi*, adiuncta translatione sua in Psalmum eundem dicitur, *Tibi silet laus Deus*, quantum ad primum: *Et tibi reddetur votum*, quantum ad secundum. Alio modo possumus de Deo loqui, quantum ad effectus ipsius Dei, qui in nostram vtilitatem ordinantur: & sic debetur laus Deo: vnde dicitur
Esaiæ.63. Esaiæ. 63. *Miserationum Domini recordabor laudem Domini annuntiabo super omnibus, quæ reddidit nobis*
Dionysi. *Dominus &c.* & Diuus Dyonisius lib. 1. *de diuinis nomin. capitu.* 1. omnem sanctum Theologorum Hymnum, id est diuinam laudem, inuenies ad Beatos Thearchiæ, idest diuinitatis processus, siue opera, manifestatione & laudatione Dei; nominationes nimirum, in ordine ad magnalia sua diuidentem.

6 Hæc responsio Diui Thom. subobscura est: non enim clarè apparet, an innixus Philosophi testimonio deneget Deo laudes, si considerentur tantum quoad attributa sibi essentialia, & quæ non considerantur in ordine ad creaturas, & beneficia eis largita: an vero neget ei, posse exhiberi laudes Deo dignas, & ad æqualitatem suæ maiestatis; aliquales tamen non neget. Nam hoc intenti, cũ postremũ apparet ab eo intentũ ꝓbet ex eo, quod est incompreher sibilis, & ineffabilis & maior omni laude. Ex quibus tantum infertur, non posse Deum pro dignitate laudari, & ad æqualitatem: non vero nullo modo esse laudabilem. Cui consonat dictum Philoso phi citati, scilicet laudes humanes ad Deum relatas esse, derisibiles: id est non attingentes & complentes laudes illi debitas: & testimonium Psalmi. 64. idem indicat, quod Hæbraicè sic habet: *Tibi congrua, tibi conueniens, tibi expectata, & silens laus*: Voce namque Hæbrea *Dami ia* adeò emphatica pro silere, significatur laudes esse tantas, vt eas nemo posit digne enarrare, idest Hymnis in Sion tuas laudes non satis explicat; & Chaldaicè, *Corám te reputatur sicut silentium laus.* Et si hanc viam sequamur, Philosophum dicentem optimorum non esse laudem interpretabimur, non esse laudem condignam ad æqualitatem pro dignitate: non vero absolute laudes optimis quibusque, maximè Deo, denegat. Et hanc esse puto Diui Thom. mentem in hac solutione
7 ad primum.

Tertio explicatur Philosophus ab eodem Doctore Angelico in commentariis supra Philosophi locum ex Ethicis; idest Deo secundum suam essentiam nullo modo conuenit laus propriè loquendo de laude; sed debetur ei aliquid altius; nempe Latriæ honos. Pro cuius declaratione *præmittendum est ex* eodem Doctore Sancto laudem differre ab honore in duobus. *Vno modo*, quia laus cõsistit in solis signis verborũ; honos autẽ in quibuscunq; exteriorib. signis: & secundũ hãc cõsideratione laus in honore includitur. *Alio modo*: quia per exhibitionem honoris testimonium reddimus de excellentia bonitatis alicuius absolutè, sed per laudem testificamur de bonitate alicuius in ordine ad finem extrinsecum: putà laudamus benè operantem in virtutum actibus, vel propter præclaras res gestas, vel propter potentiam benè operandi, vel propter aliquid simile: quo fit vt non laudemus hominem, aut Angelum de sibi à natura conuenientibus: putà quia risibilis, quia intellectiuus, sed honore prosequimur: at tales laudamus, quia fortiter operantur, aut studiose.

Hinc infert Aristoteles, optimorum, qualia sunt Fœlicitas & Deus ipse, non esse laudem, 8
considerata eorum excellentia absolutè: quia non sunt ordinabilia ad alia; sed alia ordinantur ad ipsa. Conuenit autem eis aliquid excellentius laude, putà Latriæ honor. Nec obstat, quod Deum prędicamus, aut confitemur æternum, sapientem, immensum, & secundum alia attributa diuina, quæ ad creaturas non pertinent: quoniam hæc prædicatio, aut confessio honor est propriè loquendo, non laus.

At verò si Deus consideretur in ordine ad nos vt causa nostri, & nostrorum bonorum, ac largitor beneficiorum, pro nostro captu laudibus, & encomijs illustribus dignus est, & à viris spiritualibus magnificè laudatur: vt patet in multis Dauidicis Psalmis, vbi laudes decantatæ exordium & finem sumunt à beneficijs diuinis receptis. Præclarè & eleganter ab Esaia cap. 63. ostenditur hoc *Miserationum Domini* (inquit) *recordabor* *Isaiæ. 63.*
laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & super multitudine bonorum domus Israel, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam, & secundum multitudinem misericordiarum suarum. En rationem & motiuum laudandi Deum: nimirum propter beneficia suscepta quæ in speciali prosequitur Propheta vsq; ad *cap.* 65. & quamuis aliqua in sequentibus dura admisceat, neque peccata populi, aut abiectionem sileat, tamen Canticum laudationum vocat propter commemorata in speciali beneficia: estque versus citatus tãquam Cantici titulus, & exordium, egregiè explicans rationem & motiuum laudũ diuinarum.

Ex his colligitur, Dei excellentiám secundum se & absolutè sumptam siue ordine ad nos non esse de genere laudabilium, sed honorabilium: secus in ordine ad nos & propter beneficia collata, vel quæ potest nobis conferre. Sicq; est intelligendus Aristoteles, & approbat D.Thom. *infra quæstione* 103. *art.* 1. *in solutione ad tertium.* *Ad* *D.Thom.*
confirmationem respondetur, Deum dici maiorem omni laude, vel quia non reperiuntur laudes, quæ adæquent eius excellentiam, vel quia secundum essentiam suam non est laudabilis, vt dictum est.

* * *

DISPVTATIO II.

An Deo vocales laudes sermone vulgari, ac vernaculo cuiusque gentis sint recitandæ?

1 MOVETVR disputatio propter Hæreticos nostræ temporis ab stirpe Lutherana pullulantes; qui magno nisu conantur vnamquamque nationem suo materno ac vulgari sermone in laudibus Deo referendis debere vti: quinimò asserunt, sacra Biblia Christianis esse tradenda, vnicuique in idiomate proprio ac vulgari: ita Brētius in confessione Vvitemberg: *capit. de Horis Canonicis.* Caluinus *lib.3. instit. cap.20. §.33.* Kemnitius *in exami. 4. sessio.* Concilij Trident. & multi alij Hæretici, qui spretis Latinis Biblijs, & officijs ab Ecclesia Catholica compositis, vtuntur alijs in suo quisque vernaculo sermone: vt visum est in Gallia, Anglia, & alijs regionibus peste hæretica infectis.

Et pro sua secta proferunt aliquot argumenta. Primum desumitur ex Diuo Paulo 1. ad Corinth. cap.14. *Etenim* (inquit Apostolus) *si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita & vos per linguam, nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id, quod dicitur? eritis enim in aera loquentes.* & infra: *Si orem lingua spiritus meus orat, mēs autem mea sine fructu est: quid ergo est? Orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente. Caterum si benedixeris spiritu, quis supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit: nam tu quidem bene gratias agis: sed alter non ædificatur. Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor.* Quid clarius potuit dici in fauorem Hæreticorum? Confirmatur: ex oratione vel laudibus non intellectis nulla vtilitas sequitur, vt satis perspicuè ostendit Apostolus in verbis citatis, & expressius ibi: *Si orem lingua spiritus meus orat, mens autem sine fructu est:* & ibi: *Si nesciero virtutem vocis, ero qui loquor barbarus, & qui loquitur mihi barbarus.* idem habetur Esaiæ 29. Matth.15. *populus hic labijs me honorat*: ergò omnes preces & laudes tam publicæ, quam priuatæ lingua vulgari fieri debent, ne sine fructu fundantur.

1. ad Cor. 14. *Esaiæ.29.*

2 *Secundò.* Finis diuinorum officiorum, publicarumque laudum Dei, est Populi instructio, consolatio, & ædificatio: iuxta illud ad Roma. 15. *Vt per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus.* & 1. ad Corinth. 14. *Volo quinque verba in sensu meo loqui, vt alios instruam, quam decem millia verborum in lingua.* & ibidem. *Cum conuenitis, vnusquisque vestrum Psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant.* At ex lingua, quæ nescitur à populo, verbi gratia, Latina, nulla instructio, ædificatio, aut consolatio rudi populo prouenit, vel tenuissima, certè maior proueniret ex verbis suæ propriæ linguæ.

Roma. 15. *1. ad Cor. 14.*

Tertiò. Christus Dominus prædicauit, orauit, ac Deo Hymnum decantauit lingua vernacula. Apostoli in die Pentecostes loquebantur varijs linguis magnalia Dei; & postea dispersi per orbem terrarum prędicauerunt vbique linguis eorum populorum, quibus prædicabant: & idem verosimile est fecisse in laudibus Dei decantandis.

Quartò. Capitul. *Quoniam*, capitu. *In plerisque* Titulo de Officio iudicis ordinarij Innocentius III. præcipit, vt cum in aliqua vrbe permixti sunt homines diuersarum linguarum Episcopus prouideat viros idoneos, qui diuersis linguis diuina officia celebrent, & Sacramenta administrent diuersæ linguæ hominibus. Confirmatur, quia Morauis concessum fuit à Sede Apostolica ante annum Domini centesimum, vt lingua Sclauonica diuina officia celebrarent: imò & nunc Rutheni, Armenij, AEgyptij, AEthiopes, & alij populi lingua materna, ac vulgari ea celebrant, & Deo laudes in Ecclesia decantant. 3

Hæc dubitatio plus habebit in recessu, quàm in fronte. Mota enim tantum est de laudibus diuinis, & etiam extendetur decisio ad orationes, ad confessiones fidei, ad vsum Bibliorum: de his enim rationes pari passu procedunt. Et pro declaratione *præmittendum est*, laudes diuinas, preces, ac alia diuina officia, quædā esse publica, quædā priuata; publica sunt, q̄ à ministris publicis, & nomine Ecclesiæ celebrātur, siue id fiat in Ecclesia, vel extra: huiusmodi sunt Litaniæ solitæ in processionibus decantari, Horæ Canonicæ, quas viri Ecclesiastici singulis diebus persoluunt, Missarum solemnes preces, ac laudes: quæ omnia nomine Officij diuinj comprehendimus, & Græcè vocamus, *Liturgias*, quod vocabulum asserente Duranto *libro secundo de ritibus Ecclesiæ cap. 1. & 4.* Latinè officium & munus publicum significat licèt per Antonomasiam & excellentiam ad ritus, preces, & laudes in Missæ sacrificio adhiberi solitas accomodatum sit: vnde & officia composita de hac re vocarunt Sancti *Liturgias*: ita Basilius, & Chrysostomus. 4

Durant.

Pro decisione *dico primò.* Preces & laudes diuinæ publicæ (quas Officium diuinum vocant) quales sunt quæ in Horis Canonicis persoluendis, aut Missarum solemnijs celebrandis assumuntur, non debent modò lingua vulgari exhiberi. Probatur primò ex Concilio Trident. sessio.22. cap.8. vbi sic dicit: *Et si Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, vt vulgari passim lingua celebraretur.* Et in Canone.9. dicit anathema in eos, qui hunc ritum damnant; & idem & propter eandem rationem diceret de alijs Officijs Diuinis, & precibus, ac laudibus publicis, si interrogaretur. Et præterea probatur ex vsu ferè omnium Ecclesiarum, quæ nequaquam in lingua vulgari diuina Officia & laudes publicas peragūt, sed in 5

vna

vna ex tribus linguis, in quibus sacræ Scripturæ scriptæ sunt, vt egregiè ostendit Bellarminus *in 1. tomo suorum operum libro secundo capit. 15.* Præterea, istę laudes maiori ex parte sumuntur ex diuinis eloquijs veteris, & noui testamenti, & ab Ecclesiæ proceribus concinnantur: vt videre licet in officijs diuinis, quibus hucusque vsa est Ecclesia: sed diuina eloquia, & sacræ Scripturæ authenticæ non sunt in lingua vulgari: ergò neque preces aut laudes diuinæ publicè sunt depromēdæ in lingua vulgari. In minori propositione, vt puto, cespitant Hæretici affirmantes, sacras Scripturas esse & debere esse in lingua vulgari: vnde & ipsi eas singuli vernaculo sermone habent, & venerantur vt Scripturas verè sacras: quare altius hæc controuersia dirimenda est.

6 *Dico secundò*. Ecclesia Dei nunquam habuit Scripturas verè sacras, ac authenticas, nisi in tribus linguis, Hebraica scilicet, Græca, ac Latina. *Probatur* ex his, quæ ab antiquis & historiæ non ignaris accepimus per singulos sacros Codices discurrentes. Etenim certum est lingua Hebraica vetus testamentum fuisse scriptum, partim digito Dei, partim manu Moysis: de Penthateuco nullus dubitauit: imò & oracula Prophetarum magna ex parte literis & sermone Hebraico fuisse exarata omnes affirmant. Dixi magna ex parte: nam quædam capita Danielis scilicet à *capit. 2. vsque ad* 8. Chaldaica lingua edita fuisse textus ipse demonstrat: & idem vetus testamentum in Græcam linguam iussu, & ope Ptolomei Philadelphi Regis AEgypti fuisse conuersum à septuaginta duobus interpretibus historia notissima est: vel quinque libri Moysis tantum ab his conuersi sunt, vt cum Hebræis sentiunt aliqui Christiani Doctores: vel vt alij volunt omnes. 24. *libri*, qui in Canone Hebræorum continentur, & eadem à quibusdam alijs. Cætera penè omnia volumina, quæ veteris testamenti nuncupatione comprehenduntur, quorum etiam nonnulla Hebraico sermone & charactere inueniuntur; quæ licet in pari autoritate ac prima illa 24. apud Hebræos nō habeantur: nihilominus sanctorum Ecclesiæ Patrum decretis, atque consensu in sacrorum librorum ordinem relata sunt.

Nec nobis objiciēda est paraphrasis Chaldaica: quia ea cum maxima ex parte post Christi aduentum conflata esse dicatur, & præcipuè neque ab ipsis Iudæis vt sacra Scriptura habeatur, nec à nobis vt talis recipienda est. In Romanam denique linguam diu postea conuersi fuerunt hi libri veteris testamenti; & alij, qui Oecumenicorum Conciliorum autoritate in sacrorum librorum Catalogum sunt relati: quo quidem idiomate à tempore Apostolorum ad nostra vsque secula vsa est Ecclesia in templis in plerisque Europæ Prouincijs.

7 De nouo testamento maior est quæstio, qua lingua primùm vel ipsum totum vel aliqua eius volumina scripta fuerunt. De Euangelio quidem Beati Ioannis, & Beati Lucæ, de Actis Apostolorum, de Epistolis tredecim Pauli, de Canonicis Epistolis, & Apocalypsi nemo mediocriter eruditus dubitat, quin ea Græco sermone tempore nascentis Ecclesiæ scripta sint: de Matthæi vero & Marci Euangelio, de Epistola item Pauli ad Hebræos, quonam sermone primum scripta fuerit disceptatur inter doctos, & adhuc sub iudice lis est.

Origenes linguarum peritissimus testatur Matthæum Iudæis ad Christianismum conuersis Euangelium suum tradidisse Hebraico sermone. Gregorius Nazianzenus recensens sacros libros sic ait: *Origenes. Nazian.*

Matthæus quidem scripsit Hebræis miracula Christi.
Marcus autem Italiæ, Lucas Achaidi.
Omnibus autem Ioannes preco magnus cælipeta.

Diuus autem Hieronymus in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum de Matthæo verba faciens ait: *Matthæus, qui & Leui, ex publicano Apostolus, in Iudæa propter eos, qui ex circumcisione crediderant Euangelium Christi Hebraicis litteris, verbisque composuit: quod quis postea in Græcum transtulerit non satis certum est: porro ipsum Hebraicum habetur vsque hodie in Cæsariensi Bibliotheca, quam Pamphilus Martyr studiosissime confecit: mihi quoque à Nazaræis, qui in Beroæa vrbe Syriæ hoc volumine vtuntur describendi facultas fuit.* De Epistola verò ad Hebræos postquam de eius autore quædam dubia mouet, de Paulo ita subiungit: *Scripserat vt Hebræus Hebræis; id est suo eloquio disertissimè, vt ea quæ eloquenter scripta fuerant in Hebræo, eloquentius verterentur in Græcum: & hanc esse causam quod à cæteris Pauli Epistolis discrepare videatur.* Hactenus Hieronymus. Idem dicunt Irenæus *libro 3. capit. 1.* & Eusebius ex sententia Papiæ *libr. 3. Historiæ Ecclesiasti. capitu. 24. & 39. & libro. 5. capitu. 10. & libro. 6. capitu. 18.* licet Clemens Alexand. in annotation. in Epistolam Petri in fine, *tomo sexto Biblio. sanct.* dixerit à Barnaba, vel Luca Hebraicè fuisse scriptam. *Hieron. Irenæus. Eusebius. Alexand.*

Alij lingua Syriaca tam Euangelium Matthæi, quàm Pauli Epistolam fuisse composita affirmant: ita quidam Vvidmanstadius Ferdinandi Imperatoris Cancellarius; qui dicit inuenisse scripta Syriace apud Christianos Asiaticos; qui partim sub ditione Turcarum, partim sub Imperio Sophi degunt: & præterea ad hoc mouetur, quia Matthæus Euangelium, ac Paulus Epistolam ad contribules suos scripserunt, qui tunc lingua Syria Hierosolymitana vtebantur, vt patet ex multis verbis insertis testamento nouo Græco & Latino: de quibus postea. Mihi verò magis sententia Hieronymi arridet, propter viri linguarum peritiam, ac in his indagandis ingentem solicitudinem, ac remensa itinera, ac labores. Illa autem inuentio huius codicis Syriaci, vel fictitia est, inuenta ab aliquo Iudæo, aut Lutherano, quasi volens castigare ad illius normam editionem Latinam, vulgatam: vt legitur fecisse Munsterum Lutheranum, fingendo se inuenisse verum Matthæi Euangelium Hebræum; vt hac fraude, & sua trāslatione impia, &

Luthera-

Lutheranica dogmata traderet, quod si vera fuit inuentionis illius historia non continuò credendum est manu Apostoli Matthæi codicem scriptum, sed à quodam fortasse linguarum perito in Syriacum sermonem fuisse scriptum: quare meritò reprehenditur à multis Doctoribus Catholicis, Arias Montanus, aliàs Catholicus ac valde pius, qui approbauit illud, ac inter sacras Scripturas noui testamenti in Biblia Regia cudi iussit, ac permisit. Mitto modò Caietanum, qui super *caput. 27. Matthæi* leui ratione ductus dicit Matthæum scripsisse Græcè.

8 De Euangelio verò Diui Marci maior suboritur quæstio: quanam lingua ab ipso Apostolo scriptum fuerit? Diuus Hieronymus Græce scripsisse sensit ad Damasum Epistola 123. dicens: *De nouo nunc loquor testamento, quod Græcum esse non est dubium, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Iudæa Euangelium Christi Hebraicis literis edidit.* & Augustinus de consensu Euangelistarum lib. 1. capi. 2. sic fatur: *Horum sanè quatuor solum Matthæus Hebræo perhibetur scripsisse eloquio, cæteri Græco.* At scripsisse D. Marcum Latinè multi testantur, quos refert Cæsar Baronius *in 1. tomo suorum annalium, anno Christi quadragesimo quinto*, eamque sententiam multis stabilire conatur. Alij verò, quos idem refert, has dissidentes sententias conciliare nituntur, dicentes: Diuum Marcum Euangeliũ suum, quod Latinè conscripserat Romæ, postea cum Aquileiæ moraretur missus à Diuo Petro ad eam edocendam Ecclesiam in Græcum transtulisse, ipsumque originale Aquileiæ diutius asseruatum, Venetias demum fuisse aduectum. Hæc de originalibus Scripturis sacris manuscriptorum sacrorum exaratis.

Hieron.

August.

Cæsar Baronius.

9 At successu temporis inualescente, & altas radices mittente Ecclesia Latina, eiusque sede, vt creditur, Romę vel apud Romanum Pontificem perpetuo mansura; sacra vtriusq; testamenti volumina à Diuo Hieronymo (vt à plerisque creditur) in sermonem Latinum versa sunt: siue translator id effecerit afflatu diuino, siue non, modò non disputo. Hoc tamen certum apud fideles esse debet, illi versioni, quæ vulgata dicitur, & qua vtitur, & quam Ecclesia approbat, non minus esse fidendum, ac credendũ, q̃ si Deo iubente, ac reuelante accepissemus. Vnde & Aug. contra Epistol. Manichæorum capitu. quinto: *Euangelio non crederem, nisi me autoritas Ecclesiæ cõmoueret.*

August.

Habemus igitur ex dictis, in tribus tantum præfatis linguis scripta esse sacra volumina, quæ habentur in pretio, & vsu, tanquam Dei eloquium, ab Ecclesia vniuersali & orthodoxa: tum, quia tunc temporis ferè omnibus nationibus erant communes: tum maximè, quia propter earum antiquitatem, amplitudinem, ac grauitatem, & vt tales in pretio habitæ ab omnibus ingenijs, diligenter addiscebantur & excolebantur. Cuius rei testimonium illustre præbet titulus Crucis dominicæ pronuntians Iesum Nazarenum Regem Iudæorum iussu Pilati exaratus triplici lingua, Latina scilicet, Hebraica, & Græca, & non sine Dei consilio ac prouidentia: quia erat crediturus illis monimenta sui eloquij, Sacramentum suæ voluntatis, & Regni Dei expectationem, vt adnotauit diuus Hilarius, præfatione in Psalmos. Hilarius.

Dico tertiò. Quamuis tres prædictæ linguæ vulgares esse desierint, non tamen ob id sacræ Scripturæ autoritas, fidelitas, aut veracitas infallibilis ad cuiusque nationis linguam vulgarem transferri debuit, aut translata est: sed in tribus duntaxat linguis perseuerauit, etiam postquam desierunt esse vulgares. *Prima asserti pars* notissima est: nulla enim natio modò est, cui aliqua trium præfatarum linguarum vulgaris sit. *Præterea explicatur* per singulas discurrendo: nam à temporibus Esdræ desijt in populo Israelitico lingua Hebraica esse vulgaris: siquidem in illis 70. annis, quibus Hebræi commorati sunt apud Chaldæos in Babylone obliti linguę patriæ Hebrææ, deinceps ex commercio cum Babylonijs, lingua Chaldaica seu Syriaca vsi sunt vt materna. 10

Ita adnotauit Sixtus Senensis *in suæ Bibliothecæ libro. 3. Methodo secunda*, cui videtur fauere cap. 8. 2. Esdræ vbi dicitur factam fuisse lætitiam magnam in populo, Esdra legente libros legis, & interpretante: nimirum quia non plene omnes intelligebant linguam sanctam, in qua codices scripti erant. Esdras verò, & alij Doctores interpretabantur; & ob id promiscuum vulgus lætitia magna afficiebatur. Item Marci. 5. dicitur, Christum Dominum suscitasse puellam dicendo: *Thalita cumi*, id est: *Puella surge*, quæ verba non esse Hebraica, sed Syriaca illarum linguarum peritissimi affirmant: Nam puella Hebraice non dicitur *Thalita*, sed *Ialadah*, aut *Naara*, & Marci 9. *Abba*, Syrum est, Hebraice diceretur, *Ab*. En Christus Dominus, cuius verba referuntur à Marco, lingua Syriaca vtebatur: quia tunc vulgaris erat, & in ea concionabatur: similiter & eius Apostoli, & beatissima Virgo. Et alibi multa huius rei inueniuntur exempla: Matth. 16. Syriacè, *Bariona*, Hebraicè diceretur, *Benionath*, & Matthæi 27. *Golgotha*, quidam dicunt esse Syrum & Hebraice debere dici, *Golgoleth*, & ibidem *Haceldema*, Syrum est, Hebraicè, *Schededam*.

Sixt. Sen.

Marci. 9.

Matt. 16.

Matt. 27.

Linguam verò Græcam modo nulli genti esse vulgarem illius terræ incolæ asseuerant: nam ferè omnes Turcica lingua loquuntur, iuxta modum ibidem imperantium: quinimò multis ante retrò temporibus cœpit lingua Græca inolescere iubentibus Imperatoribus Romanis, ac vetantibus Magistratus, ne ea vterentur: vt videre licet apud Suetonium in Claudio, & Philostratum in Appollonio. Lingua verò Latina primæua licèt inter ingenuos ac literatos in tota Europa magni æstimetur, & addiscatur vt scrinium, & theca pretiosa bonarum artium, & scientiarum, nulli tamen genti vulgaris etiam degentibus in medio Latio.

Sueton.
Philostra.

Secunda asserti pars: videlicet sacras Literas in linguis vulgaribus (præter illas tres) non habere communem infallibilitatem sacrorum eloquiorum, ac proinde non debere vsurpari in precibus, & laudibus diuinis publicis: probatur quia neque linguis vulgaribus ab scriptoribus sacris 11

sacris nobis traditæ sũt, vt vidimus, neque translationibus in eis est fidendum, eo quod translationes illæ non approbantur ab Ecclesia, sicut Latina editio vulgata approbata est: sed ex proprio cerebro priuatorum passim fit : ergo non debent haberi vt Scripturæ sacræ.

Secundò. Tempore Apostolorum quãdo prædicaturi fidem Christi missi sunt ad gentes exteras, & nationes, vbi diuersas fundarunt Ecclesias, affirmante Irenæo vicino temporibus Apostolorum *lib. 1. cap. 3.* Ecclesias Christi fundatas esse in Oriente Libia, Ægypto, Hispanijs, Germania, Italia, Galliæ, & tamen non scripserunt Euangelia, aut epistolas linguis earum gentium, quibus prædicabant, sed tantùm Hebraicè, aut Græcè, & vt quidam volunt Marcus Latinè : de quo vide Damasum in vita Petri, Adrianum Finum *lib. 6. flagelli contra Iudæos ca. 80. & lib. 8. cap. 62.* & Petrum Antonium Beuter *annotatione. 9. sacra Scriptura.* Quod autem non scripserint Apostoli vllis alijs linguis, etsi eas scirent mediante linguarum dono eis collato, patet: tum quia nullum talis scripturæ extat vestigium : tum quia Paulus ad Romanos Græcè scripsit, quibus Græca non erat vulgaris: tertiò: quia Petrus & Iacobus Iudæis sparsis per orbem scripserunt Græcè, quibus Græca, imò neque Hebræa erat vulgaris, vt colligitur Act. 2.

Irenæus.

Petrus Antonius.

Tertio probatur non decere eas in linguam vulgarem transferre propter rationem Hæreticorum: nimirum vt populus legens, aut audiens intelligat, quæ dicuntur: tùm quia vulgus etiamsi materna lingua audiat, aut legat Prophetas , & Psalmos, & alia volumina, quæ in Ecclesia legũtur: sunt tamen obscura, & difficilia loca, quæ solent remorari facere homines sapientes, & multo studio inuestigare: quo modo ergo intelligẽt plebei de medio vulgo? Quinimò huiusce modi translatio & vsus, populo rudi perniciosus esset: sumeret enim facillimè occasionem errandi in doctrina fidei, & documentis morum quod vltra experimentum non sine Religionis detrimẽto acceptum vel ipsemet Lutherus fatetur , vocans sacram Scripturam Hæreticorum librum.

12 *Quartò*: quia cùm linguæ vulgares sint fere innumeræ etiam versiones sacrorum Bibliorum sine numero deberent esse: quod fieri nequiret sine ingenti confusione, ac periculo in fide, & moribus: dum quæuis natio mordicus suam versionem esse fide dignam contenderet, reiectis alijs versionibus: quinimò cùm linguæ vulgares tot mutationes in singulis ætatibus patiantur, vt videre licet in singularum nationum linguis, si lingua vulgari sacra Biblia verrenda essent , plures quàm Prometheus facies assumerent: quod non sine magno periculo erroris fieri , quis non videt?

Denique, quia sacris Literis in linguis vulgaribus translatis, fidei mysteria non pro dignitate à solis viris doctis definiuntur, cũ quilibet è vulgo etiam fœminæ censores fiunt fidei, & dogmatum eius. Audiui à fide digno in Anglia , vbi translatione vulgari vtuntur , se vidisse Anglos Sutores, Cerdones, ac alios opifices inter se contendentes de fidei mysterijs: dum quidam dicerent sic habetur in meis Biblijs, alij non sic, sed aliter in meis : & nõ solum viri, verùm & mulierculæ gestantes sub ascella sacra Biblia in linguas vulgares, ex quorũ lectione non paruã insolẽtiã & arrogantiam interpretandi sacras Scripturas sibi arrogant, in quos calamitosius quàm tempore Diui Hieron. poterant verba eiusdem in epistola ad Paulinum vsurpari: *Quod medicorum est* (inquit) *promittunt medici, tractant fabrilia fabri: sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant, scribimus indocti, doctiq; poemata passim : hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent , ante quam discant.* Videndus est Ioannes Cochleus in libro de vita & actis Lutheri anno Domini. 1522.

Obijciet fortasse Hæreticus. Eadem inconuenientia sequebantur in codicibus exaratis vna ex tribus linguis, quando vulgares erant, & tamen tolerabantur. Respondetur, id fallum esse: quia sacrorum codicum lectio, & interpretatio solis sapientibus committebatur. In veteri testamento Hebraico soli Moysi, & alijs ab eo designatis legis doctoribus: in statu gratiæ similiter: imò ad hoc munus exercendum donum Spiritus sancti, quod est interpretatio se[…]orum, conferebatur: cæteri verò prohibebantur. Hinc illud Apostoli: *Mulieri in Ecclesia loqui non permitto, &c.* Et quæ erat modestia fidelium, qui non huic officio destinabantur, non se ingerebãt: modò verò apud Hæreticos Lutheranos, Caluinistas, & alia huius pestiferæ radicis germina, licentia & facultas conceditur cuiuis è media plebe sacrorum ignaro ad populum è suggesto verba facere, sacram Scripturam interpretari: Nimirum, sicut puto , vt hac licentia seductos ad suos pertrahant errores , & in eis detineant: amant enim homines primatum, & iudicaturas, & nulli esse subiectos. 13

Tertia asserti pars, videlicet in tribus præfatis linguis mansisse sacras Scripturas , etiam postquam desierunt esse linguæ vulgares , probatur, & explanatur discurrendo per singulas : Nam vt nuper dicebamus, Esdras, quando iam lingua vetus Hebraica non erat, vulgaris eam interpretabatur, vt veram Dei Scripturam: & Christus Dominus ea vtebatur in concionibus : nam *Lucæ quarto* dicitur, Iesu ingresso in Synagogam traditum fuisse codicem; nimirum Hebraicum, Esaiæ Prophetæ, quem interpretabatur vt sacram Scripturam, & tamen lingua vulgari Syriaca ipsum concionari, & interpretari certum est, aliàs non intelligeretur à populo: & vsque ad hanc diem Iudæi in Synagogis Scripturas Hebraicè legunt: cum tamen nulli nationi modò lingua Hebraica vulgaris sit, & tempore Philadelphi Regis Ægypti, septuaginta Interpretes è vero originali Hebraico authentico transtulerunt in Græcum, & tamen iam lingua Hebræa non erat vulgaris: imò Græcæ erat Ignarus Philadelphus Ægyptius: sed propter dignitatem linguæ Græcæ cupiuit , ac studuit vetus Testamentum ex Hebraico in Græcum sermonem transferri. Et etiam post- 14

Luc. 4.

quam Græca lingua desijt esse vulgaris, credo multos Græciæ degentes codices, septuaginta veneratos esse vt verum eloquium Dei, & modò idem videmus fieri de codicibus Latinis: quibus Ecclesia vtitur vt verè sacris, quãdo lingua Latina nulli nationi vulgaris est: ita habetur ex vsu Italiæ, Germaniæ, Hispaniæ, Galliæ, & vbicunque veri Christiani sunt, qui oẽs in lectionibus, disputationibus, & alijs Ecclesiasticis actibus tantùm editione Latina vtuntur: quæ lingua iam desijt esse vulgaris.

15 Sed tamen circa hanc assertionis tertiam partem cautè vitandi sunt duo extremi errores. *Primus est*, ne asseramus sacra volumina Græca, & Hebraica iam desijsse esse sacram Scripturam: ineptus dicendi modus: quia quod semel fuit verè eloquium Dei, semper retinet diuini eloquij dignitatem, & quod semel fuit Scriptura sacra semper erit sacra: nam cœlum & terra transibunt, verba autem Dei non præteribunt. *Secundus error est* eorum, qui codicibus Hebræis, & Græcis, qui modò extant, ita fidunt & credunt vt veris & indubitatis eloquiis Dei, cùm tamen quidam Catholici opinentur, tales codices incorruptos non extare, sed Hebræorum, aut Hæreticorum perfidia in multis esse deprauatos, vt multis probat doctissimus Canus *lib.2. de locis ca.* 13. ex multis translationibus sacrorum voluminum, quas ex Euthymio recenset Cantapetrensis *lib.1. Hipotyposeon, ca.4.* sola editio vulgata autoritatem & dignitatem sacræ Scripturæ habet diffiniente sacra Synodo Tridentina, *sessione* 4. vbi designato sacrorum librorum numero subiungit: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur pro sacris, & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens contempserit, anathema sit*: & post pauca adijcitur: *Insuper eadem sancta Synodus statuit, & declarat, vt hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum vsu in Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & vt nemo illam reijcere quouis prætextu audeat, vel præsumat.*

16 Longius, auide lector, progressi sumus, vt adstrueremus contra Hæreticos nostri temporis preces, & laudes diuinas publicas, id est Officia diuina, non esse recitanda, aut decantanda in lingua cuiusque nationis vulgari: quia magna ex parte à sacris codicibus desumuntur, qui non debent haberi, nec vsui tradi in lingua vulgari, sed duntaxat in vna ex tribus præfatis linguis, Hebraica scilicet, à reliquijs Hebræorum ad Christianismum conuersorum, si qui modò extant, & Latinam linguam non norunt: in Græca à Christianis Græcis in regione Græcanica consistentibus: imò & Græcis collegis Romæ commorantibus, indulgente Summo Pontifice, cõcessum est Græco idiomate certis quibusdam diebus sacra celebrare: in Latina modo à maiori parte Christianismi, qui sub Romano Pontifice, & eius legibus viuit. Sed quid de precibus, & laudibus priuatis?

Dico vltimò. Preces, & laudes priuatas Deo offerre licitum est cuique in ea lingua, ex cuius vsu viderit quisquam suam magis excitari deuotionem, & animi ad diuina erectionem. *Probatur*: quia huiusmodi preces, & laudes non est necesse ex sacris eloquijs sumere: ergo in qua quisque lingua maluerit, & aptior fuerit ad laudantis, & precantis affectum ad Deum excitandum, qui laudum diuinarum vocalium finis est, Deo exhibendæ sunt: & insuper addo fidei confessionem, orationem Dominicam, Decalogi, & Ecclesiæ præcepta, lingua vulgari aptius tradi, quàm in linguis ignotis rudi populo.

Superest respondere ad argumenta in principio disputationis facta. *Ad primum* desumptum ex testimonio Apostoli *prima ad Corinthios* 14. 17
Respondetur in magna illius capitis parte non agi de lectione sanctarum Scripturarum, neque de Officijs diuinis, aut alijs laudibus publicis, quæ nomine Ecclesiæ fiunt: putà de Horis Canonicis, Missæ cantibus, & huiusmodi. Sed de exhortatione spirituali siue collatione: quẽadmodum enim monachi inter se conueniebãt, & conferebant de rebus spiritualibus, vt videre licet in collationibus Cassiani: ita in primitiua Ecclesia conueniebant Christiani diebus Dominicis, vt indicat Diuus Iustinus in fine Apologiæ secundæ: & primum legebantur Scripturæ sacræ: deinde fiebat concio ab Antistite; postea celebrabantur mysteria; postremò inter se colloquia de rebus diuinis miscebant.

Igitur ne confusionem pareret multitudo simul loquentium, Apostolus instituerat vt duo, aut tres tantùm in singulis collationibus loquerentur, & cæteri audirent: & si fortè dum vnus diceret, alteri inspiratum fuisset aliquid melius, vt primus taceret, & secundus loqueretur. Et quia apud Corinthios Christianos aliqui erant curiosi & cupidi ostentandi donum linguarum, quod sibi ab Spiritu sancto concessum erat, in eo primitiuæ Ecclesiæ statu peregrina lingua loquebatur in præfatis collationibus: ideò Apostolus eos corrigit docens, in talibus exhortationibus esse vtendum lingua vulgari, quæ ab omnibus intelligeretur, nõ quia donum linguarum abijciendum esset, aut parui faciendum: sed quia in simili casu non esset eo vtendum. Et hoc est, quod dicit Apost. in loco citato: *Maior est, qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, &c.* Prophetare autẽ in hoc loco est interpretari sacras Literas, aut alia tractare pro ædificatione fidelium, quod fit in concionibus, & colloquijs priuatis de rebus diuinis: *Loqui autem de linguis*, accipitur pro hoc, quod est vti linguis ignotis, & peregrinis: & tunc sensus est: Multo melius esse hos sermones miscere in lingua vulgari, quæ ab omnibus audientibus intelligatur, quàm linguis peregrinis vti, quæ ab audientibus non intelliguntur. Secus est in lectione Scripturarum, vel recitatione diuinorum Officiorum, vt statim dicemus.

Hanc esse veram expositionem maioris partis huius capitis, percipies: tum: quia hunc locum ita interpretati sunt veteres, Cypria. in *epist. ad Pompeium, & in epist. ad Quirinum* de Hæreticis rebaptizandis: cuius expositionem laudat Beatus 18

Augus. Basilius. Ambros. D.Thom. tus Augustinus *lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. octauo*, Basilius *in quæstionibus breuiter explicatis quæst. 278.* Ambrosius, Sedulius, Aymo, Theodoretus, OEcumenius, & D. Thomas super hunc locum: tum etiam ex verbis eiusdem Apostoli: nam illud: *Prophetæ duo, aut tres dicant, & cæteri dijudicent*: & illud: *Si alijs reuelatum fuerit, prior taceat*: & illud: *Mulieres in Ecclesia taceant*: & similia multa, non nisi ad exhortationem referri possunt: nam lectio Scripturarum, & diuina Officia non debet à Prophetis (de quibus hic Paulus) diiudicari, sed cum veneratione acceptari, nec tunc inspirantur, cum leguntur: sed iam olim inspirata recitantur, neque legimus aliquando mulieres in Ecclesia diuina mysteria celebrasse: igitur de exhortatione intelliguntur, saltem illa priora verba in argumento sumpta.

19 Cęterùm adhuc manet difficultas de illis verbis: *Si orem lingua*, vt supra vsque ad illa, *quoniam quid dicat nescit*: in his enim non de exhortationibus, sed de precibus, & Psalmis agi videtur. Aliqui respondent, etiam in verbis illis agi de exhortatione: nã orare accipitur dupliciter, videlicet pro deprecari Deum: & sic non accipitur in hoc loco: altero modo pro persuadere, & sic accipi in hoc loco asserit Glossa super capitulum hoc; & forte accipit ex Basilio, Theodoreto, & Sedulio, qui ita interpretantur. Sed hac solutione omissa: tùm quia orare propriè nõ est persuadere, sed deprecari, & maximè in hoc loco colligitur ex textu Græco, in quo Apostoli verba non significant concionari, seu persuadere, sed precari, canere, & gratias agere: & ita interpretantur Chrysostomus, Theophilactus, Ambrosius, & Aymo.

Alij aiunt; Apostolorum loqui de oratione publica, sed nequaquam requiri, vt totus populus intelligat, sed solum vt intelligat aliquis, qui vice populi respondeat. Hoc enim significari illis verbis: *Qui supplet locum idiotæ, quomodo respondebit, Amen*: aiunt Aymon, Primasius, Magister sententiarum, D. Thom. & multi alij. Cui expositioni obijciũt quidam Neoterici: nam illa verba Apostoli in originali Græco non significant nomine idiotæ eum, qui gerit vices idiotæ; idest ignorãtis linguã, in qua public⁹ minister orat, sed illũ, qui adimplet locũ idiotæ. Hoc est, qui sedet in locis idiotarum, qui est ex idiotis idiota: vt exponunt Chrysostomus, & Theophilactus *in hoc loco*, & aiunt non solum profanos autores vti illo nomine Græco, *topos*, pro vice, sed pro aduerbio *anti*, vt patet in illo primo Machabæorum, cap. 9. *surrexit loco Iudæ*: & idem habetur cap. 11. 13. & 14. Huic obiectioni respõdet Sixtus li. 6. Bibliothecæ annotatione 263. *Apostolum, cùm dicit, qui adimplet locum idiotæ, intelligere eum, qui est idiota, tamẽ idiotam vocare non eum, qui est re vera idiota, sed qui officio est idiota, idest qui respondit pro idiotis: sicut interdum vocamus hominem popularem eum, qui etsi sit nobilis, tamen sequitur factionem populi.* Hæc Sixtus: qui obiter reprehendit interpretẽ Chrysostomi in homilia circa hunc locum Pauli vertentem isto pacto: *Idiotam autem promiscuam plebẽ*

Aymon. Primasius Magister. D.Thom.

vocat, cum vertere debuisset: *Idiotam autem vocat laicum*, idest hominem pro laicis in Ecclesia constitutum.

Certè hæc explicatio tantorum Sanctorum, ac Doctorum nõ est contẽnenda, etiam si nomine publicæ orationis intelligantur diuina Officia, quod non video expressum in D. Tho. nihilominus videtur Apostolum in hoc ca. non agere de publica lectione sanctarum Scripturarum, nec de diuinis Officijs, qualia sunt Horæ Canonicæ, & sacræ Liturgiæ, sed de orationibus, & laudibus priuatis. Cui expositioni facile adaptãtur omnia verba huius cap. præter illa: *Cæterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quo modo respondebit, amen super tuam benedictionem? quoniam quid dicat, nescit.* Quæ verba circa dubiũ de precibus & laudib⁹, quæ à publico ministro, & in publico cõuentu pronũtiabãtur, respõdẽte vel toto populo, quãdo pauci fideles cõuenerant, vel aliquo, vice & nomine populi, intelligenda sunt alias magna violentia fit textui sacro.

Respondetur igitur. In publicis cõuentibus Christianorum tempore primitiuæ Ecclesiæ non solum recitabãtur Officia diuina, & fiebant Liturgiæ sacræ vt supra retulimus ex Iustino: verùm etiam cantica quædam spiritualia quæ interdum ab ipsis canẽtibus cõponebantur, vt affirmãt Eusebius *lib. 2. histor. cap. 17.* & Diony. *ca. 3. de diuinis nominibus, & cap. 4.* adducit multa cantica Theorotei, Tertulian. *in Apologetico cap. 39.* Apostolo ad *Ephesios 5. & ad Colossenses 3.* vbi hortatur fideles, vt in Psalmis, & Hymnis, & canticis spiritualibus commoneant se ipsos. Et de huiusmodi canticis, laudibus, ac precibus, quas possumus appellare publicas, quia publico conuentu fiebant, intelligendus est Diuus Paulus, esse faciendas in lingua, quæ intelligatur ab omnibus: quia ista fiebant ad populi cõsolationẽ, sicut & laudes, & preces priuatæ, vt idiotæ, qui non sciunt similia componere, saltem possint ea confirmare, dicendo Amẽ: quod verò non intelligatur Apostolus de diuinis Officiis, ex eo probatur: quia Scripturæ sacræ, & diuina Officia ex eis magna ex parte composita, tunc temporis apud Corrinthios Græcos, in lingua Græca absque dubio celebrabãtur. At Apostolus hic loquitur de oratione & gratiarum actione, quæ per donum linguarum fiebat, lingua aliqua maximè extranea, quam nemo intelligebat, vt Arabica, vel Persica, vt Chrysostomus, & alii omnes exponunt: non ergo loquitur de diuinis Officiis, quæ cum Græcè celebrarentur, à multis intelligebantur, sed loquitur de oratione, & laudibus Dei, quas interdum lingua peregrina aliqui in collationibus illis canebant, potius curiositate nimia, & auiditate ostentandi peritiam linguarum quam desiderio consolandi, & instruendi fratres, qui ad conuentum accesserant.

20

Eusebius. Dionysius. Tertullia.

Sed rursus instat Caluinista & sequaces: sicut Apostol⁹ monebat ista cãtica fieri in lingua vulgari, vt populus posset respondere, Amen: itã etiam debuit velle, vt diuina Officia celebrarentur lingua vulgari, vt populus posset respondere Amen. *Respondetur* negando consequentiã: quia di- 21

uina Officia apud Corinthios fiebant in lingua Græca, quam multi de populo intelligebant, etsi non omnes: & hoc satis erat; non enim volebat Apostolus, vt omnes possent respondere Amen. *Præterea* quia tunc Christiani erant pauci: & ideò omnes simul psallebāt in Ecclesia, & respōdebāt in diuinis Officijs: vt colligitur ex Iustino citato. Ad quod etiam spectat illud Hieronymi in præfatione in epistolam ad Galat. li. 2. *Ad similitudinē cœlestis tonitrui Amen reboat*: & illud Ausonij in ephemeride.

Hierony.

Consona quem celebrant modulati carmina Dauid.
Et responsurus ferit aera vocibus, Amen.

22 At postea populo crescente diuisa sunt magis officia, & solis clericis cōmissum est, vt communes preces, & laudes in Ecclesia recitent. Demū finis præcipuus illorum canticorum erat instructio, & consolatio populi: fiebant enim in collationibus, vice exhortationum, & concionum, & ideò conuenientissimum erat, vt à pluribus intelligerentur, & nisi lingua nota facta fuissent, vel mox sequeretur interpretatio, perijsset præcipuus fructus ipsorum. At diuinorum officiorum præcipuus finis non est instructio, vel consolatio populi, sed cultus Dei, & quod populum scire oportet ex diuinis Officijs à præfectis Ecclesiarum explicatur. Quod si integrā expositionem eorum, quæ dicit D. Paulus ad hoc propositum desideras: lege commentaria D. Tho. super D. Paulum.

23 *Ad confirm. resp.* negando antecedens: cuius falsitas, si sit sermo de Officijs diuinis, precibus, & laudibus publicis manifesta est: etenim cum huiusmodi laudes, & officia ordinentur immediatè in Dei cultum, non est necessarium populum ea intelligere vt illi prosit, satis est Deum intelligere: quemadmodum qui orat Regem per interpretem, etiam si non intelligat orationem, poterit ei prodesse. *Præterea* cum Ecclesia modò orat Latinè, pro rudi vulgo, & alijs peccatoribus, qui sæpe non solum non intelligunt, sed nec audiunt, nec volunt pro se orari, & tamen Ecclesia non orat sine vtilitate: quāto igitur magis non frustra orat pro fidelibus præsentibus, & cupientibus orare pro necessitatibus suis?

Leuit.16. Hinc *Leuit.* 16. Deus præcipiebat, vt dum Sacerdos sanctuarium ingressus pro se, & pro populo oraret, populus foris maneret, ac ex consequenti non intelligebat, nec audiebat ea, quæ dicebantur à Sacerdote: imò nec videbant ipsum: quod factum fuisse legimus *Luca* 1. & tamen certò certius est eam orationem populo prodesse.

Luca.1. Hinc etiam Origenes hom. 20. in Iosue: *Si vides*

Origenes. (inquit) *aliquando legi Scripturam in auribus tuis, quam non intelligis, interim hanc primam te suscepisse vtilitatem, quod solo auditu, velut præcantatione quadam noxiarum virtutum, quæ te obsident virus depellitur*: & Chrysostom. homil. 3. de Lazaro *Quid* (inquit) *si non intelligamus quæ continentur in sacris Literis, maximè quidem etiam si non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia.*

Si vero sit sermo de oratione priuata, imò ex ea, quam ipsemet orans pro se ipso ad Deum fundit, tunc orantes multam percipiunt vtilitatem, præcipuè impetrationis, & meriti apud Deum, ex cuius reuerentia, & affectu mouentur ad orandum, etiam lingua eis ignota. Quod explicat Augustinus egregia similitudine, *lib.* tertio de doctrina Christiana, cap. nono, nam Iudæi non frustra colebant Deum figuris, & cæremonijs varijs, quarum significationes multi eorum nequaquam intelligebant: saltem nō magis, quàm verba Latina rude vulgus Hispanicum: & idem Augustinus lib. sexto de Baptismo capite 25. *Multi irruunt* (ait) *in preces non solum ab imperitis loquacibus, sed etiam ab Hæreticis compositas, & per ignorantiæ simplicitatem non eas valentes discernere, vtuntur eis, arbitrantes quod bona sint: nec tamen quod in eis peruersum est, vacuat illa, quæ in eis bona sunt, sed ab eis potius euacuatur.* Quibus verbis docet Diuus Augustinus etiam preces, in quibus aliquid hæreticale admixtum est, non carere fructu, quando simpliciter dicuntur ab eo, qui nescit, quid dicat, putans se benè dicere. Nam vt idem Augustinus ibidem ait: *Plerumque precis vitium superat precantis affectus, Deus enim non tam respicit quid dicamus, quàm quid dicere cupiamus.* August.

Si ergo preces non intellectæ & malæ non sunt infructuosæ, quando dicuntur bona fide, quanto magis preces bonæ, etiam si non intelligantur, proderunt. Ad idem facit Origenes vbi supra: *Et si nos* (inquit) *non intelligimus, quæ de ore proferimus, illæ tamen virtutes, quæ nobis adsunt, intelligunt, & velut carmine quodam inuitatæ ad esse nobis, & ferre auxilium delectantur, &c.* Quam rem duabus similitudinibus illustrat: *Si enim creditum est* (ait) *à gentibus, quod quædam carmina, quas præcantationes appellant, quibus istud artis est, insusurrantes nominibus quibusdam compellatis, quæ nec illi quidem, qui inuocant, norunt, ex solo vocis sono vel sopiantur serpentes, vel etiam de cauernis protrahantur: quanto magis totius præcantationis, & carminis, validiorem, & potentiorem ducendam credimus quamcunque Scripturæ sanctæ, vel sermonum, vel nominum appellationem, &c. Solent medici præbere interdum cibum aliquem, interdum etiam potum dare: nec tamen in edendo ipso cibo, vel in potando, sentimus quia vtile est, &c. Hoc ergo modo* (inquit) *credendum est etiam de Scriptura sancta: quia vtilis est, & animæ prodest, etiam si sensus noster ad præsens intelligentiam non capit.* Hæc ille.

Accedit ad hæc. Si necessarium esset intelligere quidquid orantes, vel laudantes Deum proferimus, profectò pauci possent Psalmos Dauidicos canere, Prophetas recitare, aut ex Euangelio aliquid proferre, cum in his multa obscurissima inueniantur. Et tamen non frustra isthæc canimus, aut recitamus. Et testimonia allata ad probādū antecedēs ferè iā sunt explicata de laudibus priuatis, aut precibus. Illud autem ex Paulo: *Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem sine fructu est*: etiam de priuata oratione intelligitur: & sensus est: Si orem ex dono linguarum, lingua, quam non intelligam, spiritus meus orat, idest affectus meus orat, videlicet, quia desidero ad Deum fundere preces, & petere 24

salu-

salubria: tamen mens sine fructu est, non quidem sine fructu meriti, aut impetrationis: sed mens mea, idest intellectus meus non eruditur: quia non intelligo quid dicam: & eodem modo sunt intelligenda illa verba eiusdē Apostoli: *Qui loquitur linguis, non hominibus loquitur; sed Deo, nemo enim audit.* Testimonium verò ex Esaia in argumento allatum, iam à nobis explicatum est in disputatione præcedenti.

25 *Ad secundum argum. resp.* negando maiorem, si sermo sit de fine præcipuo laudum, & precum, publicarum: ille enim est cultus Deo ab Ecclesia debitus: quapropter ministri Ecclesiæ talem cultum exhibent in vna ex tribus linguis præfatis propter rationes iam relatas: at verò è contrario res se habet in concionibus, exhortationibus, precibus, & laudibus priuatis, quas lingua vernacula fieri necessarium est, vel saltem conuenientius: neque testimonia allata ad probationem maioris propositionis hanc responsionem obruunt: nos enim fatemur sacras Scripturas magnam afferre cōsolationem Christianis, sed nō eodem modo doctis & indoctis. Doctis quidem dum leguntur, indoctis verò dum à concionatoribus explicantur: & sanctus Paulus meritò magis vult quinque verba in sensu meo ad instructionem loqui, quàm decem millia verborum in lingua: quia melior est exhortatio, quæ ab omnibus intelligitur, licèt breuissima sit, quàm quæ non intelligitur, etiam si sit longissima. Denique per illa quinque vocabula: *Psalmum, doctrinam, Apocalypsim, linguam, & interpretationem*, non intelliguntur Scripturæ diuinæ, sed quinque dona gratis data. Nam paulò ante in hoc eodem cap. Apostolus de eisdem donis, ita loquitur: *Si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar, aut in reuelatione, aut in scientia, aut in Prophetia, aut doctrina.*

Itaque per linguam intelligit donum linguarum, per doctrinam donum docendi, per Apocalypsim donum reuelationis, per interpretationem donum exponendi Scripturas, & de vna lingua transferendi in aliam: quod donum etiam Prophetiam sæpe vocat Diuus Paulus per Psalmū intelligit donū gratis datū psallendi, vt Diuus Chrysostomus exponit: id est donum componendi spiritualia cantica, & ea modestè in Ecclesia canendi. *Sensus igitur est*: Cum in vestris conuentibus, & collationibus possitis exercere hæc omnia dona linguarum, &c. videte vt nihil fiat ad ostentationem, sed omnia ad vtilitatem, & ædificationem.

Demum ad *argumentum secundum resp.* Esto Populus priuetur aliqua vtilitate, si Officia diuina non intelligat: tamen hoc incommodum magnis recuperatur aliunde vtilitatibus, putà vitatione multorum inconuenientium (de quibus diximus) si Officia diuina in lingua vulgari recitarentur. Item: quia maiestas diuinorum Officiorum, & eorum abscondita mysteria non decet omnibus esse peruia, vt docuit Dionysius, cap. primo, & vltimo Ecclesiast. Hierach. Ori- Dionysius.

genes, *homilia quinta in Numeros*, Basilius *de Spiritu sancto cap.* 27. Chrysostomus *homi.* 24. *in Matth.* Gregorius *lib.* 4. *Dial. cap.* 56. Origenes. Basilius. Chrysost. Gregor.

Ad tertium resp. negando consequentiam: dilābitur enim argumentatio à prædicatione, quam lingua vernacula debere fieri diximus, ad sacras Scripturas, & diuina Officia, quæ non esse tradēda in lingua vulgari contra Hæreticos docuimus. Disparitas autem inter hæc perspicua erit legenti quæ diximus: & consequentia itidem instatur in Apostolis, quorum plures scripserunt Græcè, & verbum Dei disseminarunt in lingua vulgari eorum, ad quos prædicabant. 26

Quod *si quis obijciat*, Christum Dominum sacrificium cruentum in Cruce immolaturum lingua vulgari exclamasse, & pronuntiasse verba Psalmi 21. *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Respondetur non esse hoc ita certum: Nam quāuis Epiphanius *Hæresi* 69. existimet Christum in Cruce partim Hebraicè, partim Syriacè protulisse illa verba: & Caietanus *super* 27. *capit. Matthæi* videatur approbare, & quidam modernus Guido Fabricius *in præfatione ad nouum Testamentum Syriacum in Biblijs Regijs* mordicus id doceat, tamen longe probabilius est, cuncta illa verba pronuntiata esse à Christo Domino Hebraicè, sicut in Psalmo prædicto habebantur: nulla enim vrgebat causa, cur Dominus verba Dauidis Hebraicè inciperet, vt deinde prosequeretur in Syriacum idioma. Quare Diuus Hieronymus *in lib. de nominibus Hebraicis* tractans hunc locum, non dicit esse verba Syriaca: quod tamen semper mouere solet in his, quæ Syriaca sunt: ponit verba Hebraica, & Latinis Characteribus, ita scribit: *Ely Ely Lamma azabthani*: item Syriacè sic dixisset: *Hel hel lemana sebactani.* Et si dicas quod in Græco, & Latino textu habemus, *Sebactani*, non *azabthani*. Respondetur, id factum esse vt facilius pronuntiaretur, quemadmodum dicere solemus, Esaiam, Ezechiam, Hieremiam, Asuerum, & alia huiusmodi: pro *Iesaias, Irmeiau*, & alijs Hebraicis vocibus durissimis. Item, etiam si concedamus Epiphanio, quod affirmat de verbis Christi in Cruce pendentis, nihil contra nos: etenim verba illa non preces publicæ, sed priuatæ erant, quasi per modum querelæ in afflictione & angustia mortis, directa ad Patrem. Epiphan. Caietan. Guido. Hierony.

Ad *quartum resp.* Innocentium tantum loqui in eo Decreto de lingua Græca, & Latina: etenim tempore Innocentij capta est Bizantium à Latinis: & Imperatore, ac Patriarcha Bizantino Latinis existentibus, multi erant Latini in Græcia Græcis admixtis: & ideò petierunt à Summo Pontifice in Concilio Generali Lateranensi, ad quod Græci, & Latini conuenerāt, vt permitteret duos Episcopos ordinari in talibus locis. Pontifex autem cum Synodo respōdit nō cōuenire, vt essent duo Episcopi in vna Ecclesia: sed tamē debere Episcopū prouidere, vt sint ministri idonei, qui Græcè Græcis, & qui Latinè Latinis sacra celebrarēt: estq; hoc Decretum *capituli* 93. *Concilij*. Igitur nō loquitur Decretū de linguis vulgaribus, vt contēdunt Hæretici, vt patet ex Historia modò relata: & quia eo in tem- 27

pore Latina lingua & Græca non erant vulgares. Ad *confirmationem respondetur* nos non curare de vsu Ruthenorum, Armenorũ, & similium, sicut neque de vsu Anabaptistarum, & Caluinistarũ, ac Lutheranorum, qui Germanicè, aut Gallicè, aut Anglicè, alijsque linguis vulgaribus scripturas & laudes publicas publicè recitant: sunt enim etiam illi, vel Hæretici, vel Schismatici, & scimus maiores eorum Catholicos aliter fecisse, vt supra retulimus.

Ad illud *verò de Morauis resp.* iustam adfuisse causã meo tempore illius dispensationis: quia nimirum, vt refert AEneas Syluius *li. de orig. Bohemorum ca.*13. totum regnum simul conuertebatur ad fidem, & non poterant inueniri ministri, qui Latinè celebrarent, potius visum est Sũmo Pontifici permittere, vt id fieret Sclauonicè, quàm nullo modo: tamen postea vbi creuit eruditio, & ministri idonei inueniebãtur, qui possent id munus præstare Latinè, melius fuit omittere vsum linguæ Sclauonicæ, & communem totius Ecclesiæ consuetudinem sequi, vt hoc tempore Morauí Catholici faciunt.

DISPVTATIO III.

An cuique priuatæ personæ libera sit facultas componendi, & ordinandi preces, & laudes diuinas publicas, in ea lingua, in qua docuimus licitum esse eas proferre, aut decantare?

1 ET videtur vera pars affirmatiua. *Primò*, quia carmina & Hymni, qui in publicis laudibus, putà in diuino Officio recitantur à priuatis personis edita fuere: v.g. Paulus Diaconus dicitur cõposuisse illum Hymnum, qui canitur in natiuitate D. Ioannis Baptistæ: *Vt queant laxis &c.* Sedulius illos composuit, qui recitantur in Natali, & Epiphania: Theodulphus Aurelianensis illum Hymnum pulcherrimum composuit, qui canitur in festo Palmarum: *Gloria, laus, & honor, Tibi sit Christe Redemptor, &c.* cum à Ludouico Imperatore missus esset in carcerem: & idem cum Imperator in die Palmarum iuxta carcerem trãsiret, illos alta voce cœpit versus canere, & propterea inde liberatus est: Harmanus Cõtractus illas Antiphonas percelebres; *Salue Regina, & alma Redemptoris mater*, in laudem Virginis composuit: & alij innumeri priuati carmina, & Hymnos, & alias diuini Officij partes cõposuere. De quorũ autorũ multo numero lege si placet liberum Hamaularij Fortunati Treuerensis Episcopi de Ecclesiasticis officijs: & Angelonius Luxoniensis sub eodem titulo, Rupertus Tutiensis, & alij videndi sunt.

Hamaula. *Angelon.* *Rupertus.*

2 Pro decisione *dico primò*. Et si multæ personæ priuatæ carmina, & laudes diuinas in Officio diuino recitandas composuerint, ad solos Ecclesiæ Præsules spectat eas admittere, & tradere suis Ecclesijs recitandas in publicis Officijs diuinis: putà in Liturgijs, Horis Canonicis, Processionibus, & huiusmodi. *Prior pars* patet ex argumento allato, & his, quæ quotidie videmus à deuotis personis in Dei laudem edi, ac fabricari. *Posterior* verò: quia publica carmina, & diuinæ laudes nomine Ecclesiæ Deo offeruntur: ergo earum ordinatio, aut saltem acceptatio ad Ecclesiæ Præsules spectat: decet enim, vt eo autore approbentur, in cuius nomine offeruntur.

Secundò probatur: nam ferè omnes laudes publicæ sanctis Præsulibus tribuũtur: vnde & Iacobum peculiarem Liturgiam, quæ apud nos extat composuisse, autor est S. Proclus de traditione diuinæ Missæ: & similiter extant D. Basilij, & Chrysostomi liturgiæ multis carminibus & laudibus diuinis ornatæ: & apud nostrates Missa Mozarabe illustris miraculis à Diuo Isidoro, vt fertur, cõposita, & de reliquo Officio diuino multa sunt exempla Prẹsulũ, qui ea cõposuerunt, & suis Ecclesijs recitanda tradidere: vt colligitur ex officio Ecclesiæ Mediolanensi adhuc retento, cuius D. Ambrosius autor fuisse pro comperto habetur.

Dico secundò. Et si Ecclesia præcipuè Latina conata est diuersitatem in diuinis Officijs vitare: modò tamen hunc conatũ plenius & perfectius assequuta est: dum ad solum summum Ecclesiæ Præsulem spectat condere diuina Officia, & reliquas preces, ac laudes publicas. Prima pars colligitur ex multis Concilijs. Veneticum primum sub Leone primo, canone 15. *Rectum duximus* (inquit) *vt intra Prouinciam nostram sacrarũ vna sit consuetudo, & ordo psallendi, &c.* Et Concilium Gerundense in Hispania refert Gratianus de consecratione distinctione secunda cap. *institutio.* Idem & Epanense sub Gelasio primo, & Tolet. 4. *Canone* 2. Brãcharense primum *Canone* 19. allegat Gratianus *distinctione* 12. *cap de his.* Secunda pars asserti, si loquamur de compositione laudum, & precum, quẹ in Canone Missæ habentur indubitatam esse censeo: nam à D. Petro exordium sumpsit, vt docet Isidorus *primo offic.* in successu temporis ab alijs Pontificibus summis auctus est: vt docere videtur Concilium Tridentintum *sessione* 22. *cap.* 4. & ante nongentos annos totum Canonem sicut modò est extitisse satis colligitur: quia Alcuinus in *lib. de offic. Ecclesiast.* eum integrum exposuit. Legimus quidem Gregorium Magnum addidisse in Canone verba illa. *Diesque nostros in tua pace disponas*: vt refert Beda *lib.* 2. *historia Angliæ cap.* 2. & similiter legitur Leonem primum, vt dicitur in eius vita addidisse in Canone illa verba: *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiã.* Post Gregorium verò nihil ei esse additum legimus. Quod si qui alij Doctores in hoc componendo laborarunt; certè nisi ex approbatione summi Præsulis nescimus aliquid esse permissum, aut additum. Quare qui aliquid prẹsumeret addere, peccaret (vt puto) lethaliter. 3

Alcuinus. *Beda.*

Loquendo verò alijs Officijs diuinis, iam modo

modo iure optimo Summi Pontifices ad se hoc munus componendi, vel saltem tradendi toti Ecclesiæ Officia diuina, laudes, ac preces publicas auocarunt: vt patet ex præfatione Missalis, ac Breuiarij Romani: vbi iubetur stricto præcepto sub ea forma, quæ in Breuiario Romano habetur, Officium recitari; & sub eo ritu, norma, ac modo, qui in Missali habetur Romano celebrari: quod intelligitur exceptis priuilegiatis; vt quibusdam Ordinibus concessum est; peculiaribus sibi ritibus, & modo vti: ver tamen etiam in illis præcipua, & in partibus magis essentialibus vnitas cum ritibus Romanæ Ecclesiæ seruata est: verbi gratia, in dispositione rituū Missæ, in Canone integrè recitando, in Horarum Canonicarum numero, & dispositione: vt sic Ecclesia vna cum sit eisdem fimbrijs aureis decorata in minutioribus venustetur circumamictá varietate.

4 *Ex dictis infero.* Si quis sine autoritate Pontificia vellet aliquam partem in forma præscripta modò in Missali, aut Breuiario addere, vel delere, citra dubium peccaret mortaliter: quia vsurparet officium alienum, quod est componere, & tradere formam Officij diuini, aut sacræ Liturgiæ; & grauius peccaret, si id conaretur in Canone Missæ efficere: tum, quia id maximè ad summos Præsules spectat, Canon enim ob id dicitur, quia regula est præscripta, & seruanda in sacrificio Missæ: tum, quia maiori ex parte creditur esse cōpositum ab Apostolis, vt docuit Isidorus vbi supra, & D. Clemens *lib. 8. inst.* & Basilius in *Liturgia, & lib. de Spiritu sancto cap. 27.* *Isidor.* *Clemens.*


At verò si aliquis aliquid in diuinorum Officiorum forma præscriptum omitteret, si materia omissa pars præcipua est, vt Euangelium, Epistola, vel quid simile, seclusa ignorantia, aut inaduertentia inculpabili, peccati mortalis reus esset: secus si particula leuis omitteretur, aut inaduertentia esset culpabilis tantum venialiter. Idem fermè dicendum est, quando quis non præsumptuosè, sed putans decere aliquid superaddere vocaliter [illegible] ab Ecclesia ordinatis; vt patet ex præfation[illegible] Pij Quinti ad Breuiarium, & Missale Romanum, & ex Concilio Tridentino *sessione 22. de* obseruandis in celebratione Missæ. Vnde etiam puto non debere addi quasdam preces aut laudes, quæ quis secretè recitat inter persoluendas preces, aut laudes publicas: etiam si id intendat facere, vt priuata persona: quia licet non peccet directè contra iussionem præfatam Pontificiam, & Conciliarem: male tamen faciet, & imprudenter, sacrum ministerium, eiusque filū, ac seriem priuatis precibus, ac laudibus interrumpendo.

5 *Ad argumentum* factum in initio quæstionis fatemur, vltra preces, & laudes diuinas publicas, quas Ecclesiæ Præsules composuere, & suis Ecclesijs recitandas, & canendas in Officijs diuinis tradiderunt, quam plures alias à personis priuatis compositas fuisse: sed postea ab Ecclesiæ Præsulibus, approbatæ, & receptæ sunt: eo quod doctrina, & deuotione refertæ erant: & singuli in suis Ecclesijs Prouincialibus Officijs diuinis inseruerunt, postmodum verò gratiores factæ pro vsu totius Ecclesiæ admissæ sunt, vt videre licebit euoluenti annales Ecclesiasticos. Quod non obscurè pronuntiauit Concil. Turonense secundum, sub Pelagio primo, in hæc verba: *Licèt Hymnos Ambrosianos habeamus in Canone, tamen quoniam reliquorum sunt aliqui, qui digni sunt forma, cantare volumus libenter, & amplecti eos præterea, quorum autorum nomina non fuerint in limine prænotata, &c.*

ARTICVLVS II.

Vtrum in diuinis laudibus sint cantus assumendi?

Summa Articuli.



Onclusio. Salubriter fuit institutum, vt in diuinas laudes cātus assumeretur. *Probatur.* Quia cum per diuersas melodias sonorum animi ad diuersa disponantur, vt ait Aristot. 8. *Pol.* per diuinas laudes animi hominum prouocantur ad deuotionem, vt ait August. 9. *confess.* de se ipso: ergo, &c. Cōfirmatur ex eodem 10. confessionum cap. 33. dicente, adducor cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia. 1 *Aristote.* *August.*

DISPVTATIO I.

An in diuinis laudibus sint cantus assumendi?

HVic doctrinæ de vsu cantus in laudibus diuinis, quæ verè Catholica est infensissimi fuere quamplures hæretici antiqui, & moderni. Hilarius quidam cantum omnino ab Ecclesia excludebat, vt refert D. August. *lib. 2. retract. cap. 11.* Hunc errorem postea sequuti sunt Henricus, & Petrus Bruis hæretici, à quibus originē duxerunt Henriciani, & Petro-Brusiani, quos refellit Petrus Cluniacensis in *epistola ad omnes Episcopos, cap. vltimo.* Ioannes autem Vvicleph. natione Anglus, non tantum cantum, sed etiam vocem altam in precibus, & laudibus diuinis reprehendebat, & ob id Ecclesiasticos in templis canentes cum Sacerdotibus Baal comparādos esse dicebat. Vide si placet Thomam Vvaldensem *tomo 3. tit. 2.* vbi per multa capita hunc errorem confutat. Eundē errorem sequuti sunt Trinitarij Transiluani *lib. 2. cap. 1.* & Magdeburgenses *in Centurijs, centu. 9. c. 6.* & alibi passim. 1 *August.* *Cluniac.* *Vvaldens.*

Nos vero vt veritas innotescat doctrinam in articulo relatam argumentis hæreticorum, & alijs impetemus. 2

Primum argumentum sumitur ex testimonijs sacræ scripturæ. 3. *Reg.* 8. Helias ad Sacerdotes Baal clamoribus suos Deos interpellātes irrisoriè, ait: *Clamate voce maiori, Deus est enim, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere; aut certe dormit; vt excitetur.* Ex quibus colligit Vvicleph: qui clamoribus implent Ecclesiam quando *3. Reg. 18.*

quando laudant Deum, aut precantur simili irrisione digni sunt. *Item.1. Reg.1.* Anna orabat in corde suo, ita vt vox penitus nō audiretur: quod fideles deberent efficere. Hanc enim fœminam figuram Ecclesiæ fuisse scribit Cyprianus sermone 6. his verbis: *Deus non vocis sed cordis auditor est, nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes videt: quod Anna in 1. Reg. lib. Ecclesiæ typum portans custodit, & seruat; quæ Dominum clamosa petitione, sed tacitè, & modestè intra ipsas pectoris latebras precabatur.* Item Matth. 6. Christus ait: *Oraturus intra cubiculum, & clauso ostio ora patrem in abscondito*; quem locum exponens D. Chrysostomus hom. 19. in Matthæum, sic ait: *Non gestibus corporis, neque clamoribus vocis, sed intentione optimæ voluntatis orationum vota reddamus.* Itē ad Ephesios 5. ait Paulus *Psallētes, & cantantes in cordibus vestris Domino.* Et idē ad Colossen. 3. inquiens: *Docentes, & commonentes vosmetipsos in Psalmis, Hymnis, & canticis spiritualibus.* Ecce nulla fit mentio de canticis corporalibus.

1. Reg. 1. — *Cyprian.* — *Matth. 6.* — *Chrysost.*

3 *Secundo.* Sancti Patres cantus in laudibus diuinis recitandis nequaquam admittunt. De Diuo Athanasio refert sanctus Augustinus lib. 10. confessionum c. 33. in hæc verba: *Tutius mihi videtur, quod Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem Psalmi, vt pronuntianti vicinior esset, quam canenti.* Diuus etiam Hieronymus quinto capite epistolæ ad Ephesios explicans illa verba: *Psallentes, & cantantes in cordibus vestris Domino,* sic ait: *Audiant hoc adolescentuli, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde canendum: nec in tragædorum modum guttur, & fauces dulci medicamine colliniendas, vt in Ecclesia theatrales moduli audiantur, & cantica: sed in timore, in opere, in scientia Scripturarum.* Et idem Hieronymus in præfatione libri secundi in Habacuc, dicit titulum orationis Habacuc non debuisse verti, *Oratio Habacuc cū cantico*, sed, *Oratio Habacuc pro ignorantijs*: & rationem reddit: quoniam non decet orantem canere: ex quo videtur posse colligi saltem orationes, & preces in Officijs diuinis nō esse canēdas: vnde & hæretici citati, vt refert Frater Dominicus Soto *lib. 10. de iustitia, & iure*, rident Catholicos dirigentes suas preces ad Deum cantando: *Sicut* (inquiunt) *irrisione dignus esset, qui à Rege aliquid postulaturus cantando peteret.*

August. — *D. Hieron.*

4 *Tertiò.* Iste cantus diuinarum laudum in Officio diuino multis afficitur inconuenientibus: nimirum indulgetur voluptati auditus, quod à sacris nostris valde alienum debet esse. Item imitamur tragœdos, & theatra insectantes: quod merito reprehendit Hieronymus: animi hominum præcipuè iuuenum in lasciuiam, & mollitiē his cantibus prouocantur. Item laus mentis, quæ principalior est per cantus impeditur: tum, quia cantantium intentio, dum circa cantum student abstrahitur à consideratione eorum, quæ cantāt. *Tum præterea*: quia ea, quæ cantantur minus ab alijs intelligi possunt, quam si absque cantu proferrentur: ac demum, quia cantantium imperitia, & vocibus interdum raucis, & incompositis potiùs populū ad risū, quā ad deuotionē excitat.

Quartò. In lege veteri laudabatur Deus in musicis instrumentis, & humanis cantibus: iuxta illud Psalmi 32. *Cōfitemini Domino in cythara, in psalterio decem cordarum psallite illi, &c.* Ergo saltem in Ecclesia Christi non sunt celebranda diuina Officia cum organis, cytharis, psalterijs, & alijs musicis instrumentis: quia cæremonias Iudaicas non decet Christianos obseruare. *Psalm. 32.*

5 His non obstantibus, sit *prima assertio* certa secundum fidem. Non est illicitum laudes diuinas, aut preces voce clariori coram Deo fūdere. Probatur ex Psalm. 119. vbi Propheta ait: *Ad Dominū cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* Dicent fortassè hæretici, Prophetam loqui de clamore cordis, & non de clamore oris: ideò vt illis occludamus istud refugium, proferamus apertiora testimonia. Nam apud Ioannē cap. 11. Christus Dominus Lazarum suscitaturus dixit ad Patrem: *Gratias ago tibi quoniam audisti me, &c. Hæc cum dixisset voce magna clamauit, Lazare veni foras.* Ecce Iesum voce magna clamantem, qui tamen voce summissa poterat audiri. Et vt fortius nostra sententia confirmetur Matthæi 27. dicitur, Iesum circa horam nonam voce magna clamasse, & dixisse: *Ely, Ely, lamma azabthani, hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Et Apostolus ad Hebræos 5. de Christo loquens, ait: *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationes, quæ ad illum qui posset eum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est, pro sua reuerentia.*

Psal. 119. — *Ioan. 11.* — *Matth. 27.* — *Ad Heb. 5.*

Hæc testimonia satis sint ad confundendum Vuiclephum, & alios hæreticos; qui non admittunt orationes, & laudes debere fieri alta voce. Qui etiam refutantur *Luc. 19.* vbi habetur Christo intrante Hierosolymam turbas discipulorum gaudentes laudasse magna voce Deum, super omnes quas viderant virtutes dicētes: *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini:* & quidam Pharisæorum dixerunt ad illum: *Magister increpa Discipulos tuos*: quibus ipse ait: *Dico vobis:* approbans nempe voces Discipulorum: *Quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Et Act. 16. *Paulus, & Silas media nocte adorantes laudabant Dominum, & audiebant eos* (Nimirum: quia alta voce laudabāt) *qui in custodia erant.*

Luca. 19. — *Actor. 16.*

6 *Secunda assertio sit.* De fide est, vsum cantus esse sanctum, & licitum in laudibus, diuinis precibus, & officijs Ecclesiasticis: insuper talis vsus habetur ex traditione Apostolica. Prima pars probatur exemplo Angelorum, qui nato Christo magnis vocibus cecinerunt canticum illud: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quod canticum ab Angelis inceptum est, sed à sanctis Patribus auctū, siue à Telesphoro Papa VII. à Petro, vt quidam aiunt, siue vt alij à sancto Hilario, aut verò à Simmacho Papa; sed à quo malueris cōpositū sit, solitū fuit decātari in solēnijs Missarum multis retrò seculis, & appellatū fuit Canticum Angelorum: vt habetur ex Concilio Toletano 4. *Canon. 12.* Item probatur exemplo Christi Domini & Discipulorū eius: etenim post cœnam vt Matth. refert cap. 26. *Hymno dicto exierunt in montem Oliueti*: quod verò non tantum

tum pronuntiatus fuerit, sed decantatus colligitur ex ipsa Græca voce, Hymnus enim, Latinè canticum sonat Deo tributum: & ex Augustino, qui explicans titulum Psalmi 72. dicit. *Ij Hymni laudes sunt Dei cum cantico: si sit laus, & non est Dei; non est Hymnus; oportet ergò vt sit Hymnus quod habeat tria hæc, & laudem Dei, & canticum.* Hæc Augustinus, cui ferè eisdem verbis subscribit Isidorus *lib. 6. Etymol. cap.* 34. & consonat lectio apud Basiliū, qui ait: *Hymno decantato exierunt in montem Oliueti.* Et D. Augustin. ad hunc locum respiciens *in epist.* 119. *cap.* 18. ait, de canendis Hymnis nos habere Saluatoris, & Discipulorum exemplum: & idem repetit Concil. Tolet. 4. & refertur de consecratione distinctione 1. cap. *de Hymnis.*

Et quāmuis ad nostram conclusionem parū retulerit, quis, aut qualis fuerit Hymnus iste post cœnam à Christo Domino decantatus: quia nihil certò compertum habemus, *aduertendum* Augustinum *epist.* 253. retulisse inter apocripha sententiam quorundam Priscilianistarum, qui vt suis erroribus fauerent, adducebant quendam Hymnum ab eis compositum, quo vsum fuisse Christum Dominū post cœnā asserebant. Fortassis probabilius est, eū fuisse Hymnum quendam, quē Iudæi post esum Paschæ dicere consueuerant: nempè Psalmum 113. qui incipit: *In exitu Israel de Ægypto.* Ita dicitur haberi in antiquo rituali Iudęorum: vbi ipsorum cæremoniæ habentur descriptæ: sed vt dixi nihil certum est de hac re: at certo certius Hymnum illum decantasse Christum Dominum cum suis Discipulis. Item testimonia Apostoli ad *Ephesios* 5. & ad *Colossenses* 3. iam relata, vbi commonentur fideles Christiani, vt in Psalmis, & Hymnis, & canticis spiritualibus se exerceant.

Mitto modò exempla Sanctorum Patrum veteris testamēti innumera: præsertim Dauidis, qui non solùm Psalmos plurimos composuit, & cantores instituit: sed etiam ipse proprio ore cecinit: eleganter Ambros. super Psalm. 118. serm. 7. circa illa verba: *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ; honores nobis* (inquit) *canticum nobis, Psalmi nobis, iustificationes Domini sunt*: & cætera videnda vsque ad finem sermonis. Illud verò testimonium Esai. 6. non est prętermittendum: vbi referuntur Seraphim stantia super thronum clamātia, & alternis vicibus canentia.

7 *Secunda pars*, videlicet hunc vsum canendi laudes diuinas pertinere ad traditiones Christi, & Apostolorum, & ab eis ad nostra vsque tempora peruenisse, habetur ex multis testimonijs & annalibus antiquis. Socrates *lib. 6. hist. capite* 8. de sāctō Ignatio inquit: *Ignatius Antiochiæ, quæ est in Syria, tertius à Petro Apostolo Episcopus, qui cum Apostolis ipsis multum versatus est, vidit visionem Angelorum sanctam Trinitatem Hymnis alterna vice decantatis collaudantium: & formam canendi in ea visione expressam Ecclesiæ Antiochenæ tradidit: vnde illa traditio ab omnibus Ecclesijs recepta est.* Hæc Socrates. Et idem habetur in Tripartita *lib.* 10. *cap.* 9. Item Diony. *in lib. de Ecclesiastica Hierar. cap.* 6. meminit cantus Ecclesiastici, quo vtebatur Ecclesia tunc temporis in sepeliendis mortuis, & de Esenis discipulis sancti Marci Philo Iudæus, & refert Nicephorus lib. 2. suæ historiæ, cap. 16. sic ait: *Vbi omnes consurrexere duo chori fiunt in medio cœnaculi; alter virorum, alter fœminarum: vtrique suus concentor præficitur honore præstans, & canendi peritia: deinde cantant Hymnos ad laudem Dei compositos, varijs metrorum, carminumque generibus: nunc vno ore, nunc alternis non sine decoris, & religiosis gestibus, & accentibus, modò stantes; modò retrorsum gradum mouentes, vtcunque res postulat. Deinde postquam vterque seorsum expleuit se his delitijs, velut amore diuino ebrij vnum chorum faciunt promiscuum, ad imitationem illius olim instituti, quando mare Deo iubente alteris salutem, alteris perniciem attulit, præeunte viris Moyse, Maria verò prophetide fœminis.* Hæc Philo in lib. de vita contemplatiua.

Circa quæ, maximè circa illa: *Decoris, & religiosis gestibus, & accentibus*, explanans Cæsar Baronius ait, eum modum cantandi diuinas laudes, intelligendum esse de canticis dramatis, quæ non tantum in voce, sed & in actione consistunt: de quibus in Ecclesiasticis Officijs fit mentio, quandò dicitur: *Ante thorum huius virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis*: nimirum, vt quondam virgine recumbente in thoro eiusmodi acroamata agerentur. Sed iste modus antiquus canendi laudes diuinas iam exolebit: cætera verò de alternatione canentium, & chororū diuersitate nō sunt pretermissa; sed indies magis aucta. At qꝫ ad fœminas expectat propter multitudinem fidelium, ne fieret confusio, & propter malitiam temporum legibus Ecclesiasticis est vetitum: vt colligere licet ex Synodo Antiochena, ne fœminæ in Ecclesia vna cum viris canerent.

Nec desunt testimonia Ethnicorū istum antiquissimum vsum Christianorum referentium. 8 Lucianus in Philopatria de Christianis Romæ commorantibus id refert: & Plinius Iunior lib. 10 epist. 97. de Christianis orientalibus. Item Iustinus Martyr in oratione ad Antoninum Pium Hymnos Deo à Christianis decantari solitos tales: cum ait: *Gratos nos illi exhibentes, rationalesque pompas, & Hymnos celebramus, atque decantamus, &c.* Et Clemens Alexandr. in orat. ad gentes: *Hic* (inquit) *est mons Deo dilectus mons sobrius, castis vmbrosus materijs: in eo autem non bacchantur fulmine ictæ Semelis sorores Mænades, quæ in incesta visceratione carnium initiantur: sed Dei filiæ pulchræ agnæ, quæ veneranda verbo orgia concelebrant, quorum modulatum congregantes chorus sunt iusti: canticum est Hymnus Regis omnium: psallunt puellæ: gloria afficiuntur Angeli, Prophetæ loquuntur, editur sonus musicus:* & paulò post: *Si velis tu quoque initiare, & chorum ducens cum Angelis circa eum, qui est ingenitus, & ab interitu alienus, & qui solus est verè Deus, vna nobiscum canite Deo verbum.* Et Tertullianus ad Vstorem l. 2. c. 6. *Quid maritus suus illi, vel marito quid illa cantauit, audiat aliquid Dei cœna, &c.* D. Basilius ad Neocesarienses scribens *epistola* 69. aduersus hæreticos improbantes consue-

suetudinem canendi in Ecclesia, sic ait: *Ad id verò, quod propter Psalmodias accusamur, quare potissimum simpliciores perterrere faciunt, qui vos traducunt: hoc habeo quod dicam; quod videlicet, qui iam obtinuerunt vsus omnibus Ecclesijs Dei cordes sunt, & consonæ. Nam nocte siquidem populus consurgens ante lucano tempore donum precationis petit inibi, quod labore, & tribulatione, ac lacrymis in deficientibus, facta ad Deum confessione, tandem ad orationem surgentes ad Psalmodiam instituuntur: & nunc quidem in duas partes diuisi alternis succinentes psallunt, atque ex eo simul eloquiorum Dei exercitationem, ac meditationem corroborant, & cordibus suis attentiores reiectis vanis cogitationibus mentis soliditatem suppeditant. Deinde vni ex his hoc munere dato, vt quod canendum est, prior ordiatur reliqui succinunt: atque ita in Psalmodiæ varietate precibusque subinde interiecti noctem superant, illucescente iam die pariter omnes velut vno ore, ac corde vno; confessionis Psalmum Domino offerunt, ac suis quisque verbis resipiscentiam profitentur. Horum gratia sonos fugitis: fugietis simul & Aegyptos, fugietis Labiam vtramque, Thebæos, Palestinos, Arabes, Phœnices, Syros, & qui ad Eufratem habitant & vt semel dicam omnes, apud quos vigiliæ, ac preces communes, & Psalmodiæ in pretio sunt.* Hucusque Basilius. Et sanctus Hilarius super Psalmum 65. *Audiat* (inquit) *orantis populi consistens quis extra Ecclesiam vocem expectet celebres Hymnorum sonitus.* *Hilarius.*

Ambros. 9 Sanctus Ambrosius in oratione de tradendis basilicis, quæ habetur in quinto libro epistolarum, aduersus Arrianorum calumnias, cantum Ecclesiasticum Hymnosque suos defendit. *Hieron.* Sanctus Hieronymus in epistola ad Oceanum de obitu Fabiolæ, & in altera ad Eustochium de obitu Paulæ, meminit cantus Ecclesiastici in funere: in vita Beati Pauli primi Eremitæ vnum valde notabile scribit, videlicet Beatum Antonium in eremo solitarium exequias Pauli celebrasse, Psalmos, atque Hymnos de Christiana traditione decantasse. D. Chryso. cantus Ecclesiastici meminit *homilia 56. in Matthæum, & 59. ad populum*: ipse quoque cantum Ecclesiasticum auxit, & ornauit, vt scribit Socrates *lib.6. cap.8.* Sanctus Augustinus *lib.9. confessionum c.7.* scribit ab Ambrosio primum institutum fuisse, vt iuxta morem Orientalium partiũ Psalmi, atque Hymni in Mediolanensi Ecclesia canerentur: atque hũc vsũ inde ad alias Occidentis Ecclesias dimanasse. Eundem vsum idem Aug. probat, tum hic, tum etiam *lib.10. cap.33.* *Chrysost.* *Socrates.* *August.*

Sed quod ait ab Ambrosio id primum institutum, non ita accipiẽdum est, quasi cantus Ecclesiasticus in Occidente ante tempora Ambrosij non fuerit in vsu: contrarium enim testantur testimonia paulò ante citata ex Tertuliano, & Hilario: sed fortasè loquitur August. de cantu totius populi, ante siquidem Psalmum cantabat vnus tantum, audientibus cæteris. Vnde Hieron. in epist. ad Rusticum: *Dicas Psalmum in ordine tuo.* Fortasè etiam soli clerici, vt nunc fieri videmus canebant; Ambrosius autem ad mitigandũ tristitiam populi in persecutione Imperatricis Iustinę Arrianæ instituit, vt totus populus caneret: quod etiam fecit Chrysostomus in simili occasione apud Constantinopolim; vt Socrates refert *lib.5. hist. c.8.* Fortasè etiã nõ loquitur August. de toto Occidente, sed tantum de locis, in quibus ipse extiterat. *Socrates.*

Sed quidquid sit de explanatione testimonij Augustiniani; ex multis alijs habemus ritum canendi laudes diuinas in Ecclesia esse antiquissimum: & ipsemet Augu. fatetur *epist.119. c.18.* dum inter illa, quæ ex sacra Scriptura defendi possũt annumerat Hymnorum, atque Psalmorum cantum: *Cuius* (inquit) *ipsius Domini, & Apostolorũ habemus documenta, exempla, & præcepta* & paulo post: *Quando autem non est tempus, vt in Ecclesia fratres congregantur sancta cantandi nisi cum legitur, aut disputatur, aut Antistites clara voce deprecantur, aut communis oratio voce Diaconi indicitur.* Hæc ille. *August.*

Possent innumera testimonia Sanctorum antiquorum ad idem induci, satis nobis sint relata, & alia sparsim referẽda. Similiter nostram assertionem confirmant multa Concilia ex præcipuis Christianismi partibus, Concilium Laodicenũ, *Canone 15.* ex Oriente Italicũ. Romanũ sub Gregorio I. Africanum, Carthaginense quartum, *Canone 10.* Hispanicum, Toletanum quartum, cap. 12. Gallicum, Agatense *Cano. 21.* Germanicum, Aquisgranense *capite 131. & 133.* 10

Tertiò probatur cõsuetudo, rationibus idẽ ostẽdentibus, quarum prima desumitur ex ordine ad Dei cultũ. Etenim apud omnes nationes hoc naturæ lumine insitum est, vt inter præcipuas partes cultus debiti Regibus, Principibus, & alijs Heroibus primatũ teneret cultus per laudẽ versibus, poematibus, & alijs huiusmodi decantatis: ergo id genus cultus per Psalmos, cantica, Hymnos Deum colere vocibus canoris non infimas partes tenet in Dei cultu per laudes, & preces exhibendo. Consequẽtia nota est argumẽto, quod appellatur à fortiori: & maior cuique notissima legẽti antiqua poemata, quibus decantatis præclara gesta, & egregios mores clarissimorum virorũ, ac fœminarũ antiqui solebant canticus celebrare. Vnde Plutarchus in libello de musica: *In solis* (inquit) *adhuc templis musica alebatur, atque vigebat, in quibus honores Deorum, & clarorum laudes virorum cantu musico celebrabantur, &c.*

Secunda ratio ad idem. Nam hoc genere cultus Deo Opt. Max. perfectum vndequaque reddimus obsequium, dum animo ardentissimis votis, & corpore clarissima, & modulata voce laudes eius celebrare contendimus. 11

Tertia ratio desumpta in ordine ad eũdem cultum. Nam hac ratione testificamur Ethnicis, & aliis veræ fidei inimicis non erubescere nos fidẽ nostram. Siquidem fidei dogmata, quæ ab Ethnicis, vel hæreticis irridentur nos cantu, ac poematibus celebrare non veremur. Vnde & ipse Deus se hoc laudationum genere honorari fatetur Ps. 46. *Sacrificium laudis honorificabit me:* quãto magis si eudacter decantentur: & in Psal. 149. de cœlestis patriæ ciuibus dicitur: *Exaltationes Dei in gutture eorũ:* sic legit Genebrard⁹ ex Hebraico, & Græco. Nimirũ quia laudes Dei, exaltationes, & honorificationes Dei sũt: & Christ⁹ Domin⁹ *Psalm.46.* *Psal. 149.*

Marc.

Marc. 8. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Cuius cultus multa exempla habentur in Ecclesiasticis historijs. Videndus est D. Ambros. *in orat. de tradendis Basilicis*, & Rufin. *lib. 1. histor. c. 35. & 36.* cum scribit translationem reliquiarum sanctæ Babilæ Martyris, & Theodoretus *lib. 3. historiæ, c.* 17. vbi narrat res gestas Publiæ, & virginum, quas illa docebat.

Ambros. *Rufin.* *Theodo.*

12 *Quarta ratio* desumitur ex vtilitate nostra, quæ maxima ex cantu Ecclesiastico percipitur: videlicet quia tam canentium laudes, quàm audientium affectus acriter inflammantur, & ad bonum promouentur; quod sancti Patres, qui hoc experti sunt, sæpissimè testantur, Philo de victimis offerendis ait: *Cantus, verbaq; sanitatem, & salutem afferunt. Cantus quidem excantando passiones animi, vt quidquid in nobis dissonat, in concentum quendam redigendo, reprimendoq; immodicos affectus certis modulis componat.* Et D. Basil. hom. in Psal. 1. ait in hæc verba: *Quãdo Spiritus sanctus non vidit ægrè persuaderi ad complexum virtutis; ac proindè ad ineundam vitæ rectitudinem per hoc lentescere quod toti ad consectandam voluptatem propenderemus, quid fecit? nimirum scripturæ suæ dogmatibus mixtim inspersit concinnam istam numerorum modulationem, vt auribus permulctis, ac delinitis melito vocum concentu, illam velut aliud agentes sineremus in animos nostros irrepere eloquiorum vtilitatem:* & multa alia, quæ videnda sunt apud ipsum.

Philo. *Basil.*

Iustinus. Et Iustinus Martyr. q. 107. sic ait: *Excitat hæc cantatio, nimirum circa diuina, cum voluptate quadam animum adflagrans eius, quod carmine celebratur, desiderium; affectiones, & concupiscentias carnis sedat, cogitationes malas inimicorũ, quos cernere nõ est suggestione obortientes amollitur, mentem ad fructificationem bonorum diuinorum rigat: pietatis decertatores generosos, & fortes per constantiam in rebus aduersis efficit: omniũ rerum, quæ in vita tristes, & luctuosæ accidunt pijs affert medicinam: mentes ad fructificationem diuinorum bonorũ regit. Gladiũ spiritus hoc Paulus appellat in armamentario; vbi cõtra inuisibiles aduersararios milites veræ pietatis suis instruit armis. Verbũ namq; Dei est, & q̃ animi cogitatione, quod carminis præludio, q̃ carmine ipso celebratur: ac demum exfugat, atque depellit: & in rebus omnibus, quæ pijs eueniunt, animus veræ pietatis virtutibus per carmina Ecclesiastica perficitur.* Sed præ cæteris de se ipso loquens D. Aug. lib. 9. confessio. c. 6. *Quantum* (inquit) *fleui in Hymnis, & canticis tuis suauesonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquebatur veritas tua in cor meum: & ex ea æstuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ: & bene mihi erat in eis:* & lib. 10. cap. 33. *Cum reminiscor* (inquit) *lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordijs recuperatæ fidei meæ magnam instituti huius vtilitatem agnosco.* Ferme idem dicit loco citato ex *epist.* 109. videndus etiam Lactantius *lib. 6. cap.* 21. adde etiam narrantibus Sozomen. *lib. 3. cap.* 16. & Theodor. *lib. 4. c.* 29. Historiæ, plerosque Syriæ populos ex harmonia Ecclesiastici cantus pietati mixta ad fidem Christi fuisse perductos.

August. *Lactan.* *Sozome.* *Theodor.*

Id ipsum coofirmatur ex ijs, quæ legimus dicta ab Ethnicis etiam antiquissimis de musici concentus vi, ac efficacitate ad excitandos animi affectus, siue in bonum, siue in malum: & præcipuè videndus est Aristoteles, citatus à D. Tho. *in hoc art. ex* 8. *Pol.* similiter & Boecius in proemio musicæ: nec est omittendus Plutar. *in lib. de musica* differens de antiquitate, vtilitate, grauitate, & efficacitate sinceræ, atque germanæ musicæ: non solùm ad oblectandos animos; sed etiam ad componendos mores, corrigendosque prauos animi, & corporis affectus, imò & aliquando ad morbos sanandos: vbi præfatus Plutarchus multis exemplis ex historijs antiquis prolatis, atque etiam ex testimonijs grauissimorum Autorum: nempè Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, & aliorum similium, musicam sinceram valde laudat: inter alia autem sic ait: *Est igitur musica ab omni parte augusta, quando quidem inuentum est Deorum; & ea veteres sunt vsi pro dignitate, atque maiestate ipsius, vt cæteris omnibus institutis.* Et strabo lib. 10. *Geographiæ* ait musicam suauitate sua homines ad Deitatem, id est, ad amorem, & contemplationem Dei, & rerum diuinarum naturaliter excitare. Hæc, & alia multa profana, atque externa testimonia consultò omitto: hoc vnum non prætermittam veteres tanti fecisse musicum concentum, vimque eius adeò diuinam existimasse, vt fabulosè finxerint Amphionem cantu, ac lyræ suæ pulsatione saxa mouisse, vt spontè affabrè composita murum ciuitatis Thebanæ extruxissent: vt narrat Horatius in Arte Poetica sic:

Aristot. *Boecius.* *Plutarc.* *Horatius.*

Dictus & Amphion Thebanæ conditor vrbis Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda Ducere, quo vellet.

Et de Apolline etiam dixerunt mœnia Troiana extruxisse canendo, & pulsando lyram, 14
quam dum tractaret saxa se sua spontè concinnè accommodasse; iuxta illud Ouidij in epistola Paridis.

Ilion aspicies, firmataq; turribus altis
Mœnia Apollineæ structa canore lyræ.

Et de Orpheo fabulantur, sumpta cythara ad inferos descendisse, atque cùm mirificam quandã lamentationem cecinisset, lacrymas inferis excitasse; & placatis seuerissimis mortuorum Regibus cantus suauitate, non solùm obtinuisse, vt ipse post ipsam vxorem apud inferos detentam ab inferno egrederetur: sed etiam, vt ipsam secũ adduceret. De quo latius Ouidius lib. 10. & Virgilius *lib. 4. Georg.* Hi omnes fabularum istarum, & similium fictores, sub velamento fabuloso (quod fuit in vsu apud antiquos) voluerunt significare magnam vim, & efficacitatem musicæ: etenim præfati musici periti huius artis suo concentu, leges, & præcepta proponebant hominibus feris, & agrestibus saxis durioribus: & per cantus suauitatem, ita mansuefecerunt, vt ad extruendas ciuitates, & legibus obtemperandum delinierint: imò hãc eandẽ vim musicę potẽtẽ ad deliniẽdũ dæmones fabula Orphei significatur.

Ouidius. *Virgil.*

Mirabile huius ingentis efficacitatis musicæ exemplum affert Saxo lib. 12. Daniæ, de quodam peritissimo musico, qui cantu, & lyra gloriabatur, se quem vellet affectum in corde audientium excitare valere. Venitur ad experi-

Saxo.

pertinentium coram Erico Rege, & aulicis adstantibus: & prius cantu, & lyræ pulsatione permouit audientes ad mœrorem, & lacrymas, deinde ad lætitiam, & gaudium: ac demum mutato carmine, & sono musico omnes ad furorem prouocauit; sic adeò, vt Rex arrepto ense occiderit quatuor viros, plures occisurus, nisi à familiaribus quasi vinciretur. Si ergo solus sonus, & cantus musicus tanta efficacitate pollet ad immutandos hominum affectus: quanto maiorem habebunt cantus Ecclesiastici, qui constant non solùm musices suauitate, & vi innata, verũ & verbis diuinis igneis corda inflammantibus: iuxta illud Prophetæ: *Nunquid verba mea non quasi ignis, & quasi malleus conterens petras*: Et hæc dicta sint de singulari efficacitate cantus Ecclesiastici ad commouendos animos, & componendos mores audientium. Superest modò respondere ad argumenta in initio quæstionis proposita.

15 Ad primum testimonium *ex tertio Regum* 18. quo ineptè vtitur Vvicleph. *respondetur*, ibi non reprehendi elatam vocem Sacerdotum Baal: imò neque in Textu dicitur eos clamore interpellasse suum Baal, sed irridentur ab Helia, quia inuocabant Deum falsum omni Deitate carentem, vtpote qui Idolum erat omnis sensus expers: & sic per irrisionem ait Propheta: *Clamate voce maiori*: sciebat enim non exauditurum, neque voces percepturum: iuxta illud Psalmistæ: *Os habent, & non loquentur, aures habent, & non audient, &c.* Cætera verò, quæ subiunguntur ab Helia, etiam ad irrisionem pertinent illius manis Dei, tam longè existentis à Deitate, vt negotijs præpediretur humanis, ne posset audire, puta locutionem, & similia: & locis angustissimis coarctaretur, videlicet diuersorio, itinere, &c. non ergo Vvicleph. vocet Catholicos Baalaticos, nisi velit & vocare Baalaticos Chananæam, & cæcos clamantes ad Christum Matth. 15. & 20. Stephanum, qui Actorũ 7. voce magna clamauit: *Ne statuas illis hoc peccatũ*: imò & Christum Dominum in Cruce clamantem ad Patrem.

Matt. 15.
Acto. 7.

16 Ad secundum testimonium ex 1. *Reg.* 1. adiuncta annotatione Cypriani *resp.* Annã priuatè orasse in templo: & ideo submissa voce, ne alios ibidem orantes suo clamore turbaret: & etiam Diuus Cyprianus hoc exemplo docet populum, siue Ecclesiam, quo modo se debeant gerere in priuatis orationibus: nec tamen per hoc omninò damnamus clamorem priuatè orãtium, quando non adsunt circunstantes: imò etiam si adsint, quando ex nimio feruore, aut affectu orantium prorumpitur in clamorem, qui cohiberi vix potest. Talis erat, qui dicebat: *Ad Dominum cùm tribularer clamaui.* Secùs res se habet in oratione publica, vel diuinis laudibus, quæ in communi celebrantur. Nam in iisdem *libris Regum* legimus, Dauidem instituisse cantores, qui magnis vocibus Deum laudarent: & alibi sæpè Deum alta voce Moysem, Dauidem, Salomonẽ idem fecisse patet ex sacris Literis.

17 Ad tertium testimonium *ex cap. 6. Matt. resp.* id non esse intelligendum de orationibus publicis, quas in publico fieri, & alta voce exemplo Dauidis, & Ecclesiæ docuimus: imò neque de omnibus priuatis, constat enim Christum, & Apostolos in publico laudes diuinas, & preces fudisse; vt supra dicebamus, & Paulus primæ ad Timotheum 2. *Volo viros orare in omni loco.* Non est autem Apostolus Christo contrarius: sed id duntaxat Christus Dominus iussit, vt intentio nostrarum orationum sit in abscondito, & soli Deo reseruaretur. Cuius oppositum faciebant Pharisæi orantes in locis publicis ob inanem gloriolam aucupandam. Itaque orationem in publico fieri, id est, propter homines, prohibuit; quod satis colligitur ex sacris textus verbis præcedentibus, & sequentibus.

1. ad Ti. 2.

Sed vt hanc responsionem veram esse intelligas, speciatim locus iste dilucidandus est; cuius sunt duæ expositiones. *Prima.* Præceptum scilicet Domini de ingrediendo cubiculo, & ostio claudendo, non tam ad cubiculum materiale, quàm ad cubiculum cordis referendum esse. Ita August. lib. 2. *de serm. Dom. in monte, c.* 6. & probat. ex D. Paul. *cita.* 1. *ad Timoth.* 2. Itaque tantùm iubetur intentio in abscondito esse, non oratio ipsa. Et si arguat Vvicleph. hanc esse expositionẽ allegoricam, ex qua sicut non sumitur argumentum efficax: ita neque responsio. *Respondetur* ex doctrina D. August. *li.* 11. *super Gen. ca.* 31. ex metaphora, aut allegoria vnius, aut alterius verbi allegoriam in tota periodo constituere non debemus: vt *Gen.* 3. legimus Adæ, & Euæ oculos apertos fuisse, postquam de ligno vitæ comederunt: in verbo aperiendi oculos allegorica acceptio est pro oculis cordis, cùm constet vtrumque, fructum vetitum pulchrum visu vidisse; sed non propterea tota, quæ deinceps sequitur periodus figuratè accipienda est, sed propriè, & historicè. Sic in loco citato *Matth.* nomine cubiculi claudendi, non intelligitur cubiculum materiale, sed spirituale cordis: quæ sequuntur verò, & significatio istius figuratæ locutionis historicè intelligenda: videlicet in priuatis orationibus magnam esse cautelam adhibendam, vt nõ propter homines fiant, sed propter Deum.

August.

Secunda explicatio est Chrysost. *hom.* 8. *in* 1. *epist. ad Timoth.* & Theoph sup. *hunc locum Matth.* de vero cubiculo esse ea verba intelligenda; non quidem quia necessarium sit ad orandum ingredi cubiculum & ianuam occludere: aliàs nõ deberemus pergere ad orandum in Ecclesia cum reliquo cœtu fidelium: sed quia per tropum, & figuratam locutionem exaggeratiuam significatur vanitatem esse fugandam ab intentione nostrarum precum, & laudum: vice versa quàm Pharisæi faciebant orantes in plateis, vt viderẽtur ab hominibus. *Et tunc sensus verborum sic ordinabitur.* Quando oras ad Deum solum, debes tuam intentionem secretè dirigere: ac si ingrederis secretum cubiculum, & post te clauderes eius ianuas. Quo fit, vt qui orat in loco publico, si ad Deum solum attendit, certè cubiculum ingreditur, & claudit ianuã: è contra verò si quis ingreditur cubiculum, quamuis mille claudat portas, si cupit videri ab hominibus orãs; in plateis. & portis reseratis orat: quia cupit gloriã apud homines. 18

Chrysost.

Igitur

Igitur quocunque modo interpretemur Matthæi locum, non fauet hæreticis explodentibus orationes in publico factas, & alta voce, quando non sunt priuatæ, sed publicæ: nam priuatas satius est fieri submisse: De quibus verba Chrysostomi citata in argumento intelligenda sunt. Vnde idem autor in opere, imperfecto loco citato tres causas reddit, cur non sit magna voce in oratione vtendum: quæ omnes causæ ostendunt præfatum locum de oratione priuata esse intelligendum. *Prima*, qui clamorosè orat non credit Deum esse vbique, & absconsa audire. *Secunda*, mysteria secretarũ petitionũ, quas fortè non oportebat alium scire præter te, & Deum in auribus hominum audienda committis. *Tertia*, clamorosè orans iuxta te alterum non permittis orare. Hæc ille.

19 At qui publicè in Ecclesia Dei laudes, precesve canunt, non ideò hoc faciunt, quia credant Deum non esse vbique vel abscondita non audire: sed quia volunt hoc genere cultus Deũ honorare, & cæteros ad Dei laudes, & amorẽ excitare. Item qui publicè Deo canunt, non secretas petitiones Deo exhibent, sed manifestas, & quæ ab omnibus audiri possunt. Denique quamuis qui canunt Dei laudes, & Officia diuina alios priuatè orantes aliquo modo impediant; hoc impedimentum multis supra allatis vtilitatibus compensatur. Et *præterea*, quia publicę illæ laudes suum habent tempus & locum deputatum, in quo orantes debent cessare ab orationibus priuatis, vt cantu diuinarum laudum, ac precum ad affectus deuotos inflāment. Itaque rationes illæ Chrysostomi non habent locum nisi in priuatis orationibus, quæ fiunt à toto populo.

Ad testimonium Apostoli *resp.* non ibi excludi cantum in diuinis laudibus, sed potius includi: quomodo enim potest psalli, aut cani, nisi voce, & ea aliquantulum elata? sed admonentur fideles, ne suos cantus solis labijs celebrent sine attentione cordis. Itaque cantare cordibus est non ore tantum, vt interpretantur ferè omnes Chrys. Theodor. & alij super hunc locum, & ad *Coloss.* 3.

20 Ad *secundum argum.* quod constat testimonijs Patrum, *resp.* Ad illud ex Athanasij more, respondet Augustinus, in loco commemorato in argumento, modum illum cantandi Officia diuina Athanasij, fortasse esse tutiorem (modestè loquitur) sed se non posse non laudare cantus Ecclesiasticos alta voce propter vtilitates, quas in se ipso expertũ fuisse commemorat. *Secũdò respõ.* Fortasse hoc humili modo cantandi Psalmos, & Hymnos vsum fuisse Athanasium, vt auersaretur Donatistas Hæreticos, qui proprio ingenio Hymnos excogitatos, ad nouosque compositos musicos modulos, canere consueuerũt: quos Athanasius oratione secunda contra Arrianos vehementer redarguit. Et de Melitianis tradit Theodoretus lib. quarto Hæreticorũ fabul. solitis cum plausu manuum, & quadam saltatione Hymnos concinere, & multa simul tintinnabula funi appensa mouere, & similia: qua de causa inquit magnus ille Athanasius perpetuò cum illis bellum gessit.

Athan.

Theodor.

Ad *testimonium primum* Hieronymi *respondetur*, eum in illo loco non reprehendere vsum canendi in Ecclesia: quin potius supponit licitum, cùm moneat eos, qui habēt Officium canendi in Ecclesia, sed reprehendit abusum, qui suo tempore apud multos irrepserat: de quibus abusibus dicemus in solutione ad tertiũ, verùm si, vt decet, ad pietatem musici modi compositi sint, nihil vtilius, aut gratiosius audiri potest, vt patet ex supra relatis in fauorem cantus Ecclesiastici. 21

Ad secundum testimonium ex eodem Hieronymo *respondetur*, esse intelligendum de orationibus, quæ priuatè, & ab vno solo fũdi solẽt; secus de publicis, vt dictũ est: neque esset irrisione dignus, qui laudes Regum canendo, pręcipuè versibus ac poematibus meditatis, precaretur Regẽ pro gratia, aut fauore obtinendo, vt sæpe videre est apud Poetas magni nominis: & multò minus indecens est Dei laudes decantando, sicut fit in diuinis Officijs, nostras Deo preces porrigere: sicut Dauidẽ sæpe videmus fecisse in suis Psalmis edẽdis ac decātandis: pręcipuè quia collectę seu orationes diuinorum Officiorum modica vocis inflexione canũtur duntaxat quatenus sufficit ad pietatem audientium excitandam, & à populo adstante intelligantur. Quinimò non solũ in diuinis Officijs solitum fuit diuinas decantare laudes, verùm etiam in ipsis Christianorum antiquorum conuiuijs Agape nuncupatis. Vnde Christianus Pædagogus apud Clementem lib. 2. cap. 4. sic ait: *Quemadmodum autem antequam sumamus alimentum laudare nos conuenit factorem vniuersorum, ita etiam in potu ei nos decet psallere, cùm eius creaturarum efficimur participes: est enim psalmus nunc rosa & modesta laudatio.* Canticum spirituale Psalmum dixit Apostolus, & Tertull. in Apologia cap. 39. *Post aquam manualem, & lumina vt quisq; de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit.* Et Cyprianus ad Donatũ: *Nec sit vel hora conuiuij gratiæ cœlestis immunis, sonet Psalmos conuiuiũ sobriũ & vt tibi tenax memoria est voce canora aggredere hoc munus, ex more magis charissimos pasces, si sit nobis spiritualis auditio, prolectet aures religiosa mulcedo.*

Clemens

Tertul.

Ad tertium arg. resp. nullum extare ita magnificum, aut inclytum opus, quod non sæpè malitia operantium fœdetur, & aliquibus inconuenientibus circundetur: sed hæc vitanda, opus peragẽdum. Quapropter non mirum, si in tam præclarum Religionis actum, qualis est Deo nostro canere laudes debitas, multi abusus irrepserint; quorum aliquot enarrabimus, vt ab his abstineant, qui laudibus Deo decantandis vacant. *Primus est*: si eæ laudes & diuina poemata modulis mollibus, & effęminatis, quales in theatris soliti sunt, canantur. Hunc abusum videtur tetigisse Hieronymus, vbi supra: & est valde perniciosus vtentibus: tùm quia sacra eloquia, ex quibus diuinæ laudes cõcinnãtur profanis modulis vestiunt: tùm quia fructum diuinorum verborum percipiendum, si honestis modulis canerentur non solum euacuant, verùm etiam impudicos affectus huiusmodi modulatio excitat, ac ingerit. 22

Clemens. Vnde Clemens in lib. secundo Pædagog. cap. quarto, sic ait: *Sunt enim admittendæ modestæ & pudicæ armoniæ à forti, & neruosa nostra cogitatione, verè molles, & eneruatas armonias amandando quàm longissimè, quæ improbo flexum vocis artificio vtentes ad delicatam & ignauam vitæ agendæ rationem deducunt: graues autem, & quæ ad temperantiam pertinent modulationes ebrietati, & proteruiæ valedicunt. Chromaticæ igitur armoniæ impudenti in vino proteruiæ, floribusque redimitæ meretriciæ musicæ sunt relinquendæ.*

Nec solum Christiani, verum & Gentiles ipsi mediocriter instituti damnabant illos canendi modos, qui mollibus fractisque vocum inflexibus, animos itidem molles fractosque, atque eneruatas penitus redderent. Nec alia de causa Pherecrates Comicus musicam introduxit figura muliebri totum corpus verberibus fœdè mulctatam, ipsamque iustitiam quærentem de causa huius fœditatis, illamque respondentem carmina in accusationem eorum, qui candorem suum pristinum, & cum suauitate maiestatem coniunctam Chromaticis modulis fœdè corruperint. De quo plura Plutarchus *in libello citato.* Plutarch. Et quantum iste canendi modus noceat animis, benè docet Cicero *lib. 2. de legibus*, qui & in canendo non vocum tantùm modum, sed & situm corporis modestè attemperatum monet esse seruandum, & fortiori ratione: & nos suademus in diuinis laudibus, & sacris peragendis debere seruari.

Huic proximus est *alter abusus*, & fortasse peior præcedenti: quando carminibus sacris admiscentur chromata, siue cantilenæ molles, ac lasciuæ: quæ non solùm tonis, ac inflexionibus mollibus vocis, verũ & sentẽtijs eiusdẽ generis cõstãt, quales aliquando in Ecclesia canere, aut miscere sacris cantionibus homines irreligiosi nõ verentur, nõ sine magno audientiũ detrimẽto, & iniuria tũ sacrorũ cantuum, tùm templorum, in quibus canũtur. Primum quidem satis docuit Concilium Antiochenum contra Paulum Samosatenum Hæreticum, qui in Ecclesiam huiuscemodi cantilenas turpes inuexit. Quod ante prohibuerat Clemens primus lib. quinto constit. Apostolic. cap. 10. *Christianus* (inquit) *fidelis nec carmen ethnicum, neque meretriciam cantilenam canere debet: quoniam continget eum in cantione dæmoniacorum idolorum mentionem facere; & in locum Spiritus sancti inuadet eum spiritus malus, &c.* & D. August. lib. de decem cordis cap. 4. *Quid prodest* (ait) *delectari cantibus ad tempus dulcibus, in posterum amaris: talibus enim turpitudinibus cantionum animi humani illecti eneruantur, & decidunt à virtute, defluentes in turpitudinem, & propter ipsas turpitudines postea sentiunt dolores: & cum magna amaritudine digerunt, quod cum magna dulcedine temporali biberunt: melius est ergo, vt nos amara ad tempus cantemus, quæ postea dulcescant in nobis, &c.*

Chrysost. Et D. Chrysostom. super Paul. 118. sic fatur: *Quæ ad vsum vitæ huius cantica, & cantilenæ temores, ac soni desinentia fallunt auditum, simul & animum, in fraudem pelliciunt, ab vtilitate abducunt, & in concupiscentiam pertrahunt ad genialẽ vitam, eorumq́; quæ canuntur appetentiã afficiũt, & inclinãt, & quã libet alioqui virilem eneruãt obscœna, turpia & illecebrarum plena, Ecclesia verò cantica, quæ nimirum Sanctus suggerit spiritus, & moderata verborum temperie, & decenti sententiarum descriptione mentem reuocant, ad affectiones suas ordine digerendas, animam illustrant, & exornant, vt simul atque intellexerit, & assensa sit, eoq́; inuitat melodia ab Spiritu sancto excitatum organum, tum prolata quoq́; sententia, & mores transferat, & affectus promoueat.* Secundum autem de iniuria, quæ fit templis, si in eis chromata, aut præfatæ cantilenæ canantur dicemus in materia de sacrilegio: vbi docebimus sitne hic abusus veniale peccatum, an mortale.

Alius abusus est eorum, qui audiunt, & canunt laudes diuinas vtentes temperatis modulis, vt in Ecclesia cantari consueuerunt, sed nudam inde captantes voluptatem auditus: quod non sine crimine fit dum Ecclesiam hos concentus, & modulos instituentem suo priuant fine, & intentione excitandi animos fidelium ad affectus pietatis, in quo abusu solent nonnunquam etiam viri pij delinquere, vt de se fatetur D. Aug. lib. 10. Confess. cap. 33. vbi postquam dixerat se mirum August. in modum affici solere Ecclesiastico cantu, subiungit dolere tamen, quod eo raptus interdum, quæ canerentur minus attenderet: ac de his secum disserens, hæc tãdẽ ait: *Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum salubritatis, magisq́; adducor non quidem irretractabilem sententiam proferens, canendi consuetudinem approbare in Ecclesia, vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis resurgat.* Et ibidem: *Cum mihi accidit, vt me amplius cantus, quàm res quæ cantatur mouet, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.* Hæc August. Et modo iste abusus erga fideles valde increuit. Videas enim quamplures affatim concurrere ad Ecclesias non pro audiendis diuinis eloquijs, quæ ibi recitantur, sed vt aures musici concentus voluptate afficiant.

Ego quidem non affirmo oblectari musices suauitate esse peccatum, sicut neque fragrantia odorum. Hæc enim opera indifferentia sunt ad bonum & malum, sed sic vti harmonia Ecclesiasticorum officiorum, vt finis Ecclesiæ in eius vsu frustretur, nequaquam licitum est: quinimò imperfectionem non modicam audientium redolet: potius enim pertinet ad oblectamenta carnis, quàm ad vtilitatem spiritus. Existimo autem duntaxat esse veniale crimen, nisi alius finis lethalis admisceatur.

At verò si quis hisce concentibus & modulis vtatur ad bonos fines, purà ad leuamen tædij circa diuina Officia, si nudè recitarentur, vel ad affectus plenos pietate excitandos, vel alia huiusmodi: iusta & pia vtitur voluptate. Egregiè Lactant. lib. 6. cap. 21. *Si voluptas est* (inquit) *audire* Lactant. *cantus, & carmina, Dei laudes canere, & audire, iocundum sit. Hæc est voluptas vera, quæ comes & socia virtutis est: hæc est non caduca, & breuis, vt illa, quam appetunt, qui corpori vt pecudes seruiunt, sed perpetua, & sine vlla intermissione delectant.*

Alius

25 *Alius abusus* accidere sæpe solet, cùm plusquã par est studetur musico concentui in diuinis laudibus, aut Officijs: vel quia curiosius, vel quia mora magna temporis, quæ in his decantandis consumitur, alijs operibus vel intentioni Ecclesiæ nocet. De priori ait August. in Regula: *Nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum, quod autem non ita scriptum est vt cantetur, non cantetur.* Circa vtrumque ait Dominus Caietanus: *Cum omnia, quæ sunt propter finem, maximè indifferentia, non sint propter se appetenda, nec facienda, nisi in quantum sunt vtilia ad finem: consequens est, vt in Ecclesiasticis Officijs in Ecclesijs persoluendis debeat tantum cantari, quantum expedit deuotioni cantantium excitandæ, si aliena deuotionis ratio cessat: vt contingit, quando populus frequens conuenit ad Ecclesiastica officia audienda.*

August. Caietan.

Idem proportionaliter dicendum est de diuinorum Officiorum cantu coram frequenti populi fidelis concursu. Sed in vtroq; casu prudentia opus est. Sunt enim aliqui ignaui, & parũ deuoti, qui ægrè ferunt tantulam temporis moram in his consumi: Hos reprehendit D. August. serm. 251. de tempore inquiens: *Adhuc quoque quod valde dolendum est conqueri vobiscum volo: quia sunt aliqui, & maximè potentes huius mundi, qui cum veniunt ad Ecclesiam non sunt deuoti ad laudes Dei celebrandas, sed cogunt presbyterum vt abbreuiet Missam, & ad eorum libitum cantet, nec ei licet morem Ecclesiasticum sequi propter illorum gulam & auaritiam.*

August.

Alij verò sunt nimis prolixi occasionem tædij sua prolixitate præbentes adstantibus: & ideò Prælatus, cuia interest isthæc prudentia moderari, cùm nõ habeat singulorum affectus in statera, prudenter debet pensatis conditionibus personarum, locorum, & huiusmodi quantum pro conseruanda deuotione canentium, & audientium viderit expedire, canticis Ecclesiasticis moderamen adhibere. Et aduertit Caiet. *Sic alienæ deuotionis debent canentes rationem habere, vt propria non destruatur.* Etenim non debet nostra tribulatio, aliena esse subuentio, secundum Apost. doctrinam 1. Cor. 8.

1. Cor. 8.

26 His inconuenientibus si careat cantus & harmonia Ecclesiastica, tantum abest vt impediat deuotionẽ mentis; vt in argumẽto obijciebatur, quod eam maximè promouet, & auget. Nam si aliquis cãtet nõ ꝓpter voluptatẽ, aut delectationẽ sed ꝓpter deuotionẽ, magnã valde inde percipiet spiritualẽ vtilitatem: quia attẽtius cõsiderat, & quasi ruminat ea, quæ dicuntur, cum diutius moretur super eodem. Egregiè Diuus Ambrosius in Psal. 118. sermone. 7. super illis verbis. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ. Quæ bene tenemus* (inquit) *cantare consueuimus, & quæ melius cantantur, melius nostris adhærent sensibus: non enim perfunctoriè transeamus, quæ legimus, vt tunc tantùm cum legimus ea, in memoriam eorum redire videamur: sed etiam cum abest codex manibus, tanquam animantia, quæ munda probantur, & habentur in lege, etiam cum non pascuntur, ruminare consueuerunt, ex semetipsis alimenta sibi recondita proferentes: ita & nos de nostræ memoriæ thesauro de interioribus nostris ruminandum nobis pabulum spirituale promamus: quo modo hymni nobis, canticum nobis, psalmi nobis iustificationes Domini sunt.* Et præt erea, quia sic canens, pios affectus multiplicat pro diuersitate cantus.

Am. Joaq

Quàm diuersos etiam parere, & excitare affectus in audientibus nos experimur, & veteris pe iam Ethnici agnouerunt, & in suis Historijs tradiderũt. De Pythagora refert Boethus in Proemio musicæ, quendam iuuenem in furiam versum ex auditione cuiusdam cantus ad sanam mentem reuocasse, iubendo cantori, vt cessaret à cantu carminis bellici, & cantum Phrygium caneret: & Sabellicus *lib.* 10 *cap.* 8. scribit Timotheum quendam musicum, cùm ad Alexandri mensam caneret Orthium modulum, Regem repentè velut insanum stetisse in pedes, coegisséque ad arma prosilire: rursus remittente cantum, continuo & Regis remisit affectus.

Boeth. Sabellicus

Multa de hac re nobis veteres tradiderunt, multa etiam Arist. 8. *Pol.* & D. Th. *super Psalmum.* 32. ait ex musicorum antiquorum sententia, musicam immutare affectum hominis tripliciter: scilicet per cantum Doristicum: idest per primũ & secundum tonum, ad firmitatem, & constantiam: per Phrygium: id est per tertium tonum & quartum, ad dulcedinem: & ad alta per Ipolidium: idest per quintum & sextum tonum. Alij verò additi sunt postea ad alios effectus efformandos. Rationẽ autem reddere huius diuersitatis, & quare cantus iste sympathiam habeat cum hoc affectu, alius verò cum alio; & quare potius vim habeat hæc vocis modulatio erga gaudium; illa verò erga mœrorẽ, alienũ est à præsenti instituto, & valde occultum: quod benè aduertit Aug. lib. 10. Cõf. cap. 33. citato, inquiẽs: *Omnes affectus spiritus nostri pro sua diuersitate habent proprios modos in voce, atque cantu, quorum occulta familiaritate excitantur. Occulta* (inquit) *familiaritate*; quia huius sympathiæ ratio ignoratur, vel non plenè scitur. Quod si aliqualem rationem adhuc enixè quæris: vide D. Th. 8. *Pol. lect.* 2. *circa medium* referentẽ ex quorundam Philosophorum sententia.

Aristot. D. Thom.

27 Ad quartum respondet D. Th in hoc art. his verbis. *Ad quartum dicendum, quod sicut Philosophus dicit in 8. Polyticorum, neq; fistulas ad disciplinam est adducendum, neq; aliquod aliud artificiale organum, putà cytharam, & si quod aliud alterũ est: sed quæcũq; faciunt auditores bonos: Huiusmodi enim musica instrumenta magis animum mouent ad delectationẽ, quã per ea formetur interius bona dispositio. In veteri autem testamento vsus erat talium instrumẽtorum. :tum, quia populus erat magis durus & carnalis: vnde erat per huiusmodi instrumenta prouocandus, sicut & per promissiones terrenas: tum etiam, quia huiusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant.* Hæc D. Tho.

Pro cuius ampliori explicatione *præmittẽdum*, vsum instrumentorum musicorũ esse operationẽ ex suo genere indifferentem ad malum & bonũ finẽ: quod licet experiamur sæpissime; ex antiquorum momumẽtis licet colligere. Et de malo vsu patet: nam apud ethnicos maximè huiusmodi instrumenta adhiberi consueuerunt in turpibus, ac sordidis vsibus: nimirum in theatris, conuiuijs, ac sacrificijs Deorum falsorum.

Hebræos verò in diuinis laudibus decantandis tubijs, tibijs, lyris, cytharis, psalterijs, ac denique omnis generis instrumentis musicis, sanctè vsos fuisse, cuique legenti veteris testamenti codices peruium erit: quod vel inde colligere licet, quod qui in captiuitatem abducuntur rerum necessariarum, ne dum iocalium obliti, & toti in lugenda sua calamitate occupati ad locum suæ captiuitatis pergunt. Ad Hebræos ductos captiuos in regionem Babylonicam, vt deditissimos armoniæ musicorum instrumentorum sua musica instrumenta secum adduxisse testatur Psal. *Psal.136.* 136. *Super flumina Babylonis* (inquiunt in captiuitate positi) *illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra*: idest instrumenta musica omnis generis, quorum laude Iudæi erant celebres per totum Orientem. His præmissis

28 *Dico primò.* In Ecclesia Christi non fuit frequens vsus musicorum instrumentorum corporalium; vt lyræ, cytharæ, & similium diuinis laudibus decantandis. *August.* Ita D. August. *super Psalm. 32. in principio*, dicens cytharam ab Ecclesiæ modulatione esse proscriptā. *Iustinus.* Et Iustinus Martyr quæst. 107. vel quicunque ille autor fuerit: *In Ecclesijs (inquit) non vsus carminum per eius generis instrumenta, & alia insipientibus congruentia receptus est, sed simplex cantio in eis manet.* Cuius asserti prima ratio fuit propter frequentem vsum ethnicorum in suis sacrificijs: dum nullum sine musicorum instrumentorum strepitu peragebant, & propter receptissimum Iudæorum, ne cum illis ethnizare, & cum his iudaizare videretur primæua Christi Ecclesia.

Aristot. *Secunda ratio* desumitur à D. Thom. ex *Philosopho. 8. pol.* formanda in hunc modum. Huiusmodi musica instrumenta magis animum mouent ad delectationem, quàm per ea formetur interius bonus aliquis affectus conducens ad deuotionem, vel bonos formandos mores: at harmonia Ecclesiastica in lege gratiæ ad pios affectus excitandos, & rectos mores inducendos ordinari debet, non ad voluptatem capessendam: nam huius legis (quæ spiritus dicitur) cultores ad spiritualia neglectis voluptatibus terrenis inhiare debent, multò aliter, quàm populus Hebræorū, vtpote carnalis, & durus: & ideò vt ait D. Tho. erat per huiusmodi instrumenta prouocandus ad interessendum sacris; sicut per promissiones terrenas ad obediendū diuinis mandatis: ergo vsus istorum instrumentorum musicorum per se loquendo non est vsque adeò conueniens in lege gratiæ.

Maior huius syllogismi explicatur ex discrimine inter concentum vocis humanæ, & harmoniam instrumentorum musicorum: nam licèt vtraque conueniat in eo, quod excitant animi affectus pro diuersitate modulationis; tamen longè differunt in hac excitatione: cantus namque modulatio, cùm sit modus intrinsecus ipsi; si diuinis eloquijs adiungatur, aut gestorum proborum recitationi, excitat ad pios affectus ortos ex rebus, quæ cantantur conuenienti harmonia, & modulis: verbi gratia, si canuntur gesta Sanctorum, excitat ad eorum imitationem: si Dei laudes, ad eius cultum, & amorem: si cœlestis beatitudinis fœlicitas ad eius ardens desiderium: & similia. Qui affectus mirificè exornant animum audientium, & ad bonos mores valde conducunt: at verò musicorum instrumentorū sonus licèt diuersos affectus animi pariat; dicitur namque tubas & tibias ad animositatem, & cōstantiam prouocare; cytharam & lyram ad dulcedinem, & amorem, & sic de alijs instrumentis musicis: tamen per se loquendo hi affectus indifferentes sunt ad bonum & malum: etenim cōstantia in bono laudabilis est, in malo vituperabilis: dulcedo & amor virtutis bona sunt, in vitijs verò nequaquam: & ideo sonus musicus istorum instrumentorum per se loquendo non excitat affectus, quæ bonum faciant habentem, neque conducentes ad bonos mores, sed tantùm ad voluptatem capessendam ex artificioso illo sonitu. 29

Obijciet quis fortasse contra nostrum assertum *Clemens.* Clementem Alexand. *in lib. 2. pædagog. capit. 4.* qui quamuis ea, quæ habentur in Psalmis, scilicet Deum laudandum esse musicis instrumentis, ad spiritualem sensum reducat, prohibeatque ea, quibus Gentilitas in suis ritibus vti consueuerit, Christianis esse communia: tamen si eadem rectè pièque exerceantur, vt Christianam modestiam decet, non vetat, cùm ait: *Etsi ad lyram, vel cytharam canere & psallere noueris, nulla in te cadet reprehensio, Hebræum iustum Regem imitaberis, qui Deo est gratus, & acceptus. Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio, dicit propheta: & confitemini Domino in cythara; in Psalterio decacordo psallite illi.*

Respondetur, nos in asserto nostro duntaxat negare vsum instrumentorum musicorum non esse antiquum, & vsitatum in Ecclesia Christi in diuinis Officijs: imò neque per se loquendo satis conuenire propter rationes factas; non verò asserere quin extra diuina Officia licitum sit laudes diuinas & cantica spiritualia ad lyram, vel cytharam personare, modulatione, ac pulsatione honesta & graui: & hoc est quod monet Christianus pædagogus adolescentes illa ætate auidos pulsandi cytharas, aut lyras; ne videlicet armonijs amatorijs incumbant, sed potius imitantes Regem Dauidem, Psalmos Deo modulantes canant.

Secundò dico. Per accidens, & indirectè præfata instrumenta musica possunt excitare ad pios 30 affectus conducentes ad deuotionem & mores componendos: verbi gratia, ad leuandum tædium imperfectorum ex grauitate, aut diuturnitate diuinorum Officiorum conceptum, & vt modulatione ea instrumentorū allecti ad diuina affatim accurrant, vel vt voces cantātiū suauius faciat resonare, vel propter quid simile: ex quo fit vt vsus eorū non sit omninò ab Ecclesia relegatus, sed parcè acceptandus, nec extendendus: quia his, quæ per se inutilia sunt ad aliquem finē, & per accidens vtilia, vtendū est rarò, & parcè. Vnde cū moderatione in magnis celebritatibus vsus est tibiarū, Hispanè, *Minstriles*; & rarius cytharæ, & Lyræ in quibusdam processionibus,

Secus

Secus dicendum est de organorum vsu, qui propter grauitatem, & modestiam instrumenti, & propter commoditates, quas in eorum pulsatione cantores Ecclesiarum percipiunt iam ab Ecclesia acceptatus est, & solis sacris applicitus, quamuis vt refert Caieta. hic, coram Summo Pontifice nunquam pulsentur. Circa quæ Caiet. notat duo. *Primum* tempore D. Thom. non fuisse organorum vsum. *Secundum*, canendum fuisse in his pulsandis subrepant abusus, quos in cantu diximus reperiri posse. Hoc secundum latius discutiemus in materia de sacrilegio. Primum autem non expresse habetur in D. Thoma: fortasse suo tempore erat rarus eorum vsus, qui ob id nullus dicitur esse, aut quia à paucis agnitus: nihilominus organorum vsum non esse recentē probat Iulianus multo antiquior quàm D. Gregorius *super cap. 32. Iob*, & plures alij, quos citat Durantus *de ritibus Ecclesiæ lib. 1. cap. 13.* Caietan.

Durant. Igitur ad argumentum, quod est Petri Martyris Hæretici improbantis organorum, & cantus Ecclesiastici vsum *respondetur*, Christianos non teneri abijcere omnes cæremonias Iudæorum; Nam decimationem, primitiarum largitionem, & alias multas retinent, sed eas duntaxat tenentur explodere, quæ figuræ erāt alicuius mysterij erga Christum venturum, vt esum agni Paschalis, circuncisionem, neomenias, & sabbatha; vsus autem cantus & musicorum instrumentorum non erant huiusmodi, sed media quædam ad excitandam deuotionem plebis. Quod si aliqua figuralia erant non quidem Christi venturi, vel alicuius ad id pertinentis; vnde non continuò, atque Christiani his vtuntur iudaizare dicendi sunt.

DISPVTATIO II.

An Religionibus, quibus ex vi sui instituti conuenit intendere animarum saluti per prædicationes, audientiā confessionum, dogmatum diuinorum edoctionem, sit conueniens habere chorum, vbi Religiosi conueniāt statutis temporibus cantaturi diuinas laudes, ac diuina Officia?

ET videtur vera pars negatiua. Nam in Concilio Romano sub Gregorio I. sanctus Pontifex sic ait: *In sancta Romana Ecclesia, cui diuina dispensatio præesse me voluit, dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, vt quidam ad sacri Altaris ministerium cantores eligantur, & in diaconatus ordine constituti modulationi vocis inseruiant, quos ad prædicationis officium, & eleemosynarum studium vacare congruebat: vnde fit plerumque, vt ad sacrum ministerium dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligatur; & cantor minister Domini moribus stimulet cum populum vocibus delectat Qua in repræsenti decreto constituo, vt in sede hac sacri Altaris cantare non debeant, solumq; Euangelicæ lectionis officium inter Missarum solemnia exoluant: psalmos verò, ac reliquas lectiones censeo, per subdiaconos, vel si necessitas fuerit per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire attentauerit anathema sit: & omnes Patres Concilij responderunt, anathema sit.* Ita habetur *in libr. 4. Registri Episto. cap. 88.* & refertur à Gratiano *dist. 92. ca. In sancta Romana.* En inhibentur diaconi cantare in choro cum alijs; quia eis incumbit ex officio prædicationi, & elemosynarum largitioni insistere: ergo ijs ordinibus, ad quos ex instituto suo spectat commodis animarum per prædicationem, peccatorum audientiam, & similia, vacare, non conuenit habere chorum, vbi diuina Officia decantentur.

Confirmatur ex D. Tho. *in hoc art. solutione ad tertium*, qui explicans præfatum testimonium D. Gregorij ait: *Ad tertium dicendum, quod nobilior modus est prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam & prædicationem, quam per cantum: & ideo diaconi & prælati, quibus competit per prædicationem & doctrinam animos hominum prouocare in Deum, non debent cantibus insistere, ne per hoc à maioribus retrahantur*: ergo cùm ratio hæc militet in Religionibus, quæ sunt ad prædicandum, confessiones audiendum &c. institutæ, non decet eas habere chorum: sed eo prætermisso suo præcipuo instituto inhærere, ne per occupationem in choro ab eo retrahantur. D. Thom.

In oppositum est vsus omnium Religionum tam monachalium, quàm dictarum conditionibus, & doctrinæ, quæ per multa annorum curricula (paucis exceptis annis, idest 70. circiter) cum choro, vbi psallerentur diuina officia, institutæ sunt.

Hæc disputatio à me excitata est propter Gregorium de Valencia, virum doctum & pium; qui *in fine tom. 3. Comment. Theol.* in quasdam prorupit propositiones examine dignas sub his verbis: *Denique ex eodem fundamento patet* primo, *Religionis perfectionem minimè metiendam esse ex cantu, aut longa psalmodia: nam fieri potest, vt eiusmodi institutum chori, minimè conferat ad alicuius Religionis finem.* Secundò. *Sicut reuera non satis conuenit ijs Religionibus, quæ sunt ad concionandum instituta, vnde & Caietan. in articu. 6. asserit in eiusmodi ordinibus illos solùm debere recipi, qui ad huiusmodi munera sunt idonei: & præterea nullos exceptis sufficiētibus ministris, atque etiam* D. Thom. supra quæstione, 91. artic. 2. ad tertium *asserit, cantum non competere Episcopis, & alijs quos ministerijs spiritualibus vacare oportet.* Tertiò: *quare cum eadem sit ratio Religiosorum eiusmodi ministerijs deputatorum, fatendum est in eius generis ordinibus, conuenienter statui posse, vt Officiū diuinum publice in choro non dicatur: maximè cum deceat nullos* Gre. Val.

nullos esse in talibus ordinibus ineptos ad ministeria spiritualia. Quartò. *Si quando autem in aliquo ordine simili chorus introductus est, causa videtur fuisse, vt inepti ad alia ministeria spiritualia in his occuparentur.* Quintò: *non igitur tales recipiantur, & non erit in huiusmodi Religionibus necessarius chorus*. Hæc ille iuxta impressionem Venetam anno. 1598.

3 Pro decisione huius difficultatis prælibanda erunt quædā pertinētia ad statū Religiosorū decerpta ex Doctoris Angelici veridica doctrina, D.Thom. in materia de statibus. *Primum est*, quod licèt statui Religionis commune sit emissio trium votorum essentialium, scilicet paupertatis, continentiæ, & obedientiæ: tamen quia religiosus status est quoddam exercitium, quo aliquis exercetur ad perfectionem charitatis, & quia sunt diuersa charitatis opera, quibus homo vacare potest, & diuersi modi exercitiorum; ideò Religiones distingui possunt dupliciter; *vno modo* secūdū diuersitatē eorū, ad quæ ordinātur; sic vt vna Religio ordinetur ad peregrinos hospitio suscipiēdos, & alia ad visitādos, & redimēdos captiuos. *Alio modo* potest esse diuersitas Religionum secundum diuersitatem exercitiorum; putà quod in vna Religione castigatur corpus per abstinentias ciborum; in alia per exercitium operū manualiū, vel per nuditatem, vel aliquid huiusmodi. Sed quia finis est potissimum in vnoquoque; maior est Religionum diuersitas, quæ attenditur secundùm diuersos fines, ad quos Religiones ordinantur, quàm quæ attenditur secundum diuersa exercitia. Hæc Diuus Th. *infra quæst*. 188. *art*. 1. & ibidem notat Caiet. quod perfectio charitatis, quæ est Religionis finis: quamuis principaliter consistat in actu interiori charitatis: quia tamen per exteriores actus charitatis diffunditur, finis Religionis diuersificatur, non solùm penes distinctionem dilectionis Dei, vel proximi: sed etiam penes diuersitatem actuum exteriorum, quibus diligitur proximus; vt sunt diuersa opera misericordiæ.

4 *Secundò notandum ex eadem quæst. art. 6.* eam Religionem, ad, quæ ordinatur concionādum, confessiones audiendum, & ad docendum esse præstantiorem cæteris: quia habet finem meliorem: Gregor. putà ex plenitudine contemplationis prædicare, & docere. Vnde & Gregor. *Hom*. 5. *in Ezechielem* psal. 144 de perfectis viris post contemplationem redeuntibus dicit Psalm. 144. *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt*. Et hoc præfertur simplici contemplationi: sicut enim maius est illuminare, quàm lucere solùm: ita maius est contemplata alijs tradere, quàm solùm contemplari: & huiusmodi Religiones propinquissimæ sunt perfectioni Episcoporum.

Ex hoc apertè colligitur, Religiones institutas ad opera vitæ actiuæ spiritualia, putà concionari, docere, & huiusmodi non respicere hunc finem nudè consideratum secluso omni genere contemplationis: quin potius eam includere, vt quid prærequisitum, aut necessariò inclusum in suo fine. Igitur Religiones hæ vel habent pro fine contemplationem simul, & opera spiritualia præfata vitæ actiuæ, & ob id sunt perfectiores ijs Religionibus, quæ ad solam contemplationem ordinantur tanquā vtrunq; finem complectentes, vitæ scilicet actiuæ, & contemplatiuæ; aut in suo fine habent imbibitam contemplationem diuinorum, sine qua nequibunt sui professores ritè concionari, & docere diuina eloquia. His præmissis

Sit prima assertio. Essentia cuiusuis Religionis siue pertineat ad opera vitæ actiuæ, siue contemplatiuæ reperiri potest sine choro, id est sine eo quod earum professores diuina officia celebrēt cantu Ecclesiastico, qui solet in choris cœnobitarum frequentari. Hæc assertio manifesta est: quia earum Religionum finis haberi potest sine choro multis alijs viis, verbi gratia, cōtemplatio cōsideratione solitaria, prædicatio meditatione priuata cuiusq; prædicantiū, &c. Quo fit, vt sapientissimus Sot. *lib*. 10. *de iust. quæst*. 5. *artic*. 3. quādo dicit, *Vix mereri nomen Religionis, Ordinem illum qui careat choro*, absolutè loquendo per ampliationem, & exaggerationem intelligendus sit: nam id dictum esse puto ad commendandum chorum, vt obseruantiam pertinentem ad decorem Religionis: de quo statim. 5 Sotus.

Secunda assertio. Religionis perfectio non est metienda ex cantu, aut longa psalmodia. Hæc assertiò probatur à præfato Patre Valencia assumpta propositione, quā falsā esse statim ostēdemus: à nobis verò probatur aliter: nam perfectio Religionū ex fine præcipuè desumi debet, vt habetur ex secūdò notabili desumpto ex doctrina D.Th. sed cantus, aut psalmodia lōga nō est finis Religionum, quæ ordinatur ad concionandum, aut docendum, quas esse perfectiores alijs docuit idem Doctor Angelicus: ergo &c. 6

Tertia assertio. Institutio & exercitium chori est medium ac instrumentum apprimè congruum, & conueniēs ijs Religionibus, quæ institutæ sunt ad cōcionandum, docendum sacra dogmata, ad audiēdas confessiones fidelis populi, & earū Religionum professoribus. Assertio hæc ex professo contradicit fermè omnibus, quæ dicit Gregorius de Valēcia, præcipuè secūdæ propositioni eius. Sed nostra assertio *probatur primò*. Omnes ferè Religiones institutæ ad concionādum &c. præter vnam aut alteram nouissimè institutā, elegerunt sibi vt mediū conuenientissimū assistentiam in choro ad celebranda diuina officia: ergo si hoc mediū non est cōgruum, aut cōueniēs, vt asserit præfatus autor, necessarium est fateri eas, & tot antiquas Religiones enormiter errasse, eligentes vt celebre medium, illud, quod revera ijs Religionibus non satis conuenit: hoc autem asserere temerarium citra dubium iudicabitur. *Confirmatur*: nam earum Religionum alumni, vt omnibus notum est valde profecerunt in fine suarum Religionum assequendo; puta in concionibus, confessionibus, & doctrina; ergo signum apertum est, non fuisse chori institutionem nociuam, aut disconuenientem ad præfatum finem adipiscendum.

Secundò probatur eadem assertio. Egregius contemplationis modus, seu species est cantus diuinarum laudum, & diuinorum officiorum in choro,

in choro, egregias pariens vtilitates, ac mirificos excitans in animo canentium, & audientium affectus, vt superius contra quosdam Hæreticos probaui: ergo medium satis conueniens est ijs Religionibus, quæ habent pro fine contemplata alijs tradere, seu (quod idem est) docere, & concionari, pro vt hæc ex contemplatione dimanant: & sumimus in præsentiarum contemplationem pro quacunque consideratione diuinorum; sicut sumit D. Thom. *in citato art.* 6. & hæc est ratio à priori probans nostram assertionem.

7 *Tertiò ad idem.* Professores Religionum institutarum ad concionandum & docendum multis indigent, inter quæ necessaria est oratio, secundum illud, quod quidam egregius Doctor

Sap. 7. & concionator de seipso dixit. Sap. 7. *Inuocaui, & venit in me spiritus sapiētiæ.* Necessaria itidē ē lectio eorū q̄ in sacra Scriptura sunt tradita: necessarius itidem est auditus, si cognitionem ex voce loquentis accipiant: necessaria est etiam meditatio eorum, quæ audierunt, aut legerunt; ne audita, aut lecta superficialiter cōsiderata è memoria statim elabantur. Sed ad hæc omnia mirificè prodest interesse cantibus diuinorum Officiorum, qui peraguntur in choro: ergo chori institutio valde proficua est pro Religionibus constitutis ad conciones, & doctrinam, & earū Religionum alūnis. Minor prob. Nam in choro multæ diriguntur orationes ad Deum pro obtinendo dono sapientiæ, gratia concionandi, & huiusmodi lectio & auditio diuinorū eloquiorum satis aptorum ad erudiendum populum in diuinis dogmatibus, ibi adest: ad meditationē item multum confert, dum res cantatæ vel repetitæ memoriam firmant, vt eleganter docet Ambrosius citatus ex *Psal.* 118. occasionem præbent diutius immorandi; & ex eloquijs diuinis multæ egregiæ considerationes pro deuotione meditantis, & populi augenda, & nutrienda depromuntur.

8 *Quartò prob. nostra assertio.* Cognitio veritatis, qua indigent concionatores, & Doctores, non pertinet tantùm ad intellectum, verùm etiam ad partem affectiuam: tum quia contemplatio, ex cuius plenitudine dicitur prædicationem, & doctrinam dimanare, & quæ etiam spectat ad finē Religionum institutarum ad concionandum, & docendum, non in sola parte intellectiua, verū in parte affectiua residet: tum quia experientia cognouimus, & Sancti proclamant quantum desit concionatori, qui ieiunus à bonis affectibus sola cognitione contentus est: sed cantus diuinorum Officiorum in choro egregiè confert ad pios affectus excitandos in concionatoribus, & Doctoribus, non solùm pro se vtiles, verùm & pro auditoribus: vnde & comparantur à D. Ber. Conchæ, ex cuius plenitudine, in alios deriuatur affectio pietatis: ergo Probat. minor ex dictis in *præced. disp.* vbi latè docui nō solū excitari pios affectus ex recitatione diuinorum, verùm etiam ex harmonia cantus Ecclesiastici.

Bone Deus, quot & quàm egregij affectus valdè accommodati pro munere concionandi excitantur in corde prædicatoris in Choro diuinis laudibus assistentis! Libet considerare chorū Ecclesiasticum canentium, vt pratum quoddam floribus enatis refertum, per quem apes mellificaturæ discurrunt, hinc thymi, illinc violarum, rosarum, & aliorum florum succum colligentes, quem intra aluearia condentes in mel suauissimum pro se, & suis cultoribus conuertunt. Non dissimiliter concionatores, & Doctores choro Ecclesiastico adstantes, occasione mille affectus pios pro se, & suis auditoribus eruendi fruuntur. Quis namque audiens chorum resonātē: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, &c.* Psa. 83. Psal. 83. desiderio cœlestis patriæ gaudia adipiscendi nō inardescit, & dulcedine eximia non perfunditur? Quis audiens concentum Ecclesiæ canentis sacrum hymnum: *Sanctorum meritis inclyta gaudia, &c.* ad martyrium non inflammatur? Quis concionator auscultans chorum psallentem: *zelus domus tua comedit me*, siue de Christo, siue de Dauide intelligat, ad perferendos innumeros labores in munere prædicationis non animetur? Vix explicari queat quot, & quales pios affectus vtilissimos pro se, & pro auditoribus suis concionatores adsistentes choro psallentium eruant, ac veluti de campo fertili, & mensa dapibus dulcissimis referta sumant, & decerpant: quibus sagināti quasi diuino amore ebrij, vt de Essenis choris ait Philo, & veluti Leones ignem spirantes stabiliti, in munus sibi iniunctum prædicationis, & doctrinæ prorumpant. Huius rei expertos testes possemus adducere plures sanctos Doctores, & concionatores: de quo infra.

Quintò. Sancti Doctores & concionatores ex tumultu secularium, quos docent, & instruunt, 9
non mediocrem iacturam quietis patiuntur, nō parum distrahuntur: imò aliquando sine graui culpa aduersus eos ex zelo virtutis indignantur. Ad hæc, & similia amouenda egregium remedium est ad chorum psallentium diuina Officia recurrere: vbi dulcedine Ecclesiasticæ harmonię deliniti, perturbatio animi consopitur, quies solita restituitur: ergo. Minoris veritas egregiè ostenditur. 4. *Reg.* 3. in Helisæo, qui indignatione 4. Reg. 3.
concepta, & merito aduersus Regē Israel, & rogatus prophetare successum belli contra Moab, vt irā sedaret, q̄ impedimento poterat esse quieti requisitæ ad prophetandū, iussit adduci psaltē, quo psallente irruit super eum spiritus propheticus: non quia musicus concentus efficaciam habeat ad causandum donū prophetiæ (de quo infra) sed quia musica harmonia mētē præparat ad quietē, & perturbationes animi sedandas.

Musici instrumenti sola pulsatio iram Helisæi turbati abstulit, quietem solitam restituit: quanto melius perturbationes & inquietudines concionatorum conceptas ex conuersatione cum secularibus consopiet, sedabit, & quietum animum reddet concentus diuinorum Officiorum adiunctus diuinis eloquijs, quæ à terrenis ad superna mentē mirificè eleuāt: & Regius Propheta, *Psal.* 118. quasi inquietus & turbatus videns plebem in peccata ruere ait: *Defectio tenuit me pro* Psal. 118
peccatoribus derelinquentibus legem tuam: *Defectio*, id est destitutio, & deliquium animi præ zelo: sed quod remedium suæ animæ perturbationi adhibuerit,

buerit, audi: *Cantabiles*, inquit, *Mihi erant iustificationes tuæ*: nimirum quia cantatæ perturbationem auferunt, animi defectionem restituunt: vnde & Cabbalici hos cantus appellant amputationes; eo quod amputent, & abscindant oẽs molestias; tumultus, & perturbationes conceptas.

10 *Quarta assertio*. Religionibus, quæ habent pro fine contemplationem, quales Monachales; & Religionibus institutis ad cõcionandum, & docendum, nullum aliud medium aut exercitium conuenientius, aut æquè conueniens esse existimo, sicut institutio chori: id est celebratio diuinorum Officiorũ cantibus Ecclesiasticis in choro. *Prob.* quia huiusmodi medium, seu exercitiũ proximius accedit finibus præfatarum Religionum, & magis proportionatur illis: ergo est omnium excellentissimum pro earũ finibus consequendis. Consequentia nota est: Nam quanto medium est magis proportionatum ad consequendum finem, tanto melius est, & congruentius ad eundem finem. Antec. prob. quia chori frequentatio, vel est species, vel modus cõtẽplationis: quæ est finis, vel imbibitur in fine prędictarum Religionum, vt probaui circa præcedentem assertionem. Cætera autem exercitia non sic se habent: à longe enim, & indirectè respiciunt finem earum Religionum.

Secundò probatur discurrendo per media potiora Religiosi status: v.g. abstinentia à carnibus exercitium proprium aliquarum Religionum, egregium est ad macerandam carnem, ne insolentia passionum insurgat aduersus spiritum: hunc autem effectũ excellentius præstat sequela chori: tum propter monita salubria decantata in choro inducentia ad affligendam carnem, ne rebellet contra spiritum: tum quia laboriosum est valde assistere celebritati, & concentui diuinorũ officiorum, maximè officio matutino, quod est à Religiosis media nocte decantandum. Audiui à multis viris Religiosis se consuetudine superasse laborem ieiuniorum in Religione obseruatorum, & inediam quasi in habitum versam fuisse. Ad idem asseuerant nunquam laborem surgendi ad Matutinas per multa decennaria annorum potuisse temperare, sed similem sibi adesse difficultatem, atque in initio sui nouicia-
Esai. 48. tus. Non immerito ait Propheta Esai. 48. *Laude mea infrenabo te, ne intereas*: & Iustinus citatus in disputatione præcedenti. *Cantio Ecclesiastica affectiones, & concupiscentias carnis sedat, cogitationes malas inimicorum, quos cernere non est, suggestione oborientes amollitur*. Et multa Patres de hoc dixere, qui videndi sunt supra. Idem argumentum fermè procedit de nuditate, quæ est exercitium religiosi status, præcipuè ad humilitatem inducens, quod intimius edocetur eloquijs diuinis in choro decantatis, & desumptis partim ex Dauidicis Psalmis, partim ex Prophetis, & præcipuè ex verbis Christi Domini in Euangelio exaratis.

11 *Obijciet quispiam* contra hãc assertionẽ, primò. Studium præcipuè literarũ sacrarũ computatur inter exercitia Religionum ad concionandum, & docendum institutarum: tum ad eliminandos errores à cordibus auditorum: tum ad conuincendos hæreticos, contra quos præcipuè concionatores, & Doctores oblatrant; iuxta illud Pauli ad Titũ primò, de Episcopo, cuius munus Ad Titũ
est Populum docere, *amplectentem eum, qui secundum doctrinam fidelis est sermonẽ, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*. Sed hoc exercitium præstantius est, quàm assistentia chori, vtpotè magis necessarium propter rationes relatas: ergo. Secundò. Meditatio sine cantu, & purè mentalis præstantius medium est, quàm meditatio vocalis, & cum cantu, sicut oratio mentalis præstantior est, quàm vocalis: ergo.

Ad primam obiectionem resp. Nos non computare inter exercitia religionum institutarũ ad con- 12
ciones, & doctrinam literarum sacrarum studium, sed inter partes integrantes, vel necessariò requisitas ad contemplationem, quę est finis earum Religionum: est autem finis earum, secundùm quod cõtẽplatio accipitur pro cognitione diuinorũ affectiua: quare sicut finis præstat medijs, sic fatemur studium sacrarum literarũ præstare cuicumque exercitio earum Religionum: nostra autem assertio nõ de fine Religionũ procedit, sed de exercitiis, quæ non sunt finis. *Secundò respondetur*, in choro reperiri studium sacrarũ literarum satis accommodatè pro concionatoribus, & lectoribus iam instructis, & in studio literarum veteranis, quales decet esse lectores, & concionatores, præcipuè quoad partem affectiuã: ibi reperitur lectio sacra sine labore euoluẽdorum librorum, ibi discipulatus, & edoctio à Deo, ibi meditatio diuinorũ, quę passim in choro offerũtur meditãda. Quibus si adiungas harmoniã Ecclesiastici cãtus reperies, hęc omnia cũ magno cumulo, & melius, quàm in solo studio reperiri.

Ad sec. obiectionem, admisso pro nunc antece-
denti, de quo nullo modo disputare volo, respõ- 13
detur negando consequentiam: quia concionatoribus meditatio diuinorum, quæ in choro reperitur magis accõmodata est, quàm purè mẽtalis, attenta fragilitate humana, & attentis ijs, quæ frequenter accidunt concionatoribus in munere prædicandi. Etenim ex tumultibus, & negotijs secularium, quibus communicant concionatores distrahuntur animo, ac perturbantur, quorum distractio, & perturbatio difficile sedatur per meditationem purè mentalem, quæ difficile potest haberi in modico temporis spatio: quod vix possidet occupati in prædicationis munere, & propter defectum abstractionis à curis secularibus, quæ necessaria est ad meditationẽ purè mẽtalẽ: iuxta illud Oseę. 2. *Ducam eam ad solitudi-*
nẽ, & ibi loquar ad cor eius: & propter lectionis de- Osee. 2.
fectũ, quæ necessariò debet præcedere meditationẽ purè mẽtalẽ, vt ritè fiat: At meditationem, quæ fit in choro, præcedit lectio sacrorum eloquiorũ à præcinentibus: menti præsentata varia itidem meditationis materia, ex varia sacrorum verborum recitatione, his adiunctis cantus Ecclesiasticus mille format affectus pios, quibus concionatores firmantur, inflammantur ad prędicationis munus obeundum.

Quare

Quare cæteris paribus, & supposita fragilitate humana, exercitium accommodatius est pro concionatoribus meditatio in choro, quàm priuata, & solitaria. Hanc mihi videor aspicere differentiam inter meditantes priuatè, & solitariè, & inter meditantes in choro, quæ reperitur inter parantes, & condientes fercula, quæ apponant in mensa, vbi comedunt, & inter sedentes ad mensam refertam dapibus ab alijs conditis. Nam illi magna indigent cura, tempore, & labore, vt saginentur; hi ferè citissimè, & ferè sine cura, & labore alimentis sibi appositis fruuntur.

14 *Quinta assertio.* Si cætera sint paria, ea Religio, quæ in sui institutione habet chorum, præstantior est, quàm quæ eo caret. Hæc assertio manifesta est ex dictis: Nam exercitium chori conuenientissimum est Religionibus omnibus, quæ quomodocunque cognitionem diuinorum requirunt, vt probatum est: ergo quæ in hoc nobilissimo exercitio aliàs superat, si in alijs adæquatur præstantior necessario erit, vtpote excedens alias.

Superest examinare alias propositiones eiusdem autoris, præcipuè quartam & quintam. Quarta est. *Si quando in aliquo ordine instituto ad concionandum, & docendum chorus introductus est, causa videtur fuisse, vt inepti ad alia ministeria spiritualia, in his occuparentur.* Certè iste bonus pater iniuriosus est choro, & eius sectatoribus. Choro quidem, quia infimè sentit de eius nobilitate, & celsitudine, iudicans de eo sicut de exercitio texendi fiscellas, aut sportulas, quo occupabantur rudes monachi in eremo ad vitandum otium: cùm tamen sit exercitium propinquissimum, & affine fini prædictarum Religionum, & quidam modus egregius contemplationis. Sectatoribus verò chori, & institutoribus iniuriam irrogat, qui non pro ineptis tantùm, sed pro sapientissimis eum instituerunt in suis Religionibus: imò & viri earum Religionum sapientissimi ex choro vberes fructus spirituales deprompserunt. Quod certè probant rationes à nobis allatæ pro tertia & quarta assertionibus.

An ineptus sanctus Ignatius supra citatus apud Socratem: qui visione admonitus Angelorum modum canendi in choro tradidit Antiochenæ Ecclesiæ? Haud dubium quin ipse in eo sæpissimè versaretur. An ineptus sanctus Basilius Episcopus citatus, *qui epistola 69.* non obstante regimine Episcopali, chori se professorem, & sectatorem commemorat? An ineptus Diu. Ambrosius amator, institutor, & frequentator chori in Ecclesia Mediolanësi, vt testatur Augustin. *lib. 9. Confess. cap. 7.* An ineptus Augustinus, qui cùm suis Canonicis choro mirificè recreabatur? An ineptus sanctus Dominicus Pater ordinis Prædicatorum, qui post conciones frequentes, & eximias ad chorum, vt ad Paradisum recurrebat: sic adeò, vt extremo morbo inuadente noluerit non adesse cum suis fratribus Matutinum officium media nocte celebrantibus. Quod & fecêre proceres illius Religionis, Diuus Thomas Doctor Angelicus, Diu. Vincentius concionator eximius, Diuus Hyacinthus, & alij eiusdem Religionis alumni dignissimi: & Dominicus Sotus, eiusdem Ordinis (quem honoris causa nomino, quia sua ætate sacram Theologiam exaltauit) quamuis esset multis negotijs occupatus, vtpote Cathedræ primariæ in celeberrima Academia Salmantina præfectus, & sacris confessionibus Caroli Quinti Imperatoris destinatus: tamen multis, & statutis anni temporibus consueuerat surgere media nocte cum fratribus, & velut bonus dux, & antesignanus alta voce inchoabat officium paruum Beatæ Virginis: ac denique iuxta morem Religionis perficiebat: quo absoluto gaudio spirituali perfusus ad intermissa studia redibat. Dies mihi deficeret, codex immensum cresceret, si vellem enarrare viros sapientissimos, & ideò ad spiritualia non ineptos, qui sectatores & amatores chori extiterunt. Non igitur in Religionibus introductus est chorus pro ineptis ad spiritualia munia.

15 Ex dictis etiã facilè confutatur vltima propositio eiusdem autoris, videlicet. *Non recipiantur inepti ad spiritualia, & in his Religionibus nõ erit necessarius chorus*: Etenim si sermo sit de necessitate absoluta, vera est propositio: sed in hac acceptione non est intelligenda: tum, quia non est ad propositum, vt perspicuè videbit legens antecedentia verba: tum, quia vera erit siue apti siue inepti recipiantur, vt patet ex prima assertione. Est igitur intelligenda de necessitate conuenientiæ: id est chorus non est medium congruum, neque conueniens: quod satis superque impugnauimus, & vt existimo expugnauimus.

Præterea: admittamus hoc falsum, scilicet chorum in præfatis ordinibus introductum fuisse; vt inepti ad ministeria spiritualia in his occuparentur: inde sequitur falsam esse propositionem secundam eiusdem autoris: videlicet non conuenire chorum ijs Religionibus: imò ex hoc solo colligere licet conuenire: Nam quantauis diligentia adhibeatur, vt non recipiantur inepti ad ea ministeria, adhuc necessarium est plures huiusmodi in quauis Religione inueniri: quandoque quia multi tempore receptionis putantur esse habiles, & postea ineptitudo eorum manifestatur, quandoque qui habiles erant, præ senectute, aut ægritudine inhabiles fiunt prædictis ministerijs, non valentes ea exercere, cum tamen interesse possint choro, vel canendo, vel audiendo aliorum cantus. Item nulla Religio est, quæ non abundet Religiosis iuuenibus, quorum ætas minimè apta est ad concionandum, ad docendum, vel confessiones audiendas: ergo pro huiuscemodi, si non absolutè necessarius, saltem apprimè conueniens erit chorus ad edomandum iuueniles impetus meditatione, quam ostendimus in choro reperiri, & assistentia laboriosa chori.

16 *Dices.* Studio poterunt occupari: non inficior, sed solum studium literarum sine exercitio pertinente

August.

tinente ad partem affectiuam, & deuotionem excitandam non satisfacit instituto Religioso, quod ex contemplatione & actione permisceetur, quod egregiè inuenitur in choro. Item: non tamen ob id chorus debet existimari medium incongruum, & non conueniens. *Præterea.* Post exactum tempus studiorum, & discipulatus pauci sunt, quibus iniungitur cura concionandi, aut docendi. Cæteri rogo in quo occupabuntur? Non in audientia confessionum: quia non semper adest tam frequens numerus volentium confiteri. Non studio assiduo scientiarum comparandarum, cui perpauci vacant, præter eos, qui designati sunt ad docendum. Non in componendis Homilijs ad Populum, quas fere nullus meditatur, nisi concionaturus. Non in perpetua & iugi contemplatione solitaria diuinorum: hoc enim paucorum est.

Gers. in. Egregiè Gerson lib. de oratione, & eius valore in fine, alias tertia parte Alphabeto 78. litera G. *Sunt* (inquit) *rarissimi valde inter homines tam religiosos, quàm seculares, præcipuè in adolescentia, & iuuentute, idonei ad contemplationis adeptionem: propterea Sancti Patres videntes imperfectionem nostram* (non dicit videntes ruditatem ingenij, vt præfatus Valencia) *& attendentes, quam difficile sit otio bono vti, voluerunt occupationem bonam dare hominibus suis: feceruntque hoc in orationibus, & canticis multis.* Hæc Gerson. Certè ego timeo, plures huiusmodi otiosos permultas horas stertere, aut licentijs diuagandi extortis à Prælatis, partim improbè, partim sub prætextu pietatis, penetrare domos viduarum, iuuenculatum, aspectui & conuersationi interesse: quod certè sine periculo, etiam senum, nedum iuuenum, vix reperitur: vt Sancti clamant. Timeo etiam, hos negotijs secularibus præter Apostoli consilium implicari, à quibus quid nisi seculares mores expectantur? Ac tandem his negotijs ferè integris diebus occupati, etiam occupatam mentem, ac memoriam, domum reportabunt: quod quantum impedimenti præstet orationi mentali, ac vocali, & contemplationi, nullus, nisi cæcutire velit ignorabit. Hi citra dubium benè occuparentur in choro, vbi adest lectio sacra sine euolutione codicum, meditatio sine ingenti discursu præcedente, parturitio multorum affectuum piorum, ac denique excellens occupatio pro iuuenibus, pro senibus, pro doctis, pro omni genere Religiosorum.

37 Superest respondere ad argumenta initio disputationis facta. Ad testimonium Diui Gregorij: quidam respondent (vt refert glossa in capite citato) Decretum illud duntaxat debere intelligi de Diaconis Cardinalibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quos propter sui grauitatem, non decet cantibus insistere, aut deputari. *Alij*

Turrec. dicunt (inter quos glossa, & Turrecremata ibi articul.3.) vniuersaliorem esse prohibitionem, sed eam esse contra quosdam, qui sacris induti, vt Euangelium legerent, ad chorum recurrebant, vt cantarent, & vocis modulatione se, & populum oblectarent. Cui expositioni fauent illa verba: *Inter Missarum solemnia.* Sed illud motiuum, seu causa prohibitionis, quæ ibi datur: quia hos diaconos ad prædicationis, & eleemosynarum officium vacare congruebat, non benè præfatæ expositioni adaptatur: quia non solùm ad Diaconos deberet extendi, sed etiam ad Subdiaconos, quibus indecorum est sacris indutos ad librum recurrere, vt canant.

Quare melior est expositio Diu. Thom. in confirmatione huius argumenti relata: vt scilicet Diaconis, & Prælatis non liceat cantibus insistere, ne à maioribus, ad quæ deputati sunt, retrahantur. In quo testimonio aduertendum, non prohiberi Diaconos, aut Prælatos à chori cantu, sed ne relictis suis officiis, quæ sunt prædicare, & docere, aliena officia cantorum assumant: sicut quidam ad ostentandam vocis suauitatem fecerunt; quorum consuetudo reprehensibilis dicitur, & meritò reprehenditur. Item non prohibetur eisdem frequentatio chori: nisi quatenus per eam à suis officiis retrahebantur: quod nos etiam damnamus in Religionibus, & Religiosis ad concionandum destinatis: de quo in solutione ad confirmationem.

Ad quam respondetur, distinguendo consequens illatum. Nam si Religiosi earum Religionum per chori institutionem, aut sequelam retraherentur, aut impedirentur ab officio concionandi, docendi, &c. concedenda esset consequentia. At neutiquam impediuntur, sed potius iuuantur, & in hoc hallucinatus est præfatus Valencia, nesciens praxim, & morem seruatum in eis Religionibus, vt simul satisfiat choro, & concionandi, aut docendi officio: sicut in iis Religionibus contemplatiua & actiua vita simul exercetur.

Praxis autem hæc est: Religiosi, qui habiliores, & aptiores sunt ad conciones, & doctrinam, & iis continuò vacant, dispensantur in integrum à chori sequela, exceptis quibusdam festis solemnissimis: mediocriter habiles, & qui prædictis officiis per interualla seruiunt, dispensãtur à parte præfatæ sequelæ: cæteri verò choro assistunt: & qui dispensantur exercitiis vitæ actiuæ lassati, ad chorum auidissimè sæpè accurrunt: vbi vel audientes, vel simul cum aliis concinentes, harmonia cantus Ecclesiastici recreati, tædium conceptum, & laborem operum vitæ actiuæ leuant, ad Deum mentem erigunt: ita vt sæpè videantur sibi agminibus interfuisse Angelorum. Piissimos conceptus parturiunt, quibus veluti ebrii, & saginati, & Deo fauente illustrati, ad intermissas operas, siue concionis, siue doctrinæ, siue studii, siue audientiæ confessionum animosiores redeunt. 38

En quo modo potius choro iuuatur prædicatio, doctrina, & studium, quàm impediatur: maximè quia in his Religionibus cauetur, sic chori sequelam exercendam, vt neutiquam præfata munia impediantur: sic cauetur in constitutionibus fratrum Prædicatorum: & idem existimo ordinatum fuisse in cæteris Religionibus

bus consimilibus. *Praeterea* idem colligitur ex ijs, quæ gesserunt viri sancti regimini animarum dicati, Regius Propheta curam Regni Israelitici egregiè gerebat, & administrabat, non tamen impediebatur ab officio gubernationis, sed potius iuuabatur cantionibus, & poematibus diuinis insistendo. De se aiebat loquens cum Deo: *In te cantatio mea semper, repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam tota die magnitudinem tuam:* & alibi: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*: nimirum ad Psalmos ad cytharam canendos, iuxta morē suum, vnde Psalmista dictus est. Multi alij Prælati, & Episcopi citati ex chori assistentia non impediebantur à regimine sibi commisso, sed potius iuuabantur; Basilius, Ambrosius, Augustinus, Diuus Dominicus, de quo ait sanctus Antoninus implesse illud: *In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius.*

Finis primi Tomi.



RAPHAE-

INDEX RERVM ET MATERIARVM PRINCIPALIORVM, IN HOC primo Tomo contentarum.

Bruta

I

L.

M

N

O

vnie

Finis Indicis primi Tomi.